



1

CORNVCOPIÆ CONCIONATORVM ABVNDANS ENARRATIONIBVS SYMBOLICIS ET MORALIBVS DIVERSORVM CONCEPTVVM.

CORNVCOPIÆ CONCIONATORVM ABVNDANS ENARRATIONIBVS SYMBOLICIS ET MORALIBVS DIVERSORVM CONCEPTVVM:

In quibus ſub Speculi ſimilitudine, vnà cum plurimis Electis Sacris, copiosè agitur de Sacratiſſimæ Virginis myſterijs, &c. quæ exactè & curiosè enucleantur.

TOMVS I.

Cum indice quadruplici, nempe I. Enarrationum ac Sectionum: II. Scripturarum: III. Rerum notabilium: IV. Concionatorio, ſuppeditante integras & continuo filo deductas Conciones, in Dominicis, Feſtis, & Ferijs Quadrageſimalibus occurrentibus. Primus reperitur in capite Tomi Primi; reliqui in calce Tomi Secundi.

AVCTORE.

R.^{do} P. FLORENTIO ab Hanſwijck, Mechlinienſi Ordinis FF. Minorum Capucinorum Prouinciæ Flandro-Belgicæ, Concionatore ac Definitore.



ANTVERPIÆ,

Apud GVILIELMVM LESTEENIVM, via vulgo Hoochſtraet dicta, ſub Pellicano aureo, Anno M. DC. XLVI.

Cum gratia & Priuilegio.

3

REGI

SÆCVLORVM

IMMORTALI ET INVISIBILI

SOLI DEO

SPECVLO SINE MACVLA,

VIRGINI MATRI

SPECVLO IVSTITIÆ,

SERAPHICO PATRI

S. FRANCISCO

SPECVLO VIRTVTIS,

SANCTIS OMNIBVS

REVELATA

FACIE GLORIAM DOMINI


SPECVLANTIBVS,

DICO

EGO F. FLORENTIVS MECHLINIENSIS

OPERA MEA.

CANDIDO LECTORI.



CANDIDE LECTOR, quæ tanquam in portu quodam silentij & solitudinis constitutus, priuatim scripsi ab anno quinquagesimo octauo vitæ nostræ vsque ad sexagesimum nonum labentem; nunc publicæ incipio tradere luci, & ipsi committere pelago. Vereor, ne multa arguantur à luce, & à pelago patiantur quosdam seuerioris censuræ fluctus. Quid faciam? Fodere non valeo; Quæ minus bene & pertinenter scripta sunt, tanquam durioris & siccioris soli, subducere iam nequeo, in eorum locum, suppositis, tanquam pinguiori glebâ, melioribus & accuratioribus. Sed tamen mendicare non erubesco: Precor igitur, vt tenuitati nostrę & simul ingrauescenti ætati ignoscere velis, si quæ occurrant minùs selecta, minùs bene ordinata & disposita, aut rudiori stylo exarata.

Cæterùm, scias velim, hęc scripta nostra, præter Dei Opt. Max. gloriam, pro scopo habere Sacratissimæ Virginis laudes atque encomia. Hanc enim demonstramus esse, præ reliquis omnibus creaturis, pulcherrimum diuinitatis diuinarumque perfectionum speculum: Et in explicandis sanctissimæ vitæ illius mysterijs, id peragimus ea ratione & methodo, vt vbique eam doceamus referre similitudinem diuersi generis speculorum: vtpote speculi plani, crystallini, concaui, igniti, adamantini &c. Atque hinc est, quòd in titulo operibus nostris præfixo dicamus hoc: *Copiæ cornu Concionatorum abundans enarrationibus symbolicis & moralibus, sacratissimæ Virginis mysteria sub similitudine speculi proponentibus.*

Antequam verò, de Virgine, sub imagine speculi, incipiamus agere, ab altiori principio rem aggredientes, in ipso initio Tomi primi, tanquam per modum cuiusdam procemij, atque introductionis, declaramus, omnes Dei creaturas, esse quædam pulcherrima diuin[illegible]tis, diuinarumque perfectionum specula, quinetiam, specula esse myste[illegible]orum fidei, rerumque cælestium, nimirum Ficulneam, diuini iudicij: Gallinam, diuinæ misericordiæ: Granum synapis, regni cælorum, id est Christi, Ecclesiæ &c. Ipsam denique mundi creationem, ipsius humanæ iustificationis: præfatas creaturas, etiam ipsius sacratissimæ Virginis, pulcherrima esse specula, siue symbola, demonstrantes.

Præterea non planè tenaciter inhæremus declarandis sub imagine speculi virgineis mysteriis: sed plerumque pro oblata occasione digredimur, & stylum deflectimus ad tractanda & enucleanda plurima alia Electa sacra, vt hac ratione suppeditetur in operibus nostris Materia pro efformandis concionibus in Euangelia Dominicis diebus, festiuis, & feriis quadragesimalibus occurentia, atque hac etiam ratione id assecuti sumus quòd scripta nostra varias exhibeant Materias Aduentuales, quin etiam Quadragesimales: insuper & octauas de V. Sacramento Altaris, de Virginis Assumptione, de Purgatorio, &c. vt percurrenti hosce duos nostros tomos ad oculum patebit.

Quæ

Quæ omnia, quoniam longiorem requirunt deductionem, hinc *Cornucopiæ* dicimus *abundans Enarrationibus*. Quia verò omnia quæ scribimus, ad morum spectant reformationem, hinc *Enarrationes* hasce *Morales*, appellamus. Et quia quæcumque docemus, sub aliquo symbolo, à creaturis mutuato, in medium adducimus, hinc easdem, *Enarrationes symbolicas* nuncupamus, & quoniam copiosam administrant segetem diuini verbi Concionatoribus ad efformandas conciones, hinc est, quòd nostra scripta, dicamus esse, atque intitulemus, *Cornucopiæ Concionatorum.*

Quia verò in ipso frontispitio operis, pollicemur conciones continuo filo deductas, ita vt præter memoriam & pronuntiationem, nihil requiratur: non ideo, existimes velim, à me idipsum non præstari, quia in indice concionatorio, in plerisque assignandis concionibus tam sim breuis: quia breuibus & paucis illis verbis, Lectorem remitto, ad loca, in quibus, proposita materia abundè, luculenter & ordinatè, quantum assequi potui, deducitur & enucleatur.


Quod autem, in eodem indice, inueniantur conciones, plus æquo, vt apparet, longiores: ratio est, quia in scriptis nostris, nulla reperiebatur materia, ex qua pro simili Dominica, vel Festo, concio aliqua, conflari posset: adeoque, vt hic defectus suppleatur, & nunquam Lector defraudetur idonea concione, nouam aliquam, in hunc finem, à nobis efformatam, eo loco posuimus; quod non fore illi ingratum, nobis firmiter persuasimus.

Quoniam autem, hæc scripta nostra, destinata à nobis, pro vnico eoque Primo Tomo, conficiendo; præter mentem & intentionem nostram, taliter excreuerunt, vt si ex ijs, vnicus confletur Tomus, is iustæ magnitudinis limites excessurus videatur; hinc consultum planè visum est, ex his scriptis, duos efformari Tomos: quorum Primus continet Enarrationes quatuor, posterior verò nouem. Priori quidem Tomo, adijcienda videbatur Enarratio quinta, propter cognationem, quam habet cum tribus antecedentibus Enarrationibus, priori Tomo contentis; nihilominus, à quinta hac Enarratione, sumit initium Tomus posterior, ne si secus actum foret, prior Tomus, posteriorem, in crassitie notabiliter superaret.

Fruere igitur, Candide Lector, hisce nostris primis conatibus & laboribus, Deumque precare, vt hęc scripta nostra, non sint nobis ad iudicium & damnationem, vtpote magna docentibus & minima, minimè exequentibus; sed potiùs ad remissionem peccatorum nostrorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen, Amen.

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGORVM.



E mandato Admodum Reuerendi in Christo Patris nostri Generalis, P. Ioannis à Montecalerio, perlegi, & diligenter peruolui opus quoddam, cui titulus est, Cornucopiæ Concionatorum abundans symbolicis Enarrationibus & Moralibus &c. *editum à multo Venerabili Patre Florentio Mechliniensi Prædicatore, Capucino, nihilq; in eo quod contra fidem, vel bonos mores esset, reperi: at doctrinam sanam & piam complectitur, quæ iucunda & vtilis erit legentibus, maximè verbi Dei Præconibus. Ad Dei maiorem gloriam, proximi salutem, & Religionis nostræ honorem, poterit prælo mandari. Factum in Conuentu nostro Athensi die 9. Augusti An. 1639.*

Frater Ambrosius à Tornaco, *Prædicator Capucinus, S. Theol. Licent. & pro tempore Prouinciæ Gallo-Belgicæ Definitor.*

E*X præscripto Adm. R. P. Ioannis à Montecalerio, totius Ordinis S. Francisci FF. Minorum Capucinorum Generalis meritissimi, Vidi, (quâ potui diligentiâ) Opus, (cui titulus:* Cornucopiæ Concionatorum abundans Enarrationibus symbolicis & Moralibus) *à R. P. F. Florentio Mechliniensi, Definitore & Concionatore compositum. In quo nihil veræ & Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus aduersum reperi, sed plurima selectissima, seraphico spiritu plena, doctrinâ solidâ passim referta, quæstionum mirâ varietate contexta, Præconibus verbi Dei vtilissima. Proinde planè dignum censui, quod in lucem prodeat, ad Dei Opt. Max. & sanctissimæ matris Virginis Mariæ honorem & gloriam, Animarum salutem, & Concionatorum maximam commoditatem. Datum Montibus Hannoniæ 8. Aprilis 1640.*

F. Ægidius Bauacensis *Definitor Prouinciæ Gallobelgicæ, Gardianus & SS. Theolog. Lector.*

FACVLTAS R.DI ADM. P. GENERALIS.

NOs F. Ioannes à Montecalerio, Minister Generalis (licet immeritus) totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum, Tenore præsentium, concedimus, quatenus opus, cui titulus est, *Cornucopiæ Concionatorum abundans, sub speculi similitudine, Enarrationibus &c.* à R. P. F. Florentio Mechliniensi, dicti nostri Ordinis Concionatore compositum, & à nostris Theologis, quibus id commisimus, examinatum & approbatum, seruatis aliis seruandis, imprimi possit. In quorum fidem &c. Datum Matriti die 16. Iunij 1640.

F. Ioannes Min. Generalis.

Approbatio R. Adm. Domini D. Alexandri vander Laen, Censoris Librorum Illustrissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis.

H*Oc Cornucopiæ Concionatorum; quo R. Admod. Pater Florentius ab Hansvvyck, Ordinis PP. Minorum Capucinorum Concionator, & Definitor, sub Speculi similitudine varias Enarrationes Symbolicas, & Morales videndas exhibet, nihil continet bonis moribus, aut Orthodoxæ fidei contrarium, at doctrinam sanam & irreprehensibilem, quæ verbi Dei Præconibus plurimum seruire poterit, praloq; dignum censui. Hac 13. Maij 1639.*

Alexander vander Laen *S. T. L. Archipresbyter & Canonicus Mechliniensis, Librorum Censor.*

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Serenissimus Belgarum Princeps, Diplomate suo sanxit, ne quis OPERA P. FLORENTII MECHLINIENSIS Ordinis Capucinorum, præter voluntatem GVILIELMI LESTEENII Typographi Antuerpiensis, vllo modo, intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum locorumve excusa in has Germaniæ Prouincias inferat, venaliave exponat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in literis datis Bruxellæ, Anno M.DC.XLV.

Signat *Steenhuysen.*

ELENCHVS ENARRATIONVM, SECTIONVM ET PARAGRAPHORVM,

Quæ hoc Tomo Primo & Secundo continentur.

ENARRATIO PRIMA.

Creaturas esse specula, Deum, eiusque perfectiones repræsentantia.

ENARRATIO II.

Quòd creaturæ sint etiam specula mysteriorum fidei, rerum cælestium, variarum virtutum, præsertim ficulnea, quæ in seipsa totius extremi iudicij repræsentat imaginem.

SECT.

ENARRATIO III.

Quòd gallina sit speculum Christi charitatis, misericordiæ, & beneuolentiæ erga homines.

SECT.

ENAR-

ENARRATIO IV.

Quod granum synapis sit expressissimum Christi, atque variarum suarum virtutum, speculum, fidei quoque atque doctrinæ Euangelicæ, aliarumque rerum sacrarum.

SECT. I.

Qvare Christus minimum synapis granum, voluerit esse tantarum rerum speculum, siue imaginem.

SECT. II.

Sicut granum synapis, minimum, & maximum: ita Christus minimus & maximus.

SECT. III.

Quod Virgo sacratissima sit hortus, in quem Christus, velut granum synapis est missus.

§. I.

Quod Virgo sit hortus malorum punicorum, quia omnia illius dona coronata.

§. II.

Quod Virgo sacratissima sit hortus malorum punicorum, ob perfectam suam charitatem, cuius malum hoc pulcherrimum speculum.

§. III.

Quinque analogiæ, inter malum punicum & ipsam charitatem.

§. IV.

Charitas perfecta cum maximo suo incommodo, instar malogranati prodest aliis.

§. V.

Perfecta charitas, etiam à quibus læsa, instar malogranati, benefacit.

§. VI.

Omnia docent & suadent homini, vt inimico benefaciat.

§. VII.

Perfecta charitas instar malogranati, tribulationibus illustrior redditur.

§. VIII.

Quibus considerationibus dulcescat charitas, ad inimicos vsque sese extendens.

§. IX.

Quod malum punicum, symbolum concordiæ & vnionis.

SECT. IV.

Quod sacratissima Virgo, horto comparetur malorum punicorum, ob Christum quem genuit, qualiterq́; Christo, præsertim bono Pastori se comparanti, conueniant mali punici conditiones.

§. I.

Sicut malum punicum duro & forti cortice est munitum: ita Christus (quem imitari debet quilibet superior) insigni fortitudine præditus.

§. II.

Rubicundum est malum punicum: Rubicundus quoque Dominus Iesus.

§. III.

Malum punicum cortice duro tuetur grana, ita Christus (quem debet imitari omnis superior) protegit suos.

§. IV.

Sicut malum quoddam punicum, Acre-dulce, appellatur: ita in Christo (quem imitari debet omnis superior) magna est temperantia misericordiæ & iustitiæ.

§. V.

Sicut malum punicum, in granorum gratiam, sese dilacerat: ita Christus (quem imitari debet omnis superior) in gratiam hominis vndique dilaceratus.

§. VI.

Quàm æquum & iustum, vt Christianus, optimo Pastori Christo, offerat vinum malorum punicorum, id est, charitatem, ad inimicos vsquè sese extendentem.

§. VII.

Sicut malum punicum cæteros fructus antecedit dignitate: ita Christus tam angelos quàm homines præcellit excellentiâ. Qualiterq́; omnis superior, debeat præ subditis, virtutibus excellere.

SECT. V.

Quod per hortum in quo Christus, tanquam granum synapis seminatus, sacra possit intelligi scriptura, & de variis inter hortum illum delitiarum, quem paradisum vocamus, & sacram scripturam conuenientiis.

§. I.

§. I.

††† 2 SECT.

SECT.

ENARRATIO V.

Quòd prima mundi creatio sit pulcherrimum speculum, tam primæ quàm secundæ iustificationis.

§. IV.

§. I.

ENARRATIO VI.

Qualiter anima repræsentet Deum, eiusque perfectiones.

ENARRATIO VII.

Quòd Deus etiam in proximo, tanquam in speculo considerandus.

ENARRATIO VIII.

Quòd in iustis, tanquam speculis, Deus considerandus.

ENARRATIO IX.

Quò iusti obscuriores & nigriores primò, ob peccata, quò postea lucidiora fuere misericordiæ ac potentiæ diuinæ specula.

ENAR.

ENARRATIO X.

Angelos ſpecula eſſe expreſſiua diuinarum perfectionum.

ENARRATIO XI.

Qualiter Deum in Virgine, tanquam in ſpeculo agnoſcamus, & videamus.

ENARRATIO XII.

Qualiter ad imitationem Virginis, debeamus eſſe Specula ignita per charitatem, cuius natura in igne corporali, tanquam in perfectiſſimo eius ſpeculo, conſideranda, proponitur.


ENAR-

ENARRATIO XIII.

Quod peccatores ſint ſpecula peccati igne inflammata, & qualiter ignis corporalis expreſſiſſimum ſit ſpeculum peccatorum omnium.

§. XIII.





CREATVRAS ESSE SPECVLA Deum eiúsque perfectiones repræsentantia.

ENARRATIO I.

Creaturas esse specula probatur S. Scripturæ & SS. Patrum testimoniis, quodque oculo columbino sint aspicienda.

SECTIO I.

Specula sunt creaturæ, ex quibus Deum cognoscimus.

1. VEMADMODVM globum solarem, ob lucis multitudinem, fixis oculis, & directa specie, intueri nō valemus; nihilominus si speculum illi opponamus, quod in se suscipiat illius lumen, iam eundum, vtpote cuius lux in speculo iam valde temperata, facilè, reflexa specie, in eodem intuemur. Sic Deus cùm lux quædam sit inaccessibilis, humanis oculis cerni in hac vita nequaquam potest. Si tamen aliqualem illius cognitionem & visionem venari velimus, oculi intellectuales, ad specula rerum creatarum, sunt reflectendi, in his diuinam lucem attemperatam, & pro captu nostro, dispositam reperiemus, & in illis tamquam tot speculis, secundum quandam proportionem repræsentantibus, rimari poterimus Deum, diuinasque eius perfectiones.

Obscurè, & quasi coniectando cognoscitur Deus ex creaturis.

2. Qua mente dicebat D. Paulus 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Vbi nomine speculi res creatas, vel imaginarias similitudines, ex rebus creatis acceptas, intelligit, quæ Deum eiusque perfectiones, aliquo modo nobis repræsentant, nimirum quia non clarè, sicut est in seipso, sed obscurè, & quasi coniectando, Deum ex rebus creatis cognoscimus.

Diuinæ perfectiones, ex operum perfectione, videntur.

3. Huc etiam trahi possunt, illa Apostoli verba, Roman. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Sensus est: Quidquid de Deo cognosci naturaliter potest, id Philosophis fuisse manifestum: quia inuisibiles Dei perfectiones, iam inde à creatione mundi, per ipsa opera, tamquam tot specula, illas repræsentantia, factæ sunt visibiles, & ex ipsis operibus intellectæ videntur. Vbi Apostolus indicat eas videri per opera, sed mediante discursu, quia ex operum consideratione intelliguntur.

Inter Deū & creaturas est quædam proportio.

4. Idem habetur Sapient. 13. *Ex magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Græcè est: *Ex magnitudine pulchritudinis creaturarum per analogiam opifex ipsarum cernitur.* Vbi notandum illud, *per analogiam*; quo denotatur, qua ratione ex rebus creatis ad creatorem mente debeamus ascendere, nempe per analogiam, non per similitudinem: nam quantumuis res creatæ sint magnæ vel pulchræ, nulla tamen inter ipsas & conditorem est similitudo, sed solùm analogia & proportio quædam, quia omnis perfectio quæ est in rebus creatis, est longè alterius rationis, & sublimiore modo in opifice, quod optimè explicatur à Dionysio lib. de myst. Theolog. præsertim cap. 4. & 5.

RVPERT. Speculum creaturarum sensibus admonitum Dei ingerit cognitionem.

5. Ad Patres quod attinet, sic præclarè hac de re Rupertus in prologo præfixo libris suis de Trinitate: *Adorandam*, ait, *sanctissimæ Trinitatis gloriam in hac peregrinatione quærentes, operum ipsius speculum sensibus nostris admouemus; vt quia pro conditione mortalitatis, infirmos adhuc oculos in splendorem Maiestatis eius figere non valemus; saltem opera eius contuentes, in lumine eius aliquantulo, sine errore ambulemus.*

LACT. Creaturæ inseruiunt pro argumento Maiestatis diuinæ.

Lactantius lib. 2. cap. 5. suarum Institutionum expendens quanta, quamque mirabilis machinæ mundanæ pulchritudo, amplitudo, species, ordo, varietas, & in ipsismet mutationibus ac vicissitudinibus

constantia;quanta rerum diuersarum concinnitas, quanta similium ac dissimilium, quoad bonum vniuersi, conspiratio, atque concordia &c. vult ea omnia nobis inseruire pro argumento maiestatis diuinæ. Sic enim scribit: *Qui terram stabili firmitate suspendit, qui cælum distinxit astris fulgentibus, qui solem rebus humanis clarißimum ac singulare lumen in argumentum suæ vnicæ maiestatis accendit: terris autem maria circumfudit, flumina sempiterno lapsu fluere præcepit.*

Iussit & extendi cãpos, subsidere valles:
Fronde tegi siluas, lapidosos surgere montes.

HILARIVS. *Quis non trepidet*, ait Hilarius ad Ps. 65. v. 3. *Ad maiestatem eius, qui sæcula instituerit, mundum condiderit, tempora reuolubili vicißitudine cursuq́ dimensus sit, cælum astris ornauerit, terram fructibus repleuerit, mare obicibus concluserit, hominem, vt ijs aut vteretur, aut dominaretur, elegerit.*

Ex creaturarum pulchritudine rimari potest diuina pulchritudo.

Ex creatarum rerum pulchritudine rimatur Dei pulchritudinem S. Hilarius lib. 1. de Trinit. ferme in principio: *De magnitudine operum & pulchritudine creaturarum, consequenter generationum conditor inspicitur.*

HILARIVS. *Magnorum creator in maximis est, & pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est. Et cùm sensum ipsum supergrediatur operatio, omnem tamen sensum longè necesse est, excedat operator. Pulchrum itaque cælum, aër, vel æther, terra, maria & vniuersitas omnis est, quæ ex ornatu suo, vt etiam Græcis placet, digne κόσμος; id est mundus nuncupari videtur. Sed si hanc ipsam rerum pulchritudinem ita sensus naturali metitur instinctu, vt etiam in quarundam pecudum ac volucrum accidit specie: vt dum infra sententiam sermo est, sensus tamen idipsum intelligens, non eloquatur: quod tamen rursum, dum sermo omnis ex sensu est, sensus ipse sibi loquatur intelligens. Nonne huius ipsius pulchritudinis Dominum necesse est totius pulchritudinis, esse pulcherrimum intelligi? Vt cùm æterni ornatus sui species sensum intelligentiæ omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiæ sensus non relinquat ornatus. Atque itaque pulcherrimus Deus est confitendus, vt neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi.*

AVGVST. Pulchrè & bellè de pulchritudine diuina sic Aug. Ps. 84. v. 8. *Ergo si nobis promisit ostendere se nobis, qualis est pulchritudo eius? Fratres, cogitate hæc omnia quæ videtis pulchra, quæ amatis, ipse fecit. Si hæc pulchra sunt, quid est Ipse? Si hæc magna sunt, quantus est ipse? Ergo ex istis quæ hîc amamus, illum magis desideremus, & contemnentes ista, illum diligamus.*

——— *Pulchrum pulcherrimus ipse*
Mundum mente gerens, similiq́, ab imagine formans.

BOETII. dixit Boëtius de consolatione Philosophiæ lib. 3. metro 9.

Creaturæ insinuant Dei sapientiam.

BASIL. Quantum momentum habeant creaturæ ad insinuandam nobis creatoris sapientiam sic ponderat Basilius in principium Prouerb. sic scribens: *Et qui in mundi constitutione conditorem considerat, nouit & ipse per mundi sapientiam ipsum Deum.* Et cùm retulisset illud ad Rom. 1. *Inuisibilia ipsius per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, subijcit, Itaque nos ad Dei sapientiæ considerationem ducit, cùm dicit per sapientiam Deus terram fundauit. Item quando Deus præparabat cælos, aderam, & cum eo eram cuncta componens: & ego eram, quæ delectabatur.* Prou. 8. Nam hæc omnia ideo cum fictione personæ differit, vt Sapientiæ cognitionem perspicuam reddat. *Et illud omnino, Dominus creauit me initium viarum suarum; de ea sapientia Dei dicit, quæ in mundo apparet, quæ tantùm non voce per ea, quæ visibilia sunt, emissa, à Deo se factam esse, & non casu cæpisse, atque in rebus creatis relucere proclamat, sicut enim cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius nuntiat firmamentum: narrat autem sine voce: non enim sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: sic sunt quidam sapientiæ sermones ab initio genitæ, dum ipsa rerum creationi infusa, ac permista, tacens clamare videtur sui conditorem Dominum vt per ipsam ad veri & solius sapientis cognitionem facilè penetremus.* Hæc doctè & grauiter Basil.

LAVR. IVSTIN. Mundus æternæ veritatis speculum.

6. Accommodatè etiam Laurentius Iustinianus lib. de Casto connubio verbi, & animæ cap. 25. *Inaccessibilem*, ait, *inhabitat lucem ipsa veritas, atque præ nimio diuinitatis suæ fulgore, sicut est, videri non potest. Quum igitur ad purum illius aspectum humana sit inualida acies, per media quædam, cognoscibilem se fecit. Radios quidem emittens suos, in sua apud se permanet claritate. Temperauit se, ne mentem hominis sublimi suo reuerberaret fulgore: vniuersa enim mundi machina, quid aliud quàm æternæ veritatis est speculum? In ipso diligenti consideratione prospectans animus, quibusdam lætificatur radijs veritatis. Singula videt, mirâ ordinatione disposita, varietate decorata, & proprietate distincta. Non summa confundunt infima, nec ima inuident summis. Vnaquaque in suo perseuerat ordine, in proprio procedit tempore, suaq́ contentus est habitatione. Legibus suis singula parent, & proprio famulantur instinctui. Non alia, non altiora, non pulchriora appetunt, veritatis lætificante iudicio. Sic namque vniuersa disponit, vt nec dici, nec cogitari posset melius.* Sic ille. Breuissimè Eusebius Cæsariensis lib. 4. Euang. demonstr. *Ex creaturis, ille qui cerni non potest, quasi in quodam speculo, contemplandus apparet.* EVSEB.

Mundus speculum sublustre diuinorum. TRISMEGISTVS.

7. Concinit hisce celebris ille Ægyptiorum Theologus, Moysi penè æquæuus, gentilium opinione, Trismegistus libr. 3. Pimandri, dum creaturas esse specula dixit, in quibus multiplices creatoris perfectiones elucent: *Tota*, inquit, *mundi conspiratio & rerum pulcherrimus ordo, contemplandi Deum suggerit materiam: est enim natura velut liber diuinitate plenus, & speculum sublustre diuinorum. Arduum*, inquit idem in Piman-

Pimandro, Dialogo 12. *quiddam est, ô fili, Deum percipere: hunc quoties intueri volueris, aduerte mundi ordinem, atque ordinis eius ornatum. Aduerte necessitatem eorum quæ sensu percipiuntur, prouidentiamq; cunctorum, quæ facta sunt ante, & quæ quotidie fiunt.* Sic ille.

Vt lineæ in centrum; sic creaturæ ducunt in Deum.

8. Vt lineæ in perfecto circulo, à circumferentia, ad centrum, à quo oriuntur, nos ducunt: sic res creatæ in hoc mundi volumine ad Deum, à quo tanquam à centro prodeunt, eos perferunt, & quasi manu ducunt, qui illarum pulchritudinem, varietatem, vsum, cæterasque commoditates, quibus hominum generi vtiles sunt, attentè explorant.

GREGOR. Vestigia Dei creaturæ, quia ad Deum nos ducunt.

9. Hinc consequenter D. Gregorius Iob cap. 36. ad illa verba: *Suspice cælum*, &c. optimè creaturæ Dei vestigia appellat, quia ad Deum nos ducunt: *Vestigia*, inquit, *creatoris nostri sunt, mira opera visibilis creaturæ. Vestigia Dei creaturam dicimus, quia per hæc, quæ ab ipso sunt, sequendo, imus ad ipsum* &c.

Creaturæ, nutus Dei.

Eodem loco vocat creaturas nutus Dei, quibus innuit hominibus Deum vnum esse: *Deus*, inquit, *dum facturæ suæ decus foris proponit, quasi quibusdam se nobis nutibus innuit*, &c. Vocat quoque vias ad Deum tendentes:

Creaturæ, viæ Dei.

Viæ, inquit, *ad creatorem sunt opera considerata creatoris, quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur* &c. Vocat etiam serm. 31. in Cant. creatas res radios diuinitatis:

Creaturæ, radij diuinitatis.

Tanta, inquit, *hæc formarum varietas, ac numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radij deitatis* &c.

In creaturarum speculis non hærendum, sed ad opificem procurrendum.

10. Notanter autem dixit D. Paulus 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum*, vt insinuet, qualiter, quove fine, & quo oculo, creaturarum specula, sint à nobis aspicienda, nimirum in illis non sistendo, sed per earum cognitionem, analogico mentis ascensu, transeundo ad creatorem, rimando inuisibilia Dei. Neque enim in horum speculorum, id est, creaturarum pulchritudine, claritate, magnitudine, numerositate, & similibus tanquam quibusdam solùm vmbris, intellectu & voluntate hærendum, sed vmbræ hæ pertranseundæ, & intellectu & voluntate ad opificem procurrendum, vt pulcherrimè docet Theodoretus serm. 3. de curat. græc. affect.

THEODORETVS.

Per ea, ait, *quæ videntur, factorem inuisibilem cogitamus: ita & cùm arcam, scamnumq; videmus, nequaquam ea fabrum lignarium, sed fabrilia opera esse dicimus. Nauigium quoque affabrè compactum cernentes, non solùm illud* [illegible]*amur atque suspicimus, sed illius opificem quamuis absentem quammaximè laudamus. Tum si monile aliudve collare ornamentum, videmus egregiè factum, aurifici laudem suam deferimus: ita & in mundi fabricam oculos intendentes, illius quidem magnitudinem, pulchritudinemque miramur, quaque vberem ex ea se fundit, rerum vtilitatem, intellectus autem noster omissis huiusmodi qualitatibus, ad opificem illum procurrit; qui hæc omnia sapienter exstruxit.* Sic ille.

CHRYSOSTOMVS. In creaturis minimè subsistendum.

Cùm videris cælum (ait D. Chrysostomus homil. 4. in Genes.) *admiraris eius formositatem, astrorum varietatem, charitatis eminentiam: ne ibi subsistas, sed ad opificem istum, extende mentem; obstupescere te facit lux Solis, & admiraris eius multiplicem vsum, & quia vides radios illustrantes tuos oculos, admiraris eius pulchritudinem, sed neque hîc subsistas: quia si factura tam admirabilis est, supra omnium opinionem, & intellectum; quantus est qui ipsum solo verbo & præcepto produxit?*

HVGO VICTORINVS. In creaturis non miranda sola species; sed & sapientia conditoris.

11. *Sapiens*, inquit Hugo Victorinus lib. 7. cap. 4. *per id quod foris videt in creaturis, profundam rimatur diuinæ sapientiæ cognitionem.* Item: *Spiritualis, in eo, quod foris est, in creaturis, considerat pulchritudinem operis, intus concipit, quàm miranda sit sapientia creatoris. Insipiens solam miratur speciem in creaturis, velut si in vna eademq; scriptura alter colorem, seu formationem figurarum commendet: alter verò laudet sensum, & significationem.* Lege reliqua.

IVSTINIANVS.

Beatus Laurentius Iustinianus, lib. de casto cōnub. c. 13. hominum insaniam damnat, qui ex creaturarum pulchritudine, & perfectione, in Deum non ascendunt, sed in creaturis sistunt; præstat hîc eius verba interseri: *Videmus*, inquit, *imaginis picturam, mira arte compositam, nil habentem deformitatis in coloribus, in vultu, & in cæteris membris, subitò laudamus artificis magisterium, verbis extollimus, ipsumq; opificem, alios artis suæ præcedentem, mentis affectu amplectimur, & tanquam veneratione dignum prædicamus, ex hoc hebetudinis humanæ tepor conuincitur. Nemo inuenitur qui verbi magisteriū considerare dignetur. Nónne omnia, quæ facta sunt, opus sūt verbi? Nónne ipsius sapientiæ excellentiam prædicant? Verbo Domini, ait Propheta, cæli firmati sunt, sed & in principio, videlicet, in verbo creauit Deus cælum & terram, quanta sunt, quæ per ipsum facta sunt? quàm pulchra, quàm bona, quàm delectabilia, quàm iucunda. Cui omnia hæc adscribenda sunt, opifici, an operi? O cæca mortalium mens, ô insania hominum detestanda! Bibis de riuulo, & viuum prætermittis fontem? Lucernæ lumen magnificas, & Solis claritatem non attendis? Micas mensæ comedis, & ipsum conuiuium pingue non degustas? Si rectè saperes, si sanum in te esset cordis palatum, vtique per ea quæ facta sunt, illorum intelligeres auctorem, intelligendo diligeres.* Sic ille.

Columbino oculo creaturæ aspiciendæ. *Cant. 5.*

12. Simplici, sincero, casto, siue columbino oculo sunt creaturarum specula inspicienda. De oculis sponsę legimus Cant. 5. *Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ.* Quinam hi oculi?

AMBROS.

Oculos hosce D. Ambrosius serm. 15. in Psal. 118. vult esse viros, spiritualibus ornatos sensibus.

HONORIVS.

Honorius verò sapientes, qui Deum corde intuentur. Sapientes ergo hi, viríque spirituales comparantur columbis, super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, vt tam eorum sinceritas, quàm co-

lumbæ oculi præ se ferunt; quàm eorum puritas, & effectuum rectitudo, in lactis lotione, commendetur. Est namque illud lacti peculiare, vt nulla, obiectæ sibi rei, simulachra, repræsentet. Sic eius naturam speculante Nysseno homil. 13. in Cantica. *Verè in lacte hoc obseruatum est, solum inter humida, proprietatem hanc habere, quod in eo nullius rei simulachrum, ac similitudo conspiciatur.* Vnde infert Nyssenus hosce oculos nihil vanum, nihil vmbratile, aut erroneum, sed ipsissimam veritatem intueri. Quare is est sensus, iustorum oculis, creaturas videntibus, non tam ipsas, hoc est, rerum mortalium vmbras, quàm creatoris lucem, cognoscendam, & amandam, obiici; quia non eas, sed per eas, tanquam per illustria, & pellucida specula, Deum vident, ipsique inhærent.

NYSSENVS.

13. In quam sententiam sic opportunè Richardus à S. Victore, tractatu de gradibus charitatis cap. 3. *Qua parte*, inquit, *obrepere posit illius* (Dei) *obliuio, qui præter illos radios incircumspecti luminis, præter illos riuos incorruptæ dulcedinis, quibus ineffabiliter animam influit, in rebus etiam visibilibus, amanti se exhibere non cessat. Integer quippe amator Dei, quocumque se vertit, familiarem habet admonitionem amoris, rebus his, pro speculis, vtitur, & in omne, quod cernit, sui amatoris sibi resultat memoria. Aspicit cuncta quæ condidit, & quo condiderit fine, & in his, non tam admirabilis, quàm amabilis, sibi occurrit, atque ex arrha dilectionis, quam præcontulit, sapienter æstimat, quanta reseruauit in dotem. Castus profectò columbinusq; oculus amor est, qui in rebus humano vsui concessis, nulla libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum.* Hactenus ille. *Oculos columbarum habet amica Christi*, ait Beda scribens in Cant. cap. 1. *quia omnis qui illum veraciter intus amat, nullo exterarum rerum appetitu, miluorum more accenditur* &c.

RICHAR. A S. VICTORE.

Amanti, in omnibus creaturis, occurrit Deus.

Amans in transitorijs contemplatur æternum.

In quem sensum etiã inflectit D. Greg. hom. 5. in Euang. illa verba Isaiæ cap. 60. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas*, hæc enim intelligens de prædicatoribus, sic scribit: *Quasi columbæ ergo, ad fenestras suas sunt, qui nihil in hoc mundo concupiscunt, qui omnia simpliciter aspiciunt, in hæc quæ vident, rapacitatis studio non trahuntur. At contrà miluus, & non columba, ad fenestras suas est, qui ad ea, quæ oculus considerat, rapinæ desiderio anhelat.* Fusiùs verò idem sanctissimus doctor 21. Moral. cap. 2. *Iusti*, inquit, *volare vt nubes dicti sunt, quia à terrenis contagijs subleuantur, & quasi columbæ ad fenestras suas sunt, quia per sensus corporis, exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis, eosq; foras non rapit concupiscentia carnalis: quisquis verò per has corporis fenestras incautè exteriùs respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens rapitur, atque obligatus desideriis, incipit velle, quod noluit. Præceps quippe anima, dum ante non prouidet, ne incautè videat, quod concupiscat, cæca pòst incipit desiderare, quod vidit.* Sic ille.

GREGORIVS.

14. Non solùm autem sunt creaturæ specula Dei, diuinarumque eius perfectionum, verùm & rerum cælestium, cælestisque & Christianæ doctrinæ. Hinc Christus toties dum agit de inuisibilibus mysteriis regni sui, ad ea insinuanda, & nobis inculcanda, varias mutuatur à rebus creatis & ob oculos, sensusque nostros cadentibus, similitudines, vt in illis, tanquam speculis, illa perspicaciùs videamus, vt bene expendit D. Rupertus Ioan. 4. his verbis: *In hoc operæpretium est attendere, miram dignationem diuinæ sapientiæ, quæ sic paruulis condescendit, vt non omittat, qualemcumque rem, occasio sibi obiecerit, quin per eius similitudinem, illis introducendi studio, quasi præ oculis exhibeat, inuisibilia mysteria regni Dei. Quid enim omittet, qui non regum nuptias, piscatorum sagenas; non margaritas negotiatorum, nec veteres vtres vinariorum, non ficus, aut vineas, neque granum sinapis, inter minuta præterit olera? Ita de singulis, similitudines cælestium, explicat carnalibus; vt tanquam in notis, & vulgaribus speculis, Solis imaginem videant, qui eius splendorem ægris oculis, ferre non sustinent.* Sic Rupertus. Qualiter autem ficus, & granum sinapis, sint fœcunda specula rerum spiritualium, cap. 2. & seq. abinde explicabimus.

Creaturæ, etiam specula rerum cælestium, cælestisque doctrinæ.

RVPERTVS.

15. Tanti magistri Christi Optimi Maximi vestigiis insistentes, Sancti & iusti viri, in rebus iis, quæ sub sensum veniunt, velut in speculis, illas contemplabantur, quas sensibus non percipiebant. S. Porphyrius Gazæorum Episcopus, cùm aliquando Theodosij iunioris Imperatoris infantem, ingenti cum pompa, ad sacrum Baptismatis fontem, deduci cerneret, videretque socios admirari tantam gloriam, admirantibus dicebat: *Si ea quæ paulò pòst euanescunt, tantum gloriæ splendorem habent; quantum habitura sunt cælestia, quæ parata sunt Sanctis, & electis Dei?* Sic Surius tomo 1. in eius vita. Sicut autem S. Porphyrius, ex gloria, & pompa vmbratica huius mundi, ad veram atque æternam, animum attollebat; ita ex odoribus terrestribus, ad odores cælestes, ex deliciis diuitiisque mundi, ad diuitias deliciasque cæli, ex siti, esurie, cruciatibusque præsentibus, ad sitim, esuriem, cruciatusque impiorum futuros, tanquam per quosdam gradus animo ascendebat.

Ex sensibilibus ascẽdendum ad ea quæ supra sensum.

Crea-

Creaturæ si columbino oculo conspiciantur sunt nobis loco speculi ignei, officinæ, libri, præconis.

SECTIO II.

Creaturæ, Deum amantibus sunt specula ignea.

AVGVSTINVS.

PROSPER.

AVGVST.

1. QVi hoc oculo columbino, id est, amore puro, & defæcato Deum in creaturis, & contemplantur & amant, illis creaturæ specula sunt ignea, quibus cor illorum inflammatur, & in amorem Dei succenditur, iuxta illud D. Augustini in Psalm. 79. *Quare amas ista, nisi quia pulchra sunt? possunt esse tam pulchra, quàm ille à quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides: sed per ea quæ miraris, ama quem non vides &c. Tota ista visibilis natura*, ait Prosper libr. 1. de vocat. gent. cap. 1. *ad hanc præcipuè disposita est humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctoris, implente omnia spiritu Dei, in quo viuimus mouemur & sumus*, sic ille. Et D. Augustinus lib. 10. confes. cap. 6. *Cælum*, inquit, *& terra & omnia quæ in eis sunt, ecce, vndique mihi dicunt, vt te domine amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles.*

Amantis animus emergens super creata omnia solius Dei tenetur desiderio.

PHILO.

2. Et quidem taliter ex assidua speculorum horum, id est, creaturarum inspectione, includitur animus, vt iam amore, quodam planè cælesti, languere incipiat, & tædio quodam saluberrimo affici, quod dilectum non aspiciat facie ad faciem & secundum speciem, quem in hac vita solummodo videt per creaturas, tanquam cancellos quosdam, atque specula, itaque humanus animus, iam moræ impatiens, quod apertè illi non concedatur, videre factorem suum, ad instar alterius Moysis prorumpit in hæc verba Exod. cap. 33. *Ostende mihi faciem tuam.* Quæ verba expendens Philo libr. 2. legis allegoriarum, eaque accommodans animæ perfectæ, & veræ amatrici, sic ait: *Quæsiuerunt prisci quomodo numen intelleximus. Ex his, qui optimè philosophari visi sunt, dixerunt, quod ex mundo partibusq; eius & harum innatis viribus, Deum vt causam animaduertimus. Nam sicut siquis videat domum affabrè factam instructamq; vestibulis, porticibus, aulis, virorum, mulierum conclauibus, & id genus cæteris, cogitatione percipiet artificem: nec enim sine arte, opificeq; putauit domum esse absolutam: quod & de ciuitate aut nauigio, & de quouis minore, maioreve opere sentiendum est. Ita sanè etiam quiuis ingressus, seu in maximam domum, aut ciuitatem hunc mundum, conspicatus cælum in orbem volui, continereq; omnia: Erraticas verò fixasq; stellas pariter moueri, modulate summaq; cum harmonia ad vtilitatem rerum vniuersarum: terram deinde meditullium sortitum, aquam, aëremq; latè vtrumque fusum, suisq; contentum terminis: Adhæc animalia tam mortalia quàm immortalia, stirpium fructuumq; varias species: certè ratiocinabitur hæc non sine perfectissima arte condita, sed fuisse, esseque Deum huius vniuersitatis opificem. Qui ita colligunt, per vmbram Deum percipiunt, animaduertentes artificem per ipsius opera. Sed est & alius perfectior puriorque intellectus, magis mysterijs initiatus, qui non ex operibus causam cognoscit, quasi ex vmbra, solidum corpus: sed emergens super creata omnia, manifestè increatum contemplatur, vt & ipsum per se comprehendat, & vmbram eius, hoc est, & verbum eius, & mundum hunc vniuersum, hic est Moyses ille qui sic loquitur: Ostende mihi teipsum, manifestè te videam, nolo mihi ostendas per cælum, terram, aquam, aërem, aut quidquam creatum: nec in vlla re alia tanquam in speculo contempler tuam ideam, præterquam in te Deo. Nam quæ in creaturis apparentia sunt dissipantur: quæ autem in increato stabiles, firmæ sempiternæque permanent.* Sic ille.

3. Illis creaturæ sunt instar officinæ, ad erudiendum in Dei cognitione hominem præparatæ, iuxta illud D. Basilij hom. 1. in hexam. *Mundi*, inquit, *machina erudiendis hominibus officina est sine dubitatione accommodatissima & ijsdem ad cognitionem Dei prouehendis totius eruditionis domicilium aptissimum.*

Creaturæ columbino oculo inspectæ, sunt instar officinæ.

BASILIVS.

4. Sunt illis creaturæ instar pulcherrimi libri, pulcherrimis litteris exarati vt docet D. Basilius hom. 11. in hexam. sic fatus: *Vniuersa*, inquit, *hæc mundi moles perinde est ac liber litteris exaratus, palàm contestans ac prædicans gloriam Dei, illiusque amplissimam maiestatem, alioquin absconditam & inuisibilem* &c.

Sunt instar pulcherrimi libri.

BASILIVS.

5. D. Prosper lib. 2. de vocat. gentil. c. 4. Elementa ceterasque creaturas comparat quibusdam paginis, omnium oculis patentibus, in quibus diuinæ leguntur perfectiones, respiciens enim ad illa verba Apostoli Act. 14. *Non sine testimonio semetipsum reliquit* (Deus) *benefaciens de cælo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo, & lætitiâ corda nostra*, sic scribit, *Quod est autem hoc testimonium, quod semper Domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius, diues, & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum ac voluminibus temporum communis & publica diuinæ*

PROSPER.

Creaturæ, paginæ in quibus leguntur diuinæ perfectiones.

uina institutionis doctrina legeretur? Sic ille.

Aliter in libro creaturarum legunt iusti, aliter peccatores.

6. In hoc libro aliter legunt iusti, & verè sapientes quàm mundani, mundanaque sapientiâ præditi; hi enim rusticorum, & puerorum more hunc naturæ librum intuentur & aspiciunt, qui cùm characteres auro & coloribus variis pictos vident, stupent, admiratione defixi, nec vlteriùs aliquid requirunt. Illi verò, tanquam docti, & litteraturæ periti, huiusmodi notas videntes, vltra progrediuntur, nec antè quiescunt, quàm quid in illis lateat, assequantur. Pulcherrimè Hugo Cardinalis in illud Prouerb. 14. *Possidebunt paruuli stultitiam & expectabunt astuti scientiam*, mundi sapientes comparans pueris abcdariis sic scribit: *Sapientes huius mundi ideo paruuli appellantur à Sanctis, quia quasi paruuli pueri Abcdarij seu elementarij, in libro vniuersi pulchritudinem creaturarum, quæ sunt litteræ huius libri, admirantur, & stupent, sensum autem earum, scilicet, Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, & alia attributa omnino non capiunt.* Sic ille.

Hvgo Card.

Sunt iustis creaturæ, tanquam tot præcones.

7. Sunt illis creaturæ instar tot præconum non tam voce, quàm opere Deum laudantium, & virtutes illius propalantium. *Omnis*, inquit D. Hieronymus, *creatura, etsi non voce, opere tamen laudat Deum, quia ex creaturis consequenter creator intelligitur, & in singulis operibus, & effectibus magnificentia Dei demonstratur* &c. *Circumi*, ait August. in explanat. Psal. 26. *cælos vsque ad terram, nihil relinquas, vndique tibi omnia resonant conditorem. Ipsæ species creaturarum voces sunt quædam, creatorem laudantes* &c. & alibi ita ait: *Nihil enim est in vniuersitate rerum, à summis vsque ad infima, quod non sua æqualitate naturæ potentiam sui protestetur authoris.* Et lib. 12. de Ciuit. c. 4. sic ait: *Omnis natura, non ex commodo, vel incommodo nostro, sed per seipsam considerata dat artifici suo Deo, gloriam.* Et iterum serm. 54. de verb. Dom. sic scribit, *Creatorem videmus per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum, vita enim sapiens, quæ fecit mundum contemplato mundo intelligitur. Interroga mundum, ornatum cæli, fulgorem dispositionemque syderum, solem dies efficientem, lunam noctis solatium, interroga terram fructificantem, herbis & lignis & animalibus plenam, hominibus exornatam: interroga mare, quantis natatilibus plenum est, interroga aërem quantis volatilibus viget. Interroga omnia, & vide, si non specie sua, tanquam voce, tibi respondent: Deus nos fecit, hæc quidem illi Philosophi nobiles quæsierunt & ex arte artificem cognouerunt.* Similia habet & quidem fusiùs idem Augustinus ser. 143. de temp. dicitque omnia, si interrogentur de artifice, hunc in modum respondere: *Ecce vide pulchra sumus, pulchritudo eorum confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher in seipso?*

Hieron.

Avgvst.

8. Accommodatè etiam ad hanc rem D. Chrysostomus, expendens enim hom. 9. ad pop. illa verba Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, facta hac interrogatione, *quomodo igitur narrant dic mihi? vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua, quomodo igitur narrant?* Respondet, *per ipsum aspectum. Cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam, per tantum temporis permanere, tanquam vocem audiens adoras eum, qui tam pulchrum & admirabile corpus, creauit. Tacet cælum, sed ipsius aspectus, vocem tubâ clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens. Hic enim sensus à natura est illo certior, & manifestior. Si enim per libros docuisset, & litteras, litterarum quidem peritus scripta didicisset, nesciens verò nihil inde adiutus abijsset, si quis alius non induxisset. Et diues quidem librum emisset; pauper autem emere non potuisset. Sursum vocem quidem illam per litteras significatam sciens intus positam nosset. At Scytha, Barbarus, & Indus & omnes linguâ carentes illâ, nihil docti abijssent. Hoc autem de cælo discere datur. Sed Scytha & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo super terram vadens, hanc vocem audiet, non enim per aures, sed per oculos in mentem incidit nostram. Visibilium autem participatio, eadem, neque differens, sunt linguarum. In hunc pariter librum, & idiota, & sapiens pariter intueri poterunt, & pauper & diues, & quocumque quis venerit in cælum respiciens sufficientem capiet doctrinam ex aspectu, quod quidem & ipse propheta innuens, & demonstrans quòd vocem creatura & Barbaris emittit & Græcis & omnibus vniuersaliter hominibus, sic intelligi facilem, dicebat: Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum. Quod autem dicit tale est. Non est gens neque lingua quæ hanc vocem intelligere non possit. Sed talis est ipsorum vox vt ab omnibus hominibus audiri possit.* Hęc Chrysostomus, cum multis aliis huc spectantibus, ad quæ lectorem remittimus.

Chrysostom. Creaturæ iustis aspectu suo, tanquam voce, enarrant Dei magnalia.

9. Sed expressiùs & luculentiùs hac de re D. Gregorius Nazianzenus in orat. in nouam Dominicam, *Magnus*, inquit, *& admirabilis maiestatis diuinæ præco mundus. Non vnâ tamen vt reliqui præcones, sed omnium hominum linguis, præco hic, Dei prædicat maiestatem. Id docuit Dauid*, Psal. 18. *Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum. Hoc est, non sunt linguæ vllæ in orbe terrarum, quarum voces, & præconia non audiantur in ipsis cælis, omnium enim linguarum præcones sunt, Deiq́; gloriam omnibus hominibus enarrant. At verò non in vno tantùm orbe, vel regno, vel natione, sed in orbe toto præcones hi, valentissimis lateribus, diuinam maiestatem, proclamant: In omnem terram (addit psalmographus) exiuit sonus eorum & in fines omnis terræ verba eorum.* Sic ille.

Gregor. Nazian. Creaturæ omnium hominum linguis prædicant Dei magnalia.

10. Illis creaturæ sunt instar scalæ Iacob, cuius adminiculo, ascendunt ad Deum, iuxta illud Richardi à S. Vict. part. 1. tract. 3. c. 18. de exterm. mal. *Fælix*, ait, *cui*

Creaturæ, scalæ, quibus ad Deum ascenditur.

Richar. a S. Vict.

cui visibilium scientia, sit scala ad inuisibilia cognoscenda. Pulchrum spectaculum videre huius scalæ scalaria, modo congruo, proportionaliterq́, locata, & vsque in summum ordinatæ distinctionis continuatione producta, vt per multiplicem creaturarum differentiam dignitatumq́, degradatione ordinatè distinctã, distinctéq́, ordinatã, paulatim se animus ad superiora promoueat, prouectionisq́, gradibus semper ad altiora conscendat, donec inuisibilia Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciantur, & Dominus innixus scalæ conspiciatur. Quid quod in hoc ascensionis tramite angelicæ occursionis alludium sponte se ingerit, vt humanæ inuestigationi, diuina reuelatio occurrat? Itaque videntur angeli in hac scala, nunc ascendere, nunc verò descendere, & nunc ad summa, nunc ad ima animum erudire, vt in diuinis & humanis, multa quæ per seipsum non poterat, ex diuina reuelatione cognoscat. Et possent quidem angeli sine scalæ ministerio, pro desiderij sui arbitrio, siue in ima descendere, siue ad summa euolare, nec opus esset diuinæ inspirationi in vlla regularum suarum manifestatione vllius corporeæ similitudinis instrumentum quærere, nisi velles nos primò per speculum & in ænigmate & non statim facie ad faciem videre. Fœlices, quibus vertitur in scalam quod alijs solet esse in ruinam. Fœlices, quibus exteriorum scientia fit scala ascensionis, non ruina deiectionis. Fœlices, quibus scientia illa quæ inflat non est ad inflationem sed ad inflammationem eius quæ ædificat. Fœlices, quibus temporalium pulchritudo fit æternitatis instigatio. Sic ille.

Creaturæ Abrahamo, pro scala. Mediante hac creaturarum scala, Abraham ad cognitionem Dei veri peruenisse, cùm patrem nec non fratres haberet idololatras, sic testatur D. Gregorius Niss. de vita Gregorij Thaum. dicens: *Abraham chaldaicâ philosophiâ præditus, cùm concinnum, aptum, constantem, certum, ordinariumque situm & motum syderum in cælo aduertisset, harum rerum cognitione, tanquam scala, atque adminiculo vsus fuit, ad superi boni contemplationem, cùm reputaret, quòd si ea quæ sensu comprehenduntur talia essent, quale potest esse id, quod sensum superat, atque ita assecutus est, quod quærebat.* (Grigor.)

Vtinam & nos nequaquam in creaturis sistamus, ne creaturarum amore, à creatore nos patiamur abduci; Vtinam creaturis vtamur tanquam scalâ, quâ ascendamus ad Deum. Pulchrè S. Basilius Seleuciæ Episcopus orat: *Age, & nos per creaturam ad creatorem dominum ascendamus. Deus namque, cùm res creatas in modum scalæ adaptauerit, per eam, sui amantibus, ascensum ad se extruxit.* (Basilius.)

Quòd Creaturæ sint nobis instar Concentus, fenestræ, Doctoris &c.

SECTIO III.

1. Illis creaturæ, sunt instar dulcissimi concentus & harmoniæ, quo mirè cor delectatur, in creatorem assurgit, & in laudem opificis accenditur iuxta pulcherrimam doctrinam Gregorij Nazianz. orat. 2. de theologia, vbi scribit: *Quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrimè constructam & elaboratam conspiciens eiusq́, concinnitatem & constitutionem, aut etiam citharæ cantum audiens: nihil aliud quàm ipsum citharæ conditorem atque citharœdum mente reputat atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ipsi ignotum: eodem quoque modo nobis is qui res vniuersas procreauit, easq́, mouet, atque conseruat, sese declarat etiamsi animis nostris ingenijsq́, comprehendi nequeat.* Sic ille. (Creaturæ instar concentus quo cor delectatur. Gregorius Nazianz.)

2. Libet & huc referre verba pulcherrima D. Laurentij Iustiniani libr. de casto connubio verb. & anim. cap. 19. *Quandoque, ait, mens trahitur ad Dei notitiam, creaturarum consideratione, circumquaque perlustrat & in cunctis tremendam Dei potentiam, admirabilem sapientiam, amplectendamq́, conspicit clementiam, tot laudantium audit voces, quot creaturarum intuetur species: quandam quoque spiritualem sentit in corde harmoniam, quæ interiora omnia complet iubilatione. Non enim à conditoris se valet continere laude, quum vniuersa in diuinis præconijs occupata intelligit opera. Si cælestia aspicit corpora hoc cognoscit, si elementatas considerat species, hoc gustat. Omnia vocibus suis iucundissimum agunt concentum: Vnde flagrantissima respersus suauitate animus, tacitè vociferari compellitur & dicere, Domine quis similis tui? In vniuersis quippe creaturis Deum intuetur, & per singulas delectabiliter pascitur. Hunc habere sensum, expressit propheta quum ait: Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Sic ille. (Laur. Iustin. Creaturæ suauissimũ agunt concentum.)

3. *Mundi machina*, ait Orpheus, *est musica, & admirabilis consonantia prædicans & laudans Deum, cæli enim enarrant gloriam Dei.* Hæc etiam est musica cęlorum quam prędicabat Pythagoras. Vnde Philo libr. de vnitate Dei & duplici templo, mundum vocat Dei templum: *Dei*, inquit, *templum alterum summum verumq́, existimandum est, mundus scilicet hic vniuersus, cuius sacrarium sit cælum, in tota rerum natura præstantissimum, donaria verò sint sydera, Sacerdotes, & æditui sunt potestates angelicæ, oratione sinceritatis vnitati similes, alterum verò templum est manufactum &c.* (Orpheus. Mundi machina admirabilis musica.)

4. Il-

Creaturæ Ilices ad colendum Deum. Leo.

4. Illis creaturæ sunt Ilices ad colendum Deum & ad condignas gratiarum actiones referendum omnium creatori. *Vnicuique fidelium* (ait Leo serm. 6. de quadrag.) *ad colendum Deum ipsa rerum natura, doctrina est, dum cælum, terra, mare & omnia quæ in eis sunt bonitatem & omnipotentiam sui protestantur authoris, & famulantium elementorum mirabilis pulchritudo iustam ab intellectuali creatura gratiarum exigit actionem.* Sic ille.

Creaturarum consideratio mentis refectio. Avgvst.

5. Illis creaturarum consideratio, est animi refectio, & recreatio, iuxta illud D. Augustini lib. 5. confess. cap. 1. *Non cessat, nec tacet laudes tuas vniuersa creatura tua, nec spiritus omnis per os conuersum ad te, nec animalia nec corporalia per os considerantium ea, vt exurgat ad te à lassitudine anima nostra innitens eis, quæ fecisti, & transiens ad te qui fecisti hæc mirabiliter: & ibi refectio & vera fortitudo.* Sic ille.

Creaturarũ consideratio suauissimi spectaculi loco. Avgvst.

6. Illis creaturarum consideratio, est loco suauissimi spectaculi, nam vt pulcherrimè scribit D. Augustinus in Ps. 76. *Affectiones habet tabula, theatrum, venatio, aucupium, piscatus, & non habeant opera Dei, & non habeant meditationes Dei, interiores affectiones quasdam suas, cùm inspicitur mundus, & ponitur ante oculos spectaculum naturæ rerum, & in his quæritur artifex & inuenitur nusquam displicens, & per omnia placens.*

Creaturarum consideratio est instar pulcherrimæ fenestræ.

7. Illis consideratio creaturarum, est instar pulcherrimæ fenestræ, per quam cernunt aliquatenus, inuisibiles Dei perfectiones. Ad diuinam contemplandam & aliquo modo assequendam sapientiam, corporis humani fabrica tanquam fenestra

Chrysos.

vtitur Chrysostomus homil. 11. ad pop. Do illius verba vt iacent, quamuis longiuscula vt illius exemplo, discas & pensiculatiùs reliquas expendere creaturas, & per illas inuestigare, venari, atque rimari Dei perfectiones. Non, ait, *mirabilem vim creatoris deterit quod non ex cælesti & solari corpore, sed ex luto corpus formarit humanum, sed etiam amplius intendit: Materiæ enim vilitas magis demonstrat artis copiam, & facultatem:*

In humani corporis & membrorum eius dispositione mira Dei relucet sapientia, & primò in corpore.

quoniam in luto & fauilla tantam posuit harmoniam, & tales sensus, tam varios, & omnimodos, & tantum philosophari valentes. Itaque quantò magis substantiæ tenuitatem accusas, tantò magis Dei artis magnitudinem admirare. Quoniam & statuarium admiror, non tam ex auro pulchram facientem statuam, quàm ex luto dilabente mirabilem & inexcogitabilem figmenti pulchritudinem, artis facultate, exhibere valentem. Illic enim fingenti materia quoque confert: hic verò nuda artis ostentatio. Tu verò si discere vis quanta sit eius qui nos creauit sapientia, cogita quid ex luto fiat. Quid autem aliud quàm lateres & tegulæ? verumtamen optimus artifex Deus

In oculis.

ex materia vnde fit tegula, lateritium opus duntaxat, oculum tam pulchrum efficere potuit, vt omnes cernentes consternentur, & tantam huic vim inserere, vt aëris tantam altitudinem spectet, & exiguæ pupillæ adiutorio vt corpora comprehendat, & montes, & saltus, & colles, & maria, & cælum. Ne mihi dicas, igitur lachrimas & lippitudines: hoc enim propter peccatum tuum factum est: sed cogita ipsius pulchritudinem & videndi virtutem, & quomodo tantam aëris longitudinem percurrens, non laborat, neque fatigatur. Sed pedes quidem paululum progressi fatiscunt & lassantur: oculus verò tantam altitudinem permeans tantamq; latitudinem, nullam sentit imbecillitatem: quoniam enim omnium membrorum, hoc est maximè necessarium, ipsum labore premi non permisit, ita vt expeditum ipsius ministerium, & liberum nobis esset. Quis verò omnem membri huius virtutem, sermone disserere posset? & quid de pupilla videndiq; facultate dicam? Si enim, quod omnium vilissimum esse videtur In palpebris.

membrorum, oculi palpebras exquisieris tantummodò, & in his multam Dei creatoris sapientiam videbis. Sicut enim in spicis, aristæ, tanquam quædam prætenta spicula aues repellunt, non sinentes fructui insidere, & stipulam infirmiorem distringere: sic profectò & in oculis, velut quædam aristæ, & spicula prætenta sunt palpebrarum setæ, puluerem & festucam & omnia vexantia extrinsecus repellentes ab oculis, nec palpebras infestari sinentes. Videas autem & alteram sapientiam in palpebris, hac non inferiorem. Quis enim ipsum situm non obstupescat, quoniam neque vltra mensuram promissæ sunt. Ita vt oculos obtenebrent, neque quam opus est, interius resident: sed velut domus tectum sic supernè eminent, sudorem capite defluentem suscipientes, nec oculos lædere permittentes. Propterea quidem & setæ ipsis innatæ sunt, densitate, defluentia coercentes, & multa lucem diligentia protegentes, & afferentes multam oculis pulchritudinem. Nec hoc tantum quis admirari posset, sed & aliud non minùs quàm hoc. Quæ enim de causa, dic mihi, In capite.

capitis quidem capilli crescunt & detondentur, ciliorum verò minimè? neque enim hoc nobis temere & casu factum est, sed ne se demittentes, oculos obtenebrarent: quod ad profundum deducti senio patiuntur. Quis autem posset sapientiam omnem per cerebrum demonstratam commemorare? Primò quidem ipsum molle fecit, quoniam sensibus fontes omnibus ministrat: posteà ne propter propriam lædatur naturam, ipsum ossibus vndique muniuit: rursum ne ossium asperitate attritum vexetur, membranam mediam obtendit, nec vnam solam, sed & alteram, vnam quidem Caluariæ inferius subextendens, alteram verò supernæ cerebri carni circumuoluens, & est illa hac durior. Hoc autem fecit, tum propter commemoratam causam, tum vt illatas capiti plagas, non primum excipiat cerebrum, sed præoccurrentes huiusmodi membranæ, ictibus, nocumentum omne dissoluant, & illæsum ipsum conseruent. Quin & quod non continuetur, & vnum sit os, ipsum obtegens, sed multas ex multis partibus habeat suturas, multæ rursum securitatis ipsi sit materia. Vt vaporum enim ipsum continentium facilis per suturas illas exterius fieri potest respiratio, ita vt non suffocetur & ex plaga

quæ

quæ alicunde inferatur non vbique sit nocumentum. Si enim solum & continuum os esset in vnam partem delata plaga totum læsisset: nunc autem cùm in multa diuisum sit, hoc fieri non posset. Etsi enim vnam partem vulnerari accidit, os secus illam partem situm læditur solum, reliqua verò cuncta remanent illæsa, plagæ iugitate, ex ossium diuisione sublata, nec in proximam extendi valente. Propterea ex multis ipsius tegumen ossibus Deus composuit: & sicut domum aliquis ædificans, tectum & tegulas superimponit: sic supra caput Deus ossa locauit, & capillos fecit germinare, vt pro quibusdam galeris capiti essent. Hoc ipsũ profectò & in corde fecit. In corde. *Quoniam enim cor vt membrorum nostrorum principalissimum est, & totius vitæ nostræ firmitas est ipsi tradita, & ipso quomodocumq; percusso, nascitur mors, solidis & duris ossibus hoc vndique circummuniuit, & pectoris prominentiis, & tergi, ipsum posterius muniens: & quod in cerebri membranis fecit, & in hoc idem factum est. Ad hoc enim ne continuè saliens, & in ira, huiusmodiq; motibus palpitans, ossium asperitati circumstantium infligens, conteratur, & multas membranas subextendit, & pulmonem supposuit, velut molle quoddam stratũ, ipsius saltibus opponẽs, vt impunè irrumpens ex hoc nihil noxiũ patiatur. Et quid dico de cerebro, & corde, cùm vtique si quis vel de ipsius vnguibus inuestiget, multam & in his Dei sapientiam inuenire valeat, apparentem, tum ex ipsorum forma, tum ex substantia, & situ? licebat dicere, quare & magnitudine impares vobis digiti sint, & multa alia his plura: sed sufficienter ex dictis attendere volentibus creatoris nostri sapientia refulget.* Sic ille plura huc spectantia adducens.

Creaturarum consideratio iustis loco Doctoris. CHRYSOSTOMVS.

8. Illis consideratio creaturarũ est loco magistri atq; doctoris docentis, quæ virtus sectanda, quod vitium fugiendum, vt pulchrè docet idem Chrysostomus hom. 12. ad pop. hisce vsus verbis. *Naturales brutis inserens mores, hos quidem imitari, hos verò fugere, nos iussit. Verbi gratiâ: industria est formica, laboriosam facit operationem.* Formica ad sedulitatem hortatur. *Si igitur attendas, maximam ab animali capies admonitionem vt non emolliaris, neve fugias labores, & sudores: propterea & scriptura torpentem ad illam mittit, dicens: Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam. Non vis, inquit, ex scripturis discere quòd bonum est operari, & quòd non operans, neque manducare debet? Non vis à doctoribus hoc audire? disce hoc à brutis. Sic & in domibus sæpe facimus. Maiores, & qui videntur esse præstantiores, cùm peccauerint, puerulis solertibus, attendere exhortamur, dicentes: Respice minorem te, quàm est industrius & solers. Et tu igitur, ab hoc animali maximam cape sedulitatis exhortationem & Dominum tuum admirare, non quòd solem tantum fecit & cælum, sed quoniam vtique formicam fecit. Etsi enim breue animal, habet tamen sapientiæ Dei magnitudinis multam demonstrationem. Considera igitur quàm sit prudens & admirare, quomodo potuit Deus, in tam breui corpore tantam iugis inserere operationis cupiditatem. Ab hac quidem laboriositatem, ab ape verò munditiam & solertiam disce & charitatem.* Apis docet munditiam, solertiam & charitatem. *Etenim illa non magis sibi ipsi, quàm nobis laborat, & quotidie fatigatur: quod maximè Christiano proprium est, non sua quærere, sed quæ sunt aliorum. Sicut igitur illa circumuolat omnia prata, vt promptam alteri præparet mensam: sic & tu fac homo, siue pecunias congregas, in alios expende: siue doctrinæ verba habeas, ne defodias, sed apponas indigentibus in medium: siue aliud peculiare habeas, indigentibus laborum tuorum vtilis fias. Non cernis quòd propterea animalium gloriosissima est apis, non quia laborat, sed quoniam aliis laborat? quoniam & aranea laborat & fatigatur & tenues per parietes extendit texturas, omnem mulieris sapientiam excedentes. Sed est ignobile animal quoniam opus eius nobis nullatenus est vtile.* Aranea ignobile animal, quia sibi laborat. *Tales sunt sibi laborantes, & se defatigantes. Imitare columbæ simplicitatem, sectare asini & bouis in Dominum dilectionem, imitare auium securitatem: multum enim lucrari licet à brutis ad morum correctionem. Ex his Christus quoque nos animalibus instruit: Nam, vt ait, estote prudentes sicut serpentes & simplices sunt columbæ.* Matth. 10. Et rursum: *Respicite volatilia cæli quæ non serunt neque metunt, & Pater vester cælestis pascit ea.* Et Propheta verò, pudefaciens ingratos Iudæos, sic quodammodo inquit: *Agnouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non agnouit.* Isaiæ 1. Et rursum: *Turtur & hirundo agri auiculæ cognouerunt tempora ingressus sui: populus verò meus non cognouit iudicia Domini Dei sui.* Ierem. 8. *Ab illis & ab his animalibus disce virtutem exercere: A contrariis verò vitium fugere disce;* A quibusdam animalibus discimus vitia fugere. *sicut enim laboriosa res apis, sic perniciosa aspis: Malitiam igitur eius auerseris, ne audias: Venenum aspidum sub labiis eorum,* Psal. 13. *impudens rursum canis, odio quoque habeas, hanc improbitatem. Dolosa & fraudulenta vulpes, ne vitium imiteris, sed sicut apis pratis superuolans, non omnia legit, sed vtilibus sumptis, reliqua omittit: ita tu quoque facias brutorum genus percurrens, si quid inest vtile, ab illis sume, & quos habent à natura excessus hos tu per liberum corrige arbitrium: & per hoc enim à Deo honoratus es, quòd naturales brutorum nequitias, per liberum arbitrium, tibi emendare concessit, vt præmia consequaris. Illis enim non ex electione & ratione bona opera, sed à sola natura.* Laudatæ conditiones animalium imitandæ: illaudatæ verò fugiendæ. *Verbi gratiâ: Apis mellificat, non ratione ad hoc faciendum inducta, sed à natura instituta: quoniam si esset opus non naturale, neque toti generi attributum, oporteret omninò ex ipsis aliquas artis inexpertas esse; nunc verò, ex quo factus est mundus, vsque in præsentem diem, nemo videt apes cessantes, & non mellificantes. Talia enim naturalia totius generis communia sunt, labore enim indigent vt bene succidant. Omnia igitur optima capiens circumamiciaris, etenim es irrationalium rex: Reges autem si quid est in subditis optimum, siue aurum, siue argentum, siue lapides pretiosi, siue sumptuosa vestimenta, hæc cum superabundantia ipsi possident: & ex creatura Dominum tuum admirare. Si quid verò te*

excidit visibilium, & rationem inuenire non potes, propterea creatorem glorifica; quoniam mentem tuam, ipsius sapientia factorum excedit. Ne dicas quare hoc? ad quid hoc? vnumquodque enim vtile est etsi nos rationem ignoramus. Sicut quippe, si in medici officinam ingrediaris, & multa proposita videas instrumenta, varietatem instrumentorum admiraris, licet ipsorum nescias vsus: sic & in creatura facias. Et si videris multa animalium & herbarum & aliarum rerum, quarum vtilitates nescias, admirare ipsarum varietatem & obstupesce etiam propter hoc ipsarum creatorem optimumq; opificem Deum, quoniam nec omnia tibi nota fecit, nec omnia incognita. Hactenus ille.

Creaturæ mouent ad amorem, honorem, timorem laborem.

Illis consideratio creaturarum est loco cuiusdam calcaris atque motiui ad amorem, honorem, stuporem, timorem, laborem vt expendit Holcot in Sapient. cap. 1. lect. 13.

Exempla Sanctorum columbino oculo creaturas intuentium.

SECTIO IV.

Consideratio creaturarum in stuporem adducit hominem.

1. SIc oculo columbino, creaturas aspiciebat Dauid, hinc ait Psal. 66. *Memor fui operum Domini; quia memor ero ab initio, mirabilium tuorum.* Et Psal. 142. *Meditabor in omnibus operibus tuis & in factis manuum tuarum meditabor.* Et Abacuc cap. 3. *Consideraui opera tua & expaui.* Pende illud, *expaui. Quis est enim,* ait D. August. tract. 8. in Ioan. *qui considerat opera Dei, quibus regitur & administratur totus hic mundus, & non obstupescit, obruiturq; miraculis? Si consideret vim vnius grani, cuiuslibet seminis, horror est consideranti.*

D. AVGVST.

Qualiter sancti, ex creaturis, sumpserint materiam diuinæ laudis.

2. Sic aspiciebat S. Antonius: hinc Socrates lib. 4. histor. eccles. c. 18. de illo scribit, quòd rogatus à quodam id temporis pro sapiente habito, *quo pacto posset vitam sustentare in illa vasta eremi solitudine, librorum solatio destitutus,* responderit: *Meus liber, ô Philosophe, est natura rerum à Deo conditarum: quæ quotiescumque animo lubitum sit meo, libros ipsius Dei, ad legendum suppeditat.*

S. HIERONYMVS ex floribus ascendebat ad Deum.

3. Sic aspiciebat creaturas D. Hieronymus, summam inde trahens delectationem spiritualem iuxta illud Psal. 91. *Delectasti me Domine in factura tua,* sic enim scribit in eundem locum. *Quodcumque aspexero delectat me. Intelligo enim factorem & benedico Deum. Et in operibus manuum tuarum exultabo. Video arborem & considero quomodo cortex arboris est quasi tunica quâ vestitur, & quasi germen viret. Et deinde video quomodo flos fit: quomodo flos cadat, & ipse flos vertatur in pomum. Video paulatim per singulos dies in singula tempora mihi naturam operari & in meos cibos crescere. Video quomodo Deus in omnibus mihi laborat vt mihi nihil desit. Propterea exulto in te Domine.* Sic ille.

S. AVGVSTINVS ex stellione, & aranea.

4. Sic aspiciebat D. Augustinus non solùm ex consideratione rerum magnarum, sed etiam minimarum ascendebat ad creatorem, nimirum ex conspectu stellionis muscas captantis, & araneæ retibus suis irruentes, implicantis, pergere solitus ad laudandum Deum creatorem, mirificum, & ordinatorem rerum omnium, vt videre licet libro confess. c. 35.

D. BERNARDVS tria in mundi opere cogitabat.

5. Eodem oculo aspiciebat & considerabat creaturas D. Bernardus sic enim scribit ser. 3. Pentec: *Tria in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Vt in esse quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna; tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in modo ipso sapientia singularis elucet: quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Siue verò ad quid factus sit mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè vtilia sunt creata.* Sic ille.

S. FRANCISCVS in creaturis Deum contemplatus mirificè delectabatur.

6. Sic aspiciebat S. Franciscus. Hinc de illo D. Bonauentura in illius vita cap. 9. *Vt ex omnibus excitaretur ad amorem diuinum exultabat in cunctis operibus manuum Domini, & per iucunditatis specula in viuificam consurgebat rationem & causam, contuebatur in pulchris pulcherrimum & per impressa rebus vestigia prosequebatur vbique dilectum, de omnibus sibi scalam faciens per quam conscenderet ad apprehendendum eum qui est desiderabilis totus. Inaudita namque deuotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis singulis tanquam in riuulis degustabat, & quasi cælestem concentum perciperet in consonantia virtutum & actuum eis datorum à Deo, ipsas ad laudem Domini more Prophetæ Dauid dulciter hortabatur.* Idem cap. 8. sic de eodem Seraphico Patre: *Consideratione quoque primæ originis omnium, abundantiori pietate repletus, creaturas quantumlibet paruas, fratris vel sororis appellabat nominibus: pro eo quòd sciebat eas vnum secum habere principium. Illas tamen viscerosiùs complexabatur & dulciùs quæ Christi mansuetudinem piam similitudine naturali prætendunt, & scripturæ significatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hospitato quadam vice seruo Dei apud monasterium S. Verecundi, de episcopatu Eugubij ouicula quædam agniculum peperit illa nocte. Aderat Sus ferocissima quæ vitæ innocentis non parcens,*

In agno contemplabatur Christum.

parcens, rapaci eum morsu necauit. Hoc audito pius Pater mira compassione commotus, & agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi, coram omnibus dicens: Heu me, frater agnicule; animal innocens, Christum hominibus repræsentans! maledicta sit impia quæ te interfecit, nullusq; de ea comedat homo vel bestia. Mirabile dictu, statim infirmari cœpit porca malefica, & tribus diebus corpoream pœnam exsoluens, vltricem tandem pertulit necem. Proiecta autem in vallem monasterij, ibiq; longo tempore iacens, in modum tabulæ desiccata, nulli fuit esca famelico. Sic ille.

In paupere contemplabatur Christum & Mariam. S. BONAVENTVRA.

7. Quinetiam Seraphicus pater in paupere Christum pauperem eiusque pauperrimam matrem tanquam in speculo considerabat, vt de illo scribit S. Bonauentura in illius vita c. 8. *Contigit, ait, semel, vt pauperi cuidam eleëmosynam importunè petenti vnus è fratribus durius responderet: quod audiens pauperum pius amator fratri præcepit, vt ad illius pauperis pedes, se nudatum prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet, & veniam. Quod cùm ille fecisset humiliter, dulciter pater adiecit: Dum pauperem vides, ô Frater, speculum tibi proponitur Domini, & pauperis matris eius. In infirmis similiter infirmitates quas assumpsit considera. Cumq; in pauperibus cunctis, & ipse Christianissimus pauper, effigiem Christi prospiceret: si quæ etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent; eis occurrentibus non solùm liberaliter conferebat, verumetiam ac si illorum propria essent indicabat esse reddenda.* Hactenus ille.

S. IGNATIVS ex tenuissimis rebus ad Deum ascēdebat. MAFFÆVS.

8. Sic aspiciebat S. Ignatius Societatis IESV parens, nam vt de illo scribit Maffæus in illius vita, frequēter ex tenuissimis rebus ad Deum, qui in minimis etiam maximus est, ascendebat: Ex plantulæ, frondis, floris, fructus vnius aspectu, ex vermiculi aut bestiolæ consideratione supra cœlos attollebat se & ad inuisibilia penetrabat, atque hoc familiare suis optabat esse, vt Deum in omnibus rebus præsentem cernerent.

Auctores, qui scripserunt, de ratione ascendendi per creaturas ad ipsū Deum. RICHARDVS A S. VICT.

9. Varias rationes, quibus per creaturas, mente ad Deum ascēdimus, vide apud Richardum à S. Vict. lib. 3. de contemp. c. 7. 8. & 9. Scripsit de hac re S. Bonauentura librum elegantissimum, hoc titulo: *Itinerarius mentis in Deum.* Docet sanè quàm eruditè, è conditione omnium rerum, assurgere in contemplationem Dei conditoris: Accomodata etiam hanc ad rem sunt

LVD. GRANATENS.

ea, quæ scribit Ludouicus Granatensis in Symbolo l. 1. c. 1. 2. & 3. Modum etiam, à creaturis, ad Deum assurgendi, præscribit

HAZIVS.

Hazius tomo 3. lib. 5. p. 1. app. 3. c. 4. Sed inter omnes hosce authores nullus vel clariùs vel luculentiùs tradit modum per creaturas ad Deum ascendendi quàm Illustrissimus Cardinalis Bellarminus in libello illo, plusquam aureo, cui Titulus: *De*

BELLARMINVS.

ascensione mentis in Deum per scalas creaturarum.

10. Fac & tu similiter, ô Christiane, in speculis hisce creaturarum, non vmbras attende, sed per eas creatorem expende, & vide, oculo columbino illa intuere, & erunt tibi instar ignei speculi, quo in creatoris tui accendaris amorem, erunt instar libri, quo erudiaris, erunt instar suauissimi concentus, quo delectaberis. Erunt instar ilicis, quâ ad laudandum creatorem excitaberis. Erunt tibi instar dulcissimæ cuiusdam internæ refectionis, instar pulcherrimi spectaculi, optimi magistri, hec non loco scalæ quâ ad Deum ascendas. Si hoc columbino oculo creaturas aspicias illud tibi continget quod scribit Seneca lib. 4. de benef. c. 8. *Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet: quia nec natura sine Deo est.* Si columbino oculo creaturas aspicias iam finem assequeris ob quem illa præcipuè creata à Deo. Nam vt egregiè ait Mercurius Trismegistus in libro quem inscribit: *Mens ad Mercurium. Est Deus: bona verba quæso. Et quis est eo illustrior? Ob hanc vnam causam cuncta creauit, vt in omnibus rebus eum cerneres. Hæc bonitas Dei. Hæc eius virtus, videri, apparereq; eum per omnia* &c.

SENECA. Quocumque nos flectimus occurrentem habemus Deum.

TRISMEGISTVS. Omnia creata vt in eis Deum cernamus.

11. Quinetiam si ita oculo columbino creaturas inspicias, non solùm Deus se in illis spectabilem exhibet, imò & tangibilem, vt pulcherrimè docet Zacharias Bonerius in Demonstrat. cont. Athæistas art. 10. inter alia sic scribens: *Planè his rerum affectibus, non modò Deus spectabilem se offert, sed etiam manu tractandum: Quandoquidem essentia sua, ita omnes rerum essentias, peruadit, vt cuiq; rei is intimior sit, quàm ipsa sibi, ob id potissimùm, quòd eidem tum esse, tum vitam, tum motum administret: quâ certè sublatâ, omnes rerum essentias penitus interire, deficere, atque in auitum nihilum redire prorsus necesse sit. Iuxta illud Dauidis: Auferet spiritum eorum & deficient, & in nihilum suum reuertentur. Atque eo fit vt Deus cum sensibilibus rebus sensibilis sit, cum intelligibilibus intelligibilis. Denique Deus sit quidquid videtur, quidquid tangitur, quidquid gustatur, quidquid auditur, quidquid intelligitur. Neque enim illud esse existimandum est quod à Deo abest. Is namq; in plantis est in medulla, est in trunco, est in cortice, est in profundo, est in superficie. In animalibus interna replet, externa ambit, vegetationem tribuit, sensum mouet ac motum præstat. In homine tandem ita externus atque internus est, vt cum anima viuat, cum corpore sentiat, cum membris vegetet, cum mente intelligat, & demum ab illius ac ceterarum omnium rerum esse prorsus indiuisus sit. Quapropter antiqui illi gentium Theologi Empedocles, Parmenides, Melissus, Democritus, Plato Deum τὸ ὄν, id est ipsum esse appellarent; cui respondet ineffabile illud nomen quod Græcis tetragrammaton, Iudæis Iehouah dicitur: quo Deum Opt. Max. velut magis pro-*

Deus se nō solùm spectabilem, sed etiam tangibilem præbet in creaturis. ZACHAR. BONERIVS.

Psal. 103.

prio nomine nuncupant. Illud enim explicat ipsum esse Dei: Quo certè declaratur Deum non modò esse eò quòd primus omnium existat: quòd nunquam non fuerit, quòd nunquam esse desinet, verumetiam quòd ipse sola integra sit essentia, solumq; esse, per quod omnia in seipsis existunt. Hinc Plato in Timæo mundi exordium aggrediens hanc rerũ distinctionem prælibat. Aliud esse τὸ ὂν ipsum quod est, *aliud τὸ γινόμενον* id quod fit, *ea (vt arbitror) ratione quod is agnosceret esse tum in seipso, tum in rebus omnibus solius Dei proprium esse: rerum verò non esse, sed fieri: facta verò non proprio, sed diuino esse, illarum esse, essentiamve consistere.* Quod Paulus insinuare voluit cùm ait: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Huc etiam pertinet quod Aristoteles lib. 1. Maioris philosoph. & Plutarchus lib. 1. cap. 5. tradunt Deum ab antiquis τὸ πᾶν, id est, *ipsum vniuersum appellatum fuisse. At qua id ratione? nisi illum rebus omnibus intimum, omnibus externum, omnia complentem, omnia concludentem intellexissent?* Hinc Seneca lib. de vita beata: *Deum,* inquit, *vis mundum appellare? non falleris, ipse est enim totum quod vides, totus suis partibus inditus & se sustinens & sua.* Et lib. 1. quæst. nat. *Quid est Deus? mens vniuersi, quid est Deus? totum quod vides & quod non vides.* Hactenus ille.

Actor. 17.

Quænam creaturæ in meditationem assumendæ.

12. Notandum autem est, creaturas in meditationem & contemplationem assumendas, vt in illis perque illas videatur Deus, tales esse debere, in quibus nulla subest inficiendi vel animum conturbandi materia. Quamuis enim ex seipsis omnes nos moueant & ducant ad cognoscendum & amandum Deum, ex nostra tamen indispositione accidere potest, quòd quædam naturæ minùs sunt idoneæ, vt in contemplationem assumantur. Vnde Richardus à S. Victore lib. 2. de contemp. c. 1. docet contemplationem creaturarum adumbratam in lignis illis Setim imputribilibus sic scribens: *Non de quibuslibet lignis permittitur fieri hæc arca, sed de lignis Setim tantùm, quæ sunt valde imputribilia. Pertinent autem ad ligna imputribilia qualibet rerum scrutinia honestatis & integritatis plena. Ligna imputribilia sunt qualibet rerum considerationes, qualibet operum retractiones, quæ nullam mentis corruptionem inducunt, quæ sinceritatis & veritatis integritatem custodiunt. In tanta itaque rerum visibilium copia, inter tot spectaculorum genera videat quisque quod eligat, caueat ne illud ante mentis oculos reducat, vnde cordis sui munditiam polluat. Debet ergo à considerationis suæ respectu, voluptatum irritamenta amouere, qui cupit de internæ incorruptionis perpetuitate gaudere. Quidquid auaritiam stimulat, quidquid luxuriam inflammat, quidquid gulam irritat, ab illa recordationum suarum frequentia, secernat. Ille sanè mundum, & quæ in mundo sunt, vtiliter in contemplationem adducit: qui per mundanorum aspectum, ad mundanorum despectum venit. Hunc huiusmodi contemplationis fructum, magnus ille mundialium contemplator quæsiuit & inuenit, scriptumque reliquit: Vanitates vanitatum* (dixit Eccles.) *& omnia vanitas. Ille vanitatis contemplationem non in vanum assumit, qui ex eo quod in imo respuit in laudem creatoris assurgit, qui eum in omnibus operibus suis mirabilem, laudabilem, amabilem reperit. Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Ecce mirabilem. A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini: Ecce laudabilem: Iustus Dominus in omnibus vijs suis & sanctus in omnibus operibus suis: ecce amabilem. Ligna ergo rigida, ligna robusta, ligna durabilia, qualibet considerationes sunt, quæ mentis vigorem reparant, quæ ad constantiam roborant, quæ in perseuerantia confirmant. Ligna denique ab omni corruptione aliena sunt, quæ nec maculam fœditatis, nec vitium falsitatis, contrahunt.* Sic ille.

Richard.

Contemplatio creaturarum adumbrata in lignis Setim.

Eccles. 1.

Psal. 8.

Psal. 112.

Psal. 144.

Forma qualiter admiranda

Chrysostomus.

13. Huc reuocandum pulcherrimum D. Chrysostomi monitum dum scribit in Psal. 43. *Formam,* ait, *eò vsque mirare, vt gloria & honore afficias artificem, vlteriùs autem ne progrediare, animi perturbationem excitans. Pulchrum opus. Is ergo qui fecit est adorandus, non contumeliâ & probro afficiendus.* Sic ille.

Verùm, quàm paucos habet mundus homines, qui modo, & ratione suprà relatis, considerant Dei opera. *Homines in aliud intenti,* ait D. August. tract. 8. in Ioan. *perdiderunt considerationem operum Dei.* Sed quibus intenti? nimium intentissimi & implicatissimi voluptatibus, honoribus, opibus, alijsque caducis & vilissimis rebus, parandis, atque fruendis, ad Dei opera prospicienda, oculos vix vnquam intendunt. Vis videre quàm idipsum displiceat Deo? Vide quid minetur Deus populo Iudaico, Isa. c. 5. opera Domini nequaquam consideranti, sed vacanti potiùs lasciuis cantibus, comessationibus, & compotationibus, voluptatibus, & luxurijs: *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit, propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino: & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosiq; eius ad eum.* &c. Quæ ibidem prosequitur. Sanè quòd si populo Christiano, cum Iudaico communis est culpa: similis pœna est pertimescenda: *Quidquid enim priori populo dicitur etiam nobis dictũ putemus* ait D. Hieron. ad c. 2. Malach.) *vt cautiores recedamus à vitijs.* Abstinete, ó Christiani, à lasciuis cantibus, comessationibus, & voluptatibus, vt possitis vacare considerationi diuinorũ operum, & ex illa elicere Dei cognitionem, & amorem. Nam cùm omnia vitia mentem deprimant, & infernè

Augvst.

nè deijciant; id proprium crapulæ & fornicationis. Luc.21. *Attendite autem vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis huius vitæ.* Nesteros Abbas apud Cassianum collat.14. c.16. *Nullus in quo adhuc carnalium passionum, & maximè fornicationis dominatur affectus spiritualem poterit scientiam possidere.*

Quæ damna emergant, si coruino oculo creaturas aspicias.

SECTIO V.

Inquinant animum creaturæ, si coruino oculo eas conspicias.

1. QVOD si sensuali, carnali, vel, vt ita dicam, coruino oculo, creaturas aspicias, prauo illarum irretitus amore, nullatenus expendens quomodo, & ad quid factæ sunt, sed tota sensualitate depressus, in ea quæ facta sunt, iam tibi non sunt specula, quibus ad Dei cognitionem & amorem mens erigitur, sed tibi sunt, ob propriam culpam, quasi tot nigerrimæ ollæ, atque lebetes, vel si mauis lutosæ terræ, quibus mens tua inficitur & fœdatur, vt accommodatè docet Barradius in concord. euang. tom.1.l.10.c.5. hisce vsus verbis, *Est nomen Latinum, mundus, à munditie. Quid enim ornatius, quid mundius mundo? mundi itaque homines ex mundo munditiam, ex illius ornamentis diuinas laudes depromunt: immundi verò ex tam admirabili ornatu, animi turpitudinem; ex tanta munditie, immunditiam sibi comparant. Vt enim, ait Apostolus ad Titum 1. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus, nihil est mundum: sed inquinatæ sunt, eorum mens & conscientia. Mundis hominibus omnes creaturæ mundæ sunt, quia prauo illis amore minimè adhærent: inquinatis verò immunditiam pariunt, quoniam profusa in eas feruntur auiditate. Aqua munda est, terra quoque munda est, at ex permixtione aquæ & terræ sordida lutum efficitur. Eundem in modum, esto, humanum cor mundum sit, conditaq; res sit munda, si per impurum amorem res condita & cor commisceantur, spiritale efficietur lutum sordesque magnæ.* Docet hoc Angelicus Doctor D.Thomas 2.2.q.7.a.2. his verbis: *Impuritas vniuscuiusque rei consistit in hoc quòd vilioribus miscetur. Non enim dicitur argentum impurum ex permixtione auri per quam melius redditur, sed ex permixtione plumbi vel stanni. Manifestum est autem quod rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus & corporalibus creaturis, & ideo impura redditur ex hoc, quòd temporalibus se subijcit per amorem.* Sic ille hucusque ex Barradio.

Impuritas cuiusque rei in hoc consistit, quod vilioribus misceatur per amorem. S.Thom.

Creaturarum vmbris decipimur, more tigris.

2. Quòd si coruino creaturas intuearis oculo, iam non sunt tibi loco libri & præconis, quibus instruaris ad Dei cognitionem & amorem, sed sunt instar vanissimarum vmbrarum atque imaginum, quibus decipiaris, nimirum, more tigris, de qua refert Isidorus & Albertus in tract. de virtut. polit. c. de imprudentia. *Quòd dum ab homine sui catuli rapiuntur, odore raptorem persequitur, qui equo velocissimo transportatur. Qui dum audit strepitum bestiæ sequentis vnum de catulis sibi proijcit. Quem illa in viâ inueniens rapit & ad nidum reducit, & interim raptor nauem ascendit & in altum mare se trahit ad quem locum bestia non accedit. Si autem venator omnes catulos velit habere in viâ specula abijcit. Quæ illa intuens dum suam imaginem ibi cernit filios esse credit. Et dum pro accipiendis filijs moram trahit prudens venator euadit.* Hæc ille. Quæ sic ad tropologiam transfert Berchorius in Diction. morali v. Ambulare. *Homo, ait, propriè huic tigridi potest comparari. Constat quòd catulus & fœtus noster quem summè debemus diligere est ipsa gloria paradisi, sed verè sæpissimè accidit quòd per diuersa peccata istum catulum perdimus, nobisq; à venatore, id est, à Deo subtrahitur & aufertur, ita quod necesse habemus post istum venatorem Deum per bona opera proficisci, currere, progredi, ambulare, vt scilicet catulum nostrum, scilicet perditam possimus gratiam & gloriam recipere & accipere & habere.* Philip.4. *Curro autem si quo modo comprehendam. Sed quid? pro certo in viâ huius mundi per quam ambulamus sunt hodie multa specula, id est, multi diuites, præ splendore mundanæ gloriæ refulgentes, in quibus pro certo vmbra mundanæ prosperitatis, quæ ad modum vmbræ fluit & refluit: Transierunt omnia sicut vmbra, rutilat & refulget. Et ideò dum fatua tigris, id est, fatuus peccator, delectatur in huiusmodi vmbra mundanæ prosperitatis, quæ in istis speculis, id est, in mundi diuitibus videtur relucere, & dum sistit per desiderium & affectum, & per similem gloriæ appetitum, ipse pro certo à cursu & profectu virtuosorum operum impeditur: Occupatio enim circa vmbram mundanæ prosperitatis cursum bonorum operum impedit, & retardat, & breuiter sic concludendo catulum suum amissum, scilicet gratiam & gloriam non recuperat, nec receptat.* Sic Berchorius.

Isidorus & Albertus.

Tigris historia adaptata peccatoribus. Ioannes David In libello de speculis, speculo 1.

3. Ioannes Dauid sic eandem de tigride historiam adaptat miseris & insipientibus mortalibus. *Tigris, ait velocissimum est animal (nomen à Medis & Armenis habens, qui sagittam tigrim appellant, atque rapacissimus quoque fluuius tigris vocatur) viua adhuc atque adulta capi nequiuit, sed catulus, absente matre, ab equite velocissimo, quandoque surripitur, quod, dum superueniens mater, agnoscit, rapidissimo cursu raptorem insequitur. Ille verò certè sciens se non cursu, sed arte tãtum posse ferocis belluæ velocitatem effugere, vitreum orbem in speculi morem confectum delabi sinit.*

In quem incidens tigris seque in eo admirabunda, contemplans, remoransq́;, dum catulum suum se videre existimat, à fugiente interim raptore deluditur, ac omni spe sua frustratur. Ita quoque miserum mortalium genus dum vano falaciq́; speculorum obtutu falsisq́; vmbraticorum simulachrorum figuris, & oblectamentis inanibus stultè distinetur, & rem præsentem & spem omnem futuræ prosperitatis atque æternæ salutis auferri patitur: idq́; ab his nimirum, qui præcipuè felicitati, supremæ gloriæ, ac bono ipsius summo, implacabili odio, insidiantur. De quibus Propheta in persona Iudæorum sic lamentatur: velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli. Super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis. Hæc ille. (Thren. 4.)

4. Sed horum stultitiam arguentem accipe D. Augustinum: *Quid, ait, stultius, quid insanius est quàm vmbra & imagine & similitudine veræ gloriæ & veræ delectationis, veræ pulchritudinis, veri decoris, veri honoris, more infantium decipi & superari, & ipsam gloriam non quærere non desiderare: Quis imaginem auri in aquâ ipso auro neglecto eligeret, & non statim à cunctis fatuus & insanus crederetur? quis orbem solis in speculo redditum plus diligeret quàm ipsum solem & non ab omnibus derideretur? Sic irridendus quisquis mundi huius caducam fragilitatem, & inutilem carnis voluptatem diligit, neglectis regni cælestis ineffabilibus gaudijs.* Sic ille. (AVGVST. in lib. de triplici habitaculo. c. 3.)

Mundus si coruino oculo aspiciatur deducit hominem ad fœdissimam auri adorationem.

SECTIO VI.

1. SI coruino oculo mundum inspicias, & prauo affectu illi inhæreas, non tibi erit scala, qua mediante, ad creatorem ascendas, sed per quam insipienter ad creaturarum cupiditatem, & fœdissimam illarum, quinetiam vitiorum omnium, ac ipsius dæmonis, adorationem, & idololatriam descendas. Ita vt in te illud Sapientis verificetur. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum & in muscipulam pedibus insipientium.* Cùm enim mundi amatores creaturam præponant creatori, amorque rerum creatarum præponderet in eorum cordibus amori creatoris, quid aliud dicendi vel nominandi, quàm idololatræ? quid aliud agunt quàm vt spiritualem quandam idololatriam committant. Nam vt verè & præclarè scribit Origenes: *Vnusquisque quod præ ceteris colit, quod super omnia miratur & diligit, hoc ei Deus est. Denique hoc est quod ante omnia & super omnia per mandatum suum Deus deposcit ab homine. Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Præoccupare quodāmodo erga se cupiens, totos humanæ mentis affectus, & sciens quia quod ex toto corde dilexerit quis, & ex tota anima atque ex viribus totis, hoc ei Deus est. Discutiat nunc vnusquisque semetipsum, & tacitus ex suo corde recenseat, quæ in eo potissimùm, & super cætera omnia, flamma amoris exæstuet, quis sibi ardentior cæteris foueatur affectus. Vos ipsi de his habetote iudicium, & in statera hac vestri examinis appendite, & si quid est quod in delectationis lance præponderat, hoc tibi Deus est. Sed vereor ne apud quamplurimos præponderet amor auri, & auaritiæ pondus, pressa satis lance deuergat. Et vtique dicitur ad hunc: Non potes Deo & mammonæ, id est, auaritiæ, seruire* &c. Sic Origen. Pauci inter mortales inueniuntur in quibus non præponderet Dei amori affectus auri, ventris, honoris, voluptatis, atque similium, ac proinde horum dicendi sunt cultores, quorum super omnia existunt amatores, sed ab auaris incipiendum, quodq́ue auri cultores sint comprobandum. (Sap. c. 14.) (Peccatores idololatræ.) (ORIGEN. hom. 2. in lib. Iudic.)

2. Legimus Exodi c. 20. *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.* Quæ verba expendens Philo docet non eo sensu prohiberi fieri deos aureos atque argenteos quasi ex viliori materia, vtpote ligno & argilla fieri liceret, sed quia facultate sublata condendi idola ex pretiosâ materia, etiam ex vili præcipiebatur. Quis adeò amens est, vt ex vili materia conflatis imaginibus, genu flectat. Sanè qui aurea & argentea numina veneratur, excusari quoquo modo potest, ex fulgore, nitoreque materiæ. Qui verò ex argilla fictos deos colunt, nullam vel leuissimam excusationem prætendere possunt. Deinde mandatum hoc ad sensum moralem transferens, dicit, eodem prohiberi omnem inordinatum affectum auri & argenti, quo compelluntur homines vt aurum tanquam numen aliquod venerentur atque recondant. Do Philonis verba: *Hi mox acceptam rudem materiam ad exemplar mortale formant vt (quod est absurdissimum) talia simulachra pro dijs colantur, fanis instructis & dedicatis altaribus, honorenturq́; pompis, sacrisq́; ritibus, atque cæremonijs, per sacrificos, & sacrificas augustum in modum exquisitis, curâ quoad fieri potest maximâ, id rerum Pater vetat, prædicens: Non facietis vobis deos aureos & argenteos. tantum non expressè docens ne ex alia quidem vlla materia Deos manu faciendos esse, quando præcipuis duabus interdicitur, argentum enim & aurum primatum inter metalla obtinent: verùm præter* (Exod. 20.) (PHILO, lib. quis rerum diuin hæres.) (Auari cultores auri.) (PHILO.)

præter hoc apertum interdictum, videtur mihi subesse hic & aliud præceptum vtile moribus, auaros valde arguens vndecumque sibi aurum quærentes, & acquisitum tanquam numen re ondentes in penetralibus, totam suam fælicitatem acceptam illi ferendo, quin & illos, qui non possint proprias diuitias colere, quòd his careant, aliena mirantur. Sic ille.

3. Non deesse, qui aurum pro idolo colant, illique sacrificent, patet ex illo Ecclesiastici: *Lignum*, ait, *offensionis est aurum sacrificantium: Væ illis qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.* Quasi dicat: Aurum quod auari quasi suum idolum numenque colunt, & cui omni suo labore, cogitatione, affectu, & curis, sacrificant. Est lignum, in quod ipsi offendunt, impingunt, & corruunt in mille mala ipsamque mortem. Vnde Tigurina vertit: *Lignum offendiculi est ei sacrificantibus: væ consectantibus illud, omnis insipiens eo capietur.* Alij: *Lignum offensionis vel scandali est, sacrificantibus in illo & omnis amens eo capietur.* Paliadius apud Cornelium cēset alludi ad idola, quæ olim idololatræ præsertim pauperes faciebant ex ligno æquè ac ex ære & auro, vt patet Isaiæ 44. Sap. 13. Quasi dicat: Sicut idola lignea idololatris fuerunt scandalo, offensioni & ruinæ: sic est & aurum auaro, auaro, inquam, qui imprudenter, cæca cupiditate, illi inhiat.

Eccli. 31. Aurum lignum offensionis.

Tigvrina.

4. Annon id tibi loco Dei cui omnem præstas obedientiam? & quis non pecuniæ præstat obedientiam? certè ait Eccl. c. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Ergo multis pro Dea est. Testatur Cælius lib. 11. c. 44. quòd olim pecunia dicebatur Dea, non quòd tanquam Dea haberetur, aut ei diuinus honor exhiberetur, iuxta illud Iuuenalis:

Pecuniæ omnes præstant obedientiam.

Caelivs. Pecunia pro Dea habita.

> —— *Etsi funesta pecunia templo*
> *Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.*

Sed ideo vocabatur dea, quia existimabant antiqui Deum pecuniâ abundare & ab eo pecuniam emanare: contra quod exclamando inuehitur D. Augustinus: *O magnam rationem diuini nominis? Imò verò illum cuius sunt omnia vilissimè & contumeliosissimè dicimus diuitem, non tamen pecuniâ, sed omnipotentiâ.* Sic August. Quinetiam idem, loco cit. scribit, quòd gentiles Iouem vocârint pecuniam, quòd Iupiter pecuniæ, & per illam rebus omnibus dominetur. *Sed nimirùm*, ait, *hoc auaritia Ioui nomen imposuit, vt quisquis amat pecuniam non quemlibet Deum, sed ipsum regem omnium sibi amare videatur.* Vnde idipsum redarguens subdit: *Qualis ergo est ista theologia, vbi rex Deorum, eius rei nomen accepit, quam nemo sapiens concupiuit? quantò enim faciliùs Deus mundi rectòr, non ab eis pecunia, sed sapientia vocaretur, cuius amor purgat à sordibus auaritiæ, hoc est, amore pecuniæ.* Sic ille.

Avgvst. lib. 7. de ciuit. c. 12.

Avgvst. Gentiles Iouem vocarunt pecuniam.

5. An non id tibi loco Dei in quo omnia putas contineri, à quo omnia existimas donari? in quo omnem spem reponis? à quo vitam & vitæ necessaria speras? & quidnam illud? multis mortalibus aurum est, multis pecunia, quid communius quàm illud Poetæ: *Et genus & formam Regina pecunia donat...*

In pecuniâ multi spem omnem collocant.

Ecce homo, ait Regius Vates, *qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua.* Tametsi quæ figitur spes in incerto diuitiarum, non fiducia, sed audacia, & temeritas est appellanda: nam quæ sunt verè bona, vt inquit Seneca; *Fiduciam faciunt, diuitiæ verò audaciam. Deos etiam argenteos* (ait Lippom. ad illud Exod. 20. *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis*) *& aureos spiritualiter statuunt sibi cupidi & auari, qui omnem spem suam in diuitiis ponunt & collocant iuxta illud: Vbi est thesaurus tuus ibi & cor tuum. Quod S. Iob à se, & sibi similibus excludit, dicens: Si putaui aurum robur meum, si obrizo dixi, fiducia mea.*

Psal. 51.

Epist. 87.

Lippom.

Iob c. 31.

6. Colebant antiquitus imagines aureas & argenteas idololatræ. Colunt auari Christiani monetas aureas & argenteas, quæ nunquam sunt sine aliqua effigie. Vnde Theophylactus. *Quod Dauid dixit: Simulachra gentium argentum & aurum, hoc magnâ prudentiâ, inuertit Paulus dicens: Argentum & aurum sunt simulachra & idola auarorum.*

Theophylact. Psal. 113.

7. Qui antiquitus colebant idola, & illis diuinos tribuebant honores, eisdem diuinam immortalitatem concedere videbantur. Idem quodammodo faciunt diuitiarum cultores, nunquam putant diuitias interituras, donec interiisse vident, & dolor, quem eorum interitu capiunt, indicat, illos quasi perpetua existimasse. Nam quæ aliquando deponenda possidentur multò minùs, cùm deponuntur, dolent. Quare Telamon vt doceret se non magnopere de filij morte dolere.

Diuitiarum cultores putant eas esse immortales.

> *Ego, inquit, cum genui, tum moriturum scini,*
> *& ei rei sustuli.*
> *Præterea ad Troiam commisi, ad defendendam Græciam,*
> *Sciebam me, in mortiferum bellum, non in epulas mittere.*

Hunc mentis stuporem Babyloni obijcit Isaias, quæ nunquam opes suas finiri posse credebat: *Et dixisti, ait, in sempiternum ero domina, non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es nouissimi tui.* Idem de eadem vrbe cogitabat Nabuchonosor cùm aiebat Daniel. 14. *Nónne hæc est Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei?* Quoniam igitur ita de bonis suis iudicant atque ita in

Isaia 47.

eis

eis spem collocant suam quasi perpetua sint futura, hinc non ineptè dicimus illos diuitias, aurumq́ue adorare, & pro numine quodam immortali colere.

Auarus pecuniam pluris facit quàm seipsum.

8. Annon id tibi loco Dei, quod teipso plus æstimas? Erat Iudæ auaro aurum & pecunia loco Dei, vt pulchrè rimatur Drogo, ex eo quòd illud templo, seipsum laqueo addixerit: *Retulit*, ait, *triginta argenteos & proiecit in templo. Vide quàm magni faciebat illos. Non proiecit argenteos in sterquilinium, sed in templum. Talibus semper diis templum suum deuouerat, maluit seipsum perdere quàm denarios perire. Denarios templo: seipsum laqueo addixit.* Sic ille.

DROGO. *Lib. de Sacram. pass.*

9. De antiquis illis idololatris legimus Roman. 1. *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*, annon idem de auaris dici potest, qui, neglecto Deo, colunt auream argenteamq́ue pecuniam, sic dictam à pecudibus quæ cudebantur antiquitus in monetis.

Auarus pecuniã præfert diuinæ charitati.

Annon tibi hoc loco Dei est, quod præfers Dei præceptis, quod præfers Diuinæ charitati? Sic Cassianus collat. 12. cap. 2. *Quisquis enim non communicat necessitatibus egenorum, & pecuniæ suæ, quam infideli tenacitate conseruat, Christi præcepta postponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem scilicet materiæ mundialis, diuinæ præferens charitati.* Annon hoc tibi pro Deo, cui tantum ac Deo honorem impendis? Audi D. Chrysostomum hom. 20. super epist ad Hebr. *Nónne rectè idololatriam, auaritiam, vocauit Paulus? Quantum enim illi honorem circa idola ostendunt, tantum & isti circa vestimenta sua, & circa ea quæ habent ex auro confecta. Vsquequo non cœnum istud euacuamus? vsquequo luto & lateribus adhærebimus? Sicut enim illi Ægyptiorum regi laborabant; sic & nos diabolo laboramus, & flagellamur multò grauioribus flagellis.*

CASSIAN.

CHRYSOST.

Auari laborant in luto & latere.

Auari quãtam obseruantiam exhibeant pecuniæ.

Annon hoc tibi loco Dei, cui tantam ac numini reuerentiam, & obseruantiam, exhibes? Sic planè indicat D. Chrysostomus hom. 64. in Matth. dum ait: *Grauis morbus est auaritia. Est fera insuperabilis. Hanc Apostolus idololatriam vocat. Non tamen tam formidabilis est idololatria. Cur tamen idololatriam vocat Apostolus? Habent nonnulli pecunias, sed nepotibus reseruant: & intactas, ad alios transmittunt, tunc tamquam dona Deo dicata tangere minimè audent: quod si quando coguntur, tamquam ad nefas aliquod timidè veniunt. Præterea, tamquam qui idolum lapideum, aurum claustris & vectibus cohibent, pro templo arcam præparantes, & argenteis vasis, recondentes. Non ita aurum adoras, vt illi idolum? Ille & oculos & animam, traderet potiùs quàm idolum: Non aliter affecti sunt auri amatores. Sed non adoro aurum, dices? Neque idolum, inquiet, sed inhabitantem dæmonem. Ita & tu, licet non aurum, tamen eius aspectu & cupiditate, animæ insidentem dæmonem adoras. Dæmone enim grauior est, pecuniarum cupiditas, quia multò magis persuasi sunt, quàm illi ab idolis, quibus non omnia parent, huic verò omnia, & quodcumque faciendum suggerit, obsequuntur. Quid dicit auaritia? Esto omnibus inimicus, obliuiscere naturam, contemne Deum, sacrificium, teipsum mihi offer. Dicto cuius parent? & idolis quidem boues sacrificant: auaritia; offer mihi animam, inquit, & persuadet. Vides quas habeat aras, quæ libamina accipiat.*

CHRYSOSTOMVS.

Auarus dæmonem animæ insidentem adorat.

Auari nullis parcunt laboribus vt pecuniam corradant.

Annon hoc tibi loco Dei esse in confesso est, quod, vt obtineas, nullis parcis laboribus, nullis molestijs, mouesq́ue omnem lapidem, vt illo perfruaris? Certè ita ethnicis persuasum. Nam vt refert Franciscus Sanchez: *Innumeri*, ait, *homines apud Occiduos Indos interierunt, quia aurum nostris Hispanis, non offerebant. Desolabatur populosissima Insula nomine, Spagniola, audierunt vicini causam huius calamitatis. Iniit vicinæ insulæ Rex consilium quo se tueri posset ab auarissima crudelitate. Decretum est, vt omne aurum cogeretur, factoq́; aceruo, circa illum ludos solemnes celebrarunt, tanquam rem sacram venerantes aurum: Dixeruntq́; hic est Deus istorum hominum, neminem patiuntur viuere apud quem Deum suum inuenerint, nos igitur Deum istum à nobis ablegemus. His dictis aurum omne in mare præcipitarunt.* Sic ille.

FRANC. SANCHEZ *in Eccles. c. 25.*

Auarus meritissimè dicitur idolorum cultor.

10. Qualiter autem auarus meritò idolorum cultor nominetur pulchrè & pluribus docet Chrysostomus, expendens illud Ephes. cap. 5. *Omnis scortator, aut immundus, aut auarus, qui simulachrorum cultor est, hereditatem in regno Christi ac Dei non habet.* Accipe illius verba: *Sunt*, ait, *qui hyperbolen esse dicant, quòd auarum dixit idolorum esse cultorem. Verùm non est hyperbolicè dictum, sed verè. Quomodo, & qua ratione? Deficit à Deo auarus, quemadmodum simulachrorum cultor. Et ne putes istud temerè dici, est sententia Christi qui dicit: Non potestis Deo seruire & mammonæ: Qui mammonæ seruiunt seipsos extra seruitutem Dei eiecerunt. Qui verò dominium ipsius abnegant & inanimato seruiunt auro, clarum est huiusmodi idolorum esse cultores. Sed nullum, inquis, feci simulachrum, neque constitui aram, neque immolaui oues, neque vinum libando obtuli, sed Ecclesiam ingressus sum, manusq́ue ad vnigenitum Dei filium extendi, adhæc mysteriorum quoque participatione, & precandi communione, ac reliqua omnia, quæ ad Christianum hominem, pertinēt, obseruo. Quomodo igitur idola, inquis, adoro? Istud ergo ipsum summopere admirandum est, quod cùm experimentum caperis & gustum diuinæ benignitatis, cognoscasque Christum esse Dominum, relicto tamen Christo crudelem tyrannum complexus es. Et simulas quidem illi te seruire, reuera tamen duro & graui auaritiæ iugo teipsum subiecisti. Nondum mihi virtutem tuam narrasti, sed dona Domini. Dic mihi, obsecro, vnde probamus militem? An ex eo quòd cum reliquis satellitibus comitatur Regem,*

CHRYSOSTOM. *hom. 18. in epist. ad Ephes.*

gem, & ab eo nutritur, illiusq; nomine accensetur? An inde quòd quæ illius sunt curat? Si cum rege se facere, & quæ illius sunt curare simulauerit quidem, interea verò res hostium agendas susceperit, grauius delictum esse dicimus, quã si planè seipsum, à seruitute regis abruptum, hostibus addixerit. Et nũc vituperas Deũ, quemadmodum & idolorum cultor, idq; non vno ore tuo, sed innumeris eorum, quos iniuria afficis ac lædis. Sed simulachrorum cultor, inquis, non est. Quando igitur Græci infideles dicunt: Christianus iste auarus est, tum non solùm ipse Deum malefactis suis vituperat, sed & eos quos iniustè læsit sæpe cogit istud dicere. Si verò non dicunt, ipsorum erit religioni & pietati adscribendum. An non videmus res istas ita fieri? Quid aliud est idolorum cultor? An non & ipse vitiosam mentis affectionem sæpenumero adorat, dum illam non cohibet? Vt exempli gratiâ, cùm illi dicimus quòd simulachra adoret. Non, inquit, simulachra, sed Venerẽ, sed Martem. Et cùm rogamus. Quæ est ista Venus? Qui grauiores inter eos sunt, respondent, voluptas est. Et quis est Mars? Animus masculus & vehemens. Ad eum modum & tu mammonam adoras. Quòd si dixerimus: Quis est iste mammonas? Auaritia est, & tu illam adoras. Non adoro, inquis. Quare? Quòd teipsum non accuratis. Ita multò illam amplius opere, reque ipsa adoras, nam ista potior est adoratio. Et vt rem ipsam cognoscas, ad Deum animi intuitum conuerte, consideraq; quinam illum veriùs ac magis adorent: an qui simpliciter adstant in precationibus, an qui voluntatem ipsius faciunt. Ita & qui mammonam adorant, veriùs illum ac magis adorant, qui voluntati ipsius obsequuntur. Quamquam qui mentis affectiones adorant, extra illas sæpenumero constituti sunt. Est enim videre Martis cultorem qui animi vehementiam sæpenumerò cohibeat ac vincat. Tu verò non ita, sed animi affectioni teipsum subiicis. At non mactas illi oues? Mactas verò homines & animas rationales, illas quidem fame, istas autem maledictis. Isto sacrificij genere nihil est bachicum magis, nihil, scilicet, insanius. Quis vidit vnquam animas mactari? Maledicta est auaritia ara: nam si ad simulachrorũ illam accesseris aram, videbis eam caprinum & bouinum olentem sanguinem, ad istam verò auaritiæ aram si veneris, humanum sanguinem videbis miserè & crudeliter exhalantem. Hic si steteris, non contemplaberis halitum, alas incensas, nec redditum nidorem, & fumum, sed perditum humanum corpus. Hic videbis quosdam quidem qui seipsos in præcipitia coniecerunt, alios verò qui laqueum applicuerunt, nõnullos etiam qui ensem per ipsum guttur transegerunt. Vides hostias crudeles & inhumanas? Vis istis etiam sæuiores videre? Ostendam tibi iam non humana corpora illic, sed & hominum animas mactari. Nam & animæ mactari possunt, mactatione quæ conueniat animæ. Quemadmodum, scilicet animæ mors est. Anima enim, inquit, quæ peccat, moritur. Non quidem talis est corporis, sed multò grauior est mors animæ: non corporalis illa mors est, quæ solutis & seiunctis inuicem anima & corpore, hoc quidem à multis curis & laboribus liberat ac recreat, illam verò in illustrem locum dimittit. Deinde quod dissolutum est, & sine spiritu, suo tempore denuo cum incorruptione coniungitur, propriamq; recipit animam. Atque hæc mors talis quidem est, animæ verò horrida & terribilis. Anima enim, posteaquam à corpore soluta fuerit, non ita vt corporis facit ad potiora dimittit, sed rursus incorruptibili corpori deuictam in ignem detrudit inextinguibilem. Eiusmodi est mors animæ. Quemadmodum est ergò mors animæ, ita est & animæ mactatio. Quid est corporis mactatio? Mortificari, scilicet, & ab energia illa quæ animæ est abrumpi. Quemadmodum enim tunc corpus mortificatur, quandò anima illud in operatione sua desolatum ac priuatum relinquit: ita & anima tum est mortua, quando illam energia sua destitutam relinquit Spiritus sanctus. Atque istæ mactationes potissimùm, apud aram auaritiæ fiunt. Non saturatur humano fuso sanguine, nisi ipsam etiam animam immolaueris, nec adimpletur auaritiæ ara, nisi vtriusque & immolantis & immolãti animas recipiat. Necesse est enim hîc vt qui immolat alium, primum immoletur ipse, atque ita immolet, vt mortuus immolet interea viuentem. Quando enim maledicit, quando conuiciatur, quando indignatur, nunquid istæ animæ plagæ immedicabiles sunt? Vides iam quomodo non hyperbolicè dictum sit, quod Paulus auarum idolorum esse cultorem dicit? Vis & alium audire & agnoscere quomodo auaritia sit idolorum cultus, imò peior etiam idolorum cultu? Idolorum cultores creaturas Dei adorant. Et venerati sunt, inquit, & coluerunt creaturam plusquam creatorem. Tu verò tuam ipsius creaturam adoras: auaritiam enim Deus non creauit, sed insatiabilis illa immodestia tua eam adinuenit. Et vide insaniam & vanitatem ridiculam. Qui idola adorant, honori etiam habent, quæ adorant, & si quis contradixerit, aut conuitiis illa insectetur, pro virili tuentur. Tu verò quasi per ebrietatem rem adoras, quæ non solùm reprehensione non vacat, sed & impietate plena est. Itaque peior est illis: neque enim defendere potes auaritiam, at dicere non esse malam. Licet & illi potissimùm inexcusabiles sint; tu tamen multò magis, qui sæpenumero auaritiam taxas ipse, & eos qui illam colunt, illiq; seruiunt, & obediunt, omnes in vniuersum improbas. Hæc ille cum quibusdam aliis huc spectãtibus.

Re & opere adorat nummos auarus.

Auarus mactat, & immolat, auaritiæ homines, & animas rationales.

In quo sita sit mors animæ.

Aliam rationem suppeditat D. Ambrosius scribens in illum Pauli locum. *Aut auarus, quod est idolorum seruitus;* Nimirum, sicut idololatria, Dei honorificentiam vsurpat, quæ soli illi debetur; sic auaritia idololatriæ æquiparatur, dumque Deus communia, & omnibus simul impartiuit hominibus, auarus sibi soli appropriat, ac si esset Deus. Accipe illius verba: *Vt auaritiam rem periculosam esse doceret, idololatriam hanc nuncupat; quã nullum peccatum maius est, videamus ergo cur auaritia, idololatria; hæc enim Dei honorificentiam vsurpat, & vendicat creatura,*

Ambros. Auaritia idololatriæ æquiparatur.

turæ, cùm in nomine diuinitatis, quod soli conditori competit, participem illi asserit eius facturam; auaritia autem idcirco huic exæquata est, quia similiter ea, quæ Dei sunt, sibi vsurpat, & recondit auarus, vt quæ vsibus omnium concessit communiter, auaritia denegat, quando idcirco congregat hæc apud se, ne alij vtantur. Egregiè, auarus idololatra, quia sicut iste Deo honorificentiam, sic ille munificentiam aufert, & sibi soli vult quod omnibus commune, ac si esset Deus, cui soli omnia debentur; ad se tantùm omnia referre satagit.

Auarus, quæ communia, ad se rapere conatur. *Isa 5.*

Vis videre qualiter, quæ communia sũt, ad se trahere & rapere conetur auarus? Vide quid illis minetur Deus Isaiæ c. 5. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci: numquid habitatis vos soli in medio terræ? Plerique potentes*, ait Isidorus, *tantâ cupiditatis rabie inflammantur, vt de confiniis suis pauperes excludant, nec habitare permittant. Quibus per prophetam rectè dicitur: Væ qui coniungitis,* &c. Et D. August. Psal. 39. *Quò ducit & perducit terra auaritia? Fundos quærebas, terram possidere cupiebas, vicinos excludebas, illis exclusis, aliis vicinis inhiabas; & tamdiu extendebas auaritiam, donec ad littora peruenires. Perueniens ad littora, insulas concupiscis; possessâ terrâ, cælum fortè vis prehendere. Relinque omnes amores, pulchrior est ille, qui fecit cælum & terram.* Et S. Cyprianus epist. 1. *Sed & quos diuites opinaris, continuantes saltibus saltus, & de confinio pauperibus exclusis, infinita, ac sine termino rura largiùs porrigentes* &c. *Hos etiam, inter diuitias suas, trepidos, cogitationis solicitudo discruciat.*

Isidorvs *2. sent. c. 41.*

Avgvst.

Quantopere Christianis fugienda auaritia.

Chrysos. *homil. 5. in Matth.*

11. Fugiamus fœdam hanc idololatriam, Christiani, adorent mundani omnes, quibus dominatur opum & auaritiæ confusio, auream statuam Nabuchodonosoris, nos cũ tribus pueris Deum timentibus id recusemus, licet eo nomine in fornacem coniiciendi, liberabit enim suos Deus. Sed præclarè D. Chrysostomum hom. 5. in Matth. monentem accipe; *Aurea*, ait, *imago proposita est pecunia, in qua tyrannica quædam mammonæ formatur effigies, & ad seruiendum sibi cupidorum corda sollicitat: sed nequaquam nos aut sonitus tubarum, aut citharæ concentus, aut reliqua diuitiarum incentiua commoueant, vt imaginem adoremus auaritiæ, sed, etiamsi ardentem fornacem intrare cogamur, paupertatem dico; eam tamen & inter ignes positi diligamus. Tunc enim nos in medio flammarum blanda circumdabit roris aspersio; ne igitur pauperiei fornacem horrescamus.*

Ardens fornax paupertatis præferendus auaritiæ.

Quàm graue peccatum auaritia.

Avgvst. *lib. 7. contra ep. Parmeniani c. 2.*

Quàm remis velisque fugiendum ab auaritia, ob eam quam continet malitiam, sic pulchrè expendit D. August. *Poteritne grauius, diuinis eloquiis accusari auaritia, quàm vt idololatriæ monstretur æqualis, & eius nomine appellaretur, dicente Apostolo: Et auaritia quæ est idolorum seruitus? Potuitne maiori digna pœna iudicari, quàm vt inter illa crimina ponatur, quibus obsessi regnum Dei non possidebunt? Aperiantur oculi cordis, ne frustra pateant oculi corporis, & legant prædicatorem liberum veritatis, in eadem ipsa prima ad Corinthios epistola scribentem: Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Sic August.

12. Quoniam verò confundit nos Deus, ab idolis quibus sacrificamus, permittit interdum nos in tantas incidere calamitates, vt auri omnis copia, nobis nullo possit esse præsidio, nimirum vt videamus quàm vanè & friuolè illud pro Deo coluerimus, quàm vanè & friuolè illi acquirendo, curam omnem impenderimus. Libet hîc subiicere cuiusdam fœminæ prudens factum, quo ostendit marito suo, iniquam ac perniciosam esse diuitiarum curam. Historiam refert Plutarchus, in qua narratione egregiè delineatur studium Hispanorum apud Indos in effodiendis metallis, auro & argento. Legat ipsum auctorem diligens Lector, ego breui absoluam, quod meo seruit instituto. *Pytheus inuentâ auri fodinâ nimiâ opum cupiditate populum in effodiendo auro, in elaborando, in custodiendo occupatum tenebat, alia opera erant intermissa & agricultura penè deserta: multi etiam laboris magnitudine moriebantur. Ciuium vxores Pythei vxorem adeunt deprecantes, vt tam graui detrimento remedium adhiberet. Illa blandè consolata mulieres bono animo esse iussit. Vocatis igitur ad se fabris, quorum magna in vrbem confluxerat multitudo ob auri copiam, præcepit ex auro fieri panes, fructus, & omnia cibaria, quæ in Regis mensa reponi consueuerant. Aberat tunc maritus, cui reuertenti & cœnam parari iubenti mensam auream & omnia ex auro facta apponuntur. Rex primo mirificè delectatus est aureo illo apparatu, sed stimulante fame veros cibos afferri iussit; tunc mulier: tu, inquit, nullius rei, præter hanc vnam, habendæ facultatem præbes: omnis enim virorum cura, omnis ars tuo iussu in parando auro versatur, vt nemo iam agros colat, &c. Prudentissima mulier hac arte viri sui improbum studium repressit, & insatiabilem cupiditatem, si non extinxit, saltem non mediocriter temperauit.* Sic ille. Ita nobiscum interdum agit Deus, vt discas non auro fidere, non aurum colere, sic disponit Deus, vt incidas in tribulationem aliquam, in qua aurum & copia argenti, nec auxilio nec præsidio est; imò interdum causa grauioris casus atque ruinæ.

Permittit Deus vt auri copia non prosit auaro.

Plvtarc. *lib. de claris mulierib. vlt.*

Quibus-

Quibusdam ventrem, & honorem esse loco Dei, & vnde originem ducat spiritalis hæc idololatria.

SECTIO VII.

Quidam habent Deum ventrem.

1. QVibusdam etiam ventrem esse loco Dei, constat ex illo D. Pauli loco ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est*. In quæ verba sic Chrysostomus: *Qui enim nihil spiritale cum animo suo cogitant, sed omnia sua sic habent, atque hæc sola curant, meritò ventrem Deum habent, dicentes: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*. Ita ille. Similiter Theophyl. *Hunc* (ventrem) *vt Deum colunt, huic perpetuò obsequuntur, & faciunt satis, affatim inserunt, quod ille exposcit, hoc ingurgitato prorumpunt in venerem*. Et Anselmus: *Deus illis venter est, quia sicut Deum summo honore venerari deberent, & omnia meliora de rebus suis illi offerre, sic venerantur suum ventrem, offerentes ei pretiosa, & summo studio præparata ciborum genera, ac semper dediti sunt ventris seruitio, colentes illum pro Deo, nec reminiscentes creatoris sui*. Hæc ille.

CHRYSOS. THEOPH. ANSELM.

2. Aptè quoque & conuenienter de istius farinæ hominibus siue helluonibus, ad solam saburram ventris, alimenta accipientibus, & nihil præter ingluuiem & ciborum farragině attendentibus Hugo in suo claustro sic scribens: *Superstitiosum quidem nimis in suis præparandis cibis adhibent studiū, infinita decoctionum, frixurarum, & condimentorū genera excogitantes: modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida, modò cocta, modò assa* &c. vt concludit postmodū. *Isti videntur*, inquit, *colere ventrē tanquam Deum*, & ne gratis hoc dictum putetur, subdit huius gastrimargiæ templum, altare, ministros, victimas & thura, dicens ibid. *Solent dijs templa construi, altaria erigi, ministri ad seruiendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari: Deo siquidem ventri, templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes coctæ carnes, fumus incensorum odor saporum* &c. Sed de hoc gastrimargiæ templo ante eum Tertul. lib. de Ieiunio aduersus physicos in fine libri, vbi sic ait: *Ille* (nimirum ethnicus aliquando ritu suo ieiunans, dum agitur de peragĕdo festo Isidis & Cybeles) *denique Deo idolo gulam suam mactat, tu Deo non vis. Deus enim tibi venter est & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos coquus, & Sanctus spiritus nidor, & condimenta charismata, & ructus prophetia*. Sic ille.

HVGO. Cultus, quem ventri tanquā Deo exhibĕt gulosi. TERTVL.

3. Tales similes sunt Cyclopi qui de seipso apud Euripidem profitetur:

Non vlla numina expauesco cælitum
Sed victimas vni Deorum maximo
Ventri offero. Deos ignoro cæteros.

O insanum ac dementiæ plenū genus hominum! Stratonicus cùm esset Rhodi, mirabatur illius ciuitatis habitatorum dementiā, qui sumptuosissimè ædificabant, & lautissimè epulabantur: dicebatque illos ędificare perinde quasi essent immortales, obsonare, quasi breuì victuros. Empedocles idĕ de suis ciuibus asseuerabat: Agrigentini, inquiebat, sic indulgent voluptatibus, quasi postridie morituri, sic ædificant quasi semper victuri. Alterum horum argumentū erat insanæ superbiæ & vanitatis. Alterum erat argumentum animi abiecti, & à pecudum conditione, non abhorrĕtis. Imò multò sumus deteriores bestiis, istæ enim simplici contentæ alimento artificiosos cibos non quærūt. Dices: carĕt ingenio & arte, ad excogitanda varia condimentorū genera; fateor, sed nobis non est data ad res viles, turpes, noxiasque inuestigandas inueniendasque, sed ad regimen vitæ, ad morum honestatem, ad rerum contemplationem ad excolendam virtutem & religionem. Inspiciamus agricolarum curam circa pecudes. Oues verno tempore continĕt in caulis; vsque sol suo calore absumat rorem, ne si herbam humore madentem, deuorent, quæ ouibus gratissima est, sanguinis copiâ suffocentur, aut alio morbo corripiātur. Deinde non illis concedunt quemlibet potum, neque quouis tempore, sed habent rationem sanitatis illarum. Boues etiam ab oratione cessantes, non patiuntur statim bibere, etiamsi siti ardeant, nisi priùs quiescant & comedant, tunc ad potum deducunt, ô misertima hominis insania, circa bruta animalia conseruanda ratione vtimur & vitam nostram negligimus, sola voluptas imperat, huius auspiciis in multa ruimus vitæ discrimina.

Gulosi obsonant quasi breuì victuri. Gulosi bestiis deteriores. Quanta gulosorum insania.

4. Qui inseruiunt ventri non solùm insani, sed inter homines maximè sunt degeneres. *Alius* (ait D. Bernardus in declamationibus super id *ecce nos reliquimus omnia*) *quidĕ pecuniæ, alijs verò venter Deus est, nónne hi etiam sunt idololatræ & illis etiam deteriores ac iniquiores*. Sic ille. Consentit D. Bonau. qui in Diæta salutis tit. 3. cap. 2. sic scribit: *Triplex est idololatria, scilicet paganorum, auarorum, & gulosorum. Idololatria paganorum est mala, quia colunt aurum & argentum, iuxta illud: Simulachra gentium argentum & aurum. Idololatria auarorum est peior, quia quasi Deū adorant inimicum. Nam auaritia est idolorum seruitus secundum Apostolum. Idololatria gulosorum est pessima, quia gulosi colunt Deum vilissimum, scilicet ventrem suum qui est latrina & immunditia, de quibus dicit Apostolus: Quorū Deus vĕter est, & gloria in confusione ipsorū. Pagani comparant Deū auro pretioso: auari nummo rubiginoso, gulosi ventri ignominioso*. Sic ille.

Gulosi degeneres. BERNAR. Idololatria gulosorum pessima. S. BONAV. *Psal.* 113. *Ephes.* 5. *Philip.* 3.

5. Est & ambitioso, honor pro Deo, & omnia cuique pro Deo, quibus inhæret, con-

Honor quibusdam pro Deo.

contempto numine vero, prauo amore, prauaque affectione, iuxta illud Poëtæ:

Ambitiosus honos, & opes & blanda voluptas
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Fusiùs quidam alius:

Lurconi venter Deus est, ac nummus auaro,
Et cui sunt Veneris gaudia prima, Venus.
Huic honor, & vero Deus est pro numine, fama,
Quem fama exstimulat non satianda fames.
Cui nimio Christus studij vilescit amore
An non is studium numinis instar habet?

Ex ardentiori erga quælibet affectu oritur illius idololatria.

6. Denique quæcumque flamma, super cætera omnia amoris exæstuat, & quisquis sibi ardentior cæteris fouetur affectus, vt ait Origenes loco cit. hoc nobis Deus est. In quam sententiam paucis interpositis subiungit: *An non totius gentilitatis error hinc accipit exordium, dum ea quæ multùm diligunt homines, dies esse volunt, & humanis quibusque, vitijs & cupiditatibus diuinum nomen adscribunt? Pecunia namque cupidi & auaritiæ amore flagrantes, mammonam quidem apud Syros Deum cupiditatis istius dicunt. Libidinis & voluptatis amatores Venerem deam sibi vitij huius, quo agitantur, adscribunt. Similiter & in cæteris vitiis, hunc ipsum, quo vrgentur, affectum, Deum sibi fecerunt.* Hactenus ex Origene.

ORIGENES. Homil. 2. in lib. Iudic.

Terrenarum rerum amor causa spiritualis Idololatriæ.

7. Vis scire vnde hæc spiritualis idololatria proueniat? causam & originem indicat D. Paulus ad Ephes. 3. dum ait, *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt.* Quasi dicat: Mala hæc omnia ex eo proueniunt quòd terrena sapiunt. *Terræ quidem*, ait Theodoretus, *affixi sunt, nec cælum animo versant, Deumq; expectant* &c. Affectus enim inordinati, desideriaque terrena, viam nobis sternunt, & expeditam reddunt, ad hanc creaturam idololatriam. Quid enim est quod non adoret homo temporalis atque terrenus? In quam rem sic scribit Baza tom. 3. libr. 14. cap. 14. §. 9. Sanctissimo Ioseрho somnia acciderunt Genes. 37. de primo ait: *Putabam nos ligare manipulos in agro & quasi consurgere manipulum meum & stare, vestrosque circumstantes adorare manipulum meum.* Non multò pòst aliud etiam somnium enarrandum accedit, quippe ait: *Vidi per somnium quasi solem & lunam & stellas vndecim adorare me. Quod cùm Patri suo & fratribus retulisset increpauit eum pater suus & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Nũ ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram?* In vtroque somnio, insinuabat sanctus puer, se adorandum esse à fratribus, & nihilominus pater in primo tacet, in secundo irascitur, & quasi incredibilia dicentem, puerum increpat. Cur magis irascitur Iacob in secundo somnio, quàm in primo? Cur sicut de re incredibili incusat filium secundò somniantem, non etiam similiter in primo somnio, filium incusauit? Sanè in secundo somnio, fratres Ioseph, per cælestia astra, significabantur, in primo, per manipulos triticeos. In astris putà cælestes homines, in manipulis, temporales & mercenarios, & quidem de cælestibus hominibus incredibile videbatur quòd aliud præter Deum vellent adorare, quod non erat incredibile de hominibus temporalibus: hi enim dum lucra sua colunt nullam non vorabunt idololatriam, quancumque etiam religionem etsi fœdissimam auidè capient: sic Baza.

THEOD.

Terreni, facilè quancumque arripient religionem.

8. Aliam causam præcedenti parum absimilem huius spiritualis idololatriæ subindicat Origenes homil. 2. in librum Iud. expendens enim illa verba Iudic. 2. *Mortuus est autem Iosue, filius Nun, & surrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum.* Pro quibus ipse legit, *surrexit generatio alia, quæ non cognouit Iesum, neque opus magnum quod fecit in Israel, & seruierunt Baalim*, sic scribit: *Generatio illa quæ non cognouit Dominum Iesum, ista est malarum cogitationum & pessimarum cupiditatum, quæ procidit ex corde. Ista est generatio quæ non recognoscit Dominum Iesum, neque opus magnum quod fecit in Israel. Vides quia peccatores, eousq; perueniunt vt & opus illud magnum & præclarum quod fecit dominus obliuiscantur, qui crucifixus est pro peccatis nostris & resurrexit propter iustificationem nostram.*

Causa spiritualis idololatriæ, est obliuio Christi, eiusque redemptionis. ORIGENES.

9. Vnde sic Dauid supplicabat Ps. 138. *Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas.* Quasi dicat: obsecro Domine, affectus meos discute, desideria examina, passiones pondera, cogitationes metire, gressus meos considera, vias inquire, num quid in me distortum, prauum, lutulentum, inconcinnum appareat; & *vide*, (adiungit) *si via iniquitatis in me est?* S. Hieronymus legit: *vide si via idoli in me est.* Num via mea in aliquod idolum tendat, an inter animi mei affectus sit fortè aliquis, quem tuo amori præferam, cui vitam, & vitæ curas, cum amore simul, sacrificare soleam. Caietanus vertit *vide si via derisionis in me est*: quid enim magis ineptum ac ridiculum est, quàm terrenis inuolui, quàm inhærere mundanis, quàm turpibus inquinari, quàm terræ mundique bona, & carnis delicias relicto Deo, spretisque cælestiis, auidissimè pariter, atque impudentissimè appetere, & amare? via derisionis est, quam qui incidunt, à Domino cæli irridentur & subsannantur, vt loquitur propheta Psalm. 2. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*

Inquirendum Christiano, an in illo sit via aliqua idoli.

S. HIER.

CAIET. Via idoli, est via irrisionis.

Pecca-

Peccatori, propria peccata, ipsumque dæmonem esse pro Deo.

SECTIO VIII.

Peccatori, peccata, ipseque dæmon pro Deo.

1. NEque solùm creaturæ, quibus prauè & inordinatè afficimur, sunt nobis loco Dei, verùm & ipsa vitia siue peccata, quibus obstringimur, quin etiam & ipsi dæmones quorum instigatione ea perpetramus, hisce enim omnibus tanquam idolis nos substernimus, illaque dum peccamus adoramus, vt optimè docet Origenes loco cit. propter nos enim

Origenes.

præcitata verba Iudicum 2. scripta esse existimans, in quos fines sæculorum deuenerunt, sic ait: *Non refertur in historijs vel in Euangelicis vel in alijs quibuslibet scripturis, quòd aliquis tempore saluatoris genua flexerit simulachris, sed de illis vtique hoc dicitur qui peccatis suis adstricti, velut compediti tenebantur, vnde constat, quia & nos quotiescumq; peccamus, quòd captiui ducimur in lege peccati, genua nostra curuamus Baalim. Sed non in hoc vocati sumus, nec ad hoc credidimus, vt iterum seruiamus peccato, & iterum genua flectamus diabolo, sed vt flectamus genua in nomine Domini Iesu: quia in nomine Iesu omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum: & vt flectamus genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, sed quid mihi prodest si genua corporis mei ad orationem veniens flectam Deo, & genua cordis mei flectam diabolo? Si enim non stetero firmus aduersus astutias diaboli flexi genua mea diabolo. Et si non constanter stetero aduersum iram, flexi genua mea iræ; similiter si non constanter libidini restitero, flexi libidini genua mei cordis, & in singulis quibusque quæ contraria sunt Deo, hoc facere videbor nisi constanter & fortiter stetero, sicut & illi fecerunt qui coluerunt Baalim & dereliquerant Deum patrum suorum qui eduxit illos de terra Ægypti.* Sic ille.

Flectit genua diabolo & vitiis, qui non fortiter resistit.

Orig.

Idem Rom. 1. ad illud, *Gratias ago Deo meo*, ait, *Non potest Dominum Deum suum, dicere is, cui Deus venter est, aut cui auaritia Deus est, aut cui gloria sæculi, & pompa mundi, aut potentia rerum caducarum Deus est, quidquid enim vnusquisque supra cætera colit, hoc ille Deus est.*

Tertul.

Tertullianus lib. de idololatria cap. 1. *Cùm vniuersa delicta aduersus Dominum sapiant, nihil autem quod aduersus Dominum sapiat, non dæmonijs & immundis spiritibus deputetur, quibus idola mancipantur; sine dubio idololatriam admittit, quicumque delinquit; id enim facit, quod ad idolorum mancipes pertinet.*

Cyprianus.

2. Luculenter quoque hac de re D. Cyprianus lib. de duplici martyrio vbi postquam monuit, nos vitâ & operibus, martyres, id est, testes, siue testimonium Christo exhibentes, esse debere, sic deinde docet Christianum dum peccat & seruit vitiis, Christum abnegare, & satanam Deum confiteri. *Quicumque, ait, seruit odio, inuidiæ, auaritiæ, superbiæ, libidini, Deum quodammodo abnegauit, & Christũ ore profitens vitâ satanam Deum confitetur. Nec hic sermo debet cuiquam videri durior, quum sit verax ac salutaris. Quidquid homo quiuis Deo anteponit, sibi Deum facit, nec possumus duobus seruire Dominis. Vnus enim est Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligendus. Quisquis igitur ore dicit: Credo in vnum Deum & seruit auaritiæ, aut libidini, aut luxui, sibi mentitur, sibiq; repugnat, aliud linguâ sonans aliud animo celans, voce tantùm testimonium perhibens Deo, quum vitâ satanam colat. Efficacius autem est vitæ quàm linguæ testimonium. Nõ omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum, sed qui facit voluntatem patris cælestis. Habent & opera suam linguam, habent suam facundiam tacente lingua. Ideo Dominus in Euangelio apud Ioannem, ita loquitur: Opera quæ dedit mihi pater vt perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Quemadmodum igitur bona opera profitentur Deum: ita mala quodammodo loquuntur non est Deus, nec est scientia in excelsis. Quis non contremiscat, quis non inhorrescat, quis non laceret vestimenta sua, quis non obturet aures suas, si tales voces audiat ex Christiano? quantus horror, quantus dolor occupat animos nostros, cùm quis victus tormentis iussus abnegare Christum, abnegat & ad Iouis statuam thus adolet? Quin trepidamus metuentes ne Deus iratus fulmina in nos vibret iræ suæ, ne terra dehiscens nos absorbeat? vt interdum vnius impietas supplicio consortio multos inuoluat, & sunt scelera tam immania vt vidisse quoque aut audisse sit detestabile. Sed cur aliàs in simili crimine tam sumus conniuentes? Cur & nobis adeò blandimur & aliis? At vide quid de talibus loquatur Apostolus scribens Tito: Profitentur se nosse Deum, factis autem negant,* Sic ille.

Peccator dum seruit vitiis Christum abnegat, & satanam Deum confitetur.

Matth. 6.

Matth. 7.

Ioan. 5.

Psal. 13.

Ad Tit. 1.

3. Et iterum aliquibus interpositis. *Ne quis itaque sic sibi blandiatur: sum peccator, amo pecuniam, seruio libidini, studeo honoribus, indulgeo vindictæ, deditus sum voluptatibus, sed Christum non abnegaui. At reclamat tibi Paulus, factis abnegasti, reclamat tibi Dominus ipse, non potes duos Dominos colere, & interim horres abominandum thurificati aut libellati cognomen, ipse fortassis thurificatis ac libellatis deterior. Illos humanus metus violentior quàm vt hominis natura posset viuere eò compulit, vt impias voces promant linguâ, reclamante conscientiâ, tu tã vili mercedulâ, sollicitatus sponte deficis ad eum, à cuius tyrannide te Christus suo sanguine redemit: cuius iam totus es factus, quemadmodum, ait Apostolus, empti estis pretio magno, & iam non estis vestri.* Sic ille.

Peccator factis abnegat Christum.

Cypria-nus.

Matth. 6.

1. Cor. 6.

Peccator, tum vitiorum, tum dæmonum cultor.
CYPRIANVS.

4. Eodem loco sic pulcherrimè docet Cyprianus, Christianos vitiis obnoxios tum vitiorum, tum Dæmonum esse cultores. *Execramur*, ait, *eos qui procumbunt ad Dianæ simulachrum: quantò iustius eos execramur qui toto pectore seruiunt mammonæ qui illi quotidie sacrificant? Et si auarus est idololatra qui pecuniæ studio tenetur, qui quod hæreditate obuenit, aut industriâ partum est, recondit, nec erogat in egenos: quid censendum est de his qui lenocinio, qui fœnore, qui rapto, qui fraude, qui calumniis, qui opprimendis pauperibus rem accumulant? Atque hæc idolorum seruitus non solùm inuenitur inter Christianos, verumetiam (quod gemendum est) inter episcopos. Porrò temulentia adeò communis est Africæ nostræ vt propemodum non habeatur pro crimine. An non videmus ad martyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem? An non leuius crimen esse ducimus quàm hircum immolare Baccho? mihi videtur multò grauius, si rem recta ratione velimus expendere. Cùm tyrannus dicit, abnega Christum & immola Ioui & esto amicus noster, aut morere: sæpe lingua negat, corde reclamante & manus adolet thus cùm animus intus adoret Christum: quamquam hoc quoque grauissimum est crimen, tamen aliquam impietatis culpam eleuat humana naturæ imbecillitas. Ibi satanas tibi loquitur voce tyranni: at quid tibi dicit idem per tuam concupiscentiam? Abnega Christum & esto diues: sacrifica mammonæ & Christo nuntiũ remittito. Quid est quod pollicetur? aurum & argentum, inutilem materiã nisi exerceas. Nec dicit morere, sed oblecta oculos: imò potiùs hoc dicit. Lucrare pecuniam ad breue tempus habiturus & perde in æternum animam tuam. Et tamen hîc sponte submittis genua satanæ, & abnegato Christo te totum illi mancipas. Quid autem Christus? Meus esto, & viue in æternum: contemne diuitias istas temporarias, & ego tibi centuplum reponam in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro. Relinque terram & accipe cælum. Ac Deus ista pollicitus deseritur, & diabolus tam nihili rei, easq; falsò promittens, adoratur. O fœdam defectionem! O turpem idololatriam! ô iniquam permutationem!* Hæc omnia Cyprianus cum multis aliis hanc doctrinam elucidantibus.

Pro exteriori idololatria, intrauit fœdissima vitiorum.
S. LEO.

5. Consentanea sunt quæ scribit D. Leo serm. 6. de Epiphania, vbi sic loquitur: *Cruciatur diabolus vocatione gentium & quotidiana potestatis suæ destructione, torquetur dolens vbique se deseri & verum regem in locis omnibus adorari* &c. Sed quia cessauit exterior illa idololatria, an ideo & interior extincta, an ad exercendam turpissimam vitiorum idololatriam cessat commouere fidelium corda diabolus? Pulchrè D. Leo loc. cit. *Diabolo totius fraudis hic fructus est, vt qui immolatione pecudum & thuris incensione non colitur, quibuslibet ei criminibus seruiatur.* Vnde sic concludit. *Habet igitur, dilectissimi, pax nostra pericula suæ & frustra de fidei libertate securi sunt, qui vitiorum desideriis non resistunt. Cor hominum de operum ostenditur qualitate & formam mentium species detegit actionum. Nam sunt quidam, sicut ait Apostolus, qui Deum profitentur se scire, factis autem negant. Verè enim reatus negationis incurritur, quando bonum, quod in sono vocis auditur, in conscientia non habetur.* Sic ille. Tit. 1.

Tot habemus Deos, quot vitia.
HIERON.

Tot nobis esse Deos, quot habemus vitia, sic pulchrè exprimit D. Hieronymus in illud Psal. 80. *Non erit in te Deus recens*, vbi sic: *Cui Deus venter est, Deus ei recens est, quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos: iratus sum, ira mihi Deus est: vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus est: vnusquisque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est*, & Epist. 1. ad Heliodorum: *Nolo, frater charissime, examinato pondere delictorum, minora credas idololatriæ crimine esse, quæ diximus: Imò Apostoli disce sententiam, qui ait; hoc enim scito, & intelligente, quia omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, aut fraudator, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei, & quamquam generaliter aduersum Deum sapiat, quidquid diaboli est, & quod diaboli est, idololatria sit, cui omnia idola mancipantur: tamen & in alio loco specialiter determinat, dicens: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, deponentes fornicationem.* &c.

Non minùs feruentes peccatores vt exhibeant spiritualem idololatriam, quàm ethnici in exhibenda corporali.

6. Et quidem summopere vereor ne Christiani plurimi non minùs sint feruentes & prompti ad exercendam spiritualem hanc idololatriam quàm erant antiqui illi ethnici vel Iudæi in exhibendo exteriori cultu dæmonibus, in statuis & sculptilibus, quæ ad eorum fabricabant honorem. Legimus Exodi 32. *Videns populus quòd moram faceret descendendi de monte Moses, congregatus aduersus Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant: Moysi enim huic viro qui nos eduxit de terra Ægypti ignoramus quid acciderit.* Quid tum Aaron? *Dixit*, ait textus, *tollite inaures aureas de vxorum filiorumq; & filiarum vestrarum auribus & adferte ad me.* Quis non miretur Aaron illius gentis Pontificem, tam facilem se exhibere in exequenda impia illius populi voluntate? verùm placet D. Augustino eum rem tam difficilem præcepisse, vt hoc modo illis ab illa intentione reuocaret. D. Augustinum sequitur Magister histor. Scholast. in Exod. c. 37. *Hoc erat*, ait, *quod carius & pretiosius habebant, putans quòd consulentes auaritiæ suæ nollent afferre.* Vult Caietanus, eum hoc præcepisse, vt dissensio domestica in domo qualibet oriretur, reluctantibus mulieribus, & pueris, Lypomanus in catena in Exod. animaduertit leg. in heb. non, *tollite inaures aureas*, sed *dissoluite*, vel, *dilacerate*, quasi vellet sibi deferri inaures aureas, licet ex auribus, absque earum dilaceratione tolli nequaquam

AVGVST.
MAGISTER.
CAIET.
LYPOM.

quam possent. Verùm an hæc omnia populum retardarunt quò minùs relicto vero Deo proflueret, vel prorueret in detestandam idololatriam? Minimè. Nam ibidem legimus. *Fecit populus quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron*, in quæ verba sic Lypomanus loco cit. *Prompto animo fecerunt & complacuerunt, vt separarent se ab inauribus suis, vt illas non ampliùs haberent* &c. Ecce quàm hi ad idololatriam prompti & faciles, etiam cum dispendio inaurium, & fortassis dilaceratarum aurium. An ad fœdam illam magisque detestabilem spiritualem idololatriam qua facultates suas cæteraque bona, à Deo illis concessa, nec non corpora & animas suas offerunt, tum vitiis, tum dæmonibus, minùs prompti, & parati Christiani? Bene Cornelius. *Facinus hoc, puta idolum, recusare omnino non audebat Aaron, ne occideretur à tumultuante plebe: sed hac postulatione diuertere conatus est, flagitando inaures filiorum & filiarum aureas quas ægerrimè auaras & ornatus studiosissimas fæminas sibi detracturas idoloq; daturas, putabat: Sed vicit hæc omnia earum improbitans & præpostera liberalitas, aliàs auarissimarum. Similes subinde videmus Christianorum mores, vt in carnis voluptates, pompam, & luxum, censum omnem profundant, Christo verò teruncium ægrè largiantur, ideoque sæpe quod non capit Christus, hoc capit fiscus.*

CORNEL.

Quàm liberales homines vt expendant aurum suũ in excolendis vitiis.

Veritas hæc insigniter confirmari potest, ex ipsius Dei verbis Isaiæ cap. 46. vbi nomine Dei sic loquitur Isaias: *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis, conducentes artificem vt faciant Deum, & procidunt & adorant.* Vbi vulgata legit, *Confertis aurum de sacculo*, vertit Oleaster. *Vilipendunt aurum de sacculo.* Sed quis intelligat, qui fieri possit, quòd homines mundani vilipendant aurum? quis nescit quanto illis in pretio aurum? Quis nescit quantis laboribus id sibi acquirant, quamve fideliter & anxiè illud custodiant? An vel unus in mundo reperiri posset, de quo dici possit, Vilipendit aurum? Nihilominus dicit Deus, quod illud mundani vilipendant, sed vide qua de causa, & in quem finem, nimirum, vt faciant Deum, vt impendant aurum voluptatibus, deliciis, pompis seculi, comessationibus & ebrietatibus &c. Quæ omnia sunt illis pro idolis, quæ præponunt ipsi Deo, de cætero auarissimi & maximè tenaces, vt aurum impendant Christo & pauperum vsibus. *Homines*, ait Oleaster, *auarissimi sunt in virtutes, & prodigi in vitia: vix thesaurum tangere audent ad pauperem recreandum: & calamo aurum, & argentum mensurant, ad fabricandum idolum.*

OLEASTER.

Quàm prompti homines vt expendant diuitias in efformandis idolis.

Huc etiam referri potest quod legimus Ezech. c. 5. vbi illi Deus præcipit: *Sume tibi gladium acutum, radentem pilos: & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam suam, & assumes tibi stateram ponderis, & diuides eos. Tertiam partem igni combures, in medio ciuitatis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius: tertiam verò aliam disperges in ventum.* Quæ omnia ad tropologiam alliciens Hugo Card. sic scribit. *Per pilos intelliguntur superfluitates diuitiarum. Per barbam & caput, intelliguntur potentes, & nobiles huius mundi, quos radit propheta, id est, quorum rasura, in facto suo, præfiguratur: Raduntur enim isti, cùm diuitiæ eorum comeduntur, dissipantur, & expenduntur, quia vbi multæ sunt opes, multi sunt qui comedunt eas, vt dicitur Eccl. 5. Sed quò vadunt aut fugiunt? Prima pars in ignem, secunda in ventum, tertia in gladium traditur, quia diuites huius mundi, suas diuitias expendent, alij in igne libidinis, sicut filius prodigus Luc. 15. Alij in vento superbiæ & fauore laudis humanæ, vt superbi. Vnde Oseæ 12. dicitur de istis duobus insimul: Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum, id est, diues superbus & luxuriosus pascit & cibat ventosos homines, adulatores & histriones, pro acquirenda laude, & sequitur æstum luxuriæ vadens post concupiscentias carnis suæ. Alij gladio cædunt pilos suos, qui diuitijs suis, lites & bella nutriunt: quia sicut dicit Eccl. 28. Secundum ligna siluæ sic ignis exardescit, & secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundum substantiam suam, exaltabit iram suam.* Hactenus Hugo Card. egregiè docens, quàm prompti sunt homines ad expendendas facultates in efformandis sibi idolis variorum vitiorum, auarissimi interim in Christum & illius membra, auarissimi in virtutes, & prodigi in diabolum, mundum, carnem, & vitia.

HVGO CARD.

7. Coluere Iudæi, postquam à vero defecerunt Deo, non vnum, sed varia & multiplicia idola, vt patet ex iis quæ scribit Ezechiel cap. 8. vbi inter cætera sic Dominus ad Ezechielem: *Fili hominis, fode parietem. Et cùm fodissem parietem apparuit ostium vnum, Et dixit ad me, ingredere & vide abominationes pessimas quas isti faciunt hîc. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium, abominatio & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Non cedunt, hac in parte, plurimi mali Christiani, Iudæis, quæ enim realiter ibi in templo depicta erant idola à Iudæis, vt eadem venerarentur & adorarent, hoc planè spiritualiter perficitur in horum cordibus atque animis, quæ cùm deberent esse templa Dei viui, & in quibus habitet Sanctus spiritus, templa tamen sunt in quibus depicta omnis generis spiritualia idola, quæ ab ipsis præ Deo coluntur & amantur, vt pulchrè docet Hector Pintus scribens in citatum Ezechielis locum, eundemque ad mores transferens. *Ad id, ait, amentia & cæcitatis deuenerāt Hebræi vt omnia gentiũ idola colerent, & vt ait Isaias, talpas & vespertiliones adorarent*

Vt ethnici plura idola colebant corporalia, sic peccatores, multa colunt idola spiritualia.

HECTOR PINTVS.

Isa. 2.

rarent. Quid erant caeci homines, nisi caeca animalia culturi? Per Amos prophetam ait illis in hunc modum Deus: Portastis tabernaculum Moloch, & imaginem idolorum vestrorum, sydus Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis vobis adorare eas. Et in libr. Sapient. *ostendit Deum magnam hominum in idolorum cultura caecitatem. Vnde in Epistola ad Roman. ita ait Apostolus: Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & serpentium. At si in cordis nostri domicilium fuerimus ingressi easdem abominationes, mentis oculis, aspiciemus. Penetremus conscientias nostras & in cubilibus earum imagines idolorum prope infinitas intuebimur. Ea enim quae Deo cõtempto colimus, in quibus felicitatem constituimus, idola sunt quibus sacrificamus, quidam vanitatem colunt, quidam aurum, quidam voluptatẽ, quidam omnia haec & alia innumera. Qui viris bonis detrahunt eorumq́; famam lacerare contendunt, inuenient canes latrantes, & mordentes, qui se corporis illecebris dediderunt earumque se quasi ministros praebuerũt, atque Dei hominumq́; iura violarunt inuenient sues iacentes in volutabro. Qui leuitate & iactatione ducuntur, & populi rumusculos aucupantur, inuenient pauones oblectantes seipsos pennarum in orbem constitutarum pulchritudine, & chamaeleontes seipsos aëre pascentes. Qui crudelitate gloriantur inuenient leones: Qui pecuniae sunt cupidi & auaritiae serui inuenient rubetas & talpas in terra defossas, non audentes se terra satiare, loquaces inuenient ranas, inuidi viperas, raptores lupos: & ita de caeteris.* Sic ille.

Amos 5.

Sap. 13. 14. 15.

Rom. 1.

In templo animae nostrae, omnis similitudo reptilium, & animalium.

Animalia sunt simbola variorum vitiorum.

8. Meritò proinde potest exprobrare Deus Christianis, quod aliàs exprobrauit Iudaeis Hierem. c. 5. *Transite*, ait, *ad insulas Sethim & videte: & in Cedar mittite, & considerate vehementer: Et videte si factum est huiuscemodi, si mutauit gens Deos suos & certè ipsi non sunt dij: populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum* &c.

9. Quis hanc foeditatem, hanc insipientiam hominis Christiani non miretur! O vilem & degnerem hominem! Quid tam probrosum & ignominiosum homini quã haec vitiorum idola colere, & vilissimum se diaboli exhibere mancipium, sub signis eius militare ad nutum eius viuere, illi se substernere & eum quodammodo adorare? Tres pueri in fornacem illam terribilem maluerunt deiici, & septem fortes Machabaei omni crudelitate vexari, & excarnificari elegerunt, quàm vel coram statua aurea, quàm erexerat impius rex Nabuchodonosor in terram procidere, eamque adorare. Mardochaeus similiter potiùs eligebat mori quàm coram Aman genua flectere. Abhorruerunt ab hac ignominia, toto pectore, etiam ethnicorum sapientes. Conon maluit per internuntios, res suas agere, quã Persicum regem adorare, iuxta illud Plutarchi in Themistocle, qui Artabanum Persarum militum tribunum Themistocli dixisse refert: *Apud nos cùm multae sint ac pulchrae leges, ea omnium praestantissima est, quae honorare regem, adorareq́; eum tanquam Dei omnia conseruantis imaginem, iubet. Quare si nostros mores probas & genua flectere coram rege vis, videndi tibi compellendiq́; ius, & facultas erit, sin aliter sentis, internuntijs ad eum vtendũ tibi est.* Calisthenes, qui Aristoteli cum Alexandro operã dedit, duriter torqueri & trucidari maluit, quàm illi more Persico seipsum prosternere, vt referunt Arrianus, Curtius, Valerius & Laert. Sperthies, & Bulis, Lacedęmoniorũ ad Xerxem legati, iubentibus regiis satellitibus, vt procumbentes regem adorarent, & per capita eos ad id agendum, impingentibus, negauerũt se id vnquã esse facturos: Neque enim sibi esse consuetudinem hominem adorandi, neque ad id se venisse. Author est Herodotus lib. 7. Pelopidas Thebanus adduci nũquam potuit vt huic iugo collũ subderet. Athenienses capite damnauerunt Timagorã, quòd Dariũ more Persico veneratus esset, vt tradit Valerius; & homo Christianus tam erit vecors & insipiens vt diabolo genua flectat, vt cadens in terrã eum adoret vt in Christi redemptoris locum eum sibi substituat, Christoque relicto ad partes eius transeat? Tanta autem est peccatoris inertia & insipientia vt non solùm cadẽs in terram Daemonem adoret, sed etiam incuruetur sub ipso & ponat vt terram corpus suum & viã omni transeũti. Sic ibi.

Quàm alieni quidam ethnici ab adoratione regum.

Quàm vecors Christianus si flectat genua diabolo & vitiis.

10. Exprobrans Deus per Moysen foedam suam idololatriam Iudaeis, sic eos alloquitur Deut. 32. *Generatio praua atque peruersa. Haeccine reddis Domino popule stulte & insipiens? nunquid non ipse est pater tuus qui possedit te & fecit & creauit te?* Ecce quae illis indet nomina, vocat generationem prauam & peruersam, vocat populum stultum & insipientem. Ad eosdem Iudaeos fatus Deus per Isaiam c. 49. sic ait: *Haec dicit Dominus Redemptor Israël Sanctus eius. Ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum Dominorum.* Aquila & Theodot. vertunt, *Ad eum qui despicit animam suam.* Alij legunt, *Ad eum qui extenuat animam suã.* An possunt viliora & ignominiosa magis excogitari nomina quàm quòd Iudaei ob commissam idololatriã, dicantur gens contemptibilis, & abominabilis, & hoc ideo quia extenuat & despicit animã suam, cadens coram idolis, illisq́; sese subiiciens. Expende iã & vide, Christiane, qui multa maiora expertus diuinae pietatis miracula quã Iudęi, quo dignus sis nomine, dum Christo & Deo neglecto, ad vana haec te conuertis creaturarũ, vitiorum, & daemonum idola, coram hisce in faciem cadẽs eaq; adorans.

Quàm degener Christianus qui vitiorum idola adorat.

11. Vis scire ô Christiane, quisnam tibi ex cultu horum idolorum fructus? Certè non alius nisi confusio & erubescentia: *Confundentur*, ait Isaias c. 1. *ab idolis quibus sacrificauerunt, & erubescetis super hortos quos elegera-*

Ex vitiorũ idololatria nil nisi summa cõfusio prouenit Christiano.

elegeratis. Quæ verba in rem nostram sic expendit Gillerius scribens in Cant. cap. 1. vers. 2. expos. 3. Quidni enim erubescerent, qui cum delicijs paradisi Dei sui frui potuerint, varios vilesque elegerunt hortos, indignissimisque sese oblectarunt delicijs! quidni confundantur præ summa ignominia atque opprobrio, qui cum ex vero Deo totius consolationis, ex oratione, meditatione, cæterisque spiritualibus, quibus ille colitur exercitijs, supplicabilibus perfrui debuissent consolationibus, terrena elegerunt, quæ sibi in idola erigerent: quibus totis conatibus ministrarent, quibus semetipsos ita sacrificarent vt vniuersas consolationes cunctasque delicias suas in illorum constituerint cultu, & ex illorum colligant sacrificijs? confundentur certè ab his idolis, quibus sacrificauerunt, & erubescent super hortis quos elegerunt, quando tantum intelligent dedecus, prout erubescebant ij ad quos inquit Apostolus: *Quem fructum habuistis in illis*, nempe ignominijs, *in quibus nunc erubescimus*, cùm intellectus oculum purgatum habetis? Profectò alium nullum præterquam confusionis amaritudinem.

GILLER.

Rom. 6.

12. De Iudæis idololatris refert Moyses Deut. 32. *Prouocauerunt eum in dijs alienis & ad iracundiam eum prouocauerunt.* Et Ezechielis c. 8. loquens de idolo Baal, quod sub Ioakim, & Sedecia, in aquilonari templi parte positum, sic ait: *Et eleuauit me spiritus inter terram & cælum: & adduxit me in Hierusalem in visione Dei, iuxta ostium interius, quod respiciebat ad aquilonem, vbi erat statutum idolum zeli, ad prouocandam æmulationem.* Alij vertunt, idolum *accensionis*, vel, *irritationis*. Nihil enim Dei zelum & zelotypiam magis accendit, nihil illius ita inflammat iram, nihil sic ad indignationem eum prouocat, nihil sic irritat, quàm quod viderit homines, alienos deos à se, amare, colere, adorare. Si verò Iudæi idolis suis colendis taliter eum prouocauerint & ad zelum & iracundiam concitauerunt: quid de te statuendum, ô Christiane? Accipe Cornelium citata Ezechielis verba sic transferentem ad Christianos. *Idolum zeli est in cupido pecunia, & auaritia, quæ est idolorum seruitus vt ait Apostolus: in ambitioso honor & celsitudo: in ebrioso vinum: in obscæno amasia: in hæretico proprium iuditium & hæresis ait S. Hieronymus. Hæc enim sunt idola, id est, res variæ & vmbraticæ, quas quisque sibi pro summo bono ac consequenter pro Deo format & in mente fingit, quibus Deum ad zelum & iram prouocat; eiusque indignationem, & pœnas tum præsentes tum æternas sibi accersit.* Et paucis interpositis. *Zelatur Deus pro sua Deitate, nec patitur riualem: quia si plures essent Dei, diuinitas quæ est vna & indiuisibilis, in plures esset diuidenda atque ita diuinitas mutilaretur ac consequenter è mundo tolleretur.* Doctè Prudentius lib. 2. contra Symmachum.

Quàm Deus ægrè ferat creaturarum idololatriam.

PRVDEN.

Tu, me præterito, meditaris numina mille,
Vt me per partes minuas, cui nulla recidi
Pars aut forma potest; quia sum substantia simplex.

13. Hinc consequenter accidit, vt dum vide: Deus nos abuti suis donis & beneficiis, eaque offerre atque consumere in concupiscētiis nostris & hisce famulari, & seruire dæmonibus tanquam tot idolis, ea nobis auferat, nosq́ue inopes inuidosq́; relinquat, iuxta illam Dei comminationem relatam Oseæ c. 2. vbi conquestus de ingratitudine & idololatria Synagogæ sic ait: *Et hæc nesciunt, quia ego dedi ei frumentum, & vinum & oleum, & argentum multiplicaui ei & aurum quæ fecerunt Baal. Idcirco conuertar* (id est aliâ viâ incedam) *& sumam frumentum meum in tempore suo* (nimirum cum eorum vsus maximè videbatur opportunus) *& vinum meum in tempore suo & liberabo lanam meam & linum meum, quo operiebant ignominiam eius. Frumentum à Domino accepimus* (ait Gregor. in 3. part. past. admon. 25.) *quando in dictis obscurioribus, subducto tegmine litteræ per medullam spiritus, legis interna sentimus. Vinum, cum scripturæ suæ alta prædicatione, nos inebriat. Oleum, cum præceptis apertioribus vitam nostram, blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat, cum nobis luce veritatis plena, eloquia subministrat. Auro quoque nos ditat, quādo cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat.* Origenes quoque homil. 2. in Cant. versus finem, docet in scriptura mysticè auro, sensum intellectumque significari, argento verò verbum & eloquia. Cùm igitur mentis acumine atque eloquentia, & rerum cognitione abutimur ad superbiam, & ad opes, atque voluptates, & honores inanes sæculi, neque ea in Dei honorem & in fratrum vtilitatem conuertimus: tunc verè Dei dona offerimus idolis, & ex argento atque auro eius, conficimus Baali simulachra. Origenes loco indicato ita hæc exponit: *Dedi vobis sensum & rationem quâ me Deum & sentire possetis & colere: vos autem sensum & rationem quæ in vobis est ad colenda dæmonia transtulistis* &c.

Quia abutimur Dei donis, iisdem nos priuat.

GREGOR.

ORIGEN.

Quando ex mente, intellectu, & eloquentia faciamus Baali sacrificia.

14. Eodem tendit Dei querimonia apud Ezechielem c. 7. vbi sic ait: *Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulachrorum fecerunt ex eo:* In quem locum D. Hieronymus: *Quæ ego dederam in ornamētum possidentium, atque diuitias, illi verterunt in superbiam, vt de quibus poterant per eleemosynas, & bona opera suam animam liberare, ex illis haberent materiam arrogantiæ.* Vnde subiungit Deus per Ezech. loco cit. *Propter hoc dedi eis illud in immunditiā & dabo illud in manus alienorū, & impijs terræ in prædam, & contaminabunt illud* &c. En habes plurimarum nostrarum tribulationū fontem, nimirum abusum beneficiorū à Deo nobis concessorū, quibus seruimus Baal in contumeliā Creatoris, & dispēdiū propriæ salutis, quod vt impediat

Aufert Deus sua dona, quia illis abutimur.

HIERON.

Christus & ad saniorem mentem nos reducat aufert nobis eadem dona, nostrasque facultates, & omne in quo amor noster malè impendebatur, euertit & dissipat.

Quia non tam vtimur quàm fruimur creaturis, hinc Deus illas tollit à nobis.

15. Facit cum donis nobis concessis Deus, vt ab illicito illorum amore nos auertat, quod fecit pijssimus Rex Ezechias 4. Reg. 18. *Confregit*, ait scriptura, *serpentem aneum quem fecerat Moyses, siquidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum. Vocauitq; nomen eius Nohestan, id est aneum.* Erectus serpens æneus in ligno salutem dabat aspicientibus Israelitis, vt habes Num. 21. ex quo sic manserunt Israelitæ affecti in illam imaginem, vt illi exhibentes honorem, verum Deum obliuioni traderent. Id quod animaduertens nobilis, & pius Rex, vt Israelitas in vnius Dei amorem reduceret æneum serpentē confregit, in minutissimáq; dissecauit fragmenta, vt in illo videntes non viuidum numē, sed æris fragmina, ab eius adoratione supersederent. Similem viam & rationem init nobiscum Deus. Quia tot commoda vtilitatesque recipimus à quibusdam creaturis, illius beneficio nobis ad vsum concessis, illis non tam vtimur quàm fruimur, in illis omnis spes nostra inclinata recumbit ac Deo etiam illa præponimus: hinc easdem Deus nobis aufert, confringit, comminuit, dissipat, vt nihil residui nobis ex illis supersit, sicque noster erga illas affectus & amor refrigescit & interit, nosque ad Deum conuertimus bonorum omnium viuum fontem, cui proinde omnia nostra amoremque nostrum debemus.

Ablatis creaturis, ad Deum conuertimur.

16. Tunc illud contingit quod à Domino indicatum Oseæ c. 2. *In illa die* (nimirū dum videbit se nudatam & spoliatam bonis omnibus Synagoga quæ faciebat Baal) *vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum.* Vnde quæso etiam tanta obliuio. *Quomodo verò*, rogat Theophylactus, *ea nomina exemit, abstulitve?* Respondet autem. *Nimirum dum iniecit eos in tributationes & calamitates.*

THEOPH.

Qualiter homo liberetur à fœda creaturarum & criminum Idololatria.

SECTIO IX.

1. SEd quia hæc via, siue ratio curationis, modusque liberationis, à cultu creaturarum variorumque criminum, nobis durior, & insuauior, ne hâc experiri cogamini, assumite si placet aliam curandi rationem, planè facilem & suauem. Et quęnam illa? Vis scire qualiter teipsum facilè liberaueris, ab omni turpi creaturarum & vitiorum omnium seruitute, & noxio siue damnabili cultu? Vis scire qualiter hoc assequeris, vt non habeas deos alienos coram Domino Deo tuo? Vis scire qualiter in te semper amor creatoris præponderabit omnium creaturarum amori? Inprimis expende, qualia sunt idola illa creaturarum, quæ colis, expende quid sint diuitiæ, honores, & sæculi voluptates quæ tibi pro Deo. Si bene hæc consideres inuenies hæc tria idola non dissimilia ijs quæ antiqui illi Iudęorum adorabant, de quibus sic Ezechiel c. 8. *Et ingressus vidi: & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus Israel, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua.* Quis non miretur ingentem animi paruitatem, & prauitatem horum Iudæorum, dum contempto Deo vero, vilissimas & humi repentes creaturas adorare non erubescunt. Benè inibi Theodoretus, *Præter impietatem, ingens stultitiæ exuperantia: quid enim insanius ijs, qui venenatorum serpentium, & rationis expertium iumentorum adorant imagines? illos enim, vt noxios, & insidiosos, occidere consueuimus: hæc vt nobis seruirent, ac ministrarent Dominus attribuit*, &c. Idem prorsus & tu agis ô Christiane, dum res creatas præponis creatori, dum diuitiæ, dignitates, voluptates, & cætera huiusmodi bona, tibi pro Deo sunt. Quid enim tunc aliud colis quàm tot serpentes noxios, & plenos veneno mortifero? quid aliud adoras quàm insidiosa monstra, quæ sibi seruientes torqueant, & veneno & rabie impleant! horum enim idolorum natura atque ingenium est vt pro cultu & reuerentia quæ tam impensè illis, sui cultores exhibent, lethale ipsa virus molestiarum, sollicitudinum, atque dolorum eis expuant, & in imos cordis recessus inferant.

Si benè inspiciuntur diuitiæ, honores & voluptates, dedignabitur Christianus, taliter ea colere & adorare.

THEOD.

Idola creaturarū maximè noxia cultoribus suis.

Si quid in hisce reptilibus, & serpentibus creaturarum, quæ tibi pro Deo, resplendet atque relucet, vt tibi eo nomine, cultu digna videantur, expende id omne in vilissimum puluerem desinendum: Sunt enim hæc idola creaturarum similia imagini illi siue statuæ quam vidit in somno Nabuchodonosor, cuius quidem caput aureum, sed quæ desinebat in fictiles ac testaceos pedes qui percussi à minimo lapide, comminuuntur, auro, argento, cæterisque omnibus in fauillam inductis. *Ecce imago illa*, ait Richardus à S. Victor. lib. 1. de inferiori hom. part. 1. c. 21. *quæ per visionem cernitur vana permutatione semper in deteriora ducitur, & quæ in somno à pretiosissima materia incipit, per multiplicia detrimenta decurrens,*

In vilissimū puluerem desinunt hæc idola.

Sunt similia statuæ Nabuchodonosor.

RICHAR. VICTOR.

detrimenta decurrens, tandem in vilißimam materiam desinit. quod enim inchoatur in auro, ad vltimum consummatur in lutum. Sic ille. Talis natura, tale ingenium rerum mundialium, quæ tibi pro Deo, fulgurat in eis nescio quid auri, quod etiam perstringit, sapientium oculos, sed in fine duritiam & vilitatem ac fumi sterquilinium ostendunt. Quod de gaudio & lætitia malorum pulchrè Iob annotauit cap. 10. *Nimirum hoc scio à principio ex quo homo positus est super terram, quòd laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ adinstar puncti. Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur,*&c. Idem & de reliquis mundialibus bonis statuendum. Hæc si expendas, si consideres, facilè idola hæc omnia confregeris, facilè reliqueris, facilè super omnia Deum dilexeris.

Sunt similia vitulo illi Samariæ. 3. Audi quid de vitulo illo aureo, à Samaritanis adorari solito, comminetur Deus per Oseam c.8. *In aranearum telis,* ait, *erit vitulus Samariæ, quia ventum seminabunt & turbinem metent. Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam.* Quæ omnia mirum in modum etiam conueniunt rebus illis quæ pro idolis nobis sunt. Vt enim vitulus ille Samariæ splendidus erat, & vt ait D. Hieron. in hunc locum, pro pretij magnitudine, quia aureus erat, à populo adorabatur. Similiter & creaturæ illæ quæ nobis pro dijs, mirum præ se ferunt splendorem ac vibrantem lucem, exteriùs nitida, florentia, aureaque videntur, tumidissimam & superbissimam faciem ostentant, quibus miserorum oculos fallant. Vnde legunt LXX. *Quia seducens erat vitulus tuus Samaria.* Verùm vis scire quid interiùs sint, & in quem desinent finem? Sunt aranearum telæ. Hieronymus in hunc locum scribit se à quodam Hebræo didicisse vocem *Sababim*, pro qua noster posuit *Aranearum telas*, propriè significare aranearum fila, per aerem volitantia: quæ dum videntur, intereunt & in atomos atque nihilum dissoluuntur. En quanta, Christiane, idolorum tuorum vanitas atque futilitas. Quod amplius quos aranearum telas dixerat, ait Hieronymus, comparat vento & turbini, culmisque non stantibus; & si steterint farinam non habentibus, & si farinam fecerit ab aliis deuorabitur. En idolorum nostrorum veræ imagines, vera symbola, venti sunt, turbines sunt. *Qui rebus huius sæculi inhæret,* ait Fulgentius epist. 6. ad Theodor. *vento inhæret, formidinem ac contumeliam captat.* Culmis stantibus & promittentibus saturitatem videntur similes, quas magni facimus & pro Deo habemus creaturas. Sed non est in eis germen, non faciunt farinam, oculos tantùm non animum pascunt, famelicos animos & vacua hominum pectora nequaquam reficiunt vel satiant. Inanidæ sunt aristæ, nullo cibi victusque vsui aptæ. Vnde accommodatè legunt LXX: *Manipulus non habens vires, vt faciat farinam*, vt insinuent idola nihil aliud esse quàm aranearum telæ, quàm inanes vmbræ, in quibus nullus reperitur fructus qui expleat animum hominis. Hæc si Christianus perpendat animo, facilè eundem abducent à fœda creaturarum idololatria & noxio cultu.

Sunt aranearum telæ.

Hieron.

Sunt venti, turbines.

Fulgen.

Sunt culmi qui non faciunt farinam.

LXX.

4. Quinetiam de omnibus sæculi idolis, dicere possumus, quod de vitulo illo Samariæ eodem cap. 8. dicit Oseas: *Proiectus est vitulus tuus Samaria.* Ad quæ verba benè monent antiquiores Hebræi, vt animaduertit Antonius Velazques tomo 2. in epist. ad Philipp. cap. 3. vers. 8. adnot. 7. & ab ipsis, Arias Montanus, & alij, verbum *Proiectus est*, in Hebræo esse in actiua significatione, ac proinde legendum esse cum Pagnino: *Deliquit te vitulus tuus*, siue significatiùs cum P. Abraham, *Proiecit te vitulus tuus ô Samaria & abominatus est te.* Egregia quidem atque eleganti sententia, cum allusione ad feri vituli, siue tauri præferocis ingenium, qui cæco impetu quem sibi proximiorem inuenit, prosternit atque interficit, innuens vates, sæculi idola illosmet qui illa colunt & adorant, à se longiùs proijcere, & in casum mortemque prosternere, vixque eos vitulum suum siue idolum, in basi sua ad cultum & adorationem collocare, cùm ille vtroque illos cornu feriens, in præcipitium dederit. Quàm omnino ad rem Seneca epist. 8. de florenti magnorum virorum fortunâ agens inquit: *In præcipitio cursus iste deducit. Huius eminentis vitæ exitus cadere est.*

Anton. Velazq.

Idola creaturarum in mortem præcipitonis suos cultores.

Seneca.

5. Legimus de Moyse Exodi 32. *Arripiensque vitulum quem fecerant, combusit & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.* Quò precor hæc omnia spectabant? An non sufficiebat vitulum flammis tradi? Quid opus eumdem & vsque ad puluerem conterere? quid opus in aquam spargere? quid opus eundem potui Israelitarum permiscere? nimirum vt hac ratione ad oculum viderent Israelitæ quàm hic vitulus, de quo antea affirmarant, *hi sunt dij tui Israel*, erat fragilis, infirmus, & planè impotens ad saluandum, quàmque stultè eumdem in Deum elegissent qui sibi, quò minus hæc de illo fierent, nullo poterat esse præsidio, sicque perpensâ propriâ vesaniâ, puderet idololatriæ & fiduciæ in illo collocatæ, sese ex animo ad Deum conuertentes, & omnem spem in illo reponentes. Similiter accidit Christiano dum pensiculatiùs cogitat creaturarum, quas amat, infirmitatem & inconstantiam, dum per considerationem, finem & exitum earum expendens in puluerem quasi redigit, tunc illis neglectis & contemptis facilè ad Deum conuertitur.

Cognita creaturarũ vanitate & infirmitate, facilè illas contemnimus.

Animaduersa idolorum vanitate, illis insedēdum cū Rachele.

6. Animaduersa autem, idolorum horum omnium vanitate, futilitate, falsitate & abiectione, cum Rachele nobis illis insedēdum. Legimus enim de illa Genes. 31. *Cùmque intrasset Laban tentorium Rachelis, illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli & sedit desuper: scrutantique omne tentorium & nihil inuenienti, ait: ne irascatur Dominus meus quod coram te assurgere nequeo: quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi, sic delusa solicitudo quærentis est.* Tunc autem hisce idolis insedemus dum ea pœnitendo tegimus & damnamus. Accipe D.

GREGOR. Gregor. 30. mor. 31. hæc omnia ad tropologiam sic transferentem: *Potest, ait, per Laban, mundus hic exprimi, qui cum furore Iacob persequitur, qui electos quosque, qui redemptoris nostri membra sunt, persequendo opprimere conatur. Huius filiam, id est, siue mundi, siue diaboli Iacob abstulit, cum sibi Christus Ecclesiam ex gentilitate coniunxit, quam & de domo patris abstrahit, quia ei per Prophetam dicit:*

Ps. 44. *Obliuiscere populum tuum & domum patris tui. Quid verò in idolis nisi auaritia designatur? Vnde per Paulum dicitur: Et auaritia quæ est idolorum seruitus.*

Coloss. 3. *Laban ergo veniens apud Iacob idola non inuenit: quia ostensis mundi thesauris, diabolus, in redemptione nostra vestigia concupiscentiæ terrenæ non reperit. Sed quæ Iacob non habuit ea Rachel sedendo cooperuit: Per Rachel quippe, quæ & ouis dicitur, Ecclesia figuratur. Sedere autem est humilitatem pœnitentiæ appetere sicut scriptum est: Surgite postquam*

Ps. 126. *sederitis: Rachel ergo idola sedendo operuit: quia sancta Ecclesia Christum sequens terrenæ concupiscentiæ vitia pœnitendo texit. De hac coopertione vitiorum per Psalmistam dicitur: Beati*

Ps. 31. *quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Nos igitur Rachel illa signauit qui idola sedendo premimus, si culpas auaritiæ pœnitendo damnamus. Quæ vtique auaritia illis non solet euenire qui in via Domini viriliter currunt, quibus dicitur: viriliter agite & auertetur*

Ps. 30. *cor vestrum, sed his maximè qui quasi effœminato gressu gradiētes per blandimenta sæculi resoluuntur: Vnde & illic eiusdē Rachelis hæc verba sunt, iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi. Apud Iacob ergo idola Laban non reperit: quia exactor callidus quid in Redemptore nostro reprehenderet, non inuenit:* sic Diuus Gregorius, qui quod de idolo auaritiæ scribit, intelligendum etiam de aliorum vitiorum idolis.

Sub terebintho crucis sepeliēda omnia vitiorum idola.

7. De Iacobo legimus Genes. 35. quòd, *Conuocata omni domo sua, ait: Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant & inaures, quæ erant in auribus eorum: At ille suffodit eos subter Terebinthum, quæ est post vrbem Sichem.*

HVGO CARD. In quæ verba sic Hugo Cardin. *Per terebinthum intelligitur Crux, iuxta illud* Eccli. 24. *Ego quasi Terebinthus extendi ramos meos. Dicitur quod resina terebinthi optima est, id est, pœnitentia facta in memoria & fide crucis Christi salutifera est. Sub terebintho igitur abscondit Iacob idola, quia Christus per virtutem crucis, deleuit peccata. Et quilibet sub terebintho abscondit idola, qui pœnitentiam agit in fide & memoria Crucis de peccatis suis, per vrbem Sichem significatur mundus. Vnde signanter dicitur: Post vrbem Sichem esse Terebinthus, quia mundani Christi cruci vertunt dorsum.* Sic ille.

8. Notandum non Iacobum leuiter & superficie tenus infodisse terræ, & quasi in abscondito solùm posuisse idola cum inauribus, sed valdè profundè omnia infodit terræ. Sic peccatorum nostrorum idola non solùm in abscondito ponēda, sed profundè infodienda per veram pœnitentiam & in perpetuum consepeliēda, in æternum non viuida reddenda & resurrectura. Nosti quinam illi, qui solùm leuiter idola sua terræ mandant & infodiunt, & quasi solummodo eadem terrâ velant & abscondunt, qui tempore quadragesimali confitentur quidem peccata sua & externam quandam præ se ferunt pœnitentiam, sed paulò pòst ad eadem iterum reuertuntur. De hisce sic Saluian. Massil. lib. 4. de Prouidentia. *Talia fermè omnia agunt vt eos non tam putes, antea pœnitentiam criminum egisse, quàm postea ipsius pœnitentiæ pœnitere: nec tam prius pœnituisse, quod malè vixerant, quàm postea, quòd se promiserint benè victuros.* Sic ille.

Idola vitiorum profundè infodienda, per pœnitentiam.

SALVIAN.

9. In hisce facit fulmen hoc maledictionis Deus Deut. 27. *Maledictus homo qui facit sculptile, & conflatile, ponitque illud in abscondito.* Non enim sufficit idola abscondere, siue velare, sed profundiùs infodienda, & taliter terræ molibus obruenda, ita vt nunquam reuiuiscant. Sic illa suffodit Iacob, neque superficie tenus solùm abscondit. In quam rem sic pulcherrimè Nilus in Adscetico. *Illud* (nimirum facinus Iacob) *laudabile, hoc* (nimirum solùm velare & abscondere peccatorum idola) *vitiosum & execrandum. Maledictus, inquit, qui ponit idola in abscondito. Neque enim idem est, in terra defodere in perpetuum, & in abscondito ponere. Nam quod in terra defossum est, & à sensu remotum, tempore ipso deletur etiam ex memoria. At quod in abscondito positum est, eos fortassis, qui foris sunt, latet, sed cùm ab eo, qui posuit assiduè cernatur, memoriam sui renouat, & circumfert. Omnis enim turpis cogitatio, quæ in animo figitur, sculptile est absconditum, quod pudor vetat in medium proferre. Periculosum igitur est, ponere simulachrum in abscondito.* Sic ille.

Obruenda sunt, vt nūquam reuiuiscant.

NILVS.

Quidā solùm in abscondito ponunt hæc idola, & ideo maledicti.

10. Dignum autē animaduersione, quòd Iacob non solùm infoderit & absconderit idola, sed etiam inaures, in quibus fortassis idolorum depictæ aliquæ imagines siue characteres. Quid hoc sibi vult? nimirum, quòd illa vera est pœnitentia, quæ non solùm ipsa peccata ablegat, verùm & omne id quod peccati memoriam refricare posset, & ad illud redeundi posset aliquam vel viam vel rationem suggerere, si reseruassent

Infodiendæ etiam inaures, id est, omnes redeundi ad antiqua peccata occasiones.

sent

sent sibi inaures illas, facilè de idolis incidisset mentio, & dum illis adhuc verba faciunt illorumque laudes audiunt, ab idolorum memoria, ad ipsorum amorem fuissent allecti, & vulnera malè sana sic potuissent recrudescere, & in peius abire. Sic sanè id expendit B. Bruno in allegorijs Gotfridi Tilman. ad cap. 35. Genes. *Iacob,* ait, *& deos, & inaures terra infodit, vt & mortui intelligantur, & ad homines decipiendos, vlteriùs non appareant. Sed quare inaures cum eis infodit, nisi vt nemo vlteriùs in eorum memoria aures hominum sollicitare præsumat? Sunt enim inaures aurium ornamenta, pro quibus auditus intelligitur, aures enim, quæ non audiunt, ornatæ non sunt: Sic igitur Iacob domesticorum suorum aures circumcidens ad eorum laudes audiendas surdas, & sine auditu esse volebat.* Sic ille.

BRVNO.

BASILIVS. Ablegando omnia, quæ possent refricare memoriam veterum, delictorum.

10. Hinc conuenienter sic monet D. Basilius in constitut. monasticis cap. 4. *Non elaborandum,* inquit, *in moderandis animi motionibus, & corporis affectionibus tantùm, sed quoad fieri possit, ab earum etiam rerum congressu longißimè fugiendum est cum primis, quæcumque in conspectum nostrum adductæ, refricatâ libidinum memoriâ consilium rationisque vim nobis perturbant, atque confundunt, bellaque, & sollicites in animo angores cient.* Hæc S. Basil.

BERNAR. Nihil amore faciliùs recrudescit.

11. Concinit D. Bernardus libro de vita solitaria ad fratres de monte Dei, *Exclude,* ait, *etiam ab oculis exterioribus, quod desueuisti videre; ab interioribus quod amare, quia nihil tam facilè recrudescit, quàm amor, & maximè in tenerioribus & recentioribus animis.* Sic ille.

O quàm paucos habet mundus, qui omnia Idola, nullo relicto, sepeliunt sub terebintho Crucis. Vis scire quid plurimis accidat Christianis? Idem quod Michæ, de quo legimus Iudic. c. 17. Quòd mater eius tulerit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ. Qui ædiculam quoque in ea Deo separauit, & fecit Ephod, & Theraphim, id est, vestem Sacerdotalem & Idola. Quod amplius. Pactum inijt cum quodam Leuita, vt apud eum maneret, & Sacerdotis illi loco esset, spondens se illi mercedis nomine daturum, decem argenteos, ac vestem duplicem, & quæ ad victum sunt necessaria. Ita vt acquieuerit & manserit apud hominem, fueritque illi sicut vnus ex filijs. Gaudensque dixit Michas: Nunc scio quòd benefaciet mihi Deus, habenti Leuitici generis Sacerdotem, quem nimirum pane & vino meo sustento & argento meo, de vestimentis prouideo. Verùm infelix, toto errabat cælo. Nam primò, illi abijciendum Idolum, vt quod expendebat in Dei ministrum, proficeret animæ. O quot hic Michas habet in mundo discipulos! Quot homines reperias diuites atque potentes, qui secura n degunt vitam, sperantes Deum non sibi defuturum in suis necessitatibus, ac præsertim in vltimo vitæ periodo, quia varijs beneficijs cumulant aliquos religiosos, quos putant suis apud Deum precibus, omnia sibi ad salutem necessaria, obtenturos. Interim apud se retinentes Idolum aliquod, hic luxuriam, ille gulam, alter superbiam, alius concubinam, &c. Quot reperias, qui, quia pupillis & viduis benefaciunt, putant omnia sibi fore salua, interim in corde colentes pro Idolo, iram, odium, vindictæ appetitum. Quot reperias qui putant se saluandos, quia Missam quotidie audiunt, quia rosarium legunt, interim vacantes detractionibus, susurrationibus, comessationibus, compotationibus? O infaustum genus hominum! De numero autem eorum sunt, de quibus ait Dauid Psalm. 77. *Dilexerunt eum in ore suo, & linguâ suâ mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius.* Quadrat illis illud Psalm. 72. *Transierunt in affectum cordis,* quasi dicat: Obsecuti sunt malis cordis sui desiderijs & affectionibus: Hebræa legunt: *Consumpserunt vitam suam seruiendo idolis ex corde,* nimirum dantes Deo sola labia. Nam vt ait D. Paulus ad Tit. 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

12. In Idola peccatorum taliter excandescere debemus, & sancto obarmari odio sicut Moyses excanduit in vitulum illum aureum à populo adoratum. Legimus de illo Exodi 32. *Arripiensque vitulum quem fecerant, combussit & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.* Sic & tu Christiane, ad puluerem vsque destrue per veram & non fucatam pœnitentiam idola peccatorum tuorum. In æternum illorum memoriam ad eadem reiteranda nequaquam suscipias, alta maneant in perpetuum obliuione sepulta. Sepeliunt vitulum aureum Moyses, quasi in ipsis visceribus Israelitarum dum illius cinerem permiscuit aquæ ab eis potandæ, vt hac obseruantiâ & cęremoniâ obtestaretur idolum hoc perpetuæ obliuioni tradendum. Quid enim homine ipso obliuiosius? Hinc enim Hebraicè dicitur *Enos,* id est obliuiosus, dum ergo vult illud in visceribus hominum sepeliri, vult illud in profundo & obliuionis quodam abysso demergi, obrui, sepeliri. Fac & tu similiter.

Ad puluerem vsque destruenda idola vitiorum.

Debet obliuionis perpetuæ abysso immergi.

13. Hinc rationem & modum auferendi peccata legimus apud Isaiam cap. 27. *Idcircò super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, & iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius. Cùm posuerit omnes lapides altaris, sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci & delubra.* In quæ verba sic Adamus Sasbout: *Quasi dicat: Qui vobis male*

Sic auferenda idola vt nullũ maneat vestigium.

ADAMVS SASBOVT.

malè conscij estis, qui timetis diem iudicij, qui effugere vultu malum istud magnum, quod minatur Dominus, audite me, monstrabo vobis remedium, quod vnum vos tutos reddere potest, & est istud, Abijcite idololatriam. Iam consuetudine scripturarum latius istud patere oportet, quàm ad idola manu fabricata: diceret enim Iudæus, iam nemo nostrûm habet idola & lucos. Vnde idola sunt non solùm quæ videntur, sed etiam quæ non videntur, quæ facimus in animo, similiter & luci. Quod ergò dicit Propheta tale est: Quicumque euadere vultis istud malum, abijcite tempestiuè ex animo auaritiam, cupiditatem, libidinem, odium & cætera vitia, antequam vos dies illa comprehendat. Quod ergo ait: Super hoc dimittetur iniquitas, idem valet ac si diceret: Hac re fiet vt dimittatur iniquitas vestra. Similis phrasis est 1. Reg. 11. *in hoc feriam fœdus vobiscũ vt eruam omnium vestrûm oculos, id est, hac re, sic & apud* Ioan.16. *Ioannem, in hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis. Cùm posuerint omnes lapides altaris,* &c. *hoc vult Propheta vt auferant idola, altaria, & lucos, & sic auferant, vt non remaneat vel vllum vestigium, vt penitus auferant & demoliantur. Hoc est quod ait, sicut lapides cineris allisos.* Sic Adamus. Ecce qualiter de peccatis agenda pœnitentia, non sufficit aras euertere, & destruere, sed euersi altaris & idoli lapides etiam comminui & in cinerem redigi debent, ne reuiuiscant. Vnde pro illis verbis: *Non stabunt luci & delubra.* Tygurina vertit: *Ita vt non resurgant luci & imagines.* Sanè & cinis à Plinio lib. 37. c. 27. res damnata & nulla appellatur, & ab Esdra lib. 2. c. 4. vt exprimatur id quod nullo pacto fieri queat, dicitur: *Nunquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris qui combusti sunt?* Ergo, inquit Isaias, eam perfectam pœnitentiam censeri quæ peccata sic delere & destruere conatur, vt nihil omnino illorum supersit; sed ab animo ita excedunt vt nullus eorum sapor, odor, color, siue vestigium maneat: Secus verò firmam & stabilem non esse.

Tygvrina. Plinivs.

Quando stabilis futura pœnitentia.

14. In prædictis autem Isaiæ verbis expendendum quòd dicat: *Cùm posuerit omnes lapides altaris, sicut lapides cineris allisos.* Quibus verbis significatur omnia delubra, omnes aras, omnes lucos, omnia idola esse ad puluerem vsque comminuenda, ita vt nullum, ne vel vnum quidem superstes remaneat, vno enim solo permanente idolo, cætera omnia facili succedent negotio. Primum idolum dedicauit Belus Babyloniæ fundator, & infinita postea per orbem pullularunt. Vnicum vitulum aureum dedicauerat populus Israel, & tamen vt legimus Exod. 32. quasi de pluribus clamans ait, *hi sunt dij tui Israel.* Qui ad vnum rapitur idolum & ad plurima alia facilè incurrabit. Hinc videmus eosdem Israelitas ex quo vnum adorauerunt vitulum, omnium posteà nationum coluisse idola, iuxta illud 4. Reg. 17. *Ambulauerunt iuxta ritum gentium quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel.* Et eodem cap. legimus eos adorasse vniuersam militiam cæli. Confringenda ergo omnia idola tanquam lapides cineris, nullum in animo nostro maneat residuum idolum. Si vnum peccatum mortale admiseris facilè ad multa alia traheris & rapieris: Sicut è contrario vno viriliter & fortiter expugnato, facilè alia corruunt & deficiunt, vt patet in statua illa aurea quam erexit Nabuchodonosor, quæ in pedibus percussa corruit & in cinerem est redacta. *Abscissus est lapis de monte sine manibus & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus & comminuit eos; Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam.* Pedes percussit lapis & omnia contrita sunt: Si enim Christi gratiâ vnum vitium fortiter concutiamus à nobisque expellamus, multa alia contrita cadent.

Omnia vitiorũ idola destruenda nullo excepto.

Vnum idolum peccati, mox adducit aliud.

Vnó vitio fortiter superato, alia omnia facilè superantur.

15. Vis videre aliquem verè pœnitentem qui lapides altaris atque idolorum suorum spiritualium ponit, sicut lapides cineris allisos? Dauidem considera, sic enim ipse de bello quod pristinis peccatis indesinenter inferre moliebatur Ps. 17. *Persequar omnes inimicos meos & comprehendam illos & non conuertar donec deficiant. Confringam illos nec poterunt stare: Cadent subtus pedes meos. Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.* In quæ verba Diuus Augustinus. *Persequar,* inquit, *affectus carnales meos nec ab eis comprehendar, sed comprehendam illos vt absumantur.* Expende ea: *Confringam illos, nec poterunt stare*, quæ eadem sunt cum illis Isaiæ: *Cùm posuit lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci & delubra.*

Qualiter absumpserit Dauid peccata, & affectus carnales.

Avgvst.

16. Quando Dauid vt legimus 2. Reg. 23. desiderabat aquam illam ex cisterna quæ est in Bethleem iuxta portam & illi eadem esset allata, dicit scriptura, quòd noluerit eam bibere, sed libauit eam. Si tantopere desiderauit hanc aquam, cur non bibit eam, sed Domino libat? Quia in illius aquæ desiderio animaduertebat aliquid reuixisse de antiqua illa concupiscentia, quâ exarsit in vxorem Vriæ, quodque illum in grauiora posset adducere discrimina, nisi mox internecioni traderetur. Accommodatè hac de re sic Angelomus. *Cuncti, ait, nouimus quòd Dauid concupiscentiæ mucrone transfixus alienam coniugem appetiuit & abstulit, cuius culpam digna verbera sunt secuta, & malum quod perpetrauit per pœnitentiæ lamenta corripit. Qui cùm longè pòst contra hostium sederet exercitum, aquam bibere ex eorum cisterna ex desiderio voluit. Sed vir flagellis eruditus semetipsum protinus cum periculo militum aquam desiderasse deprehendit, eamq; Domino fundens*

Qualiter Dauid cauerit, ne aliquid reuiuisceret de antiqua cõcupiscentia.

Angelomvs.

fundens libauit &c. sic ille. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuit, pòst etiam quia aquam concupierat, expauit.

Quanta fælicitas eius, in quo ad nihilum redactæ imagines peccatorum.

17. Fælices qui sic sepeliunt, infodiunt, euertunt, & comminuunt per veram pœnitentiam idola peccatorum suorum, illud enim diuinâ gratiâ assequuntur vt dicere possint cum Dauide Psalm. 72. *Velut somnium surgentium Domine. In ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, quasi dicat Dauid. Nos ciuitas tua sumus, O Deus meus, ciuitas antea solitaria, nunc si ad Iustitiam rediuimus, beneficio tuo, plena populo: antea quasi vidua, nunc desponsata tibi & facta domina gentium: antea sub tributo, nunc eorum quibus tributa pendebat princeps effecta est. Et quare princeps, nisi quia tu Domine non solùm substantiam, verùm & imaginem illorum vitiorum quæ dominabantur ei, ad nihilum redegisti, & non aliter quàm leue somnium, eorum qui expergiscuntur, ablegasti?

Infælices apud quos in morte inueniuntur idola peccatorum.

18. Infælices autem prorsus apud quos in morte idola hæc inueniuntur. Hi enim non temporaneæ sed æternæ internecioni tradendi, iuxta illud Iacobi ad Laban Genes. 31. *Apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* In quæ verba sic Hugo Card. *Idola Laban, sunt auaritia, luxuria, superbia. De his dicitur* 3. Reg. 11. *Deprauatum est cor Salomonis per mulieres vt sequeretur deos alienos, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid Patris eius, sed colebat Salomon Astharthem, Deam Sidoniorum. ecce auaritiam. Sidon enim interpretatur venatio tristitiæ, & Astharthem, factura superflua. Et auari quantò ampliùs superflua venantur, tantò ampliorem tristitiam sibi accumulant.* Iacob. 5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris. Et Chamos Deum Moabitarum, ecce superbia. Moab enim interpretatur, ex Patre, & significat diabolum qui est rex super vniuersos filios superbiæ.* Iob 41. *Chamos interpretatur quasi attrectans, & superbus quasi attrectando omnia sibi subiugare conatur.* Is. 16. *Audiuimus superbiam Moab superbus est valde. Superbia eius & arrogantia eius & indignatio eius plusquam fortitudo eius. Et Moloch idolum Ammonitarum. ecce luxuria. Ammon enim interpretatur populus turbidus & significat luxuriosos, qui sunt populus turbidus & obscurus. In talibus enim* (vt dicit Augustinus) *lumen rationis absorbetur in opere. Apud quemcumque igitur hæc idola reperientur, necabitur coram fratribus, id est coram Angelis & hominibus in iudicio condemnabitur.* Sic Hugo.

Hvgo Card.

Necabũtur in die iudicij, coram fratribus.

Quòd idololatria creaturarum & criminum disponat ad hæresim.

SECTIO X.

1. TAntò autem nobis magis vigilandum vt caueamus prædictum creaturarum, criminum, & malorum spirituum idololatriam, quantò hæc abundantiùs nos disponit ad aliam idololatriam præcedentibus omnibus magis damnosam, & exitiosam. Et quænam illa? non alia quàm hæresis, & prauorum dogmatum assertio. Solet enim hæc passim à Patribus idololatriæ cultusque falsorum deorum nominari. hinc D. Cyprianus. lib. de vnit. Eccles. docet, gentilitate, ac idololatriâ, Christi aduentu, ac Apostolorum prædicatione detectâ ac prostratâ, diabolum alia idola aliosque deos excogitasse, nimirum vt ipse ait, *hæreses & schismata, quibus rectam fidem subuerteret, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem.*

Hæreses idola.

Cyprianvs.

2. D. Hieronymus enarrans locum illum Isaiæ c. 2. *Repleta est terra idolis*: Idola interpretatur dogmata veritati contraria. Idem scribens in illa verba Amos c. 3. *Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius.* Verba hæc de hæreticis turpiter insanientibus interpretatur. *Videte,* ait, *insanias multas dum vnusquisque fingit quod voluerit & adorat figmentum suum.* Idem exponens illud Oseæ c. 8. *Proiectus est vitulus tuus Samaria*: eadem verba, cum sequentibus, accommodat hæreticis & hæresibus, quas aranearum comparat telis, vento, & turbine, culmisque non stantibus, nec farinam habentibus. Idem Doctor explicans illa verba Zachariæ c. 13. *Disperdam nomina idolorum de terra*: non solùm illa dicit his verbis idola significari, de quibus in Psal. 113. *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum*: verùm etiam illa de quibus Apostolus 1. Timot. 4. *Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus seductoribus & doctrinis dæmoniorum. Sicut enim,* inquit, *idola fiunt manu artificis, ita hæreticorum peruersa doctrina quodcumque simulauerit vertit in idolum & facit pro Christo adorari Antichristum.*

Hieron. Idola, dogmata veritati contraria.

3. D. Augustinus quoque de vera relig. c. 39. posteaquam de simulachris manu factis pleraque dixerat: *Est,* inquit, *alius deterior & miserior cultus simulachrorum,* quo phantasmata sua coluut & quidquid animo errante cum superbia & timore cogitando imagina-

Avgvst. Hæreticorum phantasmata idola.

imaginati fuerint, religionis nomine obseruant. De cuius generis phantasmatibus etiam Augustinus q. 29. in Iosue, illum Iosue 23. locum exponit: *Auferte deos alienos de medio vestri & inclinate corda vestra ad Dominum Deum vestrum.* Itidem & illum Ezechielis locum: *De auro & argento meo fecisti tibi imagines: Ad imagines,* inquit, *phantasmatum suorum cum quibus volutari anima carnalis delectatur, conuertit omnia sacramenta & verba Sanctorum librorum. Nec tamen quia illæ imagines falsæ sunt, propterea & illa sacramenta & illa diuina eloquia sic exhonoranda sunt vt illorum esse putentur, cum Dominus dicat: De auro meo & argento meo.* Sic ille.

Cur Deus permittat exoriri hæreses.

4. Permittit autem Deus vt similium idolorum, id est prauorum dogmatum reperiantur artifices, quales omnes falsi prophetæ & hæresiarchæ, vt sicut loquitur D. Paulus 1. Cor. 11. *Qui probati sunt manifesti fiant,* id est, vt vnusquisque quàm tenax & fidelis & fixus Catholicæ fidei sit amator appareat. *Et reuerà,* inquit Vincentius Lirmensis, *cum quæque nouitas ebullit statim cernitur grauitas frumentorum & palearum leuitas. Tunc sine magno molimine excutitur ab area quod nullo pondere intra aream tenebatur.* Huc etiam referri potest quod legimus Deuter. 13. *Si surrexerit in medio tui propheta & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: eamus & sequamur deos alienos quos ignoras: non audies verba prophetæ illius,* quia tentat vos Dominus Deus vester & palam fiat vtrum diligatis eum an non in toto corde, & in tota anima vestra. Quo loco per deos alienos idem Vincentius extraneos errores dicit significari, nouos quosdam & inauditos, quos propterea spargi nonnunquam patitur Deus vt probet constantiam nostram in se diligendo & vero illius cultui adhærendo.

VINCEN. LIRMEN.

Nimius amor dignitatum ad hæreses trahit.

5. Per deordinatum creaturarum amorem hominem ad hanc idololatriam delabi perspicuum omnibus. Nimius dignitatum & graduum amor qualiter plurimos constituerit hæreticos & proprij sensus idololatras sic docet Cardinalis Bellarminus in libello de signis Ecclesiæ conc. 9. *Quis princeps fuit omniũ hæreticorum? Si Egesippo & Eusebio credimus Thebulus fuit. At is vt ex Egesippo refert Eusebius, ideo hæresim excogitauit & Ecclesiam vsque ad illa tempora virginem corrumpere tentauit quod in petitione Episcopatus repulsam passus est. Superbia igitur atque ambitio initium hæresibus dedit. Quis fuit deinde secundus? Simon Magus. At is pecunijs emere voluit Pontificiam authoritatem spiritum communicandi: cum ei hoc non successisset hæresim fabricauit. Quis tertius? Valentinus. At eum egressũ de Ecclesia & hæresiarcham factum quòd alium vidisset adeptũ Episcopatum quem ipse ambiebat, testatur Tertullianus, in libro quem aduersus huius Valentini hæresim conscripsit. Quis quartus? Marthion pontificius. At is propter stuprum Virgini oblatum ab Ecclesia communione præcisus, Romamq; profectus non solùm absolutionem petijt sed etiam præfecturam Ecclesiasticam ambiuit quam cum non impetrasset Romanis presbyteris indignabũdus ait, ibo igitur & Ecclesiam vestram scindam. Atque ab eo tempore hæresim suam pestilentissimam & pernitiosissimam disseminare cœpit. Rem ita se habere partim ex Tertulliano de præscript. aduersus hæreticos, partim ex Epiphanio in hæresi Marchionis facilè cognosci potest. Quis fuit quintus? Montanus. At eum refert Theodoretus lib. 3. de fabulis hæret. sola cupiditate primum locum obtinendi hæresim suam condidisse. Quis fuit sextus? Nouatianus. At eum maximo desiderio Romanum Episcopatum flagrasse, & cum eum adipisci non potuisset, simul hæresim & schisma in Ecclesiam induxisse, refert Eusebius ex epistola quadam B. Cornelij lib. 6. histor. Eccles. Quis septimus? Arius. At is quoque authore Theodoret. initio lib. 4. de fabulis hæret. inuidentiæ stimulis agitatus, quod S. Alexandrum compresbyterum suum ad Episcopatum euectum, & sibi prælatum videret, occasionem accepit de Ecclesia recedendi. Quis octauus? Macedonius. At is nonne eò quòd Episcopatu Constantinopolitano priuatus fuisset, vt iniuriam suam vlcisceretur nouam hæresim excogitauit? Quis nonus? Nestorius. At eum quis ignorat quanta simulatione & hypocrisi Episcopatum Constantinopolitanum ambierit. Refert enim Theodoretus lib. 4. fabul. hæret. eum multos annos, & colore vestium & pallore vultus, & verborum compositorum artificio, & omnis sanctitatis simulatione, se in animos & beneuolentiam vulgi, in eum finem insinuasse. Quis decimus? Martinus Lutherus auctor & parens omnium hæreticorum nostri temporis. At is nonne in Lipsica disputatione vocem illam emisit: Se nec propter Deum incepisse, nec propter Deum cessaturum? Quid clarius? quid apertius? quid illustrius? Deinde in epistola illa notissima ad Argentinenses, nonne disertè affirmat se non Christi amore, sed Papæ odio inflammatum tragœdiam illam suam excitasse? vnde verò odiũ illud primò conceperit omnibus notum est, nimirum ex ambitione & auaritia. Quod enim munus publicandarũ indulgentiarũ, vnde monasterium eius honorem & lucrum referebat, ab eo ad Prædicatores translatum fuisset, ideo Lutherus iniuriæ & iacturæ illius impatiẽs cõtra indulgentias primũ, deinde contra Pontificem, postremò contra fidem & omnia Christiana dogmata scribere, & prædicare cœpit.* Hactenus Bellarminus.

BELLAR.

EVSEB. Lib. 4. hist. c. 21.

Nimius diuitiarum amor ad hæreses ducit.

6. Quanta etiam auri & argenti cupiditate flagrent hæretici patet ex veterum historijs. In hoc enim toti sunt vt sacra rapiant vasa, spolient altaria, diripiant templa. Athanasius in historia de vita & gestis magni Antonij locutus de Arianis, sic ait: *Post annos duos sæua Arianorum irrupit insania: tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus sacra polluta sunt mysteria.* Sic ille. Audite quid S. Victor initio libri primi de Wandalica persecutione de ijsdem Arianis dicat. *In Ecclesijs,* inquit, *basilicisq; & cœmeterijs ac monasterijs sceleratiùs sæuiebant.*

ATHAN.

VICTOR.

bant. Quanti tunc ab eis præclari Pontifices & nobiles Sacerdotes, diuersis pœnarum generibus extincti sunt, vt traderent si quid auri vel argenti proprium, vel ecclesiasticum proprium haberent. Vt dum hæc, quæ erant, vigentibus pœnis faciliùs proderentur, iterùm crudelibus tormentis oblatores vrgebant: autumantes quandam partem, non totum esse oblatum: vt quantò amplius dabant, tantò amplius quempiam habere credebant. Alijs palorum vectibus ora reserantes fœtidum cœnum, ob confessionem pecuniæ faucibus ingerebant, nonnullos in frontibus & tibijs, neruis remugientibus torquendo cruciabant. Plerisque aquam marinam, alijs acetum, amurcam, liquamenq́, & alia multa, atque crudelia sine misericordia porrigebant. Sic ille.

OPTATVS. S. Optatus lib. 6. contra Parmenianum de impietate Donatistarum sic scribit: *Quid est altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi? hæc omnia furor hic aut rasit, aut fregit, aut remouit. Atque hoc immane facinus geminatum est dum fregistis & calices sanguinis Christi portitores, quorum species reuocatis in massas, mercem nefarijs nundinis procurantes* &c. De iisdem Donatistis sic D. Augustinus epist. 50. ad Bonifacium Comitem. AVGVST. *Taceo*, inquit, *crudelissimas cædes & domorum deprædationes per nocturnas aggressiones & incendia non solùm priuatorum habitaculorum, sed etiam Ecclesiarum, in quas flammas non defuerunt qui etiam codices dominicos mitterent* &c. Quę votorum hæreticorũ auri argentique auiditas, eadem & communis nostri temporis hæreticis.

Gula mater hæresis. 7. Quantoperè etiam hæretici ventri sint addicti constat ex illo D. Hieronymi in comm. super c. 3. Ieremiæ. *Nulla hæresis*, ait, *nisi propter gulam ventremq́ construitur.*

Voluptas carnalis mater hæresis. 8. Voluptatibus carnalibus quàm addicti hęretici docet experientia. A Luthero incipiamus. Hic monachus apostata fuit & incœstis nuptijs, se contaminauit, illius dogmata erant: *Si non vult vxor veniat ancilla.* Item, *non magis à copula carnali quàm à sputo eijciendo abstinere virum posse.* Ab epistola Pauli abstulit illa verba. *Vt abstineatis vos à fornicatione*, & meritò sanè, nimis enim apertè pugnabant cum supradictis dogmatibus, *Si non vult vxor, veniat ancilla* &c. Similiter Bucerus, Petrus martyr, Oecolampadius monachi apostatę erant, & incœstas contraxerunt nuptias.

Vitæ impietas facit aberrare à fide. 9. Similiter bonorum operũ defectu & prauorũ operum & vitiorum, tanquam tot idolorum cultu hominem descendere ad hęresim & prauorũ dogmatum professionem manifestum planè ex scripturis. Nónne huc spectat parabola illa Saluatoris, quam postquam de cauendis Pseudoprophetis docuisset, subiungit Matth. 7. dicẽs: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, hic ædificat domum suam* (id est fidem suam) *super arenam*; id est super lubrica & caduca huius mundi, cõformans se huic mũdo nequam, & viuens ex prudẽtia carnis, quę legi Dei subiecta non est. *Et omnis huiusmodi cùm descenderit pluuia, & flauerint venti*, cum tẽtat Pseudopropheta, & nouæ doctrinæ vẽtus spirat, *cecidit domus eius, & facta est ruina eius magna*; id est, ab ipsa fide & professione Catholica excidit. Sola ergo vitæ impietas facit aberrare à fide, facit in hęreses procliuem hominẽ. Prętereà multę hoc scripturæ docẽt, Paulus de quibusdã ait 1. Tim. 1. *Non habẽtes conscientiam, naufragauerunt à fide.* Ergo ne à fide semel accepta naufragium facias, seruãda conscientię rectitudo. Idem rursus Paulus docuit cũ diceret 1. Cor. 11. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt in vobis manifesti fiant.* i. Vt qui boni & iusti sunt, pro talibus innotescant, adhærẽdo auitæ fidei, & nouitates hęreticas fugiendo: hoc & D. Ioannes dicere voluit ep. 1. c. 2. sic scribens: *Non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum*, id est, si viua & electa membra essent, habẽtes signaculum hoc, *Recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Si habitante Christo in cordibus eorum *per fidem in charitate radicati & fundati fuissent*, permansissent in Ecclesia, permansissent cum Apostolis & eorũ successoribus. Inuocare nomẽ Domini, id est, rectã fidem tenere, sine qua inuocatio nulla est, non potest, nisi qui recedit ab iniquitate. Vnde & pulchrè Christus Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem patris mei facere, cognoscet de doctrina mea vtrum ex Deo sit.*

Confirmatur varijs scripturis. 2. Tim. 2. Ephes. 3.

10. Rursum Apostolus 2. Tim. 3. verbis clarissimis docet, qui demum homines veritati resisterent, errores amplecterentur, & ab hęreticis abducerentur: *In nouissimis*, ait, *diebus, instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegãtes, & hos deuita.* Hæc Apostolus satis clarè ostendens, quales homines futuri essent, quibus vitijs & sceleribus contaminati, qui resisterent veritati. Tales quippe sunt, qui Catholicã veritatem deserunt, & deserẽdo magis tales fiunt, *proficientes in peius*, vt de huiusmodi Apostolus dicit.

11. Sed quod hactenus scripturis, id jam ex Patribus & exemplis, ac etiam ex ipsa ratione ostẽdamus. D. Basil. in tract. de Iudicio Dei, quærens ex proposito causam tãtæ suo tempore circa fidem dissensionis, tot grassantium hæresum Arianorũ, Macedonianorũ, Eunomianorũ, & huiusmodi, sic scribit. *Cùm in hac animi iactatione diu fluctuarem, causamq́, harum hodie dissensionũ cupidè & anxiè peruestigarem, venit mihi in mentem illud libri Iudicũ: Vnusquisq́, quod sibi rectũ videbatur, illud faciebat; simulq́, etiam causa cur id ita fieret declaratur his verbis paulò superiùs positis: In diebus illis nõ erat Rex in Israel. Horũ igitur cũ mihi ī mentem venisset, illud etiam de rerum statu, in quo nũc sumus cœpi cogitare, quod ex aspernatione*

Confirmatur ex Patribus. BASILIVS.

rerum omniū præpotentis Regis ac Dei, magna hodie in Ecclesia dissensio pugnaq́ esset excitata, &c.

12. Quod eodem ferè tempore paulò expressiùs docuit Chrys. hom. 19. op. Imperf. in Matth. his verbis: *Si opera iustitiæ facimus, & à nullo errore decipimur, & ipsi omnem aduertimus errorem.* Et paulò pòst: *Peccata peccantium sensus tenebrescere faciunt, vt non videntes mēdacium cadant in illud.* Iterum paulò pòst: *Quemadmodum enim sole manente non præualet nox; sic, quamdiu lumen iustitiæ in homine fuerit, tenebræ erroris eum non apprehendit*, &c. Ex quibus patet hæreses ex contemptu mandatorum Dei ortum accipere, & vt quis ab errore se immunem custodiat, necesse esse vt vitam piè & sanctè instituat.

CHRYSOSTOMVS.

13. Pariter non alios, quàm impios & deploratæ vitæ homines ab hæreticis seduci his verbis grauiter scripsit D. Aug. lib. de vera relig. c. 8. *Ex his*, ait, *hominibus, hæretici fiunt, qui si in Ecclesia permansissent, nihilominus errarent*, &c. *id est, per sceleratā vitam perirent.* In quam etiam sententiam eleganter & verissimè Cyprianus in lib. de Vnit. Ecclesiæ. *Nemo*, inquit, *æstimet bonos posse de Ecclesia recedere, triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit, inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur.* Sic ille.

AVGVST.

CYPRIANVS.

14. Huc spectat visio Ioannis c. 9. vbi de locustis, in quibus hæretici figurantur, sic loquitur, quòd herbas virides florentesque arbores non lædunt, sed ligna solùm arida atque ad incendium præparata. Sic etiam secta Lutherana & Caluiniana cùm totæ carnales sint, non facilè viros bonos, & in quorū animis viret & floret religio & pietas fallere possūt, & rarò aut nunquam fortasse cōtingit, vt Ecclesiā Catholicā desertā ad Lutheranos transfugerit, qui non anteà corruptè & perditè inter Catholicos vixerit. Cùm areæ ventilari incipiunt, non frumenta, sed paleæ vento abripiente separantur ab area: ita prorsus cum Ecclesia per Ethnicorum persecutiones, vel hæreticorum deceptiones, Deo permittente cribratur, aut ventilatur à Sathana. Non viri sancti & graues; sed improbi, leues, curiosi, lasciui, ab Ecclesia auolātes ad Ethnicos, hæreticosq́; transfugiunt, nec ferè solet accidere, vt ante circa fidē aliquis naufraget, quàm naufragare cœperit circa mores.

Probatur exemplis.

15. Aspicite enim qui sint qui ad Lutheranos plerumq; deficiunt? Gulæ addicti ad eos accurrunt, quòd non sint apud eos stata ieiunia: incontinētes, quòd apud eos etiam monachis & monialibus matrimonia cōcedantur, desertores monasteriorum, quòd omnia apud eos vitia laxentur, omnia claustra referentur, continentia cum coniugio, cum diuitijs paupertas, obedientia cum licentia commutetur, homines auari & ambitiosi, quod eis Lutherani non solùm opes Ecclesiæ, sed etiam personas & ipsam fidem ac religionem inaudita adulatione subijciant. Itemque otiosi, quod Lutheri religio sola fide contenta, opera non requirat, & scelerati omnes, quòd nec peccata Sacerdotibus confiteri, nec vlli hominum vitæ suæ rationem reddere teneantur.

Probatur experientia.

16. *Non est difficile*, ait Bellarminus, *voluptuarijs & carnalibus hominibus persuadere, sacerdotes & monachos coniugio alligari oportere, continentiam esse rem supra vires, ieiunia supervacua, delectum ciborum superstitiosum; non est difficile apud auaros excusare vsuras; apud ambitiosos simoniam, apud lasciuos fornicationē. Quæ cùm ita sint, quid mirum nostro sæculo hæreses tantopere inualuisse, cùm mores hominum Christianorum magna ex parte fuerint corruptissimi, ac negauerint omnia genera vitiorum. Quid mirum quòd homines sic affecti, sanam doctrinam non sustinent, sed quærunt sibi magistros prurientes auribus, non fiebant hæretici quòd nemo esset qui hæreses prædicaret, sed iam erant ipsi ad hæresim suscipiendam præparati, ligna erant arida atque ad flammam concipiendam idonea, exspectabatur solùm qui ignem excitaret atq; subijceret. Non defuit Sathanas muneri suo, tantam cernens scelerum abundantiam, tantùm excitauit incendium, tanta, inquam, paralysi hæreseos percussit hominum animos, quantum multis annis magno labore extingui non poterit, vel curari.*

Malis hominibus facillimè hæresis persuadetur.

BELLAR.


Opportunè etiam D. Chrysostomus in 1. ad Tim. 1. *Malè viuentes*, ait, *ne futurorum metu, & expectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia, quæ nostra Religio continet: nempe de peccatis, de resurrectione, iudicio futuro, & similibus.*

CHRYSOSTOMVS.

Similes planè sunt hi homines Iudæis illis perfidis & mēdacibus, de quibus Isaias c. 30. *Qui dicunt*, inquit Propheta, *videntibus: Nolite videre: & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostrā sanctus Israel.* Quæ verba sic exponit S. Hieron. *Qui dixerunt, Nolite nobis videre quæ nolumus, nec quæ recta sunt, prædices: sed loquere quæ nobis placent, quod cumulet peccata peccatis. Quid nobis ingeris, quod non libenter audimus? quid monstras viam, per quam ingredi nolumus? Quid frequenter ingeminas auribus nostris; hæc dicit Dominus sanctus Israel? cesset à nobis ista prædicatio.* Deinde verò sic præfata verba accōmodat Nouatoribus & hæreticis. *Secundum tropologiam, omnes hæretici mendaces filij appellantur. Ex nobis enim exierunt, sed non fuerunt ex nobis: qui non audiunt, interioris hominis auribus legem Dei, & Ecclesiarum loquuntur magistris: Nolite nobis videre, quæ recta sunt, nec gehennæ flammas comminemini, sed promitte nobis regna cælorum, vt post luxuriam & delicias, pādatur nobis paradisus. Quid mihi ostendis viam Domini, per quam non libenter ingredior.* Hactenus Hieronymus. Vides qualiter criminibus culpata conscientia, & insolita malæ voluntatis peruersitas, diu vitijs immersa, & fœda vitiorum idololatria, disponat hominem ad infidelitatem & hæresim.

HIERONYMVS.

QVOD



QVOD CREATVRÆ SINT ETIAM SPECVLA

Mysteriorum fidei, rerumque cælestium.

ENARRATIO II.

Taliter à Deo conditas esse creaturas, vt sint specula mysteriorum fidei &c.

SECTIO I.

Creaturæ, quarum rerum specula.



CReatvræ non solùm sunt specula diuinarum perfectionum; sed etiam specula sunt mysteriorum fidei, rerum cælestium, & maximè absconditarum, variarumque virtutum, ad vitam rectè instituendam, maximè necessariarum. *Nihil,* inquit Aristoteles l.1.de part. animal. c.5. *in naturâ tam minutum est, tam vile, tam abiectum, quod non aliquid admirationis hominibus afferat. Verè enim natura est instrumentum, imò organum diuinitatis.* Galenus quoq; lib.3. de vsu part.c.10. asserit, nullum esse opus naturæ, in quo miri & diuini aliquid non refulgeat, præseferens Dei Conditoris sapientiam. Similiter dicere possumus, nihil in naturâ tam minutum est, tam vile, tam abiectum, quod non aliquid documenti hominibus adferat, ad rectè mores componendos, vel ad ingerendam rerum cælestium, & spiritualium notitiam. Ita vt præter proprium cuiusque rei finem (cui iuxta inditas sibi à natura vires quæque deseruit, vt ignis ad calefaciendum, sol ad illuminandum, & sic de alijs) præter eum, inquam, finem, in rerum creatione, ea fuerit opificis & conditoris mens, vt in rebus creatis, quæ sub oculorum aspectum cadunt, haberent homines mirifica specula, siue symbola, non solùm quæ indicarent ipsius diuinas perfectiones, sed etiam quæ hominibus demonstrarent doctrinam illam, quæ illorum maximè interest, veram scilicet de fide, & moribus disciplinam.

Natura organum diuinitatis ARISTOT.

GALENVS.

Creaturæ taliter conditæ; vt præter proprium finem, etiam de varijs rebus, homines instruat.

2. Vnde Origenes homil. 3. in Cant. ad illa verba Cant.2. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum*, postquam idipsum varijs adductis exemplis liquidò demonstrasset, sic pulcherrimè & conuenienter scribit: *Cuncta igitur ex visibilibus referri possunt ad inuisibilia, & à corporibus ad incorporea; & à manifestis, ad occulta; vt ita creatura mundi, tali quadam dispensatione condita intelligatur per diuinam sapientiam, quæ rebus ipsis & exemplis, inuisibilia nos de visibilibus doceat, & à terrenis nos transferat ad cælestia.* Hæc Origen. qui non dubitat eam fuisse præcipuam diuini opificis in rerum corporearum creatione mentem, vt mysteriorum nostræ fidei specula essent, & rerum cælestium & spiritualium symbola, ac veluti vestigia præ se ferrent.

Per visibilia docemur de inuisibilibus.

ORIGENES.

Creaturæ mysteriorum fidei specula.

3. Quinetiam Origenes loco citato, hanc, ait, veram esse scientiam, quam Sapiens, vt donum excellentissimum, Deo acceptam refert Sap.c.7.cùm ait: *Ipse enim mihi dedit eorum quæ sunt scientiam veram, vt sciam substantiam mundi, & virtutes elementorum, initium, & finem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes & conuersiones temporum, anni circulos, & stellarum positiones, naturas animalium, & iras bestiarum, spirituum violentias, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum: sed & quæcumque occulta & manifesta sunt cognoui.* Premens autem posteriora illa verba: *Quæcumque occulta & manifesta sunt cognoui.* sic scribit: *Vide ergo si possumus ex his scripturæ sermonibus ea quæ discutere proposuimus, lucidiùs euidentiùsque colligere. Etenim scriptor istæ sapientiæ diuinæ cùm singula quæque enumerasset, ad vltimum dixit, quia occultorum,*

Ex visibilibus inuisibilia cognoscere vera sapientia. ORIGENES.

& manifestorum acceperit scientiam: ostendens sine dubio quod vnumquodque eorum quæ in manifesto sunt, referatur ad aliquid eorum quæ in occulto sunt; id est, singula quæque visibilia habere aliquid similitudinis & rationis ad inuisibilia. Quia ergo impossibile est homini in carne viuenti agnoscere aliquid de occultis & inuisibilibus, nisi imaginem aliquam & similitudinem conceperit de visibilibus, ob hoc arbitror, quòd ille qui omnia in sapientia fecit, ita creauit vnamquamque visibilium speciem in terris, vt in his doctrinam quandam & agnitionem rerum inuisibilium & cælestium poneret? quo per hæc ascenderet mens humana ad spiritalem intelligentiam, & rerum causas in cælestibus quæreret, vt posset edocta per sapientiam Dei etiam ipsa dicere: Quæ in occulto sunt, & quæ in manifesto cognoui. Sic ille. In sequentibus docens, qualiter singula, à Sapiente enumerata, nos instruant de occultis & inuisibilibus.

Fecit Deus aliquas res naturales vt ordinem rerum supernaturalium repræsentent. ORIGENES.

4. Origeni consonat Tertullianus lib. de resurrect. expendit enim quòd cùm idem sit auctor naturæ, qui gratiæ, ac supernaturalium rerum, quasdam effecit res naturales, quæ ordinem rerum supernaturalium aliquo velut paradigmate repræsentarent. Nec enim aliter sapientissimus mundi opifex, atque omnium rerum molitor Deus architectatus est vniuersa; quàm vt diuinitatis suæ effigiem, atque pulcherrimam Christi sui imaginem, vultumque, ac digitos, in totius mundi tela imprimeret. Consimilem ferè in modum ex Aristotele libro de mundo cap. 6. proditum accepimus, tanto Phidiæ artificio, tamque fallenti oculos symmetria, imaginem sui simulachro deuinxisse Mineruæ, vt eximere inde si quis cuperet, aliâ viâ non posset, quàm vt ipsum simulachrum, opusque huiusmodi compactile confunderet.

BASILIUS.

5. Adstipulatur etiam D. Basilius homil. 23. dum hominem in hanc vitam missum testatur, *vt virtutem colat, plasten imitetur, & probè dispositam in cælis disciplinam adumbret in terris.* Quò etiam spectauit Boëtius lib. 1. prosa. 4. de cons. philos. dum ait: *Tu mores nostros, totiusq; vitæ rationem ad cælestis ordinis exemplar formabas.* Et rursum ipsa philosophia lib. 2. Met. 2. *O felix hominum genus, si vestros animos amor, quo cælum regitur, regat.*

BOETIUS.

Concinnunt etiam tres Patres apud Theodor. expendentes verba illa sponsi Cant. 1. *Si ignoras, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos circa tabernacula pastorum.* Per greges & pastores, vniuersas intelligentes creaturas; sic scribunt: *Greges dicuntur rerum naturæ, quoniam earum singulæ factæ sunt dignæ, quas prouidentiâ suâ author omnium Deus, quasi pastor gubernet, moderetur, ac regat. Et pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorum; exemplis vtique rerum naturalium, desidiam malorum omnium causam in diligentiam conuertens, quæ naturali vi formicæ, & api inesse cernitur. Imprudentiam ad prudentiam, exemplo serpentis, ita redigens, vt sicut ille pro capitis defensione, totum corpus offerre non dubitat; sic tu pro fide, te ipsam periculis omnibus obijcias. Iracundiam item columbæ exemplo reuocans ad simplicitatem, vt eos, qui te iniurijs afficiunt, minimè persequaris, quando nec columba propter pullorum suorum direptionem à diripientibus non recedit.* &c. Pergunt Patres alias creaturas proponere, quarum naturis inscripta sunt, quæ nobis conueniunt ad obtinendam intimam cordis virtutem, quamque obtinebimus, si creaturarum facti fuerimus discipuli.

TRES PATRES apud THEOD.

6. Ac proinde, cùm de mysteriorum fidei confirmatione, vel morum animæ reformatione agitur, solet Scriptura in medium rerum visibilium proferre imagines, & ad ipsas remittere creaturas, vt Prouerb. cap. 6. *Vade ad formicam, ô piger* Et plurimis alijs locis quæ passim occurrunt.

Meritò creaturæ ita creatæ, vt sint specula rerum supernaturalium.

7. Neque cuipiam mirum videri debet, creaturas sic à Deo conditas, vt specula sint rerum spiritualium. Cùm enim ea sit naturæ hominum constitutio (teste Philosopho) vt minùs nota, & à sensu magis remota, addiscant per notiora: hinc planè conueniens erat à Dei sapientia taliter efformari creaturas, præsertim quæ sub sensum cadunt, & quotidianis hominum vsibus deseruiunt, vt symbola essent rerum spiritualium, vt à cognitis, in incognitorum cognitionem homines deueniant, & quod in se obscurum est, creaturarum similitudinibus clarum & manifestum fiat. Neque enim comprehendere possumus res merè spirituales, sine imaginatione similitudinis cuiusdam inter ipsas & corporeas. Omnis enim notitia quam de cælestibus adipisci possumus via naturali, procedit à phantasmatibus, & idæis formatis, intellectu nostro, super protoplastico sensibilium, atque intellectio nostra stipatur imaginationibus desumptis à rebus corporeis, iuxta philosophorum beneplacitum. *Comprehensionem factam sensibus, natura, quasi normam scientiæ, & principium sui dedit, vnde posteà notiones rerum in animis imprimerentur,* aiebat Zeno apud Ciceronem lib. 1. Acad. qq. Notum illud Aristotelis: *Necesse est quemcumque intelligentem phantasmata speculari.* Et Plato ipse sensus nominauit mentis internuntios, quasi satellites ac duces ad veritatem. Aristoteles aiebat lib. 3. de anima, ei necessario aliquam scientiam defuturam, cui sensum aliquem, à primo ortu, natura denegasset. Sunt enim sensibilia quasi duces, à quibus manu ducimur in notitiam inuisibilium, priùs quod corporale, deinde quod spiritale. Nec enim

Per sensibilia ducitur homo commodè ad insensibilia.

ARISTOT.

PLATO.

Angeli

Angeli sumus qui inuisibilia capiamus, sine adminiculo imaginationis corporeorum. Igitur exploratū habens Deus indigestam molem nostram, cognoscens figmētum nostrum, vtique ipsius author & custor, sciens etiam animi nostri retusam aciem, quid agit? Volens humanum genus de rebus cælestibus, de varijs fidei mysterijs instruere, & docere, quæ virtutes sectandæ, quæ vitia fugienda, taliter efformauit creaturas, vt harum rerum essent symbola, atque lucidissima specula, fulcitur hæc doctrina communi SS. Patrum testimonio. *Quia*, inquit Dionysius de diui. nom. *imbecilles intellectus humani, oculi diuini luminis radium ferre non valent, si non qualicumque nubecula obumbrentur, vt sunt velamina similitudinum.* D. quoque Hilarius 6. & 12. de Trinit. sic ait: *Corporalium rerum modo Deus loquitur, vt ad excellentiam diuinarum, per corporalia homines attollat.* Et D. Gregorius homil. 11. Euang. *Cælorum regnum, fratres, idcirco terrenis rebus simile dicitur, vt ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita quæ non nouit, quatenus exemplo visibilium, se inuisibilia rapiat.*

DIONYSIVS. HILARIVS. GREGOR.

Qualiter ficulnea sit speculum extremi iudicij, quodque nos doceat, quanta tunc futura Christi in peccatores indignatio.

SECTIO II.

Ficulnea speculum iudicij extremi.

1. VIs veritatem præcedentis doctrinæ, in vna, atque altera creatura tibi spectandam exhiberi, atque ad oculum videre, qualiter sit speculum quoddam, secundum varias sibi innatas conditiones, mysteriorum fidei, rerum cælestium, variarum virtutum, quæ sectandæ, variorumque vitiorum, quæ detestanda? In vnam ficulneam oculos conijce. Vult Christus humanum genus instruere de maximo illo fidei mysterio, finali nempe iudicio. Primò, quàm seuerè partes suas exequetur diuina iustitia, exclusâ penè omni misericordiâ. Secundò, quàm triste futurum hoc iudicij tempus impijs; tertiò, quænam illud sint antecessura; quartò, quæ concomitabuntur: quintò, quibus ex causis hi saluabuntur, hi damnabuntur; sextò, quæ diuinum illud subsequentur iudicium; septimò, quâ ratione fieri possit, vt à damnationis æternæ sententia immunes reddamur; octauò, quantum vtilitatis hominibus afferat iudicij extremi frequens memoria & recordatio, quid agit? Ad vnicam remittit ficulneam; tanquam horum omnium symbolum, ac verissimum speculum, dicens Matth. 24. *Ab arbore fici discite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis.* Et Lucæ cap. 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores: cùm producunt iam ex se fructum, scitis, quoniam propè est æstas. Ita & vos, cùm videritis hæc fieri, scitote, quoniam propè est regnum Dei.*

In ficulnea tanquam in speculo videmus omnem seriem iudicij.

Ficulnea speculum diuinæ iustitiæ exequendæ in peccatores tempore iudicij.

2. Quantum ad primum; vis scire ô Christiane, qualiter diuina iustitia, in die iudicij extremi, desæuiet in peccatores? *Ab arbore fici discite parabolam*: vide ficulneam, quàm insigne sit diuinæ iustitiæ in peccatores sæuientis symbolum. Recordamini quid ficulneæ acciderit apud Matth. c. 21. *Mane*, ait, *reuertens Christus* (scilicet à Bethania) *in ciuitatem, esurijt. Et videns fici arborem vnam secùs viam, venit ad eam, & nihil inuenit in eá, nisi folia tantùm; & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea. Alia die*, ait Marc. 11. *cùm exirent à Bethania, esurijt. Cumq; vidisset à longè ficum habentem folia, venit, si quid fortè inueniret in eá; & cùm venisset ad eam, nihil inuenit præter folia. Non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli eius. Et cùm vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate. Et cùm mane transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.* Idem etiam accidet in die iudicij peccatoribus infructuosis, folia tantùm & non fructus habentibus, fulmine illo diuinæ sententiæ, quilibet eorum percutietur: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Et mox arescent, & quidem à radicibus, priuati in æternum omni spe recuperandæ salutis. Vnde V. Beda scribens in c. 11. Marci, huius maledictionis hanc reddit rationem: *Arefecit Dominus arborem maledicto, vt homines hæc videntes, siue audientes, multò magis intelligerent, sese diuino condemnandos esse iudicio, si absque operum fructu de plausu tantùm sibi religiosi sermonis, velut de sonitu & tegumento blandirentur viridantium foliorum.*

Vt ficus illa maledicto percussa, tota exaruit, idem peccatori continget in iudicio.

Ad terrorem inijciendum sic percussa ficulnea.

BEDA.

ISIDORVS PELVS.

3. Eandem rationem inculcat Isidorus Pelus. apud Lipomanum Genes. 3. *Quia*, inquit, *in omnibus miraculis quæ fecerat Saluator noster Dominus, nihil triste ac molestum cuiquam intulerat, illum posse tantummodò beneficia inferre Iudæi existimabant, ac si potestatem malorum puniendorum*

non

non haberet. Ab inanimata igitur substantia ingratum populum docet ac persuadet, quod & vlcisci potest. Exsiccata est igitur arbor, vt terreret homines. Idem epist. 51. ad Theopompum: *Ficulneam*, ait, *non sine causa Dominus execratione deuinxit, verùm vt Iudæis ostenderet, se eam vim habere, quæ inferendo quoque supplicio par esset. Aruit arbor, vt hominibus terrorem iniiciat*, &c.

Percussa à Christo ficulnea vt ostenderet penes se potestatē puniendi.

4. Sanè cùm Christus haberet potestatem & benefaciendi & puniendi, vtramq; debuit mundo manifestare, ne, si vnam tantùm proderet, alterâ spoliatus videretur. Vnde cùm illam quidem benefaciendi vim sæpè in hominibus declarasset, multis eos beneficijs cumulando, hanc vim puniendi semel tantùm in arbore ostendere voluit. Tangit hanc rationem D. Chrysostomus conc. 1. de Lazaro: *Ne putaret*, inquit, *Iudas, quod tantùm nosceret benefacere, punire verò nequaquaquam, & hanc quoque docuit portionem, videlicet, quòd punire posset, suppliciòq; afficere peccantes. Iam & illud vide, quàm sapienter hoc docuit, vt simul & terreret discipulum, ne per contemptum fieret deterior, nec vllus tamen hominum afflictionem, pœnam, aut supplicium pateretur, in ficum arborem Christus hanc suam potestatem exercuit.* Hoc pacto factum est pariter, vt & nihil noxæ rediret ad vllum hominem, & ipse suam potentiam declararet vindictâ in arborem impactâ. *In ariditate*, ait Athanasius, *potentiam suam demonstrat, suum autem erga homines amorem immensa patientia exercet.*

Chrysostomus.

Athanasius.

Arefecit ficulneam vt ostendat se sponte sustinere quæ à Iudæis erat passurus, vtpote quos etiam posset ariditate percutere.

D. Chrysostomus homil. 68. in Matth. putat, Christum arefecisse ficum, vt discipuli intelligerent, posse Iudæos, à quibus erat crucifigendus, facillimè perdere, & instar ficus illius, arefacere: *Quoniam semper*, ait Chrysostomus, *beneficia conferens, nullum vnquam puniuit. Conueniebat autem, vt puniendi virtutē aliquo exemplo demōstraret, vt discipuli sibi persuadeant, verbo solummodò posse ipsum crucifigentes exsiccare, sed sponte omnia sustinere. Puniendi virtutem non in hominem, sed in arborem demonstrauit*, &c. *Quoniam*, ait Athanasius, *Dominus passurus iam erat, ne existimarent eius discipuli ipsum non omnipotentem esse, sed infirmum, ideoq; pateretur, in hac inanimata re suam declarauit potentiam, vt ostenderet, quòd omnes suos aduersarios ariditate percutere posset.*

Chrysostomus.

Athanasius.

Admirati fuêre discipuli hanc ficulneæ percussionem, quia hactenus Christus nulli rei nocuerat.

6. Sed quid est quòd Apostoli arborem statim arefactam admirantur? Nam vt inquit textus Matth. 21. *Videntes discipuli, mirati sunt dicentes; quomodo continuò aruit?* Et Marc. 11. Dicit Christo Petrus cum admiratione: *Ecce ficus cui maledixisti, aruit.* Admiratur hanc discipulorum Christi admirationem D. Chrysostomus hom. 39. in Matth. sic eos alloquens: *O Apostoli, qui vidistis Lazarum sepultum & putridum, iterum venientem ad vitam solo sermone, quid miramini si videtis arborem solo sermone siccatam? Qui enim potest vitam donare, ille potest auferre?* Sed nullam illius admirationis reddit loco citato rationem; reddit verò eam homil. 68. in Matth. vbi appellat hoc miraculum & inauditum, propterea quòd Christus non fecerat miracula exitiosa hominibus, qualia multa Moyses fecit in Ægypto, quæ pernitiem Ægyptijs attulêre: *Etsi multa*, ait ille, *maioraq; signa discipuli viderunt, nouum tamen atque inauditum hoc fuerat. Nunc primò quippe puniendi virtutem Christus aperuit*, &c. Sæpè viderant Apostoli Christi Domini potestatem ad benefaciendum profusam, numquam tamen eam viderant ad puniendum extēsam: quare illa beneficentiæ miracula, tamquā ordinaria & quotidiana, minimè suspiciebant, hoc vnum iustitiæ punitiuæ prodigium, tamquam rarum & insolitum admirabantur. Adeò alienus erat Christus Dominus, non dico ab homine vulnerando, sed etiam ab arbore rationis sensûsque experte, vel leuissimè perstringenda. Similiter, ô Christiane, quamuis in hac vitâ Christus in eo totus esse videatur, vt te beneficijs cumulet, & numquam manum eius tuorum scelerum vindicem experiaris, tempus veniet iudicij, in quo fulmine maledictionis te percutiet & arefaciet, admirantibus, imò obstupentibus omnibus creaturis iustitiæ diuinæ rigorem, si contingat te cum solis verborum folijs, & absque diuinorum mandatorum bonorumque operum fructibus inueniri, quos in te esurit, quos à te exigit in hac vitâ Christus, & quidem omni tempore vitæ.

Quæ doctrina, ex hoc Christi facto haurienda Christiano.

In parabolis non solùm multa docebat, sed etiam faciebat Christus.

7. Quia enim omni tempore ab homine quærit Christus mandatorum fructum, hinc & illum quæsiuit in ficulnea, in mense Nisan, qui Martio & Aprili, respondet. Vnde ait Marc. c. 11. *Non enim erat tempus ficorum*; quæsiuit, inquam, à ficulnea, quam sciebat fructu carere, nimirum, sicut Dominus parabolicè, & metaphoricè multa dixit, sic & parabolicè multa fecit, vt aliquid aliud significaret. Quæsiuit fructum in ficu, quam sciebat fructum non habere; quia quærit fructū ab homine, quem scit fructu carere. Beda Marc. 11. *Quomodo*, inquit, *Dominus multa in parabolis dicebat, ita etiam nonnulla in parabolis facere solebat*, &c. Nō erat ficuum tēpus; attamen in ficu fructū Christus quæsiuit. Quoniam hominem indicabat arbor, qui omni tēpore fructum proferre potest. Destinatum tempus est fructui arborum: neque enim omni tempore fructus producere valent. Hominis verò fructibus nullum certum tempus est decretū, semper, vbique, omni hora, omni quadrante, omni momento, fructum proferre potest boni operis, bonæ cogitationis, amoris erga Deum, reuerentiæ, adorationis. D. Augustinus serm. 44. de verbis Domini: *Illorum*, ait, *est culpa sterilitas, quorum fœcunditas est voluntas*, &c. Arbor naturâ parit fructum, idcircò omni tempore fructum,

Cur Christus quæsiuit fructus in ficulnea cùm non esset tempus ficorum.

Hominem indicabat illa ficus, qui omni tempore debet reddere fructum.

Avgvst.

ctum non potest parere. Homo voluntate fructum affert, idcircò semper fructum potest afferre. *Fœcunditas hominis*, ait D. Augustinus, *est voluntas, quotiescumque voluerit, Deo iuuante, fructum afferre bonum potest.*

PAVLIN. Fidem, & facta nostra esurit Christus.

8. Pulchrè D. Paulinus epist. 33. *Numquid de arboribus cura est Deo? Propter nos vtique scriptum est; in quibus escam suam semper vult Deus inuenire.* Vnde sic rectè monet D. Augustinus in Psal. 127. in calce: *Ne sis sterilis arbor, qualis fuit illa ficulnea vbi fructum non inuenit esuriens Dominus. Et videtis quid ei contigerit? Folia sola habebat, fructum non habebat. Sic sunt qui verba habent, & facta non habent. Veniens non ibi inuenit quod manducet, quia fidem nostram & facta bona esurit Dominus. Pascamus illum bene viuendo, & pascet nos in æternum nobis viuere donando.*

AVGVST.

Cibus Christi patientia mea.

9. Neque solùm pascit, in æternum viuere, donando, sed nos etiam in hoc mundo, suo gaudio spirituali reficiendo. *Cibus eius*, inquit D. Bernardus serm. 71. in Cant. *patientia mea, cibus eius salus mea. Sed cùm pascitur, pascit; gaudens de nostro spirituali profectu, & nos suo gaudio spirituali reficiens.*

BERNARDVS.

Virtutes nostras esurit Christus, præcipuè charitatem, & liberalitatem, neque prætextum, vel verisimilitudinem admittit; sed maledictis impetit, & à radicibus arefacit; si enim quem viderit minùs largum, & liberalem, & illis verbis se tuentem; *Non enim erat tempus ficorum.* Etenim nullum non est tempus dandæ eleëmosynæ accommodum. De quo sic Origenes tract. 16. in Matth. *Esurit autem Iesus semper in iustis, volens manducare fructus Spiritus Sancti semper in eis, & sunt eius esca; &, vt ita dicam, ficus, quam esuriens edit, est charitas eius, qui eam fructificauit, qui primus fructus est Spiritus sancti. Non quasi homo*, ait Auctor imperfect. homil. 39. *cibum, sed quasi Deus salutem humanam: non quasi indigens quærit nostram iustitiam, sed quasi misericors desiderat nostram salutem. Si autem quasi homo esurijsset cibum, numquam mane esurisset: sed ideò ad hoc mane esurijt, qui iustitiam illorum esurijt, aut aliorum salutem.*

ORIGENES.

Esurit Christus opera nostra, ieiunat cùm nulla reperit.

10. Verùm paucos habet mundus qui sic reficiunt Christum, vt meritò de nobis conqueri possit, sicut aliàs per Prophetam, Psalm. 34. de Iudæis conquestus est, dicens: *Humiliabam in ieiunio animam meam.* In quæ verba sic D. Augustinus: *Manducare volebat Christus, quando poma quærebat in arbore, &, si inueniret, manducaret. Bibere volebat Christus, quando dixit Samaritanæ; Da mihi bibere. Dixit in cruce, Sitio: Quid esuriuit, quid sitiuit Christus? Nisi bona opera nostra? In persequentibus, & crucifigentibus, quia nulla bona opera inuenerat, ieiunabat, hinc conqueritur, humiliabam in ieiunio animam meam.*

AVGVST.

11. O summam hominum ingratitudinem, qui denegant Christo bonorum operum suorum fructum, quo reficiat ieiunam & famescentem animam. Quis nescit quantulum sufficiat, vt reficiatur ieiunus & famescens stomachus, ne langueat, ne deficiat; & tamen exiguum illud, ipsi denegatur ab hominibus. *Venit*, ait Marcus cap. 11. *si quid fortè inueniret in eâ; & cùm venisset ad eam, nihil inuenit præter folia.* O infelicem arborem, in quâ ne minimum quidem est pomum, Christo præsente non marcesceret, sed vigeret. Hinc enim natum est studium illud, quo maledicturus ficui, ob defectum fructuum: dicitur venisse ad eam, si quid fortè inueniret in eâ, cùm non esset tempus ficorum. Sed cur accessit cùm ficorum tempus non esset? Ne fortè esset aliqua parua ficus, quæ maledictionem subiret, & periret. Quippe solent etiam steriles arbores, vnum, aut alium paruulum exhibere pomum: & adeò gratus est Deo quiuis paruulus etiam fructus, vt caueret ad maledicendam ficum accedere, cùm per tempus posset aliquis esse fructulus. Pulchrè aiebat D. Cyrillus Ierosol. Catech. 16. *Venit in tempore, in quo cibus non inueniebatur. Quis ignorat, quòd tempore hyemis ficus non fert fructum, sed solis folijs circumdatur? Quod omnes sciebant, numquid hoc Iesus ignorabat? Sed venit sciens, quæsijt non ignorans, quòd non esset inuenturus, sed figuram maledictionis vsque ad folia tantùm faciens.* In solis folijs voluit vt sisteret maledictio, recepturus semper quemcumque fructum, quamuis minimum, qualem solent gignere steriles arbores.

Christo gratus, etiã quiuis paruulus fructus.

Paruulus fructus in ficulnea repertus, impediuisset Christi maledictionem.

CYRILLVS IEROSOL.

12. Qui famelico est stomacho, non quærit delicata, non sapida, non tenera, non aromatibus condita, sed cùm ipsa fames sit loco omnis condimenti, etiam cruda, dura, insipida, immaturaque vorat. Simile quid & Deo accidere videtur; sufficit illi, si vel in ficu sua inueniat quosdam grossos, & immaturas ficus, quibus neque repertis, certè conqueritur, vicem suam dolet, & non exiguo dolore afficitur, hoc agit Mich. cap. 7. dum sic loquitur: *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* In quæ verba sic D. Hieronymus: *Immaturas ficus desiderauit anima mea, ac si diceret: non inueniens panem, præ famis magnitudine quisquilias & furfures desiderauit.*

Sufficisset Christo si vel quosdã grossos, inuenisset, quia in homine vel etiam quædam imperfecta requirit opera.

HIERONYMVS.

13. Tanta tenetur Deus bonorum operum nostrorum fame, vt deficientibus perfectis,

perfectis, sufficiant illi imperfecta. Itaque satisfacimus illi aliquo modo, offerendo orationes distractionibus plenas, rosaria taliter qualiter lecta, confessiones licet non cum tanto cordis dolore editas; communiones, licet non tam deuotas; eleëmosynas, licet precibus extortas; ieiunia, licet non vsque adeò rigida, & in cibis delicatioribus peracta; lectiones piorum librorum, licet absque debita attentione & ruminatione peractas; & meditationes cum plurimis mentis euagationibus habitas. Verùm si nec has e immaturas ficus inueniat; quid mirum, quòd in varias prorumpit querelas; quid mirum, quòd ficulneam maledictione percutiat?

Cùm iuxta viam creuerit hæc ficus, nō mirum quòd sterilis inuenta.

14. Vis scire vnde tanta in hominibus sterilitas? *Ab arbore fici discite parabolam*: Secùs viam dicit Matthæus fuisse infœcundam ficulneam; si à via publica remota fuisset, fortassis quamuis non esset fructuum proferendorum tempus; aliqua poma, licet minus sapida, quia minùs per solem excocta, tanquam superioris anni reliquiæ, quæ effugerant colligentium manus, in arbore superfuissent, & ieiunum Christum reficere, vel aliquo modo satisfacere potuissent. Similiter, quia iuxta viam sumus, quia à mundo, mundanorumque hominum familiaritate non recedimus, idcircò steriles sumus. Et si quid fructus apparet, à prætereuntibus mox auellitur.

Ideò steriles sumus quia à mundi familiaritate non recedimus. CHRYSOSTOMVS.

15. D. Chrysostomum pulcherrimè hac de re philosophantem accipe, sic enim scribit homil. 39. in Matth. *Secus autem viam, est iuxta mundum. Ideo ergo nullum in Iudæis fructum Christus potuit inuenire, quia iuxta mundum viuentes erant, id est, secundum mundum. Mundus enim via est communis, per quam omnes transeunt qui nascuntur, sicut exposuimus in parabola seminantis. Quicumq; ergo homo fidelis, id est, arbor rationabilis, iuxta mundū viuens, numquam potest in se fructū iustitiæ tenere. Vnde Paulus dicebat ad Timotheum: Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit. Vt quid non potest fructus suos tenere? Transeuntes enim & retranseuntes dæmones, vel ministri ipsius per viam, id est, vagantes per mundum suum, excutiunt eos. Sicut enim irrationabilis terra, quæ secus viam posita est semper conculcatur, & dura est, & semina doctrinæ in sulcos sensus sui non recipit, sed volatiles spiritus rapiunt ea; sic & omnis arbor rationabilis iuxta viam posita, nunquam potest esse fructifera, id est, homo secundum mundum viuens, numquam potest euadere à peccato, vt sit iustus. Frequenter enim transeuntes spiritus, ipsas gemmas iustitiæ excutiunt de ramis eius, antequam aperiantur in flores. Interdum autem ipsos flores iam apertos excutiunt, interdum verò etiam poma ipsa formata deponunt. Rami enim sunt animæ sensus ipsius, de quibus omnia bona procedunt. Gemmæ autem sunt bonæ cogitationes cohærentes in sensibus. Aperti autem*

2. Tim. 2.

Homo secundū mūdum viuens non potest euadere à peccato.

Homo arbori comparatur.

Rami, animæ sensus, gemmæ, bonæ cogitationes.

flores, sunt bonæ voluntates. Sicut enim de gemmis flores procedunt, ita de bonis cogitationibus nascuntur bonæ voluntates. Sicut autem flores non possunt procedere, nisi fuerit gemma, sic bona voluntas nasci non potest, nisi præcesserit in homine bona cogitatio. Bona enim cogitantes, incipimus desiderare quæ bona sunt apud Deum. Nam voluntates bonæ sic suaues sunt apud Deum, quemadmodum odoriferi flores. Vnde Salomon dicebat: Fili, serua te à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Poma autem sunt opera iustitiæ perfectæ. Sicut enim ex floribus poma formantur, ita ex bonis voluntatibus opera perfecta nascuntur. Sicut autem ante pomum flos procedit, ita ante opus bonum, bona voluntas. Omnis itaque homo qui iam nec cogitat aliquando quæ bona sunt, ipsas gemmas iustitiæ de ramis, id est; de sensibus eius, transeuntes dæmones excusserunt. Qui autem cogitat quidem bona, & proponit in corde suo facere quod bonum est; putà, aut eleëmosynas facere, aut ieiunare, aut continens esse, & tamen concupiscentiâ sæculi victus, aut ex quacumque occasione mutauerit voluntatem suam, de illius sensu iam apertos flores dæmones excusserunt. Qui autem cogitauit bona, & proposuit, & perfecit quod proposuit, ille poma produxit. Quòd si iterum peccauerit, & propter peccata sequentia iustitiæ opera priora perdiderit, de illius sensibus dæmones iam perfecta poma excusserunt. Sicut ergo difficile est arborem, iuxta viam positam, fructus suos vsque maturitatem seruare; sic difficile est virum fidelem iuxta istum mundum viuentem, id est, in actibus eius iustitiam immaculatam vsque in finem seruare. Si vis ergo fructus iustitiæ vsque in finem tenere, recede de via, & plantare in loco secreto, vt nec mundus tecum aliquid habeat commune, nec tu cum mundo. Hæc omnia Chrysost.

Flores, bonæ voluntates.

Sap. 1.

Poma sunt opera iustitiæ perfectæ.

16. Secus viam fuit infœcunda ficus, quia si in lege Dei tanquam regiâ viâ ambularemus, non folia tantùm, sed & fructus haberemus. Quoniam verò sic iuxta mundum viuimus, & extra viam legis diuinæ plantati sumus, arefit ficulnea à radicibus, ita vt neque folia, id est, verba rectæ fidei habeamus. *Arescat*, ait D. Augustinus in Psal. 31. *ita vt nec folia habeat.* Dum enim iuxta fidem non viuimus, vel operamur, etiam fides ipsa quę radix iustificationis, facilè arescit. Vnde de Iudæis loquens D. Chrysostomus homil. 39. in Matth. expendens illa verba: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum*, sic scribit: *Non quia maledixit arborem, ideò fructus non dedit, sed quia non dabat, ideò maledixit ei, vt nec folia ipsa proferret, id est, non ideò Iudæi perdiderunt iustitiam, quia Deus eos dereliquit, sed quia iustitiam non afferebant, vt nec ipsa species pietatis esset in eis, aut sermo. Et verè sicut melius est vt non sit arbor, quàm vt sit quidem, & secundum genus suum fructum non faciat, sic melius est*

Homo viuens extra viam legis diuinæ arescit, ita vt neque folia, id est, verba rectæ fidei habeat. AVGVST. CHRYSOSTOMVS.

Melius est homini non esse, quàm nullos fructus proferre.

est vt nec sit homo Dei, quàm vt sit quidem, & conuersationem non habeat secundum Deum. Qui enim tuus non est, si tibi non obaudit, non doles; de illo autem grauiter doles qui tuus est, & te contemnit, & aliis seruit: sic Deus non tantùm de alieno, & apertè diabolo seruienti irascitur, quantum de suo diaboli faciente voluntatem. Ideo in fine sæculi ipse Deus mittet operationem erroris in tales, sicut & quotidie fieri videmus vt credant mendacio, qui non crediderunt veritati sed consenserunt iniquitati, vt iudicentur omnes. Non vult enim vt videantur esse ipsius, qui verè non sunt eius. Vxor meretrix melius est vt nec sit viri sui quàm vt ipsa illum malè ambulando excitet eum in zelo. Sic D. Chrysostomus.

17. Quod autem in Iudæis, idem & in Christianis locum habet, vt expressè docet Origenes homil. 10. in cap. 21. Matth. sic fatus: *Esurit Iesus semper in iustis, volens manducare fructum Spiritus sancti in eis. Et sunt eius esca, gaudium, pax, patientia nostra, & reliqua. Quæ quidem quamdiu fructificamus, non arescimus. Si autem veniente Domino, & quærenti huiusmodi fructum, vt manducet in nobis, non exhibuerimus, dicet ad nos: Numquam ex vobis fructus nascatur in sempiternum. Quamdiu ergo non venit Iesus ad aliquam ficum, nec quærit fructum eius, sed patienter agit, & sustinet, si fortè proferat fructum, non exsiccatur, si autem venerit esuriens, & fructum requirens, & inuentus fuerit aliquis nihil iustitiæ habens, nisi professionem tantummodo fidei (quod est folia sine fructu) mox exsiccatur, etiam hoc ipsum, quod videtur fidelis, amittens. Et est multos in Ecclesia videre tales, qui multò tempore portauerunt fidei nomen, ostendentes tantummodo quia viuunt. omnino autem sunt sicci. Quos quia non fructificabant, videmus recedentes à fide & siccos.* Sic Origin.

ORIGEN.

Ob defectum bonorum operum exsiccamur & radicem fidei amittimus.

18. Quoniam sic iuxta mundum viuimus, & extra viam legis diuinæ plantati sumus, quantumuis hîc iam floreamus, & virore diuitiarum, honorum, voluptatum &c. tanquam tot vernantium foliorum exornemur; veniet tempus in quo percussi diuinæ sententiæ fulmine, hæc omnia nobis à radicibus exarescent, id est, vnà cum vita auferentur, remanentes planè sicci & aridi, ita vt cum diuite epulone petamus guttulam aquæ, ad humectandam & refrigerandam linguam. O quanta mutatio! Floret iam peccator, díues est, epulatur quotidie splendidè, induitur purpurâ & bysso, canes nutrit, maximam familiam alit &c. percussus maledictionis fulmine, iam planè arescit, & fauillæ imaginem induit, à summo virore præcipitatus in summam siccitatem. O quàm durus hic erit, à virore ad summam siccitatem transitus, duraturam non vnico, non decem annis, sed per omnem æternitatem. Numquam, numquam, ô peccator! ex te fructus nascetur in sempiternum. O nón verba sed tonitrua, apta vt etiam maximè indurata confringant corda.

Extra viam legis diuinæ plantati, exsiccandi, licet hic floreant.

19. Verùm, si in Christianis, quia iuxta mundũ viuunt, quia extra regiam viam Dei mandatorum viuunt, tanta sterilitas, quid iudicandum & dicendum de hæreticis, qui & iuxta mundum viuunt, & extra mandatorum Dei viam degunt, & insuper extra vineam Christi, id est, Ecclesiæ plantati inueniuntur; ficulneam, quæ secus viam, putat arefecisse Dominum Chrysostomus, quia Synagogã adumbrabat, quasi diceret: Ecce Synagoga, inanes tui labores, sacrificia & holocausta ex hac die erunt: quia non in stadio, non in vinea mea, hoc est, Ecclesia collocata es. Esto, quòd floreat hæreticus pluribus moralibus virtutibus, quòd exornetur pluribus in pauperes collatis eleemosynis, quòd virescat vitæ coram hominibus integritate, &c. si tamen consistat extra Ecclesiæ Catholicæ vineam, nihil eorum fructuum, qui à Christo desiderantur, quibusque ille reficitur, profert; vnde diuinæ maledictioni obnoxius manet: & sicut ille Christum non refecit bonis, & in vera fide & gratia factis operibus; sic etiam numquam à Christo est reficiendus æternâ gloriâ.

Hæretici extra viam, & vineam Christi plantati, exsiccandi, licet virtutibus floreant moralibus.

20. Et si talis est causa hominis, nullum fructum bonorum operum proferentis, quid iudicandum censebimus de homine, qui non solùm nullos producit fructus bonorum operum Christo ad eum venienti, sed folia tantùm; & interim diabolo ad eum accedenti, fructu maximè sibi iucundo, nimirum peccatis oneratus, existit. Si arbor quæ fructum non dedit, tali percutitur maledictione, quid expectandum illi arbori, quæ insuper tota spinosa & aculeata? D. Augustinus serm. 38. de Sanctis, expendens horrendam illam sententiam casuram in caput damnatorum in die iudicij: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus diabolo & angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*, sic scribit: *hoc considerate, fratres, pro qua remittuntur in ignem æternum. Non enim illis dicendum est, quia homicidia fecistis, adulteria commisistis, quia alienam substantiam rapuistis, sed hoc solùm audituri sunt, quia esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Et paulò post: *Si in ignem mittetur, qui esurienti non dedit panem suum, putas vbi mittendus est, qui tulit alienum? Si cum diabolo damnatus qui hospitibus non præbuit domum suam, putas vbi mittendus est qui tollit alienam? Si periturus est qui carcerẽ non visitauit, quid de illo fiet qui fortè in carcerem misit? Rogo vos fratres charissimi, hinc attendite, quam spem habere possunt qui mala faciunt, quando illi perituri sunt qui bona non faciunt? Denique & alio loco Dominus terribiliter nos admonet dicens: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Non dixit, quæ facit fructum malum: sed quæ non facit fructum bonum. Hinc ergo*

Si ob defectum bonorum operũ homo punitur quid de illo sentiendum, qui abundat malis operibus?

AVGVST.

possumus euidenter agnoscere, quas pœnas arbor spinosa in die iudicij patietur, quando illa quæ fructum non dederit excidetur, & in ignem mittetur. Sic D. Augustinus.

In tentationibus constituti, venienti ad nos Christo, fructus virtutum exhibendi.

22. Quicumque ergo diuinam illam vult subterfugere maledictionem, venienti ad se Christo, conetur exhibere desideratum ab eo fructum: quoniam verò in tentationibus præcipuè ad nos venit Christus, ideo etiam singulari quodam modo illi tunc fructum virtutum exhibere debemus, iuxta illud Origenis tract. 16. in Mat. c. 21.

ORIGEN.

In tentationibus petit fructum Iesus à ficulneis quas plantauit, id est, in persecutionibus confessionem & testimonium quærit fidelium. Et cùm mulier meretrix insaniens excitata fuerit super aliquem, quærit in eo Christus fructum continentiæ. Quem protulit & Ioseph, cùm fureret eius Domina super eum. Et sic in singulis quibusque tentationibus intellige Christum venire ad Christianos in tentationibus esurientem & fructum virtutum quærentem. Qui autem non fuerit paratus vt exhibeat fructus esurienti, aut confessionis, aut castitatis, confestim siccatur. Qui enim denegat in persecutione, siccatur. Similiter & qui fornicatur siccatur, quamuis ostensione fidei, quam antea baiulat, quasi foliis coopertus. Et super tales mirantur discipuli quomodo mox siccantur.

Etiam hyemali tempore tribulationis fructus virtutum Deo reddendi.

22. Sicut autem ficulnea hæc, quia non dedit fructus, siccatur, licet tempus ficuum non esset; sic etiam & tu siccaberis, nisi fructum Christo reddideris omni tempore, etiam illo, quod ad id minùs opportunum videatur. Venit ad te Christus tempore prosperitatis, vt recipiat fructum laudis, gratiarum actionis, obseruationis mandatorum &c. & facilè illum reddit; sed venit etiam tempore tribulationis, quam hyemi meritò comparaueris, vt recipiat eosdem fructus, vt colligat ficus patientiæ, resignationis, humilitatis, mansuetudinis, &c. Non videtur quidem esse tempus opportunum ad fructus hosce proferendos, nam in plurimis hominibus locum habet illud Psalmi 48. *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* nihilominus nisi & hyemali hoc tribulationis tempore maturos harum virtutum fructus exhibeas, siccaberis, nam omni tempore hi fructus producendi vt docet Origen. sequenti num. citando.

23. Venit ad te Christus dum odio te prosequuntur homines, dum ab illis tribulationem pateris, petit fructum charitatis, pacis. Videtur non esse tempus producendorum ficuum, dum in hac tristissima hyeme constitutus es, sed toto erras cælo: licet non tibi videatur tempus esse ficuum, Christus tamen & in hac hyeme illos à te exigit, & nisi inueniat, siccaberis. Origenem hæc elucidantem accipe, sic enim scribit tract. 16. in Matth. cap. 21.

ORIGEN.

Vnus de fructibus Spiritus sancti charitas est. Huius tempus est quando non est difficile fructum reddere charitatis & diligere diligentem: & est quidem fructus iste Spiritus sancti, tamen in tempore suo. Si autem aliquis excitetur ad odium fidelis constitutus, & circumueniatur, & insidias patiatur, & diligat insidiantem sibi: aut certè si fuerit aliquis malè moratus & odio dignus, ille iustus nec hunc talem odiat, sed quasi filius eius qui solem suum oriri facit super bonos & malos, etiam tunc eum diligat: vt puta non in tempore ficuum fructum dans charitatis, beatus est. Similis & de gaudio potest esse tractatus. Qui profert fructum gaudij, nullo eum ad tristitiam prouocante. Quando autem præsentia prouocant eum ad tristandum, vel ad pusillanimitatem, prouocatus autem ille per verbum in tantum proficit, vt etiam in tempore tristitiarum gaudeat, & in tempore opprobrij, vel castigationum glorietur, & in omni tempore periculi memor sit eius quod dictum est: Semper gaudete, beatus est huiusmodi Christianus fructum gaudij ferens, etiam non in tempore ficuum. Similiter in omnibus fructibus sancti Spiritus est tractandum. Vult enim Christus fideles suos meliores esse humana omni natura, & exigit eos supra naturam, & (vt dicam) opera Dei magis quàm hominum. Propter quod hominibus dicit, quoscumque ad beatitudinem vocat: Ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes. Arguitur autem eos qui norūt esse dij nec filij esse excelsi: vos autem sicut homines moriemini. Sic Origenes.

24. Venit ad te Christus tempore adolescentiæ, & quærit in te fructum diuini timoris, fidei, obseruationis mandatorum, & charitatis: videtur quidem tempus hoc adolescentiæ, quæ hyemi meritò comparanda (hyemi enim eam comparat Iob c. 29. dum ait: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ*, vel vt legit Tigurina, *sicut fui in diebus hyemis*) non esse tempus opportunum proferendi hasce ficus. Quid enim huic hyemi, cum voce illa turturis, æstatis gratiæ, prænuntiæ? *Pœnitentiam agite?* In illa quid canitur, nisi inuitatorium illud diaboli, de quo Sap. c. 2. *Venite ergo & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creaturâ tamquam in iuuentute celeriter; vino pretioso, & vnguento nos impleamus, &c.* Nisi tamen venienti Christo etiam in hyeme adolescentiæ tuæ fructum exhibueris, siccaberis.

Tempore hyemali adolescentiæ etiam fructus virtutum Christo exhibendi.

Adolescentia hyemi comparatur.

Hominem adumbrabat ficulnea Christianum, à quo omni tempore Christus fructum exigit. Audi D. Paulinum epist. ad Desiderium: *Non enim ille, qui nouit occulta cordis, & qui cogitationes hominum perspiciebat, id quod in hominum oculis erat positum, non videbat; aut etiā humano sensu minor erat, vt etiam in paruulorum scientia positum anni tempus ignoraret, & autumni fructum in vere deposceret, sed artifex salutis nostræ creator (cuius vita & actus omnis in terris forma nobis conuersationis & morum fuit) ideo visibiliter inuisibilia sua consilia disposuit, & in creaturis irrationabilibus animæ rationalis speciem suæ conformationis expressit, vt nos ad omnia nobis salutaria scriptis operum suorum atque verborum insignibus erudiret. Et hoc est,* quod

Vult Deus hominem omni tempore ferre fructum.

PAVLIN.

quod voluit intelligi per Euangelistam nobis indicando non suo tempore fructum ab arbore se petisse, vt omni tempore homo se fructum Deo debere cognoscat. Quia bonus Dominus, qui hominem mortalem immortalitati præparat, iam & in hac sæculo vult eum speciem perpetuitatis induere, vt fructum non accipiat de tempore, sed omni tempore sit maturus illi, cum quo vel in quo mansurus est sine tempore.

AMBROS. Omne tempus aptum saluti.

D. Ambrosius in Psalm. 118. ad illa verba, *Tempus faciendi Domine*, vult hac ficulneæ percussione facta, quod alieno tempore fructũ in ea non inuenerit Dominus, damnatum hominum ingenium, qui tempus aptum inquirunt vt benefaciant, ac si aliquod tempus ad id esset ineptum: *Omne* ait, *tempus opportunum salutu, nihil præproperum pro salute periclitantium*. Numquam non tempestiuè à Domino peti salutem, probat D. Chrysostomus homil. 1. in Acta, exemplo Eunuchi, qui Act. 8. cùm esset in via videns aquam continuò prosiliuit, vt à Philippo baptizaretur, & illius carcerarij, qui Act. 16. aperto carcere inueniens Paulum inter vinctos vinctum, & cæsum, statim consternatus ait; *Domine quid me oportet facere, vt salus fiam?* Intempestiuè fortè putaretur tempus, vt carcerarius iste de salute ageret, quando Doctor vinctus, & cæsus in carcere tenebatur. Expectasset occasionem aliam tempestiuiorem: sed nulla non est tempestiua occasio, vbi salus animorum procuratur. Vnde prudens ille carcerarius non exquisiuit aliam opportunitatem, quamuis esset inter vinctos, conspiceretque Doctorem cęsum, & vinctum: *Ne quis*, inquit Chrysost. *arbitretur intempestiuum esse de salute sermonem, eò quòd nunc non est dies quadragesimus. Nam hoc est quod vrit animum meum in huiusmodi rebus, obseruari tempus. Atqui Eunuchus ille cùm esset barbarus, & iter faceret, essetq; in via publicæ, non exquisiuit opportunitatem: sed ne carcerarius quidem ille cùm esset inter vinctos, conspiceretq; Doctorem cæsum ac vinctum, præsertim cùm id temporis crederet illum in carcere mansurum. Hic autem plerique qui nec in carcere sunt, nec itinere, proferunt salutu suæ negotium.* Hæc D. Chrysost.

CHRYSOS. CHRYSOS.

Adolescens virtuosus similis ficui præcoci.

25. Et ne dixeris quæso; adolescentiam non esse tempus ficuum. Talis enim est diuinæ gratiæ natura, vt secundet mentes humanas ad operandum, vt bene docet Baeza in Com. moral. tom. 2. lib. 11. cap. 8. §. 3.

26. Quod amplius, nihil Deo iucundius, nihil dulcius, nihil palato suo sapidius quàm virtutum opera, quæ cum ipsa incipiunt adolescentia: vnde qui à prima ætate sese diuino mancipant obsequio, comparat Deus præcoquis ficubus, id est, ante tempus maturescentibus, quas inter fructus certum est esse dulcissimas, & suauissimi gustus Qua mente dixit Deus per Michæam cap. 7. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea*, id est, id mihi maximè est in optatis, vt in tanta improborum hominum multitudine, inueniam aliquos, qui veluti præcoquæ ficus, appparerent, qui Deum ab ętate ineunte, etiam antequam florem ætatis attigissent, ad similitudinē ficus, quę pro floribus profert præcoquos fructus, toto animo totoque corde colerent & obseruarent. Ribera in hunc locum per præcoquas ficus putat intelligi sanctos Patriarchas, Abraham, Isaac & Iacob, qui à primis annis, & antequam florem attigissent ætatis, se Dei manciparunt obsequio, do illius verba: *Præcoquas ficus, id est, ante tempus maturescentes, intelligamus esse sanctos Patriarchas, Abraham, Isaac & Iacob, qui ante reliquos homines conuersi sunt ad Deum. Atque hoc ex Osee cap. 9. discimus: Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi prima poma ficulneæ, in cacumine eius vidi patres eorum; Vt sit sensus: Optabam illam priorum patrum virtutem, cupiebam videre aliquos eis similes in tanta multitudine malorum, sed neminem vidi.* Sic ille. Sunt qui velint his verbis significari etiam in hyeme peccati constitutos debere opera bona proferre, hæc enim disponunt ad gratiam.

RIBERA.

Etiam in hyeme peccati, facienda bona opera.

27. Manè dicitur esuriisse Christus à Matthæo cap. 21. *Manè autem reuertens in ciuitatem, esuriit*: quia dum iam in homine incipit elucescere lux rationis, in ipso adolescentiæ exordio esurit in eo Christus fructus bonorum operum, & tempestiui hi fructus illi gratissimi, palatoque illius suauissimi. De quo vide Baezam loco citato §. 2. Et Laurentium de Ponte hom. 117. in Sapient.

Christus in adolescẽte esurit fructus bonorum operum.

Causam, quâ arefacta ficulnea à radicibus, refert Auctor operis Imp. homil. 39. in sermonem Domini dicens: *Sermo eius quasi flamma descendit ad radicem.* Si tantas vires ad inducendam perpetuam ariditatem habet sermo ille Christi; *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum*: quid iudicandum de horrendo illo tonitruó personante contra impios in die iudicij: *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. D. Thomas de human. Christi opusc. 60. expendens verba illa Ioan. 18. *Vt ergo dixit, ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram*, sic scribit: *Vna vox turbam odiis ferocem, armis terribilem, sine vllo telo percussit, repulit, ac strauit virtute latentis diuinitatis. Quid faciet iudicaturus, qui hoc fecit iudicandus? Quid regnaturus poterit, qui moribundus hoc potuit?* Similiter hic sermo moribundi in breui Christi, tamquam flamma descendens ad radicem, eam in perpetuum arefecit, quid faciet iudicaturus, qui hoc fecit iudicandus?

Si sermone solo tanquam flammâ, Christus breui moriturus ficum arefecit à radicibus, quid facturus, iudicaturus?

D. THOM.

Cur ficulnea assumpta à Christo pro Diuinæ Iustitiæ speculo.

SECTIO III.

Ficulnea est electa à Christo, vt sit diuinæ iustitiæ symbolum.

1. Sed quænam subest ratio, quòd ficulnea electa sit à Christo, pro iustitiæ suæ, in peccata hominum desæuientis, symbolo? Cur inter omnes creaturas inanimes electa ficulnea, vt in illa ostẽsionem faciat Christus iustitiæ suæ vindicantis in die iudicij peccata hominum? Cur ad ficulneam nos remittit, vt sciamus qualẽ sit sumpturus de hominibus peccatoribus vindictam? Cur ficulnea illi magis exosa, quàm reliquæ arbores? cur magis illã maledictione percutit, quàm illas, præsertim cùm nulla illi vitio imputãdum quòd fructus non habeat, cùm tempus ficorum non esset? Aduertite obsecro, quando personam aliquam, alioquin magnæ auctoritatis & & prudentiæ, propter aliquam leuem occasionem, nimis irasci cernitis, statim iudicatis, quòd ira illa vetustior est, & aliam occasionem habuit sic in præsentia, non propter illam leuem occasionem, Deus ficulneæ maledixit, antiquior enim fuit indignationis suæ occasio. Non desunt enim grauissimi authores, qui dicant arborem vetitam & interdictam ficum fuisse, quæ fructu suo primos parentes allexerat ad mandati transgressionem. Itaque ficulneam, tamquam in ipso orbis initio peccati, vsu suo, illicem, præ cæteris rebus sua maledictione percutit Christus, in eaque ostendere voluit, quam habeat puniendi potestatem. Deinde fuit ficulnea aliquo modo pœnæ mortis quam Adam propter peccatum incurrerat, dissimulatrix cùm foliis illius cooperuit se. Cùm enim Adamus nudum & iustitiæ originalis spoliatum se cerneret, ad ficulneam accurrit, & foliis eius nuditatem suam confusibilem cooperuit, quam per peccatum incurrerat, & ideo ficulneam maledixit. Non enim vult Dominus esse aliquod velamen, quod ab oculis nostris miserias & pœnalitates, in quas per peccatum deuenimus, abscondat, sed quod semper eas habeamus præsentes & manifestas. Præcipua autem illarum est mors, cuius memoria numquam à mentibus nostris deberet excidere. *Arefecit Dominus ficum*, ait Epiphan. quæst. 58. *quia post transgressionem Adam, accepit folia ficus, quibus obtexit suæ turpidinis peccatum. Dominus arefecit operculum peccati, id est, folia ficus, quibus Adam tegebatur post transgressionem.*

Arbor vetita ficus fuit, & ideo ficulnea assumpta pro speculo diuinæ iustitiæ.

Præterea, quia foliis ficus contexit nuditatem Adam

Epiphan.

2. Vtramque rationem adducit Isidorus Pelusiota epistolâ 51. ad Theopompum sic scribens: *In hac re arcanus quidam sermo adnexus est, à senibus sapientibus ad nos grassatus, nempe hanc transgressionis arborem esse, cuius etiam foliis ad corpus tegendum vsi sunt ij, qui mandatum violarunt (id est, primi parentes.) Ac proinde Christus humano, ac misericordi animo, hoc ei imprecatus est, vt ne posthac fructum ferret peccandi causam.* Sic ille. Disce, ô Christiane, ex hoc facto Christi parabolico, quàm execretur Deus hominem, ad mandatorum diuinorum transgressionem, alios allicientem, qui aliorum peccata, & propria, in Deum commissa extenuat, excusat, tegit, & velat.

Isidor. Pelvs.

3. Tertiò ideo fortassis ficus maledictione percussa, quia præuidebat Christus Iudam iam in desperationem actum, in illa se suspensurum, a que ideo eam futurum mortis suæ maximè infaustæ instrumentum. Iudam in arbore fici se suspendisse, notat Beda de locis sanctis c. 4. citans Iuuenci Poëtæ carmina de hac re lib. 4. hist. Euang. quæ sic habent:

Exosusque suas, laqueo, sibi sumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Tertiò, quia præuidebat Christus in ea arbore se suspensurũ fore Iudam

Beda.

Hæc arbor etiam tempore Bedæ superstes fuit; nec nouum, vt notat Baronius tom. 1. Annalium, cùm Tacitus lib. 13. Annal. in extremo dicat, per octingentos, & quadraginta annos ficum quandam Romuleam arefacto iam trunco, & mortuis ramalibus extinctam apparuisse, quæ tamen nouos fructus post tam longa temporum spatia prodigiosè dedit. Quod ergo de agro illo, in quo occisus à Caino Abel censuit Ambrosius; idem & nos conijcere possumus de ficulnea hac. De agro illo opinatur D. Ambrosius lib. 2. de Cain & & Abel cap. 8. eum sterilem fuisse & infæcundum. Et rationem fuisse putat, in pœnam fratricidij in eo exercendi: vt terra sanguine contra naturam irriganda fructibus secundum naturam priuaretur. *Tamquam præsagiens*, inquit, *natura, tanti sceleris in loco germina denegauerat: quia non conueniebat, vt idem solum, & contagia parricidalis sanguinis reciperet præter naturam, & fructus secundum naturam germinaret.* Sed, ne iniustè agi videretur cum agro nullius iniustitiæ consorte, subdit post pauca: *Iustum igitur natura est impertita iudicium; ea loca, in quibus futurum erat parricidium, muneris sui dote priuando: vt ex innocentis soli quadam damnatione ostenderet futura supplicia noxiora. Propter scelus igitur hominum, & ipsa elementa damnantur.* Sic ille. Sicut ergo in pœnam fratricidij in eo exercendi, ager ille sterilitate laborabat, ita non improbabiliter dicere possumus, & ficulneam hanc maledictione percussam in pœnam suspendii,

Baron.

Ambros.

Puniuntur inanimata in pœnam peccatorum quæ in illis commissa.

pendij, in simili arbore perficiendi ab impio Christi discipulo, vt ex pœna innocentis arboris coniiciamus de pœnis sumendis ab ipsis peccatoribus.

Quartò, quia ficus immemor Dei in fructibus producendis.

4. Quartò, vna ficus maledictionem accepit à Christo, quia antiquum ficus ingenium, in fructibus suis non meminisse Dei, quando inde bonæ arbores suam abundantiam æternant, quod Dei in primis meminerint. Si libet, recole Apologum illum propositum, Iudic. cap. 9. *Ierunt ligna, vt vngerent super se regem: dixeruntq́, oliuæ: Impera nobis. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, quâ & dij vtuntur, & homines, & venire, vt inter ligna promouear? Dixeruntq́, ligna ad arborem ficum. Veni & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusq́; suauissimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear? Loquuta sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. Quæ respondit eis: Numquid deserere possum vinum meum, quod lætificat Deum, & homines?* Expende, quòd olea, atque vitis primò in fructibus suis Deum meminerint; ficus verò sola Deum oblita, tantum fructuum suauitatem reminiscitur. Vnde meritò assumpta à Christo pro iustitiæ suæ & potestatis puniendi symbolo, & perpetua maledictione ab ipso percussa. Disce, ô Christiane, quantum displiceat Christo, te illius prorsus obliuisci, totumque Deo oblito te conuersum ad tuas sectandas vtilitates & voluptates. Primum & præcipuum studium nostrum debet esse circa ea quæ Dei sunt, vt perpetuò perfruaris virore, perpetuaque exorneris bonorum abundantiâ.

Quintò, quia ficulnea illa, quia hypocritarum, quales erant Pharisæi, typum gerebat.

5. Quintò ficus maledictione percussa à Christo, & assumpta in exemplum, quo puniendi suam potestatem demonstret, vt ostenderet, teste Origene tract. 17. in Matt. grauissimè & iustissimè se contra Iudæos magnâ irâ commotum, illorum singulare peccatum erat Hypocrisis, ideoq́; ad ficulneam, quæ illorum gerebat typum, se conuertit illamque maledixit; vt hinc consideres, & inferas, quanta ira fuerit contra Hypocritas prouocatus, qui arborem omni culpa expertem, à qua nihil fuerat læsus, maledixit, ex eo solùm, quòd Hypocritarum typum & effigiem quandam referebat. Quo etiam spectans Dionysius Carthus. sic ait: *Accessit ficulneam quærens in ea fructum, ad insinuandum, quòd venit ad populum Iudæorum, quærens in eis fructum iustitiæ. Arbori quoque habenti non fructum, sed folia maledixit, ad innuendum quòd Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, & cæteri simulatores ac callidi non veritatem, sed apparentiam sanctitatis habentes induti vestibus ouium, intus verò pleni hypocrisi, essent diuinitus maledicendi.*

DIONYS. CARTHUS.

Ficulnea percussa typus hypocritarum.

Origenes tract. 16. in Matt. vult ficulneam hanc in eo typum gerere hypocritarum, quòd sicut illa exteriùs quidem virebat, interiùs autem, id est, radicitus arescebat: ita & hypocritam exteriùs quidem virere, radicitus tamē, id est, interiùs arescere, ac proinde per suam iam clementiam agere Deum, vt is qui radicitus arebat, exteriùs etiam siccaretur, id est, vitium, quod medullitus delitescebat, exteriùs proderetur: Minùs enim nocere potest vitium si serpit, quàm si interiùs tantùm contineatur. Audi Origenem: *Et melius est, fallacem ficum, quæ viuere existimatur, non autem fructificat, quasi viuam argutam, quia est infructuosa, siccari verbis discipulorum Christi, & fieri manifestam, quàm vt furetur, dum viuere existimatur, per figmentum professionis, innocentium corda &c.* Vide quantum malum sit hypocrisis.

ORIGENES.

Sextò, ob ficulneæ illius inobedientiam.

6. Sextò, reiici potest hæc ficulneæ maledictio in illius inobedientiam. Esto, non sit tempus fructuum, an ideo non tenetur Christo, eos poscenti, eosdem exhibere? Absit; *Anhelat*, ait Chrysologus serm. 74. *creatura creatori seruire, non tempori. Et ideo, licet legitima excusatio videatur quæ à lege temporis desumitur, non erat tempus ficorum, ea tamen ratio vim habet vbi qui ficos quærit, est homo; at vbi Deus est qui imperat; peccat arbor quæ non obtemperat, dum obsecundat potiùs legibus temporis, quàm voluntati creatoris.* Creatori creatura debet deseruire, & obtemperare etiam in iis quæ contra naturales illius sunt leges, & quæ repugnant temporum ordini, & supra vires aliquid obeundum est, vbi est Deus qui iubet, nam iubendo vires impendit, & Dei imperium, non tam iussio est, quàm auxilium. Itaque verbum illud, quo Christus maledixit ficulneæ (in tempore videlicet non suo, *non enim erat tempus ficorum*) debet intelligi quasi accusatio, & crimen inobedientiæ imputatum arbori, vt discas quantum contra te excites & concites diuinam iracundiam, si mandatis diuinis, etiam prima facie grauissimis te immorigerū exhibeas. Supra vires aliquid obeundum est, vbi est Deus qui iubet, & iubendo auxilium præbet, redditque omnia minùs operosa.

CHRYSOLOGVS.

Septimò, potest hæc ficulneæ maledictio adscribi illius ingratitudini. Nam vt ait Chrys. hom. 68. in Matt. *Ideo non in alia planta, sed in omnium humidissima hoc miraculum fecit.* Humidissima ergo cùm esset, & super cæteras impinguata arbores, tantis extraordinariis beneficiis acceptis, præcoquere debebat fructus, & tempus ipsum anticipare à natura constitutū, nec illi tantùm folia præparare. Disce, ô Christiane, qualiter cōtra te prouoces diuinā indignationē & iram dum tot præ cæteris hominibus, cumulatus Dei beneficiis, totq́; irroratus & impinguatus, diuinæ gratiæ humoribus, nihilominus nullos bonorū operū fructus profers, & venienti & esurienti Domino, nihil exhibes nisi folia, quæ illius nō extin-

Septimò, ob illius ingratitudinem. Quàm ingratitudo Christo displiceat.

CHRYSOS.

guunt esuriem. Cogita, quòd dum augentur dona, etiam rationes crescant donorum, & cui plus datum, plus etiam ab eo exigendum. Hisce cognata sunt quæ scribit Tostatus in cap. Matth. 21. quæst. 106. *Quia*, ait, *Christus laborauerat declinando ad ficulneam, & quia fructum non habebat, maledixit eam, vt congruat significationi.* Nimirū, vt discas, ô Christiane, sapere alieno malo, & dicas, si Christus taliter vindicet, ingratitudinem ficulneæ, non habentis ficus, dum in illius gratiam pauculos facit passus; quomodo ferre poterit hominum ingratitudinem pro quibus descendit de cælo &c. tamque difficiles & amaritudine plenas ambulauit vias, quomodo non meritò audient, *Ite maledicti in ignem æternum?*

TOSTATVS.

Ficulnea percutitur, vt homo vereatur.

ISIDOR. PELVS.

Postremò. Ideo autem ficulneam taliter anathemate percussit, teste D. Isidoro Pelus. apud Lipp. Gen. 3. vt terreret homines. Inferuntur inanimatis mala quæ hominibus terrorem incutiant maioris mali. Nil enim damnatur in irrationabilibus, quod magis non sit damnandum in homine. Qua mente etiam lex, multa bruta animalia execrabatur, & immunditiei percutiebat horrore, vt inde eadem vitia, grauiùs damnanda, ostenderentur in homine. Sic Tertull. libr. aduers. Psychichos. *Proficere autem poterant intellecto, plus in hominibus vitia fugienda, quæ lex damnasset etiam in pecoribus. Nam quando irrationale animal ob aliquod reijcitur, magis illud ipsum in eo, qui rationalis est, homine damnatur. Ergo vt homines mundarentur, pecora culpata sunt, scilicet, vt & homines, qui eadem vitia haberent, æquales pecoribus æstimarentur. Sic quæcumque arborum vel animalium pœna, eadem imminere indicat homini.*

TERTVL.

Quia omnia in Iudicio extremo peragenda tristissima, hinc placuit Christo, sub imagine ficulneæ, de illo loqui.

SECTIO IV.

1. AD secundum quod attinet; Vis scire qualisnam futura materia de qua agenda in futuro iudicio? *Ab arbore fici discite parabolam*; Hoc enim inter omnes domesticas arbores omnibus aliis tristior est, & omni prorsus gaudio, & alacritate, ac risu destituta. *Cùm enim*, ait Plinius libr. 16. cap. 25. *flos sit gaudium arborum, tunc se nouas, aliasque quàm sunt, ostendunt*. Sola ficus ex omnibus arboribus non floret, vt post Plinium libr. 16. cap. 26. & alios, attestatur etiam Macrobius lib. 3. Satur. cap. 20. Et quamuis ficus aliquando dicatur florere vt Abacuc cap. 3. vbi iuxta vulgatam editionem Latinam legimus: *ficus enim non florebit*, sciendum LXX. hæc verba sic transtulisse; *ficus enim non afferet fructum*: adeò quòd nostra editio dum ait; *ficus non florebit*, vult dicere, ficus non proferet grossos suos, id est, fructum primum non faciet, quem quasi florum vice præmittit. Nam vt testatur D. Bernardus serm. 59. & 60. in Cantic. *ficus flores non habet, sed pro floribus grossos mittit tempore, quo cæteræ arbores florent, & quomodo flores apparent & transeunt, ad nihil vtiles, nisi quod sequuturi fructus preuuntij sunt, ita & grossi oriuntur, sed immaturè cadunt, & dant locum maturandis, ipsi minimè habiles ad vescendum.* Cùm ergo tristissima arbor sit ficus, quæque non *sentiat*, vt ait Plinius loco citato, *gaudium annorum*, meritò assumpta est à Christo pro imagine tristissimi sui iudicij, secum inuoluentis causæ nostræ, atque totius vitæ nostræ, in hoc sæculo peractæ, ventilationem, deductionem, examen, exactumque scrutinium, probationes quoque, testimonia, sententiam, condemnationem & pœnam.

PLINIVS.

Ficulnea arbor tristis ob perpetuam florū carentiam, atque ideo assumpta à Christo pro speculo tristissimi sui Iudicij.

LXX.

BERNAR.

2. Sanè nihil tristius iudicij die excogitari potest, ipsæ inanimes creaturæ plenæ luctu. Legimus Ioelis capite 3. *Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Quod ponderans D. Zeno serm. 4. de Isaia, inquit: *Hinc æstimare licet, quid sit eis reseruatum, quorum in causa funerei luctus pœnæ pertulit natura supplicium.* Quando natura etiam cælestis tam plena ingenti luctu, quo luctu, quâ tristitia non opprimendus ipse reus? *Erunt*, ait Lucas c. 21. *signa in sole, & luna, & stellis: & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur.* Tunc arescent præ tristitia homines, qui dum viuerent erant maximè virides & florentes. Quàm triste reprobis videre propriis oculis, flammis consumi, charissima pignora, & bona omnia pro quibus tam longos subiere labores. vide Baezam, de Christo figurato tom. 3. libr. 7. cap. 10. §. 3.

Quàm triste futurum extremum iudicium peccatoribus.

ZENO.

BAEZA.

3. Quàm triste audire mugitum illius vltimæ tubæ, de qua D. Chrysostomus homil. 49. in Matth. *Verè magna vox tubæ terribilis, cui omnia obaudiunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, clausuras tenebrarum pertransit, portas æreas conterit, vectes adamantinos & ferreos confringit, vincula mortis dirumpit, & de profundo abyssi animas*

Quàm triste in perditione bonorum omnium non inuenire aliquod pœnarum effugium, *vide eundem loco cit. §. 14.*

CHRYSOS.

animas liberatas, corporibus suis assignat. In illa voce puluis iam dissolutus corporum mortuorum in noua membra constringitur. Hæc omnia citius consumet in opere, quàm sagitta transit in aëre, dicente Apostolo 1. Corinth. 15. *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Tuba enim canet, & mortui resurgent incorrupti.*

4. Quàm triste videre iudicem illum venientem in nubibus cæli ad iudicium: *Tunc plangent se*, ait Christus Matth. cap. 24. *omnes tribus terræ.* Quæ verba premens D. Chrysostomus in opere Imperf. homil. 49. sic pulcherrimè scribit: *Plangent enim se Iudæi videntes viuentem & viuificantem, quem quasi hominem mortuum æstimabant, & conuincentes se, corpore vulnerato, scelus suum denegare non poterunt. Plangent se & Gentiles, qui vanis Philosophorum disputationibus decepti, irrationabilem stultitiam putauerant esse, Deum colere crucifixum, & detulerunt creaturæ gloriam creatoris: Lugebunt & Christiani peccatores, qui magis dilexerunt mundum, quàm Christum, cùm audierint eum hæc verba dicentem ad se: Ego propter vos homo factus sum. Propter vos alligatus, & delusus, & cæsus, & crucifixus sum. Vbi est tantarum iniuriarum mearum fructus? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum vestrarum. Vbi est seruitus vestra, quam mihi pro pretio sanguinis mei debetis? Ego super gloriam meam vos habui, cùm essem Deus apparens homo, & viliorem me omnibus rebus vestris fecistis. Nam omnem rem vilissimam terra amplius dilexistis, quàm iustitiam meam & fidem. Plangent se hæretici, qui purum hominem crucifixum dixerunt, cùm viderint ipsum esse iudicem, in quem compunxerunt Iudæi. Et tunc plangent se omnes tribus terræ, quia nec resistendi virtus est contra eum, & fugiendi nulla facultas ante faciem eius, nec pœnitentiæ locus: ex angustia omnium rerum, nihil eis remanet præter luctum. Meritò plangent se, quia tunc neque pecuniæ diuitibus prosunt ad eleëmosynam faciendam, neque parentes iusti pro parentibus intercedunt, neque ipsi Angeli pro hominibus, sicut solebant, faciunt verbum: quia non recipit natura iudicij misericordiam, sicut nec tempus misericordiæ iudicium, dicente Propheta: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Misericordia in priori aduentu, iudicium in secundo.*

Chrysos.

Psal. 101.

5. Quàm triste videre faciem iudicis planè immutatam, furore ardentem, indignatione plenam. Tunc enim quàm maximè in Christo locum habebit quod ex veteri traditione affirmat Paschasius in Matthæum, nimirum, in sanctissima Christi facie, pro rerum opportunitate, & diuersis eorum qui illum aspiciebant meritis, duas formas, vnam suauissimam, alteram seueriorem reluxisse, sic enim scribit lib. 12. in Matth. *Vera dicitur illa traditio, de qua suprà iam memini me dixisse, quia erat in facie Iesu nonnumquam quædam diuinitatis eius conspersio, ita vt duæ formæ in eo vicissim apparerent: vna, secundùm quam omnes eum videbant: altera, secundùm quam in monte transfiguratus legitur. Quam sanè formam sic vicissim temperabat, vt vnicuique appareret, secundùm quod fuerat dignus.* Sic ille. Cùm itaque peccatores indignos sese reddiderint, quibus placidum & iucundum exhibeat vultum, nihil eis superest, quàm terribilis quædam iudicij expectatio, & summa illius faciei, quæ electis erit suauissima & iucundissima, in crudelem & longè sibi seuerissimam immutatio. Quam non valentes sustinere, dicent montibus; Cadite super nos, & abscondite nos à facie diuinæ indignationis.

Paschasius.

6. Quàm triste & luctuosum audire illa diuinæ sententiæ tonitrua: *Ite maledicti in ignem æternum. Quanta*, ait Cyprianus serm. de Ascensione, *illud edictum sequentur lamenta? Illius vltimæ tubæ clamor quàm horribilis erit? Continuus erit & superfluus lachrymarum decursus, incendia nudum corpus allambent, in proprio adipe frixæ libidines ebullient, & inter sartagines flammeas misera corpora cremabuntur: non miserebitur vltra Deus, nullum ibi refrigerium, nullum remediũ.*

Cyprianus.

7. Quàm triste & luctuosum, prolatâ hac sententiâ, maximam, imò penè infinitam peccatorum multitudinem cadere in os inferni, sicut ficus cadunt in os comedentis, si vento vehementiori concussa fuerit, vt in inferno singuli eorum tot patiantur tormentorum genera, quot in ficu inueniuntur grana.

8. Quamuis autem dies iudicij tristissima sit peccatoribus, iustis tamen est lætissima; vnde ait Christus Luc. c. 21. *His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Quasi dicat, impij, qui non solùm toto vitæ tempore lasciuierunt, sed etiam illis diebus fœlicitatem sibi repromittent, his visis, nempe, cùm Sol cœperit obscurari, lunam in sanguinem verti, mare ingentes mugitus edere, formident, paueant, animi pressurâ arescant; vos autem qui in mundo semper pressuram habuistis, in frigore & nuditate degentes, quorum vitam duris operibus Pharao ad amaritudinem perducebat, his incipientibus, respirate, non vobis cadat animus, nec vultum deorsum demittatis, more tristium; imò, sicut ij, quibus effulget spes emergendi à malis, ad cælum vultum attollunt, ita omni tristitiâ excussâ, gestire incipite & leuate capita vestra, quia prope est vobis ista æstas, quam nulla sequetur hyems, nulla tempestas, sed omnium bonorum consummata fælicitas.

Iustis futura lætissima dies Iudicij.

9. Vnde sicut antiqui Patres summo affectu desiderarunt & expectarunt primum Christi aduentum; non minori nos, si velimus iustis annumerari, & de numero filiorum Dei haberi, hunc secundum Christi

Secundum Christi aduentum, deberent iusti non minus desiderare, quàm antiqui Patres desiderauerunt primum.

sti aduentum desiderare debemus, iuxta illud D. Pauli Rom. 8. in persona iustorum & illorum Dei loquens: *Primitias spiritus habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri, spe enim salui facti sumus.* Ac si apertè diceret; Christus Deus & homo, cùm primùm è cælis descendit, nostram operatus est redemptionem plenissimè quoad substantiam, non quoad effectum; plenus enim effectus in die resurrectionis, & iudicij erit. Pro isto statu partem, & principium nostræ redemptionis accipimus, primitias illius prælibamus: adhuc enim nec gratia, nec gloria consummata est, mortaleque hoc corpus adhuc incorruptionem non induit, eam tamen expectamus, quia spe salui facti sumus, cùm autem consummatum expectemus bonum, intra nos gemimus, nempe ex intimis cordis medullis suspiramus, vt adueniat dies illa vltima, vt absorbeatur mortale hoc à vita.

TERTVL. *Quamuis*, ait Tertullianus lib. de carnis resur. cap. 22. *dies iudicij, dies Domini magnus, iræ plenus, signis atque portentis, & concussionibus elementorum sit prænotatus, tamen vota nostra suspirant sæculi occasum, & in tenerescentis fici signum tendunt; quia dum fuerit propinquum, interim erigit, & excitat animum, ad iam proximum spei fructum.* Si captiuus esses apud Turcas, & tuæ redemptionis pretium pro medietate esset solutum, & altera medietas adhuc decem annis esset soluenda; nónne summis votis concupisceres diem vltimam, in qua libertate plena esses donandus? Corpore & animo captiui eramus, ob primi parentis crimen, & Christus Dominus aduenies animam libertate donauit; corpus morti obnoxium vsque ad diem iudicij sub spe dereliquit, vt magnitudine primitiarum inescati, & suauitate illecti, gemitibus inenarrabilibus completam redemptionem postularemus, tantoque mens nostra, & vultus esset hilarior, quantò dies plenæ redemptionis nobis proximior.

Quam ob causam iusti, meritò desiderant secundum Christi aduentum.

BERNAR. Inter vtrumque Domini aduentum quiescendum iusto.

10. Hinc est quòd D. Bernardus serm. 4. de Aduentu, velit nos inter primum & secundum Domini aduentum iugi meditatione, tanquam inter duas diuinas sortes, versari, expendentes quanta in primo præstiterit, & quanta in secundo promiserit: *Dignum est*, inquit, *vt tota deuotione Domini celebretis aduentum, delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione. Nec solùm cogitetis aduentum, quo venit quærere, & saluum facere, quod perierat; sed & illum, quo veniet, vt assumat nos ad seipsum. Vtinam, vtinam, ô fratres, intra hos duos aduentus iugi meditatione versemini, ruminantes in cordibus vestris, quantum præstiterit in priori, quantum repromiserit in secundo. Vtinam dormiatis inter medios hos cleros, hæc enim sunt duo brachia sponsi.*

Quòd sicut peccatis hominum paulatim deficit & senescit mundus, ita & ob peccata præmaturè finem accipiet, adducta ficulneæ similitudine demonstratur.

SECTIO V.

1. QVantum ad ea signa quæ iudicium extremum sunt antecessura, & denunciatura, orbis excidium iam instare, illa, quoniam valde tristia, meritò etiam imagine ficulneæ, arboris tristissimæ, nobis insinuantur. Præcedet orbis conflagrationem, vltimumque illius excidium, tamquam prænuntium quoddam, in primis, abundantia quædam iniquitatis, & per consequens, maxima refrigeratio charitatis, iuxta illud Christi agentis de illis, quæ iudicium extremum sunt antecessura, Matth 24. *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Nam vt ait Remigius in hæc verba: *Quantò magis ab vnoquoque iniquitas suscipitur, tantò magis in corde ipsius ardor charitatis extinguitur.* Abundantia autem hæc iniquitatis, progerminabit à profligatissima vita Antichristi. Cùm enim sit futurus rex impudens facie, filius perditionis, homo peccati, abominatio desolationis, stans in loco sancto, ad omnem impuritatem suis clientibus laxabit habenas. Quam abundantiam impietatis, cùm videris, nullis repagulis reprimi, sed passim instar cuiusdam diluuij sese diffundere; scitote peccatorum abundantiam prænuntiare extremam, quam etiam causabunt, orbis ruinam. Nam vt ait D. Chrysostomus in opere Imperf. *Medulla huius mundi sunt homines sancti; medulla quamdiu in arbore fuerit sana, floret: cùm autem percomesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur, sic & quamdiu sunt fideles, stat iste mundus.* Sic ille. *Sed ab arbore fici discite parabolam.* Hæc enim verba expendens S. Hilarius Can. 26. in Matth. sic grauissimè scribit: *Cognoscendi temporis signum, in similitudine fiens arboris posuit: cuius cùm ramus tener fuerit, atque fronduerit, tum prope esse æstas intelligitur; sed longè alia natura & æstatis, & arboris est. In veris initio intumescit;*

Ante Iudicium refrigescet charitas, quia abundabit iniquitas.

Abundabit iniquitas ex profligatissima vita Antichristi.

CHRYSOS. Quamdiu sunt fideles, stat mundus.

HILARIVS.

scit; & non exiguum tempus est medium, inter id, quo æstas ingruit, arboris ramus tenerescit, in frondes. Ex quo non de arbore hoc dictum esse noscendum est. Sic ille, non ficum arborem significari à Domino arbitratur, sed ficum metaphoricè, vt statim apponit, hoc pacto. *Ramus igitur ficus Antichristus esse intelligitur, Zabuli filius, peccati portio, legis assertor; qui cùm tenerescere cœperit, atque frondescere, tūc proximè esse æstas, id est, dies iudicij sentietur. Frondescere autem quadam peccatorum exultantium viriditate noscitur. Erit enim tunc flos criminosorum, & honor facinorosorum, & gratia profanorum: quibus tamen æstus, id est, calor æterni ignis in in proximo est.* Hæc Hilar. Cùm enim tunc completæ fuerint iniquitates mortalium, non potest non sequi, ea punientis, extremum excidium.

Antichristus adumbratus in ramo illo ficus qui tener incipit esse & frōdescere. HILAR.

2. An putas mundum interiturum, quia longiùs stare non possit, vel quia planè maturus? Absit. Scriptura significare volēs, in fine mūdi multas futuras in aëre impressiones meteorologicas, in quibus stellæ cadentes, numerantur, sic ait Apoc. c. 6. *Stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento mouetur.* Quid est quòd grossorum adducit similitudinē, vt significet stellarum de cælo cadentium multitudinem. Grossorum similitudo illud significat, non interiturum esse mundum præ nimia maturitate, cùm alioquin ampliùs durare potuisset, sunt enim grossi ficus immaturæ, sed Deum propter hominum scelera, quorum mensura tam impleta est, ei citiùs impositurum esse finem.

Mūdus non peribit præ nimia maturitate, sed propter scelera.

3. En quanta peccati malitia; in primis, mundum corruptibilem reddidit, vt vult D. Chrysostom. hom. 14. in epist. ad Rom. expendens enim illud Rom. c. 8. *Quippe vanitati creatura subiacet non volens, sed propter illum qui subiecit illā,* sic ait: *Quid hoc sibi vult; Vanitati creatura subiacet? Corruptibilis effecta est. Quo nomine, & quam ob rem? propter te hominem, quandoquidem enim corpus accepisti mortale & patibile, idcircò & terra execrationem accepit, & spinas tulit ac tribulos.* Et paulò pòst: *Nunc,* ait, *de ipsius creaturæ seruitute disputat, ostenditque quā causā talis effecta est; causam autem ipsos nos ponit.* Et eodem loco explicans illa verba: *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem filiorum Dei,* sic ait: *Hoc est, non amplius erit corruptibilis, sed corporis tui venustatem sequetur: nam quemadmodum corruptibili te effecto, & ea quoque corruptibilis est effecta; sic incorruptibili effecto, & te ipsa quoque subsequetur, comesque tibi erit. Quod declarans addidit; in libertatem filiorum Dei, hoc est, propter libertatem. Nam quemadmodū nutrix, ea quæ infantē alit regium, illo ad paternū principatum euecto, & ipsa quoque bonorum fructum percipit, ita & creatura, inquit.*

Peccati malitia mundum corruptibilē reddidit. CHRYSOS.

4. Secundò, peccata hominum mundum deficere & senescere faciunt, vt fusè & pulchrè docet D. August. ser. de temp. barbar. c. 3. & 4. *dum,* ait, *hu moribus deprauatis malè nutriuntur, qui isto mundo vtuntur, labescit mundus, nec immeritò ait Propheta; defluxit terra, & omnes habitātes in ea. Non quiescunt vsque nunc murmurare homines, laudare tempora præterita, accusare tempora Christiana. Magna erunt tempora patrum nostrorum, dicūt: O quàm bona tempora habuerunt patres nostri! Sed videte quid fecerint patres nostri: Phinees sacrificantem idolis virum manu propria peremit, vt placaret iram Dei. Moyses populum aberrantem, vitulumque fusilem adorantem, ita certà emendatione coërcuit, vt vnam tribum ex duodecim ad se vocans, qui sequi voluit Deum, præceptum eis daret, vt acceptis gladijs in manibus suis filij percuterent parentes, & parentes occiderent filios; nullus eos reuocauit affectus, nullus humanitati reseruatus est locus, quia timor & amor Dei præ omni desideriorum carnalium amore ferebatur,* &c. Posteà subiungens ait: *Quid tale dilectissimi fecimus, imò è contrariò, quæ mala non fecimus?* Sic ille, omnem reijciens causam defectus mundi in deprauatos hominum mores.

AVGVST.

Peccata hominū mundum deficere & senescere faciūt.

Num. 26.

Exod. 32.

5. Tempora in peius mutari propter mores deprauatos, hominumque peccata, sic docet D. Basil. hom. 8. hisce verbis: *Aspicite, quæso, quomodo nostrorum pondus peccatorum, anni, temporumque naturas mutauerit, statutasque semel rerum formas in alia temperamenta deduxerit. Hyems solitum humorem cum sicco non retinuit, sed in glaciem tota abijt, niuis, & pluuijs penitus expers. Vernum tempus alteram quidem sui officij partem ostendit, caliditatem dico, humiditatem verò nullam illi coniunxit, æstus verò immensus, & frigora naturæ leges prætereuntia, ac in nos, damnumq́ nostrum coniurata, mortales ad victum, vitaq́ simul trahunt discrimina. Vnde fratres, talis rerum temporumq́ mutatio? An non quoniam fraternitatis charitatem occlusimus? ob hoc campi steriles, quia charitas frigescit?* Sic ille. Qualiter peccata sint in causa, vt terra desoletur & destruatur, vide fusè & pulchrè id dicentem Laurentium de Ponte hom. 106. in Sapient.

Tēpora in peius mutātur propter hominum peccata BASILIVS.

6. Tertiò; peccata hominum toti mundo interitum adferunt; non enim tempore iudicij tam maturus, tam senio confectus mundus, tam decrepitæ ætatis, vt ampliùs consistere non possit? Absit, durare potuisset mundus, nisi illius dies, ob scelera hominū, à Deo fuissent abbreuiati, & Deus hominum commotus peccatis, citiùs illi finem imposuisset, quemadmodum fecit in prima mundi per cataclismum euersione; etenim tempus vsque ad diluuium, quod centum viginti annorum fore promiserat, Genes. 16. centum dumtaxat annorum spatio definiuit, & viginti anni qui superarent, propter hominum flagitia præscidit. Siquidem ea commutatio facta fuit anno quingentesimo vitæ Noe Genes. 5. Diluuium autem sexcentesimo anno ætatis eiusdem, Genes. 6. Quòd autem de spatio temporis ad pœnitentiam concesso vsque ad diluuium, intelligenda sit illa Dei senten-

Peccata, toti mundo interitum adferunt.

sententia Geneſ. 6. *Erunt dies illius centum viginti annorum*; non autem de ætate singulorum hominum, docent D. Chryſoſtom. CHRYSOS. hom. 22. in Gen. & D. Hieronym. in qq. HIERON. Hebr. Nō, inquit, *humana vita, vt multi errāt, in centum viginti annos contracta est: sed degenerationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati sunt: Siquidem inueniemus, quòd post diluuium vixerat Abraham centum septuaginta quinque, quia verò pœnitentiam agere cōtempſerunt, noluit Deus tempus expectare decurſum, ſed viginti annorum ſpatijs amputatis induxit diluuium, anno centeſimo agendæ pœnitentiæ deſtinato.* Hæc Hieron. Quare idem de mundi ætate æſtimari poteſt, quòd citiùs illi Deus finem ſit impoſiturus, propter hominum flagitia, quàm ſi virtutem coluiſſent; idque indicari ſimilitudine groſſorum, ante maturitatem decidentium.

7. Inter alia vitia, mundum immaturum adhuc periturum, arbitratur D. Ambroſ. de Elia & Ieiunio c. 3. ob immoderatam gulam, dum ait: *Primus vſus mundi à ieiunio cæpit quando lux clara reſplenduit. Secundus dies in ieiunio. Tertio die pabulum terra germinauit, ieiunium tamen cæleſtis diſciplina ſeruauit. Quarto die adhuc ieiunium. Quinto die produxerunt aquæ reptilia animalium & volatilia, & benedixit eis dicens; Creſcite & multiplicamini, & non dixit, edite & manducate. Sexto die beſtiæ ſunt creatæ, & cum beſtijs orta edendi poteſtas eſt, & vſus eſcarum. Vbi cibus cæpit, ibi finis factus eſt mundi, quo indicio declaratum eſt, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos deſijt augeri.* Sic ille. Quò refero illud Chryſoſt. Matt. 24 *Sicut in diebus Noe, ita & aduentus filij hominis, ſicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, ita erit & aduentus filij hominis.* Qualiter gula, & nimia rerum abundantia plus virtuti obſit quàm omnia mala, vide apud Bazeam to. 4. com. in hiſt. Euang. lib. 17. c. 1. § 4.

AMBROS. Immoderata gula, immaturo adhuc mūdo, ruinam adferet.

CHRYSOS.

8. Sed quid, inquies, mali cōmiſit mundus, quòd propter hominum ſcelera citiùs quàm par eſſet, ſit periturus. Rogo: Quid peccarunt montes Gelboe, vel demeruerūt, quòd maledictione à Dauide percuſſi, quia Saul & Ionathas in illis occubuerant. 2. Reg. 1. *Montes*, inquit, *Gelboe nec ros nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarū, quia ibi abiectus eſt clypeus fortium* &c. Quæ certè non fuit inanis maledictio, ſed in montes ſtatim arefactos acriter impegit. Pulchrè Ambroſ. lib. 3. Offic. c. 9. *Aruerunt*, ait, *montes prophetico maledicto, & diuina vis ſententiā maledicentis impleuit. Itaque pro Regia necis ſpectaculo, pœnam elemēta ſoluerunt.* Quæris cur ob hominum peccata citiùs pereat mundus? Nimirum pro tot ſcelerum ſpectaculis hanc ſoluit pœnam.

Puniuntur etiam reliquæ creaturæ ob hominum peccata.

AMBROS.

9. Quid tempore diluuij mali fecerat terra, quid peccauerant animātia, quid volucres cæli, vt dicat Deus. Geneſ. 6. *Delebo hominem quem creaui à facie terræ; ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli?* Sed rectè Chryſ. ho. 22. in Gen. *Iſtam pœnam*, inquit, *communem ferunt, vt pœnæ grauitatem addiſcatis. Et ſicut ab initio cùm peccaſſet protoplaſtus, terra maledictionem accepit; ſic & nunc, cùm abolendus eſſet homo, bruta quoque cladis ſocia fiunt.* Quæris iam cur ob hominum peccata citiùs intereat mūdus vniuerſus? Reſpondeo: Iſtam fert pœnam, vt pœnæ grauitatem addiſcatis. CHRYSOS.

Quòd ob peccata, hominum vita abbreuietur, ita vt homines, comparentur meritò folijs ficulneæ facilè decidentibus.

SECTIO VI.

1. QVòd ſi mundus ob hominum peccata & flagitia præmaturiùs, quàm par erat, perit; & ſi peccata tantum detrimenti adferūt inanimatis & innoxijs creaturis; quid iudicandum, quid ſentiendum, quantum ipſa peccata, abbreuiant vitam peccatoris. Quid humana natura quàm ficus illa, ſub qua Dominus Nathanaelem vidit Ioan. 1. *Cùm eſſes ſub ficu vidi te. Ficus*, ait S. Eucherius Lugdun. Epiſc. lib. formularum ſpiritualium c. 4. *intelligitur humana natura, quæ benè condita, propria ſponte eſt lapſa, & fructum præcepti Dei, vel bonæ operationis non protulit, vnde in ea fructum Dominus tribus annis exquiſiuit, nec inuenit, quia eam ſub tribus temporibus, id eſt ante legem, ſub lege, ſub gratia admonendo, viſitando requiſiuit: ante legem parcendo ſuſtinuit; ſub gratia, quia incarnationis ſuæ præſentiam exhibendo monſtrauit; in lege, quia præcipiendo docuit, quibus tamen tribus temporibus infructuoſa remanſit, & radicitus aruit.*

Peccata vitam abbreuiant humanam.

EVCHER. Humana natura, adumbrata in ficu illa Nathanaelis.

2. Pſellus exponens illud Cant. 2. *Ficus protulit groſſos ſuos: ficum, ait, intellige humanam naturam.* Gregor. quoque hom. 31. Euang. exponens illa verba Lucæ 13. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua*, &c. ſic ait: *Quid arbor fici, niſi humanam naturam deſignat:* D. quoque Auguſt. lib. 1. qq. Euang. q. 49. exponens illa verba Matth. 24. *Ab arbore fici diſcite parabolam*, ſic ait: *Arborem fici genus humanum intellige; propter pruritū carnis.* Idem D. Aug. ſer. 31. de verb. Dom. ſecundum Lucam, aliam dat rationē, cur humanum genus ficulneæ aſſimiletur, dicens: *Ab eo iam tempore, quo primus homo poſt peccatum folijs ſe ficulneæ texit, humanum genus ſimilitudinis cum ficu induit cognationem.*

PSELLVS.

GREGOR.

AVGVST.

3. Et quidem meritò in ficu deſignatur humana

Symbolum humani generis aptissimum, est ficus præsertim Indica.
PLINIVS.

humana natura, nam aptius ficu non inuenies, in omni rerum natura, humanæ naturæ, siue humani generis symbolum, præsertim si ad hoc eligens ficum Indicam, de qua ait Plinius lib. 12. hist. nat. cap. 5. *Ficus ibi* (nimirum in India) *exilia poma habet, ipsa se semper serens, vastis diffunditur ramis, quorum imi adeò in terram curuantur, vt annuo spatio infigantur, nouamque sibi propaginem faciant, circa parentem in orbem, quodam opere topiario, intra sepem eam æstiuant pastores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decora specie subter intuenti, procul ve fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelsum emicant, syluosa multitudine, vasto matris corpore, vt 60. p. pleraque orbes colligant; vmbra verò bina stadia operiant. foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet, ea causa fructum integens, crescere prohibet: Rarusq; est, nec fabæ magnitudinem excedens; sed per folia solibus coctus, prædulci sapore dignus miraculo arboris, gignitur circa Acesinem maximè amnem.* Hactenus ille. An aptius excogitari posset humani generis symbolum; ficus ipsa, se semper serens, vastis diffunditur ramis: ita & humana natura, ipsa se semper est serens, per totum orbem varijs diffunditur, tanquam tot ramis, gentibus & nationibus; quorum aliquæ Christiana fide minimè illustratæ, vel regni cælestis amore minimè inflammatæ, in terram curuantur, terræ adhærent, terræ infiguntur: aliquæ verò fide & charitate in Christum exornatæ, in excelsum emicant, cœlestia quærentes, cœlestia desiderantes: folia quidem & fructus, singulos designant homines, qui si virtutem spectes, exilia poma meritò nuncupantur, si verò inconstantiam & mutabilitatem, quibus obnoxij, folijs rectè singulos comparaueris homines.

Folijs arborum comparātur homines, primò ob inconstantiā.
GREGOR.

4. Sub filiorum imagine de hominibus loquitur Iob, dum ait: *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam.* In quæ verba sic D. Gregor. *Quid est homo nisi folium, qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit? Quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus leuatur? Mens quippe humana, quot tentationes patitur, quasi tot flatibus mouetur. Hanc enim plerumque ira perturbat; cùm recedit ira, succedit inepta lætitia luxuriæ stimulis vrgetur, æstu auaritiæ longè lateq; de ambiendo quæ terrena sunt tenditur: aliquando hanc superbia eleuat, aliquando verò inordinatus timor in infimis deponit. Quia ergo tot tentationum flatibus eleuatur & ducitur, rectè folio homo comparatur. Vnde bene quoque per Isaiam dicitur: Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos virtutis pondere, in vanam eleuationem leuauit,* &c.

Isa. 54.

Secundò, quia sicut folijs decidentibus succrescere

5. Regius Propheta Psal. 44. hunc præfigit titulum, *Pro his qui commutabuntur.* De hominibus affirmat D. Basilius, tituli verba esse intelligenda, quorum vita continua est mutatio. Hinc Symmach. vertit, *pro floribus.* Aquila autem nostræ inseruiens intentioni, vertit, *pro folijs.* D. August. scribens in illud Psalm. 101. *In generatione & generationem anni tui*, hominem in folijs adumbrari existimans, sic scribit: *Generatio vadit, & generatio venit. Et videtis generationes hominum sic esse in terra, tanquam in arbore folia, sed in arbore oliua vel lauri, vel cuiuscumque alterius quæ toto tempore fronde vestita est: sic tanquam folia genus humanum terra portat. Plena est hominibus, sed cùm alijs morientibus alij nascendo succedunt: semper enim arbor illa veste viridi ornata est. Sed subter attende quàm multa calces arida folia.* Sic ille. Sub foliorum similitudine, etiam de hominibus agit Clemens Alexandrin. strom. lib. 3. & 4.

solent alia, ita etiam in hominibus accidit.
AVGVST.

6. In folijs quoque homines adumbrari, sic docet quodam loco Granatensis: *Arborum folijs, ait, nihil est instabilius, cuilibet enim auræ vel leuissimæ cedunt; & quouis vel leuissimo flatu, modò huc, modò illuc agitantur, quod in hominum vitam maximè cadit, qui leuissimis terrenarum rerum curis & incommodis ita frequenter anguntur, vt de omni penè statu mentis & tranquillitatis depellantur. Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens: verumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Deinde quod videmus perpetuò in arborum folijs, hoc quotidie in vita hominum videre licet, vt ex illis enim alia passim decidunt, alia rursus quotidianis, & singulis penè momentis rediuiua generatione reparantur: sic in hominum vita alios quotidie mori, alios rursus in demortuorum locum succedere videmus; cumque ipsum genus humanum perpetuò maneat, singuli tamen homines velut arborum folia quotidie decidunt, in qua tamen instabilitate varietas magna est. Namque alia citiùs, alia tardiùs decidunt; quæ res maximè in vitam nostram cadit, in qua cùm nihil diuturnum, nihil stabile sit, aliquando tamen illam breuiorem, aliquando longiorem arbitrio suo, vitæ & necis nostræ arbiter Deus trahit. Itaque alios antequam in lucem exeunt, alios vbi primum editi fuerint, alios in ipso ætatis flore, alios affectâ iam ætate, pro cuiusque demeritorum, vel meritorum ratione, aut pro occultissimo & inscrutabili suo arbitrio, è medio tollit: & tandem sicut folia in terram ex arbore cadentia, in terra putrescunt, & in terram conuertuntur: idem etiam accidit homini. Vnde ait Scriptura: Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Qualis*, ait Homerus Iliade 5. *Foliorum generatio talis & hominum.*

Tertiò, quia sicut inter folia quædā alijs longiùs in arbore cōsistit, ita etiam accidit hominibus.
GRANAT.

7. Sed nota, quòd non cuiuslibet arboris folijs comparantur homines, sed folijs ficus Indicæ, de quibus Plinius: *Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet.* Et qualis erat effigies peltæ Amazonicæ? Virgilius Æneid. lib. 2. docet Amazonum armata fuisse, *Lunatis agmina peltis.* Lunatas vocat peltas, quia in parte superiori in modum lunæ crescentis, erant efformatæ. Ecce qualia folia ipsi homines, nimirum, instar peltæ Amazonicæ, figurant lunæ, quæ

Homines meritò cōparantur folijs ficus Indicę, quæ in superiori parte gerūt similitudinem lunæ, quæ simbolum inconstantiæ.
PLINIVS.

quæ symbolum est inconstantiæ, exprimentia, vt significetur nihil homine esse inconstantius, nihil mutabilius, siue mentem spectes & animam, siue corpus.

Quàm homines secũdum animum instabiles.

8. Ad animam quod spectat, quid illâ mutabilius. Mouentur cœli quidem, sed proprium non derelinquunt locum; mouetur Luna, sed seruato ordinario itinere. Nunquam quiescit mare, sed statutos à Dei prouidẽtia non transgreditur limites: mutantur & alterantur animalia, diuersis varijsque modis, seruatis semper naturalibus inclinationibus & propensionibus, in quibus nullam admittunt mutationem: Verùm homo his omnibus mutabilior, cœlo quidem, nam locum suum naturalem qui ipse Deus est, sæpe deserit, & quod amplius, extra seipsum vagatur & peregrinatur, & non nisi plagis & verberibus intra se reuertitur: Luna autem; nam relicta virtutis via, vagatur & aberrat per varios vitiorum anfractus: mari etiam, nam sæpissimè limites transgreditur rectæ rationis: animalibus quoque, nam sæpè agit operatúrque cõtra naturalem instinctum, & naturalis dictamen rationis.

Instabilior cælis, lunæ, &c.

Quàm homo mutabilis secundũ corpus.

9. Si tantæ mutationi obnoxius secundum animam, quod de corpore iudicium ferendum erit? Tam est mutatione obnoxium corpus, & ea quæ ad illud spectant, vt tam sacri quàm prophani authores desudent, in adferendis varijs symbolis & similitudinibus, quibus eam aliquatenus explicent, vel saltem adumbrent. Lege si libet Sapient. cap. 5.

Fici folia facillimè decidunt, ita homines facilè è vita discedunt.

10. Quod amplius, fici folia, præ cæteris aliarum arborum foliis, faciliùs & celeriùs, aduentante autumno, decidunt. Hinc legimus apud Oseam iuxta Targum, siue Chaldaicam & Syriacam paraphrasim de Propheta à Deo misso ad Regem Israel eiusque populum idololatras: *Abijt autem, & prædixit illis, quòd si pœnitentia ducti fuerint, remittetur illis: si verò non, decident, sicut decidit folium ficus.* Expendo illud, *sicut decidit folium ficus.* Ante omnia alia aliarum arborum folia citiùs hæc decidunt, ipsáque ficulnea citiùs, quàm aliæ arbores, folijs nudatur & spoliatur. Vis videre quàm citò folium, quàm citò homo decidat ex arbore, siue ficulnea humanæ naturæ? *Ab arbore fici discite parabolam.*

Quidam nimio risu extincti.

11. Refert Valerius Maximus de morte non vulgari, Philemonem Poëtam dum videret asinum comedentem ficus mensæ apponendas, præ nimio risu extinctum & mortuum, accipe illius verba lib. 9. c. 12. *Philemon Syracusius nouæ comediæ Poëta tempore Alexandri Magni, annos natus 90. paratas ficus, atque in conspectu positas, asello consumente, puerum, vt illum abigeret, inclamauit. Qui cùm iam comestis omnibus superuenisset: Quoniã, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosequutus exspirauit.*

Quidã nimio mœrore.

12. Eustachius Ilhad. Calcham mortem incurrisse scribit præ mœrore, quòd conjicere non posset, quot caprifici grossos vnus modius contineret. *Calchas*, ait, *Thestoris frater, Augur optimus, qui Græcorum ad Troiam proficiscentium dux itineris fuit, cum Mopso Tiresiæ nepote, apud Colophonem congressus, cùm duo problemata non soluisset (quorum prius erat de grossis caprifici, quot videlicet vnus modius comprehenderet, teste Lycophrone: alterum de Scrofa prægnante, quæ tres porcellos gestabat, quorum altera erat femella, præ mœrore expirauit.*

Quidã esu ficuum.

13. Esu ficuũ Pompeius Columna Cardinalis, à Cæsare Carolo V. Neapolitani regni administrationẽ sortitus, post comestas ficus biferas, quas multa niue refrigerarat, in complexu Augustini Niphi Philosophi integris sensibus expirauit, anno ætatis 53. Iouius in eius vitâ.

Quidã esu aliorum fructuum.

14. Non solùm testantur ficus, quàm facilè, quàm citò homo instar folij ficulneæ, decidat ab arbore humanæ naturæ: verùm & reliqui terræ fructus, ex quorum esu quàm facilè homines mortem contrahant, varijs adductis exemplis, probat Sandæus in Concionibus de morte lib. 1. comment. 3.

Humore deficiente cadũt folia, ita etiam homines.

15. Neque mirum est, folia ficus faciliùs, & ante folia aliarum arborum decidere; hinc enim illud accidit, quòd citiùs in illis humor deficiat, quo tanquam glutino folia arboribus adhærent, quo imminuto vel deficiente, necesse est, folia ab arbore decidere. Idem hominibus accidit hinc citò cadunt ab arbore humanæ naturæ, quia facilè in eis deficit humor radicalis, præsertim præ nimia repletione, crapulâ, ebrietate, saginâ, cruditate, quorum omnium varia profert exempla Sandæus loco citato.

Folia quædam in fluuium cadẽtia lapidescunt, idem malis accidit hominibus.

PLINIVS.

16. Ab arbore humanæ naturæ delapsi homines foliorum more, vis scire quid illis contingat, si, antequam delabantur, cum Deo non sese per pœnitentiam reconciliarint? Idem quod folijs in flumen Silarum cadentibus, de quo Plinius lib. 2. c. 3. *In flumine Silaro vltra Surentium, non virgulta modò immersa, verùm & folia lapidescunt.* Similiter & homines cadentes ex humanæ vitæ arbore, si contingat eos cadere in inferni abyssum, planè lapidescunt, priuanturque omni succo & virore recuperandæ salutis.

Quòd

Quòd diem iudicij præcedat magna tribulatio, & qualiter ex illa, maximum emolumentum capient Iusti, graue verò detrimentum iniusti, similitudine ficulneæ & grossorum eius, insinuatur.

SECTIO VII.

Præcedet iudicium maxima persecutio Antichristi & suorum.

1. SEcundò, præcedet iudicium extremũ grauissima tribulatio. Legimus enim Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio.* Quæ tribulatio, vt Patres communiter docent, erit persecutio Antichristi. Vis scire quid in illa magna tribulatione accidet verè iustis, & in fide & charitate firmatis & radicatis hominibus? *Ab arbore fici discite parabolam*: Scribit S. Basilius hom. 5. in hex. *Aliqui syluestres ficos ad domesticas applantant, aliqui grossos fructuosis ac domesticis ficis alligantes, infirmitati ipsarum medentur, diffluentem iam ac dispersum fructum per grossos caprifici continentes.* Sororia sunt quæ scribit D. Ambros. lib. 3. in hex. c. 13. *plerique secundum domesticam & fructuosam ficum, agrestem ficulneam, serũtur inserere, eò quòd citò fructus, fœcundæ illius & domesticæ ficus, vel aurâ tentati aliquâ, vel æstu, defluere ferantur in terram. Vnde gnari huius remedij, grossis arboris aggrestis alligatis ad illam feracem arborem, medentur eius infirmitati, vt possit fructus proprios reseruare, iam iamque si deforent remedia, lapsuros.* Isidorus lib. 17. orig. c. 7. dicit, quòd caprificus sic appellata, quòd ficus arbor eius remedio fœcundetur. Est enim caprificus ficus nunquam maturescens, sed quod in se non habet, alijs tribuit. Nam si caprifici surculus cortici ficus infixus fuerit, eam fœcundam efficit, & citiùs maturescere facit.

BASILIVS. Sicut ficus syluestres, domesticis applantatæ illis prosunt, ita iusti ex consortio & persecutione malorũ, debent trahere emolumentum.

AMBROS.

ISIDOR.

PLINIVS. Quod non habet caprificus tribuit ficis domesticis, sic mali maximè prosunt iustis.

2. Sed nequaquã prætereunda, quæ huc spectantia scribit Plin. lib. 15. c. 19 in hæc verba: *Caprificus vocatur è syluestri genere ficus, nunquã maturescens, sed quod ipsa non habet, alijs tribuens, quoniam est naturalis causarum transitus, atque è putrescentibus ident idem generatur aliquid. Ergo culices parit: hi fraudati alimento in matre, putri eius tabe, ex qua nimirum geniti* (gignuntur enim hæ culices, ex putrescente caprifici fructu) *ad cognatã volant,* (id est in vrbanæ ficus fructus euolant.) *Inde repertum, vt illatæ quoque aliunde, & inter se colligatæ inijceretur fico.* (nimirũ vt fici exsiccentur, & in eis succus nimius lactis absorbeatur.) *Ideòque ficetis caprificus permittitur ad rationem venti, vt flatus euolantes in ficus ferat.* Sic ille. Adeò vt ex caprifici consortio ficus hoc emolumenti trahat, quòd culices ex tabe caprifici ortæ, primo ficorum coria aperiant & penetrent, quo fit vt sol, cerealisque aura, illis inducatur. Secundò, culices hæ lacteum humorem in ficubus absumunt; quo etiam efficiunt ne decidãt, vtpote absumpto humore tenero, & cum quadam fragilitate põderoso, præterquam quòd & hac ratione contingat & ficus esse dulciores. Sunt qui dicunt, ficum, dilaceratione fœcũdari. Quod amplius ait Colum. l. 5. c. 9. *Si voles ficum quãuis, non naturâ feram facere, & vberiores demum ex illa fructus capere, tũc grossulos, prioremve fructum decutito. Iterum alterũ edet, quem in hiemẽ vsque differes.* Scholiastes addit: *Iterum alterum vberiorem reddet.*

Ficus decussione fructuũ fit fertilior: idẽ accidit iustis ex persecutione malorum.

COLVMELLA.

3. Sicut ergo ficus fructuosa ex cõsortio caprifici, siue fici syluestris magnum capit emolumentum: ita & tunc iusti summum facient ex malorum tribulatione & persecutione & à detrimento sibi ab homine illato prouentum. Quamuis enim illis auferant dignitates, honores, diuitias, quamuis inferant opprobria, contumelias, pœnas, nunquam tamen auferre poterunt veram iustorum virtutem, quæ nequaquã in illis consistit rebus, sed in soli Dei obsequio, & vita innocenter acta, loquentem accipe D. Chrysost. hom. *Quòd nemo læditur nisi à seipso: Videmus, ait, verbi gratiâ, equi quæ sit virtus. Nũquidnam videbitur in argenteis frenis, pulchrisque tapetibus, ac cericis flãmulis, phalerisq́; geminatis, iubaq́; aureis intexta funiculis, equi virtus & magnificentia indicari? an in velocitate cursus, & fortitudine pedum, gressusque cautelâ, ac pectoris firmitate, cæterisq́; quæ aut conficiendo itineri apta ducuntur, aut prælijs peragẽdis, vt vel interritus hostem petat, vel in aduersis perniciter proprium possit ab exitio liberare sessorem? Nonne certum est in his potius equi virtutem quàm in illis, de quibus suprà dictum est, declarari? Igitur eodem modo etiam de hominibus agamus, discutientes, quæ aut vbi sit, vera hominis virtus, & tunc eum lædi putemus, quum in ipsa fuerit læsus. Quæ ergo est virtus hominis? Non sunt diuitiæ, ne timeas paupertatem: nec sanitas corporis, ne languorem metuas, nec fama & existimatio humana, ne te hominum maledicta terreant: nec vita hæc communis, ne fortè metuas mortem: nec libertas, ne seruitutẽ perhorrescas. Sed quæ est virtus animi? Rectè sentire de Deo & rectè inter homines agere. Illa enim omnia quæ suprà diximus, auferri ab homine possunt etiamsi nolit: hæc verò si habeat, auferre ab eo nullus omnino, nec ipse diabolus potest, nisi ipse ea qui possidet perdat.*

Quamuis inimici auferãt iustis externa bona, internam tamen virtutem non possũt auferre.

CHRYSOS.

4. Accipe etiam hæc de re pulcherrimè fantem D. Augustinum serm. 225. de tempor. vbi postquam varias Iobi easque grauissimas calamitates, ab inimicis acceptas, commemorasset, subiungit: *Ramos quidem confregit* (inimicus) *sed radici nihil nocuit. Parietem perforauit, sed thesaurum auferre non potuit. Thesaurum autem dico non auri & argenti, sed fidem iusti; hunc enim eius thesaurum diabolus diripere festinabat, quando enim omni facultate nudatum plaga intolerabili cruciabat.*

AVGVST. Rami bonorum externorũ potest frãgere inimicus, sed nequaquã auferre radicem, id est, fidem iusti.

5. Non solùm nullum inferunt nocumentum persecutores, vel inimici, temporalia iustis auferentes, dum clypeo patientiæ armati, hæc æquo tolerant animo, sed illis etiam maximi commodi, maximique prouentus spiritualis causa existunt. Nam eorum virtutes maturescere faciunt, & ad summam ascendere perfectionem, & vt ait D. Chrysostomus hom. 12. in ep. ad Rom. *Hac exercitatione philosophicum ac constantem animum comparat.* Si quis passionum humor superfluus, si lac voluptatis in illis exsiccatur, fitque vt diuini solis radios, auramque sancti Spiritus abundantiùs hauriant, ne tam facilè è rectâ vitâ decidant; & vt sint Christo dulcioris saporis, ob humilitatem, patientiam, orationem, aliasque virtutes, quibus vacamus, dum angimur, dum tribulationem & persecutionem patimur.

Inimici iustorum virtutes maturescere faciunt, & ad perfectionem adducunt.

CHRYSOS.

6. Atque hinc accidit, quòd non cogitent de vindicta, quòd inimicis non indignãtur, quòd contumelias pro contumelijs non reddant, imò potiùs illis compatiuntur, tanquam inferendo iniurias, seipsos maximè lædentes, atque pro eorum salute & incolumitate Deum obnixè deprecantur & rogant, iuxta illud D. Chrysostomi homil. 3. de Dauide: *Quò vehementiùs Saul insidiabatur Dauidi, hoc impensiùs eum deflebat, nouerat enim, nouerat, inquam, certò non eum qui patitur iniuriam, sed qui facit, lachrymis ac lamentis esse dignum, vt qui lædat seipsum.*

Iusti agnoscentes persecutionum fructum nõ cogitant de vindicta, sed potiùs inimicis compatiuntur.

CHRYSOS.

7. Vis & tu scire, ô Christiane, qualiter, dum ab inimicis persecutionem, vel ab aduersarijs, iniurias, contumeliasque pateris, te gerere debeas? *Ab arbore fici disce parabolam*; vt ficus fructuosa ex consortio caprificuum haurit non minima beneficia, ita & tu conare, vt ab aduersario eiusque tribulatione haurias emolumenta spiritualia. Præclarè à Xenophonte dictum est, (teste Plutarcho) *Prudentis, cordatique viri esse, etiam ex inimicis vtilitatem capere.* Quemadmodum enim non solùm ex domesticis, verumetiam ex feris animantibus; non solùm ex fructiferis, verumetiam ex syluestribus arboribus; non solùm ex dulci, verumetiam ex salsâ & amara aqua: ita etiam non solùm ex domesticis fructiferis dulcibusque amicis, sed etiam ex feris, syluestribus, amarisque amicis vtilitas capienda est: & quidem maior ex inimicis, quàm ex amicis vtilitas percipi potest, si eorum iniurias & persecutionem patienter feramus. Amici fertiles velut agri frumentum nobis poma floresque præbebunt: at inimici & persecutores, si ex illis vtilitatẽ capere sciamus, steriles licet, & sentibus referti montes, aurum nobis & gemmas exhibebunt, latet enim sub illis inimici sentibus, thesaurus opulentus; ex amico vtilitatem plerumque refert corpus; ex persecutore, si persecutionem feras patienter, animus maximam consequitur.

Debet Christianus conari vt ab inimicis, vtilitatem capiat.

PLVTAR.

Plus fructus ab inimicis, quàm ab amicis capi potest.

8. Sed inquies; durus est hic sermo? Quis tantæ virtutis, tantæque fortitudinis, vt omnes aduersariorum impetus, oppressiones, iniurias, atque calumnias patienter ac longanimiter ferendo, ab inimicis possit vtilitatem referre? Vis scire qualiter mala omnia patienter feres, qualiter ab eis nullum senties detrimentum, sed ingentem & cumulatam senties vtilitatem? *Ab arbore fici discite parabolam.* Commentator Dioscor. super lib. 1. cap. 48. & D. Isidorus lib. 17. Originum, aiunt, *taurum ferocissimum, ad fici dulcissimam arborem alligatum, mansuescere.* Esne, ô homo, instar tauri, iræ facibus facilè accensus? accurre ad arborem ficus, sub illa requiesce, sub vmbra illius refrigerium cape, in ramis eius nidifica, & sanaberis, depones ferociam, impatientiam, vindictæ cupiditatem, iram atque inuidiam; ex inimicis vtilitatem capies, penitus mansuesies. Quò terrarum hanc inueniemus ficum, dic, quibus in terris talis, tamque fructifera nascitur arbor? Non longiùs discedendum, vt hac fruamur arbore, vbique namque nobis illa occurrit, illamque nobis quasi digito ostentat Matthæus c. 24. dum ait: *Et tunc parebit signum filij hominis in cælo.* Haud dubium quin crucem suam designet Christus, quæ ipsum, proximè in cælo item appariturum indicat, nõ secus ac præmissum militare vexillum, subsequentem indicat ducem, atque ideo mox subijcit Euangelista: *Et videbunt filium hominis venientem in cælo cum virtute magna & potestate.* Quid Christi crux quàm pulcherrima ficus. De illa sub metaphora ficus loquitur sponsus Cantic. 2. *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni; iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit; flores apparuerunt in terra nostra, &c. ficus protulit grossos suos. Quasi dicat,* ait Gislerius in hũc locum, *transijt iam gentilitatis, atque idololatriæ aspera hyems, transijt peccati flores, fructusq́; omnes bonorum desideriorum consumentis, glaciale tempus. Veni egrediamur in agrum, opportunum scias adesse tempus, quo iter suscipiatur ad prædicandum toto orbe Euangelium, ad dilatandam Ecclesiam, ad animarum segetem promouendam. Iam enim instat vernũ, vel potiùs æstiuale gratiæ tempus, iam per supercælestis solis iustitiæ ac Christi accessum, diuinæ gratiæ calor vndique sese diffundit in cordibus hominum, tempus instantis prænuntiatur æstatis, illius Euangelicæ legis, quæ vniuersum orbis accendendum*

Vt taurus ficui alligatus, mãsuescit, ita homo iracundus, si consideratione requiescat, sub arbore crucis.

ISIDORVS.

Crux appariturа in cælo ante iudicium.

Crux pulcherrima ficus.

GISLERVS.

Crux profert primò grossos persecutionũ, iniuriarum, mortificationũ, &c. qui initio amari, sed postea redduntur dulcissima.

tendendum atque arsurus est charitatis æstu. Arbor enim crucis protulit grossos ac fructus suos, fructus, inquam, angustiarum, iniuriarum persecutionum, & cruciatuum fructus insuper mortificationis, & abnegationis sui, obedientiæ, ac veræ resignationis, humilitatis ac patientiæ: In quibus omnibus decet Christianos Christo esse conformes in hac vita, si illi velint esse conformes in patria: ab arbore crucis hi fructus modò sunt colligendi, qui meritò grossi vocantur, à sponso. Nimirum, quia modò duri, acerbi, & immaturi, postea tamen maturandi in dulcissimas ficus, atque fructus condendos in vitam æternam, ob meritum quod præstantissimum conferunt; fructus adeò etiam in hac vita suaues, si non timori, saltem amori, vt manducantibus ingentem conferant beatitudinem, iuxta illud Ps. 126. Labores fructuum tuorum (ita enim legit D. Augustinus) quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Sic ille.

Sub ficu conuersus D. Augustinus, sub ficu conuertitur peccator. AVGVST.

9. Sub ficu conuersus D. August. sub ficu in lachrymas resolutus, ac totus mansuefactus: similiter si sub vmbra ficus spiritualis huius, id est, sanctissimæ crucis per seriam meditationem sederis, planè mansuefies, emollieris, & deposito omni vindictæ appetitu, dolebis vicem inimici, Deũ pro illo exorabis, & ex ipsius tribulatione ingẽtia trahes virtutum emolumenta, & gloriæ in cælis perfruẽdæ incremẽta.

Ficus fructus ab aculeis, & spinis capit emolumentum; discat etiam Christianus ab inimicis vtilitatẽ capere. IVLIAN.

10. Non solũ ficus arbor à caprifico accipit emolumẽtum, sed & ficus fructus nouit & abijs emolumentũ sumere, quæ prima facie, maximè noxia videntur. Nam de ficuum cõseruatione agens Iulianus ep. 24. sic scribit: *Non enim sicut ceteræ ficu in vnum locum coniiciuntur, neque aceruatim, confusève in sole siccantur: sed ex arbore primùm sensim decerpuntur; deinde ex arbustis, ramisve aculeatis in muro suspenduntur; partim, vt assiduo puri solis vsu albescant; partim, vt ab insidijs animantium, auicularum tutæ permaneant, aculeorum præsidio tanquam satellitum comitatu circumseptæ.* Expende vltima verba: *aculeorũ præsidio tanquam satellitum comitatu circũseptæ.* Disce & tu ô Christiane, ex spinis vtilitatem capere. Quid inimicus, quid vicinus malus, nónne spinæ? Si spinas hasce patienter feras, eorum præsidio, tanquam satellitum comitatu fulcieris ab insidijs animantium & auicularum, id est, variorum vitiorum, atque imperfectionum, quorum corrosioni alioquin esses obnoxius.

Multi Christiani tẽpore Antichristi cũ pro iustis sint habendi, cadent à fide, metu persecutionum.

11. Vis scire quid in magna illa tribulatione accidet imperfectis Christianis, in speciem iustis, præsertim quid malis continget Christianis? Quoniam præcurret diem iudicij tribulatio magna, qualis non fuit ab exordio mundi, vsque adhuc, nec postea est futura, vsque ad illud tempus, continget plurimos fideles, etiam illos qui firmiter in fide radicati videbantur, circa fidem naufragium facere, & ab ea resilire. Vis scire quàm facilè, quantáve in multitudine fideles cadent à vera fide? *Ab arbore fici discite parabolã:* id enim hac similitudine declarat Ioannes Apoca. c. 6. *Stellæ de cælo ceciderunt super terram sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento mouetur. Stellarum casus,* ait Andreas Cæsar. in expos. huius loci, *denotat eos, qui mundi luminaria putabantur, suppliciorum terrore fractos, victosque à fide in perfidiam defecturos.* Sic ille. Fideles autem in stellis designari, patet ex illis Dei verbis ad Abraham dictis Gen. 16. & 21. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.* Congruâ hoc explicat ficus similitudine, & grossorum caducorum. Nam ficus fructus suos imperfectos vento aliquo vehementiùs exagitata, in terram reijcere solet; sic multi fideles, qui instar stellarum in speciem fulgebant in Ecclesia, vento nouissimæ illius persecutionis impulsi, terreni fuisse probabantur, qui congruè grossis, immaturis videlicet & inutilibus fici fructibus comparantur. Tales nimirũ sunt, qui tentationum igne necdum satis excocti, neque charitatis ardore ad dulcedinem perducti, facilè grauium tentationum, quasi ventis diuexati, gratiâ & fide Christi excidunt.

Cadent ad similitudinem grossorum. ANDREAS CÆSAR.

Cadunt facilè grossi, quia pleni crudo humore, casuri sunt Christiani, quia pleni mundani amore.

12. Quàm bellè nomen grossi malo conuenit Christiano, cũ nihil illo grossior, stupidior, excæcatior. Si illius intellectum consideres, an non meritò illius grossitiem attendens, exclamabis, & in similem vocem erumpes, quâ vsus D. Bernardus serm. 60. in Cant. de Iudæis fatus, sicque exclamans: *O grossum vipereumque affectum,* &c. Et paulò pòst: *O nihilominus intellectum grossum, & certè bouinum,* &c.

Nomen grossi, optimè quadrat malo Christiano.

BERNAR.

13. Grossi quoque ob immaturitatem plerumque sunt acerbi & amari: quid acerbius & amarius peccatore? Vnde benedictũ à Principe Apostolorũ ipsi Simoni: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Sophonias c. 3 sic inquit: *Væ prouocatrix & redempta ciuitas.* Vbi D. Hieronymus: *Væ ciuitas, Dominum amarum faciens,* quod explicans sic inquit, *Deum amarum faciens, id est, vitio dulcem Dominum atque clementem vertens in amaritudinem: vt qui misereri vult, punire cogatur.*

Vt grossi amari, ita etiam peccatores.

14. Tam amarus peccator, vt vel ipsa amaritudine amarior, nulla ratione à dulcissimo Deo, ad dulcedinem pœnitentiæ perduci possit. Aquæ Mara, licet amarissimæ, quàm facilè in dulcedinem conuersæ? Exod. 15. *Ostendit ei lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* An tam facilè in dulcedinem vertuntur amara peccatorũ corda? An non in hæc mittit Deus lignum vitæ, an non mittit vnigenitum & dilectum Filium, an non ille nobis natus, nobis datus? Sed an hoc ligno decorantur corda? Vtinam, vtinam sic fiat; verùm, Christo nobis dato, nobis nato, in quot cordibus adhuc regnat fellea peccati amaritudo? An non Christus in corda peccatorum mittit gemitus, lachrymas, tremẽtia frigore membra, an non copiosum sanguinem in circumcisione effusum? Et nihilominus

Quàm peccator amarus.

Amarior aquis Mara, quæ iniecto ligno, in dulcedinem versæ.

minus amaritudinem retinent hominum corda. An non mittit lignum crucis in hæc amara hominum corda, an non effusum, instar aquæ, sanguinem? Et tamen tantâ est peccator plenus amaritudine, vt ad dulcedinem peruenire non possit.

Vt amarum peccatorem dulcẽ reddat Deus, erga eũdem se gerit, sicut se gessit erga Cainum; at peccator Caino amarior, qui ne quidem ligno crucis indulcoratur.
Chrysos.

15. Quid non agit Deus, vt amarum peccatorem dulcem reddat. Vide qualiter Deus erga Cain se gesserit, vt amarissimum illud Cain cor dulce redderet, ad alloquutionem prouocauit, timorem, quem de prælatione fratris conceperat, eripiens, nam iuxta Septuaginta lectionem, vbi nos legimus: *Sed & sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Genes. 4. Ipsi legunt: *Ad te conuersio eius, & tu ipsius dominaberis.* Quem locum D. exponens Chrysost. hom. 18. in Genes. *Ne putes,* inquit, *licet tuum auersatus sim sacrificium ob prauam mentem, fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, quod ideò primatu te destituam, & primogenituram digniorem à te auferam; nam tu illius dominaberis, atque post hoc peccatum promitto, vt primogenituræ priuilegijs gaudeas, illumque sub tua potestate & dominio esse iubeo.* Monuit dulciter, vt peccatum peccato non adderet; peccasti, ei dixit iuxta Septuaginta, *quiesce*, quasi diceret, inquit D. Chrysostom. vbi suprà: *Peccasti, & grauiter peccasti, sed non punio propter delictum, misericors enim sum, & nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat: igitur quiesce, ne addas priori peccato grauius aliud, neque consilium aliquod immedicabile arripies, ne te ipsum magno dæmoni captiuum tradas.* Quid dulcius. Spem etiam veniæ addidit, dum de fratre inquisiuit. *Vbi est Abel frater tuus?* Nam talis vox, vt inquit D. Ambrosius lib. 5. de Cain & Abel, non iudicij, sed patris exijt ad pœnitentiam prouocantis. *Vult te*, inquit, *prouocare ad pœnitentiam, Deus vult de se sperare indulgentiam.* At iste, quid post tantam dulcedinem? nunquid dulcis effectus? Imò amarior omnem Dei, suo superans amarore, dulcedinem? Quod deplorans D. Chrysostomus, ait: *Post tantam curam, & tanta remedia nihil commodi inde sensit, tantum valet mentis peruersitas, & malitiæ excellentia*, &c. At nos Caino amariores sumus, nam si in illud amarissimum Caini cor missum fuisset lignum illud, quod designatur in illo ligno in aquas Mara misso, nõ dubiũ quin fuisset indulcoratum. At nostra Christianorũ corda etiam suscepto per fidẽ hocce ligno, & per summam Dei charitatẽ misso ac dato humano generi, ad illud indulcorandum, adhuc remanent acerba & amara.

Ambros.

Grossi pleni terreo humore, sic peccatores pleni terrenis desiderijs.

16. Grossi pleni terreo quodã humore: sic peccatores pleni terrenis affectibus, vt meritò de illis dici possit, quòd terra eos deuorauit, carnales prorsus sunt, & nihil aliud quàm caro; vt meritò de illis possit dicere Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Hoc est, inquit Diuus Chrysost. vbi suprà: *quia carnalibus operibus seipsos totos dederunt, & animæ substantiâ abutuntur, & quasi sola carne circumdati, anim â carerent, sic vitam suam absumunt, nam perpetuus Scripturæ mos est, carnem vocare carnales, sic & virtute præstantes, carnis expertes*, &c.

Chrysos.

Peccator nil nisi caro.

17. Veritatem hanc acutè de Scripturis elicit D. Ambros. ser. 4. in Ps. 118. tom. 2. explicans illa verba: *Adhæsit pauimento anima mea*, adnotans filios Iacob non viros, sed animas dictos, etsi carnem haberent, vnde sic ait: *Qui secundum corporis appetentiam viuit, caro est; qui secundum præcepta Dei, spiritus est. non ergo fiat anima nostra caro, hoc est, vt dicamur caro, sicut & illi, qui in diluuio perierunt, de quibus dictũ est: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, sed magis caro nostra obediens animæ gubernaculo, fiat anima, & hoc appellari mereatur nomine, sicut appellata est familia Patriarchæ Iacob & generationis eius sancta posteritas, sic enim scriptum, hi filij Zelphe quam dedit Laban Rachel filiæ suæ, & peperit hæc Iacob, omnes animas septem: & alibi, Omnes autem animæ quæ intrauerant in Ægyptum, de fœmore Iacob sexaginta sex. Et in principio Exodi: Erant autẽ omnes animæ de Iacob septuaginta quinque. Ergo illi qui habitabant cum Ioseph, & de Ægypto exierunt animæ sunt; quia scilicet non ad carnis, sed ad spiritum viuebant sensum.*

Peccator caro, iustus, anima & spiritus.
Ambros.

18. Appositè quoque D. Chrysost. hom. 13. in ep. ad Rom. expendens D. Pauli lætitiam, quia probra, carceres sustinebat, & flagella: *Quemadmodum ferrum*, inquit, *ab assiduo vsu, & ipsum quoque in ignem euadit, propria in natura remanens; sic fidelium, spiritumq; habentium caro, in illam demũ efficientiam transformatur tota spiritualis, vndique cruci affixa, atq; vnà cũ anima, & ipsa volatilis reddita, quale quidẽ erat corpus Pauli, qui dicebat: Vos autẽ non estis in carne, sed in spiritu. Vnde omnes ille delicias, voluptatesq; ridebat, flagellis autẽ, fame, & ergastulis delectabatur, nec dolebat illũ dũ tolerabat.*

Chrysos.
Caro iustorum etiam spiritualis & volatilis redditur.

19. Grossi sunt inutiles, & ad nihilũ apti; nónne idem aptè conuenit peccatoribus? *Omnes declinauerunt*, ait Dauid Ps. 13. *simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonũ, non est vsque ad vnum.* Cùm enim à virtute ad imperfectiones deflectimus, ab altitudine ad vilitatem declinamus: cùm à Deo per prauũ consensum separamur, inutiles reddimur. *Nã homo apostata, vir inutilis*, vt legimus Prouer. c. 6. *Abominabilis & inutilis homo*, ait Iob c. 6. *qui bibit quasi aquam iniquitatẽ.* Tam inutilis peccator, vt meritò putrido cõparetur cadaueri. Sic enim de peccatore Richard. Vict. ad Ps. 90. *Quia multiplici tentatione sustinet se superari, formã habet iam mortui: nec cuiuscumq; sed cadaueris iam putrescẽtis & putridi, quod putredini iã ex omni parte subiaceat, & vermibus vbiq; scateat.* Et post pauca: *intus consentientes tentationi vocat cadauera putrida, sed sepulta, quorum corruptio quasi in occulto iacet: exteriùs verò etiam peccantes, vocat cadauera putrida, sed extra sepulchrum proiecta, quorum corruptela & fœditas omnibus patet.*

Grossi inutiles, & ad nihilũ apti: ita etiam peccatores.

Tam inutilis peccator vt comparetur cadaueri.
Richar. Victor.

20. Si nosce ergo desideras cur nũc fideles,

Mala & crassa vita disponit ad apostasiam à fide.

les, deficiant à fide, & quare vltimis illis temporibus, tanto in numero deficient; *Ab arbore fici discite parabolam*, & præsertim, ab grossis eius decidentibus, cum vento mouetur? Deficiunt enim, & deficient, quia similitudinem gerunt grossorum, quia grosso, & bouino sunt intellectu, quia peccatorum amaritudine pleni, quia terreni & carnales, imò nihil aliud quàm terra & caro, quia prorsus immaturi, & nullo charitatis igne excocti. Deficient, inquam, & cadent sicut ficus emittit grossos cùm à vento mouetur, qui plerumque sua sponte è ficu celeriter decidunt, præsertim flante vento aliquo vehementi, vt admonet Hieron. in c.7. Mich. vt clarum sit & indubitatum, malam & crassam vitam, summam & proximam esse dispositionem casus, & apostasiæ à vera fide, veraque Dei religione.

Hieronymus.

Si non sumus maturæ ficus, saltem præcoquas ficus nos exhibeamus Christo.

21. Si ergo pigeat te esse, teque exhibere Christo, vt maturam atque dulcem ficum; saltem te præbe Christo præcoquam ficum; nam & hac delectatur Dominus, & illa deficiente, hanc vnicè desiderat & exoptat. Vnde ait Mich. c.7. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea*, id est, ficus maturescentes; quæ peccatorum, vitiorum, & malarum passionum abiecere cruditatem & amaritudinem, quæ incipiunt delectari diuinorum mandatorum obseruatione, quæ incipiunt puritati cordis studere. Sic enim non iam grossus, sed præcoqua ficus existent, non facilè vento tentationis cuiuscumque, à fide & charitate decides, non facilè pomorum, id est, virtutum tuarum iacturam patieris. Similis eris Iob, de quo D. Augustinus serm. 225. de temp. *Fortiter colluctatus est diabolus*, (cum Iob) *sed athletam Dei superare non potuit. Immanes suscitauit fluctus, & firmissimam petram commouere non valuit. Machinationes suas adhibuit, & turrim validissimam non prostrauit. Arborem concussit, & decutere poma non valuit.*

Avgvst. Taliter constituti esse debemus, vt poma virtutum nostrarum, licet concussa, non decidant.

Qualiter iudicij diem præcedet, Iudæorum ad Christum conuersio, adducta ficulneæ imagine, declaratur.

SECTIO VIII.

Præcedet iudicij diem generalis Iudæorũ ad Christum conuersio.

1. Tertio, præcurret etiam iudicij diem, generalis omnium Iudæorum ad Christi fidem conuersio; ita vt omnis Israel saluus fiat. Visne agnoscere tempus instantis iudicij? *Ab arbore fici discite parabolam, cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata*, &c. *Videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt iam ex se fructum, scitis, quia propè est æstas: ita & vos* &c. Secundum historiam & litteram sensus est; quòd sicut folia & flores & fructus arborum, ac præcipuè grossorum productio ex ficulneis, signa sunt vicinæ æstatis. Sic etiam solis ac lunæ obscuratio, stellarum & syderum casus, maris ac fluctuum sonitus, & gentium in terris pressura, signa sunt obitus mundi, atque futuri iudicij. Nomine fructus intelligitur, non perfectus fructus (dum enim perfectus est, æstas non appropinquat, sed est præsens) sed omne, quod ex arbore prorumpit, vt sunt gemmæ, & folia, quæ fructum incipiunt demonstrare. At verò iuxta sensum parabolicum, nouum signum superioribus Dominus addit, conuersionem scilicet Iudæorum. Quid enim ficulnea in Scripturis, nisi populum Hebræorum significat? Hinc Nathanaeli Dominus ait: *Cùm adhuc esses sub ficu*, hoc est, cùm adhuc sub vmbra Synagogæ degeres, & nihil de Messia audiuisses, *vidi te*. Ficulneam illam quoque, quæ maledictione percussa, Synagogam signare, nemo est, qui dubitat. Ficum illam de qua in Cant. cap. 1. Ficus protulit grossos suos, designare populum Iudæorum, expressè docet D. Bernardus serm. 60. in Cantic. sic fatus: *Ego hoc loco non quemuis populum interpretari liberum puto, vnus signanter exprimitur, qui est plebs Iudæorum. Bene ficus, quæ bona licet Patriarcharum radice prodierit, numquam tamen in altum proficere, numquam se humo attollere voluit, numquam respondere radici, proceritate ramorum, generositate florum, fœcunditate fructuum. Malè prorsus tibi cum tua radice conuenit arbor pusilla, tortuosa, nodosa: Radix enim sancta. Quid eâ dignum tuo apparet in ramis? Ficus, inquit, protulit grossos suos.*

Parabolica fici fructum producentis de populo Iudæorum explicatio.

Ficus proferens grossos populus Iudæorum.

Bernardvs.

2. Ficulnea hæc, quamuis bona Patriarcharum radice progenita, numquam tamen in altum proficere, numquam se humo attollere voluerit, numquam radici respondere, proceritate ramorum, generositate florum, fœcunditate fructuum, sed perpetuò humilis, fragilis, tortuosa, nodosa fuerit, & informes ac acerbos grossos pro pulchris & odoratis floribus tulerit: in fine nihilominus temporum, reliquiæ saluæ fient, cùm enim plenitudo gentium intrauerit, & ipse Israel licet olim incredulus, conuertetur, & tunc finis mundi, ac Christi iudicium erit in foribus. *Ab arbore fici discite parabolam: cùm iam ramus tener fuerit, & folia nata*, hoc est, cùm ficulnea illa in aduentu meo propter suam incredulitatem arefacta, iterum virescere & frondescere incipiet, & duræ illæ ceruices Iudæorum mollescent, & leui iugo meo subijcientur; scitote, quoniam propè est æstas; illa, inquam, æstas, in quâ

messis fiet, & bona frumenta in horreum Domini recondentur, paleæ autem & zizania igni inextinguibili cremabuntur.

Non solùm Iudæi, sed omnes gentes ante iudicium ad Christum conuertendæ illis in ficu, hisce per cæteras arbores, significatis.

3. Apud D. Lucam autem cap. 21. non tantùm ficus, sed etiam cæteræ arbores, adhibentur in parabolam, ita enim scribit: *Videte ficulneam, & omnes arbores, quum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.* Quod D. Ambrosius putat non sine mysterio factum: nempe quod ante diem iudicij, Iudæi, quos ficus significat; & omnes Gentes, quas per cæteras arbores comprehendit, ad Christum sint conuertendæ. Quod cùm factum fuerit, tunc in propinquo esse æstatem illam, quam nulla sequetur hyems, nullaque tempestas, sed quâ Sancti Dei in summâ tranquillitate, & omnium bonorum affluentia, claritate regni sui perfruentur: accipe loquentem D. Ambrosium lib. 10. in Luc. cap. 21. *Diuerso*, ait, *quidem modo, in vnum tamen concurrere videtur Euangelistarum sententia. Matthæus enim de sola dixit ficulnea, cùm ramus eius tener fuerit, hic de arboribus omnibus. Verùm, siue cùm fructus in omnibus virescit arboribus, & ficulnea fœcunda iam floret, vt omnis lingua confiteatur, iam Deo confitente etiam populo Iudæorum, sperare Domini debemus aduentum, quo tamquam temporalibus æstiuis resurrectionis fructus metentur.* Sic D. Ambrosius.

AMBROS.

Cùm ficus illa maledictione percussa, figuarit populum Iudæorū, quomodo dicātur Iudæi conuertendi ad Christū. Prima solutio.

4. At inquies ficulneam illam iuxta viam consistentem, maledictione hac percussam fuisse à Christo; *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum*: quomodo ergo dicimus, illam fructum fidei & charitatis prolaturam ante diem iudicij, cùm Iudæi omnes ad Christum redibunt? Respondeo primò: hoc soli arbori conuenire, neque dictum in typo. Nam ex ficu illa numquam ortus fructus est, in sempiternum. Typus autem fuit illius arefactio, arefactionis Iudæorum.

Secunda.

5. Secundò, verba hæc Synagogæ conuenire, quod ad ritus, cæremoniasque, & sacrificia attinet. Nam lex vetus antiqua est, & arefacta penitus, ita vt nullum fructum in sempiternum illius obseruatio possit producere. Prætereà arefacta est Iudæorum respublica, & regnum Iudaicum, nullumque fructum iam pariet; quia nullo vmquam tempore instaurabitur.

Tertia.

HIERONYMVS.

6. Tertiò, dixit Dominus: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum*, pro quo dicit Hieronymus, scribens in Matth. 21. legi posse: *Numquam ex te fructus nascatur in sæculum. Vtrumque enim*, ait, *Græcus sermo significat.* Sæculum autem accipi potest pro longa temporis duratione, cœpta à Christi morte, vsque ad consummationem sæculi. Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. *Id est*, ait Origenes homil. 28. in Matth. *quamdiu stat hoc sæculum præsens, numquam ex te fructus nascatur, ideò infructuosa est Synagoga Iudæorum; & hoc erit vsque ad consummationem sæculi, donec intrauerit Gentium plenitudo.*

ORIGEN.

Quarta. AMBROS.

7. Quartò, D. Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 13. postquam obiecisset: *Quomodo dixit Dominus ad ficum; Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, cùm vtique plurimos ex Iudæis credidisse, & credituros esse nouerimus.* Sic nodum dissoluit: *Qui credit, non Synagoga iam fructus est, sed Ecclesia: nec ex Synagoga nascitur, qui renascitur in Ecclesia. Sicut enim sunt qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si enim ex nobis essent, nobiscum mansissent: sic de ijs qui ex Iudæis credunt, dicimus, quia si ex Synagoga essent, in Synagoga manerent: sed propterea exierunt de Synagoga, vt ex ea non fuisse credantur.* Sic ille.

Quòd post generalem Iudæorū & gentium ad Christum conuersionem, ex inopinato superuentura sit dies iudicij, ficulneæ similitudine, declaratur.

SECTIO IX.

Ex inopinato superuenturum iudicium.

1. Vis scire qualiter generalem illam Iudæorum & Gentium ad Christi fidem Antichristo iam extincto, cessantibusque grauissimis illis calamitatibus, sequetur extremi iudicij dies? *Ab arbore fici discite parabolam*: Explicatur enim etiam nobis eadem fici similitudine tempus iudicij adfuturum, tempore, quo non speratur, atque ex improuiso, & ex inopinato, homines illius ignaros, atque imparatos, oppressurum. Duobus exemplis illustrat Christus hanc veritatem apud Lucam cap. 17. Alterum est Noëtici diluuij, alterum Sodomitici incendij: *Sicut enim in diebus Noë, & in diebus Loth; ita erit & aduentus meus.* Similis erit diebus illis, quibus diluuio orbis demersus est; & illis, quibus infames ciuitates incendio conflagrarunt. Antequam aqua inundaret orbem, ignisque in ciuitates descenderet sulphuri permixtus, homines timore liberi, & impendentis mali inscij, solitum humanæ vitæ tenebant cursum, cibum statis tempori-

temporibus sumebant, ducebant vxores, mercaturas faciebant, extruebant ædificia, serebant arbores, atque alia negotia exercebant, latuit eos diluuij dies, & incendij, subitoque imparatos obruit! Eundem in modum, antequam iudicij adsit dies, illius temporis mortales, securi vitam traducent, imminentisque periculi ignari, solitis vacabunt operibus, abscondita illis erit horribilis dies, atque ex improuiso nihil tale opinantes, repentina obruet tempestate. *Ab arbore fici discite parabolam. Arbor ficus*, ait D. Chrysologus serm. 106. *brumali tempore transacto, dum grossos producit, in florem, decipit incautos, illudit ignaros, namq; mox proijcit grossos; hinc est quod Dominus aduentus sui tempora scire cupientes, mittit ad ficulneam, dicens: Videte ficulneam, & omnes arbores, quum producunt iam fructum; scitis, quia propè est æstas.* Hæc Chrysol. Quinetiam D. Hilarius in Matth. comment. cap. 26. super eisdem Euangelij verbis, congruenter id scribit & animaduertit: *In veris enim initijs*, inquiens, *ficus intumescit, & non exiguum tempus est medium inter id quod æstas ingruit, & arboris ficus ramus terenescit in frondes.*

Ficus cùm grossos producit decipit incautos, idem accidet in iudicio.

CHRYSOL.

HILAR.

2. Sed dices, quomodo incautos opprimet dies iudicij, cùm tot iam præcesserint præcurrentia signa? Nam teste Christo: *Surget enim gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & erunt pestilentia, & fames, & terræmotus?* Sed existimandum est, iuxta Apostolum, quòd post pugnas, dissensiones, pestilentias, & fames, & terræmotus, &c. quibus genus vastatur humanum, breui subsecutura sit pax, quæ quieta omnia promittat, vt fides credentium comprobetur, vtrum transactis malis, sperent iudicem esse venturum. Hoc est enim quod in Paulo legimus 1. ad Thessal. 5. *Ipsi diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint pax & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.* Sic D. Hieronymus in Comment. ad cap. Matth. 21. *Post pugnas*, ait Pasch. *& dissensiones insidiantium, & cætera, quibus semper genus vastatur humanum, breuis ad modicum subsequenda est pax, quæ quietare permittit omnia, vt fides credentium comprobetur, vtrum transactis malis, sperent iudicem Deum esse venturum.* Post deletionem Antichristi cum suis, saltem ad septem annos, mundum duraturum, putat Lessius lib. 3. de perfect. diuin. c. 19.

Qualiter incautos opprimet dies iudicij, quamuis tot illius præcesserint signa.

HIERONYMVS.

LESSIVS.

3. In primis, hic expendas velim, quale impiorum ingenium. Ecce tot viderunt extremi iudicij iam aduentantis signa, & tamen, quia paruula pace fruuntur, & securitate, iam sunt comedentes, & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, nihil minus veriti, quàm imminens iudicium, quod illos planè est oppressurum. De illis pulchrè D. Gregorius 8. Moral. 7. *Iamq; impios, vltor, ad iudicium pertrahit, & tamen ipsi, ordinatione solicita; rebus transeuntibus, occupati, nihil aliud cogitant, nisi in hoc mundo adhuc qualiter viuant, relinquendo omnia, quasi possidendo disponunt, quia spes viuendi non frangitur, etiam cùm vita terminatur. Iam ad iudicium trahuntur per sententiam, & tamen adhuc habendis rebus inhærent per curam.* Sic ille. Horum hominum insipientiam pulchrè depingit Cardinalis Bellarminus Dominic. 1. Aduent. con. 3. eos assimilans stultissimo homini, qui ex alto in barathrum casurus, alio meliori casu, manibus extensis, arbusculam quandam apprehendit, quam licet duo mures continuò roderent, nihilominus videns ex ramis illius arbusculæ mellis latices distillari, omnium impendentium malorum oblitus, totus hilaris & iucundus effectus, dedit se totum floribus colligendis, & melli sugendo, quod ex illis profluebat.

Cura terrenorum & spes viuendi non frangitur in peccatoribus, etiam cum vita terminatur.

GREGOR.

Peccatoribus quamuis tot imminenant mala, allecti quadam vitæ dulcedine, eadem obliuiscuntur.

BELLARMINVS.

4. Idem apologus exstat apud Damascenum in historia Barlaam & Iosaphat cap. 12 & refertur contractioribus verbis, quàm referat Bellarminus.

DAMASC.

5. Secundò, expende quale Dei ingenium, nimirum, vt pacem peccatorum, quam putant omnibus perfectam modis, & cui nihil ab anteriori, vel à tergo detrimentum aliquod adferri posse videatur, ipse turbet à superiori, vt notat Iudocus à Castro in feria tertia Paschæ in 4. *Otiabantur, ait, olim Sodomitæ, & saturabantur panibus, & securi existimabant se plena pace gaudere. Edebant & bibebant, emebant, & vendebant, plantabant & ædificabant. Pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit: Peccatores instante iam die iudicij, similiter existimabunt se plena pace gaudere; at Deus pacem illorum à parte superiori absque vllo alio turbat. Cùm enim dixerint: Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Nota, non occurret, non sequetur, non insidiabitur quispiam à latere, sed desuper veniet ex cælo, cui vallum aut aliud militare munimentum opponi non potest. Cùm olim quidam gloriarentur de altitudine murorum, latitudine & profunditate fossarum, & alijs munimentis, quibus iactabant ciuitatem suam inuincibilem & inaccessibilem esse; nec curarent, etsi omnium scelerum cloaca, & spelunca latronum, ac colluuies esset omnium spurcitiarum, interrogauit deuotus quidem Princeps, indicans Deo non deesse media turbandi pacem peccatorum ex alto, quibus nihil aduersi timendum erat in sæculo. Estne coopertura superius, ne ira Dei super ciuitatem vestram descendere possit?* Hæc ille.

Pacem peccatorum quam completam existimãt turbat Deus à superiori.

IVDOC. A CASTRO.

Genes. 19.

Luc. 17.

6. Tertiò expende quarum rerum sint prænuntia atque prognostica, rerum temporalium luxus, copia, & abundantia: Non sanè instantis salutis, sed iam iam imminentis perditionis. Ducunt enim in bonis dies suos impij, & dum minimè

Rerũ temporalium luxus prognosticum imminentis perditionis.

H 2 arbitran-

arbitrantur, in puncto ad inferna descendunt. Vide pro veritatis huius elucidatione & amplificatione Baeza to. 4. com. in Euang. hist. lib. 16. cap. 23. §. 32. & l. 17. cap. 1. §. 3.

BAEZA.

Cur superuentura sit impijs dies iudicij ex inopinato.

SECTIO X.

Quare impijs superuentura iudicij dies ex inopinato.

1. QVARTÒ expende incautos peccatores, dum comedunt, bibunt nubunt & nuptui tradunt, sic subitò obruendos diuini iudicij tempestate, & ad æternam deducendos miseriam, vt digno puniatur flagello eorum temeritas, & instantis iudicij desperatio, dum à summis delicijs subitò, & ex inopinato, & nihil tale cogitantes, transeunt ad summa tormenta, quo nihil acerbius dici, vel excogitari potest. *Nihil enim tam graue*, ait Stobæus serm. 13. *quàm ex beato fieri miserum. Leuior dolor est*, ait Seneca de tranquill. vitæ, *non habere, quàm perdere; tolerabilius non acquirere, quàm amittere.* Quod expressit Pompeius apud Lucanum lib. 8. cùm dixit, *dedecori est fortuna prior.* Eò namque magis augetur mœror, quò splendidior fortuna præcessit.

Nimirum vt acerbior sit eorum dolor.
STOBÆVS.
SENECA.
LVCANVS.

2. Dolebat hoc Dauid Psal. 101. cùm dicebat: *A facie iræ, & indignationis tuæ; quia eleuans allisisti me.* Vbi Lorin. ait: *Significat, cùm Deus ipsum in sublimiorem dignitatis, & potestatis locum, & gradum euexisset, inde deiecisse, depressisse, deturbasse, præcipitasse, & afflixisse. Vnde accidit, vt longè molestior esset huiuscemodi humiliatio.* Sic ille. Vnde D. Chrysostomus lib. 3. de prouidentia, ponderat persecutiones Dauid acerbiores ei fuisse post assecutam coronam, & sceptrum Regis, quàm fuerint quando miles erat, neque thronum adierat; amariorem proinde illi fuisse persecutionem, quam sustinuit à filio Absolone post gloriam regni, & victorias omnes, & triumphos de inimicis comparatos, illâ, quam perpessus est à Saule. Loquens ergo de persequente Patrem Absolone, ait: *Insurgit in patrem, illumq; rursus ad fugas, erroresq; perpetuos, quos perpessus erat sub Saul, reuocat: imò verò multò illi molestior ea fuga, quàm prior fuit. Nam priùs dux cùm esset, ista perpessus est: nunc autem cùm annis plurimis regnasset, hostesq; ferè omnes superasset, migrare cogebatur, ac profugus fieri. Egrediebaturq; cum paucis, nudis pedibus, Rex ille sublimis, mœrens, ac lachrymas fundens, pudore, ac dolore plenissimus. Tantò enim contumeliosiùs, quàm Saul, impius filius beato illo tunc vtebatur, vt patris quoque thorum violaret. Huic successit Semei vir quidam sceleratus, & ingratus, innumerisq; illum probris respersit, verbis lapides admiscens.* Sic Chrysost. Amarissimam proponit persecutionem Dauidis post assecutam Regis gloriam, & hostium victorias, ac triumphos comparatos: ea enim, quæ prospera præcesserant, amariora reddebant quæ posteà infausta subsecuta sunt.

LORINVS.
Post gloriam regni & victorias, fuit Dauidi acerbior persecutio, quàm ante.
CHRYSOSTOMVS.

3. Nam sicut dixit Laurentius Iustinian. lib. de casto connub. cap. 12. *Solent quicumque ab humanæ dignitatis sunt collapsi fastigio, toties mœrore sauciari, atque alta ab imo pectore eructare suspiria, quoties reuoluunt animo quid fuerint, & quid sint. Augmentum quippe præsentis infortunij, memoria est præteritæ fœlicitatis, & eò grauiore confodiuntur doloris vulnere, quò sublimior fuit transacta prosperitas*, &c.

Augmentũ præsentis infortunij, est memoria præteritæ fœlicitatis.
LAVR. IVSTINIAN.

4. Superbus ille Syriæ Rex Antiochus sydera cæli contingere se arbitrabatur, & sibi, videbatur fluctibus maris imperare, & altitudines montium in statera appendere. Cœpit ex graui superbia, ad agnitionem sui venire, & conquestus de miseria sua, ait: *In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ in quâ nunc sum, qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea.* Vbi maximè torquetur, & affligitur recordatione præteritæ prosperitatis, & lætitiæ: hoc enim magis premit ærumnosos, dum mente prosperam præteritam fortunam versant. Vnde Boëtius 2. de consol. ait: *Summum fœlicitatis genus est misero, fuisse aliquando fœlicem*; quam sententiam acceperat à Seneca de tranquillit. vitæ lib. 1. cap. 8. in principio, vbi ait: *Cogitandum est quantò leuior dolor sit non habere, quàm perdere, & intelligemus paupertatem eò minorem tormentorum, quò minorem damnorum esse materiam. Tolerabilius est, faciliusque non acquirere, quàm amittere, ideoq; Lætiores videbis, quos numquam fortuna respexit, quàm quos deseruit.* Et in eodem sensu Cicero dixit: *Nihil est tam miserabile, quàm ex beato miser*, quod priùs dixerat Euripides in Troade, & Tragicus. *Magis*, inquit, *vnde, quàm quò cadas, refert.*

Torquemur maximè ex recordatione præteritæ fœlicitatis.
BOETIVS.
SENECA.
CICERO.

5. Similis Dauidicæ, fuit & querela S. Iobi cap. 30. *Eleuasti me*, ait, *& quasi super ventum me ponens, elisisti me valdè.* Vbi Pineda sic explicat: *Ex sublimi fœlicitatis fastigio, in quod me euexeras, nunc in profundum malorum barathrum præcipitas, eò acerbiori, & miserando casu, quò è sublimiori fortuna.*

PINEDA.

Hinc Abulensis quæst. 3. in Iudic. c. 16. expendens quæ de Samsone eodem capite referuntur, nimirum: *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Vocauitq; tonsorem, & rasit septem crines eius, & cæpit abigere eum, & à se repellere; statim enim ab eo fortitudo decessit, dixitque: Philisthijm super te Samson. Qui de somno consurgens*

Maximus dolor si cõtingat summa infimis coæquari.
ABVLENS.

ugens, dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, & me excutiam, nesciens, quòd recessisset ab eo Dominus. Quem cùm apprehendissent Philisthijm, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere, molere fecerunt, exclamat: *Quis, ô Samson sufficienter tantam calamitatem lugere queat; imò quis dignè cogitare valeat, subitò in te summa infimis coaequata sunt?*

Vt Christo grauior esset ignominia, voluit antè excipi magnifico triumpho. TERTVLL. BERN.

7. Vnde & ipse Christus probè noscens quantæ afflictionis sit ex summo honore dilabi in summam ignominiam, volens saturari opprobrijs, & discessurus saginari voluptate patiendi, sicut dixit Tertullianus lib. de patient. cap. 3. antequam subiret ignominiosam mortem crucis, priùs voluit excipi magnifico triumpho in Hierusalem. Quod meditatus D. Bernardus, sic scribit serm. 2. in Ramis Palm. *Quid fuit, quòd processionem habere voluit, qui mox futuram nouerat passionem? Fortè vt amarior esset passio, quam processio præcessisset. Ab eodem enim populo, in eodem loco, & in ipso tempore paucissimis dierum interpositis, primò cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quàm dissimile est, Tolle, tolle, crucifige eum: &, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis. Quàm dissimile: Rex Israel, &, non habemus regem nisi Cæsarem? Quàm dissimiles rami virentes, & crux, flores & spinæ. Cui priùs sternebant vestimenta aliena, ecce suis exuitur, & sors mittitur super ea. Væ tibi amaritudo peccatorum nostrorum; propter quæ soluenda, tanta amaritudo necessaria est.* Sic ille amarissimam amaritudinem mortis Christo ostendit ex præcedente triumpho, gaudio, & pace; ea siquidem solet esse amarior afflictio, quam maior prosperitas & gloria præcessit.

Christo, fuit eò grauior passio, quo post maiorem accidit eius gloriam. RVPERTVS.

8. Ex quo capite & ipse Christus exaggerat labores suos pro hominibus exantlatos, sic enim loquitur Zachar. cap. 2. *Post gloriam misit me ad gentes,* &c. Quæ verba sic expendit Rupertus: *Quàm bonus est vnigenitus, qui cùm in formâ Dei esset, propter nos accepit formam serui, atque post gloriam claritatis quam habuit apud Deum, priùs quàm mundus fieret, saturatus est opprobrijs, dans percutienti se maxillam, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Sic ille. Et meritò, inde enim vehementissimè crescunt dolores & tormenta, quòd veniant homini summis glorijs assueto.

Transitus à bonis ad mala acerbior, dum actualiter fruimur bonis.

9. Et quidem transitus ille à summis bonis, ad summa mala, tantò plenior est afflictione, quantò celerior est; præsertim si contingat dum actualiter bonorum temporalium perfruimur copiâ, prout etiam accidit incautis illis peccatoribus edentibus & bibentibus, nubentibus & nuptui tradentibus; hisce enim occupati rebus, dum dicunt pax & securitas, repentinus eis superueniet interitus, & inter ipsa gaudia ad extremum exitium trahet.

Vnde Deus puniturus mundum, mense Maio amœnissimo, eundem perdidit.

10. Vnde etiam puniturus Deus homines, eò quòd corruperant viam suam, & extincturus incendium luxuriæ diluuij aquis; Mense secundo rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Mensis igitur secundus quo factum est diluuium, respondet nostro Maio: eo autem tempore incœpit diluuium, vt ostenderet Deus causam diluuij non naturalem fuisse ex pluuiis, & ex imbribus hyemalibus, sed speciali prouidentiâ Dei illud effectum sub initium æstatis, cùm inchoantur calores, & siccitates. Sed adhuc aduertendum ex Cornelio à Lapide, quòd vt maior esset impiorum dolor, Deus eos perdidit tempore amœnissimo, quo nihil nisi lætum conspiciebant, & contrectabant, quo libenter, & lætanter edebant & bibebant, sicut ait Christus Dominus Luc. 17. *Vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem, quâ intrauit Noë in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes.* Grauius itaque censuit Deus fore supplicium, si dum tantis fruerentur delicijs, gaudijs, fructibus, atque prosperis rebus, extremam incurrerent miseriam.

CORNEL.

Puniturus Israelitas id facit dum adhuc carnes erant in dẽtibus eorum.

11. Vt eleuet Regius vates, & Dei iram in Israelitas concitatam, & horum miseriam, sic scribit Moyses Num. cap. 11. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis.* Quid durius, quàm concuti dum escæ delicatæ adhuc sunt in ore percussorum?

Iob mensæ assidens infausta maximè accipit nuntia.

12. Diabolus, volens immani crudelitate Iobum aggredi, & plagâ percutere insanabili, mensæ assidentem aggreditur; etenim ait nuntius cap. 1. *Filijs tuis, & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens, oppressit liberos tuos.* Tempore enim prandij cùm hæc côtigerunt, non solùm filij, sed Iob ipse mensæ assidebat. Cur mensæ assidenti nuntiat tantum malum aduersarius? Vt dum excidia & ruinæ prandenti nuntiantur, à suauibus escis ad tantum amarorem repentè tractus truculentiore gladio transfigatur. Origenes lib. 1. in Iob ait: *Sic itaque hora prandij manducantibus illis ac bibentibus, Iob sanè in domo suâ, filij autem & filiæ in domo fratris sui maioris nuntius venit ad Iob. Erat namque nequissimi diaboli versutia, vt horam prandij obseruaret, vt prandente illo tristes, ac mortiferos nuntios ad eum mitteret, quo magis fatigaret ac interficeret, vt tempore comestionis ac potus, atque iucunditatis, tristes nuntios mittendo, deficere illum instanti faceret.* Vide huc spectantia apud Sherlogum tom. 1. in Cant. Anteloq. 6. Sect. 9.

ORIGEN. SHERLOGVS.

Sublatio spei reuertēdi ad pristinam fœlicitatem, maximè exulcerat dolorem.

13. Mirum autem in modum, dolorem illum, ex tanta mutatione conceptum, exulcerat, omnis spei ad pristinam fœlicitatem reuertendi sublatio, quâ prementur etiam peccatores, dum ex inopinato super eos irruet interitus, vnde nominatim addidit D.Paulus 1.Thessal.5. *De quo non effugient*. Nullus mortalium dum vita superest, in tot malorum cadit barathrum, vt non aliqua illi spes effulgeat liberationis: at verò interitu illo percussi mortales, nulla remanet spes redeundi ad pristinam fœlicitatem.

Augebit maximè dolorē peccatorū dum videbunt iustos à Christo assumi in gloriam.

14. Quòd verò in immensum, & suprà quàm dici potest, cruciabit incautos illos peccatores, illud est; quòd non solùm experientur grauissima mala, post degustata maxima bona, sed etiam proprijs cernent oculis quam amiserunt beatitudinem, quam gloriam, dum iustos videbunt ad Christum assumi in corpore maximè glorioso, & configurato corpori claritatis Christi; dum cernent illos tamquam filios charissimos demulceri à Christo suauissimis illis verbis: *Venite benedicti patris mei. Prius benedicti vocabuntur*, ait D.Bernardus in Psal.90. serm.5. *in regnum, quàm maledicti in caminum deijciantur ignis æternum, quo videlicet acriùs doleant, videntes quid amiserint.*

BERNARDVS.

Durum erit impijs iustos rapi à Christo, illis relictis.

15. Vnde etiam D.Chrysostomus homil.8. in epist. ad Thessal. exponens illa verba, scilicet: *Nos qui viuimus simul rapiemur cum illis, obuiam Christo in aëra.* Postquam ponderauit Deum honoris gratiâ tunc sanctos in altum erepturum, impijs in terrâ relictis, nam sicut ille in nube suscepit filium in gloriam, sic & sanctos etiam in nubibus vult suscipere suos, ad maiorem eorum gloriam, maioremque decorem, sic ait: *Qualis ergo tumor, qualis timor eos, qui in terrâ tunc, qui iudicem expectabunt, obtinebit. Vna namque rapietur* (notanda verba) *& vna relinquetur; & vnus accipietur, & vnus relinquetur: quis enim erit tunc animus illorum? quando istos quidem sublatos videbunt, se verò ipsos relictos? An non quauis gehenna terribilius hic dolor, eos ita deiectos, & consternatos reddere poterit?*

CHRYSOSTOMVS.

Adam collocatus ante paradisum vt amissæ fœlicitatis recordatione magis torqueretur.

16. Ea mente, vt legimus Genes.cap.3. eiecit Deus Adamum è paradiso, & collocauit ante paradisum voluptatis, quo scilicet illius aspectu, & amissæ fœlicitatis recordatione magis torqueretur. Vnde D. Ambrosius in Psal.38. *Considera nunc mihi illum Adam de paradiso eiectum, in castellum relegatum, spectantem vnde deiectus sit, flentem vbertim quia reminiscitur quid amiserit, quòve deciderit*, &c.

AMBROS.

Vt acerbiùs cruciaretur diues epulo ostensus est illi Lazarus in sinu Abrahæ.

17. Simili mente Deus volens acerbiùs excruciari diuitem illum immisericordem, ostendit illi Lazarum quiescentem in sinu Abrahæ, vt non solùm experiretur quæ incurrisset mala; verùm & quæ amisisset bona. Legimus enim Luc.16. *Eleuans igitur oculos suos diues vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.* Quod expendens D.Chrysostomus Conc.2. de Lazaro, ait: *Vidit illum, vt quæ passus fuisset pauper, hæc nunc & diues pateretur multò grauius. Quemadmodum enim illi molestiorem reddidit cruciatum, quòd in vestibulo diuitis iacebat, quòd videret aliena commoda: sic, & huic grauiorem reddidit cruciatum, quòd in gehenna iaceret, quod Lazari videret delicias, quo non solùm naturâ suppliciorum, verùm etiam comparatione honoris illius intolerabilem haberet cruciatum. Et quemadmodum Adam è paradiso eiectum è regione paradisi habitare iussit Deus, vt assiduus conspectus renouans molestiam exactiorem illi praberet sensum expulsionis è bonis: ita sanè & hunc è regione Lazari constituit, quo videret quibus bonis seipsum priuasset: misi tibi, inquit, in vestibulo Lazarum, vt tibi ad virtutem doctor esset, doctrinaq; materia; contempsisti lucrum; noluisti ad quod oportuit vti salutis occasione, vtere posthac illo ad maioris cruciatus, supplicijq; materiam.* Sic Chrysost.

CHRYSOSTOMVS.

Maximè cruciabit incautos peccatores, vidētes sanctorū gloriam, quòd cognoscent se errasse dū nihil laboris pro illa subire voluerunt.

18. Postremò, mirum in modum doloris sensum augebit incautis illis peccatoribus, & quàm maximè torquebit, quòd, videntes Sanctorum gloriam, videbunt se errasse, ac stoliditatem passos intellectus, cùm pro illa obtinenda nihil studij, nihil laboris subire voluerunt, quod sic elucidat Laurentius de Ponte homil.91. in Sap. *Attendendum, quòd cùm intellectus, & ratio partes sint hominis nobiliores, quibus ipse à reliquis discernitur animantibus, & quæ meritò in maiori sunt in ipso præ reliquis æstimatione*, vt inquit D. Chrysostomus homil. 21. in Matth. *affirmans illud esse intellectum in animâ, quod oculus in corpore: Quod oculus corpori, ait, hoc intellectus animæ. Ex quo eius deducens æstimationem sequitur: Si enim nequaquam prorsus eligeres ornari auro. & serica veste circumdari, oculisq; fœdari, sed horum proculdubio sanitatem desiderabiliorē rebus omnibus iudicares, quæ si tibi certè depereat, nihil te iam tota vita delectat, quantò hoc magis pro oculis mentis debes efficere. Oculus ergo animæ cùm sit intellectus, hinc præ omnibus carior, sicut in corpore præ omnibus oculus, ideò plus homo intellectū, & rationem æstimat, quàm cætera omnia, ex quo fit vt nihil ita eum torqueat, ac, vt sic dicam, intimiùs rodat, quàm error intellectus, & iudicij, dum in aliquo casu videt se deceptum, nec intellexisse, immo & malè iudicasse, vtpote res quæ ab eo partem tollit eminentiorem, intellectum scilicet, & rationem, reddens eum veluti animal brutum: ex quo fit vt de nulla re sic mali dolebunt in illâ die, vti quando perspicient in iudicio se errasse, & veluti bruta animalia nil de sorte Sanctorum bene sensisse; vnde videndo tunc ad oculos deceptionem, maiestatem, gloriamq; perspicientes eorum, in semetipsos turbabuntur, & obstupescent, & ab ipsamet oppressi gloria affligentur, torquenturq;.*

LAVRENTIVS DE PONTE.

Quòd

Quòd ad similitudinem illius extremi iudicij, mors, vltimaque dies vitæ hominibus adueniat.

SECTIO XI.

Dies mortis & particularis iudicij solet ex inopinato accidere peccatoribus.

1. QVINTO, expende, quòd sicut dies iudicij, & examinis generalis incautos illos peccatores decipit; similiter & mortem, diemque particularis iudicij & examinis post illam peragendi, ex inopinato accidere peccatoribus eosque rapere, iuxta illud Eccli. cap 4. *Misericordia & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit* (Græcè requiescet) *ira illius. Quasi dicat*, ait Cornelius, *sicut Dei misericordia citò adest & subuenit pœnitentibus, vt Magdalenæ, latroni in cruce, Saulo, &c. ita & ira Dei citò ingruet peccatoribus impœnitentibus, eosque subitò & ex improuiso nil tale expectantes occupabit, vti præoccupauit Luciferum, Cainum, Saulem, & omnes homines in diluuio, & Sodomitas in conflagratione Pentapolis. Peccatores vocat eos, qui habitum habent peccandi, in eoque se obfirmant & obdurant; ad hos enim pertinet, non misericordia, sed ira & vindicta Dei; imò super eos requiescet iugiter & in æternum, nimirum, in æternis gehennæ tormentis.* Et eodem cap. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

CORNELIVS.

Hinc mors comparatur latroni.

2. Hinc mors comparari solet latroni de nocte in domum infringenti, quòd peragere consueuit tempore minùs præuiso, ita vt morti appropriari possit illud de Nabuchodonosore dictum Ierem. c. 8. *Adduces super eos latronem repente.* Est enim mors latro repentinus impijs, & quasi fur de nocte est mors.

Dies Domini, ait Apostolus ad Thess. c. 5. *sicut fur in nocte veniet.* In quæ verba D. Chrysostomus: *Non communis solùm (iudicij dies) sed etiam proprius, ait, quoniam idem est cognatus. Hinc nycticorax*, ait Horus Apollo lib. 2. hieroglyph. 24. *mortem significat.* Sicut enim hic pullos cornicum repentè noctu; sic mors homines nec opinantes inuadit & opprimit.

CHRYSOSTOMVS. HORVS APOLLO.

3. Quò refero & illud Eccles. cap. 9. *Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo superuenerit.* Vide si libet Sandæum in Conc. de morte com. 2. & 3. Si obijcias peccatores diu interdum agere in hac vitâ, neque citò & extemplo corripi ab ira Dei? Respondeo cum Palacio in citatum locum Eccles. *Quod cùm peccatoribus ira venit quamuis tardissimè venit, citò venisse videtur. Adeò enim demersi sunt in delicijs suis, vt breue videatur quod longum est. Ita enim cùm nimis delectantur aliquid videndo, audiendo, gustando, breuis omnis mora videtur.*

SANDÆVS.

Semper impijs mors, quamuis tardè veniat, citò venisse videtur.

PALACIVS.

4. Deinde cùm peccatores credant sese superuicturos ad multos annos, non potest non citò & velociter fieri, quod putatur non esse futurum. Quo sensu D. Augustinus conferens verba illa D. Pauli 1. ad Thessalon. 5. *Quando dixerint pax & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus*; cum illis verbis Psal. 6. *Conuertantur & confundantur valdè velociter*, sic illud, *valdè velociter*, exponit: *Quandocumque venerit iudicij dies, celerrimè venit quod desperatur esse venturum: & longitudinem vitæ huius non facit sentiri, nisi spes viuendi. Nam nihil videtur esse celerius, quàm quidquid in eâ iam præteritum est. Cùm ergo iudicij dies venerit, tunc sentient peccatores quàm non sit longa omnis vita quæ transit. Nec omninò eis videri poterit tardè venisse, quod non desiderantibus, sed potiùs non credentibus venerit.* Vnde idem Augustinus explicans illa verba Psal. 2. *Cùm exarserit in breui ira eius*, sic conformiter ait: *Quòd autem positum est, in breui, hoc maximè significare arbitror, quia repentinum aliquid erit: dum hoc remotum & longè futurum peccatores existimabunt.*

Semper velociter venit peccatori, quod putatur nõ esse venturum.

AVGVST.

Quolibet serò, ait D. Gregorius 25. Mor. 2. *de hac vita tollantur iniqui, subitò, & repentè tolluntur, qui finem suum cogitando præuidere nesciunt. Subitum est homini, quod ante cogitare non potuit. Subitò diues ille stultus raptus est, qui horrea, quæ præparabat, deseruit, inferni locum, quem non præuidebat, inuenit.*

Subitò semper tollitur impius qui finem suum præuidere nesciuit.

GREGOR.

5. Sextò expende, quòd sicut incautos illos peccatores inuasit interitus, cùm post varias transactas calamitates, sibi pacem & quietem pollicebantur; ita & mors tunc solet inuadere homines, quando post varios susceptos labores, pro rebus acquirendis terrenis, putamus nos tradere quieti, & vitam agere à curis & laboribus remotam.

Mors inuadit homines dum post varios labores, putant se quieti tradere.

6. Septimò expende, quòd sicut incautos illos peccatores inuasit interitus, cùm mundus totus in pace compositus, illis blandiri videbatur: ita & mors nos inuadit, dum maximè nobis mundus ablandiri videtur. Vide Labata in locis com. prop. 22. In memoriam veniat villicus ille iniquitatis Lucæ 16. qui dum dissipat bona Domini, vt mundanam captet auram, vt multos sibi numeret amicos, & illi applaudant homines; audit à Domino: *Iam non poteris villicare*, id est, superuiuere. In quam parabolam scribens D. Chrysostomus, sic conuenienter ait: *Illa siquidem quibus vtimur, non omnia*

Mors nos inuadit dũ maximè mũdus nobis arridet.

LABATA.

CHRYSOSTOMVS.

omnia sunt nostra: non enim nos vt Domini in vitâ præsenti collocati sumus in propria domo, sed tamquam hospites & aduenæ quò nolimus ducimur, & quo tempore non putamus hinc abripimur, quando creaturarum Domino visum fuerit.

Mors homines inuadit, dum vacant delicijs & voluptatibus.

7. Octauò expende, quòd sicut incautis illis peccatoribus superuenit interitus, dum delicijs & voluptatibus vacant: erant enim nubentes, & nuptui tradentes; ita & mors nos præcipuè inuadit, dum delicijs & voluptatibus vacamus. Vide Labata loco citato.

Mors nos rapit dum maximè rebus temporalibus sumus immersi

8. Nonò expende, quòd sicut ruina extrema occupauit incautos illos peccatores, dum emebant & vendebant, & curis sæcularibus maximè essent intenti: ita & mors nos rapit, dum maximè rebus temporalibus sumus immersi, atque obruti; ita vt nobis accidat, quod Archimedi Philosopho accidisse refert Valerius Maximus lib.8.c.7. *Captis, ait, Syracusis, Marcellus machinationibus eius multum ac diu victoriam suam inhibitam senserat: eximiâ tamen hominu prudentiâ delectatus, vt capiti illius parceretur, edixit: penè tantum gloriæ in Archimede seruato, quantum in oppressis Syracusis reponens. At is dum animo & oculis in terram defixis formas describit, militi qui prædandi gratiâ domum irruperat, strictoq; super caput gladio; quisnam esset interrogabat: propter nimiam cupiditatem inuestigandi quod requirebat: nomen suum indicare non potuit. Sed protracto manibus puluere; Noli, inquit, obsecro, istum disturbare: ac perinde quasi negligens imperij victoris, obtruncatus, sanguine suo artis suæ lineamenta confudit.* Similiter dum toti intenti sumus vt efformemus spheras, cælosq; terrenos, vel potiùs imaginarios (pro cælo auaro, pecunia, pro cælo superbo dignitas & prælatura &c.) mors iaculo suo nos ferit, nos configit, ac bonis huius vitæ omnibus orbat.

Valerius Max.

Hominibus idem quod auibus accidit, quæ dum accurrunt ad escam capiuntur.

9. Accidit nobis plerumque idem quod auibus, quæ dum incautæ ad cibum vel potum accurrunt, laqueis & retibus solent intercipi. Sic homines, dum in arbore huius vitæ hilares cantant, sine mortis cogitatione, dum hic in mercaturæ, dum ille in dignitatum, dum tertius in pecuniarum acquirendarum, dum quartus in voluptatum persuendarum ramis, suauiter degunt & conuersantur, mors illis tamquam laqueus superuenit, rapit, & interficit. Vnde sub laquei imagine de morte fatus ipse Dominus, sic monet Lucæ 21. *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & superueniat in vos repentina illa dies: tamquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.*

Aliquos subitaneam mortem incurrere permittit Deus vt cæteri terreantur.

Hinc autem accidit Deum permittere iusto suo iudicio, vt aliqui subitaneam mortem incurrant, vt terreantur alij. Quis enim adeò excors est, vt illum subita proximi mors non terreat? Pharaonis duritics, quam tot infringere non valuerunt portenta, tot numquam emollire prodigia, iram Domini plus solito concitauit, siquidem decreuit omni Ægyptiorum primogenito vitam adimere. Scriptura sacra rem sic narrat Exod.12. *Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, &c.* Quid hoc Domine? Veluti furtiuè hos in noctis silentio vitâ priuasti. Nónne tu Dominus vniuersorum? Cur non plena luce, vidente Sole, die media interemisti? Dubitarat & hoc anteà Rupertus lib.2. in Exod.cap.17. dicens: *Cur ergo potiùs medio noctis dormientes placuit interfici?* Sibi autem satisfaciens, ait: *Videlicet, vt historicum quoque exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret, scientes quia quisquis exemplo Ægyptiorum thesaurizauerit sibi iram, nihilominus exemplo illorum improuisam accipiet vindictam.*

Rupertus.

10. Decimò expende, quòd sicut dies ille extremus & vniuersalis mundi totius finis, incautis illis peccatoribus erit ignotus. *De die enim illa,* ait Dominus Matth.24. *& hora, nemo scit; neque Angeli cælorum, nisi solus pater.* Ita & nobis ignotum esse, ac planè incertum diem mortis nostræ, iuxta illud 1.Thessal.1. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet: nam sicut ad omnes veniet in die generalis examinis; ita veniet vnumquemque iudicaturus in die particularis iudicij.* Et Saluator noster apud Matthæum c.24. ait: *Venit Dominus serui illius, die qua non sperat, & hora, qua ignorat.* Et Matth.c.25. *Vigilate, quia nescitis diem neque horam;* scilicet non vestram, sed Domini.

Ignotus & incertus est dies mortis.

11. Quidam in ipso ventre matris, alij statim atque in lucem editi sunt, vitam finiunt. Multi in infantia, multi in pueritia, plurimi in adolescentia, aut virili ætate mortem obeunt, & pauci comparatione prædictorum ad senectam perueniunt. Certumque est adolescentem etiam robustum, ac validum, citò mori posse, senem verò diu viuere non posse. Nec solùm tempus moriendi, ac hora hinc emigrandi incertissima est, sed & ipsum genus mortis absconditum, ac penitus oculis nostræ mentis occultum. Quidam enim hinc decedunt longissimo morbo consumpti; quidam breui, sed acerba ægritudine pulsati: non pauci subita & inopinata morte prærepti. *Ne nos,* inquit Ephrem serm.de his qui in Domino dormierunt, *in hodiernum vel crastinum diem impura relaxet cogitatio: quoniam multi, dum multa secum statuerent, ad crastinum non peruenerunt: at subitò rapti sunt, sicut passerculi ab accipitre, & velut agni à lupo, & quasi captiuus à latrone, nec loqui prorsus valentes, nec testamentum condere, neque vocem vllam edere. Alij enim vesperi cubitum sani concedentes,*

Pauci ad senectam perueniunt.

Ipsum quoque genus mortis incertissimũ.

Ephrem.

cedentes, ad mane non peruenerunt. Alij ad mensam accumbentes expirarunt. Alij inter ambulandum & ludendum repentè sunt mortui. Alij in balneo morientes, idem lauacrum pro epitaphio ac sepultura habuerunt. Alij verò, dum nuptias celebrarent, in ipso thalamo nuptiali subitò atque inopinatè abrepti sunt, & eadem sibi vestimenta pro nuptiis pararunt, atque pro funere: successeruntq; in locum tibicinum lamentantes, & in locum saltantium atque tripudiantium, lugentes atque plorantes. Hæc ille.

Voluit Deus extremum diem esse incertũ vt nos paratos inueniat.

12. Vtrumque autem diem ignotum & incertum nobis voluit esse Deus, vt dum vtrumque expectamus, neuter imparatos nos inueniat. Vnde rationem reddens D. Augustinus, cur extremum diem voluerit Christus nos latere; sic scribit in Psalm. 36. in init: *Vtiliter autem Deus latere voluit illum diem, vt semper sit paratum cor ad expectandum quod esse venturum scit, & quando venturum sit nescit.* Et paulò pòst: *Vt quoniam diem nouissimum scimus venturum (vtiliter autem scimus venturum, & vtiliter ignoramus quando venturus sit) paratum cor habeamus, bene viuendo: & non solùm non timeamus venturum illum diem, sed & amemus. Dies quippe ille sicut infidelibus laborem auget; sic fidelibus finit. Quid autem horum duorum esse velis, antequam veniat, nunc est in potestate: cùm venerit non erit.* Vnde etiam idem Augustinus, rationem reddens, cur incertum & occultum nobis voluerit esse Deus diem mortis, sic ait Psalm. 120. *Nescis quâ horâ veniat; semper vigila; vt quod nescis quando veniat, paratum te inueniat; cùm venerit; & ad hoc fortè nescis, quando venturus sit* (Dominus) *vt semper paratus sis.* Sic ille. *Dei ignoratio*, ait D. Hilarius in cap. 26. Matth. *intentam sollicitudinem suspensæ expectationis exagitat. Mortis diem*, ait Rupertus lib. 3. in Genes. c. 25. *vel horam homini incognitam esse voluit, vt dum nescitur, quando sit; quæ sine dubio futura est, semper sollicitum reddat, semperq; suspectum, superbire non sinat. Dixit enim indefinitè, Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Et non dixit, vsque ad tot annos, quibus transactis statim reuertaris in terram, de qua sumptus es: ita ergo viuere hominem voluit, quasi altera die iudicandum, & rationem de propriis factis redditurum.* Sic Rup. *Ad hoc*, inquit D. Gregorius lib. 12. moral. *Conditor naturaliter latere nos voluit finem nostrum, diemq; nostræ mortis esse incognitum; vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur: vt tantò quisque sit feruentior in operatione, quantò & incertus est de vocatione; & dum incerti sumus, quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire.*

AVGVST.

AVGVST.

HILARIVS.

RVPERTVS.

Genes. 3.

GREGOR.

CHRYSOS.

Propterea (ait Chrysostomus hom. 9. in epist. ad Thess.) *tanquam fur sic venit in nocte* (mortis dies) *ne nos in vitium præcipites demus, ne in socordiam, ne mercedem nobis amputet.* Ob hoc ergo mortis diem, incertum voluit Deus, vt semper parati inueniremur; hinc tales, quæ sunt mundi, non quasi veras res, sed fictas, sed quasi somnia considerant vigilantium, vnde sic eis vtuntur, quasi somniis, dum eas non veras sed somnia reputant.

Qualiter tum ad diem Iudicij; tum ad diem mortis; præparemur.

SECTIO XII.

1. Vis scire qualiter ad vtrumque hunc diem nos conuenienter præparemus? Nimirum; assidua vtriusque diei meditatione; & vt nihil dicamus de meditatione diei illius nouissimæ, quando ad iudicandum terram veniet Dominus, dies mortis nostræ semper debet obuersari oculis nostris, tamquam speculum quoddam, maximè salutiferum, iuxta pulcherrimum monitum S. Nili in Parænesi: *Die, inquit, noctuq; ad vltimam horam respice.* O singulare speculum, quod & in media nocte spectari potest. Vulgaribus speculis, nihil est commune cum cæcis; quid enim cæco cum speculo, cùm oculis careat, quibus illud inspiciat? Vulgaribus speculis nihil commune cum nocte, cùm lux in primis necessaria rebus, vt illa intermedia, imaginem sui traiiciant, tum vt imago ab illis traiecta, ad oculos deferatur. Quam lucem si admoueas, accensa tæda, vt repulsis tenebris, expressam in speculo tui imaginem, cernas, planè infaustam & malè ominosam hanc visionem plurimi censent: At longè aliter res se habet in hoc mortis speculo, de die conspectum miræ est efficaciæ; multò verò maioris, si nocte in illud oculos mentis coniicias; tunc enim exactiùs in eo vitiorum nostrorum fœdas imagines videmus, & ab eodem conuenientiùs earumdem purgationem accipimus.

Præparamus nos ad diem mortis, si mors obuersetur oculis nostris.

S. NILVS.

Quantum speculum mortis differat à vulgaribus speculis.

Visionem sui in speculo de nocte infaustam plurimi reputant, at speculũ mortis maioris virtutis de nocte.

2. Vis liber esse ab omni mentis elatione? Oculum in hoc coniice speculum. Vnde sic optimè Zeno sermone de præcepto, *attende tibi: Diuitiis flores, & polles, & illustrium proauorum consulatibus intumescis, patria, parentumq; nobilitate te iactas, pulchritudine corporis erigeris, & decore, honoribus extolleris; & assecclarum fulciris officiis, tum maximè attende tibi ipsi; & memento quia mortalis es, & in terram ibis: & quia potest & ad te dici: stulte, hac nocte auferent abs te animam tuam, & quæ parasti cuius erunt? Intuere eos, qui ante te similis potentiæ dignitatibus effulserunt. Vbi sunt? quid agunt?*

Speculum mortis liberat ab omni mentis elatione.

ZENO.

vbi fasces eorum? vbi magistratus? vbi diuersarum insulæ dignitatum? vbi denique eloquentissimi rhetores, & vehementissimi oratores? vbi hi, qui crebros conuentus orationum tuarum fauoribus celebrabant? vbi popularis, vbi largitio muneralis? vbi exquisita equorum præparata certamina? vbi denique Satrapæ? vbi reges? vbi tyranni? nónne omnia puluis, & cinis est? nónne omnia antiquæ fabula, superfluaq; narratio est? nónne perexiguis ossibus angustæ vasculo vrnæ conclusis omnis eorum memoria continetur? Denique intuere, & inspice eorum sepulchra si potueris, discernere quis ibi seruus, quisve sit Dominus, quis pauper, quisve sit diues. Discerne ibi si potes plebeium à rege, virum fortem ab imbecillo, decorum ab informi. Si ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occasio; sed semper memor eris tui, si præcepti memor attenderis tibi. Sic ille.

AVGVST. Si agnoscat homo se mortalem, frangit elationem.

3. Quò refero & pulcherrimum D. Augustini monitum serm. 21. de verb. Domini secundum Matth. vbi sic ait: *Audiuit autem homo, Morte morieris, vtatur bene pœna sua. Quid est quod dixi, vtatur bene pœna sua? Agnoscat se mortalem, & frangat elationem: audiat sibi dici. Quid superbit terra & cinis? Vtatur ergo homo pœna sua fratres, & bene vtatur malo suo, vt proficiat bono suo. Quis nescit quia pœna est necesse esse vt moriamur, & quod est grauius, quando nescimus? Pœna certa est, hora incerta: & de ista pœna sola certi sumus in rebus humanis.*

Speculum mortis liberat à gulæ vitio. PETRVS DAM.

4. Vis à gulæ vitio liberari? Oculos in hoc speculum conijce. Vnde sic Petrus Damiani opusc. 15. cap. 23. *Gula proritus illecebrat? Sepulchro protinus ad mentem reducto, considera, quia dum carnem nostram delicatè, vel tenerè fouendo distendimus, cibum procul dubio vermium saginamus, eoq; fit vt quò plura comedimus, à pluribus comedamur, dumq; ventrem molliter alimus, ingratis conuiuis pinguia alimenta nutrimus.* Sic ille. Vis esse in omnibus temperans? Oculos mitte in hoc speculum. *Nihil*, ait Seneca epist. 115. *æquè tibi profuerit ad temperantiam rerum omnium, quàm frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti.*

SENEC.

Speculum mortis ab omnibus liberat vitiis. GREGOR.

5. Idem esto iudicium de aliis vitiis, nulla enim cum hoc consistere possunt speculo. *Qui considerat*, ait D. Gregorius lib. 12. moral. *qualis erit in morte, semper pauidus erit in operatione: atque inde in oculis sui conditoris viuet. Nihil quod transeat appetit, cunctis vitæ præsentis desideriis contradicit, & penè mortuum se considerat, quia moriturum se minimè ignorat: perfecta enim vita est mortis meditatio, quam dum iusti sollicitè peragunt, culparum laqueos euadunt, &c.* Quod cùm probè nouerit aduersarius, quid agit? Totus in eo est, vt mortis memoriam in mentibus nostris expungat & deleat, vel saltem longè, imò longissimè, adhuc mortem distare, persuadeat, vt liberior delinquendi locus supersit. Hinc

Diabolus totus in eo, vt expūgat in nobis memoriã mortis.

& diabolus cùm audiret mulierem ob oculos mortem habentem, cùm dixit Genes. 3. *Ne fortè moriamur*, statim dixit: *nequaquam moriemini*; ablato enim timore præcepti, & mortis, rem facilè conficiendam, circa peccatum, quod suadebat, putauit.

6. Vnde consultissimum, vt quotidie hoc speculum mortis oculis obiiciamus, omnes dies pro extremis habentes, iuxta illud Poëtæ:

Omnis dies pro extremo habendus.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Quod imitatus Senec. sic de seipso scribit epist. 94. *Non me ad illum diem aptaui quē vltimum mihi spes auida promiserat, sed nullum non tamquam vltimum aspexi. Latet vltimus dies*, ait D. Augustinus lib. de Doctr. Christ. *vt obseruentur omnes.* Itaque omnes dies, horæ, & momenta, suspecta nobis esse debent; quia nescimus quod eorum, interitum nobis machinetur. Si te oporteret successiuè septem panes comedere, in quorum vno venenum latere certo tibi constaret, nónne ad singulos trepidares? Et si ordine simili ad septem iturus esses amicos, de quibus dixisset tibi in aurem Propheta quispiam: Horum vnus gestat sicam ad te conficiendum, & reipsa te conficiet; nónne timeres omnes, & disponeres domui tuæ quouis tempore? Quid autem aliud sunt hebdomadæ cuiusque dies, quā amici quidam, & panes ordine recurrentes, quorum vnus indubiè tibi erit postremus, & mortis spiculum in te vibrabit priùs occultum? Si hoc speculum mortis quotidie ob oculos ponamus; hinc etiam fiet, vt cùm aduenerit, nos illi futuri simus superiores. S. Gregorius Nazianz. in Distichis: *Mortem*, inquit, *velut præsentem semper tibi ob oculos pone: ita enim fiet, vt, cùm ipsi occurrendum erit, superior existas.*

SENECA.

AVGVST.

GREGOR. NAZ.

7. Et quidem eò ampliùs & diligentiùs mortis speculum die noctuque contemplari debemus in quo nihil habemus in hac vita certius, quàm ipsam mortem, vt pulcherrimè ad oculum demonstrat D. Augustinus in Psalm. 38. ad verba, *Verumtamen vanè conturbatur omnis homo: Quid*, ait, *in hac terra certum nisi mors? Considerate omnia omnino, vel bona vel mala huius vitæ, vel in ipsa iustitia, vel in ipsa iniquitate. Quid hic certum est nisi mors? Profecisti; quid sis hodie scis, quid facturus sis crastino nescis. Peccator es: quid sis hodie scis, quid sis crastino nescis. Speras pecuniam, incertum est an proueniat. Speras vxorem, incertum est an accipias, vel qualem accipias. Speras filios, incertum est an nascantur. Nati sunt, incertum est an viuant. Viuunt, incertum est an proficiant, an deficiant. Quocumque te verteris, incerta omnia: sola mors certa. Pauper es, incertum est an ditescas. Indoctus, incertum est an erudiaris. Imbecillis, incertum est an conualescas. Natus es, certum est quia morieris: &*

Nihil habemus in hac vita certius quã ipsam mortem.

AVGVST.

ris: & in hoc ipso quia mors ipsa certa est, dies mortis incertus est. Vide eundem serm. 21. de verb. Domini secundum Matth. vbi postquam pulchrè docuit, in omnibus huius vitæ bonis & malis, vbique locum esse aduerbio illi, *Fortè*, tandem concludit: *Numquid potes dicere, fortè moritur, fortè non moritur? Quomodo medici quando inspexerint valetudinem, & mortiferam esse cognouerint, hoc pronunciant, moritur, inde non euadit. Quandò natus est, ægrotare cœpit. Quando mortuus fuerit, finit quidem ægritudinem, sed nescit vtrum pergat in peiorem.* Hæc omnia D. Augustinus.

AVGVST.

SENEC. In omnibus agendis mors respicienda.

8. Imò, vult Seneca vt in omnibus agendis, mortis speculum consulamus, vnde ait epist. 115. *Quidquid facies, respice ad mortem.*

9. Præuenire solet mors homines imparatos; dum autem sic oculos in hoc speculum conicimus tamquam verè sapientes, hac præmeditatione, & quæ eam consequitur, præparatione, ipsam præuenimus mortem, iuxta pulcherrimum monitum D. Augustini serm. 120. de temp. *Præueniendus est dies, qui præuenire consueuit.*

Meditatione & præparatione, mors præuenienda. AVGVST.

Ad mortem nos præparat timor Dei. EPHREM.

10. Secundò optimè nos ad diem mortis præparat timor Dei; nam vt ait Sapiens Eccli. cap. 15. *Qui timet Deum faciet bona. Qui timorem Dei obtinet*, ait S. Ephrem de timore Dei tom. 1. *huc illucq; non euagatur animo, sed Dominum suum expectat, ne fortè repente veniat, ipsumq; negligentiâ torpentem & imparatum offendat, separetque. Qui Deum timet, non est expers curæ ac sollicitudinis: semper enim vigil est ac sobrius. Qui timet Dominum, immodico non est deditus somno; vigilat enim, & aduentum Domini sui expectat. Cui timor Dei est, in nullo se negligentem præbet, ne Dominum suum offendat. In quo timor Dei est, inertiæ atque desidiæ non se tradit: semper enim sua diligenter curat, ne condemnetur à Domino. In quo est timor Dei, semper quæ Domino suo placent probat, eaq; amplectitur & perficit: vt cùm Dominus eius venerit, in multis ab eo laudetur. Plurimorum enim bonorum causa est timor Dei possidentibus illum.*

Ad diem mortis nos optimè præparat eleëmosyna. CHRYSOS.

11. Tertiò, nos optimè ad diem mortis præparat eleëmosyna facta pauperibus, vt cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Vnde Chrysost. scribens in parabolam illam Lucæ cap. 16. de villico, sic ait: *Quotquot sumus qui futuram nobis remissionem conciliare volumus, aliena dando ac remittendo proprium lucrum augebimus. Aliena autem dico, quæ sunt Domini: nihil enim nostrum est, sed omnia sunt ditionis Dei. Quoties igitur quis exitum suum percipiens, leuat beneficio sarcinam peccatorum, vel relaxando debita debitori, vel tribuens inopibus copiam, ea quæ sunt Domini largiens, multos amicos conciliat, præbituros sibi coram iudice testimonium veritatis, non vocibus, sed bonorum operum ostensione; quin etiam parituros per testimonium refrigerij mansionem.* Sic ille.

12. Pauperes, quibus datur eleëmosyna, vel iusti sunt, vel iniusti; si iusti, diuites sunt spiritu & gratiâ, & in cælum recepti, nos quoque suis precibus, & meritorum communicatione ibidem recipiunt. Ideoque non putent diuites se beneficium dare, sed potiùs accipere à pauperibus, vt benè notat D. Gregorius libr. 21. moral. cap. 14. Quod si contingat pauperes, quibus eleemosyna datur, impios esse; in cælum nos recipient, non ipsi, sed Deus & Sancti, quorum est recipere, qui sibi datas illas eleemosynas reputabunt, adeoque remunerabuntur.

Diuites non dant beneficia pauperibus, sed potiùs ab illis ea recipiunt. GREGOR.

13. Quartò, nos optimè ad diem mortis præparat pœnitentia; quæ, vt conuenienter fiat, non in crastinum differenda, sed hodie facienda: nam de crastino sumus incerti. Vnde cùm quotidie nobis mors sit expectanda, quotidie ad eam parati esse debemus, & cùm S. Antonio dicere debemus: *Hodie cœpi viuere Deo, hodie quoque finiam & moriar.*

Ad mortem optimè disponit pœnitentia.

AVGVST. Cùm quotidie mors expectanda, non differenda pœnitentia.

14. *Promisit tibi Deus*, ait D. Augustinus homil. 13. inter 50. *quoniam quo die conuersus fueris, obliuiscitur mala tua præterita: sed numquam vitam crastini diei promisit tibi. An fortè non tibi illam promisit Deus, & promisit illam tibi Mathematicus, vt damnet te & illum?* &c. Idem de eadem re sic luculenter tract. 33. in Ioan. *Mansuetus Dominus, longanimis Dominus, misericors Dominus; sed & iustus Dominus, & verax Dominus. Largitur tibi spatium correctionis, sed tu plus amas dilationem quàm emendationem. Malus fuisti heri, hodie bonus esto, & hodiernum diem in malitia peregisti, vel cras mutare. Semper expectas, & de misericordia Dei tibi plurimum polliceris: quasi ille qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Vnde scis quid pariat crastinus dies? Rectè dicis in corde tuo, quando me correxero, Deus mihi omnia peccata mea dimittet. Negare non possumus, quòd correctis atque conuersis indulgentiam Deus promisit. Nam in quo Propheta mihi legis, quia promisit correctis indulgentiam: non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam.* Idem ser. 202. de temp. *O homo, quare differs de die in diem, fortè hodie habiturus vltimum diem.*

IDEM.

IDEM.

Animus numquam à morte auertendus sed semper vigilandū.

15. Loquentem etiam accipe Epictetum Platonis in Enchirid. siue in arte humanæ vitę cap. 12. cùm ait: *Quemadmodum in nauigatione, subducto nauigio, si aquatum exieris, animo in nauigium intento esse oportet, & continenter sollicito, ne gubernator vocet, & vinctus tamquam ouis in nauim coniiciaris; quod si senex es, caue vmquam à naui recedas longiùs, ne quando vocatus es deficias,* &c. Quâ metaphorâ & similitudine voluit Philosophus admonitos esse debere, qui huius

vitæ mare nauigant, ne obliuione corripiantur, aut animum à discessu, & interitu auertant, sed iugiter inuigilent, & parati sint ad receptus tubam audiendam, eique promptissimè obediendum.

Non in senium differenda pœnitentia.

16. Non etiam in senium differenda. Nã vt monet Eccli. c. 17. *Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & glorificaberis in miserationibus illius.* Quibus tibi pœnitenti, innumeris præteritis, quos in sceleribus mori & damnari permisit, tot & tanta peccata condonauit.

BASILIVS.

Audi consilium S. Basilij orat. 4. de pœnitent. *Quid facis, inquit, ô homo cùm multum valeas in agendo, iuuentutem tuam in peccatis traducis; vbi verò in labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cùm illorum nullus sit vsus, sed necessariò labant ac torpent ob longi temporis tabem.* Et S. Ambrosius? *Quid,* inquit, *potest habere laudis, si effætum corpus voluptatibus, & iam senectutis gelu frigidum, ad sera deuotionis officia, deposito iam senior vigore conuertat?* Quin & Seneca lib. de breuit. vitæ: *Non pudet,* ait, *te reliquias vitæ tibi reseruare, & id solùm tẽpus bonæ menti destinare quod in nullam rem conferri possit? quàm serum est tunc viuere incipere, cùm desinendum est mori.*

AMBROS.

SENEC.

Maximæ stultitiæ in senectutem differre pœnitentiam.

BASILIVS.

17. Quantæ stultitiæ sit in senectutem differre pœnitentiam, sic rectè docet D. Basilius admonit. ad filium spirit. sapienter eum de cita pœnitentia monens: *Quando,* inquit, *te peccatis obnoxium senseris, ad pœnitentiam citò conuerti ne confundaris: qui enim hic pœnituerit, in nouissimo non pœnitebit. Clementer enim Dominus ad pœnitentiam confugientes suscipit. Et ne misericordiâ Dei fretus peccata peccatis adiicias, ne velis dicere; Donec viget ætas mea, carnis concupiscentiam exercebo, & postremò in senectute malorum meorum pœnitentiam geram: pius namque est Dominus, & multum misericors, nec vltra facinorum meorum memorabitur. Noli taliter, fili, cogitare: quia summa stultitia est, hoc in mente apud Dominum concipere, cùm & impium sit talem licentiam à Deo expectare quempiam.* Causam subdit: *Noli, inquam, sic cogitare; cùm nescias qua die moriturus sis: quis enim nouit hominum diem exitus sui? Non enim omnes in senectute priuabuntur hac luce: sed in diuersis ætatibus de hoc mundo migrabunt: & in quibus actibus vocabitur homo, in iisdem necesse est reddere rationem: nemo enim in inferno confitebitur Domino. Sed nec tu cuncteris ad pœnitentiam conuerti. Semper ante oculos tuos versetur vltimus dies: cùm enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas peruenire; & cùm in lectum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis aduentu, vt faciliùs te possis refrenare ab omnibus vitiis. Semper cor tuum promissa cœlestia meditetur, vt ipsa te ad virtutis viam prouocent.*

CHRYSOS.

18. Eandem sententiam patheticè exaggerantem accipe etiam D. Chrysostomum homil. 22. in epist. 2. ad Corinth. *Ne moreris, ait, conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Nescis quid paritura sit superuentura dies: periculum enim & metus est in differendo, salus verò certa & secura, si nulla sit dilatio. Ne dicas: Erit aliquando tempus, quando conuerti licebit. Verba enim hæc Deum valdè exasperant. Inebriatus es ventri indulsisti? rapuisti? siste iam gradum, verte te in diuersum, confitere Deo gratiam, quod in mediis peccatis te abstulit: ne aliud quare priuilegium, vt malè opereris. Multi, cùm aliis damnum fraudulenter facerent, subitò perierunt, & ad manifestum iudicium abierunt. Time, ne & tu hoc patiare inexcusabilis. Sed multis, inquis, dedit Deus priuilegium, vt in vltima senecta confiterentur. Quid igitur? numquid & tibi dabit? Fortasse dabit, inquis. Cur dicis, fortasse? Contingit aliquoties? Cogita, quod de anima deliberas: proinde etiam de contrario cogita, & dic: Quid autem, si non det? Quid autem si det? inquis. Det quidem ipse: veruntamen hoc illo certius & vtilius.*

Procrastinatores sæpe, nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis inueniunt.

FVLGENT.

19. Scis quid similibus procrastinatoribus sæpe contingat? Audi Sanctum Fulgentium de fide ad Petrum cap. 3. *Nullus,* inquit, *hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cùm etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare: tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de eo indulgentiam repromittunt, nonnumquam ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis inueniant,* Sic ille. Audi etiam Sapientem Prou. c. 5. *Ipse morietur quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Vide Cornel. in hunc locum, vbi pulchrè docet qualiter dæmon stultitiam promoueat peccatoris.

CORNEL.

In horam mortis nequaquam remittenda pœnitentia, ne homo moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei.

20. Multò minùs differenda pœnitentia in horam mortis, quia languore premente rara est huiusmodi vera confessio, & morte instante rarissima: meretur enim infirmus vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei, ait ex S. Augustino Palacius. *Non est dignus,* ait D. Cyprianus epist. 52. *in morte accipere solatium, qui se non cogitat moriturum.* Quibus similia habet D. Gregorius 9. moral. cap. 36. Quod possumus illustrare ex Gregor. 4. dialog. cap. 38. vbi ait: *Grisonius vir in hoc mundo fuit tantum plenus vitiis, quantum rebus: morti vicinus vidit teterrimos spiritus, vt ad infernum eum raperent: cœpit credere & clamare: Inducias vel vsque mane, inducias vel vsque mane, sed in ipsis vocibus de habitaculo suæ carnis euulsus est.* Tunc subdit Gregorius, *pro nobis hoc vidit, vt eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimiter expectat.* Vide si libet Laurentium de Ponte in Sap. homil. 87. vbi docet, quàm finis peccatoris sit durus, quantis calamitatibus plenus.

CYPRIANVS.

GREGOR.

LAVRENTIVS DE PONTE.

Dubia & maximè incerta quę in

21. Quàm sit dubia & incerta, quæ in extremo vitæ peragitur pœnitentia do-

extremo vitæ agitur pœnitentia. AVGVST.

cet D. Augustinus variis in locis, præsertim lib. 58. Homil. homil. 41. dum ait: *Agens pænitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus.* Et infrà occurrens tacitæ obiectioni: *Debeo*, inquit, *plenius exponere, ne me aliquis malè intellexisse intelligas, numquid dico, damnabitur? Non dico; sed dico etiam, liberabitur? Non. Sed quid dicis mihi? Nescio, non promitto, nescio. Vis te dubio liberare? Vis quod incertum est euadere? Age pænitentiam dum sanus es, quando peccare potuisti, &c. Si autem vis agere pænitentiam tum quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa, &c. Sed vnde scis, inquis, ne fortè Deus dimittat mihi? Verum dicis, vnde? Nescio; illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pænitentiam, quia nescio; nam si scirem tibi nihil prodesse, non darem: item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non terrerem. Duæ res sunt aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur; quid horum tibi futurum sit nescio: ergo tene certum, dimitte incertum.*

Stultissimi sunt qui in vespera mortis volunt sese parare ad pœnitentiā.

22. Vide quid acciderit fatuis virginibus, dum instabat aduentus sponsi, dum erant in vltimo vitæ periodo, videntur quidem satagere, vt saluti suæ possint prouidere, non tamen legimus eam obtinuisse, solæ paratæ intrauerunt cum Christo ad nuptias. Nónne summæ esset stultitiæ, opera subtiliora ad lumen candelæ peragere, & crassiora plena luce perficere? Sanè sic agunt, qui in viri ætate incumbunt planè terrenis, & in vespere mortis se volunt ad mortem parare. *Opera subtiliora*, ait Iudocus à Castro Dom. 16. post Pentec. cap. 2. §. 1. (*vt acu pingere, vel oram consuere tenuissimæ sindonis*) *quando serena est aura, & clara dies elucescit, fieri solent; grossiora verò, vt saccum reficere, vespertino tempori & candelæ facienda relinquimus. Verum subtilissimū opus salutis, homines sæpe reseruant vespera vitæ suæ, & illi tempori, quando de more Ecclesiæ cereus accendendus est, vt moribundo tradatur. Crassa autem opera, vt domos ædificare, accumulare diuitias, & similia ab hominibus fieri solent quando omnes sensus vigent cum animæ potentiis. Tanta est rerum terrenarum sitis, vt de ijs quæ spiritus sunt, & animam concernunt, vix memoria fit, nisi dum omnia per infirmitatem tenebrescunt. Circa saccum crassi corporis multi occupantur dum dies est, in anima autem, quæ est res subtilissima, circa vesperam pingere incipiunt. Vnde sæpe quæ fieri debent in illa, infecta manent, aut tam inconcinnè fiunt, vt non facta censeantur, cùm tamen, vt post mortem fiant, nulla sit spes.* Sic ille.

IVDOCVS A CASTRO.

In hora mortis pœnitentia incerta ob perturbationem. RIBERA.

23. Valde enim tunc incerta pœnitentia ob perturbationem, quam mens incurrit ex mortis repentino nuntio, quæ impedit, ne seriò pœnitere, atque de salute procuranda cogitari possit, vt pulchrè docet Ribera in Nahum cap. 1. ad tropologiam vocans illa verba: *In tempestate & puluere via eius, & nebula puluis pedum eius exsiccans mare, & flumina ad desertum deducens.*

Tunc valde difficile vt quis verè doleat.

24. Præcipuè dubia est & incerta pœnitentia, quia tunc valde difficile est, vt quis verè doleat, & quamuis quis habeat voluntatem accipiendi, non habet tamen vtilitatem agendi, cùm quod agit ex voluntate maneat accipiendi, non verè se pœnitendi. Quo respiciens Faustus Rhegiensis Episcop. in epist. 17. ad Benedictum, Paulinum inquirentem, an incumbentibus extremæ necessitatis angustiis momentanea pœnitentia vtilis sit, sic respondet: *Quia Deus non irridetur, ipse se decipit qui mortem multis temporibus vicit, & ad quærendam viam iam semiuiuus adsurgit; vt tunc officiosus appareat, quando dominicæ seruituti omnia corporis & animæ subtrahuntur officia. Circa exequendam interioris hominis sanitatem; non solùm accipiendi voluntas, sed agendi expectatur vtilitas. Ita enim legimus: Si, inquit, peccator pænitentiam egerit pro peccatis suis (egerit, memorauit; non solùm dixit, acceperit) in sua, inquit, iustitia, quam operatus est, viuit. Aduertis quod huiusmodi medicina sicut ore poscenda, ita opere consummanda est? Insultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire quo potuit; & illo, tunc incipit velle, quo non potest. Opus itaque est, vt quàm in peccando fuit abrupta & vegeta ad malum mentis intentio, tanta sit in vulnerum curatione deuotio.* Sic ille.

FAVSTVS.

Extra omnem est difficultatem, hominem cōstitutum in vltimo vitæ articulo posse cōteri de peccatis.

25. Extra tamen omnem est difficultatem, hominem constitutum in vltimo vitæ articulo, verè posse, diuino fauente numine, pœnitere, & conteri de peccatis, eiusque pœnitentiam esse & tunc Deo maximo acceptam: imò tradunt Deum tunc maximè propensum esse, vt concedat moribundo peccatori singulare diuinæ gratiæ auxilium, ob meritum Christi, præsertim si id postulet, qui sicut omnia alia, & illud pro nobis promeruit apud patrem, dum morti proximus queritur se à patre derelictum, ne cœlestis pater in vltimo vitæ articulo constitutum peccatorem derelinquat, & auxilio suo destituat. Quæ omnia confirmat D. Cyprianus serm. de cœna Domini, dum ait: *Sed & in eodem articulo temporis cum iam anima festinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pænitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur, nec serum est quod verum, nec irremissibile quod voluntarium, & quæcunque necessitas cogat ad pænitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas tēporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia, sed in amplitudine sinus sui mater charitas prodigos suscipit reuertentes; & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pænitentes. Ipse Dominus noster derelictorum personam gerens in cruce, se queritur derelictum, & ne desperarent etiam in vltimis constituti, festinans in adiutorium illico adest,*

CYPRIANVS.

& re in arcto posita non differt beneficium, sed repente indulgentia celeris documentum eiusdem statuit & exemplum, latroni inquiens: Hodie mecum eris in paradiso. Latrocinium damnationem meruerat & supplicium, sed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & sanguinem in baptismum. In momento impletas religionem, crudelitas induit pietatem. Sic ille.

Luc. 23.

AUGUST. Cauendum ne nos occidat spes diuinæ misericordiæ, ideo enim fecit Deus diem mortis incertũ: cauendum ne occidat desperatio, ideo enim proposuit Deus portum indulgentiæ.

26. Finem facio cum pulcherrima doctrina D. Augustini tract. 33. in Euang. Ioan. *Ex vtroque, ait, homines periclitantur & sperando, & desperando. Sperando qui decipitur? Qui dicit: Bonus est Deus, misericors est Deus: faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ. Quare hoc? Quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur. Desperatione autem, qui cùm inciderint in grauia peccata, dicunt apud semetipsos: Iàm damnati sumus. Istos desperatio necat, spes illos. Inter spem & desperationem fluctuat animus. Metuendum est ne te occidat spes, & cùm multum speras de misericordia, incidas in iudicium. Metuendum est rursus ne te occidat desperatio, & cùm putas iam tibi non ignosci quæ grauia commisisti, non agas pœnitentiam. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus vtroque morbo? Illis qui spe periclitantur, hoc dicit. Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Illis qui desperatione periclitantur, quid dicit? In quacumque die iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar. Propter illos ergo qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum: propter illos qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat vltimus dies, nescis. Ingratus es, quia hodiernum habes in quo corrigaris.* Sic D. Aug.

Eccli. 5.

Ezech. 18.

Quòd crux Christi ante illius aduentum sit in cælo apparitura quódque sub imagine ficulneæ, de illa loquatur Christus, Mat. 24 cùm ait: Ab arbore fici. Et quænam inter ficum & crucem conuenientiæ.

SECTIO XIII.

Crux appa-ritura & in Iudicio, & ante Iudi-cium.

1. TErtiò præcedet iudicium, aduentumque Christi crux ipsa Saluatoris, non enim solummodo crux in cælo cum Domino est ventura ad iudicium, & in aere duratura vsque ad finem illius, iuxta illud Ecclesiæ: *Hoc signum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.* Verùm iuxta aliquorum opinionem, apparitura est, ante iudicium tempore obscurationis luminarium. Vnde Salmeron tom. 9. part. 3. tract. 40. referens variorum circa hanc rem sententias, sic scribit: *Hoc signum, vel veniet simul tempore cum iudice; vel vt alij sentiunt, tempore obscurationis solis in cælo apparebit, eritq; extensum super nos per aliquot dies & noctes, & pòst desinet apparere: & rursum veniente Christo, & vt vexillum præcedat ante eum.* Huic sententiæ videtur & fauere D. Chrysostomus serm. de cruce & latrone, dum ait: *Sol obscurabitur, crux autem apparet.* Et fauet maximè ordo contextus Euangelici, Dominus enim, postquam dixit Matt. 24. *Sol obscurabitur,* subiungit: *Et tunc apparebit signum filij hominis, & tunc plangent omnes tribus:* qui planctus fiet viuentibus adhuc hominibus, vt expositores communiter sentiunt, lamentabuntur enim tantis prodigiis in cælo conspectis. Hunc dicendi modum sequuntur Francis. Lucas, & Salm. suprà.

SALMER.

CHRYSOS.

2. Sed cui rei comparanda crux illa in cælo apparens? Certè nulli aptiùs comparatur arbori, quàm ficulneæ. Sanè Gislerius scribens in illud Cantic. 2. *Ficus protulit grossos suos*, existimat non solùm ibi per ficum Christi crucem esse intelligendam, verùm & Matth. 24. vbi Dominus loquens de signis iudicium antecedentibus, ait: *Ab arbore autem fici discite parabolam; cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata; scitis, quia prope est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc omnia; scitote quia prope est in ianuis: Per ficus exemplum, ait, vniuersam illam confirmauit parabolam: sic quippe apud Matthæum verba faciens de secundo suo aduentu, post multas enumeratas tribulationes primum ait: Tunc parebit signum filij hominis in cælo, haud dubium quin crucem designans, quæ ipsum proximè in cælo item appariturum indicaret: non secus ac præmissum militare vexillum subsequentem indicat ducem, atque adeò bene illico subijcit: Et videbunt filium hominis venientem in cælo cum virtute multa & maiestate. Concludens denique omnia, ac prædicta confirmans, affert similitudinem fici, dicens: Ab arbore autem fici discite parabolam; cùm ramus, &c. Ita vt ex similitudine arboris fici. Crucem designantis Dominus, colligendum asseruit, mundum citò comburendum æstu iustitiæ.* Sic Gisler.

Crux in cælo apparens comparanda ficulneæ. GISLER.

3. Sed quænam, precor, est conuenientia inter ficum, & sacratissimam crucem? Certè magna per omnem modum: In primis, si fici materiam spectes, vilissima est, imò & pro vilitatis & imbecillitatis imagine quondam vsurpata. Nam veteres Græci,

Conueniẽtiæ inter ficum & sacratissimã crucem. Prima sunt vilissima fici materia, ita crux summam præ se fert vilitatem.

Græci, vt testatur Pierius Hierogl. lib. 53. cap. 32 per fici nomen nullius frugis hominem, imbecillum & abiectum significabant, & ficulneum pro imbecillo & contemnendo ponebant, quo significato Horatius lib. 1. satyr. 7. dicit:

Olim truncus eram, ficulnus, inutile lignum.

Alij verò dixere, ficulneum Deum, ficulneum virum, vt exprimant, quã fuerint imbecilles & contemptibiles. vide etiam hac de re Erasmum, Adag. Cheliad. 1. cent. 7. adag. 85. Similiter quam non vilitatem & imbecillitatem præ se fert crux Christi? Tanta scilicet, vt illius prædicatio, stultitia exstimetur ab iis: qui virtutem illius ignorant, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 18. *Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia.* Verùm, vt idem ait Paulus 1. Cor. 1. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus,* id est; quod in Deo & Christo passo, putant infirmum; nimirũ ipsa passio, & crux fuit id, quo fortissimè Christus quasi victus, vicit homines, Satanam, & totum orbẽ. Quasi dicat, in eo patet mira Dei virtus, quod per rem infirmam, scilicet crucẽ, omnem fortitudinem vicerit. Vnde illud Abacuc 3. *Cornua in manibus eius.* S. Hier. & Augustin. exponunt sic: *fortitudo & arma, quibus quasi cornibus, hostes transfixit Christus fuerunt brachia crucis, cui affixa erant manus Christi.* Hinc & Constantino Magno contra Maxentium pugnaturo crux è cælo ostensa, cum hac inscriptione: *In hoc signo vinces*, vt testatur Eusebius lib. 1. vitæ Constant. c. 22.

ERASMVS.

HIER. AVGVST. Vilitas & infirmitas crucis summam vicit fortitudinem.

Ad fortitudinem crucis referenda mundi conuersio. CHRYSOS.

4. Ad fortitudinem crucis, siue crucifixi quod attinet, pulchrè D. Chrysostomus homil. 2. in epist. Pauli ad Rom. super illa verba; *Quoniam fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo: Considera,* inquit, *prædicationis Euangelicæ vim, vt breui tempore publicatur, at piscatorum operâ in ipsum vrbium caput innaserit, vt homines Syri Romanorum præceptores, atque institutores extiterint, qui fastu multo turgebant, tamquam orbis Domini, in delicijs ac diuitiis vitam agentes. Euangelium autem ipsum piscatores Iudæi ferebant, & quidem ex Iudæis gens, quam omnes oderant, atque abominabantur, quin & crucifixum adorare iubebant, iam & vnà cum ipso dogmate duram vitam agendam præscribebant, magistri hominibus, quibus semper cura fuerunt deliciæ, quique rerum vita præsentis astricti essent. Adde, quod, qui hanc annuntiabant, pauperes erant & priuati, ignobiles, & ex parentibus ignobilibus orti: sed tamen nihil horum impediunt sermonis Euangelici cursum, tanta erat crucifixi, & Spiritus sancti potentia.*

Fortitudo Christi nõ diminuta ab assumpta infirmitate, sed potiùs aucta. AVGVST.

5. Non minuitur fortitudo ab hac Christi assumpta infirmitate, sed potiùs augetur, & incrementum sumit; vt meritò dixerit D. Augustinus tract. 15. in Ioan. expendens illa verba Ioan. 4. *Fatigatus ex itinere, sedebat supra fontem: Iesus fatigatur, & ab itinere fatigatur. Inuenimus virtutem Iesu, & inuenimus infirmitatem Iesu: fortem, & infirmum: fortem, quia in principio erat verbum. Vis videre, quàm iste filius Dei fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse? Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Fortitudo Christi creauit, infirmitas Christi recreauit. Fortitudo Christi fecit, vt quod non erat, esset; infirmitas Christi fecit, vt quod erat, non periret.*

6. Secundò, ficus maximam vim habet ad discutiendos tumores. Quo fine ab Isaia admotam Ezechiæ, quidam existimant. Nam vulnus eius non fuisse vlcus, sed, vt sonat Hebræum vocabulum, à Septuaginta interpretibus, omissum, apostema, suspicantur, quando tumens corpus, cocto & putrescente pure impletur. Tunc iuxta artem medicorum, vt loquitur D. Hieronymus, omnis sanies ficcioribus ficis, atque contusis in cutis superficiem euocatur, & tumor abscedit. Et quid ad pellendum ex anima tumorem superbiæ efficacius cruce, in qua suspensus ipse Dominus Iesus? Pulchrè D. Augustinus sermone 41. de verbis Domni secundum Ioan. *Medicina tumoris hominis, humilitas est Christi. Non enim perisset homo, nisi superbiâ tumuisset. Initium enim, sicut dicit Scriptura, omnis peccati superbia. Contra initium peccati, initium iustitiæ necessarium fuit. Si ergo omnis peccati superbia initium, vnde sanaretur tumor superbiæ, nisi Deus dignaretur humilis fieri? Erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus.*

Secunda, sicut ficus tumores discutit: ita crux dissoluit tumorem superbiæ.

HIERON.

AVGVST.

Eccli. 10.

7. Olim Dauid Psal. 7. sic orabat: *Exurge Domine in præcepto quod mandasti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Hoc est, vt D. Augustinus exponit; *Quia humilitatem præcepisti, humilis appare, vt exemplo tuo, vincentes homines superbiam, non possideantur à diabolo.* Hæc Augustinus fieri non posse credidit, sanctissimus Dauid, quin Deum humilem, homines non imitarentur. Aelredus apud Tilmannum in alleg. expendens verba illa Isaiæ cap. 13. *Super montem caliginosum leuate signum.* Per montem caliginosum, mundum; per signum, Christi crucem, intelligens, existimat hoc signo omnia tolli posse vitiorum mala, ac proinde sic clamare Isaiam ad Angelos, *Super montem caliginosum leuate signum;* do illius verba: *ad Angelos, credo, vox ista dirigitur, quos Dominus animarum nostrarum iussit esse custodes, vt cordibus eorum, quos adhuc mundus delectat vel tentat, recordationem crucis imponant, vt singulis vitiis, quæ animam vel vastant, vel impugnant, singulas crucis virtutes opponant. Hi sunt administratorij spiritus, hi se spiritibus immundis opponunt, illecebras mundi suadentibus exemplum Dominicæ passionis obiiciunt; mentem ita inflammare volentibus*

Deum humilem non possunt homines non imitari. AVGVST.

Crucis signum omnibus opponendum vitiis. AELRED.

volentibus Dominicæ patientiæ bonitatem opponunt; elationem illis immittentibus, humilitatem humilis Iesu nobis suggerunt imitandam.

Tertia, ficus tollunt inflammationes, ita etiam Christi crux.

8. Tertiò non solùm ad discutiendum tumorem, sed etiam ad tollendam inflammationem, quæ cum quibusdam vlceribus coniuncta est, valet maximè ficus. Vnde ad inflammationem tollendam vel minuendam, solent medici conficere cataplasma ex caricis ficuum specie, vt videre est apud Dioscoridem, & Galenum: eadem planè vis est cruci Christi.

Quarta, lac ficuum remedium aduersus morsus scorpionũ, idem iudicandum de arbore crucis. CHRYSOS.

9. Quartò, lac ficuum præsentaneum est remedium morsibus vesparum, & scorpionum. Idem iudicandum de arbore crucis. *Quando*, ait Chrysostomus homil. de Continentia, *concupiscentia mala inflammat animam, statim recordare Christi; nam si ancillas, Domina casta & pudica, turpitudini deditas, statim solo aspectu pudicas facit; quid mirum, si titillantem voluptatem Christi memoria statim sopit. Semper crucem habe ante oculos tuos radiantem, & purus à peccatis per id temporis abibis. Nam sicut columna nubis, figura nostræ crucis, Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis pateretur; ita crux ante oculos visa, omnem statim abigit malam voluptatem, hæc enim salus est animæ, fœdarumq; concupiscentiarum salubre antidotum.*

Quinta, ficus habet vim emolliendi, ita etiam crux. PLVTARC.

10. Quintò, ficus habet vim emolliendi; vnde scribit Plutarchus in qq. com. libr. 6. quæst. 10. quòd suspensæ ex ficu victimæ tenerescant: imò coquus ille apud Plutarchum prob. libr. 8. affirmat, quòd ad carnes crudas & duras emolliendas, & sapidas reddendas, nihil æquè conducat, quàm vt illas appendas hamo aut paxillo ex arboris fici ligno fabrefacto, cuius rei rationem ibidem reddit. Idem iudicandum de arbore crucis: quidquid enim ex illa per seriam considerationem suspenditur, molle, tenerumque efficitur.

Sexta, ficus est nutritiua, ita & fructus crucis.

11. Sextò, ficus maximè est nutritiua; est illi namque fructus abundans & continuus, ita vt primo ab arbore dilapso, alter progerminet, hominum vsui seruiens tam æstiuo, quàm hyemali tempore, habens insuper nutriendi vim maximam, ac corporis vires, omniaque membra confortandi energiam non minimam, quibus adstipulantur tam antiqui temporis Anachoretæ ac Religiosi; necnon temporibus Pythagoræ viuentes Athletæ & luctatores, qui vt vires augerent, ficubus vescebantur. Similiter fructus crucis, ac ipse Iesus in cruce pendens, maximè reficit animam, tam hyemali huius vitæ quàm æstiuali futuræ gloriæ tempore. Illis verò qui in hoc mundo contra tentationes mundi, carnis, & diaboli præliantur, hic fructus sanctæ crucis miros addit animos, viresque auget, ad obtinendam victoriam. Vt meritò de cruce dixerit Beda: *Crux Christi credentes alit, vt ficus.* BEDA.

Septima, ficus excitãt appetitum cibi, ita etiam crux. PLVTARC.

12. Septimò, ficus excitant desiderium & appetentiam cibi: nam teste Plutarcho Sym. quæst. 8. Qui aliquo tempore sub ficubus morantur, paulò pòst famem, ac comedendi appetitum sentiunt, experientia id attestante, animantia namque ficubus onerata valde sunt famelica: quod etiam accidit illis, qui per niues iter faciunt, cuius etiam rationem assignat, dicens: Ex ficubus spiritus quosdam emanare calidos, qui corpus penetrantes, porosque aperientes, viam sternunt calori naturali, qui per illos diffunditur, atque exhalatur, relicto interius corpore debili atque famelico. Idem accidit sponsæ sedenti sub vmbra huius sacræ arboris; calor enim è fructu eius procedens, atque ignis quem mittebat in terram animam eius penetrabat, ac mundi calorem dissipabat, & mox experta fuit in cordis penetralibus suauem ac salutiferum quendam languorem, atque ideo ex eodem vult degustare fructu, & lassam reficere mentem. *Stipate me malis, quia amore langueo.*

Octaua, fici truncus amarus, fructus tamen dulcis, idem verificatur in cruce. PLVTARC.

13. Octauò, sicut truncus fici licet amarus sit, fructus tamen mira pollet dulcedine; cuius rationem reddit Plutarchus. Similiter & crucis arbor, mundani hominis palato amara est & insipida; Iudæis quidem scandalum est, Gentibus autem stultitia: nihilominus si fructum eius, nempe dulcissimum Iesum considerès, nihil est, quod ita dulcescat, quod ita omnes amaritudines in dulcedinem vertat; ita vt meritò comparari possit illi ligno, vel syluestri rosario, de quo Exod. 15. quòd licet naturâ suâ amarum foret, & manducanti mortiferum, nihilominus in aquas amaras immersum, dulces atque potabiles reddebat. Nimirum in typum salutiferæ crucis, iuxta illud Tertul. in l. contra Iudæos: *Lignum crucis tunc in Sacramento erat, quando Moyses aquam amaram, dulcem reddidit. Non ergo lignum crucis horrori nobis sit, inest enim illi, si Christum pendentem consideremus, sua dulcedo; quam experta Dei Ecclesia canit: Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus sustinet.* TERTVL.

Nona, ficus vmbrosa: ita etiam crux.

14. Nonò, ficus vmbrosa; ita & crux. De illa dicere possumus illud Fortunati lib. 2. Car.

Nullus vret æstus sub frondibus arborũ huius,

Luna nec in noctem, sol neque meridie.

Decima, ficus fulmine non icitur: similiter nec crucis arbor. BAPTISTA A PORTA.

15. Decimò, ficus arbor fulmine non icitur. Sic Baptista à Porta in Phytognomonica libr. 8. cap. 19. Similiter & crucis arbor, nihil iam habet maledictionis, sed postquàm in ea pependit Christus, tantùm abest, vt alicui obnoxia sit maledictioni, vt etiam sub ea sedentes, per fidem & charitatem, præseruet ab omni diuinæ iracun-

iracundiæ fulmine, omnique maledictione.

Vndecima, ficus plena folijs scuti figuram referentibus: Ita Crux omni armorum genere plena. CHRYSOS.

16. Vndecimò, ficus plena folijs, quæ scuti referunt similitudinem: ita & Crux omni armorum genere plena est, vt non immeritò D. Chrysostom. orat. in adorat. S. Crucis apud Gretserum tom. 2. dicat de illa: *Armatura Domini est insuperabilis.* Additque: *Vides quomodo militem Rex cælorum armet: non dedit scutum, non galeam, non arcum, non thoracem, non ocreas, non aliud quid de genere horum, sed quod ijs omnibus firmius & valentius est, præsidium à Cruce. Hoc gladius est, hoc clypeus, hoc thorax, hoc galea, hoc ocrea, hoc tutum propugnaculum.* Itaque nostra est panoplia Crux, id est, vniuersa arma; & vt solet strenuus Imperator, qui, quæ nouit ipse, & expertus est, arma sua militibus porrigit, sic & Christus ait loco citato, Chrysost. *Videte,* inquit, *Crucem meam, quanta efficit, arripite vos talia arma, & perficite quanta vultis.* Nec minus aptè Timotheus Antioch. presb. orat. in Crucem & transfigurationem Dom. apud Getserum tom. 2. *Non multis,* inquit, *opus est armis spirituali militi, qui cælestem Regem animò sequi velit, tollat tantummodò Crucem suam. O rem admirabilem, nondum crux à Iudæis fabricabatur, & Crucis trophæum fidelibus monstrabatur! O victricem crucis efficacitatem.*

TIMOTH.

Vel sola Crucis cogitatio est pro armis omnibus.

17. Non modò Crux pro armis nobis omnibus est, sed quod magis est, vel sola Crucis ipsius cogitatio: Etenim, *Christo,* ait Apostolus 1. Petr. 4 *passo in carne* (in qua scilicet peccata nostra pertulit super Crucis lignum) *& vos eadem cogitatione armamini.* Non dixit eadem passione, seu Cruce, sed eadem cogitatione, vel vt sonant Græca, *eandem cogitationem pro armis arripite, seu induite. Sola enim memoria,* Hugonis verba sunt ad eum Petri locum, *vel cogitatio passionis, & Crucis Christi, maxima est fortitudo, & arma contra dæmonum potentiam. Tanta est virtus Christi,* ait Origen. lib. 6. in ep. ad Rom. *vt si in mente fideliter habeatur, continuò ad solam memoriam eius totius peccati & mortis fugetur exercitus.*

HVGO CARD.

ORIGEN.

Duodecima: folia ficus sunt optima ad polienda & adæquanda inæqualia: ita etiam Christi verba in Cruce prolata.

18. Duodecimò, folia ficuũ optima sunt ad polienda & adæquanda ea, quæ sunt inæqualia. Septem illa verba à Christo in cruce prolata, quid aliud, quàm folia optima ad æquandam inæqualem mentem, animumque hominis. Quàm inæqualis noster animus, dum ab hominibus patimur damnum aliquod, quàm impatientes sumus, quàm ad vindictam propensi? vis æqualem reddere animum tuum, & pari ratione affectum esse tam inimicis, quàm amicis? Considera Christi verba, quibus orat pro inimicis, pro crucifixoribus: *Domine, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt,* &c. *Infirmitates corporis,* ait D. Chrysostomus homil. de continentia, *medicorum artes sanant: animam autem ægrotantem curant statim eloquia Christi.*

CHRYSOS.

19. Decimotertiò, ficus sæpius comestę, ac eorum liquore facies perlinitæ atque vnctæ, efficiunt ne rugas contrahant, sitim sedant, ardorem immoderatum temperãt, desiccatæ vocem augent, malo medentur stomacho, & ex longa infirmitate conualescentibus proficuæ sunt; tenelli eius ramusculi, vt quidam affirmant, contra morsus rabidorum canum præsentaneum sunt remedium. Illius cineribus percolatum lixiuium efficacissimum est ad eluendas maculas: illius cortex vlceribus ventriculi medetur: gemmas quas progerminat antequam folijs vestiatur, dicunt auferre verrucas. Breuiter nihil in ficu reperias, quod nõ sit vtile ac proficuum. Plura reperies apud Plinium lib. 23. hist. nat. c. 7. Quàm bellè hæc omnia quadrant in Crucem Dominicam: medetur enim serpentium, ac canum infernalium morsibus: *Verbum enim Crucis,* vt ait D. Paul. 1. Cor. 18. *pereuntibus quidem stultitia est, his qui salui fiunt virtus Dei est.* Cruce vires animæ roborãtur, & rugę, quæ ex peccati senectute ortæ, animæ iuuentutem atque decorẽ minuebant, illius intuitu atque consideratione pelluntur. Si quæ in ventriculo animæ atque voluntate, vlcera superbiæ, atque ambitionis, mox Crucis virtute, si in animo geratur tumorem deponunt, illius fouentur oleo, ac ramusculis circumligantur. Breuiter, omnibus malis medetur sacra S. Crucis ficulnea.

Decimatertia, ficus comestæ, rugas impediunt, & nihil in ficu, quod non proficuum: ita Crux Christi omnibus medetur malis.

PLINIVS.

20. Postremò, quæ admiratione digna nõ peracta sub ficu? filij Iuda atque Israel dum pace & quiete fruerentur, habitabant absque timore vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, Nathanael cùm esset sub ficu, à Christo Domino videtur, statim Christũ Dominum visurus & cogniturus. Ioan. 1. Denique D. August. l. 8. Confess. c. 12. sub illa sua ficu cæleste antidotum hausit, & ferale venenum euomuit, & ad fidei lucem frugemque resipuit. Romulus & Remus à lupa sub ficu lactati & enutriti, vt refert Plinius lib. 15. c. 18. Similiter quæ non mirabilia peraguntur ab hominibus sub sacra Cruce commorantibus, ibi plenã fruuntur pace, sub ea sedentes Deus oculis aspicit misericordiã plenis; sub illa cæleste haurimus antidotum, & peccati euomimus venenum, sub illã potamur & reficimur. Sed quis referat, quàm mirabilia à Christo peracta in hac arbore? *Quis non obstupescat,* ait Martinus del Rio lect. 1. de pass. *salutem ægram; integritatem sauciam; impatibilem patientem; vitam morientem: mortem, quæ viuificat; vulnera, quæ sanant; sanguinem, qui dealbat: contractionem, quæ consolidat: dolorem, qui lætificat: ægrum, qui morbis medetur: mortem, qui vitam parturit. Quid mirabilius,* clamat D. Bonauentura in stimulo amor. part. 4. cap. 1. *quàm quòd mors viuificet, vulnera sanet, sanguis album faciat, & mundet intima, nimius dolor, nimium dulcorem inducat, apertio lateris cor cordi coniungat.*

Decimaquarta: Sub ficu peracta multa mirabilia; ita etiam sub Cruce.

PLINIVS.

DELRIVS.

BONAV.

K Quòd

Quòd sycomorus, siue ficus fatua, viuum sit exemplar Dominicæ Crucis.

SECTIO XIV.

Quænam sycomori proprietates.

§. I.

Sycomorus, exemplar Dominicę crucis.

1. NON solùm sacratissima Christi crux comparatur ficui domesticæ sed & sycomoro, & quidem aptius & conuenientius. Sycomorus autem penultima longa, idem est quod ficus fatua; sic dicta, quòd fructus eius habeat fatuum, id est, insuauē gustum. Porrò sycomorum ex Galeno, Dioscor. Theoph. Celso & Plinio, ita describit Ruellius lib. 1. de stirpib. c. 79. *Est arbor amplissima ficus similitudine, largo succo, folijs moro quàm proximis. Fructus ex argumento gustus ignaui cognomines, ternos aut quaternos anno fundit, eosq; non ramis vt ficus, sed caudice ipso gerit, similes caprificis, dulcioresque grossulis, hoc est, primitiuis in fico pomis, sine granis interioribus. Nec maturescunt aliter quàm scalpendo ferreis vnguibus, magno prouentu eorum in Caria & Rhodo, locisq; parum prorsus tritici feracibus, populus in annona caritate pro pane frumentoq; satisfaciunt, tam restibilis pomi eius vbertas & copia est. Pomum ventri quidem amicum, sed minimam præbet alimoniam.*

Sycomori descriptio. RVELL.

2. Cornelius scribens in cap. 1. Amos ad vers. 14. dicit: Sycomorum vel Sycaminum Syriæ ita sibi fuisse descriptum ab Illustrissimo Domino Sergio Risco Archiepiscopo Damasceno oculato teste: *Arbor hæc in Syria frequens, magna est & lata, sed moderatæ altitudinis, instar nucis non nimis altæ, dissimilis tamen folijs & cortice. Nam folia habet parua & rotunda, corticem planum & penè expolitum, in album colorem vergentem: fructus fert plurimos quidem, sed admodum paruos, qui mespilum formâ & magnitudine referunt, verguntque in rubedinem: dulces sunt, sed non adeò vt ficus. Dicitur autem hæc arbor gemmayz, indigna quæ in vineis aut hortis inter cæteras habeatur, eò quòd ingratos & insuaues fructus producens, inutiliter sua magnitudine terram meliorem feracem occupet: quare in plateis vt plurimum, vel ad viam consistere solet, vulgo subiecta, vt quisque ex eius fructibus, vtpote abiectis, & nullius decoris, saporis, aut pretij colligăt quantum libuerit. Hinc in prouerbium abijt, vt de arbore, æquè ac homine inutili, vel non in loco, qui ei conuenit, commorante dicatur: Est vt gemmayz in horto.* Sic ibi. Vides, vt opinor, sycomorum non immeritò poni pro imagine & symbolo sanctissimæ crucis.

CORNEL.

Sicut Sycomorus inutilis & contemptibilis, ita & crux incredulis.

§. II.

Sycomorus reputatur inutilis: ita & crux ab infidelibus.

3. IN primis enim inutilis reputatur sycomorus, & indigna vt feraci collocetur in terra; quid oculis Iudæorum atque gentilium, fide carentium, inutilius & indignius sanctissima cruce? Nihilominus, placuit Christo rem tam inutilem & contemptibilem assumere pro instrumento, & argumento maximæ suæ potentiæ, & sapientiæ exhibitæ in redemptione generis humani. Sapiens Sap cap. 10. fatus de reparatione mundi per diluuium perditi, sic scribit: *Cùm aqua deleret terram, sanauit iterum sapientia per contemptibile lignum iustum gubernans.* Ecce qualiter sanauit, seu vt alij legendum putant, *Saluauit Sapientia Dei* iterum mundum, iam ante à se conditum, cùm diluuio perijsset, nimirum per contemptibile lignum arcæ, à Noe fabricatæ. Contemptibile verò lignum vocatur Arca, non solùm ratione materiæ, verùm & ratione formæ: quippe quam, qui tempore Noe, construi viderant quadrilateram, & adeò ingentem, nauigationi ineptissimam iudicabāt; vastamque molem, & opus inane deridentes, opificem Noë ostentui habebant, & stultitiæ condemnabant; à quo quidem contemptu, contemptibile lignum vocatum. Liran. inter alios obseruauit, scribens in citatum Sap locum. Sed quid diuinam mouit Sapientiam per contemptibile lignū arcæ, vel vt in Græco est, tenue, seu vile & humile, voluisse succurrere mūdo naufrago? Nimirum vt agentis, & arcam gubernantis, potentia & sapientia magis eluceret, dum inepto & stulto nauigio mundum instaurat, mundumque morientem, & in eo tamquam in feretro iacentem, rediuiuum emergere facit. Similiter eadem Dei Sapientia Christus, volens in dispensatione plenitudinis temporum omnia restaurare, elegit contemptibile lignum Crucis, vel vt ait Paulus: *Elegit infirma mundi, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret:* vt sic eius potētia & sapientia clariùs radios suos dispergeret. Qualiter autē illa arca Noetica fuerit figura crucis, siue Christi crucifixi, latè prosequitur ex Sanctorum

Arca typus Crucis vocatur contemptibile lignum.

LIRAN.

IACOBVS PINTVS.

ctorum Patrum sententia Iacobus Pintus in Chisto crucifixo lib. 2. tit. 3. loc. 4.

Triũphum agit Deus de cordibus humanis rebus vilibus.

4. Nihil tam ordinarium Deo, quàm maximè contemptibilibus rebus magna exequi, humanasque voluntates leuissimis rebus sibi subijcere. Iacobus olim Christum Dominum præ oculis habebat, cùm filium suum Iudam alloquutus Genes. 49. *Ipse*, inquit, *erit expectatio Gentium, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem*, ô fili, asinam tuam. Quo in oraculo non dicuntur illa animalia ad firmam aliquam columnam, aut roboreum aliquem truncum alliganda, sed ad fragilem vitem, & ad tenerum palmitem vincienda. Non quidem sine mysterio, interprete D. Chrysostomo homil. 67. in Genes.

CHRYSOS.

Quia, inquit, *gentium significat adductionem, & magna mansuetudinis est, quod asinus sustinet se ad palmitem vitis ligari*. Viti autem suam doctrinam comparat, palmites autem vocauit, teneritudinem præceptorum, & facilitatem legis ferendæ. Non alijs rebus nouit triumphum agere de humanis cordibus Christus, quàm infirmis, & maximè vilibus & inutilibus, si ipsam spectes materiam, vite, palmitibus, ficu, ac sycomoro. Christus domuit orbem, atque exleges homines, non ferro; scilicet diuinâ potentiâ; sed ligno humanas voluntates, leuibus præsidijs vult expugnare.

Apostolis tanquam conteptibilibus lignis de mundo Christus triumphat.
THEOD.

5. Quàm contemptibilia sycomori ligna Apostoli, & quem triumphum hisce lignis non obtinuit Christus? Illos trecentos milites, quos Deus ad Madianitas euertendos comparauit, Iudic. 7. omnium fuisse ignauissimos, nonnulli Patres arbitrantur: *hunc in modum* Deus, inquit Theodoretus quæst. 15. *ministerio duodecim piscatorum publicanorum, & vnius coriarij, dæmoniorum exercitum fudit, & naturam conseruauit humanam. Quamobrem Isaias Propheta, componens illos cum istis, ait: Virgam infidelium dissipauit Dominus, sicut in die Madian. Sicut enim hoc loco nudis vsus est militibus, sinistrâ quidem gestantibus lucernas, in vrnis latentes, dexterâ verò tubas; ita sacros Apostolos misit nudos, & prædicationem tubam.*

Isa. 9.

Cotẽptibilia ligna Petrus & Paulus, hisce tamen Christus sibi subegit gentes.
CHRYSOS.

6. D. Paulus Romam sæpè venire proponebat, vt ibi aliquem fructum spiritualem carperet: *sicut*, inquit Rom. 1. *& in cæteris Gentibus*. Vbi planè significat, se per Euangelij prædicationem non parum fructus apud omnes gentes collegisse. Vnde D. Chrysostomus homil. 2. ad eum locum: Apostolum oratoriæ artis imperitum, Platoni, ex cuius ore, melle dulcior fluebat oratio, non solùm componit, sed anteponit: *En*, inquit, *tabernaculorum texendorum artifex, non ipsam tantùm Græciam, sed & Barbaram terram omnem conuertit, cùm Plato in Siciliam profectus, nec vnius tyranni compescuaserit, quin potiùs ab illo tam infeliciter se explicauerit, vt & ipse libertatem amitteret suam*. Quod non solùm in Paulum, sed etiam in Petrum quadrat, vt ipse D. Chrysostomus in procemio in epist. ad Roman. testatur: *Petro*, inquit, *nihil indoctius, Paulo nihil imperitius. Etsi*, inquit, *imperitus sum sermone, sed tamen hic imperitus sermone, & ille indoctus, sexcentos philosophos superarunt, sexcentis Rhetoribus os obturarunt*. Hinc est quòd Salomon cùm primos Euangelij prædicatores nullâ humanâ sapientiâ instructos, spiritu prophetico præuideret, eorum nomine dixerit: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum*. Prouerb. 30.

1. Cor. 11.

Præcipua Dei arma, simplicitas & potestas.
TERTVLL.

7. Nec mirum, Deum rebus vilibus, & inutilibus in speciem, magna exequi, nam præcipua Dei arma, simplicitas sunt & potestas, & benè Tertullianus lib. de Baptismo c. 2. *Nihil*, inquit, *adeò est quod obruet mentes hominum, quàm simplicitas diuinorum operum, quæ in actu videntur & magnificentia, quæ in effectu repromittitur*. Et statim exclamat: *Proh misera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem. Si Deus sapiens & potens, meritò in aduersarijs sapientiæ, potentiæq́, id est in stultitia, & impossibilitate, materias operationis suæ instituit*. Sic ille.

Apostoli stulti & infirmi dicti, ex hominũ opinione.
THEOD.

8. Sciendum autem, dum dicitur Deus stulta & infirma elegisse, nempe Apostolos, pauperes, & indoctos, vt confundat sapientes: quod (vt annotauit Theodoret. ad illa verba 1. Cor. 1. *Quæ stulta sunt mundi, &c.*) *stulta, & imbecilla vocauit ex hominum opinione. Vera enim stultitia est, non dicendi imperitia, sed fide carere. Et imbecillitas, atque ignobilitas; non paupertas, sed impietas, & morum improbitas. Vniuersorum autem Deus doctos per indoctos, & per pauperes diuites vicit; & per piscatores, orbem terrarum piscatus est*. Hæc ille.

Sicut Sycomorus dicitur ficus fatua, ita & crux quid stultum gentibus.

§. III.

Sycomorus dicta ficus fatua: ita gentibus crux erat stultitia.
Sycomorus typus crucis.
AVGVST.

9. SEcundò sycomorus dicitur ficus fatua; & quid tam fatuum, tam stultum visum gentibus, quàm ipsa Saluatoris nostri crux sanctissima. Vnde eò collimantes sacri Scriptores, sycomorum hic, dixêre Christi crucis verissimum esse typum: Sic sanè opinabatur D. Aug. serm. 8. de verb. Apost. de illius verba: *Noli te extollere, pusillus esto, Zachæus esto, sed dicturus es; Si Zachæus fuero, præ turba non potero videre Iesum. Noli esse tristis, ascende lignum vbi pro te pependit Iesus, & videbis Iesum, & quale genus ligni ascendit Zachæus? Sycomorum. Longè vide*

Zachæum

Zachæum meum, vide illum obsecro te volentem in turba videre Iesum & non valentem. Humilis enim erat, turba superba erat, & ipsa turba ad videndum benè Dominum, sicut solet turba seipsam impediebat, ascendit à turba, & vidit Iesum non impediente turba. Turba enim dicit humilibus, humilitatis viam gradientibus, iniurias suas Deo dimittentibus, vindictam de inimicis non requirentibus, turba insultat & dicit, indefense, qui te non potes vindicare. Turba impedit ne videatur Iesus, turba glorians & exultans, quando se potuerit vindicare, impedit ne videatur ille qui pendens ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Hunc ergo volens videre Zachæus, in quo figurabatur persona humilium, non attendit turbam impedientem, sed attendit sycomorum quasi fatui pomi lignum. Nos enim, inquit Apostolus, prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, attende sycomorum, gentibus autem stultitiam. Et paulò pòst: *Apprehendat Zachæus sycomorum, ascendat humilem crucem.* Hæc D. Augustin.

Lucæ 23.

ZACHAR. 10. Zacharias Episcop. Chrysopolitanus in vnum ex quatuor lib. 3. c. 14. in sycomoro crucem adumbratam existimans, sic scribit: *Zachæus interpetatur iustificatus, & significat credentes ex gentibus, per occupationem temporalium deprehensos, ac minimos, sed à Domino sanctificatos. Ingressum Iericho Saluatorē videre quærunt, dum gratiæ fidei, quam Saluator attulit, participare cupiūt. Sed turba noxiæ vitiorum consuetudinis tardat. Itaque necesse est, vt pusillus turbæ obstaculum transcendat, terrena relinquat, arborem crucis ascendat quæ ab incredulis irridetur vt fatua: Nos enim, inquit, Apostolus, prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis verò vocatis Iudæis atque gentibus Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Quam arborem pusillus ascendit, dum quilibet humilis. & propriæ infirmitatis conscius clamat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Quasi transeuntem Dominum cernit, qui in crucis mysterio cælesti sapientiæ quantum potest intendit.* Sic ille.

SALMER. 11. Doctissimus Salmeron loco citato, sic ait: Aptè in hac arbore designatur lignum Crucis, in quo Dóminus suffixus fuit. Et quisquis Christum crucifixum non agnouit aut crediderit, fideique brachijs fuerit amplexus, videbit Iesum nunquam. Estque pulchrè in ficu fatua adumbrata; nam Iesus crucifixus Iudæis quidem fuit scandalum, Gentibus autem stultitia; nobis verò qui de fructu huius ligni gustauimus, Christus est Dei virtus, & Dei sapientia. Nihil autem ita nobis prodidit magnitudinem Iesu, & virtutes eius, atque ipsa crux Domini.

Nihil cruce stultius si carnalibus intueatur oculis.

12. Sanè si quis carnalibus tantùm oculis crucem intueatur, quid illâ stultius? Cui suaderi potest, ipsum quem viderat crucifixum, simul esse Deum? Hoc sanè Paulum in magno constituebat timore ac tremore ad Corinth. 1. cap. 2. *Et ego cùm venissem ad vos fratres, non in sublimitate sermonis & sapientiæ annuntiaui vobis testimonium Christi.* Huius causam assignans, sequitur: *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.* Quod cùm ita esset subiungit: *Et ideo in infirmitate & timore, & tremore multo fui apud vos.* Cur in tanto tremore? Quia quod ipse prædicabat, ita absconditum à sensibus, humanaque erat æstimatione, vt vix in alicuius mentem cadere posset, Deum nempe crucifixum. *Sapientiam enim loquimur, non huius sæculi, neque principium huius sæculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo principum huius sæculi cognouit, sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum.* Quomodo enim cor hominis illud cogitare poterat? aut quando vmquam oculus tale viderat? aut auris audierat humana, imò & audire poterat, Deum nempe propter homines crucifixum? Quis vmquam tam audax fuisset, vt tale quid à Deo summo petere auderet? Quis à supremo Patre tale postularet? scilicet, vt daret Filium suum vnigenitum dilectum, eo modo quo dedit? vnde talis Sapientia, & altissimus Dei modus scandalum erat Iudæis, Gentibus verò stultitia, iuxta illud 1. Corinth. 1. *Prædicamus Iesum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.*

13. Cui suaderi posset Deum, cùm debitor mortis peccatique non esset, quæ non rapuerat, persoluere voluisse? Vnde & Christus Psalm. 68. iuxta humani iudicij trutinam hanc rem expendens, ait: *Oderunt me gratis. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* In quæ verba sic Hilarius: *Oderunt autem eum gratis, id est, causam odij non habentes, & conualescentes inimici, iniustè sunt persecuti. Non enim peccatum egerat, nec dolum habuerat, & ideo quæ non rapuerat, tunc repetebatur exoluere. Cùm enim debitor mortis, peccatique non esset, tamquam peccati & mortis debitor tenebatur; ab his scilicet, qui in eo peccati legem, quæ in membris nostris est, exerebant. De peccato eum, condemnauit peccatum in carne: in quo, quia magnum diuinæ Sapientiæ consilium explebat, crucisque mors in Deo stultitia Gentibus videbatur, magnaque in eo cælestis terrenæque spei expectatio inerat, subiecit. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Insipientiæ suæ Deus conscius est, & delicta sua abscondita ab eo non sunt. Pœnas scilicet insipientiæ & delictorum, quas non rapuerat, repetebatur exoluere, vsque ad crucis autem stultitiam, id est, quia stultitia sit Gentibus, peccata nostra sic suscipiens, vt peccator & stultus iniusteque vexatur.* Sic Hilarius.

Nihil stultius videtur, quā Deum, quæ non rapuerat, exsoluisse.

HILAR.

14. Verùm

Crux considerata fidei oculis, illâ nil sapientius, nil fortius.

14. Verùm si crucem considetes, oculis diuina fide illuminatis, nihil illâ sapientius, nihil fortius, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 1. *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentilibus stultitiam; Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus &c.* Crucifixus Christus scandalum est, in quod impingunt Iudæi, quia cœci sunt, cœcorum enim est impingere. Qui vident, qui Dei luce, id est, fide, illuminantur, non impingunt. Ethnicis quoque videtur stultitia Dei incarnati passio, quia absconditum est verbum istud ab eis; ipsis autem vocatis & illuminatis fide tum ex Iudæis, tum ex Ethnicis. Christus crucifixus, Dei virtus, id est potentia est, & sapientia.

Qualiter Christus crucifixus gentibus stultitia, nobis sit summa sapientia.

§. IV.

Sapientia Christi crucifixi in multis apparet.
D. Thom.
Avgvst.
Primò, quia voluit sic hominem ad sui amorem trahere.

15. Si quæras in quo hæc consistat sapientia? Sapientia crucis, (vt docet Diuus Thomas 3. part. quæst. 46. artic. 3. & 4. & S. Augustinus 13. Trin. 12.) patet Primò, quia summum Deus in cruce nobis ostendit amorem, vt hac arte nos ad se traheret: Deus enim nulla necessitate compulsus, nulla spe propriæ vtilitatis illectus, solo nostri amore ad crucem sponte descendit: ita tamen sapienter, vt per hoc deitatis suæ celsitudini & gloriæ nihil detraheret. Deitas enim in se hihil est passa, sed omnem passionem in humanitate assumpta sustinuit. Secundò, quia in cruce redemit hominem, non per potentiam Deitatis, sed per iustitiam & humilitatem passionis, vt ait Sanctus Augustinus.

Secundò, redemit in Cruce hominem per iustitiam.

Tertiò, quia hac ratione Deus se maximè hominum cognitioni insinuauit.

16. Tertiò, sapientia crucis in eo elucescit, quòd per eius stultitiam Deus alioquin vix hominibus agnitus, sese in illorum cognitionem quàm maximè insinuarit, iuxta illud 1. Corinth. 1. *Quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Quæ verba expendens Hugo à S. Victor. miscel. lib. 5. tit. 197. sic pulcherrimè scribit: *Mundus sapientiam habuit, per quam Deum non potuit cognoscere positum in sapientia sua. Sapientia mundi fuit ratio humana, secundùm visibilium rerum naturam, & elementa huius mundi formata. Sapientia Dei fuit eius ineffabilis maiestas, & incomprehensibilis bonitas. Quasi stultitia quædam Dei fuit secundum humanum sensum: quòd ad abiecta & indigna sibi se humiliauit. Insania autem reputata quòd sine necessitate tàm dura sustinuit. Et tamen qui in sapientia sua cognosci non potuit, quasi in stultitia agnitus est: quoniam qui in sua celsitudine manens non potuit comprehendi, in sua humiliatione cœpit agnosci. Quasi enim in sua sapientia Deus fuit, quando in eo quod ipsum decere videbatur, permansit: sed ibi agnitus non est, donec quasi desipuit & indigna suscepit.* Sic ille. Qualiter diuinæ naturæ bonitas maximè manifestetur in Christi humilitate, paruitate, & diuina hac sua insania, vide latiùs id tractantem Antonium Velasquez in epist. Pauli ad Philipp. c. 2. vers. 9. annot. 4.

Hvgo Victor.

Anton. Velazq.

Quartò, quia hac ratione omnē mundi prudentiam destruxit.

17. Quartò, sapientia Crucis in eo apparet, quòd Crucem, aliaque indigna suscipiens, omnem carnis, mundique prudentiam destruxerit Christus. Prudentia enim hæc, tantùm carnis commoda quærere docet, & vitare incommoda; quam, *carnis prudentiam, per insaniam suam euacuauit Deus,* ait Hugo loco citato, *quando contra eius existimationem agens carnem suam sine retractione ad pœnas & tormenta exposuit. Et sic eam ad incorruptionem resurrectionis eduxit: ostendens quod non parcendo, sed castigando & persequendo carnem seruare oportet.* Sic ille.

Quintò, quia in Cruce omnium virtutum exemplar exhibuit.

18. Quintò, quia in Cruce perfectissimum obedientiæ, constantiæ, pœnitentiæ, patientiæ, fortitudinis, mortificationis vitiorum, omniumque virtutum exemplar nobis imitandum proposuit, & homini lapso per superbiam & delicias, quasi speculum præbuit, scilicet modum per humilitatem, cæterasque virtutes, & præsertim per imitationem Crucis Christi sese reparandi, ac ad veram sapientiam deueniendi. Pulchrè S. Hilarius in Psalm. 68. *Stultitiam propter sapientiam nostram, vitamque susceptat.* Hanc enim Dei stultitiam, sapientiorem omnibus hominibus, si imitati fuerimus, verè sapientes, vereque fœlices erimus. Quo sensu suadet D. Paulus 1. Corinth. 3. *Si quis inter vos sapiens est, stultus fiat vt sit sapiens.* Stultus, inquam, fiat, stultitiam illam sapientem Christi amplexetur, existens nimirum, cum paruulo Christo paruus, cum humili humilis, cum paupere pauper, cum obediente obediens, &c.

Quàm abundanter Christus susceperit insipientiam vt nos verè sapientes reddat.

§. V.

Quàm abundanter Christus pro nobis factus fuerit insipiens.

19. QVIS referat quàm abundanter insipientiam susceperit Christus, vt nos verè sapientes efficiat? Quam stultitiam, si rem humana ratione expendamus, non suscepit Christus dum factus est homo, dum diuinitatem suam vestiuit nostra humanitate, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Quid imprudentius, quàm cùm in forma Dei esset Christus, non rapinam arbitratus se æqualem Deo, quòd semetipsum exinaniuerit, formam serui accipiens: certè per sycomorum, id est fatuam ficum quam ascendit Zachæus, putat Beda lib. 5. c. 77. in Luc. c. 19 signari fidem Dominicæ incarnationis, per quam venimus ad agnitionem diuinitatis.

BEDA.

Ob hominũ gratiam demẽs quodammodo voluit censeri Deus.

DROGO.

Tantoperè adamasse Christum humanam naturam, vt sub pallio humanæ carnis suam voluerit abscondere fortitudinem, neque ob hominum gratiam, velut demens quodammodo censeri renuerit, sic docet Drogo Hostiensis libello de Sacramento Passionis: *Pallium tuum (sit) caro tua est, quâ vestitus ad nos processisti; sub hoc pallio abscondita est maxima fortitudo tua, ô fortissime Sampson, quam etiam Dilectæ, & non diligenti te ad vltimum non celasti, vt inimicam verteres in amicam: in tantum amasti mulierem non amantem te, sed prosequentem; vt propter amorem eius, sapientia tua stultesceret, & fortitudo tua infirmaretur.*

Magnam insipiẽtiam videtur suscepisse Christus, dum asino vectus intrat Hierosolymam.

20. Quam insipientiam non suscepit Christus, dum cum triumpho, & omnium applausu volens recipi à ciuibus Hierosolymitanis, ascendit super asinam? Quid enim contemptibilius quàm asinam ascendere? Sanè patet olim talem ascensum non modò vilem, sed infamem etiam fuisse, vt probari potest à Cuspiniano, qui Artabasdum probri loco vectum fuisse asino refert; obsessa namque, & à Constantino capta Constantinopoli, fugiens Artabasdus, Imperator dictus, pariter cùm duobus filijs captus, oculis priuatus, asino impositus est, ac retrorsum insidens, & manu caudam pro fræno tenens, per totam ductus est ciuitatem. Idem legimus de Andronico Comneno Manuelis Imperatoris consanguineo, qui cùm Alexium tutelæ suæ traditum sustulisset, & imperio potitus in Alexii consanguineos crudelior fuisset à Guillielmo Siciliæ Rege victus, captus, ac asinæ præposterè impositus, altero effossus oculo, vnaque manu truncatus, vicatim circumductus, turbæ plagis dilaniatus perijt. Nota est etiam Augustæ Beatricis illusio per Mediolanenses facta, quam licet Reginaldi Burgundionici Principis filiam, & Friderici Ænobarbi vxorem, asinæ ex áuerso imposuerunt, atque cachinnis explosam à ciuitate repulerunt, vt tradit Paradinus.

Infamis antiquitus ascensio asini.

CVSPIN.

PARAD.

Magnam videtur suscepisse insipientiam, dũ sub specie panis se manducandum nobis exhibuit.

AVGVST.

21. Quam insipientiam non suscepit Christus, dum taliter sese humiliauit (*nisi enim esset humilis*, ait D. Augustinus conc. 1. in Psalm. 33. *nec manducaretur, nec biberetur*) vt sub specie panis, corpus suum manducandum nobis tradiderit. Quod factum expendens D. Augustinus in expositione Psalm. 33. cui titulus, *psalmus Dauid cùm mutauit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abijt*, putat in Dauide fugiente à facie Saulis, & confugiente ad Regem Achis, & ne ab illo teneretur insaniam simulante, designari Christum, dantem nobis corpus suum ad manducandum. *Extimuit valdè Dauid*, ait Scriptura 1. Regum 21. *à facie Achis Regis Geth. Et immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam. Et ait Achis ad seruos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me?* Pro quibus legit Diuus Augustinus: *Immutauit vultum suum, & affectabat, & tympanizabat, & cadebat ad ostia ciuitatis, & ad ostia portæ, & saliuæ decurrebant super barbam eius.* Quæ omnia sic ad allegoriam allicit, & Christo accommodat idem Augustinus: *Consulentes nomina ista, inuenimus interpretari Abimelech, patris mei regnum; coram Abimelech, id est, coram regno patris. Regnum enim patris, regnum erat Iudæorum. Quomodo regnum patris? Regnum Dauid, Regnum Abrahæ. Achis interpretatur, Quomodo est; & signat Christi discipulos illos, qui, quando loquebatur Dominus noster Iesus Christus de corpore suo: Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam æternam. Caro enim mea verè est esca, & sanguis meus verè potus est. Expanerunt & horruerunt sermonem, quasi dicentes: Quomodo est? Dixerunt enim, quomodo potest hic nobis dare manducare carnem suam? Coram hisce mutauit Christus vultum suum in Sacerdotio: quia erat ibi sacrificium secundum ordinem Aaron, & postea ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Ille enim dicebat; Nisi* Ioan. 6.

Christus in facto illo Dauidis faciem suam mutantis designatus.

quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum: Quia mutauerat vultũ suum: Quasi furor iste & insania videbatur, dare carnem suam manducandam hominibus, & bibendum sanguinem. Ideo quasi insanus putatus est Dauid; quando dixit ipse Achis, arreptitium hunc mihi adduxistis. Quasi insanire videbatur. Sed regi Achis insanire videbatur, id est, stultis & ignorãtibus: ideo dimisit eos & abijt. Arreptitium putabant Dominum, & nescire quid loqueretur, & insanire. Ille ante qui nouerat quod dicebat in illa mutatione vultus sui, & quasi furore & insania sacramenta prædicabat, & affectabat. Quid est affectabat? Affectu plenus erat. Quid enim tam plenum affectu, quàm misericordia Domini nostri Iesu Christi? Qui videns infirmitatem nostram, vt nos à sempiterna morte liberaret, temporalem mortem cum tanta iniuria contumeliaq; suscepit. Et tympanizabat: quia tympanum non fit nisi cum corium in ligno extenditur. Et tympanizabat Dauid, significans quòd crucifigendus esset Christus. Tympanizabat autem ad ostia ciuitatis. Quæ sunt ostia ciuitatis, nisi corda nostra quæ clauseramus contra Christum; qui de tympano crucis aperuit corda mortalium? Et ferebatur in manibus suis. Quomodo ferebatur in manibus suis. Quia cùm commendaret ipsum corpus suum & sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles: & ipse se portabat quodammodo cùm diceret: Hoc est corpus meum. (Matth. 26.) *Et procidebat ad ostia portæ, id est, humiliauit se. Hoc est enim procidere vsque ad initium fidei nostræ. Ostium enim portæ, initium fidei, vnde incipit Ecclesia, & peruenit ad speciem: vt cùm credit ea quæ non videt, mercatur perfrui, cum facie ad faciem videre cœperit.* Hæc omnia D. Augustinus.

22. Quam insipientiam non suscepit Christus in plerisque fidei nostræ mysterijs peragendis? Tantam, vt Eusebius Gallicanus per sycomorum illam quam ascendit Zachæus, putet significari ipsam fidem, sic enim scribit serm. de dedicat. Ecclesiæ: *Hæc arbor fides est, ad quam multi venientes, & in eam ascendentes, quamuis staturâ paruuli fuissent, & nondum in scientia multum creuissent, inde tamen Iesum videre & cognoscere meruerunt.*

(EVSEBIVS GALLIC. Fides nostra sycomoro illo designatur, quia proponit varia mysteria, quæ videntur carnalibus oculis stulta.)

23. Quam imprudentiam non suscepit Christus, cùm posset omnes inimicos suos prosternere, pateretur tamen se teneri, flagellari, &c. D. Augustinus scribens in illud Dauidis, in persona Christi loquentis Psal. 68. *Deus tu scis insipientiam meam*, rogat: *Quæ imprudentia in Christo? Nónne ipse est Dei virtus, & Dei sapientia?* Respondet autem: *An illam dicit imprudentiam suam, de qua dicit Apostolus: Stultum Dei sapientius est hominibus.* (1. Cor. 1.) *Imprudentiam meam, hoc ipsum quod in me irriserunt qui sibi videntur esse sapiẽtes. Tu scis quare fieret, tu scisti imprudentiam meam. Quid enim tam simile imprudentiæ, quàm cùm haberet in potestate, vna voce suos persecutores prosternere, pateretur se teneri flagellari, conspui, collaphizari, spinis coronare, ligno affigi? Imprudentia simile est, stultum videtur: sed stultum hoc superat omnes sapientes. Stultum quidem est; sed & granum quando cadit in terram, si nemo sciat consuetudinem agricolarum, stultum videtur. Labore magno metitur, portatur ad aream, trituratur, ventilatur, post tanta pericula cæli & tempestates & labores rusticanorum, curamq; dominorum mittitur in horreum frumentum purgatum. Venit hyems, & quod purgatum erat profertur & proijcitur: imprudentiæ videtur, sed vt non sit imprudentia spes facit. Non ergo ille pepercit sibi, quia & pater illi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et de ipso. Qui dilexit me, inquit Apostolus, & tradidit seipsum pro me:* (Gal. 2.) *quia granum nisi ceciderit in terram vt moriatur, fructum, inquit, non reddet. Hæc est imprudentia, sed tu nosti illam. Isti autem si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sic ille.

(Magnam insipiẽtiam videtur suscepisse Christus, cùm posset omnes prosternere, patitur tamen se ligari &c. AVGVST.)

24. Quam insipientiam non suscepit Christus, cùm esset vniuersorum Dominus, quòd pro salute vilissimorum seruulorum, imò inimicorum, mortem oppetere non dubitauerit in cruce? *Sycomorus namque*, ait Beda loco citato, *ficus fatua dicitur, & eadem Dominica crux, quæ credentes alit vt ficus, ab incredulis irridetur vt fatua.* Vel vt ait Apost. 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Sciebant gentes per rationem instructæ naturalem, Deum mori non posse, eamq; rem planè esse impossibilem. Deinde expendentes, quisnam esset Deus, quisnam verò homo, & quantum solius Dei vita, præponderet rebus omnibus creatis, summa illis stultitia visa est. dicere, quòd Deus, posito quòd mori posset, mori voluisset, cùm illi integrum esset non mori: & dato etiam, quòd mori voluisset, id ageret pro re tam parui valoris, qualis erat homo. Quòd Deorum aliquis pro alio Deo (multos enim Gentiles ponebant Deos) mortem oppeteret, transeat; verùm quòd Deus pro homine moriatur, Gentibus visa magna stultitia.

(Magnam insipiẽtiam videtur suscepisse Christus dum pro inimicis moritur. BEDA.)

25. *Pro bono*, ait Apostolus Rom. 5. *forsitan quis audeat mori.* Per bonum verò intelligit eum, qui beneficus est, quique beneficentiâ suâ multorum amorem sibi conciliat. Sic Codrus, Curcius, vterque Decius, pater nimirum & filius, Sampson, & alij, pro patria sua, sibi bona, id est, benefica, mortem oppetierunt. Sic & Leonides Rex Lacedæmonum cum trecentis in castra Xerxis irrupturus, cùm ab Ephoris rogaretur, num quid vellet: *Ego*, inquit, *nomine tenus vado, quasi pro Græcis pugnaturus, sed reipsa pro patria moriturus.* Et ad suos: *Prandete*, ait, *commilitones, quasi apud inferos cænaturi.* Itaque in hostes irrumpens, & fortissimè dimicans occubuit. Et meritò sic pro patria obiere: nam vt ait Cicero lib. 1. de orat. *Quoniam sunt omnia commoda à patria accepta, nullum incommodum pro patria putandum est.* Inueniuntur similiter qui pro amicis

(Pro bono & beneficio accidere posset quempiam mori, sed pro inimico mori quid mirabilius.)

(Varia exẽpla eorum qui pro alijs mortem oppetierunt. CICERO.)

cis libenter oppetiere mortẽ. Quo nomine famosi Damon & Pythias, vt videre est apud Valer. Max. l. 4. c. 17. quamuis idipsum etiam inter rarò contingentia numeret D. Paulus, ait enim: *Pro bono* (id est, benefico erga se amico) *forsitan quis audeat mori*. Verùm quòd quis sese in mortem conijciat pro inimico, & vitæ propriæ insidiatore, quis audiuit vnquam tale? Rarum est seruum morti se exponere pro domino, quod tamen interdum visum, vbi seruus se varijs cernebat à domino obstrictum beneficijs. Cuius rei exemplum habemus in Ser. Terentio, qui pro domino suo Bruto se morti obiecit: vt refert Valerius Max. loco cit. Sed Dominum mori pro vili, rebelli, & perfido mancipio, quis vnquam vidit? Hisce similibusque permoti rationibus, iudicauere Gentiles prædicationem Christi, pro hominibus, & quidem peccatoribus crucifixi, rem stultissimam & vesaniâ plenam.

Magnam videtur Christus suscepisse insipientiã, dum inter duos latrones voluit crucifigi, cũ esset speculum sine macula.

26. Quam insipientiam non suscepit Christus, cùm esset speculum sine macula, imago diuinæ bonitatis, ac innocentissimus agnus, quòd voluerit in cruce inter duos crucifigi latrones. Vnde hoc illius factum expendens Habac. cap. 3. sic ait secundum lectionem Septuag. *Consideraui opera tua, & obstupui*. Sed quid est quòd Propheta taliter obstupeat, tamque insolita afficiatur admiratione? Vide quid addat, & adiungat: *In medio duorum animalium cognosceris*. Quid hæc significant animalia? S. Cyrilli ad ea verba explicatio est, vt per hæc animalia intelligantur duo Cherubim propitiatorium obumbrantia, quæ in scriptura animalia appellari solent, vt constat ex Ezech. c. 1. Secundò per hæc animalia intelligi possunt bos & asinus, inter quos medius iacuit in stabulo Christus. Vnde verba illa Isa. c. 1. *Cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe Domini sui*, plurimi patres, inter quos Augustinus contra Iudæos cap. 13. Christo adaptant, in præsepi inter bouem & asinum reclinato, & ab eis vel ordinaria & naturali obedientia, vel fortè etiam extraordinaria & miraculosa aliqua (vt vult Bonauentura) reuerentia agnito & adorato. Tertiò per hæc animalia vult D. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 32. duos illos latrones, inter quos crucifixus & mortuus Christus, intelligi.

Dum inter duo animalia voluit cognosci.

CYRILLVS

AVGVST.

Qui cum Christo fit stultus est maximè sapiens.

27. Expende, ô Christiane, quantam Deus susceperit insipientiam, vt & tu stultus fias, & consequenter sapiens, vt cum humili Christo te humilies, cum obediente obediens fias, cum patiente patienter opprobria & contumelias feras. In quibus consistere veram & Christianam sapientiam, scientiam Sanctorum, ipsamque Spiritus prudentiam, extra omnem est controuersiam: sicut enim teste Sapiente Prouerb. 11. *Vbi est humilitas, ibi & sapientia*. Sic etiam vbi obedientia, vbi mansuetudo, fuga sæculi &c. ibi similiter & sapientia. Formata interrogatione hac D. Chrysostomus homil. 2. de incomprehensibili Dei natura: *Quid secundùm Christum stultitia sit cupis audire?* Respondet: *Cùm nostras efferas cogitationes compescimus, & animi furentes appetitiones continemus & moderamur, tunc secundùm Christum stultitiam colimus*. CHRYSOS.

Qualis sapientia mundanorum & qualis iustorum.

28. Sed aureo quasi penicillo vtriusque sapientiæ, nimirum tum mundi, tum iustorum, rationes, modos, & actus, depingentem accipe D. Gregorium 10. Moral. 16. *Huius mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere: quæ vera sunt, fallacia demonstrare. Hæc nimirum prudentia vsu à iuuenibus scitur: hæc à pueris pretio discitur: hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in alijs mirantur; quia ab eis hæc eadem duplicitas, iniquitatis nomine palliata, diligitur, dum mentis peruersitas, vrbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adempta temporalis gloriæ vanitate gaudere: irrogata ab alijs mala, multipliciùs reddere: cùm vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, cùm virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate simulare. At contra sapientia iustorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire: vera vt sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere: nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare*. Sic ille.

Sapiens Christi insipientia quantopere à Sanctis adamata.

§. VI.

Sapiens Christi insipientia à nobis adamanda.

29. ATQVE hinc accidit, quòd nihil tam etiam in votis sit sanctis hominibus, ac Christi amore inflammatis, quàm vt Christum, in hac sua diuina insipientia, imitentur, quærentes stulti haberi pro Christo, vt verè sapientes existant. Conijce in D. Paulum oculos, antequam ad Christum conuersus, quàm erat honoris cupidus? sanè famam, honoremque, ab ipsa Discipulorum Christi persecutione, aucupabat. Vnde zelo paternarum repletus traditionum, prudentissimus sibi, Dei persequendo Ecclesiam, videbatur; at dum ad Christi scholam accessisset, diuini spiritus virtute indutus, insanum se non solùm dixit, sed reputari voluit. Hinc vox illa ad Agrippam Regem Actor. 26. *Et ampliùs insaniens in eos*. Hinc vocatus à Festo insanus, non solùm contra eum non indignatur, immò

Quantopere eam adamarit S. Paulus.

Chrysostomus. immò, vt adnotat D. Chrysostomus, gratias ei egit, optimum eum virum appellans: *Non insanio optimè Festi, sed sobrietatis, & veritatis verba loquor.*

30. Tam stulta videbantur Iudæis, alijsque facta & verba D. Pauli, vt ad ea oculos deflectens, 2. Corinth. 5. dicat: *Siue mente excedimus.* Pro quibus legit litera Syriaca: *Siue mente insaniuimus Deo. Nos stulti,* ait, 1. Cor. 4. *propter Christum maledicimur, & benedicimus,* &c.

Paulus anteà horrebat vincula, iam vinculis delectatur.

31. Antequam ad scholam Christi accederet Paulus, horrebat vincula, nolebat haberi malefactor, abundantiùs æmulator existens paternarum suarum traditionum: àt postquam ad Christi scholam conuersus est, delectatur vinculis, delectatur infamiâ, delectatur abiectione, vt bene annotauit D. Chrysostomus homil. 12. in Acta Apost. ponderans illa verba Pauli Act. 26. *Opto, omnes qui audiunt fieri tales, qualis ego sum, exceptis vinculis his*, quæ verba coniungens cum illis, 2. ad Timoth. 2. nempe: *Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis, secundum Euangelium meum, in quo laboro, vsq; ad vincula quasi malè operans.* Ponderauit, tantam gloriam æstimasse Paulum pro Christo pati, vt ad vincula adiecerit, *quasi malè operans*, ac si parum illi videretur ligatum esse pro Christo, ideò gloriatus ampliùs est, quia vt malefactor habebatur, tam auidus non solùm vinculorum pro Christo, sed etiam abiectionis erat & infamiæ propter ipsum: *Qui enim,* inquit Chrysostomus, *igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans, adeò nihil curæ est ei gloria, & ignominia, sed sicut si solus habitaret, nihil curaret, ita & talis quoque non curat, tentationes autem, sic contemnit, ac flagella, & carceres, quasi in alieno corpore pateretur, quemadmodum si adamantinum possideret corpus.*

Chrysostomus.

Paulus auidus infamiæ propter Christum.

Variorum exempla qui adamarunt Christi sapientem insipientiam.

32. Conijce oculos in S. Alexandrum, qui cùm esset mirus sui contemptor, ex Philosopho fecit se carbonarium, vt celaret suam pulchritudinem, ex carbonario factus est Episcopus, ex Episcopo Martyr, testis est Nyssenus in vitâ S. Gregorij Thaumat. ita S. Amma apud Pallad. in Lausiaca cap. 42. stultam se in monasterio simulans, & vt stulta ab omnibus irrisa & diuexata, tandem à S. Pitirione Dei iudicio declarata est omnium sanctissima & sapientissima. Ita Simeon Salus, id est fatuus, mirè celebratur ab Euagrio & Leontio in eius vita.

Qualiter eam adamarit S. Franciscus.

33. Conijce oculos in Seraphicum Franciscum, & videbis nihil illi tam in votis, quàm stultum, abiectum & despicabilem haberi cum Christo, tum ante, tùm post conditam familiam suam. Ante fores Ecclesiæ S. Petri Romæ, vestimenta sua bona sæcularia commutauit aliquando cum laceris vestibus ac vilibus pauperis, atque inter mendicos totum diem lætitia spirituali transegit. Posteà iam Religiosus, cùm abstinentiæ rigorem in morbo relaxasse, populumque decepisse sibi videretur, nudatus in plateâ coram multis, retentis fœmoralibus, fune ad collum alligato, se trahi præcepit vsque ad saxum, quo facinorosi puniendi collocabantur; indeque cunctis audientibus se carnalem & gulosum prædicauit. Sic D. Bonauent. in eius vitâ c. 1. & 6.

Sectatores S. Francisci maximè etiam adamarunt Christi insipientiam.

Conijce oculos in plurimos eius sectatores, & videbis eos tantum amare, cupere, & amplecti contemptum, irrisiones, opprobria & iniurias, quin & stulti haberi, quantum mundani sectantur famam sapientiæ, honorem, nominis celebritatem. De Bernardo ex S. Francisci sodalibus scribit Barthol. de Pisis in cap. 1. Regul. S. Francisci, quòd Bononiæ & Florentiæ diebus pluribus in mediâ plateâ se statuit, vt à populo vituperaretur ac despiceretur. B. Iacoponus Tudertinus S. Franciscum, cuius se posteà regulæ subdidit, æmulatus, vxore mortua, modestè nudatus, sibi clitellas imposuit: & manibus repens velut asinus, derepentè comparuit in suorum ciuium cœtu publicè lætantium, & voluptate magna bacchantium.

Bartholom. de Pisis.

Marianus.

Marianus in chronico Obseruantiæ strictioris lib. 1. c. 11. refert in vitâ Ioannis de Guadalupe, tantum amasse sui contemptum, & in tantum sui domitorem & contemptorem euasisse, vt prodigium fieret multis. *Nam inter alia, ait, quandoque in publicum non modò coram fratribus, sed etiam sæcularibus prodijt, clauo ferreo, crasso, & oblongo, ad os proprium instar freni accommodato, cuius extremis capitibus funiculum appenderat, prorsus in similitudinem bene frenati equi: iussit autem fratri adiuncto, vt illum funiculo manibus apprehenso traheret quoquò vellet, impelleret, raptaret, pugnis exciperet, ad lubitum: Quod stuporem hominibus quidem intulit, sed quod intendebat Sanctus potissimùm, sui ipsius contemnendi exemplum, & materiam subministrauit. At non his saturabatur, verùm adhuc in humeros suos clitellas affigi demandabat, easque fune ad corpus medium constringens, sonorus coram populo sapiente, tamquam insipiens ipse cum Christo suo comparuit. Vbi maximè spiritus feruore prædicans; hoc humilitatis actu, auditoribus suis reuera Dauidicum illud inculcare conabatur: Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Psal. 72. *Ac si Deo diceret: Ecce modò mundana curiositate deuicta, sarcinam Euangelicam supportare disposui: vtere me tamquam iumento ad herilem nutum semper disposito, & tractabili, non recuso imperium; ductum, & tractum diuinum, qui stimulos miseriarum tui causa, delicias reputo, trahe me post te, in viam mandatorum tuorum currens, exultabo: diligenter me extendens, & expendens, quomodo comprehendere possim* (in quo & comprehen-

sus

sus sum) *amorem scilicet Maiestatis amantis, & brauium non vilis supernæ vocationis in Christo Iesu Domino meo.* Hactenus Marianus.

NIGRON. Similia exempla plura reperies apud Nigronum in Reg. comment. Societat. Reg. 6.

34. Paula Gracchorum stirpe nobilis, vitæ innocentiâ nobilior, cùm audisset se stultam quorundam iudicio reputari; *Theatrum*, inquiebat, *facti sumus mundo, & angelis, & hominibus: nos stulti propter Christum: sed stultum Dei sapientia est hominibus.* Sic D. Hieronym. in epitaph. Paulæ.

35. Verum quidem est quòd homines cordati, vltra res, vltra vitam, æstimant honorem, & præcipuè illum, à conceptu hominis prudentis, sapientisque prouenientem. Ob quod rectè dixit in fine cap. 9.

SIMPLIC. ad Epict. Simplicius, non quemlibet honorem esse admittendum, sed tantùm illum, qui à prudentibus prouenit viris. *Non cuiusuis honor est admittendus*, ait, *sed prudentum tantummodò, quorum testimonio credi potest.* Quem

QVINCTILIAN. iustè Quinctilian. Senior declam. 252. *pretiosissimum pauperum censum, nominauit.* Vnde

PLINIVS IVNIOR. rectè Plinius Iunior lib. 5. epist. 15. consulit Tertullo, vt licet sit ab omni ambitione longè remotus, iucundus tamen ei debeat esse honor vltrò datus. Nihilominus sancti plurimi, dum expendunt Christum tantam suscepisse stultitiam, propter sapientiam nostram, nihil ita ambiunt, quàm vt stulti habeantur ab hominibus. Vnde D. Basilius lib. 6. de vera Virginit. *Diuino instigante athore, rotas carnificum, verbera, ignes, carceres, & bestias non expauescit quis, contemnit pretiosas & decoratas vestes, & vili indutus tunicâ, ac sacco, quantumcumque perpendat in oculis hæc deliramenta esse, vult stultus ab hominibus haberi, vt diuinâ (si ita dicere licet) insaniâ, sapienter sit insanus.*

Quamuis honor à plurimis vitæ præponatur, sancti nihilominus eundem contemnunt.

BASILIVS.

Diuina & sacra insania maximè stabilita per Christi incarnationē.

36. Quinimò, postquam tam abundè Christus suscepit insipientiam, vt de cælo è sinu patris, in terram sinumque Virginis descenderit; planè stultam fecit Deus sapientiam huius mundi, per Euangelium Christi stabilita prorsus diuina illa insania.

RVPERTVS. Quod præsignatum fuisse autumat Rupertus in Dan. c. 8. in Rege Nabuchodonosore in bestiam conuerso; postquam vigil ille & sanctus de cælo descendit, in quo Christum adumbratum existimat, eum loquentem accipe: *Propriam reprobandæ sapientiæ huius mundi imaginem superbi regis dementatio prætulit, in eo maximè quod fœnum vt bos comedit. Quidnam est fœnum bonis huius pabulum, nisi multitudo carnalium, manè virentium, citò florentium, & citò nihilominus arescentium? Omnis enim caro vt fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni. Ergo descendente sancto & vigile, ad clamorem eius ex hominibus eiectus est Nabuchodonosor, fœnum vt bos comedit: quia descendente in hunc mundum virtute & sapientia Dei Christo, ad prædicationem eius stulta facta est sapientia huius mundi, & eiecta ex hominibus diuinam rationem recipientibus: solummodò fœnum, id est, homines superfluos, & super numerum pullulantes ex vitio carnis deuorare potuit.* Sic ille.

37. Vis videre exsibilatam mundi sapientiam, stabilitam verò diuinam insaniam? Attende quæ S. Bernardus ad manum quandam nobilium nouitiorum, qui Cistercienfi instituto recèns se tradiderant, in epist. 109. scribit: *Legeram, ait, non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus. At nunc præter regulam, mirâ Dei potentiâ, talium conuertitur multitudo. Vilescit gloria præsens, iuuentutis flos conculcatur, non reputatur generositas, sapientia mundi stultitia iudicatur, non acquiescitur carni & sanguini, parentum & charorum renunciatur affectibus, fauores, & honores, & dignitates reputantur vt stercora, vt Christus lucrifiat.* Atque eadem est etiam admiratio D. Hieronymi de sua ætate. *Nostris*, inquit epist. 26. *temporibus Roma possidet, quod mundus ante nesciuit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles Christiani: nunc multi Monachi sapientes, potentes, nobiles,* Reges, & Principes, fœminas, qui, quæve, contempto sæculo, religiosam duxere vitam, & Sanctam hanc ambiere stultitiam. Vide apud Platum de bono sta. relig. lib. 2. c. 26. & 27.

Maximè tum stabilita diuina insania dum relicto mūdo tā multi suscipiunt Ordinem Religiosū.

BERN.

HIERON.

PLATVS.

Diuina hæc insania quàm Deo grata.

§. VII.

38. FOELIX sanè, ac terque quaterque beatus, qui neglectâ mundanâ sapientiâ, totus est in sectandâ diuinâ illâ insaniâ. Nam in primis rem præstat Deo placitam, & maximè gratam. Quod probè noscens Regius Vates, non erubuit denudari, & quamuis Princeps esset & Rex, saltare ante arcam coram omni populo: Legimus enim 2. Reg. 6. *Dauid saltabat totis viribus ante Dominum, accinctus Ephod lineo.* Et quamuis vxor sua irridens despexerit illum, eo nomine dicens: *Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris.* Nihilominus respondit ille: *Ludam, & vilior fiam,* &c. Sciebat enim se agere rem maximè Deo placitam & acceptam. Vnde D. Ambrosius lib. 4. epist. 30. ad Sabin. *Non erubuit Dauid fœmineas opiniones, nec opprobria apud mulieres subire pro religionis obsequio verecundatus est. Ludebat enim Domino puer suus, & ideò ampliùs placuit, quia ita se humiliauit Deo, vt regale posthaberet fastigium, & vltimum exhiberet Deo quasi seruulus ministerium.* Sed pulcherrimè & mellifluè de hoc Dauidis ludo & facto scribentem accipe D. Bernardum epist. 87. ad Oger. in hæc verba: *Ludam, & vilior fiam: Ludam*

Insania hæc diuina maximè placet Deo.

Dauid non erubuit se denudare ante arcam.

AMBROS.

BERNARDVS.

dam scilicet, vt eludar. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Nam reuera quid aliud sæcularibus, quàm ludere videmur, cùm quod ipsi appetunt in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus; & quod ipsi fugiunt, nos appetimus? More scilicet iaculatorum & saltatorum, qui capite misso deorsum, pedibusque sursum erectis, præter humanum vsum stant manibus, vel incedunt, & sic in se omnium oculos defigunt. Non est hic ludus puerilis, non est de theatro, qui fœmineis fœdisque anfractibus prouocet libidinem, actus sordidos repræsentet: sed est ludus iucundus, honestus, grauis, spectabilis, qui cælestium spectatorum delectare possit aspectus. Hoc casto & religioso ludo ludebat, qui dicebat: Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Hoc ludo & nos interim ludamus, vt illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat, qui potentes deponit, & exaltat humiles, qui nos lætificet, glorificet, in æternum exaltet. Hæc Bern.

1. Cor. 4.

Iacoponus maximè versatus in sapiente hac insipientia.

39. Iacoponus vir nobilis & literatus, cùm ex cruce Christi didicisset mundo stultescere, rogatus à Christo sibi apparente amicè & familiariter, *cur hanc stultitiam ita adamaret*; respondit pio lepore, vt solebat: *Quia stultior me fuisti, Domine.*

Hunc in finem imperauit Deus seruis suis à communi vitæ vsu abhorrentia.

40. Hac etiam de caussa legimus, Deum seruis suis varia imperasse planè paradoxa, & à communi vitæ vsu abhorrentia, vt eos aliosque doceret tum simplicem obedientiam, tum perfectum sui mundique contemptum. Ita enim Ezechiel hic cap. 4. iussus est vesci pane in stercore cocto: & cap. 5. iussu Dei, ritu furentis, rasam barbam, capillosque gladio concidit, in aërem sparsit, & flammâ combussit. Nimirum, qui paret Deo, tum demum sapit, cùm illius iussu desipit. Ita Isaias cap. 20. vir tantus, & regia oriundus stirpe, in regia vrbe palam nudus incessit. Ita Ieremias cap. 27. velut seruus fugitiuus, & furcifer, vinculis onustus vias vrbis obambulauit. Ita Osee castissimus, iubente Deo, meretricem duxit vxorem. Ita Propheta ait socio 3. Reg. 20. *Percute me.* Quod cùm ille nollet, audiuit *Percutiet te leo*: & mox à leone interemptus est: læsus deinde ab alio, Achabo regi occurrit, eumque arguit, quod Benadad captum non occidisset.

Quanti fructus ex sapientissima hac insania.

§. VIII.

41. QVis iam referat quem fructum adferat sapientissima hæc insania? *Hæc stultitia*, ait D. Chrysostomus de incomprehens. Dei natura homil. 2. *prudentior omni sapientia est. Quæ enim externa illa sapientia comperire non potuit: hæc stultitia, quam secundum Christum excolendam censemus, nimirum efficere potuit: hæc tenebras orbis terrarum excussit, hæc lucem cognoscendi reuocauit.*

Varij fructus huius sapientis insaniæ. Primò, hæc stultitia prudentior omni sapientia. CHRYSOSTOMVS.

42. Secundò, qui ita stultescit sapienter & salutariter, hîc securè progreditur, & absque errore per viam cæli, iuxta illud Isaiæ cap. 35. *Erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur, & hæc erit nobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Vnde sic monet Bernard. de vita solit. *Sinite ergo, sinite sapientes huius mundi de spiritu eius mundi tumentes, alta sapientes, & terram lingentes, sapienter descendere in infernum. Vos autem dum foditur peccatori fouea, sicut cœpistis stulti facti propter Deum, per stultum Dei, quod sapientius est omnibus hominibus humilem apprehendite disciplinam ascendendi in cælum.*

Secundò, taliter stultescens absque errore progreditur per viam cæli. BERNARDVS.

Tertiò, taliter stulti sunt verè nobiles, tum in hoc sæculo, tum in futuro, vt pulcherrimè docet D. Gregorius 20. Moral. 16. expendens illa verba Iobi cap. 31. *Qui inter huiusmodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant, filij stultorum & ignobilium: Sciendum*, ait, *nobis est, quòd alij intra sanctam Ecclesiam vocantur stulti, sed tamen nobiles; alij verò stulti & ignobiles. Stulti namque dicuntur, sed esse ignobiles nequeunt, qui carnis prudentiam contemnentes, profuturam sibi stultitiam appetunt, & ad nobilitatem internæ prolis virtutis nobilitate subleuantur, qui stultam sapientiam mundi despiciunt, & sapientem Dei stultitiam concupiscunt. Scriptum quippe est: Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Hanc nos stultitiam Paulus comprehendere admonet dicens: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat; vt sit sapiens. Hanc stultitiam qui perfectè sequuti sunt, você Sapientiæ audire meruerunt: Vos qui sequuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Ecce relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ mercati sunt. Quid itaque in hoc mundo stultius, quàm sua deserere: & quid in æternitate nobilius, quàm cum Deo iudices venire? horum scilicet iudicium nobilitas, Salomone attestante memoratur, cum hoc quod iam præfatus sum, dicitur: Nobilis in portis vir eius, quando*

Tertiò, taliter stulti sunt verè nobiles. GREGOR.

sederit cum senatoribus terræ. Valde quippe nobiles considerat, quos senatores vocat. At contrà, sunt stulti & ignobiles, qui dum supernam sapientiam, semetipsos sequentes, fugiunt, in suâ ignorantiâ, quasi in abiectæ prolis vilitate sopiuntur. Stulti sunt, & ignobiles, quos ab æternæ hæreditatis consortio repellit seruitus mentis. Scriptum quippe est: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Et voce egregij prædicatoris dicitur: Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Qui ergo, dum terrena saperent, ab intima generositate repulsi sunt, stulti simul & ignobiles fuerunt. Hæc D.Gregor.

43. Vt meritò dixerit Ecclesiastes c.10. *Pretiosior est sapientia & gloria, parua & ad tempus stultitia.* Vetus translatio habet, teste Lorino in hunc locum. *Pretiosa est super sapientiam & gloriam, stultitia parua.* Ita vt sapientia & gloria sit ablatiui casus, stultitia verò nominatiui. Sensus itaque est; parua stultitia mundanorum opinione, quæ reuera coram Deo est vera meraque sapientia; vnde meritò non magna stultitia, sed parua dicenda, & ad tempus, id est, pro exigui huius vitæ tempore assumpta, pretiosior est & melior omni mundana sapientia & gloria, vti patuit in Christo & Apostolis, iuxta illud Isai. cap.29. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*

LORINVS.

Hæc stultitia melior omni gloria.

Quartò, laudabilis hæc insipientia vita, prudentia carnis mors est.

44. Quartò, teste Apostolo ad Rom.8. *Prudentia carnis mors est.* Id est, sapere ac viuere secundum carnem mortem affert tum corporis, tum animæ, tum præsentem, tum maximè æternam. *Prudentia autem spiritus* (id est, iustorum sapientia atque laudabilis hæc insipientia) *vita & pax*, id est, vitam æternam, & pacem, id est, omnium bonorum prouentum & tranquillam possessionem conciliat. Præterea, vt eodem docet loco Apostolus: *Sapientia carnis, inimica est Deo*: Sapientia verò spiritus, maximè amica est Deo, vtpote quæ animum ab amore & oblectatione rerum carnalium & terrenarum abstrahit, & Deo, qui purissimus est spiritus, conformem reddat.

Quintò, nihil damnabilius sapientiâ carnis, nihil salubrius sacrâ hac insipientiâ.

45. Quintò nihil damnabilius sapientiâ, siue prudentiâ mundi carnisve. *Væ*, ait Dominus per Isaiam cap.5. *qui sapientes estis in oculis vestris.* Nihil beatius salutari hac stultitia, cuius auctor, doctor atque magister est diuinus spiritus, iuxta illud Psalm.93. *Beatus homo quem tu erudieris Domine.*

Non debet mouere iustos quod mundani in eis hanc sapientiam insipientiam derideant.

46. Parum autem est quod mundani, & huius sæculi sapientes derideant in iustis hanc diuinam stultitiam, sanctamque simplicitatem, iuxta illud Iob cap.12. *Deridetur iusti simplicitas. Omne enim*, ait Gregorius 10. Moral.16. ad citata verba, *quod innocenter agitur ab eis* (mundi sapientibus) *proculdubio stultum putatur, & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo, quàm mentem verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas iniurijs contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti maxillam alteram præbere.* Et D.Hieronymus scribens super cap.3. Sophon. sic ait: *Sunt qui exprobrant animæ Dei mysteria consectanti, volentique videre pacem eius, & dicunt; Insanus est, & ebrius est, hominum cœtus fugit, delicias aspernatur, aurum pro luto computat, solam diligit paupertatem*, &c. Nam ab ijs derisus Christus, & ab ipso Herode pro stulto ac insano habitus, & vt insanus ab eo spretus, vt legimus Luc.cap.27. Non defuerunt ex suis, vt testatur Mar.cap.3. qui dicebant: *Quoniam in furorem versus est.* Ex Iudæis, vt legimus Ioan.10. multi dicebant: *Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis?* Gentiles etiam Christum ipsum quasi stolidum ac stultum per ignominiam Christum vocabant: ipsisque Christianis illudebant, pingentes Christum quem colebant, asini auribus, pede altero inungulatũ, togatum, & librum gestantem, cum hac epigraphe abominanda. *Deus Christianorum ὀνόχητος.* Et, si patremfamilias insanum dixere, quid mirum si idipsum efferant & de filijs seruisque ipsius? Sanè Christianos à Gentilibus post Christum asinarios fuisse appellatos, refert Tertullianus in Apol. vel quia Ecclesiæ legibus, vt asini oneribus, se submittebant; vel quia obstinato animo in Christum, & fideles omnes erant.

GREGOR.

Derisus etiam Christus.

Christus per ignominiam vocatus Christus.

Christiani à Gentilibus asinarij appellati.

TERTVLL.

47. Legimus 4.Reg.20. pueros quosdam insultantes Elisæo sancto Prophetæ: & clamantes post ipsum, *Ascende calue, ascende calue.* Tales pueros stultos, garrulos, & in suam perniciem maledicentes, exeuntes de sylua bestiæ comederunt. *Significati sunt in illis pueris*, ait D.Augustinus scribens in Psalm.44. *stulti homines, habentes ignorantiæ sensum: quales nos non vult esse Apostolus, vbi dicit: Nolite pueri esse mentibus. Illi verò ex imperitia insultabant sancto Dei caluo, & clamabant post eum. Calue, calue. Factum est vt à bestijs consumerentur: & figurauerunt homines in eadem mente puerili stultè irridentes quendam caluum qui in Caluariæ loco crucifixus est. Possessi sunt ergo tales velut à bestijs, hoc est, à dæmonibus, à diabolo & angelis eius, qui operatur in filijs diffidentiæ. Huius nos filij sumus, quia filij sponsi sumus, quia filij Core, quia filij calui sumus.*

Pueri illi insultantes Elisæo adumbrant eos qui irrident Christum.

AVGVST.

1.Cor.14.

Christiani, filij Core, quia filij calui, id est, Christi.

Qualiter in Elisæo ascendente, caluo, & deriso expressus Christus declarat egregiè Drogo Hostiensis Libello de Sacramento passionis Dominicæ. *Sed vbi crucifixerunt eum? in Caluariæ loco: Bona caluities, quæ tali fronde vestitur: Ad hanc caluitiem Elisæus ascendebat: Ascende calue,*

Qualiter Christus adumbratus in Elisæo caluo.

DROGO.

calue, ascende calue: Vide si non caluus est noster Elisæus: Filius hominis, inquit, non habet, vbi caput suum reclinet: Ecce quàm caluus est, qui non habet, vbi caput reclinet: Caluus est, quia regnum eius non est de hoc mundo: Caluus est noster Elisæus, quia discipuli eius eo relicto, omnes fugerunt, quid enim discipuli, nisi capilli capitis, qui omnes numerati sunt.

Christus ob hanc caluitiem debet à Christianis tamquã bonis pueris magis laudari. BERNARDVS.

Quàm immeritò & præter omnem rationem, stultissimi illi pueri despiciant in Christo hanc caluitiem, quo nomine, deberent eum abundantiùs amare, quò enim pro nobis vilior tantò nobis charior & honoratior esse deberet, sic insinuat D. Bernardus sermone ad milites Templi cap.10. cuius verba in Catena Tilmanni ad cap.2. lib.4. reg. paulò aliter, in hunc modum: *Mali pueri, qui sic sacræ frontis caluitiem obijciunt Eliseo: Ascendit siquidem Crucem caluus noster, mundo pro mundo expositus, ac reuelatâ facie, ac discoopertâ fronte purgationem faciens peccatorum: probrosæ, & austeræ mortis ignominiam, non tam erubuit, quàm nec pœnam exhorruit, vt nos opprobrio sempiterno eriperet, & restitueret gloriæ: Boni pueri, quos per contrarium exhortatur Psalmista dicens: Laudate pueri Dominum,* &c.

In futuro iudicio obmutescent qui iam bonos, vt insanos derident: dicentes, hi sunt quos aliquando habuimus in derisum. AVGVST.

48. Veniet tempus quo pueri hi, & stultissimi homines obmutescent, longè aliter sentient, & de iustis, quos iam insanos nominant, longè aliud iudicium ferent, arguentes propriam ignorantiam, & reuocantes iustis illatam contumeliam: veniet tempus quo Dauidis voto satisfacturus sit Deus; orat ille Psalm.30. *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem. Quando efficientur muta labia ista?* petit D. Augustinus hîc Conc.3. *In hoc sæculo numquam*, respondet: *Nam quotidie clamant contra Christianos, quotidie blasphemant, quotidie latrant, & augent linguis suis pœnas, muta fiant labia dolosa, quando stabunt iusti in magnâ constantiâ aduersus eos, qui se angustiauerunt, tunc dicent illi, hi sunt illi quos aliquando habuimus in derisum, modò enim dicunt nobis; vbi est Deus vester? quid colitis? quid creditis? quid videtis? creditis & laboratis, certum est quod laboratis, incertum est quod speratis, quando venerit certum quod speramus, tunc muta efficientur labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem.*

In futuro iudicio erubescent, & conturbabuntur. AVGVST.

49. *Erubescant & conturbentur*, ait idem Vates Psalm. 6. *omnes inimici mei.* Quæ verba expendens D. Augustinus, sic pulcherrimè ad rem, de qua agimus, scribit: *Quod autem dicit, erubescant, & conturbentur non video quemadmodum euenire possit, nisi illo die, cùm manifesta fuerint iustorum præmia, & supplicia peccatorum. Nam nunc vsque adeò non erubescunt impij, vt nobis insultare non desinant. Et quisquis sublimia illa præcepta implere voluerit, vt dispergat, det pauperibus quo iustitia eius maneat in æternum, omnibusque suis rebus terrenis venditis, & indigentibus erogatis, Christum sequi voluerit, dicens: Nihil intulimus in hunc mundum, verùm nec auferre quid possumus. Victum & tegumentum habentes, his contenti sumus:* 1.Tim.6. *incidit in istorum sacrilegam dicacitatem, & ab eis qui sanari nolunt, vocatur insanus. Sed veniet tempus vt illi erubescant, dicentes vt scriptum est: hi sunt quos aliquandò habuimus in risum, & in similitudinem improperij.* Sap.5. *Nos insensati: vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Ergo errauimus à viâ veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol non ortus est nobis. Repleti sumus iniquitatis viâ & perditionis, & ambulauimus per solitudines difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam vmbra.* Finem facio cum pulcherrimo D. Gregorij 27. Moral.27. monito: GREGOR. *Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem.*

Discamus, inquam, eam, ad imitationem Salomonis, vel in senectute ipsa, ait enim Eccles.cap.1. *Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresq́, & stultitiam.* Quis non miretur Salomonem in iuuentute, tantâ sapientiâ eminentem & clarum, in senectute se totum impendere vt stultitiam addiscat? Mirari desine. Quam vult addiscere stultitiam illa est, de qua in superioribus actum est, & ad quam addiscendam Paulus sapientes omnes hortatur, 1. Corinth.3. dum ait: *Si quis videtur inter vos sapiens esse, in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et quidem in hac laudabili & sapienti stultitia taliter profecit Salomon vt Prouerb.c.30. de seipso affirmet: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.*

Quinimò Salomon, dum huic, in senectute, stultitiæ addiscendæ operam nauat, existimat se tunc expressiùs & viuaciùs paternos exprimere mores, & fideliùs exactiusque Dauidem imitari, & se verum illius ostendere atque exhibere filium: Antequam enim diceret: *Stultissimus sum virorum*, anteà præmisit: *Verba congregantis* (nimirum sensus, cogitationes, ac mentem suam, vt melius inuestigare possit ea quæ ad salutem assequendam maximè conducunt) *filij vomentis*, vt insinuet quid eum præcipuè mouerit, ad addiscendam, etiam in senectute, sapientissimam hanc stultitiam, nimirum Patris sui Dauidis exemplum, quem vomentem nominat. Vis scire, quâ de causâ, & ob quam rationem, se filium vomentis Dauidis nominet? Filius

 vomentis,

vomentis, id est, filius Dauid, qui saliuæ quodam indecoro vomitu stultitiam simulauit coram Achis, rege Geth. 1. Reg. 21. Ecce se filium Dauidis profitetur, non Dauidis sapienter psallentis, & super omnes docentes se, intelligentis ac ducis peritissimi, sed sapientissimè stulti, quando videlicet saliuæ quodam inhonesto vomitu stultitiam simulauit.

Quòd sicut altitudine præstat Sycomorus, ita & Crux.

§. IX.

Sycomorus pollet altitudine, ita etiam Christi Crux.

50. TERTIÒ, Sycomorus præstat altitudine, vnde Zachæo apta visa ad conspiciendum Iesum. Simili altitudine pollet & sacratissima Christi crux, vnde sic eam salutat Ecclesia: *Flecte ramos arbor alta.* Si quis in hanc arborem fide & consideratione ascendat; quis referat, quanta ex illa videat, quanta cernat? Cernit in primis maximam Dei charitatem, iuxta illud S. Ioan. 15. *Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. O ineffabilis charitas*, clamat Ecclesia, *vt seruum redimeres filium tradidisti*, &c. Et D. Bernardus in Cantic. serm. 61. *Vbi*, inquit, *Domine te exinanisti, ibi pietas magis emicuit, charitas ampliùs radiauit*, &c. Habacuc cap. 3. *Suscitans suscitabis arcum tuum*, &c. Suscitans suscitauit Deus potentissimum arcum suum, id est, crucem, ex eo sagittas iaculatur amoris, quibus corda configit hominum, iuxta illud D. Augustini lib. 9. confess. cap. 1. *Sagittaueras, Domine, cor nostrum charitate tua*, &c. Denique vt D. Paulus ait ad Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est*, &c. Lege sermonem 6. de pass. qui D. Chrysostomo adscribitur tom. 3. *Hæc*, inquit, *est prima causa Dominicæ passionis, quia sciri voluit Deus quantum amarit hominem*, &c.

Ex Cruce videmus Christi charitatem.

BERNARDVS.

Crux arcus, ex quo Christus iaculatur sagittas amoris.

AVGVST.

CHRYSOSTOMVS.

Ex Cruce cernimus quanta Dei in humanũ genus misericordia.

51. Secundò, cernit quanta Dei in humanum genus misericordia, Luc. cap. 2. ait Zacharias: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* Hæc misericordiæ viscera, vbinam clariùs quàm ex cruce innotescunt: *Deus*, ait D. Paulus ad Ephes. 2. *qui diues est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu, vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo*, &c. Diues est Deus in misericordia, abundantes verò diuitias thesauri misericordiæ ac bonitatis suæ tunc maximè effudit, omnibusque superuenientibus sæculis ostendit, cùm in crucem ascendit, vt peccatis mortuos, in vitam gratiæ sempiternæque gloriæ adduceret.

52. Tertiò, cernit quanta sit peccati grauitas: si quis peccati grauitatem metiri vult, cruce metiatur, crux mensura est, crux trutina, quâ peccati pondus exploratur. Vnde Laurentius Iustinianus lib. de agone cap. 20. *Te*, inquit, *agnosce in Christo, tua metire delicta in eius afflictionibus*, &c. Et D. Bernardus serm. 3. de Natali: *Agnosce*, ait, *ô homo, quàm grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari.*

Cernitur quanta sit peccati grauitas.

53. Quartò, cernit quantum sit Dei in peccatum odium. Siquidem Deus vt peccatum occideret, occidi passus est filium: *Proprio filio non pepercit*, ad Roman. cap. 8. *sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Cernitur quantum sit Dei in peccatũ odium.

54. Quintò, cernit quanta Dei sit, peccata vindicantis, iustitia. Etenim iustitiæ diuinæ iure seuero in cruce factum satis, ipsumque peccatum Dei cruciatibus & morte expiatum est. Cæsarius Arelatensis homil. 27. *Si volumus intelligere quàm graues apud se faciat iudex noster hominum culpas, respiciamus ad pœnas*, &c. Nimirum quos ad ostensionem iustitiæ suæ sumpsit ab innocentissimo & dilectissimo filio. *Si in viridi ligno hæc faciunt*, ait Dominus Luc. c. 23. *in arido quid fiet?* &c. Si proprio filio Deus non pepercit, numquid impijs seruis ad pœnitentiam minimè confugientibus parceret? Si Rex filium vitâ priuaret, quòd facinorosum aliquem hominem domo excepisset, quis eundem domo excipere auderet? Deus filium innocentissimum vitâ priuauit, quòd omnium peccata in se reciperet, vt diuinæ iustitiæ pro illis pœnas daret, quis peccatum domo deinceps recipere audebit?

Cernitur, quanta sit Dei, peccata vindicantis, iustitia.

CÆSARIVS.

55. Sextò, cernit quanta fuerit Christi humilitas, obedientia, patientia, paupertas, mundi contemptus, &c.

Cernitur quanta fuerit Christi humilitas &c.

Quòd sicut Sycomorus est medicinalis, ita & sacra Crux.

§. X.

Sycomorus medicinalis: ita & Crux.

56. QVARTÒ, Sycomorus maximè est medicinalis, de illâ namque sic Dioscor. lib. 1. c. 144. *Vis succi emollit, vulnera conglutinat: bibitur etiam & illinitur contra serpentium morsus.* Similiter quae peccatorum vulnera non conglutinantur à cruce Christi, si meditatione seria fuerit animo impressa? Superbiam nostram curat, dum videmus in illâ Christum abyssaliter humiliatum, factum nouissimum virorum, dum videmus Christum tremendum inclinare caput, quâ inclinatione videbatur titulum crucis fugere, in quo scriptum; *Rex Iudaeorum.* Inuidiam nostram curat, dum in illâ videmus Christum extendere brachia, vt eorum extensione, quasi ad amplexum aemulorum aduersarios inuitans: Auaritiam nostram curat, dum in illâ videmus Iesum positum, omnia erogare, vsque ad tunicam inconsutilem. Acediam nostram curat, dum clamat, *Sitio*, desiderans adhuc plura pati pro hominibus tormenta, quasi necdum saturatus opprobrijs. Iram nostram curat, dum in illâ Christus orat pro crucifigentibus; gulam, dum in illâ potatur felle & aceto: Luxuriam, dum in illâ patitur Christus sibi aperiri latus, quo ex vulnere manauit sanguis & aqua, ad abluendam omnem immunditiae foeditatem.

Crux superbiam nostram curat, Inuidiam. Auaritiam. Acediam. Iram. Luxuriam.

Quòd sicut Sycomorus vmbrosa, ita & sacra Crux.

§. XI.

Sycomorus vmbrosa, ita & Crux.

57. QVINTÒ, Sycomorus cùm arbor sit latissima, ramosque latè extendat, folijs moro, quàm proximis, insignem praestat ad se confugientibus vmbram, quâ refrigerari & refocillari valeat. Nónne similiter crux planè vmbrosa, ex Christo in illâ suspenso? *Bene*, inquit S. Richardus à S. Laurentio lib. 1. c. 7. de laudibus Virg. *passio Domini fecit vmbram, in quâ concurrerunt obscuritas poenae, & claritas pietatis*, &c. Sicut enim in vmbrâ & obscuritas reperitur, & lumen, sic & in patiente Christo non poenarum cruciatuumque opacitas tantùm adfuit, sed & pietatis, amorisque lux. Qui enim sustineret tot cruciatus Christus, nisi id eius pietas, & in mortales amor praestitisset?

RICHARDVS A S. LAVR.

In vmbra, obscuritas & lumen: ita & in patiente Christo.

58. Vis obumbrari à feruore paternae iracundiae? Sub regmine crucis sede; nam vt ait Richardus à S. Laurent. lib. 1. c. 7. de laud. Virg. *Scapulis suis cruci affixus obumbrauit Ecclesiae, vt feruiorem paternae iracundiae eidem temperaret.*

Obumbrat Crux à feruore paternae iracundiae. RICHAR. à S. LAVR.

59. Vis à malignitate saeculi, & corporis ardore defendi? Ad expansa Christi in cruce brachia confuge. Pulchrè D. Ambrosius in Psal. 118. octon. 3. *Nobis quoque manus suas expendit Iesus, vt totum mundum obumbraret, quomodo non sumus in vmbra, qui crucis eius protegimur velamento? Quomodo non sumus in vmbra, quos crucifixus à malignitate saeculi, & corporis ardore defendit?*

A malignitate saeculi & corporis ardore. AMBROS.

60. Quarundam arborum vmbrae, sub illis positas arbores sterilescere faciunt: at haec nostrae Sycomori vmbra, maximè eas fructiferas reddit. De palmis D. Ephrem tract. de pretiosa margarita: *Palmarum mares dum obumbrant foeminas, fructuosas illas efficiunt, cùm tamen neque illis misceantur, neque vllam ipsis substantiam praebeant.* Idem tradit de ficulneis, dum subdit: *Ficulnearum quoque nonnullae fructum non ferunt, nisi ramis maribus obumbrentur.* Inter ficulneas masculam opinor esse caprificum, quem multi eandem esse volunt cum Sycomoro arborem. Vnde scribit Salmeron tom. 4. tract. 28. dicit illa verba Lucae c. 19. *Praecurrens ascendit in arborem Sycomorum*, aliquos legere, *Praecurrens, ascendit in caprificum*, nominatim autem ita legunt Theophyl. & Euthymius. O fidelis anima, cui comparanda es nisi ficulneae foemineae, absque mascula ficulnea, planè infructuosae? vis fructuosa & foecunda inueniri in bonis operibus, & multiplicibus virtutibus? Sede per fidem, & seriam meditationem sub vmbra Sycomori, sub caprifico sanctae Crucis.

Vmbra Crucis maximè fructiferas reddit animas. EPHREM. Sycomori vmbra, fructiferā reddit ficulneam, ita crux Christi animam. SALMERON. THEOPH.

61. Quarumdam arborum vmbrae ingerunt capitis dolorem, aliasque aegritudines: at vmbra nostrae Sycomori, id est, sanctissimae Crucis, maximam confert sanitatem ipsis animabus. Vide quid de Christi manibus, in cruce alarum more extensis dicat Malach. cap. 4. *Et sanitas in pennis eius.* Vnde Hugo Card. componens verba illa Dauidis Psal. 56. *In vmbra alarum tuarum sperabo*, cum citatis Prophetae verbis, sic optimè scribit: *Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, id est, in protectionem, quam facis in alis tuis, id est, in brachijs tuis extensis in Cruce.* Hinc Malach. c. 4. *Et sanitas in pennis tuis; in illis enim brachijs Christi sic extensis est sanitas, quia ibi nos sanauit à peccatis nostris.*

Crucis vmbra maximam adfert sanitatem animabus. HVGO CARD.

62. Quorumdam arborum vmbrae sunt mortiferae. De taxi vmbra ita scribit Plutarchus in Symposio: *Occidit taxi vmbra dormientes sub ea*: at vmbra huius nostrae Sycomori, id est, sanctissimae Crucis planè vitalis est dormientibus, id est, per fidem & seriam meditationem sub ea quiescentibus, neque mirum, est enim arbor illa vitae plantata in medio Ecclesiae paradiso. Vnde sic

Vmbra Crucis planè vitalis. PLVTARCHVS.

D. Leo

LEO. D. Leo serm. 19. de pass. Domini. *Cùm quispiam obseruantiæ Christianæ se limitem sentit excedere, & in id cupiditates suas tendere, quod cum à recto itinere faciat declinare, currat ad Crucem Domini, & ligno vitæ, motus noxiæ voluntatis adfigat*, &c.

Vt Sycomori, ita & sanctæ Crucis fructus, sanguineus.

§. XII.

Fructus Sycomori sanguineus, ita fructus Crucis, Christus ipse totus sanguineus.

63. SExtò, fructus Sycomori sanguineus est, vt vult Eusebius Gallic. serm. de Dedicat. Ecclesiæ. Similiter & fructus Crucis sanguineus: nónne tibi Christus in cruce totus apparet sanguineus. Verùm vt hic fructus tibi sit proficuus, incidendus atque scalpendus, siue vellicandus. Sycomora vt esui sint apta, incidi, scalpíque solent, teste Theophrasto Athenæo. & Dioscoride lib. 1. cap. 144. Similiter Christus vellicandus, id est, mente & cogitatione scalpendus, & profundè expendendus, ruminandus, & penetrandus.

Christus vellicãdus, id est, cogitatione scalpendus.

Fructus Sycomori siue Crucis sunt martyres, proprio sanguine cruentati.

EVSEB. GALL.

64. Per Sycomori, id est, Crucis fructum Eusebius Gallic. loco citat. putat martyres intelligi, qui fidei, siue Crucis arbori adhærentes, propter constantiam, proprio sanguine, cruentati sunt. *Tales, ait, fructus fert Sycomorus, talia poma fert arbor fidei, quæ tam firmiter inhærent, vt potiùs occidi, & proprio sanguine cruentare, quàm à sua arbore, id est, à Christi fide valeant separari.* Sic ille. Sanguinea hæc Sycomora, qualiter à persecutoribus atque tyrannis fuerint vellicata, id est, scalpris, pectinibus, cultris incisa, laniata & lancinata, expendendum & minutim inspiciendum Christianis.

Sycomori, id est, Crucis fructus, omnes fideles.

65. Sycomori, id est, sanctissimæ Crucis fructus, sunt omnes fideles, hęc enim arbor, mediante Christi passione, produxit fructus multorum generum, nimirum homines cuiuslibet nationis & status. Nam vt ait

AMBROS. D. Ambrosius lib. 8. in Lucam: *Zachæus in Sycomoro, nouum videlicet noui temporis pomum, vt in hoc quoque compleretur illud; ficus protulit grossos suos. Ad hoc enim Christus aduenit, vt ex lignis non poma, sed homines nascerentur.* Vis scire vnde tot poma nata, diuersi generis, de quibus dicitur Apocal. c. 7. *Vide turbam magnam, quàm dinumerare nemo poterat, ex omnibus tribubus, & populis, & linguis?* Sanè non aliunde quàm ex Crucis Sycomoro.

Christiani debent esse Sycomori poma.

Vide, ô Christiane cuius arboris sis pomum; non sanè alterius, quàm huius sacratissimæ Sycomori. Vt Sycomora sunt rubra & sanguinea, ita & tu rubescas per amorem, rubescas martyrio, saltem spirituali, si nequeas corporali. Sycomora sunt vellicanda vt matura fiant, dulcescant, & esui sint apta. Similiter vt in virtute maturescas, & Deo dulcescas, & sapias, ferreis vnguibus; id est, varijs tribulationibus, tentationibusque, vellicandus es, atque sculpendus. Nolite ergo peregrinari in ferreis hisce vnguibus qui vobis adhibentur, vt amissa peccati amaritudine, maturescere & dulcescere Deo possitis.

Quare iudicium generale præcedat omnium hominũ mors.

SECTIO XV.

1. QVARTÒ, iudicij diem præcedet omnium hominum tunc viuentium mors, ignis enim, vt ait Regius Vates, ante ipsum præcedet. Hic ignis à facie Domini exardescens, paulatim magno cum hominum terrore totam terram occupabit, omnesque homines priuabit vitâ. Hinc illud D. Ephrem in lib. de pœnit. cap. 4. *Cùm viderimus igneum fluuium, ab ortu solis vsque ad occasum emanantem, & veluti sæuiens fluctibus mare, montes, ac valles deuorantem, terramq́; omnem, & quæcumque sunt in illâ exurentem*, &c. Quænam sit futura huius ignis operatio, docet D. Thomas Add. q. 74. art. 8. *Ignis, inquit, quantum pertinet ad virtutem naturalē ipsius, similiter aget in malos, & bonos, qui viui reperientur, vtrorumque corpora in cinerem resoluendo. In quantum verò aget, vt instrumentum diuinæ iustitiæ, diuersimodè aget in diuersos, quantum ad pœnam sensuum. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur. Boni verò, in quibus nihil purgandum inuenietur, omninò nullum dolorem ex igne sentient; & diuina virtute fieri poterit, vt sine doloris cruciatu, resolutionem corporum patiantur. Boni verò in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex igne illo, plus vel minus, pro meritorum diuersitate.*

Ignis ante iudicium omnes homines vitâ priuabit.

EPHREM.

Quænam futura huius ignis operatio.

D. THOMAS.

2. Sed quænam est ratio, quòd omnes homines debeant degustare mortem, & per eam resolui, antequam veniat ad iudicandum Dominus, antequam potiantur vita illa immortali? Nimirum, vt per mortem & dissolutionem corporis, peccatum radicitus posset extirpari ex homine, antequam donetur vita immortali; ne, si non dissoluatur homo per mortem, aliquæ peccati radices in homine remaneant. *Ab arbore fici discite parabolam*: Fici enim assumpta similitudine, veritatem hanc ita elucidat D. Epiphanius lib. 2. contra hæres. 64. reddens enim rationem cur Deus primos parentes emiserit ex paradiso, ne fortè in eo manentes, mittant manum suam, & sumant de ligno vitæ, & comedant, & viuant in æternum, sic conuenienter scribit: *Expulit eum Dominus de paradiso, ne potuisset viuere corpus in æternum, vt scilicet peccatum simul occisum cum corpore, moreretur, corpus verò peccato perdito,*

Cur homines debeant degustare mortem antequam ad iudicãdum veniat Dominus.

Nimirum vt sic radicitus extirpetur peccatum.

EPIPHANIVS.

Fici assumpta similitudine rem explicat.

perdito, resurgeret. Quo itaque non esset homo malum immortale, & perpetuò haberet in seipso peccatum prædominans, vipote quod in immortali corpore germinasset, & immortale alimentum haberet: Deus ob hoc ipsum prohibuit, mortalitate amictum. Hoc enim pelliceæ tunicæ volebant; quo sanè per solutionem corporis, peccatum inferni stirpitus ac radicitus in totum corrumperetur, vt ne tantillum quidem radicis relinqueretur, à quo noua peccatorum germina emergerent. Quemadmodum enim, vbi in ædificiis templorum ficus enata est, & in longitudinem & magnitudinem probè coalita, & in omnes compositiones lapidum, per multam sarmentosas radicès diffusa, non prius à nascendo quiescit, donec tota euellatur, dissolutis lapidibus, in locis, in quibus enata est: possunt enim rursus in suos locos adaptari lapides, ficu sublatâ, quo templum quidem seruetur, nihil amplius malorum ipsum dissipantium sibiipsi producens, ficus verò tota radicitus euulsa emoriatur. Eodem modo etiam Deus optimus artifex templum suum hominem, qui instar syluestris ficus peccatum produxit, breuibus mortis ictibus dissoluit, occidens (vt scriptum est) & viuificans, quo rursus earumdem partium caro post exsiccatum, & mortuum peccatum instar renouati templi, immortalis, & illæsa excitetur peccato perfectè, ac funditus perdito. Viuente enim adhuc corpore antequam moriatur, necesse est simul viuere peccatum, intus in nobis radices suas abscondens, etiamsi forinsecus, per castigationum, atque admonitionum sectiones fuerit refrænatum. Et post multa: *Proinde in auxiliaris medicamenti modum, ab auxiliatore nostro, & verè medico Deo, ad eradicationem peccati, ac deletionem assumpta est mors, vt ne perpetuò durans in nobis immortale sit peccatum, vt quod in immortalibus exortum est. Ipsi verò mutilati, & ægrotantium modo exurgentes in virtutis dono diu conuersemur; vt qui in subsistentibus immortalibusque corporibus magnum peccati morbum nutrimus.* Hactenus Epiphanius.

PROCOPIVS. 3. Ferè totum hunc locum eisdem verbis, quibus Epiphanius, commentatur Procopius, ad illa verba cap. 2. *Lignum scientiæ*, sic inquiens: *Impletus malitiâ, & peccato quasi mancipatus, paradiso expulsus est, ne scilicet particeps foret vitæ, hancq; mori nesciam gestaret in corpore mortali, sicuti ante casum eam circumferebat in corpore immortali. Oportebat peccatum prius morte perimi, vt eo per mortem quasi eliquato, homo deinceps degustaret vitam veram. Placuit igitur prius radicem peccati penitus è corpore erui, nedum vel minima eius reliqua foret particula, nouos peccatorum produceret surculos.* Sic Procopius. Deinde affert eandem templi similitudinem.

Radix ficus illius maledictæ, nimirum cō- 4. Ficus illa maledictionis & mortis nostræ causa, in visceribus nostris congenita, cū perenniter exuberet in folia & fructus, id est, in vitia, securi continuæ mortificationis, possumus quidem truncum, ramos, folia, fructusque illius præscindere; sed radicem illius, nimirum, concupiscentiam, semper ad peccata allicientem, nequaquam planè tollere in hac vita possumus. Ligari potest vinculo ferreo, æreo, id est, comprimi ieiunio, vigiliis, oratione, mortificatione, sed nequaquam penitus tolli. cupiscentia, non potest planè tolli in hac vitâ.

5. Deo succisio huius radicis, vnde tot malæ pullulant passiones, est reseruata, vt acutè colligit D. Ambrosius lib. 1. de Iacob cap. 1. ex verbis illius agricolæ, de quo Lucæ cap. 13 Cùm enim Dominus dixisset; *Ecce anni tres sunt, ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, succide ergo illam.* Respondit agricola: *Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam cophinum stercoris: & siquidem fructum fecerit; sin autem, in futurum succides illam.* Quo loco expendit D. Ambrosius quod non ait agricola, in futurum succidam eam, sed succisionem omnem domino permittit, dicens; *In futurum succides illam.* Cur non magis ipse promittit, se succisurum, sed Deo succisionem reseruat? Ostendebatur in ficulnea illa infirmitas, & malitia prolapsi generis humani; hæc autem de medio si tollatur non hominis, non Angeli, sed Dei solius opus est. *Meritò*, ait D. Ambrosius, *ad Dominum retulit, quia excidendæ temporalis prolapsionis potestatem sibi ipse vendicare non poterat, sed Domino reseruabat, &c.* Solius Christi est ficulneam peccati in corpore nostro semper repullulantis ab ipsis radicibus arefacere; quod planè continget, dum per carnis dissolutionem radix illa maledictæ ficus, id est, concupiscentia planè est tollenda. Deo relinquenda succisio huius radicis. AMBROS.

6. Peccatum autem non incongruè ab Epiphanio ficui fuisse comparatum, docet ipsa scriptura, in qua pro symbolo & imagine peccati solet vsurpari. *Cùm esses sub ficu*, ait Dominus Nathanaeli Ioan. cap. 1. *vidi te.* In quæ verba sic D. Augustinus serm. 40. de verbis Domini: *Quod dictum audiuimus à Domino Iesu Christo Nathanaeli, si bene intelligamus, non ad ipsum pertinet solum: ipse quippe Dominus Iesus sub ficu vidit omne genus humanum. Isto enim loco intelligitur per arborem fici significasse peccatum. Non vbique hoc significat, sed hoc loco, vt dixi, ea scilicet significandi congruentia, qua nostis primum hominem, quando peccauit, foliis ficulneis fuisse subtectum.* Similia habet ser. 8. de verbis Apostoli. Peccatum ficui comparatur in scriptura. AVGVST.

7. Similiter & D. Beda exponens locum citatum, per ficum peccandi consuetudinem designatam putat, in qua dum adhuc existunt electi, videt illos Dominus: *Quia*, ait, *primi parentes nostri reatu prævaricationis confusi, de fici sibi* BEDA. Pecandi consuetudo per ficum designatur.

 foliis

foliis succinctoria fecerunt, potest hæc arbor fici non incongruè malè dulcorata generi humano consuetudinem signare peccandi, sub quam positos adhuc electos suos, sed necdum electionis suæ gratiam cognoscentes, quasi sub ficu constitutum, nec se iam videntem, Dominus vidit Nathanael, nouit enim Dominus qui sunt eius. Quorum saluationi ipsum quoque nomen Nathanael aptissimè conuenit. Nathanael namque donum Dei interpretatur, & nisi dono Dei quisque vocatus numquam reatum primæ transgressionis, numquam malè blandientia augescentium quotidie peccatorum vmbracula euadit, numquam saluandus venire mereretur ad Christum. Vnde dicit Apostolus: Gratia enim estis saluati per fidem,& hoc ex vobis: donum Dei est, non ex operibus, vt ne quis glorietur,&c.

Ephes. 2.

Per ficum significatur dulcedo peccati. BONAV.

8. D. Bonauentura ad citatum locum, per ficum existimat significari dulcedinem peccati: *Dicitur*, ait, *quod si folia ficus tangunt carnem, pruritum faciunt, & potest significare ipsam legem, vt dictum est, vel dulcedinem peccati, quæ significatur per ficus malas, malas valde.*

Christus vidit omnes electos dum essent sub ficu. RVPERT.

9. Pulchrè quoque S. Rupertus lib. 2. in Ioannem, ait: *Vidit enim non solùm Philippum, sed & omnes electos suos, cùm essent sub ficu, vidit misericordiæ suæ oculis, id est, cùm primus parens illorum factus mandati transgressor, consutis ficus foliis, pudenda contegeret, iam tunc vidit eos,& miseratus est, iam disponebat misericorditer, quo illos ordine à præuaricationis reatu liberaret.* Sic ille.

Sub ficu erant omnes peccatores quando Adamus peccauit.

10. O visum Christi compatientis peccatoribus acutissimum! sub ficu erant vniuersi peccatores, quando Adamus peccauit,& pruriginem carnis sentiens, ficus foliis verenda contegit. Adumbrabat tunc ficus latitantes & fugientes peccatores; nullus homo tunc cernebatur, non fugitiuus à Deo, non sepultus ingenti peccatorum caligine: omnia tenebrosa tunc erant, omnia inaspectabilia, omnia reiectitia; & nihilominus inter tot tenebras, inter tot caligines peccatorum, sic erat perspicax & acutus miserentis Dei oculus, vt vel minimum ex his qui ad salutem venturi erant, cerneret. Quod expendens D. Augustinus tract. 7. in cap. 1. Ioan. sic alloquitur Ecclesiam: *O tu Ecclesia, ô tu Israel, in quo dolus non est, modò iam cognouisti Christum per Apostolos, quomodo Nathanael cognouit Christum per Philippum. Sed misericordia sua ante te vidit, quàm tu eum cognosceres, cùm sub peccato iaceres. Numquid enim nos priùs quæsiuimus Christum, & non ille nos quæsiuit? Numquid nos venimus ægroti ad medicum, & non medicus ad ægrotos? Nónne ouis illa perierat, & relictis nonaginta nouem pastor quæsiuit illam,& inuenit, quam lætus in humeros supportauit. Nónne perierat drachma illa, & accendit mulier lucernam,& quæsiuit in tota domo sua donec inuenit?*

AVGVST.

Quantam hic visus exigat à nobis gratitudinem.

11. Quantam à nobis exigat gratitudinē hic Christi compatientis visus, ipse indicat Christus, dum sponsam alloquens Cantic. 8. ait; *Sub arbore malo*, (id est, sub arbore fici, omnes enim arbores fructiferæ, arbores mali dici possunt, nomine mali genericè accepto, pro omnibus fructibus) *suscitaui te*, id est, vidi te vitâ priuatam, vt suscitarem te. *Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Hoc est, suscitaui te; quoniam Eua mater tua immanis draconis afflatu sub arbore corrupta & violata, virum Adamum corrupit, omnesque in eo natos peccato infecit, atque occidit. Quoniam verò sponsam tantò affecit beneficio, illamque sub arbore absque vitâ iacentem excitauit, amorem, beneficijque memoriam sponsus flagitat, idcircò sequitur: *Pone me vt signaculum super cor tuum.* &c.

Quod extremum Iudicium præcedet mortuorum resurrectio, quæ qualiter peragenda, similitudine ficulneæ explicatur.

SECTIO XVI.

Extremum iudicium præcedet resurrectio mortuorū.

1. QVintò omnibus notum resurrectionem vniuersalem præcedere debere vniuersale iudicium. An putas hanc resurrectionem peragendam adinstar generationis hominis in materno vtero? Absit. Qualiter ergo fiet? *Ab arbore fici discite parabolam: Si diligenter inquiras*, ait D. Ambros. Comment. in Luc. c. 13. *discretam ab vsu arborum cæterarum consuetudinem naturæ huius (ficus) inuenies. Namque aliæ florem ferunt, ante quam fructum, pomaq́; ventura prænuntio sui flore designant: hæc sola ab initio germinant poma pro floribus, in aliis flos discutitur; & poma nascuntur; in hac poma decidunt, vt poma succedant. Ergo priora illa cassa fructuum, vice floris emergūt. Ita præcoci quidam nascendi vsu, quæ ordinem naturæ nesciunt, beneficium naturæ seruare non possunt, etenim quæ se medio trudere de cortice gemina consueuit, ea minutissima quæque huius generis poma prorumpunt.* Sic ille. Adeò vt ficulnea breui tempore producat fructum & quidem talem, qui si formam spectes, planè perfectus sit. Simili ratione quoque peragenda resurrectio: nam in hoc differt resurrectio à generatione, quòd per generationem corpus longo

AMBROS.

Ficulnea simul eodēque tempore omnia producit poma secūdum formā perfecta, vnde speculum est resurrectionis.

Magna differentia, inter generationem, quæ comparatur

ordinariæ fructuum productioni, & resurrectioni.

longo temporis tractu, instar ordinarij alicuius arboris fructus producetur, atque ad perfectionem deducatur. Et sicut fructus maturus ab arbore baiulus non maturitatem est adeptus, nisi præuia seminatione, plantatione, floritione: sic etiam corpus humanum seminatur dum concipitur; plantatur dum vegetatur; florescit, dum animæ iungitur naturaliter in partu verò turgescit. Quotidiano verò deinde sumpto augmento, nouisque adeptis viribus tandem debita fruitur perfectione. Non sic accidit in resurrectione; nam nulla seminatione vel floritione, nullisque aliis dispositionibus præcedentibus, corpus resurget in mensura ætatis plenitudinis Christi. Omnes enim resurgent perfecti & integri, etiamsi hic fuerint mutili; omnes in statu perfectæ ætatis, in quo creati primi parentes. Nulli ibi corpore pusillo, vt nani, vel infantes, nam id prouenit ex defectu materiæ, vel virtutis seminalis, vel ætatis, estque magna naturæ imperfectio. Oportet, vt illud opus quod proximè solius Dei manu plasmabitur, sit omnino perfectum; absque vllo naturæ defectu, non solùm in electis, sed etiam in reprobis; vt docet D. Thomas in 4.d.44. etsi in electis credibile sit etiam naturalia forè magis eximia, quàm in reprobis.

Similitudine ficus, è minimo grano enascentis, elucidatur futura corporum resurrectio. Chrysos.

2. Si quæras, qui fieri possit, vt resurgat quod fuerat dissolutum, quomodo puluis & cinis conglutinabitur, vndenam erit reliquus flos & vigor corporis? *Ab arbore fici disce parabolam*: Adducta enim ficus, ex minimo atque corrupto grano, nascentis, imagine, mysterium resurrectionis sic elucidat D. Chrysostomus hom. 7. in epist. 1. ad Thess. *Omnis vita à corruptione & interitu nascitur, omnes plantæ, omnia semina. Non vides quantum truncum habeat ficulnea, quot stipites, quot folia, quot ramos, quot frondes, quot radices tantùm spatij occupantes & se insinuantes. Ipsa quæ est tanta & talis ex illo nascitur grano, quod fuit deiectum, ipsumque primo corruptum interiit, & nisi fuerit putrefactum & dissolutum, ex his nihil erit. Dic mihi vnde hoc fit.* Sic ille, cum quibusdam aliis huc spectantibus lectu dignissimis.

Breuissimo tempore formantur poma ficulneæ, sic erit & resurrectio mortuorum. Lessius.

3. Breuissimo etiam tempore formantur poma in ficulnea; sic breuissimo tempore facienda est resurrectio, vt docet Apostolus 1. Corinth. 15. dum ait: *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba mortui resurgent.* Quæ verba expendens Lessius lib. 13. de Diuin. perfect. cap. 21. postquàm dixisset ad resurrectionem tria requiri: *Primò vt particulæ materiæ, ex quibus corpus est formandum, in vnum locum congerantur. Secundò, vt corpora formentur. Tertiò, vt anima vniatur,* subiungit: *Quæ omnia perficienda in ictu oculi. Quibus verbis significatur, illud tempus fore adeò breue vt non possit percipi ab homine eius duratio, seu extensio, sed videatur instar momenti. Non fiet tamen in puncto temporis mathematico; nihil enim opus est tam stupendo miraculo; si enim fieret in puncto, vel transferrentur illæ particulæ per medium, vel sine medio. Per medium transferri nequeunt, quia eodem temporis puncto deberent esse in omnibus locis mediis, & simul in termino, quod sine replicatione, & quasi multiplicatione illarum fieri nequit. Neque etiam sine medio transferri possunt, nisi in termino à quo desinant conseruari, & in termino ad quem, eodem temporis puncto reproducantur. Quæ omnia etsi Deo possibilia, tamen minimè necessaria. Itaque sufficit vt in tempore fiat hæc translatio seu collectio, quod tamen ob breuitatem sit imperceptibile.*

4. Miramur in veris initiis ficum, dum nihil tale incauti sperabamus, mox proiicere grossos suos, quàm mirandum, cùm tuba insonante fiet illud Apocal. cap. 20. *Dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in eo erant.*

In resurrectione parturiet terra in die vno & parietur gens simul.

5. Ezechielis cap. 37. magna hominum multitudo resurgere visa est: *Et steterunt,* ait, *super pedes suos exercitus grandis nimis valde, &c.* Sed exercitus hic grandis nimis valde, paruus nimis valde, si cùm exercitu illo comparetur, qui ex terra, extremo resurget tẽpore. Exercitus Ezechielis vno ex campo resurrexit; at tempore extremo, immensus hominũ exercitus toto ex orbe terrarũ, in vitam reuocabitur. Dabit mare mortuos suos, id est, dabit corpora; dabit quoque terra, infernus verò dabit animas; dabit & cælum vt corporibus consocientur, stabitque immensus exercitus, magnam terræ occupans partem. O rem stupendam! *Quis audiuit vmquam tale,* legimus Isaiæ cap. extremo, *quis vidit huic simile? numquid parturiet terra in die vno, aut parietur gens simul?* &c. Admirabilis sanè res esset, si die vno, iuxta hæc verba, terra gentem vnam pareret; at quantò admirabilius erit, terram in die vna, imò in hora vna, non vnam, sed omnes simul gentes parere. O stupendum partum! partum dolores præcedunt, quid igitur mirum, si tantum partum, magni præcedant mundi cruciatus.

Ex illo partu prodibũt filij pulcherrimi & turpissimi.

6. Orientur autem ex illo partu filij, alij pulcherrimi, alij turpissimi, impij turpissimis scelerum maculis notati, ex terræ visceribus prodibunt. Iusti virtutum splendore fulgentes, excitabuntur. Illi in ipsa, quam dilexerunt, terra, pondere peccatorum pressi, manebunt, hi aquilarum instar bonorum operum pennis ad Christum euolabunt. Illorum corpora acerbissimum ignis cruciatum experiri incipient: horum solis instar fulgebunt: illi miseros se atque infelices, hi beatos se ac felicissimos proclamabunt, O beatam pœnitentiam, dicet iustus, quæ viam in tanta hæc bona mihi parasti? ô beatas vigilias, beatos labores,

Quanta in resurrectione iustorũ exultatio, quanta malorum tristitia.

bores, beatam carnis macerationem, beata ieiunia, precationes, rerum omnium diuinarum meditationes, corporis verberationes. O beatas eleëmosynas, quæ me fecêre beatum! ô beata opera quæcumque feci, beata mala quæcumque pro Christo toleraui! Si fuêre amaræ radices, ex amaris radicibus, dulcissimos nunc fructus colligo; transit amaror, permanebit dulcedo sempiterna. Contrà verò impius clamabit: Heu quàm cerno rerum commutationem, voluptates in tormenta commutatæ sunt, diuitiæ in extremam necessitatem, deliciæ in supplicia, honores in opprobria, suauis odor in fœtorem, cantus in gemitum, clausis oculis in hunc ignis properaui rogum, oculos, quos voluptas clausit, nunc pœna aperit! Eheu quid video! nihil quod solatium adferat, omnia quæ torqueant. Vtinam hæc præuidissem; si præuidissem, effugissem: Heu me! nullum iam patet effugium, desperata res est. O mors, quam horrere solebam, huc ades, his me augustiis eripe, quæ horror eras, nunc eris solatium! O tartareæ furiæ inuadite, discerpite, lacerate infelicem, totque doloribus eripite, æternus dolor erit: ô me insanum, modica voluptate æternum emi tormentum. Hunc in modum impij frustra suum lamentabuntur cruciatum: iusti verò ob summam quæ illis obueniat beatitudinem, gaudio triumphabunt.

In die iudicij tres accusatores stabunt contra impios.

7. Verùm, vnde tantus impiorum dolor? Vnde tantum iustorum gaudium? *Ab arbore fici discite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit, & nata folia, scitis quia prope est æstas*: Cur ergo non gaudeant iusti, cùm videant sibi instare beatam illam æstatem, verque illud lætissimum, & æternum perpetuæ beatitudinis. Cur non doleant, & præ timore & dolore exarescant mali, dum vident sibi imminere procellosam hyemem æternæ damnationis, dum vident se mox oppugnandos à tot accusatoribus testibus. *Tres accusatores*, ait Laurentius Iustin. libr. de ligno vitæ cap. 4. *tunc contra peccatores stabunt, primus erit diabolus: præsto enim tunc erit diabolus, recitans verba professionis nostræ, & infusionis gratiam. Obiiciet namque nobis quæcumque fecerimus, & in quo loco, & in qua hora peccauimus, & quid boni tunc facere debuimus. Dicturus est enim ille aduersarius: Æquissime iudex, iudica istum meum esse ob culpam, qui tuus esse noluit per gratiam; tuus est per naturam, meus est per miseriam; A te accepit immortalitatis stolam, à me accepit hanc maculatam & pannosam, quâ indutus est, tunicam: tuam dimisit vestem, & cum mea huc venit. Heu poteritne talis aperire os, qui talis inuenietur vt iustè cum diabolo deputetur: Alius accusator erit proprium scelus: tunc loquentia simul opera nostra dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus, tecum erimus, & tecum*

LAVR. IVSTIN.

ad iudicium pergemus. De hoc sic legitur: Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum. Sap. 4. *Accusator quoque erit mundus; meritò namque totus mundus accusator erit, quia offenso creatore, offenditur totus mundus. Scriptum est etiam: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Ibid. *Tres etiam testes habebimus; vnum supra nos, scilicet Deum, de quo ait Hieremias: Ego sum iudex & testis, dicit Dominus.* Ierem. 29. *Alium intra nos: scilicet conscientiam propriam. Quisquis es, ô homo, qui futurum iudicium times, præsertim conscientiam corrige, sermo namque causæ tuæ, testimonium conscientiæ tuæ. Alium iuxta nos, scilicet Angelum custodem nostrum, de quo ait Iob: Reuelabunt cæli, id est, Angeli iniquitatem eius: O quàm angusta via tunc erunt reprobis: superius erit iudex iratus, infernè horrendum chaos; à dextris peccata accusantia; à sinistris infinita dæmonum multitudo trahens ad supplicia, intus conscientia vrens, foris mundus ardens. Miser peccator sic deprehensus, quò fugiet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile.* Hactenus ille.

Quòd ea quæ concomitantur diuinum iudicium sub imagine ficulneæ nobis repræsententur.

SECTIO XVII.

Quòd homines diiudicandi ficulneis earumque fructibus assimilentur.

§. I.

Concomitantia iudicium in ficu nobis repræsentantur.

1. SExtò, illa quoque quæ concomitantur, & pari passu procedunt cum iudicio, optimè nobis explicantur similitudine ficulneæ. Nam ibidem quæstio siue examen atque discussio instituetur de vniuerso genere humano, & quidnam humanum genus? *Ab arbore fici discite parabolam.* Psellus exponens illud Cant. 2. *Ficus protulit grossos suos: Ficum*, ait, *intellige humanam naturam.* Rupertus Abbas libr. 4. in Oseam, comparat omnem humanam generationem ficulneæ habenti multa folia, paucos fructus. Illud autem in comperto, primos illos parentes, primas fuisse huius

PSELLVS.

Humana natura in ficulnea expressa.

ficulneæ

ficulneæ gemmas, quæ mox atque erupe-runt, calore plusquam æstiuali concupiscentiæ, adultæ fuerunt, præsertim quando ficulneæ foliis nuditatem, ac carnis rebellionem tegere, atque dissimulare conati sunt, ab hac arbore & reliqui processerunt homines.

Quilibet Christianus adumbratus in fici arbore in vinea plantata.

2. Ipse Christus satis designat, vnumquemque nostrum ficum esse in illa parabola Lucæ 13. *Arborem fici*, ait, *habebat quidam plantatam in vinea, venit autem quærens fructum ex illa, & non inuenit*. Quid per hanc ficum significatur, quàm quilibet Christianus in vinea Ecclesiæ plantatus, ad producendos atque edendos dulces bonorum operum fructus? Quòd si nostro vitio illos non proferimus post longam Dei benignitatem & patientiam, per mortem succidemur, & in æternum gehennæ ignem præcipitabimur.

Sunt ficulneæ bonæ & malæ, ita agitur etiã in hominibus.

3. Vis scire qualiter examen hoc siue discussio instituetur. *Ab arbore fici discite parabolam*. Nam inter ficulneas, quædam sunt bonæ & fructiferæ, quædam sunt syluestres & infructiferæ. Idem videre est in hominibus; quidam enim boni, quidam mali: vnde vocabulum ficus, & in bonam, & in malam partem vsurpare solent sacræ litteræ, & vtramque vsurpationem simul vno in loco videre licet apud Ieremiam cap. 24. vbi loquitur de duobus bonarum & malarum ficuum calathis. *Quid tu vides Ieremia? Et dixit: Ficus bonas, bonas valde. Et malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eò quòd malæ sint*. Separatim autem in malam partem accipitur ficus, quam maledictione sua percussit Christus: in bonam autem partem, cuius fit mentio in Canticis: *Ficus protulit grossos suos*. Quilibet ergo iudicabitur in iudicio bonus vel malus, iuxta bonæ vel malæ ficus conditiones, quas in se expressit.

Vt simus de numero electorum, debemus gaudere bonæ ficus conditionibus.

Vt ergo sis de numero electorum, decet te gaudere iisdem bonis conditionibus, quibus pollet ficus bona.

Vt quis sit de numero electorum debet instar ficulneæ, in bonis operibus esse fœcundus.

§. II.

Bona ficulnea est maximè fœcunda, sit etiam fœcundus in bonis operibus Christianus.

4. IN primis, ficus bona est maximè fructifera & fœcunda: tam fœcunda est in producendis fructibus, vt à fœcunditate, quidam sic eam voluerint nuncupari. Historiæ Indicæ asserunt, in insula Mosambicana inueniri ficum, tantummodo vnum habentem ramum, sed taliter fœcundum, vt numquam fructu careat, vt Caffri illius insulæ inhabitatores illius fructibus vescantur totius anni curriculo. Ferunt ficum Ægyptiacam quater in anno producere fructus. Primis raro ad maturitatem peruenientibus. Memorat Geminianus ficus Ægyptiacæ tam mirabilem esse vbertatem, vt non solùm quotannis fructum præbeat, sed vbi ficum vnum carpseris breuiter alium substituat. Meminit Plinius alicuius generis ficus, vt refert Robertus in libr. Sapientiæ lect. 40. quæ habet ramos longissimos, & quia ficis est onusta, præ grauitatis pondere, vsque ad terram illos dimittit, folia eius sunt instar scuti protegentis corpus pugnantis, sub vmbra eius non solùm homines, sed & animalia requiescunt: fructus eius adeò dulcis est, vt in admirationem comedentem rapiat. Strabo scribit in ea parte Ægypti, quæ Septemtrionem respicit, vnicam ficum tot protulisse fructus, vt septuaginta replerent mensuras Atticas, à Latinis, modij appellati. Sic decet Christianum esse fœcundum in bonis operibus. Quædam enim opera sunt, quæ homo ex necessitate præcepti per singulos annos facere tenetur, quædam quidem saltem semel omni anno, sicut confiteri in quadragesima, & communicare in Pascha, hoc enim est præceptum Ecclesiæ: & si pluries hoc fecerit aliquis, melius faceret, quamuis ex præcepto non teneatur. Quædam verò tenetur quis facere pluries in anno, sicut ieiunare, & seruare ieiunia ab Ecclesia instituta, quæ in anno pluries occurrunt, sicut quadragesima, & quorumdam Sanctorum, siue festiuitatum vigiliæ, & ieiunia quatuor temporum, quæ quater in anno occurrunt. Quædam alia sunt quæ homo debet facere quotidie, vt eleëmosynæ, & orationes, & huiusmodi; & in talibus vno bono opere facto & completo, statim deberet homo cogitare de alio faciendo, ita vt vix parere bonum aliquod opus desierit cùm nouum aliud concipiat, & vt dixit D. Paulus: *In omni opere bono fructificet*. Non enim in via virtutis cessandum, nec aliqua mora est interponenda, sed omnia quæcumque facimus, ad Dei obsequium referre debemus. *Siue ergo manducatis*, inquit Paulus, *siue bibitis, siue aliud aliquid facitis; omnia in gloriam Dei facite*. Possunt in aliis rebus agendis fieri sine periculo cunctationes & interualla, sed ad bene agendum, omnibus mora periculosa & noxia est.

Ioan. Geminian.

Holcot.

Ficus maximo tenetur desiderio proferendorum fructuum, & de se spo-

5. Deinde, hoc ficubus præ cæteris arboribus eximium est, & singulare, quòd maximo teneantur desiderio proferendorum fructuum, magnoque erga eosdem ferantur amore. Nam vt eos abundantiores, maiores,

liat florum ornatu, eodem teneatur desiderio Christianus.

maiores, ac dulciores producant, degenerant libenter à propria, & quasi sibi & aliis arboribus innata dignitate, pulchritudine, & excellentia: nam cùm aliæ arbores floribus sese ornent, illisque spem fructuum ingerunt; sola ficus hoc florum ornatu se spoliat, & quo gaudere posset communi priuilegio, illo se priuat, vt sua ignobilitate, suoque luctu atque defectu fructum promoueat, quem enim humorem crassum reliquæ arbores in suo stipite reseruant, vt flores inde nascantur quibus ornentur, hosce ficus, neglectis floribus, atque proprio ornatu, reseruat atque impendit fructibus producendis, contenta aspero foliorum indumento, quæ scuti atque peltæ similitudinem referentia, illis vtitur vt fructus ab aëris iniuria defendat & protegat, vt similis videatur optimo alicui patrifamilias, qui paruo vtitur famulorum comitatu, paruoque contentus est victu, ac vilioribus vtitur vestimentis, vt pinguiorem & opulentiorem filiis relinquat hæreditatem. Huc etiam spectat illa quæstio, nimirum, cùm inter fructus ficus cæteris sint dulciores, qui fieri possit, vt ex stipite & trunco tam amaro, quàm est ficulneæ, prorumpat & originem trahat? Docet enim experientia, quòd, quæ ex ligno ficulneo excitatur flamma, fumum producat ingratum atque molestum, acrimoniâ suâ odoratum offendens. Quod ampliùs, docet experientia, quòd aquæ per cineres huius ligni percollatæ, sint instar acris valde atque mordacis lixiuij, ad omnes abstergendas sordes efficacissimi, quæ omnia testantur & clamant ligni asperitatem. Sed propositæ respondetur quæstioni, hoc ita accidere, quoniam ficulnea quemcumque trahit & sugit ex terræ visceribus dulcem humorem, quemque natura ipsi largitur, eumdem à seipso expellat, & exulare faciat, atque producendis fructibus impendat: Hac se priuans dulcedine, vt illius fructus gratissimi sint atque dulcissimi. Hanc fici conditionem vir iustus & probus imitatur, totus est in faciendis bonis operibus, quas in vestium ornatu, famulorum comitatu, pretiosa supellectile, tantaque mensa posset impendere diuitias, hac ratione se nobili ac generoso animo præditum ostentans hominibus, hæc tamen omnia negligit, easque diuitias reseruat pauperum subsidiis, ac eleemosynis, simplici ac rudi contentus vestimento, tenuique mensa, vt vitæ austeritate tamquam quodam foliorum aspero tegumento, virtutum opera fructusque meritorum conseruet, tam ab ardore prosperitatis, quàm à frigore aduersitatis; vt mirum non sit, similem virum tam suaues Deo producere optimarum virtutum fructus, quamuis hominum oculis, atque in externo apparatu, tam humilis, abiectus atque austerus appareat, omnem, enim quem ex diuitiis, agris atque bonis trahit suauem succum non sibi reseruat sed producendis virtutum fructibus indesinenter impendit.

Quòd saluandus debeat ad similitudinem ficus proferre dulces misericordiæ fructus.

§. III.

6. Neque solùm fœcunda ac diligens est ficulnea in producendis fructibus, sed etiam fructus producit suauissimos. Quare Plinius de ficu Indica sermonem instituens, affirmat fructum eius suauissimum ac dulcissimum esse, atque in admirationem rapere illo vescentes, vt pro miraculo à comedentibus reputetur. Imò inter omnes arbores, dulcis habetur fructus ficulneæ, qui propterea non solùm dulcis, sed dulcedo ipsa vocatur. Vnde inducitur Iud. 9. ficulnea dicens: *Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusq; suauissimos?* Et idcircò opera nostra bona ficuum nomine voluit Christus designare, vt exprimeret, quantum sint sibi grata, sapida, & dulcia; qua de causa etiam frequentissimè venit quærens, & requirens à nobis hunc fructum, *Ecce*, ait, *anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac.* Simili phrasi etiam Deus antiquitus est vsus, ad indicandum, quàm grati illi extiterunt illi priores Patres, Abraham, Isaac & Iacob, quos Oseæ cap. 9. vocat prima poma ficulneæ: *Quasi* ait, *vuas in deserto inueni patres vestros, & quasi prima poma ficulneæ.* Quæ verba sic legit Theophylactus: *Et quasi scopum in ficu præcocem Patres ipsorum vidi.* Quid hoc sibi vult? Quando ficulnea inter multas alias immaturas ficus, in cacumine vnam gestat maturam, & solis ardore excoctam, hæc oculis spectantium tam grata est, quasi si opus sit, in quem aciem & intuitum colliment. Tam suaues & tam grati erant dicti Patres Deo, & ipsius palato tam sapidi, vt Deus, illos comparet dulcissimæ ficui, oculos eius attrahenti, & in quam tamquam in scopum coniiciat, tum pietatis, tum misericordiæ suæ radios. Tales decet etiam esse Christianos, fœcundos nimirum in operibus misericordiæ producendis, & eleemosynis dandis, sicut illa S. Tabitha, de qua Actor. cap. 9. ait Lucas: *Illa erat plena operibus bonis & eleemosynis, quas faciebat.* In hæc opera ob eximiam

Ficus dulcissimos producit fructus, sic Christianus producere debet suauissimos misericordiæ & compassionis erga proximum fructus.

Theoph.

carum

tarum dulcedinem & pulchritudinem, coniicit Deus diuinos oculos, hæc scopus sunt, in quem oculos suos diuina illa maiestas collimat, hæc poma, hos fructus desiderat & quærit, inuentos colligit, atque in die iudicij incorruptos omnibus spectandos exhibebit. *Esuriui*, ait, *& dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, &c.* Fructum fici, symbolum esse charitatis ob dulcedinem, vnitatis autem ob coniunctionem granorum vult Chrysost. in opere imperf. hom. 19.

CHRYSOS.

Ex propriis bonis facienda eleëmosyna.

7. Multi quidem proferunt misericordiæ & eleëmosynæ fructus afflictis & egenis dulcissimos, sed non instar ficus è proprio & natiuo succo, id est, non de propriis & iustè acquisitis bonis, sed de alieno, vel bonis malè acquisitis eleëmosynas faciunt. An hi ficus, vt hominibus egenis, ita & Christo dulcissimi? Absit. Vide D. Augustinum serm. 35. de verb. Domini secundum Lucam.

Ex inuenta re quando facienda eleëmosyna.

8. Quamuis autem rem aliquam inuenisti, ne quidem ex illa tibi eleëmosyna facienda pauperi, quærendus primò Dominus, & illo inuento, & inuentio illi restituenda, ad imitationem illius, de quo D. Augustinus serm. 19. de verbis Apostoli.

AVGVST.

Qua ratione fiat, vt quis de proprio possit facere largas eleëmosynas.

9. Vt autem de proprio largiorem possis facere eleëmosynam, simplici victu, simplicique vestimento esto contentus, te florum ornatu adinstar fici spolia, vt fructum eleëmosynæ abundantiorem proferre possis. Quid supellex illa pretiosa, quid mensa ferculis variis instructa, quid vanus vestimentorum cultus, quid rhedarum & curruum apparatus, quid magnus ille famulorum comitatus? An non florum facilè decidentium ornatus? Huic florum ornatui parcendum, & sic numquam deerit magnatibus & diuitibus eleëmosynas multiplices faciendi facultas. Magnus fundus parsimonia & frugalitas, ex quo vberes possunt metere fructus pauperes. Notantem & vituperantem seruorum cateruam, vide Diu. Chrysostomum homil. 40. in epist. priorem ad Corinth. ad finem. Eamdem fastus exuberantiam deplorat Seneca libr. de tranquillitate animi, loquens de quodam Demetrio Pompeiano. De quorumdam Ethnicorum hac in re frugalitate, vide Valer. Maxim. lib. 1. cap. 8. vbi hac ex parte laudat Catonem illum Portium, & Scipionem Emilianum. Diogenes cui vnicus tantùm seruus in obsequio erat, auctore Seneca libr. de tranquil. animi, cùm is semel de domo fugeret, numquam eum ampliùs in domum reduxit, & si illi obuius monstraretur, *Turpe, inquiens, esse Manem seruum* (sic enim appellabatur) *sine Diogene posse viuere, Diogenem sine Mane non posse.*

VALER. MAX.

Ficulnea ad nihil aliud plantatur

10. Quin etiam si bene expendas, ficulnea inter arbores ferendorum fructuum typus est, ficulnea enim ad nihil aliud in vinea plantatur, nisi vt fructum ferat. Quædam arbores plantantur, vt deseruiant ædificiis, aut ad aliquod opus artificiale extruendum, vt lecticam, cathedram, cellam; aliæ ad flores odoriferos emittendos, aliæ ad ornatum, quoniam pulchræ visui sola ficulnea est, quę si fructum non refert, ad nihil valet, nisi vt succidatur, in ignem mittatur, nec enim ex ea extrahes lignum ad ædificium, nec ad opus artificiale, nec flores inuenies in ea. Et ideo Christus vnumquemque fidelem typo ficulneæ in vinea plantatæ depinxit, vt ostenderet, quid ab vnoquoque requirat, & ad quidnam in sua Ecclesia plantauerit.

nisi vt fructum ferat, sic Christianus in ecclesia plantatus ferat.

11. Secundò, ficus non nisi in vsus alienos viuere videtur, vnde D. Bernardo symbolum est hominis mansueti & dulcis, quique non nisi ad commoda & subleuamina viuit aliena. Vnde serm. 60. in Cantic. exponens illud Cantic. 2. *Ficus protulit grossos suos*, sic ait: *Dico autem per gratiam Dei, quæ in nobis est, & ficus nos habere, & vineas. Ficus quidem, qui suauiores in moribus sunt, vineas verò qui spiritu feruentiores. Omnis qui se inter nos communiter socialiterq; agit, & non solùm sine querela conuersatur inter fratres, sed & multa cum suauitate fruendum se omnibus præbet in omni officio charitatis, quid ni illum vicem agere ficus conuenientissimè dicam?*

Ficus est symbolum hominis mansueti & in vsus alienos viuentis qualem decet esse Christianũ.

BERN.

12. Vis videre ficum, hominem mansuetum & dulcem, & qui multa cum suauitate se fruendum omnibus præbet? Oculos coniice in B. Iobum, qui cap. 31. sic de seipso fatur: *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Et cap. 31. *Si negaui quod volebant pauperibus*, &c. Hinc Origenes libr. 1. in Iob: *Habuit tot pecora non propter os suum, sed vt multos esurientes saturaret, plurimos nudos vestiret, & multis miserabilibus atque infelicibus refrigeraret, ob hoc pecora eius, ouium septem millia, camelorum tria millia, iuga boum quingenta, & asinæ pastoriæ quingentæ.* Oculos etiam coniice in Tobiam, de quo legimus Tob. c. 1. *Quotidie pergebat per omnem cognationem suam, diuidebatq; singulis prout poterat ex facultatibus suis.*

Iob in vsus aliorum viuens.

Cum proprio incõmodo ad imitationẽ ficulneæ debemus prodesse proximo.

13. Imò vt perfectissimè ficus naturam imitemur, etiam cum proprio incommodo tenemur nos proximo fruendos præbere, & ea quæ nobis necessaria sunt in vsus pauperum expendere. Qua de re vide Busæum in Viridario, verbo, Eleëmosyna.

BVSÆVS.

Christianus instar ficulneæ debet tam viuens, quàm moriens prodesse pauperibus per eleëmosynarum largitionem.

14. Non desunt qui testamento condito post mortem de necessariis suis, vel superfluis largas relinquunt pauperibus eleëmosynas, & hoc putant sufficere; sed toto aberrant cælo. Nicetas enim in Scholiis ad orat. 2. Nazianz. vnum misericordem, cum ficulnea composuit, quæ videlicet,

NICETAS.

licet, non solùm tempestiuos fructus, nimirũ amplas eleëmosynas in obitu suo largitur, cùm facultates relinquere mors cogit; sed etiam tamquam grossos & præcoces fructus, largas viuus sanusque profert eleëmysonas. Addit verò, Christum Dominum ob eam causam aduersus ficum illam subiratum, Matth. 21. & mala ipsi precatum fuisse: *Et videns fici arborem vnam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantùm, & ait illi: nunquam in te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea.* Sed illud admirationem mouet, quod Marcus addit; *Non enim erat tempus ficorum.* Si enim nondum proferendorum ficorum tempestas instabat, cur tàm seuera sententia prolata est? Occurrit Nizetas: quia ficulnea prius profert grossos, deinde ficos: Iam ergo aderat tempus grossorum, etsi nondum ficorum tempestas erat. Ideo ergo Christus Dominus implacabiliter in ficulneam exarsit, quia grossos, præcoces videlicet ficus non germinauerat, vt ostenderet eos sibi admodum inuisos esse, qui beneficia sua, & largitiones in finem vitæ differunt, & præcoces eleëmosynas non anteuertunt.

Inuisi Deo qui beneficia sua in finem vitæ differunt.

15. Ad ficus dulcedinem commendandum, maximè pertinet quod scribit Isidorus lib. 7. Ethym. cap. 9. nimirum, si ferocissimus taurus ad eam ligatur, continuò ille mansuescat. Tam etiam mansuetum ac dulcem decet esse Christianum, vt si habeat vicinum, vel domesticum, instar tauri morosum, durum, ferocem, ac iracundum, vt vincat in bono malum, ex inimico amicum sibi reddat, beneficiis eum taliter demulcens, vt depositâ ferociâ, mansuescat. *Ficus*, ait Iulianus epist. 24. *non solùm sensu est dulcis, verùm etiam odore antecellit.* Non solùm dulcia sed & maximum odorem spirantia sunt huiusmodi beneficia. Exemplis variis veritatem hanc illustrat Velasquez tom. 2. in epist. ad Phil. ad cap. 2. v. 15. annot. 8. nu. 4. &c. vide etiam pulcherrimum exemplum in Catechismo Nouit. tom. 1. titul. de liberalitate docum. 4. vide eundem tit. de delectu magistri Dom. 5. fol. 14. & tit. Regulæ cont. inuidiam, regula 11.

Dulcedine sua taurum mansuefacit ficus, beneficiis inimico præstitis eum mansuefacit Christianus. Beneficia inimico exhibita, dulcia & odorata poma.

VELASQ.

CATECHIMVS. NOVIT.

Vt ficus à fructibus imperfectioribus, ad perfectiores procedit, ita Christianus ab operibus imperfectioribus, ad perfectiora debet procedere.

§. IV.

16. Tertiò, ficus pro floribus reddit fructus, id est, grossos, per quos Theodoretus in illud Cant. 2. *Ficus protulit grossos suos*, intelligit præcoces quosdam fidei fructus, id est, opera quædam imperfecta, & quasi inchoata, qualia quidem cernere est in his, qui viam virtutis, seu pietatis ingredi incipiunt. Cuiusmodi homines in dies magis ac magis fide seu pietate proficientes, ad extremum tandem edunt fructus suos firmos, perfectos & stabiles, instar probę ficus; quę quidem primo tempore deteriores fructus, id est, grossos profert immaturos & acerbos, qui celeriter decidunt, posterius verò optimos, maturos atque perfectos, & ad vescendum habiles. Per hosce grossos intelligit Orig. in lib. 4. hom. in Cant. hom. 4. initia ipsa siue primitias virtutum; cui suffragatur Nissen. orat. 5. in Cant. Psellus per grossos intelligit inferiores virtutes.

Ficus pro floribus reddit fructus, nimirum grossos: sic Christianus debet præcoces quosdã bonorum operum fructus proferre, qui postea maturandi.

ORIG.

PSELLVS.

17. Accommodatè etiam ad veritatem hanc elucidandum exponit Origenes morali sensu tract. 30. in Matth. illud Matthæi 20. *Ab arbore autem fici discite parabolam, cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas.* Existimans per æstatem, in qua fructus maturescunt, & domum inferuntur, animi virtutem & pietatem adumbrari. Sed quæ signa huius æstatis nobis Christus obiicit? *Cùm iam ramus eius tener fuerit*, id est, etiam si perfecta virtus, instar æstatis, fructus animi decoxerit, & virtutes perfectas ediderit, adhuc tamen animum tenerum serua, vt facilè ad suscipiendam virtutem illum effingas. Non omnino habitæ virtuti fidas, sed facilem te præbe ad vlteriorem virtutem excipiendam: hoc vel maximè signum est conquisitæ virtutis, vlteriùs ad pietatem inhiare. *Et vnusquisque nostrum* (ait Origenes) *post hyemes tentationum, & post tristitiam periculorum transactorum ad æstatem festinet, tenerum ramum proferens, non illum durum, sed* molle

ORIG.

Virtus perfecta in æstate adũbrata, & quæ signa huius æstatis.

Desiderare maiorem virtutem signum est maximæ virtutis.

molle cor ad credendum Deo, & profectum nostri proferant interim folia & flores operum, vt postmodum etiam perfectissimos fructus, cùm venerit quod perfectum est, in Christum exhibeamus. Multa est ergo spes in ficu, quæ ex Dei verbis, primum quidem facit tenerum ramum suum, postea verò nascentia folia, sicut scriptum est de Ezechia Rege in Isaia, qui salutus est per ficum, vt non moreretur: sed & sol super eum in gradibus demonstrauit maiorem & clariorem ei diem effectam, qui vt secundum Saluatorem intelligitur, proficiet ætate & sapientiâ coram Deo & hominibus. Qui proficiens quidem, proficiebat super omnes scientiâ & sapientiâ. Ad examen redeant verba illa Origenis: *Qui saluatus per ficum.* Historiam habes 4. Reg. 20. & apud Isaiam c. 38. morti proximus Ezechias protrahi vitam petiuit à Domino, qui misit Isaiam, & eum curauit, imposita vulneri massa ficorum. *Et iussit Isaias vt tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus & sanaretur.* Vt diximus per ficum significatur ille, qui possessâ virtute non contentus, subinde se perfecit. Hoc igitur Regem sanat, nam nisi quis hac curâ solicitetur, peccatorum vulneribus mederi nõ poterit.

In ficu signatur ille Christianus qui virtute possessâ non contentus ad vlteriorem aspirat.

18. Expende etiam verba illa eiusdem authoris; *Sed & sol*, &c. De quo habes apud Isaiam cap. 38. *Et factum est verbum Domini, ad Isaiam dicens: Vade & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus Dauid Patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: Ecce ego adducam super dies tuos quindecim annos: & de manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam. Hoc autẽ erit tibi signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus est. Ecce ego, euerti faciam vmbram linearum, & per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum decem lineis.* Liberandæ ciuitatis, fugandi hostis, & dandæ sanitatis signum datur. Retrogradus decursus solis, scilicet, nisi quis descendat, & se submittat & humiliet, victoriam de inimicis reportare non potest, nec animi adipisci sanitatem. Ergo quantumcumque per pietatem ascenderis, demissè te gere, aliàs perfectam virtutem tenere non potes. Tandem notanda verba apud Origenem: *Proficiens ætate & sapientiâ*, &c. Quæ habes apud Lucam c. 2. *Et Iesus proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.* Et qui mundi Saluatorem imitatur, quotidie in virtutibus progressum faciet.

Perfecta virtus non potest obtineri absque descensu & humilitate.

19. Quoniam verò in via Dei non progredi, retrogradi est, maximè curandum, vt à virtute, atque operibus imperfectioribus continuò tendamus ad perfectiora & excellentiora, magisque sublimia exercitia, quæ retro sunt obliuiscentes, & ad ea quæ ante sunt extendentes nosmetipsos. Hac ratione quasi decutientes imperfectiora quæque virtutum studia & exercitia, minùs sublimia ac spiritualia purgatiuæ vitæ, vt perfectiora illuminatæ & vnitiuæ succedant. Vis scire qualiter id contingat? *Ab arbore fici disce parabolam:* Columella lib. 5. c. 9. vbi de ficulnearum cultura accuratè disceptat, inter alia sic scribit: *Si voles ficum, quamuis non naturâ seram facere, & vberiores demum ex illa fructus carpere, tum grossulos, prioremve fructum decutito. Iterum alterum edet, quem in hyemem vsque differet.* Scholiastes addit: *Iterum alterum vberiorem reddet*, &c. Ita etiam nobis agendum, grossuli, atque minùs perfecta opera relinquenda, & quasi decutienda, vt perfectiora dignique pœnitentiæ fructus, iijque vberrimi succedant, solidæ, nimirum mortificationes, veræ abnegationes, perfectæ resignationes, verissimus sui contemptus atque neglectus, firma Dei atque continua adhæsio, atque spiritus nostri humani cum diuino vnio, vel potiùs transformatio. Vide Bern. ser. 60. sup. Cant. Fateor neminem hoc assequi absque labore, eoque grauissimo; fateor hæc omnia deprauatæ naturæ esse insipida & amara. Sed an ideo omittenda & negligenda? Minimè, sic enim itur ad astra, sic peruenitur ad solidam requiem, ad veram mentis tranquillitatem, atque internam pacem, ac conscientiæ serenitatem, & ad cælestis beatitudinis quandam in hac vita prælibationem. *Ab arbore fici discite parabolam.* Omnia in illa sunt amara, dura, deformia, præsertim ipsa radix, sed fructus, qui ex illa producitur suauissimus.

Ad imitationem ficulneæ debemus decutere opera imperfecta, & perfectiora producere. COLVM.

BERNAR.

Quòd Christianus ad similitudinem ficus debeat proferre fructus præcoces, & temporaneos, & qualiter bonæ ficus bonorum operum sint symbola.

§. V.

20. FICVS profert fructus præcoces & temporaneos: ita & bonus Christianus tam in iuuentute quàm in senectute debet proferre bonorum operum fructus dulcissimos. Felix, qui in iuuentute profert præcoces bonorum operum fructus; felix, qui temporaneos bonorum operum fructus profert in senectute; hac ratione summopere Deum delectat & homines. Nam vt ait S. Ephrem adhort. 2. *Qui religiosam, & cum virtute coniunctam sectantur vitam, non solùm florida eorum ætate*

Ficulnea profert fructus præcoces & temporaneos, Christianus debet proferre bonorũ operum fructus in iuuẽtute & senectute. EPHREM.

te commendabuntur, quâ temperantiam sibi elegerunt: sed etiam in senectute summæ admirationi erunt. Præclara enim sementis, non solùm dum in campis virescit, spectatores delectat, sed & quãdo agri ad messem albescunt, spicasque incuruatas, ac in terram vergentes habent; valde enim oblectat intuentes.

Præcocis virtutis parua spes in iuuenibus. COLVM.

21. Agitur cum hominibus non secus atque ficubus, docet Columella de re rustica lib. 5. cap. 9. *Præcocis fructus maximè fallacem spem esse in ficulneis, non enim illos satis vberes proferunt, nisi fælices sint anni, & diligens illis cultura adhibeatur.* Similiter dico præcocis fructus maximè fallacem spem esse in iuuenibus, non enim illos satis vberes proferunt, nisi fælices sint anni, & diligens ipsis cultura adhibeatur. Mirum certè in modum hunc præcocem desiderat fructum Deus in iuuenibus, vult Deus nos iugum suum portare ab adolescentia, nec differre bonam vitam in ætatem virilem, multò minus in decrepitam senectutem: præcoquas desiderat ficus, opera pietatis desiderat à iunioribus, quæ licet necdum planè matura sint atque perfecta, spem tamen ingerũt magnæ perfectionis, & pietatis in futurum adipiscendæ.

Magnoperè Deus desiderat à iuuenibus præcoces bonorum operũ fructus.

22. Sed quis est hic & laudabimus eum, qui in iuuentute protulit Deo præcoquas ficus? Quis est qui iugum Domini ab adolescentia portat? Vitulum portare iugum & arare, ferè miraculum esset, lasciuiens & otiosus, sicut etiam pulli equorum, cibo, & vagis discursibus vacare solet: sic miraculum ferè est, & opus Dei rarum, si vitulum, nempe adolescentem faciat portare iugum legis diuinæ atque modestiæ, de quo dictum Thren. 3. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* D. Ambrosius ad hunc locum, cùm dixisset multos in senecta conuersos esse, addit: *Rarus autem qui in iuuentute graue iugum seria sobrietate portauerit.* Pullum, qui vult liber esse, ab omni iugo & onere, voluit Christus ascendere; verè in hoc facto ostensum videtur, opus Christi proprium esse, vt iuuenis iugum ferat, ferat Christum. Triumphus Christi fuit & gloria, cùm super pullum equitauit intrans in ciuitatem: vt simul ostendatur triumphum Christi esse & victoriam insignem, ætatem iuuenilem domare, vt iugum ferat. De pullo quoque dicitur: *Quem adhuc nemo sedit hominum*, quem non valet subiugare homo, nempe iuuenem, sedit Deus, domat Deus, opus hoc est proprium virtutis Dei, non valet homo alius, non valet ipse homo suam domare iuuentutem, at valet Deus. Iob ipse, vt placet Olympiodoro, Philippo, & alijs apud Lorinum in Psalm. 24. peccauit in adolescentia, & de his dicit: *Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*, licet in ætate perfecta nil mortale

Rarus qui in iuuentute profert bonorum operũ fructus. AMBROS.

Opus Christo propriũ vt iuuenis iugum legis ferat.

Cur Christus voluit sedere super pullum adhuc liberũ.

Iob peccauit in adolescentia. OLIMPI. LORINVS.

commiserit. *Vita iuuentutis mors est, aut vita salutis, illeque beatus qui hanc transit immaculatus.* Miraculum ferè est habere iuueniles annos, & non iuueniles animos: sanè paucorum est numerus, qui desideratas Deo exhibent præcoquas ficus, omnes erramus, ab vtero retrorsum alienamur. Quid consilij? *Ab arbore fici discite parabolam.* Obseruandum est enim quòd ficus siue ficulnea vna est ex arboribus serotinis, id est, quæ serò fructus suos proferunt, vt videre est apud Theophrastum in lib. de causis plantarum lib. 5. cap. 1. & Plinius lib. 13. nat. histor. cap. 7. Et idem lib. 16. cap. 25. Neque enim statim initio veris germinare solet, præsertim meliores fructus, sed deteriores istos, quos grossos seu grossulos appellamus. Præcedente autem seu adulto, & confirmato vere iam sub æstate, tunc demum meliores fructus, id est, maturiores, dulciores, perfectiores, & habiles ad vescendum producere solet, vt patet etiam ex Euangelio: *Cùm iam ramus eius tener fuerit & folia nata, scitis quoniam prope est æstas.*

Ficulnea serò profert meliores ficus, ita peccator si non in iuuẽtute, saltem in senectute vacet bonis & præsertim misericordiæ operibus.

23. Similiter consultum erit peccatoribus si in primo adolescentiæ vere nullos protulerint fructus, saltem proferant in æstate, id est, virili seu senili ætate temporaneos & dulcissimos ficus, præsertim operam dent misericordię operibus & eleemosynis largiendis, vt præcedentium annorum iacturam & sterilitatem compensent, & si præcoquas Deo non dederunt ficus, dent iam temporaneas, & charitate excoctas, palato diuino tam suaues & sapidas, vt non solùm temporalium bonorum, sed & externorum à Deo consequantur immensam copiam.

24. Qualiter autem diabolus iuueni suggerat, ne præcocia virtutum opera offerat Christo in iuuentute, & qualiter illi respondendum, pulchrè docet Sanctus Ephrem paranesi 44. Qualiter verò diabolus, postquam in iuuentute præcoces fructus bonorum operum dedimus Christo conatur vt in senectute non offeramus temporaneos, pulchrè docet idem Ephrem paran. 15.

Totus est diabolus ne vel in senectute simus virtuosi.

25. Sicut autem ficus, symbolum est hominis, operam omnem nauantis, etiam cum proprio damno, vt proximo subueniat, & bonis operibus abundet; ita & fructus fici symbola sunt bonorum operum, & eorundem pulcherrimum speculum, idque ob multas conuenientias quas inter illa inuenies.

Fructus fici symbola bonorum operum.

Primò, ficus sunt maximè nutritiuæ, vnde Athletæ ficis alebantur, vt notat Plinius lib. 23. c. 7. & S. Isidorus, Origenes lib. 17. c. 7. mensis quoque passim apponebantur, iuxta illud Martialis:

Ficus nutritiuæ, ita & bona opera. PLINIVS.

Et mox ornabant mensam cum duplici (id est magna) *ficu.*

Ficus siccatas panis simul & obsonij vicẽ implere scribit

scribit Plinius lib. 15. cap. 19. similiter bona opera nutrimenta sunt animarum nostrarum.

Ficus in pretio, similiter & bona opera. SVIDAS.

26. Secundò, ficus olim in pretio fuisse apud Athenienses scribit Suidas, sic enim ait: *Olim ficus in pretio fuerunt apud Athenienses, quas si quis furari diceretur, puniebatur. Vnde Sycophanta ab accusando propter ficus.* Similiter apud veros atque sapientes Christianos summo sunt in pretio bona opera, quæ quicumque impedierit, vel ab ijsdem aliquem auerterit, non leui punitione dignum existimant.

Ficus Deo sacrificari solitæ, ita & bona opera. IVLIAN.

27. Tertiò, ficum dijs sacrum & aris adhibitum, refert Iulianus ep. 24. in hæc verba; *Enimuerò ficum Dijs consecrari, omnibusque aris adhiberi, & quouis thure ad odores aptiorem esse, non mea est oratio; sed quisquis vsum eius didicit, à sapiente aliquo homine, sacrorumq; Antistite manasse intelligit.* Similiter bona opera Deo consecranda, & si misericordiam in proximum spirent, quouis sacrificio thuris ad odores sunt aptiora, cùm Deus misericordiam velit, & non sacrificium.

Ficus suaues & auibus charæ, ita opera bona suauia Deo & cælestibus spiritibus. BONAV.

Quartò, ficus suaues sunt, & caræ auibus: ita bona opera palato animæ, imò ipsi Deo maximè suauia, & cara auibus, id est, cælestibus spiritibus. *Sunt*, ait D. Bonauentura in Lucæ c. 13. *virtutum opera suauia, virtutem inchoanti: suauiora, virtute proficienti: suauissima, iam virtute consummato. Propter quod dicitur: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear. Habere autem dicitur ficus fructus suauissimos, ad designandum triplex genus fructuum. Quidam enim fructus sunt suaues, vt fructus pœnitentiæ: quidam suauiores vt fructus iustitiæ: sed quidam suauissimi vt fructus sapientiæ. Hæc tria genera fructuum quærit Dominus in tribus annis, qui in triplici statu. Nam fructus pœnitentiæ quæritur ab incipientibus, fructus iustitiæ à proficientibus, fructus autem sapientiæ à perfectis.* Sic ille. In sequentibus fusiùs agens de triplici hoc genere fructuum.

E ficis vinũ, ex bonis operibus gaudium. PLINIVS.

29. Quintò, vinum fictitium è ficis esse, asserit Plinius lib. 14. c. 6. ita & ex bonis operibus vinum interioris lætitiæ, cælestisque gloriæ procedit.

Differunt colore ficus, sic magna in operibus bonis diuersitas. MATTHI.

30. Sextò, differunt colore ficus, ait Mattheolus lib. 1. Dioscordis c. 145. quippe quòd aliæ albæ, aliæ nigræ, aliæ purpureæ, aliæ virides, aliæ subrufæ, aliæ pallidæ, & aliæ variegatæ colore spectentur. Sic illæ. Similiter magna in operibus bonis diuersitas.

Ficus durabiles, opera bona maximæ durationis. IVLIAN.

31. Septimò, ficus maximè durabiles, vnde de illis sic ex Theophrasto Iulianus epist. 24. *Cùm cæterarum arborum poma exigui temporis sint, neque ætatem ferant; sola ficus vltra annum viuit & sequentes fructus ortum comitatur. Itaque Homerus in horto Aliconi ait; fructus alios super alijs senescere. Quod in cæteris fortasse poëtica fabula videri potest: in fico certè cum veritate consentiens oratio est, quia hic fructus omnium maximè ad diuturnitatem seruatur.* Sic ille. Similiter bona opera maximæ sunt durationis, opera enim eorum sequuntur illos. Ficus quidam sic olim seruabantur, teste Iuliano epist. 24. *Non enim sicut cæteræ ficus in vnum locum conijciuntur, neque aceruatim, confusève in sole siccantur: sed ex arbore primum sensim decerpuntur; deinde ex arbustis, ramisque aculeatis in muro suspenduntur; partim vt assiduo puri solis vsu albescant; partim, vt ab insidijs animantium, & auicularum tutæ permaneant, aculeorum præsidio tamquam satellitio comitatæ circumseptæ.* Sic illa opera bona, maximæ sunt durationis, quæ exponuntur soli Iustitiæ Christo, & ad illius solam diriguntur gloriam.

Ficus soli expositæ melius seruantur: ita opera bona, eò meliora quò melius soli Iustitiæ sunt expositæ. IVLIAN.

GALEN. Ficus passa calida, sic opera bona debent informari à charitate.

32. Octauò, ficus arida, seu passa, id est, carica, ait Galenus lib. 3 simplic. calida in fine primi gradus, vel initio secundi: ita & opera bona, necesse est informari à charitate, saltem imperfecta, vt sint meritoria.

Ficus præcoces fiunt si oleo illiniãtur; præcocia fiunt opera bona, si oleo gratiæ fuerint peruncta.

33. Nonò, Democritus præcoces ficus fieri pollicetur, si oleo, & columbaceo fimo arbor illiniatur, sic Mattheolus lib. 1. Dioscorid. c. 145. Similiter si anima diuinæ gratiæ oleo sit peruncta, & columbaceo Sancti Spiritus fimo illita, non potest non præcocia proferre virtutum opera.

MATTHI. In senectute saltem faciẽda opera bona.

34. Decimò, massæ ficuum aridarum, id est palathæ, in autumno fiunt; ita & homo cùm iam est in senectute, tanquam quodam vitæ suæ autumno congregare sibi debet bonorum operum massam atque aceruum.

Ficus visa in somnis boni ominis, sic &c.

35. Vndecimò, ficus in somnis visæ, præsertim albæ, bonum præsagiunt, quid vita, nisi somnium? somnio hoc durante videre ficus albas, intentumque esse bonis operibus, nihil sanè optabilius.

E grossis nascuntur culices, ità interdum ex bonis operibus vana gloria.

36. Duodecimò, Plinius lib. 18. cap. 17. tradit in ficu è grossis culices nasci, quoniam cùm euolauere non inueniuntur intus grana, quæ in eos versa apparent, similiter facilè contingit, ex bonis operibus culices quosdam vanæ gloriæ & complacentiæ nasci, à quibus planè corroduntur, ita vt nullius nobis sint apud Deum pretij. Quapropter: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis*

Quòd sicut ficus plena est folijs scuti imaginem referentibus: ita & Christianum deceat, si saluari velit, obsitum esse scutis variarum virtutũ spiritualibus.

SECTIO XVIII.

De scuto auxilij diuini, abnegationis, amoris diuini, ac beneuolentiæ diuinæ.

§. I.

Ficus plena scutis, similiter Christianus varijs scutis debet obumbrari:

1. QVINTÒ omnia folia ficus sunt instar scuti, vel peltæ lunatæ, quæ totum corpus à capite vsque ad pedes munit: *Ægyptiacæ ficus foliorum altitudo*, ait Solin. cap. 53 & Plin. l. 7. c. 2. & l. 12. c. 5. *formæ Amazonicæ peltæ comparatur.* Sic iustus sciens vitam hominis esse militiam super terram, non quærit sericas, bombicinasque vestes, sed ferrea virtutum omnium arma atque scuta, vt sit instar turris Dauidicæ, ex qua mille pendeant clypei, & omnis armatura fortium. Ex mille hisce clypeis & scutis libet aliqua in medium proferre secundum ordinem alphabeticum congesta atque disposita.

Primò, scuto diuini auxilij.

2. Primum est, Auxilij diuini scutum, de quo Deut. 33. *Qui saluaris in Domino, scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ.* Hoc est, qui est clypeus, vnde prouenit tibi præsidium, & gladius, quo tibi gloria & nominis amplitudo comparatur.

Secundò, scuto abnegationis. PAZIVS.

3. Secundum est abnegationis scutum, quo resistimus omnibus vitijs, tam carnalibus quàm spiritualibus. Vnde Pazius to. 2. de exter. malo lib. 2. par. 1. cap. 8. postquam attulisset illud Psalm. 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, subiungit: *Vitia carnalia, quæ pauciora sunt, numero millenario: vitia verò spiritualia, quæ plura sunt, numero decem millenario signantur. Sed tam hæc, quàm illa victa cadunt, cùm Domini scuto circumdati, abnegatione pugnamus. Si verò vel in minimo eis assenserimus, ipsa nos vincent, & igne concupiscentiarum adurent.* Sic ille.

Tertiò, scuto amoris diuini. IDIOTA. Qualiter hoc scutum muniat hominem.

4. Tertium est diuini amoris scutum, quod, qualiter hominem muniat, pulchrè insinuat Idiota lib. 1. contempl. *Homo scuto & armaturâ munitus amoris, in tentationis prælio stat inconcussus, inuincibilis, atque firmissimus, non timens etiam si cum eo tota acies dæmoniaca decertaret. Dilectio hominem ex omni parte protegit & defendit, quod nulla facit alia virtus, sed ex vna parte tantùm. Nam abstinentia, à gula tantùm defendit, pudicitia, à luxuria, & ita de cæteris. Imò alia virtus sine dilectione, ex vna parte defendit, & ex altera succumbit, dum scilicet de eius actu & opere oritur iactantia, & nascitur vana gloria, vt patet in eleemosyna & ieiunio, quæ nihil valent, nisi tua dilectione directa sint & protecta. Et ideò diabolus hanc armaturam dilectionis inuadere summopere studet. Nam si castitas in nobis fuerit sine dilectione, non timet, quia ipse in carne non non premitur, vt in luxuriam dissoluatur: abstinentiam non timet, quia cibo non vtitur, qui necessitate corporis non vrgetur: distributionem rerum terrenarum non timet, si dilectio desit, quia diuitiarum subsidijs non eget. Sed valdè timet in nobis dilectionem veram quâ te diligimus, & proximum. Dilectio omni peccato contrariatur, & omni tentationi resistit: imò nec morti, nec tormẽto succũbit. Vinci nequit, imò de morte obtinet victoriam & triumphum.*

BERNAR. Hoc scuto amoris repellimus ignea ambitionis tela.

5. Hoc amoris ac dilectionis clypeo vult D. Bernardus reijci ignea ambitionis iacula, sic enim scribit serm. 1. in Octa. Paschæ: *En vobis aduersus triplex genus tentationis triplici opus est munimento, vt carnis quidem concupiscentia ipsius mortificatione vincatur, oculorum verò concupiscentiam superet studium compunctionis, & assiduitas lachrymarum. Porrò ambitionis vanitatem, virtus charitatis excludat, quæ sola castificat animum, sola purgat intentionem.*

Hoc clypeo munitus S. Stephanus aduersarios superauit. FVLGEN.

6. Quàm præclaram victoriam hoc clypeo amoris & charitatis munitus, retulerit ab aduersarijs S. Stephanus, sic egregiè exprimit D. Fulgentius serm. de S. Stephano: *Stephanus*, ait, *vt nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipsam vbique vincebat. Per charitatem Dei, sæuientibus Iudæis non cessit: per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sæuientem: & quem habuit in terra persequutorem, in cælo meruit habere consortem.*

Iustis nihil sic in votis, quàm hoc clypeo muniri. VRBANVS IV.

7. Vnde nihil iustis sic in votis, quàm vt hoc clypeo amoris à Christo donentur. Vnde Regius Vates, charitatem arbitratus inexpugnabilem esse murum, sic orat Psalm. 50. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem.* In quæ verba sic Vrbanus IV. Pont. Max. in metaphrasi huius Psalmi: *Charitatem, tamquam inexpugnabilia propugnacula, quæ nunquam excidunt, construis & largiris. Et hic est*

inexpu-

inexpugnabilis ille murus, quem per te ædificari desiderant desideria cordis mei, & clamant: Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos semper. Et hoc est Domine Deus pernecessarium mihi, vt in me adifices dictos muros.

Forma scuti antiquitus varia, & cuius scuti similitudinem gerat hominis erga Deum amor.

Forma scuti antiquitus varia erat, nam vt Pollux Onumast. lib. 1. cap. 10. recenset, scutum inuenies longum, quadratum, rotundum; circulare, cauum, prælongum. Pelta Amazonica autem, vt Xenophon inquit, hederæ folio similis est. Postea etiam multiplicis materiæ meminit, ex quibus confici soleant. Vocat igitur scutum vimineum, scutum ligneum, scutum coriacium, scutum ex cruda pelle bubula factum, scutum æneum. Apud Homerum etiam aureum, argenteum, & stanneum. Arabes struthionum pellibus, vt idem ait, pro scutis vsi sunt; Æthiopes Asiatici gruũ spolijs, si Herodoto credimus. Vis scire cuius scuti formam referat hominis erga Deum amor? Nimirum scuti prælongi, de quo Liuius lib. 31. *Forma erat scuti, summum latus, quà pectus atque humeri teguntur, fastigio æquali; ad imum cuneatior, mobilitatu causa:* De similibus scutis Virgilius:

XENOPH. HOMER. HERODO. LIVIVS.

Scutu protecti corpora longis.

Similiter hominis erga Deum amor, clypeus oblongus est, hominem ex omni parte protegens, vt suprà num. 4. ostensum. Vis scire cuius materiæ sit hic clypeus charitatis? Sanè aureus est clypeus. De clypeis æreis narrat Xenophon lib. 5. Cyri Min. expedit. Hostes ijs nonnunquam ita territos fuisse, vt cum hoste congredi non auderent. Si hæc clypei ęrei, quid de aureis iudicandum? Horum fulgorem egregiè scriptura depingit lib. 1. Machab. cap. 6. *Et vt refulsit Sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.* Similiter nihil ita territat hostes spirituales, ita vt cum homine Christiano congredi non audeant, atque hic aureus charitatis clypeus; huius enim fulgore perculsi, impetum cohibent.

Ignominiosum militi scutum amittere: ignominiosum Christiano charitatem perdere.

Caue, ô Christiane, ne vnquam amittas hunc aureum diuini amoris clypeum omnem telorum ictum à se facillimè excutientem. Notum est, quàm militi ignominiosum fuerit, aut in fuga, & metu proiecisse clypeum, aut illum quoquo modo in pugna perdidisse. Maluit Lacena quædam filium exanimem, quàm sine clypeo, quẽ domo extulerat, ex acie redire. Quare cùm filio clypeum traderet ad bellum profecturo, his illum verbis ad virtutem, & patriam gloriam adhortata est: *vel hunc redde clypeum, quem tibi trado, vel in eo reuertere.* Quasi dicat, excipiam te libentiùs animâ, quàm clypeo priuatum. Mos enim erat, vt milites occisi pro ferali pheretro, in suis portarentur scutis; sicut de Pallante, ex veteri consuetudine, dixit Virgilius lib. 10. Æneidos:

—— At socij multo gemitu, lachrymisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Celebrat fama illud Epaminondæ, qui elatus ex acie semianimis, non tam dolebat, quòd mors iam immineret quàm quòd in acie moribundus clypeum amisisset. Quare recepto clypeo, lætum se dicebat exire de vita. Non enim priusquam mortuis scutum deserere permittebant. Lycurgi legibus idem cauebatur. Imò & Germanicis, si Tacito credimus: ab vtrisque infames habiti, qui scutum amisissent, Spartanis, Rhipaspides, dicti. Quærenti causam cur non par mulcta, & ignominia ijs inferretur, quibus, aut galea excidisset, respondit Lacon: *Quoniam hæc sua gratia ferrent, scutum totam phalangem protegeret.* Itaque etiam sinistra olim annulo decorata est, quòd hæc clypeum ferret. Si tantæ ignominiæ iacturam facere clypei militaris, quantæ erit infamiæ militi Christiano, si auferri sibi patiatur aureum diuini amoris clypeum? præstat sanè vitam amittere, quàm hunc deserere. Nihil gloriosius, quàm si quis cum hoc clypeo occumbat, & in illo ad cælestis patriæ gaudia deportetur. Non solùm connitendum vt hunc clypeum nobis non sinamus auferri, verùm insuper inuigilandum, ne illius minuatur splendor, id est, ne minuatur feruor nostri erga Deum amoris: ęgrè enim fert Dominus, si militis Christiani socordia accidat], vt splendor & feruor charitatis minuatur. Vnde sic scribit cuidam Episcopo: *habeo aduersus te pauca, quia charitatem tuam primam reliquisti.* Sicut enim clypei splẽdore suo, præsertim cùm in æris, vel auri ęquore, repercussi Solis radij, velut incendi videntur, maximè hostem territant: ita etiam charitas, splendore & feruore suo, hostibus spiritualibus timorem incutit, ne ad Christianum illâ obarmatum facilè accedant.

TACITVS.

Huius clypei splẽdor non debet obscurari.

8. Quia hoc diuini amoris clypeo homo superat facilè omnes aduersarios, hinc est quòd diabolus nihil tantopere studeat, quàm vt nobis pro clypeo amoris aureo, obtrudat clypeũ discordiæ odijque æreum vel ferreum. Refert Homer. Iliad. 6. Glaucum aurea sua arma Diomedi dedisse pro æreis. Caue ne Glaucum stolidissimum hominem imiteris. Glauco stolidissimo homini similes sunt, qui pretiosissimum aureumque charitatis scutum permutant cum dæmone, pro dissensionis & odij æreo, sordido, & maximè infausto clypeo.

Conatur diabolus pro aureo amoris clypeo nobis obtrudere ferreũ clypeum discordiæ.

HOMER.

9. Quartum est, beneuolentia Dei, de quo Psalm. 5. *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.* Ac si dicat: Tu Domine beneuolentiâ tuâ tamquam scuto firmissimo virum iustum ac pium protexisti, & ab omnibus insidijs, telisque inimicorum incolumem conseruasti.

Beneuolentia Dei est nobis instar scuti.

10. Non solùm hæc Dei beneuolentia instar scuti nos ab omni parte protegit, sed

Beneuolentia Dei est scutum nos protegens & coronās.

sed etiam victoriam parit, non solùm est scutū pugnantibus, sed & corona victoribus: *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. Scuto, inquies, protegimur, non coronamur, scutum è sinistra tegit corpus, non in capite hominem decorat, quomodo ergo Dei bona voluntate coronamur tamquam scuto? Eleganter D. Thomas in huius loci commentario. *Quod autem ait; vt scuto, innuit, quod ipsa voluntas Dei bona est, sicut scutum contra omnia mala. 2. Reg. 23. Dominus scutum & robur meum: vel est hic vt scutū protegens, in patria verò vt scutum coronans: consuetudo fuit apud Romanos antiquitus vti scutis rotundis, & in illis habebāt spem victoriæ & quādo triūphabant, illo met scuto vtebantur vt corona, & inde sancti pinguntur cum scuto rotūdo in capite, quia de hostibus adepti triumphum, scutum rotundum ad instar Romanorum gerunt in capite pro corona. Dicit ergo, scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, quasi dicat: Pro scuto coronationis nostræ habemus bonam voluntatem tuam, quæ nos defendit, & ibi coronat,* Hæc D. Tho. Sororia sunt quæ scribit in eundem locum incognitus: postquam enim dixisset: *Bona voluntas Dei nobis est vt scutum in præsenti, quā omnis diabolica tentatio repellitur, & in futuro scutum coronæ per beatificationem,* subiungit: *Vnde apud Romanos antiquitus erat consuetudo, quòd cùm reuertebantur de bello victores in signum victoriæ, & coronæ, scutum rotundum super caput portabant. Et ad huius imitationem inoleuit consuetudo in Ecclesia, quòd sancti in signum victoriæ cum scuto rotundo in capite pinguntur, & hanc coronam gloriæ, à bona voluntate Dei subsequente habemus, non meritis nostris, quia non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundū suam misericordiā saluos nos fecit, propter quod dicitur: Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Hæc ille.

D. Thom.

Quòd Christus debeat esse Christiano pro clypeo.

§. II.

Christus clypeus.

10. QVINTVM est, ipse Christus, vnde sic eum alloquitur Dauid Psalm. 139. *Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli,* Dies enim belli tota hæc vita est, quæ est instar militiæ super terram: sed Dominus in hac die virtus suorum est, quia eos à tentationibus insurgentibus protegit: & est scutum, quia ne tentationes accedant, eis se opponit, suosque defendit.

Si amicus pro scuto, quid Christus?

11. De amico fideli affirmat Sapiens Eccli. c. 6. *Amicus fidelis protectio fortis*. Quasi dicat: Amicus fidelis est tegmen, tegumentum, tutela, præsidium robustum, validum, firmum, potens, violentum, quòd omnia vincat & superet. S. Gregorius Nazianzen. orat. 6. ad Gregorium Nyssen. *Amicus,* inquit, *fidelis protectio fortis, munitum palatium.* Sic & Isidorus Pelus. amicitiam vocat, *panopliam fortissimam*. Si tale præsidium & tegumentum fidelis amicus, quid de Christo sentiendum, an nobis quis magis amicus? *Quis amicitior nobis*, ait Ambrosius lib. 7. in Luc. c. 11. *quàm qui pro nobis corpus suum tradidit*? Non dubium ergo, quin animæ sit protectio fortis, & scutum validissimum.

Gregor. Nazian.

Ambros.

Christus pro mille scutis.

12. Non pro vnico scuto Ecclesiæ vel piæ animæ Christus, sed pro mille scutis. Vnde laudans tam Ecclesiam, quàm piam animam sponsus Cant. 2. ait: *Sicut turris Dauid collum tuum, mille clypei pendent ex ea.* Soto Maior in huius loci commentario dicit super his verbis reperiri talem glossam seu traditionem Hebræorum antiquissimam, in Midras Sir Hassirim: *Dixit Deus sanctus, & benedictus: Mille generationes succedere feci & replicaui, & adducam illum clypeum, qui factus est desiderium filiorum nostrorum. Ait Abraham coram Domino: Dominator mundi, mihi tu factus es clypeus. Dixit ei sanctus & benedictus: Tibi fui clypeus vnus sicut scriptum est Genes. cap. 15. Ego clypeus tuus, seu protector: filij autem tui ego fiam multi clypei. Et hoc est quod scriptum est Canticorum cap. 4. Mille clypei suspensi sunt supra eam.* Hactenus habet Glossa, seu traditio illa Hebræorum antiqua. *Quibus quidem verbis,* ait Soto, *comprobatur Deus sponsæ suæ, id est, Ecclesiæ, vel animæ perfectæ, qualis præsertim fuit olim anima Abrahæ Patriarchæ, & similium, semper protector esse ad salutem instar clypei cuiusdam, posteris autem eius, seu filijs, id est, semini eius benedicto, quod est Christus in quo benedicendæ erant, vel potiùs benedictæ iam sunt omnes gentes, atque fidelibus Christi instar mille clypeorum, id est infinitorum clypeorum fore, vel potius iam nunc esse.*

Soto Maior.

Christus clypeus vbique protegens.

13. Clypeus est Christus, non solùm vno protegens loco, non solùm vni occurrens necessitati, sed vbique protegens, & omnibus necessitatibus occurrens. Notum est ex Alciati emblemate facinus militis, qui postquam clypeo innumeros excepit ictus, eumdem clypeum cymbam fecit, quā fluuium, qui vado transmitti non poterat, traiecit. Ridens igitur & iocabundus, in vlteriori ripa osculatus clypeum, eique gratias agens, *Hic*, inquit, *verè amicus, & solus mihi fuit,*

Alciat.

Cùm premererque solo, cùm premererq́; salo.

Iure optimo, Abrahæ Deus scutum vocatur; quem vbique gentium à malis omnibus protexit. Fuit & scutum discipulis, conuiuio in solitudine contra famis ictus, refectis. Fuit eisdem scutum in mari, ne fluctibus mergerentur. Hoc scuto protectus Dauid Psal. 62. ait: *Nonne Deo subiecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum.*

Christus nobis non solùm pro clypeo, sed pro tota Dei armatura.

15. Neque solùm pro mille scutis, sed pro tota Dei armatura Christus est, iuxta illud D. Pauli ad Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

ATHAN. *diaboli.* Quæ verba explicans D. Athanasius quæst.13.legit. *Totam armaturam Dei*, quasi vnus is possit aduersus diabolum stare, cui nihil desit de Dei armis, qui totam armaturam Dei sibi nouerit aptare. Sed vbi totam Dei armaturam inuenies. Audi Hieronymum: HIERON. *Induite vos omnia arma Dei. Quæ autem alia arma Dei possumus existimare, quibus induendus est, qui habet aduersus diaboli dimicare versutias, excepta virtute, quæ Christus est:* Ecce vnus Christus nobis pro omni armatura est.

Protegimur Christo tamquam clypeo.

16. Quid sub tali scuto collocatus homo non sperabit? *Scapulis suis obumbrabit tibi*, ait Dauid Psalm.90. *Et sub pennis eius sperabis. Sub his scapulis absconditur*, ait D. Bernardus BERNAR. scribens in citata Psalmi verba: *Sub his in incursu accipitrum & miluorum protegimur. Sub his vmbraculum salubre nos refrigerat; sub his alimur, & fouemur*, &c. *Si gallina*, ait D. Augustinus AVGVST. hoc Psalmo, *protegit pullos sub alis, quantò magis tu sub alis Dei tutus eris, & aduersus diabolum, & angelos eius: quæ aëreæ potestates tamquam accipitres circumuolitant, vt infirmum pullum auferant*, &c. Addit Vates auxilium hoc exaggerans. *Scuto circumdabit te veritas eius*, id est fidelitas. In quæ verba scribens D. Bernardus ait: *Quia circumdatus es tentationibus, scuto circumdabit te veritas eius. Vt quemadmodum vndique bella, ita vndique sint præsidia*, &c.

Hoc clypeo obũbratus, nõ est quod timeat.

17. Quid tali clypeo obumbratus timebit homo? Pulchrè D. Athanasius ATHAN. lib. 3. contra Arianos: *Vbi porrò Christus, quod genus ibi metus aut periculi fuerit.* Accinit D. Cæsarius CAESAR. Arelat. hom. 19. *Si Deo coniuncti sumus, quomodo potest fieri, vt diabolum timeamus. Talem imperatorem tecum habes, & diabolum times? Sub tali Rege militas, & de victoria dubitas? Aduersatur quidem quotidie diabolus, sed præsto est Christus, ille vult premere, iste leuare, ille vult occidere, iste viuificare, sed securi estote, plus valet ad erigendum Christus, quàm ad deprimendum diabolus.*

Christus clypeus in quo refulget sol diuinitatis.

18. Neque mirum tam eximiam vmbram & protectionem nobis ab hoc prouenire clypeo. Nam de illo dicere possunt: *Refulget sol* (diuinitatis) in hoc aureo clypeo Christo, *& resplenduerunt montes* (videlicet animæ iustæ & aureæ) *ab eo*, ita vt & ipsæ omnibus dæmonibus terribiles existant, & inimicis omnibus formidabiles.

Fælix illa anima quæ clypeum hunc seruauerit; nam quamdiu seruabitur florebit regnum animæ, nec vllis succumbet oppugnationibus.

Quòd sacra Crux, siue Christus crucifixus debeat esse Christiano pro scuto.

§. II.

Christus crucifixus, siue crux hominibus pro clypeo.

19. SEXTVM, est ipsa Christi Crux, siue Christus crucifixus, in clypeo illo de quo Ios.8. expressus, quem is ex præcepto Domini leuauit in sublime in prælio, quod cum habitatoribus vrbis Hai cõmittebatur, vt ad eius conspectum exercitus præliaretur confidentiùs. Est autem sententia Hebræorum, quam sequitur Liranus LIRAN. in Commentarijs eius capitis, fuisse positum clypeum illum in hasta aliqua oblõga, quo posset ab omnibus cerni, quod sanè manifestè expressit Christum in cruce exaltatum, tamquam clypeum fuisse omnibus ad intuendum propositum; vt ad eius conspectum Christiani milites animos sumant ad strenuè, & viriliter dimicandum.

Christus crucifixus signum leuandum in nationibus.

20. Quò videtur allusisse Isaias c.5. cùm dixit: *Leuabit signum in nationibus, & sibilabit ad eum de finibus terræ. Ecce festinus velociter veniet, non est deficiens, nec laborans in eo, nec soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calciamenti eius.* Quod quamquam ad literam intelligendum est de Assyrijs, alijsque gentibus, quos Deus quasi erecto signo euocauit ad Iudæorum euersionem: rectè tamen signum illud rectum, Christum possumus interpretari, quo in cruce exaltato, omnes euocati sunt ad bellum cum animi hostibus gerendum; & ad prælium ita animati, vt nullus dici possit deficiens, aut laborans, nullusq; cingulum præ timore soluatur. Rectè autem dicitur: *Et sibilabit*: quia ad minimum Christi nutum, & vnicum in cruce pendentis sibilum, ex vniuersis mundi partibus, quamplurimi strenui milites sub eo præliaturi conuolarunt.

Crux scutũ bonæ voluntatis Dei.

21. De cruce Christi interpretatur etiam Euthymius illa verba Psal. 5. *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Hunc etiam vult illis subesse sensum: *Tu Domine minuisti nos valdè, & circumdedisti cruce tua quæ est scutum bonæ voluntatis.* Notatque in illis verbis; *Scuto bonæ voluntatis*, idiotissimũ Hebræum, vt scutum siue arma bonæ voluntatis, dicantur benè grata, probata, præstantia, fortia, quæ omnia quàm bello conueniant Christo crucifixo, si oculis fidei inspiciantur, nemo non videt.

Christus crucifixus, clypeus obumbrãs aduersus sagittas paternæ iustitiæ.

22. Quis referat qualiter Christus crucifixus instar clypei nos obumbrarit & texerit aduersus ignitas paternæ iustitiæ sagittas. Benè de ipso Isa. cap. 53. *Disciplina pacis*

pacis nostræ super eum. In se enim suscepit, quas in nos debeat contorquere, diuina iustitia, sagittas: sed cùm nos dilexisset, tradidit semetipsum pro nobis. Incendium aliquando absumebat populum Israeliticum, vt penè omnes in perditionem rapi necessum esset. Tunc Aaron Num. 16. *Cucurrit ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, tulit thymiama: & stans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Quantum hoc facinus Aaronis? Sed quod facem prætulit meo Regi Iesu, qui vt nos ab æterni incendij morte protegeret, mortis in se spicula suscepit. Ait enim D. Isidorus in Glossa: *Ruinam mortis in mundo aspiciens Iesus occurrit à summo cælo, venitque obuius quasi gigas ad currendam viam, stetitque inter viuos & mortuos, quia natus, & mortuus est: sic & thuribulum passionis accipiens, & in odorem suauitatis prætendens, suspendit ignis æterni perniciem, & inimicam pertulit mortem.* Ecce tibi vbi incendium furebat, & populum absumebat; cucurrit bonus Rex noster Iesus, & sese obiecit pro omnibus, & vt nos euaderemus, ipse sustinuit mortem. Quod Regis nostri facinus adhuc extollit amplius Isaias cap. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: & liuore eius sanati sumus.*

ISIDOR.

Ictum diuini gladij suscepit Christus.

Quemadmodum, ait Bernardus tom. 1. lib. 3. cap. 7. neci ereptus est Isaac, ictum verò paterni gladij, qui suprà caput eius vibrabatur, aries veluti clypeus oppositus excepit: ita morti ereptus est homo, ictum verò diuini gladij, qui iugulum illius petebat, innocentissimus agnus Christus, velut scutum obiectum sustinuit. Quamobrem meritò à Dauide Psalm. 3. Deus scutum appellatur, *Tu autem Domine*, ait ille, *susceptor meus es*, Hebraicè, *Scutum circa me*, vel, *Scutum pro me.* D. Hieronymus sic vertit: *Tu autem Domine clypeus circa me*, & psal. 83. quo loco Septuag. verterunt, *misericordiam & veritatem diligit Deus.* Hebraicè legimus, vt vertit Hieronymus: *Sol & scutum Dominus:* Deinde sequitur: *Gratiam & gloriam dabit* &c. Scutum enim est Deus incarnatus, crucique affixus, quod diuini gladij ictum ab homine propulsat: Sol item est, qui humani cordis tenebras pellit. Sol qui gratiæ lucem in terris, gloriæ verò lumen in cælo donat. Sol est quia bona omnia, quæ luce significantur, largitur: Scutum est, quia omnia mala à nobis arcet.

HIERON.

Christus scutũ & sol humani generis.

CAESAR.

Multas suscepit Christus sagittas ab ipso diuinæ iustitiæ arcu eiaculatas.

23. Cæsar in Comment. refert, de Marco Seba, quod in bello contra Pompeium apud Duracum, corpus confixum habuerit septem telis, scutum verò trecentis & triginta, è quibus centum & viginti adhuc hærebant scuto. O pulcherrimum, ô singularem clypeum! longè plures clypeus humani generis Christus, ab ipso diuinæ iustitiæ arcu eiaculatas suscepit, pro eodem humano genere sagittas: quis enim omnia illius opprobria, vulnera atque tormenta enarret? Sagittæ contortæ in clypeum corpusque Sebæ, quædam ibi fecere vulnera, rimas & aperturas; at qui ex vulneribus manauit cruor, quid profuit? quæ in clypeo inuentæ aperturæ, quam contulêre salutem? Sanè nullam. At longè alia ratio in clypeo humani generis Christo. Audi D. Bernar ser. 4. hebdom. *flagellis cæsus est, spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobrijs saturatus. Hinc multa miseriæ corporis, hinc multa misericordiæ cordis: hinc dolores, hinc miserationes: hinc oleum exultationis, hinc sanguinis guttæ decurrentis in terram, misericordiæ Domini multæ, sed & miseriæ Domini multa*, &c. Quot in Christo miseriæ, tot in hominum genus misericordiæ.

BERNAR.

Ex aperturis & vulneribus huius clypei, multa nobis commoda.

24. Quis referat qualiter sacer crucis clypeus muniat animam aduersus omnia aduersariorum tela? Nulla tela tam multiplicia, tam acriter contorta, quin illa sustineat clypeus crucis, ita vt de illo dici possit, quod cantat aliò respiciens Virgilius:

Omnes aduersariorum ictus hic clypeus repellit.

——— *Telumque retorsit in hostem,*
Inde aliud super atque aliud, fugitque volatq;,
Ingenij gyro, sed sustinet aureus vmbo.

Omnes aduersariorum ictus hic clypeus elidit & repellit, vt meritò sic moneat S. Leo serm. 2. de resurrect. *Siue ergo contra ambitionem sæculi, siue contra concupiscentiam carnis, siue contra hæreticorum iacula dimicemus, Dominica crucis semper armemur.*

LEO.

In clypeo illo de quo Iosue 8. Glossa Mor. memoriam passionis adumbratam affirmans sic scribit: *Clypeus iste est memoria passionis Dominicæ iuxta id 1. Petr. 4. Christo in cruce passo, vos eadem cogitatione armamini. Si verò clypeus iste constanter teneatur in manu bonæ operationis, debellabitur insultus carnis & fomitis.*

Qualiter scutum hoc excutiat tela impatientiæ sic pulchrè docet Cellensis Abbas lib. de panibus c. 23. *Lenit dolores patientis Christiani, assidua recordatio in cruce pendentis. Telum à corde excutit impatientiæ dulcis memoria orationis perfusa de pinguedine gratiæ, & de virtute patientiæ: Pater, ait, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Scutũ hoc excutit tela impatiẽtiæ.

CELLENS. ABBAS.

Si stultus, ait Basilius hom. de ira, *& indoctus appellaberis, reminiscere eorum, quæ à Iudæis iactata sunt in veram sapientiam? Samaritanus es, & dæmonium habes. Alapa seu pugillo cæsus es? expuit aliquis in faciem tuam? eadem & Dominus est passus: nec enim ab expuentibus, aut cædentibus faciem auertit. Calumniam pateris? & Dominus. Tua laceratur vestis? & à Domino quoque vestis per vim extracta, & super eam missæ sunt sortes, nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda, vt ad eius imaginem peruenias.*

BASILIVS.

Veritatem hanc illustrat D. Augustinus de

AVGVST.

de conflictu virtut. & vit. cap. 8. dialogo hoc, inter iram & patientiam edito: *Ira dicit: Quæ erga te aguntur, hæc æquanimiter ferri non possunt, imò tolerare peccatum est, quia si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps, sine mensura cumulantur. Patientia respondet: Si passio redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. Sed quanta sunt in comparatione passionum eius, quæ patimur? ille opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucemq; sustinuit, & nos miseri vno sermone fatigamur, vno verbo deijcimur.*

Qualiter exemplo Christi tanquam scuto obarmatus fuit S. Martinus aduersus iracundiam. SVLPITIVS.

Vis videre Sanctos hoc clypeo contrà impatientiæ tela sese exarmantes? In D. Martinum Turonensem oculos conijce. De illo enim legimus, apud Seuerum Sulpitium Dialog. 3. cap. 2. quòd cùm quodam die in suo sedili ligneo resedisset, vidit duos dæmones in excelsa rupe consistere: inde alacres ac lætos vocem illiusmodi adhortationis emittere. Eia te, Bricci. Eia te Bricci. Nec mora, Briccius furibundus irrumpit, plenus insaniâ, euomit in Martinum mille conuitia. Obiurgatus enim pridie ab eo fuerat, cur qui nihil vnquam ante Clericatum habuisset (quippe qui in monasterio ab ipso Martino nutritus erat) equos aleret, mancipia compararet. Nam eo tempore arguebatur à multis, quòd non solùm pueros, sed etiam puellas scitis vultibus coëmisset. Quibus rebus infœlicissimus, insano felle commotus, &, (vt credo) præcipuè, dæmonum illorum agitatus instinctu, Martinum ita aggressus est, vt vix manibus temperaret. Cùm quidem Sanctus, vultu placidò, mente tranquilla, infœlicis amentiam, per mitia verba cohiberet; sed ita in eo nequam spiritus redundabat, vt ne sua quidem illi (quamuis vana admodum) mens subesset, trementibus labijs, incertoque vultu decolor, præ furore rotabat verba peccati, se asserens sanctiorem, quippe qui à primis annis in monasterio, inter sanctas Ecclesiæ disciplinas, ipso Martino educante, creuisset; Martinum verò & à principio, quod ipse diffiteri non posset, militiæ actibus sorduisse & nunc per inanes superstitiones, & phantasmata visionum, ridicula prorsus inter deliramenta, senuisse, hæc dum multa atque alia, quæ reticere melius est, acerbiora vomuisset, egressus tandem furore satiato, quasi qui se penitus vendicasset, rabidus, ea parte, quâ venerat, recurrebat. Tum interea, credo per Martini orationes, fugatis ab illius corde dæmonibus, reductus ad pœnitentiam, mox reuertitur, atque ad Martini se genua prosternit, veniam humiliter poscens, fatetur errorem, nec sine dæmone se fuisse, tandem sanior confitetur. Nec erat apud Martinum labor iste difficilis, vt ignosceret supplicanti. Tunc & ipsi, & nobis omnibus sanctus exposuit; qualiter illum à dæmonibus vidisset agitari, se conuitijs non moueri, quæ magis illi, à quo essent effusa nocuissent. Exinde cùm idem Briccius multis apud eum, magnisque criminibus persæpe premeretur, cogi non potuit vt eum à presbyteratu submoueret, ne suam persequi videretur iniuriam, illud commemorans: Si Christus Iudam passus est, cur ego non patiar Briccium?

Eodem clypeo armatus contra iracundiam Elzearius Comes. SVRIVS.

Sic impatientiæ telis tamquam fortissimum clypeum obijciebat memoriam Crucis & passionis Christi, Elzearius Comes. Ita enim Auctor Anonymus apud Surium, in Septembri de eo scribit: Tanta in illo virtus & gratia inerat, tanta animi fortitudo & patientia in rebus duris & aduersis, vt toto vitæ eius spatio, nemo, quantumuis familiaris vel domesticus, ob quamcumque molestiam aut afflictionem, quicquam eum vel dixisse, vel fecisse impatienter & iracundè potuerit animaduertere. Atque eâ causâ Dalphina sancta Virgo, quæ ipsius virtutes & actiones assiduè contemplabatur, cùm cerneret eum nihil commoueri aduersus eos, qui iniuriam ei irrogarent, eique molesti essent, sed ferre omnia sedatè, vultuque placidò & iucundo, admirans tam insignem, tamque inuictam in illo patientiam, vtque eius certius periculum faceret, intra conclaue ita ait ad eum: Quid hominis es tu, Elzeari, qui numquam erga illos, qui te iniuriâ afficiunt, commoueris? videris esse trunci instar, aut statuæ, nihil sentientis: & tamen patibilis es, & homo mundanus. Aut fortassis vel nescis, vel non potes irasci: Et quid obsecrò, officeret malis, qui interdum iniustè te lædunt, si te quandoque iratum illis ostenderes? Ad hæc homo lenissimus respondit: Ecquid verò Dalphina prodest irasci? Nihil profectò, attamen explicabo ego tibi arcanum pectoris mei. *Noueritis me interdum sentire aliquam in animo aduersus infestantes me, indignationem, sed illico me conuerto ad cogitandas iniurias Christo illatas, eumque imitari cupiens; dico mihi ipsi: Etiamsi famuli tui barbam tuam conuellerent, & colaphos tibi infringerent; nihil esset ad Dominum tuum, qui maiora perpessus est: certumque habeas, Dalphina, me numquam cessare à commemorandis iniurijs Saluatoris mei, donec animus meus planè sit tranquillatus. Atque hanc fateor me à Domino habere peculiarem gratiam, vt eos, qui mihi iniuriosi sint, vel æquè vt anteà, vel plus etiam amem, & pro eis specialiter orem, agnoscamque & confitear, me*

O maioribus

maioribus & atrocioribus iniurijs dignum esse.

Christus crucifixus scutũ cordis aduersus omnes labores.

Nihil tam ad mortem vsque amarum, quod memoriâ Crucis non dulcescat, nullum telum cuius acies non retundatur hoc clypeo; vt meritò in Christum crucifixum oculos conijciens Ieremias Thren. cap. 3. dicat: *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Quo loco Pinthus dicit, vocabulum scuti in bonam partem accipiendum, vt sumitur in plurimis scripturæ locis: *Alloquebatur*, ait, *Deum Ieremias, & intuens mentis oculis, spiritu vaticinationis illustratus fore, vt ipse Deus humanam sumeret naturam, & acerbissimos labores sustineret, seq; in Crucis ara pro hominum genere hostiam deuoueret atque constitueret, has voces emisit: Dabit eis scutum cordis laborem tuum. Ac si diceret: Tu Christe sancte dabis hominibus laborem tuum, quem propter eos suscipies, vt sit illis scutum, quo in tentationibus suis protegantur: tua passio erit illorum protectio, tuus labor erit eorum clypeus. Hæc est horum verborum intelligentia. Nam in labore & vulneribus Domini nostri Iesu Christi est remedium nostrum constitutum.*

Cogitanda Christi passio, ne cedamus laboribus.

Quò respiciens D. Paulus Hebr. 12. sic monet: *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem; vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Quæ verba enarrans D. Chrysostomus, ita contradictionis vocabulum explanat. *Plagas, quas accipiebat in capite, irrisiones, iniurias, improperia, illusiones: omnia hæc nomine contradictionis intimauit: & non illa tantùm, sed & alia, quæ circa omnem dicentis Christi vitam contigerunt*, &c. Pro, *deficientes*, Græcè est, *dissoluti.* Quasi dicat: Recogitate Christi passionem vt persecutionibus, & afflictionibus non dissoluamini, laboribus cedentes. *Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis.* Ac si dicat; Multa quidem passi estis, ne in peccatum infidelitatis à contribulibus vestris traheremini: at sanguinem nondum fudistis aduersus peccatum repugnantes.

Reprehẽsio crucifixi, quòd illius intuitu non solemur iniuriam nobis factam.

Hinc grauiter reprehensus à crucifixo Ioannes Pechanus, Minorita Anglus, sancti Bonauenturæ discipulus, quòd iniuriam sibi factam Crucifixi non solaretur intuitu: dum enim Bononiæ in capitulo generali falsò accusatus, ante crucifixi imaginem in genua procumbens, obnixè crucifixum rogasset, ne se pateretur falsi criminis accusari, prece vix finita, eum sacra crucifixi imago affata est his verbis, quæ etiam hodie leguntur ante eam imaginem:

Et ego quid demerui
Pendens inter latrones:
Oraui, nec obtinui
Carnis petitiones,
Calicem mortis sorbui,
Patri placere studui
Per carnis passiones.
Ergo non murmur exeat,
Si non fit quod orasti:
Nec orasse pœniteat,
Quamuis non impetrasti.
Dum fraudat desiderium,
Ad maius beneficium
Datorem obligasti:
Ad me si leuas oculum,
Vides argento vendi,
Tradi quoque per osculum,
Et durè comprehendi,
Ac alligari funibus,
Confici verberibus.
Veluti desperatus
Præsentor Pontificibus,
Quasi latro ligatus:
Sic quos amaui fortiùs,
Ab his, inquam, citiùs
Sum spretus & ligatus.
Ibi clamor, derisio,
Seueritas minarum,
Omnes impune faciunt,
Et quidquid mihi faciunt
Videtur esse parum.
Saturatus opprobrijs
Ducor ad Pilatum,
Renouatis iniurijs,
Ruunt in accusatum.
Hinc homicidam liberant,
Ad mortem adiudicatum.
Ibi nil valet veritas,
Sine ius allegando:
Sed æmula clamositas
Præualet insultando,
Nec Præses dat præsidia,
Nec curam gerit curia
De iusto liberando.
Quasi vile mancipium
Dant in Herodis manus,
Mox producor in medium,
Deludor vt insanus.
Tandem remissus Pontio,
Diræ mortis supplicio
Condemnor vt profanus.
Extra muros reijcior,
Et ipse crucem fero:
Matre vidente spolior
Vestimentis, quæ gero:
Tandem clauis confodior,
Et in cruce morior,
De vita non despero.
Tu ergo vermis non turberis
Si statim non consequeris
Quicquid à Patre quæris.

Quibus ille auditis obstupuit, & spirituali dulcedine recreatus est.

Telum desperationis hoc clypeo eliditur.

Si desperationis iaculo oppugnaris à diabolo, hoc clypeo facillime illius repelles tela. D. Augustinus in Psalm. 5. Postquam retulisset illud Roman 8. *Si enim adhuc cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est, multò magis reconciliati salui erimus ab ira per ipsum, subiungit: hoc est inuictissimum scutum, quo depellitur inimicus despera-*

desperationem salutis suggerens, multitudine tribulationum & tentationum.

Magna vis Crucis aduersus dæmonum insidias. FORNERUS. 27. Quanta autem sit vis atque efficacia crucis aduersus dæmonum insidias & præstigias, fusè scribit Fornerus in Palma triumphali lib.1.cap.24. Vide etiam Iacobum Bosium de Cruce triumphali cap.7. vbi inter alia refert, qualiter S. Iustina signo Crucis represserit omnes Cypriani, eam ardentissimè adamantis, & illius amore furentis, insidias. Et qualiter etiam Iulianus Apostata diaboli terriculamenta signo Crucis à se repulerit.

Crux loco omnis armaturæ. MARTIALIS. 28. Quod ampliùs, Crux loco omnis armaturæ: Nam vt ait S.Martialis epist.1. cap.2.ad Burdegal. *Vnus ex Christi discipulis, qui vnà cum Cleopha ministrauit in vltimâ cœnâ, quam Dominus fecit cum discipulis suis*, vt & ipse testatus est epist.2. cap.13. ad Tolosanos; *Crux Domini armatura vestra inuicta contra satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligna repellens, gladius iniquitatem & angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo finens. Hoc solo signo, cælestis victoria data est nobis, & per crucem Baptisma Dei sanctificatum est.*

CHRYSOSTOMVS. 29. Accinit D.Chrysostomus orat. in adorat. S.Crucis apud Gretſ.tom.2. *Crux armatura Domini est insuperabilis.* Additque: *Vides quomodo militem rex cælorum armet: non dedit scutum, non galeam, non arcum, non thoracem, non ocreas, nec aliud quid de genere horum; sed quod ijs omnibus firmius, & valentius est, præsidium à Cruce. Hoc gladius est, hoc clypeus, hoc thorax, hoc galea, hoc ocreæ, hoc totum propugnaculum. Itaque nostra crux est vniuersa arma.* Et vt solet strenuus Imperator, qui quæ nouit ipse & expertus est, arma sua militibus porrigit. Sic & Christus, ait ibidem. *Videte*, inquit, *crucem meam quanta effecit, arripite vos talia arma, & perficite quanta vultis.*

TIMOTH. 30. Nec minus aptè Timotheus Presb. orat. in Crucem & transfigurat. Domini apud Gretſ.tom.2. *Non multis*, inquit, *opus est armis spirituali militi, qui cælestem regem animo sequi velit: tollat tantummodò crucem suam. O rem admirabilem! nondum crux à Iudæis fabricabatur, & crucis trophæum fidelibus monstrabatur. O victricem Crucis efficacitatem.*

Crucis clypeus semper gestandus quamuis laborem ingerat, & eo nomine nos mundus derideat. CYRILL. 31. Cùm tantæ sit virtutis clypeus sanctæ Crucis, nihil consultius Christiano, quàm vt illo obarmatus semper incedat, licet laborem aliquem ingerat, licet onere suo aliquantulum premat; parum æstimet si eo nomine derideatur à mundanis & leuibus hominibus, absque iugo aliquo viuentibus. Stultis eorum, quas enarrant fabulationibus, obijciat apologum illum S.Cyrilli lib.1.cap.7. *Mus*, ait, *per cellarium festino gressu discurrens, testudini lento passu pergenti, obuiauit. Cuius quidem congruam grauitatem, mox stultus deridens, ironicè cum illusione sic dixit: Quid soror tam rapida velocitate incedis? Cui illa, moto capite illusorem deludens, ad veritatem respondit. Ego sic pergo, quoniam onerata sum armis meis. Tunc ille: Stultum est tantum onus vbique portare. At illa: Imò stultum est quod iudicas non sentire, ac stolidum magis nondum securum ab hostibus, inermem saltando discurrere: nimirum ex natura prouidentia, tota corticis pondere circumquaque vallata, domum, murum, & clypeum cùm necessitas instat, mihimetipsa reperio, & mendicando suffragia non discurro: tu verò leuis, quia inermis es, cùm hostis tibi vngulâ furibundâ occurrerit, hinc inde quærendo suffragia, stupidus curris, ac subitò præuentus ab hostili milite, peris, si non inueneris vbi mox abscondaris. Quid ergo de lethifera leuitate lætaris? Attende igitur quòd ventorum leuitas, in profundum sæpè nautam submergit, & belliger equus, nisi sit pondere aggrauatus, haud securus in hostium cuneum se immittit. Maris vnda fluctuosa, leuitate semper circumfluit, & tellus sua ponderositate quiescit. Leuis stipula flatu ventorum inquieta reuoluitur, & lapillus sua grauitate firmatur. Igitur frater mi, tibi tua sit leuitatis grata tempestas, mihi mea ponderositatis chara tranquillitas. Placet certè vbique suaue iugum protectionis, ac semper habere mecum onus leue salutis. Quæ dictis recedens, derisoris sui risum conuertit in luctum.*

32. Nihil antiquis hominibus, præsertim Latinis, familiarius scuto, nam recenter natum puerum, iam lotum, collocabant in clypeo, iuxta illud Ennij in Andromacha: Nihil antiquis familiarius scuto.

Puerumque vt lauerunt collocauit in clypeo.

Præterea infantes lactentes, scuto, seu cunis reponebant, & motu sonuum conciliabant, vt constat ex testimonio Theocriti Eidyllio 24. quo Alcmenam describit, Herculi & Iphiclo gemellis in scuto positis, somnum motu & cantu conciliare, subijcio illius verba: In scuto, seu cunis reponebant infantes.

Herculem cùm iam decem menses natus esset quondam Midiatis
Alcmena, & nocte vna iuniorem Iphiclum;
Cùm ambos lauisset, & lacte repleuisset,
Posuit super scutum æreum, quod Pterelæ
Amphitryon pulchram armaturam ademerat interfecto.
Tangens verò mulier puerorum capita, sic dixit:
Dormite pueri mei dulcem & excitabilem somnum:
Dormite, animi mei, fratres duo incolumes liberi.
Felices dormiatis, & felices ad auroram perueniatis.
Sic locuta, mouit scutum grande. Illos autem occupauit somnus.

In clypeis homines somnum capiebant.

33. Prouectioris ætatis homines etiam in ipsis clypeis somnum captabant, & requiem. Vnde Claudius in Honorio, volens insinuare quàm clypeus illis à teneris vnguibus familiaris, sic canit. *Reptasti per scuta puer.*

Clypeus militi pro feretro.

34. Milites etiam in prælio defuncti, clypeo, tamquam feretro, ad sepulturam efferebantur: iuxta illud Mantuani de Pallante in pugna mortuo Æneid. 10.

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

AMBROS.

Quem morem D. Ambrosius lib. de Helia & ieiunio cap. 13. indicauit, docens, quosdam intemperantes ganeones & helluones, ventris milites, non Martis, nec sanguine perfusos, sed vino madidos, è conuiuijs, tamquam è prælijs efferri, scutis impositos ad sepulturam. Similiter Christiano nihil esse debet familiarius crucis clypeo. Vnde sic monet S. Martialis loco citat. *Crucem Domini in quem credidistis Deum verum, & Dei filium, semper in mente, in ore, in signo tenete.*

Christiano nihil familiarius esse debet cruce.

MARTIALIS.

TERTVLLIANVS.

35. Accinit Tertullianus de coron. militum cap. 3. *Ad omnem, ait, progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra & mensas, ad lumina, ad sedilia, quæcumque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Harum & aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam inuenimus. Traditio tibi prætenditur, auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.*

EPHREM.

38. Adstipulatur S. Ephrem loco citato: *Studia,* inquit, *tua, & ingressum tuum, & exitum tuum, & lectulum tuum, & quæcumque pertransis, signa primum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: validissima quippe eiusmodi armatura est; nullusq; tibi vmquam nocere poterit, si eâ munitus fueris. Nam si quis terreni regis signaculum defert, eum lædere nemo audet; quantò magis nos, qui tale cælestis Imperatoris signum ferimus, neminem metuere possumus? Hisce ergo armis, mi frater, affatim vtere, sunt enim vehementer contraria telis inimici. Hoc igitur te signo assiduè munias, & malum non appropinquabit spiritui tuo.*

CYRILL. IEROS.

37. Similia monet S. Cyrillus Ierosol. Catechec. 4. *Fac autem hoc signum Crucis & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, & in summâ, in omni tuo negotio.* Et Catech. 13. *Non pudeat nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum Crucis digitis imprimatur; & in alijs omnibus Crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis; in egressu, & in ingressu, ante somnum, recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur; sine labore propter infirmos; cùm à Deo sit hæc gratia, signum fidelium, & timor dæmonum.* Et vt declararet, quanam de causa sacrosanctum signum hoc sit terror dæmonum, etiam subiunxit: *Triumphauit enim de illis in hoc signo; ostenta illud audacter. Quando enim viderint Crucem, recordantur crucifixi: metuunt enim eum, qui contriuit capita draconis. Neque propterea quod est gratuitum, contemnas hoc signaculum; sed ideò magis venerare benefactorem.*

AVGVST.

31. Neque omittenda quæ huc spectantia scribit D. Augustinus in tractat. de rectitudine Catholicæ conuersat. *Habete, ait, fratres, semper Christum in mente, signum eius in fronte facite; scitote quia multos aduersarios habetis, qui cursum vestrum impedire festinant. Ideò in omni loco, omni hora, Crucis signo vos armate, Crucis memoriâ vos munite, vt possitis sagittas maligni ardentes extinguere.*

Militibus suis Christus in cælo erit clypeus honorarius.

39. Cui in vitæ huius militia, familiaris fuit, bellicus sacræ Crucis, Christique crucifixi, clypeus, huic idem Christus erit clypeus in cælo honorarius. Nam honoraria scuta præmij loco dari solita militibus, patet ex Virgil. 1. Æneid. vbi affirmat tale scutum ab Ænea Niso datum fuisse. Scuto etiam quo vtebantur Romani in bello, eodem capite imposito, ante vsum coronarum, vtebantur, & in triumpho. Sic Christus crucifixus, qui iam nobis est clypeus protegens, in cælo nobis erit clypeus coronans, & caput exornans. Quod subindicasse videtur Apostolus dum ait Galat. cap. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quem locum referens Gilbertus serm. 20. in Cantic. ait: *Mihi,* inquit Paulus, *absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, & quid vultis audire? Crux ipsa corona est, & diadema regni.*

GILBERT.

Quòd castitas debeat esse Christiano pro scuto.

§. IV.

Castitas, scutum. Hoc clypeo vsus Ioseph.

40. SExtum est castitatis, muniens aduersus omnem immunditiam tam corpus quàm animam. Hoc scuto repulit castissimus adolescens Dominæ suæ lasciuientis, & amore furentis ignea tela. *Repulit concupiscentiam alienam,* ait D. Augustinus serm. 83. de tempor. *amplexus est pudicitiam suam. Solent homines,* ait Hugo de Foilleto citatus à Tilmanno, *tribus generibus vti ad defensionem, telis videlicet, hastâ, & gladio, longè positi vulnerantur telis, in illos qui cuspide tangi nequeunt vibratur hasta, cùm pugnant comminus, officium suum gladius*

AVGVST.

Tribus telis oppugnatus Ioseph, quæ repulit scuto castitatis.

TILMANNVS.

gladius implet: similibus armis vtitur impudicitia ad expugnandum hominem exteriorem: quod in Ioseph contigisse probatur, ait enim Scriptura: Et iniecit vxor Domini sui oculos suos in Ioseph, hæc sunt impudicitiæ tela, quibus vulnerantur multi longè positi: his telis pudicitiam oculorum opposuit, nec tantùm petulans est libido; sed etiam procax, ait enim, Dormi mecum, hæc est vibratio hastæ blandientis, scilicet adulteræ sermo, huic opponitur cordis munditia, venenata enim colloquia non recipit mundi cordis puritas: nec tantùm petulans est libido, sed etiam importuna, tenuit enim vestem vxor Domini sui, hic est gladius quo confligitur cominus, mollis videlicet adulteræ tactus, huic resistit Ioseph per munditiam corporis, respuit enim adulteræ tactum, rupit fimbriam ne raperet contagium. Sic ille. *Castitas*, ait Climachus gradu 15. *est Christi iucundum diuersorium, terrestrisque clypeus cordis.*

CLIMACHVS.

41. Qualiter ignea tela omnia in Iosephum à Domina sua immissa, is castitatis, siue continentiæ clypeo exceperit & eliserit, sic pulchrè insinuat Gregorius Nyssen. orat. de fugienda fornic. *Multa*, ait, *erant quæ adolescentem facilè mouere poterant vt persuaderetur, ætas libidini obnoxia, iugum seruitutis, Dominæ amatoriæ blanditiæ, de impudico amore perpetuus sermo, ad concubitum clam facta adhortatio. Fuit enim, inquit, quidam dies, & ingressus est Ioseph in domum, vt faceret opera sua, & nemo erat ex ijs qui domi erant, intrauit & vestes eius attraxit, dicens: Dormi mecum, dormi. Temperantiæ serui magna est auctoritas. Dominam fecit seruam. Nam illi quidem supplicabatur, hæc verò supplicabat. Dormi mecum, ignitum est telum fornicationis, sed quæ cremaretur non inuenit materiam, imò verò in veste fractum fuit & dissolutum. Quæ fornicationis circumdata erat impudentia, clamabat, dormi mecum. Fornicatorij desiderij mugit famem: sed pudici magis obstruebat aures. Nam illa quidem dicebat, dormi mecum. Adolescenti autem contra proclamabat temperantia, vigila mecum, & reipsa ostendit vigilantiam. Non enim blanditijs cedens domitauit robur constantiæ*, &c.

GREGOR. NYSSEN.

42. Hic castitatis clypeus, quot ignominias & infamias, & pericula à nobis arceat & repellat, pulchrè describit D. Cyprianus de singul. Cleric. consortium clericorum & mulierum damnans: *Respicite*, ait, *quanta mala conuersatio pluralitatis huius acquirat, quæ non nisi corruptionem seminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciuiam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, naufragijs velificat, perditione gaudet, interitum fouet, confusionem mercatur, thesaurisat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflammat, & cateruatim semel in fascem glomerat numerosas indagines captionum, per infinita dedecorum multiplices mortes inuehit in perniciem perditorum. Tot itaque & tantas strages calamitatis, & pessimæ conuersationis nemo prosternit, nemo calcat, nemo funestat, nisi singularis castitas sola: quæ munimen inuictum est sanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ; fortitudinis firmitas, & lasciuiæ petulantis infirmitas: probitatis præsidium, & improbitatis excidium; animæ victoria, & corporis præda: vbertas gloriarum & sterilitas criminum; pronuba sanctitatis, & repudium turpitudinis: synceritatis iudicium, & abolitio scandalorum; exercitium continentiæ, & euacuatio tota luxuriæ; pax secura virtutum, & debellatio inquieta bellorum; puritatis culmen, & libidinis carcer: honestatis portus, & ignominiæ naufragalis locus.* Et cætera, quæ sequuntur, non minus vera, quàm omnibus nota.

Clypeus castitatis quàm multas repellat à nobis ignominias.

CYPRIANVS.

43. Vt autem scuto castitatis muniamur contra omnia corporis & animæ inquinamenta, necesse est, vt compositum sit ex solida firmaque materia. Fotinus lib. 1. cap. 7. scribit Sparcato, copijsque eius, scuta ex vimine fuisse, quæ corio tegebantur. Diodor. lib. 20. scribit, quod Agathocles Syracusiorum tyrannus, in Africam traducto exercitu, cùm eos qui clypeis carebant, inermes videret, clypeorum tegumenta baculis affixit, & specie, circulum clypei imitatus, eis tradidit, ad vsum nequaquam idonea, sed quæ procul conspecta, armorum speciem referre possent ijs, qui rei veritatem ignorarent. Absit, vt Christianus miles, & castitatis amator tam inermi & inualido velit armari clypeo; sit illi clypeus castitatis æneus planè, ac ferreus, id est, non imbelli ac fragili sit munitus proposito castitatis, sed fortissimo, irrefragabili, & numquam dissoluendo, igne diuini amoris excocto atque confecto.

Scutum castitatis vt repellat tela ignea componendum ex forti materia.

DIODOR.

Forte & validū debet esse castitatis propositum.

44. Necesse etiam est, vt clypeus castitatis non sit paruus & angustus, sed oblongus debet esse, & tantæ magnitudinis, vt totus tegatur miles, leuiter se inclinans. De quibus clypeis videndus Plutarchus in Æmilio. Parmam nouem pedes in circuitu habuisse, inquit Lips. de re milit. Similiter clypeus castitatis debet esse capax, ita vt ambiat & integat omnia membra, omnes sensus, omnesque potentias.

Debet clypeus castitatis esse oblongus vt tegat omnia membra.

45. Variæ imagines antiquitus in scutis pictæ & exaratæ. Pindarus testis est Amphiararum in expeditione Thebana pictum draconem in clypeo circumtulisse. Statius Capaneum hydræ: Polynicem Sphingis imagine vsos scutis fuisse. In bello Troiano Agamemnon pictum habebat in scuto leonem. Vlysses Delphinem: Typhonem Hyppomedon ore fumos efflātem: Persius Medusæ vel Gorgonis caput. Cymbrorum & Teutonum bello illo horribili,

Variæ imagines antiquitus in scutis depictæ.

PINDAR.

ribili, quod describit Plutarch. in Mario, id memoriâ dignum notat, eos populos, quamquam immanitate barbaros, suis in peltis, scutis, alijsque id genus bellicis instrumentis, non modò nitorem armorum fuisse, sed & depictas ferarum imagines. Quod amplius, ne milites aliquando in tumultu prælij à suis contubernalibus aberrarent, diuersis cohortibus diuersa in scutis signa pingebant, quæ ipsi Sygmata vocabant. Præterea in aduerso scuto vniuscuiusque militis, literis erat nomen ascriptum, addito, ex quâ esset cohorte, quâve centuria. Vis scire quæ imago tibi depingenda in castitatis clypeo? Non alia quàm mortis; facilè enim contemnit omnia, præsertim carnis illecebras, qui se cogitat moriturum: ex aduerso autem huius clypei nomen Christiani depictum habeas videasque cuius capitis sis membrum, cogitesque te ad maiora natum, quàm carnis propriæ vt sis mancipium.

In clypeo castitatis pingenda imago mortis.

Amatori castitatis corpus duriter tractādum &c.

46. Qui clypeo hoc se præmunire desiderat, necesse est vt corpus duriter tractet, & discretâ disciplinâ austeritatis affligat, prima semina impuritatis reijciat, portas sensuum custodiat, mulierum consortia & occasiones fugiat, honestis laboribus & occupationibus se tradat, & orationibus incumbat, continuò clamans: *Manda Deus virtuti tuæ. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Nam vt ait Climachus gradu 15. *Nemo ex his, qui se studio castitatis exercent, sua hanc laboribus, aut suâ industriâ se acquisisse putet. Nam possibile non est, vt quispiam naturam suam vincat. Vbi denique natura superata est, illic is, qui supra naturam est, aduenisse cognoscitur. Nam sine vlla controuersia id, quod deterius est, à potentiore destruitur.* Et super omnia contendat, vt clypeum castitatis oleo charitatis & misericordiæ vngat.

Non suis viribus adscribat castitatem. CLIMACHVS.

Castitatis clypeus vngendus oleo misericordiæ, antiquitus oleo vngebantur clypei. SANCTIVS.

47. Oleo enim antiquitus clypeos vngi solitos, scribit Sanctius in Isaiam cap. 21. num. 39. Nisi enim hoc oleo vnctus sit castitatis clypeus, nullius est apud Deum momenti, nullius pretij, vt patet in fatuis virginibus. Curet etiam quàm maximè, vt castitatis clypeus sit politus, lenis, beneque extersus, & Solis diuinæ charitatis repercussu rubeus & ignitus. Tales enim clypei terribiles sunt & formidabiles, iuxta illud Virgilij Æneid. 10.

Sit clypeus castitatis politus, extersus, &c.

VIRGIL.

Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem.
Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur, & vastos vmbo vomit aureus ignes.

Nisi igneus sit castitatis clypeus, non est terribilis, non est formidabilis hostibus, facillimè nobis à dæmone eripitur, conteritur & frangitur. O quot castitatis clypeos, quia nullo oleo charitatis vnctos, quia nullo diuinæ charitatis igne rutilantes & accensos, eripit nobis diabolus, &

Sit igneus castitatis clypeus, vt sit dæmonibus terribilis.

confractos tradit igni (Scuta enim aduersariorum post victoriam colligi, confringi, & incendi Patrium Romanorum morem vocat Appianus de bellis Punicis) ita vt gloriari & dicere possit illud cuiusdam apud Virgil. Æneid. *Scutorumq; incendi victor aceruos.*

Scuta aduersariorū post victoriam comburebantur, vide ne tuo id accidat clypeo.

48. Hoc castitatis qui denudatus à clypeo, quis referat quàm sepulchralibus & læthiferis feriatur sagittis. In primis seipsum configit suæ infamiæ telo. Vnde sic de fornicatore Gregorius Nyssen. loco citato: *Qui fornicatur, in proprium corpus peccat, non sicut homicida in alienum, inuulneratum suum corpus conseruans. Non sicut auarus in alterum, suæ carnis cauens offensionem: sed ipse sui corruptor, configitur ipse telo suæ infamiæ.*

Hoc nudatus clypeo quot sagittis vulneretur.

GREGOR. NYSSEN.

Seipsum configit infamiæ suæ telo.

49. Quibus telis transfigatur ab impudica muliere, patet ex illis Salomonis verbis Prouerb. 7. vbi legimus: *Donec transfigat sagittâ iecur eius.* Septuaginta legunt: *Et tamquam ceruus sagittâ vulneratus in iecore.* Vt sensus sit: Iuuenis procax fœminam sequutus non dissidet à ceruo, qui sagittam iecore excepit, quem ocyùs occumbere necesse est. Optimè autem animaduertit Hugo, Salomonem hîc iecoris meminisse, quia in illo sedes amoris est. Neque solùm amoris ibi sedes est, verùm & omnium concupiscentiarum & appetitionum, vide si libet Anton. Velasq. in 1. ad Phil. cap. 1. annot. 4. n. 11.

Transfigitur ab impudica muliere.

HVGO CARD.

VELASQ.

At, inquies, iuuenis ille ridet, exultatque inter adulteræ amplexus, quis ergo asserat illius cor, aut iecur sagittâ transuerberatum fuisse? Imò potiùs inde risus. Nam vt tradit Aristot. de partibus animalium lib. 3. cap. 10. sagittis traiecta iecinora, aliquando risum hominibus mouisse constat, sanguis enim effluens (est enim iecur venarum principium & sanguinis officina) ac viscera titillans risum ipsis afferebat. Qualiter non sunt desperatæ salutis hisce transfixi telis, similitudine à ceruo desumpta, docet hoc loco Salazar, qui sicut sagittas excutis pasto dictamo: ita & impurus, Virginis Mariæ amore, & studio.

Quòd circūspectionis scuto debeat obarmari Christianus si velit saluari.

§. V.

1. SEPTIMVM, est circumspectio, quâ præuidemus & præcauemus omnes peccandi occasiones, omnia in peccata incidendi pericula. Hoc circumspectionis clypeo præmuniri in primis debemus aduersus sæuitiæ tela, quæ in nos contorquet dæmon,

Scuti loco est circumspectio.

dæmon, dum videt nos parui pendere mulierum, licet in speciem deuotarum, consortia; solet enim nobis persuadere nihil in illis esse periculi, ac proinde minimè æstimanda, sed parui facienda, vt posteà efficaciùs ad interitum trahat, vt docet D. Augustinus lib. de singul. Cleric. dum ait: *Tamdiu diabolus sopitum ignem sine vllis flammis occultat, donec duas faculas iungens simul ambas accendat; & tamdiu cessat sæuitiæ tela supponere, donec sicut peritus venator, quod occisurus est, laquei vinculis alliget.*

AVGVST. Hoc scuto muniri debemus aduersus omnia peccandi pericula

Aduersus prauorum hominum consortia.

2. Secundò, hoc circumspectionis clypeo repellendum telum malæ aliorum conuersationis. Nam vt quidam ait: *Nimis penetrabile telum est imitatio deteriorum.*

Aduersus igneas malarum cogitationum sagittas.

3. Tertiò, hoc clypeo mens præmunitur aduersus igneas malarum cogitationum sagittas, quas dum sentit sibi à Satana immitti, clypeo circumspectionis repellit ab ostio cordis, iuxta præclaram doctrinam D. Gregorij 2. Moral. 23. vbi expendens illud Iob cap. 1. *Quadam die cùm venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan*, sic eadem ad tropologiam allicit: *Cùm filij Dei assistunt coram Deo, inter eos quoque assistit & Satan: quia plerumque bonis nostris cogitationibus, quæ in corde nostro; aduentu Spiritus sancti operante, seminantur, antiquus illic callidè se interserit, & subiungit inimicus: vt bene cogitata perturbet, maleq; perturbata dilaniet. Sed quò eum subintrare ad cor cernimus, forti contra illum circumspectione vigilemus.*

GREGOR.

Mox repellendæ hæ sagittæ.

4. Malarum cogitationum sagittas mox atque percipimus nobis immissas, hoc clypeo repellendæ, ita vt nullus illis concedatur intra cordis ostia ingressus, iuxta pulchrum monitum nostri Cypriani lect. paren. 14. ad cap. 10. Reg. S. Francisci: *Quando, ait, diabolus insidiari conatur, & cum multa vehementia, quasi quædam ignita iacula, cogitationes suas quietæ ac tranquillæ animæ immittere nititur, illamq; repente incendere, & iniectorum semel memoriam diuturnam, & ægrè diluendam efficere: tunc intentiore sobrietate, & animaduersione tales insidias auertere oportet, perinde atque athleta quispiam exactissima custodia, & velocitate corporis, aduersariorum manibus elabitur.*

P. CYPRIANVS.

Iudas non reiecit immissam sagittam, ideò tradidit Saluatorē.

HIERON.

5. Quia emissam à diabolo sagittam non repulit Iudas, sed excepit, hinc in tantum relapsus est facinus. Vnde D. Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. respiciens ad verba: *Cùm diabolus misisset in cor vt traderet eum Iudas*, sic scribit: *Primum diabolus in cor Iudæ iecit sagittam, vt traderet Saluatorem, quæ si excepta non fuisset, numquam post intinctum panem in illum sathanas introysset.*

Admissæ malæ cogitationes, etiam facilè opere emittuntur.

6. Vn se Christiane ne idem tibi contingat, si excipias igneas malarum cogitationum sagittas, atque tela ex malarum persuasionum diabolico arcu emissa. Nam vt ait Origenes: *Diabolus velut sagittarius ignitas sagittas confecit ijs, qui omni custodia cor suum non conseruant.* Vis scire quid mali accidat ex admissis hisce prauis suggestionibus? Vt admissas, etiam facilè, emittas, & foras erumpere patiaris, per praua opera, prauosque affectus, iuxta illud Matth. c. 15. *De corde exeunt cogitationes, mala homicidia, adulteria, fornicationes, furta, mala testimonia blasphemiæ.*

ORIGEN.

Scutum circumspectionis munit aduersus ingruentia nobis mala.

8. Quartò, hoc clypeo circumspectionis munimur aduersus ingruentia nobis mala; quando enim nos actu inuadunt, quia præuisa & præcogitata sunt, non tamen grauiter lædunt, non prosternunt. Vnde Seneca epist. 77. *Præcogitati mali mollis ictus venit. Sapiens assuescit futuris malis, & quæ alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando.*

SENECA.

Mala præuisa leuiora accidunt.

9. Qualiter mala, si fuerint animo & cogitatione prouisa, leuiora accidant, improuisa grauiora, sic eleganter docet Cicero Tuscul. lib. 3. *Cyrenaici non omni malo ægritudinem effici, censent, sed insperato, vt nec opinato malo: Est id quidem non mediocre ad ægritudinem augendam, videntur enim omnia repentina grauiora. Ex hoc illa iure laudantur.*

CICERO.

Ego cùm genui, tunc moriturum sciui,
& ei rei sustuli.
Præterea ad Troiam cùm misi ad defendendam Græciam,
Sciebam me in mortiferum bellum, & non in epulas mittere.

Hæc igitur præmeditatio futurorum malorum lenit eorum aduentum, quæ venientia longè ante videris. Itaque apud Euripidem à Theseo dicta laudantur. Licet enim, vt sæpè facimus, in Latinum illa conuertere.

EVRIPEDES.

Nam qui hæc audita à docto meminissem viro
Futuras mecum commentabor miserias:
Aut mortem acerbam, aut exsulis mœstam fugam
Aut semper aliquam molem meditabar mali:
Vt si qua iniecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Quod autem Theseus à docto viro se audisse dicit, id de seipso loquitur, Euripides, fuerat enim auditor Anaxagoræ, quem ferunt nunciata morte filij dixisse: Sciebam me genuisse mortalem. Quæ vox declarat, ijs esse hæc acerba, à quibus non fuerint cogitata. Ergo id quidem non est dubium, quin omnia, quæ mala putantur sint improuisa grauiora. Itaque

que quamquam non hæc vna res efficit maximam ægritudinem : tamen quoniam multum potest prouisio animi, & præparatio ad minuendum dolorem, sint semper omnia homini humana meditata. Et *nimirum hæc est illa præstans & diuina sapientia; perceptas penitus & pertractatas humanas res habere, nihil admirari, cùm acciderit: nihil, antequam euenorit, non euenire posse, arbitrari.*

Quamobrem omnes, cùm secundæ res sunt maximè, tum maximè
Meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant:
Pericula, damna, exsulia, peregrè rediens semper cogitet
Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filiæ,
Communia esse hæc, fieri posse: vt nequid animo sit nouum.
Quidquid præter spem eueniat, omne id deputare esse in lucro.

Ergo hoc Terentius à philosophia sumptum cum tam commodè dixerit; nos, è quorum fontibus id haustum est, nónne & dicemus hoc meliùs, & constantiùs sentiemus? Quæ omnia, quia hîc maximè opportuna, ea placuit, etsi longiora, transscribere.

10. Quia improuisi casus acerbiores sunt. Hinc Hadrianus Imperat. annulum gestabar, quem aiebat fuisse Drusi Germanici, cui insculptum erat: *Illis grauis est fortuna, quibus est repentina.* Et Seneca: *Grauius, ait, nocet quodcumque inexpertum accidit: melius est præcauere, quàm cauere.* Et lib. de tranquillitat. animi cap. 11. sic scribit: *Quidquid enim fieri potest, quasi futurum prospiciendo, malorum omnium impetus molliet, qui ad præparatos, expectatosque nihil afferunt noui securis, & beata tantum sperantibus graues eueniunt:* Et statim cùm id ex Publio citasset,

Grauis est fortuna quibus est repentina. SENECA.

Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.

Subdit: *Hoc si quis in medullas demiserit, & omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia est, sic adspexerit tamquam illis liberum, & ad se iter sit, multò ante se armabit, quàm petatur. Serò animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur.* Sic ibi. Vbi Iustus Lipsius appositam hanc Socratis sententiam adiungit: *Sicut ij qui in tranquillo, & sereno nauigant, parata etiam instrumenta habent, quæ in tempestate sint vsui: sic qui in bonâ fortunâ sapiunt, contra aduersam auxilia expediunt.* Vnde rursus eodem lib. Seneca cap. 10. cùm dixisset: *Nam qui multa agit, sæpè fortunæ potestatem sui facit, quam tutissimum est, rarò experiri:* adijcit: *Cæterùm de illa semper cogitare & sibi nihil de fide eius promittere. Nauigabo, nisi quid inciderit: & prætor fiam, nisi quid obstiterit; & negotiatio mihi respondebit, nisi quid interuenerit. Hoc est quare sapienti nihil contra opinionem dicamus accidere; non illum casibus hominum excipimus, sed erroribus; nec illi omnia, vt voluit cedunt, sed vt cogitauit: imprimis autem cogitauit, aliquid posse propositis suis resistere. Necesse est autem leuius ad animum peruenire destituta cupiditatis dolorem, cui successum non vtique promiserit.* Hæc Seneca. Sunt consentanea quæ scribit D. Augustinus lib. de singular. Cleric. *Vbicumque fuerit prouidentia frustrantur vniuersa contraria: vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur.* Si ergo sapis semper te obarma circumspectionis ac prouidentiæ scuto, in quo retundantur omnium incurrentium malorum iacula.

11. Imitari debemus Echinum piscem, qui præsentiens & præuidens tempestatem, se librat arrepto lapillo, & sic nequaquam à tempestate abripitur. Accipe hæc accommodantem & applicantem viro prouido & circumspecto Berchorium in Reduct. moral. lib. 8. cap. 33. *Echinus secundum Plin. Basil. & Ambros. index est futuræ tempestatis, præsentit enim quando debet venire, & ideò tunc solet calculum arripere, & cum eo fortiter se tenere, & de eo quasi anchoram facere, vt fluctus superuenturus ipsum nequeat de mari eijcere, vel mouere. Hoc igitur videntes nautæ sibi præcauent atque timent, & nauem suam anchoris statuunt atque firmant: Reuera, charissimi, talis piscis debet esse quilibet vir discretus, debet enim futuras tempestates tribulationum, vel tentationum sagaciter præuidere, & contra ipsas, cùm eas imminere conspicit, de opportuno remedio se præmunire. Igitur lapidem angularem scilicet Christum, per deuotionem quærat, & ei per fidem vel dilectionem adhæreat, seque & fragilitatem suam sibi committat & in eo ex toto speret & confidat, & sic tempestatibus tribulationum,* &c. *non mouebitur, nec de aqua gratiæ, amouebitur, sed stabilitate perpetuæ constantiæ fulcitur.* Sic ille. Lapis ille arreptus ab echino, etiam adumbrare potest ipsam præmeditationem, & prouisionem futurorum malorum, quâ nimirum mens firmatur aduersus eorum impetum, de illis occurrentibus non moueatur, nec de sede sua deijciatur.

Echinus piscis imitandus, qui præsentiens tempestatem librat se, arrepto lapillo. BERCHOR.

12. Quintò, hoc clypeo circumspectionis munimur aduersus rerum à nobis gestarum malos exitus atque sinistros successus; cùm enim omnia iam anteà fuerint à nobis quasi prætentata ac prægustata, quæ à nobis prudenter cœpta, non possunt non secundum, non lætum habere exitum. Nam vt cochleæ, teste Plinio lib. 9. cap. 32. lentè ingrediuntur, nec quicquam attingunt, aut vsquam se mouent, nisi cornibus prætentarint: ita sapientem oportet esse cunctabundum minimèque præcipitem, & pedetentim aggredi gustu quodam priùs sumpto. Sicut enim aquilo initio vehemẽs, desinit lenior: contra

Hoc clypeo munimur aduersus malos exitus rerum à nobis gestarum.

contrà auster initio leuior, desinit vehementior: ita qui præcipites magno impetu aliquid aggrediuntur, frigescunt in progressu. Contrà qui consilio aliquid suscipit, progressu operis magis ac magis accenditur.

Hoc clypeo muniri debemus aduersus vitia pallio virtutum vestita.

13. Sextò, hoc clypeo circumspectionis muniri debemus aduersum vitia, ne virtutum pallio vestita, earumque nominibus insignita, sese in animum nostrum ingerant, iuxta præclarum Tullij monitum in partita orat. cùm ait: *Cernenda sunt diligenter, ne fallant nos ea vitia, quæ virtutem videntur imitari, nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus spernendis, & magnitudinem animi superbia, in animis extollendis, & integritatem despicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & iustitiam acerbitas, & religionem superstitio, & leuitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam disputandi prudentiam concertatio, captatioq; verborum, & hanc oratoriam, inanis quædam profluentia loquendi.* Qualiter vitia sub virtutum vestimentis se abscondant vide apud Gregorium 3. moral. 19.

TVLLIVS.

Opus hoc clypeo ne mundi bona nos fascinent.

14. Septimò, opus est clypeo circumspectionis, ne bona huius mundi nos fascinent, & amorem nostrũ sibi vindicent. Hęc enim si secundum externam speciem, quam præ se ferunt, solummodo attendas, nescio quid non pulchrum, excellum, eleuatumque promittunt: si verò interiùs circumspicias, vana omnia reperies. Quare Apostolus rationem reddens, cur mundanis rebus minimè inhærere debeamus, 1. Cor. 7. *Hoc itaque dico fratres, tempus breue est; reliquum est, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes sint. Et qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Ecce non tribuit mundo formam, siue naturam constantem & veram; hęc enim solidior & constantior, sed figuram, id est, externam quandam speciem & effigiem, quæ mobilis est, fugax, euanida. *Nolite*, ait Anselm. *constanter mundum diligere, quando ipse, quem diligitis non potest constare. Incassum cor, quasi manenter figitis, dum fugit ipse, quem amatis.* Theophylactus: *Mundi verò ideo dixit figurã, quia eius bona solo terminentur aspectu; & apparentia sint, & nullo fundamento consistant.* Appositè etiam D. Chrysost. expendẽs illa verba ad Rom. 12. *Nolite conformari huic sæculo: Nam etiamsi diuitias obieceris, si gloriam, si delicias, siue aliud quodcumque ex ijs, quæ magna esse videntur, figura tantummodo sunt, non ipsius, quæ in rebus est, veritatis demonstratio: persona quædam scenica, non consistens rerum substantia*, &c. Expende illa verba, *persona quædam scenica*: Est enim mũdus instar scenæ, in qua peragitur fabula vitæ huius, homines personæ sunt, intrant, abeunt; locus theatri est terra. *Generatio præterit*, ait Ecclesiastes, cap. 1. *& generatio aduenit: terra autem in æternum stat.* Duæ in scena sunt portæ, ingredientibus ortus, egredientibus occasus, siue mors; vestes hic commendato quisque accipit: regem agit, non auferet secum purpuram, quam hic gestauit, breuĩ finitur hæc comœdia. Audi Senecam epist. 85. *Sæpius hoc mihi exemplo vtendum est: nec enim vllo efficaciùs exprimitur hic humanæ vitæ mimus, qui nobis partes has, quas malè agimus, assignat. Ille, qui in scena elatus incedit, & hæc supinus dicit: En impero Argis, regna mihi liquit Pelops: seruus est, quinque modios accipit, & quinque denarios; ille, qui superbus, atque impotens, & fiducia virium tumidus ait: Quod nisi qui vereris Menalaë, hac dextra occides: diurnum accipit, in cænaculo dormit: idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum supraq; turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est, contemnes illos si despoliaueris.*

Præterit figura mundi.

ANSELM.

CHRYSOS.

Mundus instar scenæ.

SENEC.

15. Fugacem vanitatem rerum huius mundi sic eleganter depingit Naz. tract. de vitæ itinerib. qui extat sub finem operum eius: *Quis sum? inquit, vnde in vitam veni? quis rursus, postquàm aliquantisper terræ gremio retentus, à puluere ad vitam rediero, futurus sum? vbinam tandem me Deus collocabit? Multa quippe ærumnosa vitæ huius via sunt, nec vllum bonum apud homines est, quod non aliquid vitij admixtum habeat. Atque vtinam non maiorem quoque partem mala sibi vendicarent. Insidiæ sunt opes, sublimiumq; thronorũ & dignitatum fastus mera sunt insomnia. Imperio alterius subesse graue ac molestum; paupertas pedica. Pulchritudo porrò breuis, atque fulgetri similis: iuuentus nihil aliud, quàm temporis feruor; canities, tristis vitæ occasus. Sermones verè alati, gloria, aër, nobilitas, vetus sanguis, robur cum apris commune, satietas petulans, matrimonium vinculum, liberorũ copia cura necessaria mater, orbitas morbus, forũ vitiorũ schola, quies imbecillitas, artes abiectorum hominũ, angustus alienus panis, agricultura labor, nauigantium maior pars in orco, patria proprium barathrum, externa regio probrum.* Deinde omnia simul cõplectens eorum vanitatem multis aptisque similitudinibus spectandam proponit, atque: *Omnia denique mortalibus laboriosa sunt; humana omnia, metus, risus, lanugo, vmbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, nauis vestigium, aura, puluis, orbis quidam perpetua conuersione similia omnia voluens, nunc stabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus, anni temporibus, diebus, noctibus, laboribus, morte, mœroribus, voluptatibus, morbis, calamitatibus, secũdisq; rerum successibus. Nunc verò non sine magna sapientia hoc à te, Christe constitutum est, vt res omnes huius vitæ incertæ atque instabiles sint: nempe vt rerum firmarum stabiliumq; amore ac desiderio inardescamus; vtq; discamus à stulta carnis cogitatione mentem abrumpere,*

NAZIAN.

imaginemq; illam quam diuinitus accepimus, puram atque integram conseruare, vitam ab hac vita alienam ducere; ac denique cum altero mundo mundum hunc commutando, difficultates omnes huius vitæ molestiasq; forti animo perferre. Hæc Nazianz.

16. Si sapis, ô Christiane, circumspectionis scuto te obarmabis aduersus fugacem & vanam mundi figuram, ne à dæmone atrociter decipiaris, dum illam tuis obiicit oculis, tamquam firmam & constantem, vt cælum auferat, sic eius ingenium commonstrante Chrysost. hom. 14 in epist. ad Rom. *Ad præsentia inhiamus, nec diaboli astum intelligimus, qui per parua magnis nos priuat, qui largitur lutum, vt aurum rapiat, atque adeò vt cælum eripiat, qui vmbram obiectat, vt à veritate deturbet, qui in somniis illudit (hoc enim sunt mundi diuitiæ) vt cùm dies illuxerit, omnium pauperrimos ostendat*, Sic Chrysost.

CHRYSOS. Diabolus vmbram obiectat vt à veritate deturbet.

BASILIVS.

17. Meritò itaque monet D. Basilius: *Oportet itaque nos animi oculos perpetuò vigiles circumquaque deducere, & quidquid iucundum apparet, mox suspectum habere, & prætercurrere, etiamsi aurum copiosè propositum videatur.* Et clamat Seneca epist. 8. *Vitate quæ vulgo placent, quæ casus tribuit, ad omne fortuitum bonum suspiciosi, pauidiq; subsistite. Munera ista fortunæ putatis? insidiæ sunt.*

SENECA.

18. Octauò, clypeo circumspectionis munire se debet Christianus, ne ambulans inter laqueos, quos vbique tendunt, Diabolus, caro, mundus, illis capiatur, & vel voluptatis suauitate, vel diuitiarum lucris, vel honorum fastigio, lenocinantibus, à recto iustitiæ tramite, in peccata deflectat & prolabatur. Nam vt ait Sapiens Eccli. cap. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* At quo pacto pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur? Respondet Seneca epist. 8. *Et fera & piscis, aliquâ spe oblectante, decipitur*, & quò suauior hamus, & auidiùs deuoratus eò exitialiùs & ineuitabiliùs nocet, eodem igitur modo mundanarum rerum hamis siue laqueis capiuntur homines. *Laqueus in auro* (inquit Ambros. lib. de bono mortis cap. 5.) *viscum est in argento, nexus in prædio: clauus in amore. Dum aurum petimus, strangulamur, dum argentum quærimus, in visco eius hæremus, dum prædium inuadimus, alligamur. Quid in vanum quærimus lucrum pretiosæ animæ detrimentum?* Sic Ambr.

Clypeo circumspectionis nos munire debemus cōtra laqueos.

SENEC.

Vbique laquei.
AMBROS.

19. Iam verò quomodo hos laqueos instituat, simulque abscondat diabolus, nosce ex Chrysost. hom. 15. ad pop. *Obumbratus est* (ait) *laqueus, quia non apertè apparet mors, neque manifesta clades; sed vndique obtecta adiacet: Sicut enim pueri terrâ laqueos* (quos auibus tendunt) *sic diabolus, vitæ voluptatibus peccata circumtexit. Et si lucrum occurrerit, ne lucrum aspicias solum; sed scrutare diligenter, ne fortè mors & peccatum, intra lucrum sit absconditum: & si videris, refuge. Rursus cùm delectatio & voluptas occurrerit, ne voluptatem solam respicias; sed ne fortè iniquitas aliqua, in voluptatis profundo obumbrata sit, diligenter considera: & si inueneris, resilito. Si consulat quispiam, siue aduletur, siue obsequatur, siue honores polliceatur, siue quodcumque aliud, omnia cum diligentia examinemus: & vndique consideremus, ne fortè damnum aliquod, ne fortè periculum aliquod, ex consilio, vel honore, vel obsequio nobis obueniat, & ne celeriter, & inconsideratè accurramus.* Sic ille.

Hos laqueos qualiter abscōdat diabolus.
CHRYSOS.

20. Diabolum, laqueos, & muscipulam suam abscondentem sic graphicè depingit D. Basilius hom. cui titulus: Non adhærendum esse rebus sæcularibus: *Per nostram* ait, *insipientiam, diabolus contra nos victoriam molitur: vias insidiosè obsidere solet, in loca conuallibus profundis interrupta, aut humorum densitate obscuriora, sese abdit, ne à viatoribus praeuideatur: ita ex inopinato illos adoritur: ne quisquam eius laqueos periculosos, videre priùs queat, quàm in illos incidat, videlicet mundanarum oblectationum vmbris sese insinuans, improuisos nobis perditionis laqueos substernit.*

BASILIVS.

21. Consentanea sunt quæ scribit D. Gregor. 14. mor. 7. *Sæpe proponuntur animæ cum culpa honores, diuitiæ, salus, & vita temporalis, quæ mens infirma dum quasi escam videt, & decipulam non videt, pro esca quam videns appetit, in culpa constringitur, quæ non videtur.*

GREGOR.

22. Vis scire quid accidat incautis hominibus, qui defectu circumspectionis ac considerationis, irretiti more auium laqueis diaboli, vel more piscium deuorarunt hamum peccati? gaudent quidem pisces dum hamum deuorarunt, sed quis referat qualiter torqueantur cùm piscator eos adducere cœperit. Idem accidit improuido peccatori, vt eleganter docet D. Aug. lib. de Agone Christ. c. 7. *Nam gaudet & piscis, quando hamum non videns escam deuorat; sed cùm piscator eum adducere cæperit, viscera eius torquentur primò: Deinde ab omni lætitia sua, per ipsam escam de qua lætatus est ad consumptionem trahitur; sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant; hamum enim acceperunt, & cum illo sibi vagantur. Veniet tempus vt sentiant, quanta tormenta cum auiditate deuorauerunt.*

Qui carent hoc clypeo decipiuntur à diabolo more auiū vel pisciū.

AVGVST.

23. Occultat etiam laqueos suos diabolus sub ipsis virtutibus, vnde magna opus est circumspectione Christiano. *Diabolus* (ait Chrysost. loco cit.) *suas occultat insidias, quapropter magna nobis cautione & vigilantiâ opus est. Occultat enim laqueum in eleemosyna, nempe vanam gloriam, in ieiunio, arrogantiam, & in aliis alia, in ipsis viis, in quibus ambulamus.*

Occultat diabolus laqueum sub ipsis virtutibus.
CHRYSOS.

24. Mundo etiam non desunt laquei, quibus facilè irretimur, nisi cautè & circumspectè ambulemus. D. Augustinus respiciens ad illa verba Eccli. 9. *in medio laqueorum*

Mundi laqueis facilè irretimur absque hoc clypeo.
AVGVST.

queorum ingredereris, sic scribit in Psalm. 141. *ignoras quia in medio laqueorum ingrederis? Quid est in medio laqueorum? In via Christi. Et hinc laquei, & hinc laquei: laquei à dextris, laquei à sinistris: laquei à dextris, prosperitas saeculi: laquei à sinistris, aduersitas saeculi: laquei à dextris promissiones; laquei à sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, à via noli discedere, nec promissio te capiat, nec terror elidat.*

25. Si sapis, ô Christiane, semper circumspectionis clypeo munitus, ambulabis in hoc mundo, hac enim mediante, omnes facilè euades laqueos. Rectè Chrysostomus loco cit. *Propterea alae sunt auiculis, vt effugiant laqueos: propterea ratiocinationes hominibus, vt peccata deuitent.* CHRYSOS.

Hoc clypeo declinandę omnes peccati occasiones. Qualiter irae occasionem quidam fugerint. PLVTARC.

26. Nonò, clypeo circumspectionis muniri & obarmari debemus vt fugiamus & declinemus omnes peccati occasiones, & ab iisdem quàm maximè recedamus. Hoc circumspectionis scuto praecauit, ne iram, ad quam facilè concitabatur, prolaberetur Cotys Rex Thracum, cùm enim esset naturâ celer ad iram, saeuusque castigator eorum, qui in ministerio deliquissent (vt narrat Plutarchus in Reg. Apoph) hospiti cuidam, ad se vascula fragilia, tenuiaque deferenti, sed scitè curioseque caelata, tornoque elaborata, dedit quidem munera, caeterùm vascula omnia confregit. Demirantibus cur id faceret. *Ne*, inquit, *saeuiam in eos qui fracturi erant.* Prudentis est naturae suae morbum agnoscere, & vitio materiam & occasionem omnem praeripere.

27. Simili cautione & circumspectione Augustus, vt testatur Sabellicus libr. 9. Sex. Pompeio victo, Lepido in ordinem redacto, Romam reuersus, omnes epistolas, quae suspicionis aliquid continerent, ad obliterandam omnium offensarum memoriam, concremauit. SABELL.

Simili cautione Titus Vespasianus imperator, vt auctor est Suetonius ne vindictae iustissimę occasionem haberet, Pontificatum maximum, vel hoc solo nomine accipere se testatus est, vti puras seruaret manus. SVETON.

28. Ob similem cautionem laudat Plutarchus in Roman. quaestion. morem illum Romanorum, quo renouari prohibebantur hostium spolia, posteaquam longo aeuo, consumpta inuenirentur.

Praesertim luxuriae occasiones vitandae.

29. Singulari verò cautione & circumspectione vitandae & praecauendae, omnes quae luxuriae subseruiunt, & ad eam quasi manu ducunt occasiones. Qui enim vult castitatem seruare, in omnibus circumspectionem teneat necesse est, diligenterque consideret, vbi pedem suum figat, ne per lubricum incedens, cadat. Videat castitatis amator quò ingrediatur, vnde egrediatur, cum quibus conuersetur, quos socios habeat, quid audiat, quid videat, quid manibus tractet. Omnia enim sunt plena periculis, nisi quis prudenter se gerat, & vt casum caueat, se vndique circumspiciat. Bernardus homil. 5. super missus est, de virginibus haec dicit, & idem de omnibus castitatem seruare volentibus diceret: *Solent virgines, quae verè virgines sunt, semper pauida & nunquam esse secura, & vt caueant timenda, etiam tuta pertimescere: scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse viuere angelicè inter homines, & in terris more caelestium conuersari, & in carne calibem agere vitam.* Sic ille. *Homines sumus*, ait D. Cyprianus de sing. cler. *fragilitatem nostram carne portamus. Sic iam vndique nos circumspecta viuacitate, circumdare debemus, & cingere vt non sit pars aliqua, quae vacillet.* BERN.

30. Hoc circumspectionis clypeo munitus Cyrus, vt refert Xenoph. libr. 5. & 6. Poediae, Pantheam, omnium mulierum formosissimam, captiuam in conspectum suum adduci vetuit, ne amore illius corriperetur. Similiter Alexander Macedo, cum Darij vxorem, sororem, filias captiuas haberet, mirum in modum formosas, ne videre quidem eas voluit: turpe ratus esse eum qui viros vicisset à mulieribus superari. Isaeus Assyrius sophista, cum à quodam qui formosissimam ostendebat mulierem interrogaretur. Num formosa videretur, respondit: *Desij laborare ab oculis*, Iulianus imperator, vt refert Fulgosius libr. 4. cap. 3. capta Persidis vrbe, in qua formosae permultae mulieres erant, non modò nullam ad venerem coëgit, verùm etiam ne in conspectum ducerentur, prohibuit. Vide plura huius farinę in theatro vitae humanae lit. C. verbo *Castitas.* XENOPH. FVLGOS.

Occasiones similes spinis quarum radices non pungunt. AVGVST.

31. Sunt occasiones vitiorum similes spinis, quarum radices minimè pungunt. *Erue spinas de terra*, inquit Augustinus in Psalm. 139. *contrecta radices ipsarum, & vide si sentis dolorem, tamen illud vnde dolorem sentis in superficie, de radice processit.* Ad eundem planè modum dixerim, occasiones, etsi videantur innocuae, eius esse conditionis, vt vitiorum omnium genitrices sint & scaturigines. Quare conscij imbecillitatis nostrae, etiam minimam impuritatis ansam, vel à longè insidiantem, reformidemus: simusque ad auertendam à nobis mortem aeternam similes illi lapidario, qui ne vitam perderet temporalem, occasiones mortis, etiam pretiosissimas, in mare, coram nautis insidiantibus proiecit. Refert sapiens hoc facinus in prato suo spirituali Sophronius cap. 203. his verbis: Narrauit Patrum aliquis, quòd alius lapidarius

Imitandus lapidarius, qui omnes gemmas iecit in mare, ne illi forent occasio mortis. SOPHR.

rius quidam, habens pretiosissimas gemmas, & margaritas, nauem cum filiis suis, vt negociaretur, conscendit. Contigit autem illum ex dispositione Dei puerum quendam, qui erat in naui diligere, qui illi quoque in naui ministrabat, & ipse etiam ab eo reficiebatur, comedens ex his quæ ille comedebat. Die autem quadam audiuit nautas puer submurmurantes inter se, & statuentes eum in mare proiicere, pretiosorum lapidum causâ. Venit autem puer ille mœrens ad virum prædictum, vt ex consuetudine sua illi ministraret, qui ait illi, cur hodie ita mœstus es fili? Ille verò dissimulabat dolorem & tacebat. Rursum interrogauit eum: Dic mihi veraciter, quid habes? Tunc ille erumpens in fletum, ait: hoc & illud, de te constituerunt nautæ. Ad quod institor. Nosti hoc pro certo? Ait, vtique sic de te apud seipsos statuerunt nautæ. Tunc aduocans filios suos dixit: Quodcumque dixero vobis impigrè & absque vlla mora perficite. Tunc explicans syndonem cœpit eis dicere: Afferte capsulas. Quas cùm attulissent aperiens eas cœpit educere lapides. Et cùm omnia explicuisset, & in omnium conspectum posuisset, sic dicere cœpit: *Hæc vita est? Propter ista periclitor? & cum mari pugno? & post modicum morior? nihilque mecum ex isto sæculo fero? proiicite, filij, in mare ista omnia.* Mox itaque vt locutus est, tulerunt ea, & in mare proiecerunt. Nautæ autem obstupuerunt, consilium suum dissipatum esse cognoscentes.

32. Dum homo hac vtitur circumspectione & cautè ambulat, si contingat illum incidere in aliquas peccandi occasiones, adest illi robur Spiritus sancti ne illis succumbat, si autem temerariè sese periculis ingesserit, iam idem spiritus illum deserit, atque ita turpiter cadit. Audi Diuum Cyprianum libr. de singul. cler. hæc eleganter diffundentem: *Accipimus quidem fortitudinem spiritalem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboretur. Sed ita nobis spiritalis fortitudo collata est, vt prouidos, non vt præcipites tueatur. Vt illos muniat, qui renuntiant importunitatibus delictorum, non eos, qui se magis importunis delictis immergunt, custos nobis datus est Spiritus: sed vt contraria declinantibus assistendo subueniat: non vt contraria eligentibus, faueat: nec vt voluntarios & pronos in aduersa conferret, sed vt ab aduersis nitentes separari, confirmet. Nam quicumque perniciosis conatibus, audet exercere virtutem, iuuamen non habet Spiritus sancti, qui neminem vult vltroneum virum fortem ad fraudulentas victorias, coarctari, nec protegit eum, quinimò sed deserit, quem periculis irruentem, per illicitos euentus exquirere triumphos, agnouerit.* Sicut ipse iam tunc per Salomon locutus est, *Amans periculum in illo peribit:* Eccl. 3. Sic ille. Qualiter peccatorum pericula & occasiones cauere atque diffugere debeamus vide latè deductum per Anton. Velasquez in epist. ad Philipp. cap. 2. vers. 12. adnot. moral. 10. Qualiter Deus signatè opem ferat, qui peccati occasiones diffugiunt, illis verò peculiaria auxilia deneget, qui temerarij in pericula ruunt, vide eumdem loco cit. adnotat. 13. tom. 2.

CYPRIANVS.

33. Decimò hoc circumspectionis speculo præmuniti debemus non solùm abstinere ab omni re mala, sed etiam ab omni specie & similitudine mali, nimirum iuxta præclarum D. Pauli monitum ad Ephes. cap. 5. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo.* Postrema verba in commentario sic elucidat Diuus Hieronymus: *Omnia facienda cum consilio, vt cautè, atque soliciti, tantùm, quæ scimus Deo placere, faciamus, in morem prudentissimi trapezitæ, qui sculptum numisma, non solùm oculo, sed & pondere & tinnitu probat.* &c. Preme illa. *Cum consilio, cautè, solliciti,* quæ ad cicumspectionē signatè pertinent. De circumspectione Sanctorum quâ seipsos discutiunt, vide Gregor. 19. moral. 9. Sua circumspicienda non aliena pulcherrimè docet S. Zeno Veronen. Serm. de præcepto, *Attende tibi.*

De scuto Charitatis siue dilectionis proximi.

§. VI.

10. Octauum est, charitatis siue dilectionis proximi. *Charitas*, ait Pazius tom. 1. de vita Spirit. libr. 3. part. 3. cap. 25. *est clypeus animæ.* Et paulò pòst: *Hoc clypeo nos protegamus, quo muniti, nec curabimus maleuolorum opprobria, nec audiemus conuitia, nec sentiemus iniurias.* Quàm obarmet & muniat aduersus vitia animam hic clypeus, vide apud D. Greg. 10. mor. 4.

Proximi dilectio est instar scuti, quo armati libenter toleramus mala ab hominibus illata.

PAZIVS.

11. Qualiter repellat instar fortissimi clypei omne malum charitas, sic rectè & eleganter exprimit Diuus Ambrosius precat. 2. in præparat. ad Miss. *Ecce, alius pro terrenis rebus, terrenisq; honoribus; alius pro virtutum successibus cuilibet inuidet, quemlibet odit; contra quemlibet susurrat, de quolibet detrahit, cuiuslibet aduersis exultat, de prosperis animum mœstificat. Sed vt in cunctis hoc multiplex malum superetur, occurrat*

Dilectio proximi non dat locum inuidiæ, odio. &c.

AMBROS.

currat

currat Domine quæso illud multiforme bonum, quod potenti virtuti resistens non det inuidiæ locum, charitas scilicet, quæ fundamentum est omnium virtutum, & bonorum; quæ non inuidet, sed congaudet; non odit, sed diligit; non susurrat, sed obiurgat; non detrahit, sed arguit; non de aduersis proximi gaudet, sed mæret; non de prosperis afflictionem, sed consolationem recipit.

Quòd ipse Deus homini sit pro scuto.

§. VII.

Deus homini pro scuto,

12. NOnum scutum est ipse Deus, iuxta illud Psalm. 83. *Protector noster aspice Deus.* Quidam enim vertunt: *Clypee noster Deus aspice.* Præsertim comparatur ob protectionem clypeo, & quam confert salutem, à malis eruens 2. Reg. 22. *Dedisti mihi clypeum salutis tuæ* &c. De Dei protectione sic pulcherrimè Ecclesiasticus cap. 34. *Oculi Domini super timentes eum; protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegumen ardoris, & vmbraculum meridiani: deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & humilians oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Ita Dominus est in latere iustorum, vt suos oculos in eorum necessitates intendat. Illis est protector potens, quia eos defendit à malo, & firmamentum forte, quia ipsos stabilit in bono: illis est tegumen ab æstu, cùm à malis corporis protegit: & vmbraculum à meridie, cùm à superbia, ex bonis successibus emergente, liberat. Illis est depulsor offensionis, ne scilicet in malum cadant: & adiutorium casus, ne in dolos aduersariorum impingant. Eorum tandem animas gratia exaltat, eorum mentes sapientia illuminat, & illis omnia bona per sanitatem, vitam, & benedictionem signata, communicat.

Ob protectionem.

Hoc clypeo protegimur in die belli.

13. Diuinæ protectionis clypeum expertus Dauid, gratulabundus de illo sæpius mentionem facit. Psalm. 139. ait: *Obumbrasti super caput meum in die belli.* D. Hieronymus legit, *protexisti caput meum in die belli.* De Alexandro magno legitur, quòd cùm in quodam bello, in maximo versaretur periculo, eò quòd caput haberet inerme, cùm videret Clitus dux eius, militem gladium super ipsum vibrantem, vt illum occideret, scuto suo illum protexit, & sic mortem euasit. Sic, inquit Dauid, tu Domine protexisti caput meum in die belli, ne inimicorum meorum gladij me interficere possent. Sicut autem Deus clypeus Dauidi in bello corporali, sic multò magis ille nobisque est in bello spirituali.

14. Sub protectione clypei diuini anima nostra gladius est, quo Deus ipse vtitur contra inimicos nostros. Vnde illud Psalm. 16. *Erue ab impiis Deus animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* Interpretatur Diuus Augustinus, *frameam tuam, id est, gladium tuum. Ergo frameam, inquit, Dei dixit animam suam. Apprehendis enim animam meam, & debellas inimicos meos. Quid est anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat, & pugnet de illa? Effunde frameam, & conclude aduersus eos qui me persequuntur? Qui sunt qui te persequuntur? Fortè vicinus tuus, aut ille quem læsisti, aut cui fecisti iniuriam, aut qui vult auferre res tuas, aut contra quem prædicas veritatem, aut cuius peccatum obiurgas, aut quem malè viuentem, benè viuendo lædis. Sed & alios, docemur inimicos nosse, contra quos inuisibiliter dimicamus, de quibus nos admonet Apostolus ad Ephes. 6. Non est nobis colluctatio* &c. Paulò infrà: *Abundent iusti, & effunditur framea, & concluditur aduersus inimicos. Nam de ipsa effusione frameæ monens Apostolus, vt iustè viuamus, in sequenti ait, vt aduersarius vereatur nihil habens de nobis dicere prauum. Conclusum est aduersus eum, quia quid loquatur aduersus sanctos non potest inuenire.* Hæc ille.

Sub protectione Dei anima nostra gladius est.

AVGVST.

15. Quàm dignum omni gratitudine, quòd Deus sit homini pro clypeo, insinuat D. Augustinus, dum expendens illa verba Psalm. 34. *Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi,* sic scribit: *Magnum spectaculum est videre Deum armatum pro te. Et quod eius scutum? quæ arma? Domine (inquit alio loco homo iste, qui & hic loquitur) vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos,* &c.

Quàm dignum omni gratitudine quòd Deus sit homini pro clypeo.

AVGVST.

16. Quamuis autem Deus hoc suæ protectionis clypeo omnibus generalia, communia, sufficientiaque præstet præsidia, vt sese tutentur contra inimicorum spiritualium iacula; singulari nihilominus modo clypeus est Deus iustis, dum opportuno suo & peculiari auxilio illis in discrimine versantibus adest, vsque in tuto collocat & reponit. Vnde vt recti animi sui fiduciam exprimat Dauid, ait Psalm. 7. *Iustum adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde.* Pro quibus iuxta Hebraicum textum alij legunt: *Iustum scutum meum à Domino.* Hic premendum vult Antonius Velasquez scribens in epistol. ad Philipp. cap. 2. vers. 13. annotat. 5. epiteton, iustum, dicitque significare amplum & oblongum clypeum, qui totum pugnantis corpus, à pedibus ad caput tegat, ne quid improtectum, aut plagæ obnoxium existat: ita vt Propheta hac dicendi ratione insinuare velit, se peculiari & opportuno Dei auxilio tectum vndique fuisse aduersus ictus aduersarij, vndique explorantis vbi feriat, vbi

Singulari ratione est Deus iustis clypeus.

ANTON. VELASQ.

vulneret. Hac ratione discriminant auxilia illa peculiaria amicorum Dei, à communibus illis & generalibus, quę Deus etiam in eos qui in peccata incidunt, spargit.

Deus est clypeus protegens, tam externa quàm interna bona.

17. Secundò, Deus clypeus est protegens tam externa & corporalia, quàm interna & spiritualia. Ad priora quod attinet bona, de florentissimis opibus, & pretiosa supellectile Iobi, pulcherrimisque filiorum gregibus dicebat ipse oppugnator Iob cap. 1. *Nónne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamq; substantiam per circuitum?* Vbi Pagninus legit. *Nónne sepem posuisti circa eum, & circa domum eius, & circa omne, quod est ei vndique?* Similiter ex Græco Olympiodorus. *Nónne tu sepsisti quæ externa sunt eius?* quæ sic explicat: *Eum quasi quodam vallo, ac muro firmissimo communiuit, periculisque liberauit.* Quibus adstruit ipse hostis; sæpius se florentem Iobi fortunam oppugnare, & expugnare voluisse, verùm à peculiari Dei prouidentia Iobum protegente; & circa omnia illius bona excubias agente propulsatum atque repulsum. *Vide,* ait Olympiodorus in Catena Græca, *quemadmodum diabolus ad Iobum perdendum adorsus sit. Nónne tu sepsisti quæ externa sunt eius? Quibus verbis agrorum, & armentorum diuitias significare volebat. Sed tamen, ô scelestе, vnde nosti Iobum septum esse, ac munitum? Nisi quia sæpius te id faciendi libido incessit, quod posteà potestatem nactus fatere non dubitasti: nimirum tunc res illius omnes vallatas esse intelligebas, cùm prohibebaris; ideoq; dicit; Et omnia quæ sunt illi in circuitu sepsisti. Hactenus enim Deus nostra obuallat, & diabolo haudquaquam potestatem facit.* Hæc Olympiod.

Fuit Iobo scutum pro externis bonis.

PAGNIN.

OLYMPIODORVS.

Est iustis clypeus quantum ad interna.

18. Ad posteriora quod attinet bona. *Quoniam in circuitu impij ambulant*, vt legimus Psalm. 11. vt seducant à Deo animas, easque bonis priuant spiritualibus. *Quoniam*, etiam teste Petro, 1. Petr. 5. *aduersarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Hinc etiam est Deus iustis murus ignis in circuitu. Dicit se futurum murum, vel si mauis, clypeum igneum, vt exprimat efficaciam protectionis suæ; est enim ignis omnium elementorum efficacissimum. *Ipse est*, inquit Hieronymus, *murus ignis in circuitu, vt credentes & inhabitantes in medio calefaciat, qui prius frigore charitatis intepuerant: & possunt spiritu esse feruentes: lupos autem & sæuissimas bestias, de quibus scriptum est: Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & quorum fructus est fœnum, ligna, stipula; & afferunt tribulos, & spinas, suo igne consumat: & qui aduersarius ignis est, fit in medio credentium gloria,* &c.

Est murus, siue clypeus igneus.

HIERON.

Deus plenius nos protegit respectu bonorum spiritualiũ, quàm temporalium.

19. Verùm sicut clypeus superiùs latus, inferiùs angustus; sic Deus pleniùs nos protegit respectu spiritualium, quàm temporalium: hæc enim ad hominem propriè non spectant, sicut illa. Vnde Dauid Psalm. 48. accurata locutione dicebat: *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius;* opes videlicet, ac externa bona ad gloriam domus eius, potiùs quàm ad gloriam eius reiiciens, alia quippe hominis gloria, alia gloria domus illius censeri debet: sed hæc melius audies à Diuo Chrysostomo homil. 7. de pœnitent. tom. 5. sic præfatum locum extendente: *Vidisti dictionis subtilitatem, & manifestam diuisionem; non enim dixit: cùm multiplicata fuerit gloria eius, sed gloria domus eius; ostendens sanè, alteram quidem esse hominis gloriam, alteram gloriam domus: domus quidem gloria, porticus, deambulatoria, laquearia pulchra, pauimentum, gemmarum ornatus, prata, hortuli, seruorum multitudo, sumptuosaq; supellex, quorum nihil ad hominem: hominis verò gloria, fides recta, zelus in Deum, charitas, humilitas, mansuetudo, assidua oratio, eleemosyna, Philosophiæ ornatus, & cætera virtutis membra.* Sic ille.

CHRYSOS.

20. Atque hinc accidit, vt si contingat nos non tam vti quàm frui humanis hisce rebus externisque bonis, illis videlicet propter ipsorum pulchritudinem aut voluptatem inhærentes, atque in eo tamquam in scopum, & vltimum finem animum impetu dirigentes, cùm solùm ad vtendum nobis à Deo data sint, vt illis videlicet tamquam mediis, siue instrumentis ad Dei obsequium, æternamque vitam promerendam vtamur, facilè permittat Deus ea omnia ab hostibus inuadi, & nobis auferri. *Si omnia*, ait Saluianus Massiliens. libr. 1. ad Ecclesiam Catholicam, *omnibus Deus tribuit, nemini dubium est, quòd ea, quæ Dei dono accepimus, ad Dei cultum referre debeamus, & in eius opere consumere quæ de eiusdem sumpsimus largitate; hoc enim est agnoscere munus Dei, & diuinis beneficiis bene vti, vt datis suis illum honores, à quo data ipsa acceperis.* Hæc Saluianus. Verùm quoniam longè aliter nobiscum agitur, & donis hisce Dei abutimur in illius contemptum, & propriæ animæ perniciem, tamquam ab iniustis possessoribus patitur ea Deus nobis auferri. Agit nobiscum dæmon; sicut egit cum primis parentibus, vt auferat quę illis concessit bona Deus, offert illis prohibitum pomum, quod vt facilius degustent, addit Genes. 3. *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Quid tum illi? Degustant à vetita arbore, & mox aufertur ab indigno possessore tam copiosa & illustris bonorum supellex. *Offert prohibitum*, ait D. Bernardus tract. de gradu humil. *& aufert concessum; porrigit pomum, & surripit paradisum, & sic denudatus gratiâ, denudat etiam bonis externis.* Nam vt ait scriptura Genes. 3. *Cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus.* In quæ verba sic opportunè Basilius Seleucus orat. 3. in Adamum:

Permittit Deus facilè, vt externa nobis auferantur, si illis malè vtamur.

SALVIAN.

Dæmon porrexit Adamo pomum & rapuit paradisum, ita etiam nobiscum agit.

BERN.

BASIL.

Adamum: *Iam seductionis fructum vindemiarunt. Consuerunt folia ficus, ipsi nudati nudant arbores.* Nudatus enim diuinâ gratiâ homo, non se solùm, sed etiam concessa sibi perdit externa & corporalia bona.

Iusti qui non abutuntur bonis externis habent Deu ea conseruantem.

21. Longè aliter res se habet in iusto, cui Deus clypeus est, protegens non solùm quantum ad interna, sed etiam quantum ad externa bona. Vnde de eo, qui habitat in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cæli commoratur, sic scribit D. Chrysostomus: *Habitare in adiutorio non suo, sed altissimi, sempiternò habitare demonstrat: & quia non de viribus suis præsumit, in protectione Dei cæli commorabitur reuera qui protegitur à Deo fabricatore cæli: securus habitat in terra, & prolixam vitam inueniet, & lætus semper erit, & lætus semper gaudebit: protegitur Imperator scuto, & non timet: qui à Deo protegitur, quid timet?* &c.

Chrysos.

Deus affluenter dat iustis bona spiritualia, parcè carnalia.

22. Tertiò, clypeus est Deus iustis, dum largè & affluenter largitur eis dona sua, spiritualia & cælestia; parcè verò & strictè carnalia & temporalia. Quo respiciens D. Bernardus serm. 6. in Psalm. *Qui habitat*, existimat illis verbis, *scuto circumdabit te veritas eius*, scuti genus describi à Dauid, superiori parte latum esse, inferiori verò angustum magis. Superiorem autem cœlestia & superna bona significare: inferiorem verò terrena & temporalia, nimirum quia spiritualibus bonis & deliciis affatim quidem pios homines ditet; temporalia verò parcè concedat. Adduco illius verba: *Non incongruè sanè scuto comparatur gratia diuina protectionis, quod in superiori parte amplum, & latum est, vt caput humerosq; custodiat; in inferiori verò strictum, vt minus oneret, maximè quòd graciles sint tibiæ, nec tam facilè vulnerentur, sed nec adeò periculum sit illis in partibus vulnerari. Sic omnino sic in militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est, carnem, magnam, vt ita dixerim, strictitatem, atque penuriam rerum temporalium donat: nec vult eos illarum multitudine pragrauari, sed victum, & vestitum habentes, quemadmodum ait Apostolus, his contenti sumus: in superioribus verò ampliorem latitudinem, & abundantiam gratiæ spiritualis. Sic enim habes; Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.*

Bern.

De scuto æquitatis, quo præsertim armandi iudices.

§. VIII.

Scutum, æquitas.

23. Decimum scutum est, æquitas. De Christo iudice legimus Sapien. 5. *Sumet scutum inexpugnabile æquitatem.* Hoc clypeo præsertim iudicis muniendum pectus. De vi & efficacia auri & argenti fatus Ecclesiasticus cap. 8. ait: *Multos perdidit aurum & argentum, & vsque ad cor regum extendit*, scilicet suam perdendi vim & efficaciam; *& conuertit*, id est, & peruertit: quasi dicat: Aurum sua specie & fulgore inflectit & peruertit etiam corda regum, qui eo non egent, vt propter aurum diuitem præferant pauperi, & pro diuite sententiam, licet iniquam, proferant; quantò magis aurum inflectet & peruertet corda testium & iudicum tenuiorum, vt contra æquitatem causam pauperi abiudicent, & diuiti adiudicent? Syrus, quia multos perdit aurum, & etiam cor regum insanire facit. Græcus, aurum enim perdidit multos, cordaque regum peruertit. Multi enim propter aurum perdunt conscientiam, ac sæpe famam & vitam. *Pecuniæ enim obediunt omnia.* Et: *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Deuter. 16. Non sapientium tantùm sed iustorum etiam oculis tenebras offundunt, ne cernant splendidissimam iustitiam; verba virorum etiam iustorum mutant, linguamque peruertunt: siquidem alia loquuntur lingua, postquàm munera acceperunt.

Hoc clypeo iudicis muniendus animus.

Vis munerum.

24. Argenteis hastis pugnant quidam, quarum quanta sit vis, Pythius Apollo consulenti Philippo ostendisse legitur his verbis:

Tela adhibe in bellis argentea, & omnia vinces.

Hisce telis bellum cum iustitia atrox geritur, sæpeque, proh dolor victa gemit, trahiturque leo, vt est in prouerbio, laqueo aureo.

25. De vi & efficacia munerum, vide Benedictium Fernandium tom. 3. comment. in Genes. cap. 32. sect. 5. Et in cap. 33. sect. 2. num. 14. Vide Cornelium in Eccli. cap. 8. vers. 3. vide Valderama in festo S. Nicolai serm. 1. Vt ergo hisce lanceis & telis aureis argenteisque resistat iudex, sumat & ipse scutum inexpugnabile, veritatem.

Bened. Fernandius. Cornel. Valderama.

26. Quàm hoc scutum necessarium gubernatori reipublicæ, illa pictura indicabat, quam memoriæ tradidit Diodorus libr. 2. cap. 1. *Triginta*, inquit, *viri ab vna parte muri sculpti erant; & in medio iudicandi princeps, cuius à collo suspensa veritas penderet, id indicabat prætorem solam respicere veritatem*, &c. Id ipsum abundè docuit ipse Deus, cùm voluit, summum sacerdotem veritatem ferre in pectore. Muneris neglecti exempla, vide apud Labata in locis com. v. Iudex prop. 2.

Quàm necessarium hoc scutum gubernatori.

Diodor.

Quòd

Quòd exempla sanctorum sint instar scuti.

§. IX.

Exempla sanctorum scuta. GREGOR.

26. **V**Ndecimum, sunt exempla sanctorum. *Hisce enim*, ait Gregor. hom. 15. in Ezech. *contra aduersarios nostros inexpugnabiliter armamur. Dum enim quamlibet virtutem subire appetis, & hanc illic à patribus iam impletam vides, ibi armaturam tuam inuenis per quam contra spiritalia bella muniaris.* Vnde D. Gregorius homil. 15. in Ezech. postquàm adduxisset illa verba Cantic. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum. Mille clypei pendent ex ea*; existimat per turrim designari Ecclesiam, per collum verò S. Scripturam; per mille clypeos, varia Sanctorum exempla; quibus quasi tot scutis obarmatur anima, & Christiani hominis pectus munitur. Exempla Sanctorum qualiter nos scutorum more obarment, vide apud D. Gregorium loco citato.

Quòd sacratissima Eucharistia habeat rationem scuti.

§. X.

Eucharistia scutum.

27. **D**Vodecimum scutum est, Eucharistia. Legimus Cantic. 4. *Mille clypei pendent ex ea*, nimirum Ecclesiæ turri. Quinam hi clypei? Clypeos hosce vult Theodoretus esse Sacramenta. Si Sacramenta clypei, certè præ cæteris omnibus, nomen clypei conuenit Eucharistiæ. Psalm. 63. ait regius vates: *Quoniam misericordiam & veritatem diligit Deus.* Iuxta Hebraicam lectionem transfert Titelmannus, *Quia sol & scutum Dominus.* Vbi quæso tam eximiè sol & scutum Dominus, quàm in hoc Sacramento? Quantum ad primum, in hoc Sacramento Dominum Iesum esse carbonem ignitum, testatur Damascenus lib. 4. orth. fid. *Carbo*, inquit, *ignitus, & ignis Dominus, cuius participatione ignimur. Sacramentum illud*, ait Thaulerus, *omnem cordis cæcitatem illuminat. Accedite ergo ad eum, & illuminamini.* Quantum ad secundum; vide qualiter oret D. Thomas: *Tu nos pasce*, ait, *nos tuere.* Et in Canone oramus: *Prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis.* Et D. Cyprianus lib. 1. epist. 2. dicit: *Eucharistiam à capientibus esse tutelam, & quos secum esse contra aduersarios volumus, munimento Dominicæ saturitatis armamus.*

TITELM. Sol & scutum Christus in Sacramento.

DAMASC. Carbo igneus in Sacramento Christus. THAVL.

D. THOM.

CYPRIANVS.

28. Ita vt illud Psal. 90. meritò huic Sacramento applicari possit: *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* In quę veba sic Glossa interlin. *Deus non solùm ab occultis, sed & ab apertis dæmonis tentationibus nos eripit; tentatio leuis, & occulta sagitta volans in die, tentatio aperta; negotium perambulans in tenebris, tentatio grauis & latens. Scuto circumdabit te veritas eius, hoc est*, ait Arnobius ibi, *scuto corporis, sanguinis, chrismatis.*

GLOSSA INTERL.

ARNOB.

29. De sacra Eucharistia sensum subesse illis verbis Isaiæ c. 21. *Pone mensam, contemplare in speculo comedentes & bibentes; surgite principes; & arripite clypeum*, existimat D. Hieronymus, citata enim explicans verba, sic scribit: *Propheta præcipitur, vt vescens in mensa Domini; & illius saturatus cibo, diligentiùs contempletur quæ ventura sint mundo: diciturq; per eum ad omnes credentes: vt comedentes & bibentes corpus & sanguinem Domini, vertantur in principes Ecclesiæ, & cum Apostolis audiant: Surgite, arripiantq; clypeum.*

HIERON.

Scutum inde appellatum vult Isidorus, quod à se excutiat telorum ictum: vt enim telis resistatur, clypeus antefertur. Quæ tela non excutit Eucharistia, nónne omnium vitiorum tela, quibus animam nostram oppugnat diabolus? Nónne munit hominem contra omnes animi pestes? Nónne obarmat aduersus concupiscentiam? Meritò dixit Dauid Psal. 22. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis; non timebo mala, quoniam tu mecum es. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.* Præcipuè verò mirabilem habet vim Eucharistia, ad propulsandum obscœnum amorem, vt ostendit Gregor. Niss. hom. 8. in Eccli. Qui cùm magnificum illud effatum Saluatoris protulisset, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Qui ergo*, inquit, *amat hanc carnem, non est amicus suæ carnis, & qui in hunc sanguinem est affectus, mundus erit à sensuali sanguine. Caro enim verbi, & sanguis qui est in hac carne, non vnam habet gratiam, sed est suauis iis qui gustant, & appetendus iis qui desiderant, & iis qui diligunt amabilis.* Sic ille. Quòd referunt D. Hier. & alij, verba Zach. cap. 9. nominantis Eucharistiam, *frumentum electorum, & vinū germinans virgines*: Ex hoc vino nō ebrietas corporis, sed casta consilia mentis, & purissimæ cogitationes pullulant. Atque vt offa Poëtica Cerberum, sic mirabilis hæc Prophetica placentula fomitē in nobis, & concupiscentiam, vt tricipitem belluam sopit, & lasciuientis carnis appetitiones coërcet.

Omnia vitiorum tela excutit Eucharistia.

Præcipuè obscœnum amorem. GREGOR. NISS.

HIER.

Si splendore clypeorum terreantur hostes, iuxta illud Nahum cap. 2. de exercitu Chaldęorum: *Clypeus fortium eius ignitus.* In quę

Clypeorum splendore terrentur hostes.

LIRAN. quæ verba sic Liranus: *Erant ibi laminæ æreæ, ad solis radios refulgentes sicut ignis, ad terrorem Assyriorum, vel ad offuscandum oculos eorum.* Quid hoc clypeo splendidius excogitari potest? Eucharistia dicitur ab Hesichio, *Cana lucis*: à D. Chrysostomo hom. 61. ad pop. *fons lucis*; & Nizetas Dauid in vitâ Ignatij Constantinopolitani, sic de illa scribit: *Diuinus panis, velut cælestis carbo, gratiæ radios spargebat*. Quis iam explicet, qualem hic clypeus ingerat timorem hostibus? *Tanquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedamus, facti diabolo terribiles*, ait D. Chrysostomus hom. 61. ad pop. In Agamenonis clypeo insculptum erat leonis caput, cum hac inscriptione: *Hic pauor est hominum*, vt testatur Pausanias lib. 5. In clypeo Eucharistico, non insculptum leonis caput, sed sub illo continetur Leo de tribu Iuda Christus Dominus. Dicit meritò Christianus, *hic est pauor dæmonum*. Terrorem sua luce ingerit hic clypeus dæmonibus, offuscationem verò lippientibus hæreticorum oculis, iuxta illud S. Procli in quadam epist. *Lippus oculus, solare iubar inoffensè non admittit; nec imbecilla mens fidei fastigium capit.* Similiter hæretici dum lippientibus oculis, & magnam illam Eucharistiæ lucem non ferentibus, eam intuentur, planè excæcantur.

Eucharistia clypeus lucis. HESICH. NIZETAS. Terrorem ingerit hostibus. CHRYSOS. PAVSAN. Hic clypeus lippis hæreticorũ oculis ingerit offuscationem. S. PROCL.

Secundo Machab. cap. 15. legimus, *extendisse Hieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum dicentem. Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quod eijcies aduersarios populi mei Israel.* Per Hieremiam qui orabat multum, intellige Sacerdotem, de cuius manu quisque fidelium suscipit Eucharistiam, & videtur dicere vnicuique: Accipe sanctum gladium, &c. Aureus est hic gladius, quia procedit ex immensa Christi charitate. Secundò, munus à Deo: tertiò, in quo deijcies aduersarios. Quod de Eucharistia sub similitudine gladij dictum, nos de eadem sub imagine clypei possumus dicere, & accipientes Eucharistiam, nobis persuadere hæc à sacerdote præferri verba: *Accipe clypeum aureum, munus à Deo, in quo deijces aduersarios.*

Aureus gladius Eucharistia.

Vide ô Christiane quibus manibus hunc clypeũ aureum accipias è manibus Sacerdotis: clypeus est aureus, clypeus est lucidus gratiæ radios spargens; an tam erit impudens, vt impuris manibus eum accipias? Audi D. Chrysost. ho. 24. in 1. ad Corinth. *Si Regem quis non inconsideratè acciperet, quid dico Regem? imò ne regium quidem vestimentum immundis manibus tangeret, quamuis & solo loco solus esset. Atqui nihil aliud vestimentum est quàm vermium filum: quod si picturam admiraris, etiam ipsa mortui piscis sanguis est; verùm id nemo immundis manibus auderet tractare. Quonam igitur pacto omnium Domini corpus purum & immaculatum, quod diuinæ illius naturæ particeps est, propter quod & sumus, & viuimus, propter quod portæ inferi fractæ sunt, & cælorum apertæ, tanta cum ignominia accipiemus?* Si immundis hunc clypeum susceperis manibus, si in tenebricoso corde, & cõscientia illum collocaueris, iam non diuinæ gratiæ, sed æternæ mortis, æternique iudicij atque condemnationis vibrabit radios.

Quibus manibus hic clypeus aureus è manu Sacerdotis accipiendus. CHRYSOS.

Neque tibi sufficiat, quòd semel illum puris manibus acceperis, cauendũ ne hunc aureum clypeum per peccati mortalis perpetrationem, tibi eripi sinas, & nudus & inermis inter tot infensissimos huius vitæ hostes remaneas. Turpissimum, & militi maximè ignominiosum erat antiquitus scutũ amittere vt suprà indicauimus, quantò ignominiosius Christiano, si hunc aureum perdat clypeum. *Sicut qui præclara veste vestitus est*, ait Chrysost. in oper. imperf. ho. 14. *fugit omnem rem sordidam, ne fortè coinquinet eam & perdat gratiam candoris eius: sic qui suscipit Deum in corde suo, & spiritu suo solicitus esse debet, ne fortè contaminet eum, sciens quia si contaminatus fuerit in nobis, ipse quidem in sua natura incontaminabilis manet, tamen contaminationis suæ iniuriam, grauiter nostro vindicabit interitu.* Sic Chrysostom.

Caue ne tibi eripi sinas hunc clypeum. CHRYSOS.

30. Apponius scribens in citat. Cant. 4. locum, vult turrim illam Dauid cum propugnaculis ædificatã, & ex qua mille pendent clypei, ipsam esse Eucharistiam, sic enim ait: *Christus ad similitudinem Regis Dauid, qui propter hominum insidias, in arce Sion turrim legitur fabricasse: vbi arma, custodia Regis essent, nobis in eadem arce Sion turrim carnis suæ, cibum animarum nostrarum, corporis & sanguinis sui, & crucis, arma defensionis nostræ posuisse.*

Turris illa Dauidica, ex qua mille clypei, Eucharistia. APPON.

De scuto fidei & sacræ Scripturæ.

§. XI.

31. DEcimum tertium scutum est fides; de quo D. Paulus ad Ephes. c. 6. *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Fides scutum est*, ait D. Aug. in Psal. 33. *quia tela inimicorũ excipit & repellit. Lorica est, quia interiora tua transfigi non sinit.* Sed quænam hæc tela ignea? D. Chrysost. in hunc locum, tela ignea dicit esse absurda desideria. Et D. Thomas in eodem loco, tela ignea prauas concupiscẽtias interpretatur. *Et meritò quidem* (ait Viegas super cap. 12. Apoc. Comment. 1. sect. 9. n. 5. §. ob eam causam) *tentationes libidinis igneis iaculis comparantur. Primùm, quia præ alijs animum, & corpus maximè inflammant* (est enim vt ignis infernalis, vt modò diximus) *Secundò, quia quemadmodum ignis in locum aliquem iniectus, propinqua omnia ædificia, vicinamque syluam corripit: ita luxuria, cùm animum incenderit, omnes animi vires consumit, & de vitio in vitium, quasi flamma de domo in domum serpit. Tertiò denique, quia quemadmodum parua scintilla, nisi statim* extingua-

Fides scutũ. AVGVST. Scutum est aduersus tela ignea. CHRYSOS. Quænam hæc tela ignea. BLASIVS VIEGAS.

extinguatur, magnum excitare solet incendium: ita exigua carnis tentatio, nisi quamprimum sopiatur, incredibiles in animo flammarum globos excitat.

Qualiter hoc clypeo extinguantur tela ignea.

32. Sed qualiter fidei clypeo extinguũtur hæc tela ignea? Audi D. Chrysost. loco citat. *Irruit*, inquit, *concupiscentia, obijce fidem futurorum bonorum, & neque apparebit amplius.* Et D. August. in Ps. 33. *Armamur*, ait, *earum rerum fide, quas non videmus, & sternimus hostes quos non videmus.*

Chrysos. August.

Eodem scuto repellimus varias suggestiones diaboli. Chrysos.

33. Non solùm præfata tela ignea repellit & extinguit fidei scutum, sed & alia multa. Vnde ait D. Paulus Ephes. 6. *In quo possitis omnia ignea tela extinguere.* In quæ verba sic D. Chrysost. homil. 24. ad Ephes. 6. *Scutum est quod primum excipit insultus inimicorum, & arma seruat inuulnerabilia. Talis est fides vt vniuersum contegat & obumbret. Ne sit ergo breuis, vt nudos sinat pedes, aut aliquid aliud, sed sit scutum iustam habens symmetriam. Ignea. Sunt enim multæ disceptationes animam vrentes, multæ dubitationes, multæ quæstiones inexplicabiles. Sed reuera fides facit vt omnia cessent & conquiescant. Multa immittit diabolus nostram inflammans animam, & adducens ad ambiguitatem, vt quando dicunt aliqui. Nunquid est resurrectio? Nunquid est remuneratio? Nunquid est fides? Et extinguere, inquit, diaboli tela in fide. Inuasit libido & cupiditas: oppone ei fidem futurorum bonorum, & ne apparebit quidem, sed peribit. Omnia tela. Non hæc quidem extinguet, illa verò non. Audi enim Paulum dicentem. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Non vides quàm multa tela tunc extinxerint iusti? An non videntur tibi tela esse ignita, quod interno igne vreretur Patriarcha filium offerens? Porrò autem alij quoque iusti omnia eius tela extinxerunt. Siue ergo bellum gerant cogitationes, eam opponamus. Siue libidines & cupiditates, eâ vtamur. Siue labores & ærumnæ, in ea conquiescamus: ea meritò est quæ conseruat arma omnia. Si eam non habeamus, illa citò perforabuntur & lædentur. In omnibus, inquit, sumentes scutum fidei. Quid est, in omnibus? & in veritate, inquit, & iustitia, & in præparatione Euangelij. Hoc est, omnia hæc eâ opus habent.* Hæc ille. *Sicut scutum*, ait D. Thomas, *supponitur omnibus armis, ita fides omnibus alijs virtutibus.*

Rom. 6.

Est fidei scutũ omnibus virtutibus.

Peccata, falerinæ, id est, sagittæ ferro & igne armatæ.

Quid peccata omnia, quàm nequissimi ignea tela? Antiquitus erant sagittæ quæ vocabantur falerinæ, quæ ferro acutissimo erant armatæ, & igne, penetrabant itaque & vrebant. An non hisce sagittis peccata assimilanda. *Anima*, inquit Origen. hom. 8. in Num. *quoties peccat, toties vulneratur. O si possemus per vnumquodq; peccatum videre, quomodo homo noster interior assiduè vulneratur, & per cogitationes, & per concupiscentias malas, frangitur autem & conteritur per opera peccati. Quæ si omnia videre possemus, & vulneratæ animæ sentire cicatrices, certum est, quòd vsque ad mortem resisteremus, aduersus peccatum. Sed nos cupiditatibus sæculi amentes effecti, vel vitijs inebriati, sentire non possumus quanta vulnera, quantas contritiones anima peccando conquirimus.* Vis scutum quo hæc ignea tela extinguas? Accipe fidei scutum, in illo omnia facilè extingues, *in quo*, ait D. Paulus, *possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Origen.

Scuto fidei hæ sagittæ extinguuntur.

Cur, inquies, non ait, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea excutere, propulsare, frangere &c. quid enim scuto, cum extinctione? Nodum soluit ipse Paulus, dum 1. Cor. 13. fidem comparat speculo dicens: *Videmus nunc per speculum.* Fides est instar clarissimæ aquæ, in qua velut in in pellucido speculo videmus quid sperandum, nimirum summa beatitudo: quid timendum, nimirum Deus, qui potest & corpus & animam mittere in gehennam: quid fugiendum, nempe peccatum, tamquam malorum omnium maximum &c. Vbi autem ignea peccatorum iacula faciliùs extinguuntur, quàm in limpidissimis Scripturarum & sacrarum reuelationum aquis. *Fides*, inquit D. Bonauentura in dict. tit. 5. c. 3. *comparatur speculo mundo. Quia sicut turris magna in modico speculo cernitur: sic maiestas & magnitudo diuina in speculo fides repræsentatur.* Iam verò si hoc speculum repræsentet summam Dei maiestatem, quam contemnimus cùm peccatur, an mirum quòd fides, quæ simul & scutum & speculum, vel potius speculare quoddam est scutum, extinguat ignea peccati tela?

Qualiter fidei speculum dicatur extinguere ignea tela diaboli, & non potiùs ea excutere frãgere, &c.

34. Qualiter vim tormentorum Dei confessores hoc clypeo armati repulerint, eorumque vim represserint, pulchrè declarat Cyprian. lib. 2. epist. 6. Christi confessores sic alloquens, atque demulcens: *Vidit admirans, præsentium multitudo cæleste certamen, certamen Dei, certamen spirituale, prælium Christi, stetisse seruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei ardentis armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores: & pulsantes, ac laniãtes vngulas pulsata ac laniata mẽbra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit, sæuiens diu plaga repetita, quamuis rupta compage viscerum torquerentur in seruis Dei iam non membra, sed vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persecutionis extingueret.* Sic ille. *Fides*, ait D. Bonau. in dict. tit. 5. c. 3. *Est sicut militare scutum. Nam sicut scutum ponitur ad sinistram partem, ita fides præcipuè armat hominem contra aduersitatem.*

Hoc clypeo repulẽre martyres vim tormẽtorum. Cypria.

Fides armat hominem contra aduersitatem Bonav.

35. Verùm vt clypeum fidei supra relata extinguat tela necesse est eum nõ esse simplicem, sed sibi connexas debet habere varias virtutes, ita vt similis sit illi Aiacis clypeo, de quo Ouidius Metam. 13.

Scutum fidei, non sit simplex sed septemplex, id est, ornatum virtutibus.

Clypei Dominus septemplicis Aiax.

Cùm enim ex corio fierent clypei, tergora multiplicabant antiqui; leuia enim sunt & lenta, ita vt textu septemplici scuta interdum essent firmata.

Scri-

Christiano, non objiciendus clypeus ligneus telis diaboli sed ferreus.

Scribit Plutarchus in Marcello, quòd cùm Galli Romanorum regionem inuasissent, atque non procul ab vrbe castra metabantur, Camillus quintùm Dictator creatus acceptis copijs, contra Gallorum gladios, quibus impetentes capita abscindebant iussent comparare galeas omnino ferreas ac læues, vt enses retunderentur, aut confringerentur. Clypeis autem vndique æneum tegumentum induxerit ligno, ictus non ferente. Similiter, non Christiano, objiciendum telis igneis diaboli, scutum ligneum, lãguidæ cuiusdam, & mollis fidei: quomodo enim hic clypeus ictus feret; sed necesse est vt clypeo huic, æneum tegumentum inducat, eamque muniat forti & infragabili non peccandi, nec quibuscumque malis cedendi proposito.

Debet scutũ fidei varijs imaginibus: id est, bonis operibus exornari. PLVTARC.

36. Secundò, scuti antiquitus clypei in exteriori facie erant varijs imaginibus exornati atque depicti; ita & fidei clypeus debet exornatus esse bonis operibus. Meminit Plutarchus in apoph. morem illum apud Lacedæmonios obseruatum, qui proficiscentibus ad militiam tradebant scutum sine aliquo scemate, signove depicto, aut inciso, vt locus esset pingendi, & assignandi in eo quæ præclara in bello quisque gereret, quibus insuper tantummodò posset gloriari & dum nihil gessisset, nec depictum in scuto gestasset, veluti inglorius tyro habebatur. Vnde de milite quodam, pungens illius ignauiam, dicit Poeta.

Parmaque inglorius alba.

Ingredientibus itidem nobis Christi militiam cõtra animi hostes assumimus scutum fidei. Sed inglorij, & veluti mortui reputabimur, dùm fides sine operibus, & scutum sine scemate apud nos inuentum fuerit.

Nemini de nudo fidei clypeo gloriandum. SALVIA.

Nemo de nudo, & indepicto fidei clypeo glorietur, sanè talis fides dæmoniaca nominari potest, imò dæmoniaca fide inferior est, vt pulcherrimè probat Saluianus lib. 4. de gubern. Dei, expendens illa Iacobi verba c. 2. suæ epist. *Et dæmones credunt, & contremiscunt*, ait itaque: *Tu credis, inquit ad Christianum sermo diuinus, quòd Deus vnus est, bene facis, & dæmones credunt & contremiscunt. Numquid errauit Apostolus, vt hominis Christiani fidem dæmoni compararet? Non vtique: sed ostendere illud volens, quod suprà dictum est: quia sine operibus bonis nihil sibi per fidei supercilium vsurpare deberet. Idcircò autem à dæmonibus Deum credi, vt sicut dæmones, cùm esse Deum credunt, tamen in peruersitate perdurant: ita & quosdam homines quasi credulitatem dæmoniacam habere, qui cum se Deum credere asserunt, tamen à malo opere non cessant. Subiungit autem ad pudorem, & condemnationem hominum peccatorum; non credere solùm dæmones Dei nomen, sed etiam timere, & contremiscere: hoc est dicere: Quid tibi blandiris, ô homo, quisquis es, credulitate, quæ sine timore, atque obsequio Dei nulla est? Aliquid plus dæmones habent. Tu enim vnam rem habes tantummodo, illi duas. Tu credulitatem habes, non habes timorem: illi & credulitatem habent pariter, & timorem.*

Debet scutum fidei esse perunctum oleo gratiæ. VIRGIL.

37. Tertiò, necesse est clypeum fidei esse perunctum oleo diuinæ gratiæ. Solebant antiquitus milites arma vngere, vt sint polita & fulgentia. Vnde Virgil. lib. 7. Æneid.

Pars leues clypeos, & spicula lucida tergunt,
Aruina pingui.

VEGETIVS

Et Veget. lib. 2. c. 14. *Decario*, inquit, *cogat milites loricas, contos & cassides frequenter tergere, plurimum enim terroris hostibus armorum splẽdor importat. Et: Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulatione ferrum & arma situ & rubigine fœdantur?* Vngebatur etiam clypeus, vt leuis & lubricus melius hostium eludat iacula, ictusq; auertat, quibus asperitas viam solet aperire. Ita decet & militem Christianum peruigilem esse; ne rubigine aliqua obducatur fidei clypeus, sed vt oleo gratiæ vndique politus, leuis & lubricus exultat.

Clypeus fidei debet esse splendidus & ignitus.

38. Quartò, oportet clypeum fidei esse splendidum & ignitum. De apparatu bellico, quo Nabuchodonosor erat inuasurus Niniuem loquens Propheta Nahum c. 2. sic ait: *Clypeus fortium eius ignitus.* Id est, tam splendidus, vt ex percussione luminis, præsertim solaris, flammas eiaculari videatur, quibus perstringat oculos, in aduersa acie constitutos. Contingit nonnunquam, vt vel validissimus in pugna superetur visibilis hominum exercitus ab exercitu in cuius parte sit sol, radijs militantium ex aduerso oculos constringens. Quo stratagemate ex potentissimo Persei exercitu victoriam retulisse L. Paulum Emilium, scribit in illius vita Plutarchus. Quò respiciens miles ille inani ostentatione iactabundus apud Plautum in initio actus 1. sic loquitur: *Curate vt splendor meo sit clypeo clarior, Quam solis radij esse olim, cum sudum est, solent. Vt vbi vsus veniat contra conferta manu oculorum constringat aciem in acie hostibus.* Similiter conari debet Christianus, vt habeat clypeum fidei maximè splendidum & ignitum, ita vt in aduersam dæmonum aciem radios vibret maximæ exemplaris & virtuosæ vitæ, quibus eorum quasi perstringat oculos, ita vt immittẽdi sagittas suas igneas desit illis potestas atque facultas. Iuxta illud D. Pauli ad Tit. 2. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile, vt is, qui ex aduerso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.* PLVTARC.

Littera M depingi solita in interiori facie clypei. PIERIVS.

39. Quintò, oportet quod in interiori facie huius spiritualis clypei depicta sit littera M. Refert Pierius libro 42. illustrissimos Missænos solitos fuisse in scutis suis litteram hanc M sculpere, significare volentes, quod sicut partes huius litteræ desuper vniuntur, & copulantur in vna, ita corpus Reipublicæ vnitum esse debet cum suo capite. Similiter Christianus, si velit clypeum fidei esse insuperabilem, non deserat vnitatem; vnitatem

tem colat cum Christo, vnitatem colat cum proximo.

Rectæ fidei addendus cultus Mariæ Virginis.

40. Sextò, oportet Christianus in interiori parte clypei fidei depictam habeat imaginem Virginis. Arthus strenuissimus dux, in scuto depictam, gerebat imaginem Virginis; quoties verò eam contemplabatur, vires resumebat. Similiter si rectæ & sinceræ fidei addamus cultum & venerationem Virginis, si virgineam imploremus opem, dum videmur obrui, nouis induemur & donabimur viribus.

Quibus clypeis cōparāda languida multorum fides. DIODOR.

41. Quia verò fidei nostræ clypeus nequaquam, vt dictum, est instructus, hinc vndique nos vulnerant peccatorum & malorum incurrentium tela. Diodor. lib. 20. refert, quòd Agatocles Syracusiorum tyrannus, in Affricam traducto exercitu, cùm eos qui clypeis carebant, inermes videret, clypeorum tegumenta baculis affixit, & specie circulum clypei imitatus, eis tradidit nequaquam ad vsum idonea, sed quæ procul conspecta, armorum speciem referre possent ijs, qui rei veritatem ignorarent.

FORTIVS.

Fortius lib. 1. c. 7. scribit: Spartago, copijsque eius, scuta ex vimine fuisse quæ corijs tegebantur. M. Anton. Triumuir, Murmâ profugus, cortices pro scutis militibus suis dedisse legitur. Similibus clypeis, comparanda, languida, frigida, nuda, atque inermis Christianorum fides; vnde non mirum quòd nullos ferat ictus, quòd cedat iaculis, quòd hominem non obarmat. O miseri, inducite clypeo fidei tegumenta ænea, vel potiùs aurea, muniatur firmo, Deo adhærendi semper, proposito, muniatur diuina charitate, & sic in illo extinguetis omnia nequissimi tela.

Clypeo fidei formatæ instructus recedit à terrenis, ac proinde omnibus iaculis aduersariorū est eminentior. CHRISOS.

42. Dum tali clypeo fidei est obarmatus Christianus, nulla ei nocent ignea diaboli tela, sed quæcumque dæmon in illo eiaculatus fuerit, protinus in illius recidunt caput. Tali enim fidei clypeo dum instructus est homo, iam mente recessit à terrenis rebus, & proinde iaculis omnibus eminentior, vt bene docet Chrysostomus hom. 22. in cap. 1. epist. ad Hebr. sic fatus: *Mens cùm pennas acceperit, cùm à sæcularibus abscesserit, nihil eam apprehendere poterit, omnibus erit eminentior, etiam iaculis ignitis diaboli. Non est ita perfectus sagittator diabolus, vt possit ad illam altitudinem pertingere, sed dimittit quidem iacula, est enim impudens, non autem attingit, sed reuertitur ad eum inane iaculum. Et non solùm inane, verùm etiam in eius capite reuertitur. Oportet quippe, vt iaculum, quod ab eo mittitur, omnibus percutiat modis, sicut enim ab hominibus iaculum emissum aut illum aduersus quem emittitur, percutit, aut autem fortassis, vt vestimentum, aut lignum, aut aerem ipsum secat, sic etiam diaboli iaculum: oportet quidem omnibus modis, vt percutiat, & si illum ad quem dirigatur, non percusserit, omnibus modis percutit dirigentem. Et quando nos non fuerimus percussi, ille percutitur. Insidiatus est Iob, non enim vulnerauit, sed vulneratus est ipse. Vbique sic est, si eui gilemus, si resipiscamus ad videndum, quod fit, quandoquidem percusserit, percutietur, & multò amplius tunc. Insidiatus est Paulo, non vulnerauit illum, sed vulneratus est ipse. Conuertamus igitur in illum gladios, & scuto fidei nosmetipsos armantes cum cautela obseruemus, ne captiui efficiamur.* Sic ille.

43. Huic fidei clypeo affine atque cognatum est scutum siue clypeus sacræ scripturæ, siue verbi Dei scripto siue voce expressi. De quo sic Sapiens Prou. c. 30. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se: Omnis sermo diuinæ authoritatis,* ait Salonius in hunc locum, *idcircò igneus clypeus dicitur, quia corda electorum, qui spem suam in Deo ponunt, & igne charitatis accendit, & scientiâ veritatis illuminat, & sordes vitiorum, quas in eis reperit, consumit & purgat, & ab insidijs hostium, cunctisque defendit aduersitatibus.*

Sacra Scriptura, siue verbū Dei, clypeus.

SALON.

Sapienter Constantin. Magnus in orat. ad sanctum cœtum, ait diuinarum rerum cognitionem habere, *non imbecille scutum,* aduersum tela venenata, quæ diabolus ex aduerso conijcit. Trithem. Abbas epist. ad Rogerium, studium sacræ scripturæ nuncupat *impenetrabilem clypeum,* in afflictis rebus, & reflante fortunâ. Chrysost. lib. 4. de Sacerd. c. 7. Adamantinum murum appellat. Nam loquens de S. Pauli monumentis. *Cuius,* inquit, *certè scripta instar muri ex adamante constructi, omnes orbis vniuersi Ecclesias, quouis in loco positas, circumuallant.*

CONSTA. MAGNVS.

TRITHE.

CHRYSOS.

Hoc sacræ scripturæ clypeo qualiter repulerit Christus in deserto omnes diaboli sagittas patet ex Euangelio Matth. cap. 4. *Falsas de scripturis diaboli sagittas,* ait D. Hieronymus in cap. Mat. 4. *veris scripturarum frangit clypeis. Et notandum quòd testimonia necessaria de Deuteronomio tantùm protulerit, vt secunda legis sacramēta monstraret.* Quibus posterioribus verbis vult dicere, ideo Christum ex Deuteronomio hæc arma desumpsisse, quia *Deuteronomium,* vox græca perinde sonat, atque *secunda lex.* Cùm autem Euangelica lex sit secunda, lata in hominum gratiam, insinuare voluit Christus, vt ex illa tanquam instructissimo armamentario desumenda esse verbi diuini scuta, ad retundenda inimici iacula.

Hoc clypeo repulit Christus in deserto sagittas diaboli. HIERON.

Ad Christi imitationem ergo, consultissimum Christiano, vt ad repellendas igneas tentationum sagittas, atque ad retundendos omnes aduersæ fortunæ ictus obarmet sese diuini verbi impenetrabili clypeo. Ita sanè faciebat S. Paula. Audi S. Hieronymum in eius epitaphio: *in tentationibus Deuteronomij verba voluebat: Tentat vos Dominus Deus vester vt sciat si diligatis Dominū Deum vestrū, de toto corde vestro & de tota anima vestra. In tribulationibus & angustijs, Isaiæ replicabat eloquia: Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab vbere tribulationē super tribulationem expectate, spem super spem: adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam.*

Hoc clypeo repellat etiā Christianus sagittas & tentationes diaboli. HIERON.

lignam. Et scripturæ testimonium, in consolationem suam edisserebat: Ablactatorum esse, eorum, scilicet qui ad virilem ætatem peruenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, vt spem super spem mereantur accipere: scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Et: Quod si is, qui foris est homo noster, corrumpatur; ille, qui intus est, remouetur. Et: impræsentiarum, leue & momentaneum tribulationis vestræ, æternum gloriæ pondus operatur in vobis: non aspicientibus, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Nec longum fore tempus, etiamsi humanæ impatientiæ tardum videatur, quin Dei statim videatur auxilium, dicentes: Tempore opportuno, exaudiui te: & in die salutis, auxiliatus sum tibi. Idē eodem loco: Constanter in mœrore cantabat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus. In periculis loquebatur. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et iterum: Qui vult animam suam saluam facere eam. Et: Qui perdiderit animam suam propter me, saluam eam faciet. Quando dispendia rei familiaris, & euersio totius patrimonij nuntiabatur, aiebat: Quid enim prodest homini, si totum mundum lucrifecerit, & animæ suæ damnum habuerit? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et: Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeam, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.

Scripturæ præcepta & exempla, scuta. GREGOR. BARRAD. FRANCIS. MENDOÇ. Qualiter omnia scripturæ præcepta & exempla sint quasi tot scuta ac pectoris nostri munimenta vide pulcherrimè id diffundentem D. Gregorium in Ezechiel. lib. 2. homil. 15. Vide etiam quædam huc spectantia apud Barrad. in concord. euang. to. 2. lib. 2. c. 10. circa finem, vide etiam si libet, Franciscum de Mendoça tom. 1. in primum lib. Reg. Annotatione 1. prooemiali sect. 2. num. 17. 18. & seq.

De scuto diuinæ gratiæ.

§. XII.

Diuina gratia scutum fortissimum, aduersus omnia tela nequissimi ignea, qualia sunt peccata. ORIGEN. DEcimum quartum scutum est, Gratia Dei. De peccatis agens Origenes homil. 8. in cap. 13. & 14. Num. illa telis & sagittis maximè vulnerantibus assimilat, sic fatus: Anima quoties peccat, toties vulneratur: & ne dubites, peccatis eam velut telis, & gladijs vulnerari, audi Apostolum monentem, vt sumamus scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Vides ergo peccata, maligni esse iacula, quæ in animam diriguntur. O si possemus per vnumquodq; peccatū videre, quomodo homo noster interior assiduè vulneratur! Vulneratur per linguā anima, vulneratur & per cogitationes & cōcupiscentias malas. Quæ si omnia videre possemus, & vulneratæ animæ sentire cicatrices, certum est, quòd vsque ad mortem persisteremus aduersus peccatū. Sed quo clypeo armati propulsabimus à nobis peccatorum omnium iacula? fortissimum scutum hominem aduersus omnia peccatorum tela præmuniens, est Gratia Dei. Vnde de gratia Virgini in conceptione ipsa collata agens Barradius in Concord. Euang. lib. 6. c. 3. sic ait: Virginem gratiæ thorax fortissimus à peccato defendit, Virginem gratiæ scuta protexerunt. mille scuta peccato opponit gratia, &c. BARRAD.

Munit aduersus omnes incursus inimicorum tam visibilium, quàm inuisibilium. 2. Diuinæ gratiæ scutum munit etiam hominem aduersus omnes incursus inimicorum, tam visibilium quàm inuisibilium. O felicem illum, qui gratiam apud Deum inuenit; quid ille mali timere poterit? Nihil, nisi gratiæ ipsius iacturam. Dominus illuminatio mea (ait ille, qui apud Deum gratiam inuenerat Psalm. 26.) & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Et D. Augustinus eodem Psalmo: Protegitur Imperator scutatis, & non timet; protegitur à mortalibus mortalis, & securus est, protegitur mortalis ab immortali, & timebit? &c. AVGVST.

Quàm muniat hominem Dei gratia, ita vt nihil timeat. CHRYSOS. 3. Quàm muniat hominem Dei gratia, ita vt nihil timeat, pulchrè docet D. Chrysostomus homil. 46. in Genes. Maxima, inquit, securitas & inexpugnabilis murus est, gratia Dei. Videamus quomodo Dauid de loco in locum transiens, & quasi erraticus vagans, manu superna munitus fuerit, Saul autem cùm esset in medijs ciuitatibus, & tantum secum duceret exercitum, & satellites habens & armigeros, quotidie timebat, & tremebat inimicorum insidijs. Et ille quidem, qui solus erat, non indigebat humano præsidio: hic verò coronatus, & purpurā indutus, illius auxilio indigebat: & Regi opus erat Pastoris operā, & diademate redimito, priuati adiumentum:

Qui hoc scuto priuatus, non potest non formidare. 4. Sicut diuinæ gratiæ præsentia reddit hominem securū, fortem, intrepidum, ità quicunque hoc scuto priuatus, non potest non timere, non trepidare, & pauidum cor habere. Nam vt legimus Deuter. 28. Si violaueris legem Dei, non erit fortitudo in manu tua, & dabit tibi Dominus cor pauidum, & timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ, & mane dices, quis mihi det vesperam? Vespere quis mihi det mane? Et apud Leuitic. c. 26. Dabo pauorem in cordibus eorum, in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient, quasi gladium cadent, nullo persequente.

Patet in primis parentibus. 5. Primi parentes hoc clypeo priuati, quanto consternati pauore: Gen. cap. 3. ait, Deus: Adam ubi es? Respondit: Vocem tuam Domine audiui in paradiso, & timui.

In Caino. 6. Cain hoc clypeo priuatus, quanto corripitur timore: Genes. cap. 4. Ecce eycis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, omnis,

omnis, qui inuenerit me, occidet me.

In Saule. 7. Saul hoc clypeo priuatus, quàm timet? Pergit cum trium millium hominum comitatu inuestigaturus Dauidem, postquam illum inuenit, dicebat inermi Dauidi Rex maximo armatus exercitu, vt legimus 1. Reg. 25. *Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, ne auferas nomen meum de domo patris mei.* Quod admirans Theodoretus ait: *Est imbecillitas vitij, vt qui erat dux & Imperator tam multorum militum, rogabat fugitiuum, & qui erat cum multitudine militum rogabat eum, qui aufugiebat, vt ipsum impertiret benignitate ac clementia, vt nomen suum patrium non expungeret.* (THEODO.)

DIDACVS STELLA. 8. *Quemadmodum miles,* ait Didacus Stella in cap. 1. Lucæ, *scuto & hasta amissu, magno timore corripitur: & vt nauta fracto gubernaculo in medijs fluctibus constitutus maximo metu deterretur: sic homo diuinis gratiæ armis spoliatus, & timore Domini amisso pertimescit, ne fluctibus inferni absorbeatur. Qui verò Dei gratiam habuerit, nihil est quod timeat. Quocirca Dominus Isaiæ dixit. Ne timeas quia ego tecum sum.* (Is. 41.)

Qui priuatus Dei gratiâ similis lepori, ceruo, timidissimis animalibus. 9. Tradunt Philosophi naturales, ait Ioan. Carthag. tom. 1. de arc. Virg. lib. 5. hom. 10, leporem auditum habere acutissimum, ita vt vel leuem sibilum quàm longissimè audiat: & cùm animal sit timidissimum, semper vagatur, & ferè nunquam quiescit; immò, & quando dormit, oculos habet apertos, quasi nulli fidens. Ferunt etiam ijdem, ceruos eodem genere timiditatis laborare, ita, vt nunquam quiescant, sed ad quemcumque vel folij leuissimi sonitum contremiscant: sic impijs, cùm gratiâ Dei carent, semper terror sonat in auribus eorum, & leporibus, & ceruis timidiores, & imbecilliores multò redduntur. Pulchrè S. Iob cap. 15. *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Hinc Salomon Prouerb. cap. 28. *Fugit impius, nemine persequente; iustus autem quasi leo confidens,* ac si apertiùs dicat: Nihil inueniri potest formidolosius impio, quoniam caret gratiâ Dei, nihilque fortius iusto, quia gratia Dei instar fortissimi leonis illum hostibus suis horribilem reddit.

Vt diuinæ gratiæ clypeus integer seruetur, opus est timore. 10. Vt hunc diuinæ gratiæ clypeum integrum illæsumque seruemus, opus est timore. Nam vt ait D. Thomas dist. 2. q. 44. art. 4. Timor moderatus causa est attentionis & consilij quæ duo maximè necessaria sunt ad rem pretiosam, qualis est gratia, conseruandam. *Timor*, ait Tertullian. de cultu fœm. *fundamentum salutis est, sperando timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus.* Quare illi qui ad gratiam vocatus est, dicitur, *ne deterius tibi aliquid contingat:* nam vbi timor non firmat & tuetur gratiam, non diutiùs perdurabit. D. Bernardus serm. de 2. Dom. c. 1. *Connexa,* ait, *sunt timor, & religio, nec manere potest alterum absque altero. Vnde Cornelius vir religiosus, ac timens Deum, & Simeon iustus ac timoratus. Vnde Salomon: Deum, inquit, time, & mandata eius obserua,* &c. Similiter connexa sunt timor & gratia, nec manere potest alterum absque altero. Audi quid dicat Eccli. c. 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. Omne virtutum ædificium,* ait Bernardus loco citat. *illico vergit in præcipitium, si huius gratiæ amiserit præsidium.* (D. THOM. TERTVLL. — Timor & religio connexa. BERNAR. — Timor & gratia connexa. BERNRA.)

Probrosum militi abijcere clypeum; probrosum Christiano si scutum gratiæ perdat. 11. Probrosum erat clypeum abijcere, ita vt Lacedæmonij Archilochum è finibus suis excedere iusserint, teste Plutarcho in apoph. Lacon. quod scripsisset satius esse id abijcere quàm interire. Et in ijsdem Lacon. loquens de Demarato: *Apud Lacedæmonios, qui scutum abijciunt, ignominiâ afficiuntur, qui verò galeas, thoracemque, minimè.* Idem in vita Pelopidæ: *Græcorum leges*, ait *non qui ensem, aut lanceam, sed qui clypeum amisissent, multâ damnabant.* Isocrates quoque in orat. de pace, infames habitos asserit, qui clypeum abiecissent. Mulier Lacena clypeo obumbrans filium ad bellum proficiscentem, dicebat: *Aut cum hoc, aut in hoc.* Quasi diceret: Aut cum hoc clypeo redi hostibus superior viuus, vel in eo deferaris ad domum meam mortuus: malebat filium occumbere morti, atque in clypeo, tamquam pheretro sibi deferri, quàm amisso clypeo fugâ sibi consulentem viuum cum probro & ignominiâ in domum recipere. Sic maximè probrosum militi Christiano, si in bello vitiorum permittat sibi auferri clypeum gratiæ. Consultius est in anima mala temporalia, imò in ipsam mortem sese præcipitem dare, quàm amisso hoc clypeo superuiuere. Absit vt Christianus sit salutis suæ tam prodigus, vt scutum gratiæ perdat & amittat.

De scuto humilitatis.

§. XIII.

12. Decimum quintum scutum est humilitas, hoc scutum prorsus nobis necessarium ad repellendum superbiæ grauissimum telum. O quot hoc telo prostratos inuenio? Prostratum inuenio primum Angelum, primum hominem, illum adhuc in cælo, hunc in paradiso constitutum. Rectè D. Gregorius 34. Moral. 18. *Omnis peccati initium superbia. Per hanc enim ipse Leuiathan,* (id est, diabolus) *succubuit: per hanc se sequentem hominem strauit. Eo enim telo salutem nostræ immortalitatis impetiuit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit. Superbia,* ait S. Fulgentius epist. 3. ad Probam, *multiplici modo miseris inferens mortem, publico certamine carnales deijcit; spirituales verò si quos incautos* (Humilitas scutum. — Hoc scuto repellitur superbiæ telum. — GREGOR.)

incautos inuenerit, occultiore conflictu prosternit.

Repelluntur adulantium iacula. 13. Secundò, est necessarium ad repellenda adulantium nobis ignita iacula, iuxta illud Psal. 54. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.*

Repelluntur omnis generis vitia. EPHREM. 14. Tertiò, est necessarium ad repellenda omnis generis vitia, prout sub vestimenti imagine pulchrè docet S. Ephrem de vita spirit. ad nouit. c. 64. dum ait, *humilitas indumentum est animæ, quæ in æstu prosperitatis nos protegit, & in frigore aduersitatis defendit. Sine illa nec iactantiam, aut inanem gloriam virtutes deprædantem fugimus, nec ab ira & appetitu vindictæ liberamur. Quis in medijs laudibus, & prosperitatibus huius vitæ absque humilitate non inflatur? Quis in persecutionibus, & iniurijs sine humilitate non irâ inflammatur, non pusillanimitate contrahitur, non impatientiâ discerpitur? Certè nullus. Quare constat, humilitatem esse vestem pulcherrimam, quæ huiusmodi iniurias vitiorum propulsat, & animam fouet, & ornat. O pulchram & splendidam vestem!*

Scutum humilitatis necessarium ad protegendas omnes virtutes. GREGOR. 15. Quartò, est necessarium ad protegendas omnes virtutes, & contra superbiam, quæ omnes impugnat, muniendum, ne earum iacturam patiantur. Nam vt scribit D. Gregor. loco cit. *Alia quippe vitia eas solummodò virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, vt, videlicet, ira patientiam, gastrimargia, abstinentiam, libido continentiam expugnet: superbia autem (quam vitiorum radicem diximus) nequaquam vnius virtutis extinctionis contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, ac quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, vt, quidquid illa inuadente agitur, etiamsi esse virtus ostendatur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ seruiatur. Quasi etiam tyrannus quidam obsessam ciuitatem intercipit, cùm mentem superbia irrumpit: & quò ditiorem quemque ceperit, eò in Domino durior exurgit: quia quò amplius res virtutis sine humilitate agitur, eò latiùs ista dominatur.* Sic ille. Est humilitas scutum, custos, protectrixque virtutum, ita vt citò virtus euanescat, nisi eam humilitatis cura custodiat; vt meritò dixerit S. Gregor. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat.*

Expedit humilitatis scutum ex corio esse cōpositum. 16. Quoniam autem superbiæ tela maximè sunt ignita, expedit humilitatis scutum ex corio esse compositum. Nam vt legimus in Ammiano lib. 20. speciale munimentum contra ignita iacula erant cruda boum tergora, id est, expedit, quod mortis, & interitus nostri consideratione adumbratæ, in demortuorum animalium corio repellamus, à superbiæ spiritu nobis immissa tela, dicamusque absque intermissione: Quid superbis terra & cinis? quid superbis lutum & cœnum? quid superbis putredo & sanies?

De scuto Ieiunij.

§. XIV.

Scutum, ieiuniū, quo retundimus tela hostiū qui intra nos sunt. 1. DECIMVM SEXTVM scutum est ieiunium, quo in primis retundimus tela hostium qui intra nos sunt. Quid caro nostra, quid concupiscentia, nónne domestici & interni hostes, armati arcu & sagittis, adinstar cuiusdam cupidinis? Vis scire qualiter illarum igneis telis debes resistere ne animam vulnerent, & inflamment? Ieiunij scutum tibi assumendum. *Ieiunium*, ait Basil. hom. 1. de ieiun. *animæ bonum propugnaculum, corpori securus cohabitator, scutum fortiter agentibus.* BASILIVS.

Caro bene pasta acutissimus gladius. 2. Quid caro benè pasta, quàm acutissimus quidam gladius, quo diabolus spiritum ferit. Vis euadere illius cruenta vulnera? obarmare ieiunij clypeo, sicque hebetabis & retundes gladij illius aciem.

Libidinosæ voluptates ignea tela. CHRYSOST. 3. Quid libidinosæ voluptates animam semper proritantes, allicientes, & inescantes, nónne ignea tela? Qualiter putas illis resistendum? Sanè ieiunij scuto. Audi Diuum Chrysostomum sermon. 2. de ieiunio: *Cùm, ait, ante conflictum, ad resistendum libidinosis voluptatibus, clypeus nobis abstinentiæ necessarius fuit, multò magis in ipso nostro certamine, ieiunij auxilium ad nostram victoriam flagitandum est. Corpus ieiunijs mortificatum*, ait Diuus Hieronymus epistola ad Cancell. *ardentes diaboli sagittas extinguit.*

Ieiunio armamur cōtra gulam diaboli telum. AMBROS. BACHIAR. 4 Quid gula, nónne diaboli quoddam telum? Sic sanè illam nominat Diuus Ambrosius lib. 4. in Luc. *Didicisti*, inquit, *diaboli telum*, id est, gulam. Vis scire qualiter armari debeas contra gulæ telum? Assumendum ieiunij telum. S. Bachiarius epist. ad Ianuarium de recipiendis lapsis, sic de quodam fratre ait: *Ego illum certè in prælio vidi constitutum, pugnabat cum scuto ieiunij aduersus illecebras gulæ.* Vide quid de clypei huius necessitate sentiat D. Gregorius 30. Moral. 12. *Neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur: si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus, edomatur, quia si non ea, quæ nobis sunt viciniora prosternimus, nimirum inaniter ad ea quæ longiùs sunt, impugnanda transimus. Incassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra ipsa vrbis mœnia ciuis insidians habetur: nonnulli verò ordinem certaminis ignorantes edomare gulam negligunt, etiam ad spiritualia bella consurgunt: qui aliquando etiam, quæ magnæ sunt fortitudinis faciunt, sed dominatione gulæ vitio per carnis illecebram, omne quod fortiter egerunt, perdunt.*

Qui

CASSIAN.

Qui enim, ait Cassianus lib. 5. c. 20. *gulæ superfluos appetitus cohibere non potuit, quomodo æstus carnalis concupiscentiæ valebit extinguere. Et qui non quiuit actiones in propatulo sitas paruasq; compescere, quomodo occultas, nulloque hominum teste prurientes moderatrice discretione poterit debellare.*

Externorũ hostium sagittas, id est tentationes hoc scuto repellimus.

5. Secundò, externorum hostium, maximè spiritualium, igneas sagittas, id est, tentationes repellimus & superamus ieiunij clypeo muniti. *Ieiunium*, ait D. Basil. ho. 1. de Ieiun. *scutum est ad militiam contra dæmones.*

AMBROS.

6. *Castra*, ait D. Ambrosius serm. 25. *nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quòd stantes, & commorantes in eis inimicos insidiantes repellamus; castra planè sunt ieiunia Christianis, à quibus si quis aberrauerit, à spirituali Pharaone insidiatur, aut peccatorum solitudine deuoratur.* Eodem loco, ieiunium murum vocat inexpugnabilem: *Murus*, ait, *quidam est Christiano ieiunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim vmquam Christianorum ieiunauit, & captus est? quis sobrius mansit, & victus est? temulentum aggreditur diabolus, luxuriosum oppugnat inimicus*, &c. Christi castra appellat ieiunium etiam D. Petrus Chrysolog. Deinque arcem. *Ieiunium, fratres, scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum.* Et serm. 43. *Qui in his vixerit, qui per ista fuerit communitus, iacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis, Christianus armiger, bellator Dominicus non timebit.*

CHRYSOL.

Ieiunium tegit animam.

AVGVST.

Gula de paradiso, ait D. Augustinus serm. 35. ad fratres in eremo, *regnantem expulit, abstinentia ad paradisum reuocauit errantem; gula nudos facit, ieiunia operiunt exutos. Operui in ieiunio animam meam: bonum operimentum, quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur.*

Ieiunium contra diabolos armatura.

BASILIVS.

Ieiunium armatura est, ait Basilius hom. 1. de laudib. Ieiunij, *ad confligendum cum impijs spiritibus.* Cur ieiunium potiùs dicitur, contra dæmonem armatura, quàm reliquæ virtutes, quoniam vt ait S. Cæsar. Arelat. homil. 1. in Quadrages. *Ieiunia membris subtrahunt fortitudinem, & conscientijs addunt nitorem*, &c. Et qualiter, nisi per membra, nos oppugnat dæmon? membris ergo si infeuatur fortitudo, consequenter & dæmoni fortitudo ablata. *Ieiunium*, ait Isaac Presbyter lib. de mundi contemptu, *protectio est omnis virtutis, armatura operata per Deum.* Quis non magni faciat, armaturam per Deum operatam, ac proinde omnibus ictibus superiorem. Vis scire quando hæc armatura per Deum operata? Nimirum cùm in deserto tentandus, ieiunauit quadraginta diebus, & totidem noctibus. Si prælium tibi subeundum, & aulam inuenies pulcherrimis armis instructam, an non præ cæteris eligeres, & assumeres regia arma? Si sapis, ô Christiane, in regijs armis, id est, ieiunio & abstinentia præliare contra dæmonem, victor euades, & triumphum pulcherrimum referes.

Cur ieiuniũ magis armatura cõtra diabolũ quàm reliquæ virtutes.

CAESAR.

ISAAC PRESBYT.

7. Quàm necessarius hic clypeus contra dæmonem dimicanti exemplo suo docuit Christus: de quo sic D. Basilius hom. 5. de Ieiunio: *Dominus noster non prius in carne quam pro nobis assumpserat, diaboli insultus excepit, quàm eam ieiunio communisset.* Sic ille. *Vt discat*, ait D. Chrysostomus ad illud Matth. 4. *Ductus est Iesus in desertum* &c. *quàm magnum bonum est ieiunium, & qualiter scutum est aduersus diabolum, & quomodo post Baptismum non lasciniæ, sed ieiunio intendere oportet, ipse ieiunauit, non eo indigens, sed nos instruens.*

Exemplo Christi docemur quã ieiunij clypeus necessarius pugnanti contra diabolũ.

BASILIVS.

CHRYSOL.

8. Tertiò ieiunij scuto etiam obarmamur aduersus igneas tribulationum & malorum sagittas, ob peccata nobis immissas. Minatur Deus Niniuitis interitum; quid tum illi vt diuinæ resistant iracundiæ, vt comminati excidij tela auertant, & quodammodo retorqueant? Audi Cyrillum Alexand. hom. de festis Pasch. *Illi verò ieiunium veluti inexpugnabile propugnaculum arripientes, diuinam declinauere iracundiam, seque à malis imminentibus liberauerunt.* Sic ille. *Niniuitæ*, ait B. Eucherius homil. de pœnit. *Niniuit. pœnitentiâ atque abstinentiâ, iræ desuper imminentis suspenderunt ruinam, & paruuli, ac pecora pariter abstinentes egressam à Domino plagam, atque sententiam, iam cadentem, (vt sic dixerim) retorserunt. Tam manifestum iudicantes afflictionis remedium, vt sibi etiam animalium crederent profuturum esse ieiunium.*

Ieiunij scutum prodest contra sagittas tribulationũ.

CIRYLLVS ALEX.

EVCHER.

9. Niniuitarum exemplo, in magnis, quæ nobis imminent, calamitatibus, ad ieiunium currendum est, quod Legati munus exercet, quo Dei auxilium à Deo postulamus. Huc spectauit S. Maximus hom. in Litanijs, & de ieiunio Niniuitarum, vbi cùm Niniuitarum pœnitentiam, ieiuniumque laudasset, adijcit: *Ita fratres, omnia in commotionem nostri facta esse, nemo est, qui nesciat; vt quotiescumque tribulationibus purgemur, ad hæc præsidia concurramus: vt puta aduersarius imminet, inimicus in promptu est, ieiunemus & vincamus. Solent quidem homines quotiescumque necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilij causâ destinare legatos, nos quod est meliùs, legationem per ieiunia ad Deum destinemus, ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum nos corde, & orationibus conferamus, auxilium enim illi non aliunde rogando petiuerunt; sed de suis ieiunando visceribus exegerunt.* Sic ille.

Exemplo Niniuitarũ in magnis calamitatibus ad ieiunium recurrendum.

MAXIM.

10. Quartò, est ieiunium scutum, murus, & propugnaculum castitatis ac pudicitiæ: vnde ieiunij laudes referens Chrysologus sermon. 8. sic ait: *Est quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum. Est ieiunium*

Ieiunium scutum castitatis.

CHRYSOL.

nium pax corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ. Est ieiunium robur mentium, vigor animarum. Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Est ieiunium schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina. Cùm somno, ait Ambrosius in Psal. 118. *& cibo feruent corpora, tunc etiam vigor mentis sopore laxatur, somno resoluitur: tunc irrepit, impuri libido concubitus, tunc perturbatur cor, squalorem immunditiæ non veretur, castitatis puritas non consideratur, pudicitiæ gloria non recensetur*, ait idem Ambrosius lib. 1. de pœnitent. *libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur.* Denique Comicus: *Virtutis conclaue temperantia est.*

Clypeo ieiunij destruuntur hostes tam spirituales, quàm corporales.

11. Quintò, ieiunij scuto in fugam vertuntur & protruduntur hostes. Sicuti enim antiquitus in bello corporali vmbone hostes protrudebant (vmbo autem est in medio clypeo protuberans ferrum rotundum) similiter accidit & in bello spirituali: clypeo enim ieiunio protrudimus, destruimusque hostes tam spirituales quàm corporales.

Prostrantur hostes spirituales. NILVS.

12. Vis videre hoc clypeo prostratos hostes spirituales? *Sicut luxus*, ait S. Nilus in lib. Ascetico, *virtutes opprimit, ita frugalitas malitiæ munitiones deijcit. Quemadmodum enim muros Ierusalem princeps coquorum destruxit, sic Israelitarum panis hordeaceus, tabernaculum Madianitarum subuertit*, &c. Iudic. 7. *Panis hordeaceus rectè abstinentiam, & frugalitatem adumbrat. Videbatur panis huiusmodi, tabernaculum Madianitarum æquare solo, æquat autem solo abstinentia, & ieiunium, tabernacula dæmonum, hoc est, vitia, in quibus veluti tabernaculis habitant dæmones.*

AVGVST.

13. D. Augustinus scribens ad Eremitas; *Per ieiunium*, ait, *prosternuntur vitia, augmentantur virtutes, humiliatur cor, diabolicæ vincuntur potestates. O sacrum ieiunium, tu corpus refrenas ne insurgat, tu virtutes incitas vt resurgant, tu corpus sanas vt viuat.*

Prostrantur hostes corporales.

14. Vis videre prostratos hostes corporales? Israelitæ sæpè Philisthinorum bello fracti, 1. Reg. 17. *Conuenerunt in Masphat, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa.* Quid tunc? Instaurant Philisthijm certamen aduersus Israel, concurrunt: *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illâ super Philisthijm, & exterruit eos, & cæsi sunt à filijs Israel.* Pulchrè Tertullianus lib. de Ieiunijs: *Ceciderunt pastos impasti, armatos inermes. Hæ erunt vires ieiunantium Deo, cælum pro eiusmodi militat: habes formam præsidij etiam spiritualibus bellis necessariam.*

Probatur exemplis.

15. Saul 1. Reg. 14. sic populum adiurabat: *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem.* Sic omnia prosperè agebantur: donec inscius Ionathas accepto fauo comedit de illo, & ieiunium fregit, & Dei responsa cessarunt. D. Ambrosius serm. 25. de Quadrages. recensito ieiunio à Ionatha fracto, sic pergit: *Denique nec belli finis imponitur, nec regi responsum propheticum datur. Vnde intelligimus, quòd Saul hostes non tam virtute militum, quàm militum abstinentiâ superabat. Vnius culpâ cunctis generatur infirmitas: defecit enim virtus in exercitu, vbi deficit in obseruatione ieiunij.* AMBROS.

16. Iustinianus Imperator duram agebat in quadragesima vitam: *Per duos dies cibis abstinebat: cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abesse voluit: brassicam solùm & agrestes herbas sale & aceto maceratas edebat in potu aqua erat sola: neque his ad saturitatem vtebatur; sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto, qui naturæ satis erat*, inquit Procopius lib. 1. de ædific. Iustin. Imper. atque ita ieiunio armatus Persas, Gothos, Wandalos, & alios barbaros superauit. Quàm multa certamina ieiunio feliciter peracta, vide apud Hieron. Nuza in tract. Euang. tract. 2. p. 1. §. 9. PROCOP.

Ieiunium præseruat ab infirmitatis & prematuræ mortis iaculis.

17. Postremò, insigniter nos præseruat ieiunium & communit aduersus læthifera variarum infirmitatis, & mortis præmaturæ iacula. Eccles. 37. *In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad coleram, propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est adijciet vitam. An non videtis quotidie*, ait Chrysostomus homil. 10. in Genes. *ex sumptuosis mensis & immodica ingluuie, infinita morborum genera induci? Vnde capitis dolores? vnde corruptorum abundantia? vnde innumeri alij morbi? nónne ab intemperantia, & largiori vini ingurgitatione, quàm oportet?* Sic ille. *Morbi ex saturitate nimia excitantur*, ait Hippocrates in aphor. *Immodica ciborum congestio, est lethifera naturaliter*, ait Philo lib. de opific. mundi. Vis his liberari? arripe ieiunij clypeum? Tollit capitis dolores, claros affert & colores & aspectus, adijcit vitam. CHRYSOSTOMVS. HIPPOCRATES.

Ieiunij clypeus diuinæ gratiæ oleo inungẽdus.

18. Debet autem hoc ieiunij scutum, vngi triplici oleo, si illo volueris superius relata tela repellere. Solebant enim olim clypei quodam oleo resinoso inungi, vt inimicorum tela proiecta, facilè laberentur. Vnde Isaiæ cap. 21. vbi nostra lectio habet, *Surgite principes, accipite clypeos*; Hebræus textus habet: *Vngite clypeos.* In primis, oleo diuinæ gratiæ, vt in die ieiunij non inueniatur voluntas nostra, & à peccati reatu liberi simus & expediti, iuxta illud D. Leonis Papæ serm. de Ieiunio; *Impleri enim debet ieiunium, non ciborum tantummodò parcitate, sed maximè priuatione vitiorum; cùm enim ob hoc castigatio ista sumatur, vt carnalium desideriorum fomites subtrahantur, nullum magis sectandum*

aut etiam totâ vitâ læthale vulnus non acceperunt, hinc obarmati, & catafracti prodierunt.

Maria adstat Christo in scutulatis quia id officij illi imprimis cordi, vt protegat.

Quintò, est Virgo præstantissima illa Regina, de qua Dauid Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato.* Chaldæus habet. *In vestitu diuersarum figurarum.* Originale verò Hebræorum sic: *In vestibus auro serico oculatis.* D. Hieronymus vertit: *In scutulatis, siue scutulis.* Quid sibi vult pacificam hanc Virginem vndique vestitam, vestimento scutulato, id est, in quo contexta & expressa videntur varia scutula? Numquid præstaret illam indui vestimento, lilijs, rosis, palmis, & oliuis insignito? Adstat Christo in scutulatis, vt instruamur, id officij sibi in primis esse cordi, vt protegat, communiat & obumbret homines, aduersus diuinæ iracundiæ tela, & omni protectionis genere, eos adiuuet, ijsque opituletur.

Meditatio mortis scutum, quo repellimus desideria carnalia.

LAVR. IVSTINIAN.

13. Decimum nonum scutum est mortis meditatio siue consideratio, hoc scuto insigniter resistimus, & propellimus iacula desideriorum carnalium: Vt enim dixit Laurentius Iustin. in Ligno vitæ de Continent. cap. 2. *Nihil ad edomandum desideriorum carnalium appetitum tam valet, quàm vt quisque amore continentiæ hoc quod viuum diligit, mortuum penset.*

De scuto misericordiæ in pauperes.

§. XVII.

Misericordia in pauperes, scutũ.

1. Vigesimvm scutum est misericordia in pauperes: hoc clypeo imprimis resistimus sagittis, id est, tentationibus dæmonum, illasque facilè superamus. Vnde Sapiens Eccli. 29. *Eleëmosyna super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* Vbi bene Nicolaus de Lira: *Aduersus diabolum pugnabit te protegendo in eius tentationibus, & etiam ipsum per victoriam repellendo.*

Hoc resistimus tentationibus dæmonum.

LIRANVS.

Quo resistitur peccatis.

2. Secundò, scutum hoc etiam insigniter resistit peccatis. Vnde Sapiens Eccli. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis, & Deus protector est eius, qui reddit gratiam, meminit eius in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum. Certamen nostrum,* ait S. Gaudentius Brixiens. serm. 13. *contra vitia carnis est, cupiditatum pecuniæ, contra animi iracundiam, quæ sunt arma diaboli, quibus resistendum est vtique galea fidei, lorica continentiæ, misericordiæ clypeo, in quo possumus,* vt ait Apostolus, *omnia iacula inimici cadentia extinguere: etenim sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmosyna resistit peccato.* Sic Gaudent.

GAVDENTIVS.

Ephes. 6.

Quo resistitur carnis & cupiditatum affectionibus.

3. Resistit autem eleëmosyna instar aquæ ex diametro, ignitis carnis & cupiditatum affectionibus & lapsibus, quia proprium ipsius munus, vt vberiora auxilia, quibus tentationes superentur, à Deo impetret, vti egregijs, & maximè adnotandis his verbis monuit D. Augustinus in vltima clausula capitis vltimi libri de catechizandis rudibus: *Opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino, vt non permittat seruos tentari plus quàm possint sustinere:* id est, non tentari ad ruinam, sed ad coronam. Quare obserua subinde in Sapientis verbis Eccli. 3. *Et in tempore casus inueniet firmamentum:* Dei scilicet manum opem porrigentem, seque misericordi dantem in firmissimum baculum, cui innitatur, ne cadat. Vnde Chrysologus huic rei intentissimus dicebat serm. 41. *Sed qui intrat pelagus, scindit vitiorum fluctus, inter scopulos criminum transit, præterit littora passionum, nisi citò portum pietatis intrauerit, exercere virtutes non potest, lucrum non potest habere virtutum. Qui se stare nouit in huius vitæ lubrico, qui se intelligit carnis viam transire per lapsum, qui se sentit incursionibus ignorantiæ, negligentiæ casibus subiacere sic ieiunium teneat, vt misericordiam non relinquat.* Planè quod ipsa in lubrico baculus, & firmamentum sit.

AVGVST.

CHRYSOL.

Scutũ misericordiæ totũ protegit hominem.

4. Tertiò, scutum misericordiæ totum protegit hominem. Vnde legimus Eccli. 17. *Eleëmosyna viri quasi signaculum cum ipso.* Quasi dicat: Eleëmosyna viri est illi instar annuli signatorij, quo solent obsignari ea, quæ maximè volumus esse tuta & communita. Premit acutè & facetè Hugo Cardin. verba, *Cum ipso,* dum ait: *Cum ipso, non contra ipsum, vt eleëmosyna hypocritæ. Non post ipsum, vt eleëmosyna eorum, qui post mortem suam faciunt dare, quod viuentes noluent dare.* Hæc ille, cum alijs quibusdam.

HVGO CARD.

Protegit virtutes.

5. Quartò, scutum misericordiæ protegit, conseruatque in homine eleëmosynario gratiam, virtutesque infusas, quibus insidiantur dæmonum, mundi, & carnis illecebræ. Vnde præcedentibus verbis subiungit Eccli. *Et gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.* Preme illa verba, *quasi pupillam,* tutissimo, scilicet, præsidio eam muniens; nam id pupillæ natura atque conditio exigit.

Conseruat innatam gratiam.

6. Quintò, hoc misericordiæ clypeo conseruatur non solùm apud Deum, sed etiam apud Angelos & homines innata gratia, sic enim citata verba exponit Hugo, & Emanuel Sà: *Quasi dicat Sapiens; Gratiam hominis, id est, gratum Deo hominem & Angelis & hominibus facit, & conseruat eleëmosyna.*

Aduersus externa nos protegit mala.

7. Sextò, misericordiæ & eleëmosynæ scutum, etiam aduersus externa nos protegit mala. Aduersus enim externos & visibiles hostes sunt pauperes egregij quidam & stipendiarij milites, qui corpus viri mi-

 sericordis

aduersarijs dimicans, nunquam eum dimittens, nunquam abijciens. Nam si militi turpe, vt in præcedenti sect. ostendimus, amittere vel abijcere clypeum; ita turpe & probrosum Christiano, negligere saltem quadragesimali tempore ieiunium, vt pulchrè docet D. Basilius serm. 2. de ieiunio, in hæc verba: *Angeli per singulas sunt Ecclesias, eos, qui ieiunant, describentes. Vide quæso ne ob breuem ciborum delectationem plectaris, ne te reum, ac desertorem aciei Angelo describenti constituas. Minus sanè periculum fuerit aliquem in acie scutum proijcere, quàm arma ieiunij maxima detrectare.*

Ieiunij scutum tempore quadragesimali abijcere turpissimũ. BASILIVS.

De scuto lectionis sacræ.

§. XV.

1. DECIMVM septimum scutum est lectio sacra, de qua sic D. Hieronymus in epist. 9. ad Saluiam: *Semper in manibus tuis sit diuina lectio, & tam crebræ orationes, vt omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, huiusmodi clypeo repellantur.* Sic ille.

Scutum lectio sacra aduersus cogitationũ sagittas.

2. *Quemadmodum*, ait D. Chrysostomus concio. 3. de Lazaro, *arma regalia reposita etiamsi nemo fuerit qui possideat, tamen his qui habitant in ædibus multam præbent custodiam, ac tutamen, dum nec latrones, nec parietum perfossores, nec alius quispiam sceleratorum audet eam aggredi domum: sic vbicumque fuerint libri spirituales, illinc à nobis expellitur vis diabolica, multaque habitantibus accedit consolatio: quandoquidem etiam ipse librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Simul atque tetigit aliquis Euangelium, mox composuit suam ipsius mentem, & à rebus mundanis abduxit, idque ex ipso solo aspectu.* Et statim rectè argumentatur: *Quod si, inquit, accesserit diligens lectio, non aliter, quàm in sacris adytis rebus diuinis vacans anima, sic repurgatur, melioráq; redditur, Deo cum ipsa per scripturas colloquente.*

Libri spirituales repellunt vim diabolicam.

3. Qualiter lectio & oratio armorum subeant vicem, vide apud D. Bernardum, de modo benè viuendi serm. 50.

Lectio, armorũ subit vicem. BERNAR.

4. In Lucullo celebrauit antiquitas, quòd militandi peritiam non tam pugnas exercendo, quàm historias volutando adeptus sit. Interrogatus Alphonsus eximius ille Regum, vtrumne armis, an libris maiorem deberet gratiam? *E libris*, inquit, *& arma & armorum iura didici.* Vis ô Christiane contra spirituales hostes militandi peritiam habere? Sit tibi familiaris sacrorum & piorum librorum lectio.

Militandi contra vitia peritia hauritur ex sacris libris.

5. Sicut sacri libri muniunt aduersus vitia animum; ita è contra libri prophani, nugas & impudica continentes gesta, animum in omnia vitia præcipitem agunt, & hominem mũdanum reddunt & carneum. *Lectio*, inquit B. Thomas Episcop. Valent. conc. 1. in Dom. 1. *profana librorum, quibus tantum gaudet leuitas humana, destruit mores iuuenum, inclinat ad vitia, & vanum amorem, facit carneos, & mundanos. Non debet quispiam tolerare huiusmodi libros in domo sua, neque permittere, quod filius, vel filia legat ipsos.* Sic ille. Et D. Bernardus in opusc. cui titulus, *Ad quid venisti*, c. 14. sic præclarè monet: *Non legas libros, qui non ædificant, vt sunt figmenta Poëtarum, quia noua lectio nouas generat cogitationes, & extinguit mentis deuotionem.*

Libri prophani hominem mundanum reddunt.

THOMAS EPISCOP. VALENT.

6. Qualiter legendi Poëtarum & gentilium libri, vide D. Basilium Conc. ad adolescentes, vbi inter cætera sic loquitur: *Iuxta apum similitudinem, orationum participes non fieri conuenit. Illæ enim neque ad omnes flores consimiliter accedunt, neque etiam eos ad quos aduolant totos auferre tentant, sed quantum ipsis ad mellis opificium commodum est accipientes, reliquum valere sinunt. Et nos sanè si sapiamus, quantum sincerum est & veritati cognatum ab ipsis adepti, quod reliquum est transilientes. Et quemadmodum vbi roseti florem decerpimus, spinas deuitamus: sic etiam in huiusmodi orationibus, quantum vtile est adepti, noxium vitabimus.*

Qualiter legẽdi libri Poëtarũ & gentilium. BASILIVS.

Quòd mortalibus sit pro scuto sacratissima Virgo.

§. XVI.

7. DECIMVM octauum scutum est Maria Dei genitrix Virgo, in primis, scutum est protegens ab omnibus afflictionibus & tentationibus. Vnde sic eam alloquitur D. Germanus Constant. in Encomio de Virg. zona: *Quis post tuum filium ita generis humani curam gerit? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam citò præueniens ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Tu cùm habeas maternam apud filium tuum fiduciam, & potentiam, nos, qui sumus condemnati, & non audemus intueri cæli altitudinem, tuis interpellationibus, & intercessionibus, Deo nos efficis familiares, das salutem, & ab æterno liberas supplicio. Quam ob rem meritò is, qui affligitur, ad te confugit, qui iniuriâ afficitur, ad te accurrit, qui est rebus asperis, & aduersis implicatus, tuum inuocat auxilium, cùm tuum patrocinium maius sit, quàm vt intelligentiâ comprehendi possit. Sola tui nominis inuocatione tutos, atque incolumes nos seruas, & implorantes te homines ab omni necessitate opportunè liberas.* Quò respiciens S. Ephrem orat. de B. Virg. sic eam salutat: *Aue vallum fidelium, aue tranquillus portus.* Vide infrà enar. 11. sect. 9. num. 13. & 14.

Scutum, sacratissima Virgo protegens ab omnibus afflictionibus & tentationibus. GERMANVS.

EPHREM.

8. Quò

udinem, cuius potissimùm similis sit, qui passionem exercet & vlciscitur. Homini puto similem sagittà ab hoste percusso: qui sagittam suis manibus arripiens, cordi proprio infigit. Qui verò passionem comprimit, similis est percusso quidem sagittà ab hoste, sed nusquam vulnerato ob thoracem, quem indutus est. Qui autem eradicat, & euellit passionem, similis est percusso quidem, sed sagittas arreptas manibus confringenti, aut illas in hostis cor detorquenti, vt canitur in Psalmo: Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur. Sic ille.

Psal. 36.

Nomine Iesu tamquam scuto armandus Christianus.

2. Vigesimum secundum scutum est nomen Iesu: hoc nomine tamquam scuto armatur Christianus. Vnde D. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 7. sic ait: *Exercitata mens ad prælium consummandum, non aquilarum præfert imagines, nec dracones; sed in Cruce Christi, & Iesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.*

AMBROS.

3. Nomen Iesu instar scuti esse, docet Gilbertus lect. 70. in Psalm. 74. dicitque hoc scutum purpureo panno sanguinis Christi poliendum.

GILBERTVS.

Oratio scutum.

4. Vigesimum tertium scutum est oratio: *Oratio corporum robur est*, ait Gregorius Nyssen. lib. de orat. *viatorum scutum*, &c. Concinit Laurent. Iustinianus de discipl. Monach. c. 18. *Oratio est impugnatorum impenetrabile scutum.*

GREGOR. NYSSEN. LAVR. IVSTNIAN.

Oratione depellimus diuinæ iustitiæ sagittas.

5. In primis, orationis scuto repellimus, & quasi retorquemus diuinæ vindictæ atque iracundiæ sagittas: sic oratione tamquam scuto retorsit Aaron diuini supplicij iacula. Audi Salomonem Sap. 18. loquentem de Aarone: *Properans*, inquit, *homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati.*

HIERON.

6. D. Hieronymus expendens verba Dei ad Ieremiam cap. 7. *Noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te*; sic scribit: *Ne videatur rogans Propheta non impetrare, quod postulat: præcipit Deus, ne pro populo peccatore & nullam agente pænitentiam, deprecetur. Quod autem dicit: Et non resistas mihi; illud ostendit, quòd Sanctorum preces iræ Dei possint resistere.* Sic iræ Dei restitit Phinees. Sacerdos summus. *Stetit*, inquit Psal. 105. *Phinees, & placauit, & cessauit quassatio. Sententiis Dei*, ait idem Hieronymus in cap. 13. Ezech. *Sanctorum precibus frangitur.*

Sanctorum preces iræ Dei resistunt.

Orationis scuto in fugam vertuntur hostes inuisibiles.

7. Secundò, orationis scuto in fugam agimus hostes inuisibiles. Vnde D. Chrysostomus: *Si dæmones nos conspexerint deprecatione munitos, illico resiliunt: non aliter, quàm prædones & facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si contingat, aliquem esse nudum precationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaque mala impellitur.* Quod orationi detrahis, id hostibus præbes, id præbes tentationibus, quæ minimè te possent perturbare, si viderent orantem. Nota est historia Exodi cap. 17. vbi dum Moyses leuatas ad Deum manus haberet, omninò hostibus intercludebatur, ne populum possent vulnerare; verùm vbi paululùm declinabat manus, iam hostibus aditus dabatur. Quò collimans D. Chrysostomus serm. de Moysi, sic ait: *Oratio iugis, infirmitas hostis. Cæterùm ipse contra se tela ministrat, qui hostem precum instantiâ non fatigat. Quare orationis instantiâ hostis sæuitia debelletur: non resumat vires dum pascimus, non erigatur dum aliquando cessamus.* Tota nostra securitas aduersus mundiales incursus ab oratione est, si plenè nos videant orantes, non habent hostes aditum, quo nobis possint officere, sed si ab oratione cessamus, mille statim hostibus patent aditus. *Bonum scutum oratio*, ait D. Ambros. orat. fun. de obitu Valent. *quo omnia aduersarij ignita spicula repelluntur.*

CHRYSOSTOMVS.

Oratio iugis, infirmitas hostis. CHRYSOS.

AMBROS.

Orationis scuto propellimus hostes externos. CHRYSOS.

8. Tertiò, orationis scuto & armatura propellimus, & superamus omnes externorum hostium cuneos, vt pulchrè & eleganter expendit D. Chrysostomus lib. 1. de orando Deum, dicens: *Deprecatio non solùm purgat à peccatis, verumetiam ingentia pericula depellit: siquidem ille Rex simul & Propheta mirabilis Dauid, multos ac sæuos inimicos effugit precationis ope, non alijs armis exercitum muniens, atque ita tradidit suis militibus potiri victoriâ, quietis interim & securis. Quemadmodum alij quidam Reges incolumitatis suæ spem ponere consueuerunt in militum peritia, & arte belli gerendi, in sagittarijs, in cataphractis, in equitibus: ita magnus ille Dauid sanctis precibus mœnium vice suum cinxit exercitum, nequaquam respiciens Imperatorum, tribunorum, ac centurionum ferociam, neque pecunias colligens, nec arma comparans, sed orando diuinam armaturam è cælo deportans. Nam verè cælestis armatura deprecatio, quæ Deo funditur, solaque firmam custodiam præbet his, qui sese Deo tradiderunt. Siquidem cataphractorum & robur & peritiam, tum sagittariorum experientiam, atque in prodendo hoste calliditatem, sæpenumero ludit ac frustratur vel ipsa belli facies, vel hostium fiducia, cumque his alia permulta: cæterum deprecatio armatura est inexpugnabilis ac tutissimum, nec vmquam fallens munimentum, pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hostium millia. Quandoquidem admirandus ille Dauid, de quo modò diximus, Goliath illum immanem, cùm veluti dæmon quispiam formidandus irrueret, non armis, neque gladijs, sed precibus deiecit: vsque adeò regibus quidem aduersus hostes in prælijs valida arma sunt deprecatio. Quin eadem & nobis æquè valida sunt arma aduersus dæmones. Sic & Ezechias Rex superior euasit in bello, quod illatum est à Persis, non cùm armaret exercitum, sed preces tantæ opponeret hostium multitudini; itidem & mortem effugit,* vbi

4. Reg. 19.

vbi cum qua decuit religione se Deo prosterneret, soloq; deprecatio regi dedit, vt reuiuisceret. Sic ille.

CHRYSOS. 9. Et libro 2. de orando Deum, sic ait: *Dic mihi quo modo Moses Israeliticum populum in bellis seruauit? An non arma quidem cum exercitu discipulis tradidit, ipse verò deprecationem opposuit hostium multitudini? nos interim docens preces iustorum plus valere, quàm arma, quàm equitatum, quàm pecuniam, quàm multas copias, eoq; vniuersus coercitus, & innumera militum multitudo, in deprecatione Prophetæ, spem salutis habebat.* Et paulò pòst: *Deprecatio vim incendij exercuit, leones mites reddidit, hoc quidem in Daniele, illud verò in tribus pueris, per quos nimirum declaratum est omnibus, quod quoscumque deprehenderit in periculo constitutos, facilè ex urgentibus malis eripiat deprecatio, salutis causa, immortalitatis animæ conciliatrix, Ecclesiæ murus, qui rumpi non possit, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, pijs verò, nimirum nobis salutiferum.* Hæc Chrysostomus. Varia exempla eorum qui parua manu strauêre prece & oratione sua ingentes hostium copias, vide apud Stapleton. Dom. 4. post Epiph. nu. 3. Vide etiam Osorium in Sylua, conc. in expedit. bel. contra hæret.

STAPLETONIVS.

Orationis scuto comprimuntur ignea tela vitiorum. 10. Quartò, orationis scuto comprimuntur vitiorum ignea tela; vnde S. Isidorus lib. 3. de sum. bono cap. 8. *Hoc est remedium eius, qui vitiorum tentamentis æstuat, vt quoties quolibet vitio tangitur, toties orationem subdat: quia frequens oratio impugnationem vitiorum extinguit.*

Extinguuntur tẽtationum iacula. Quintò, orationis scuto extinguimus tentationum iacula. *Sicut aqua extinguit ignem*, ait Abbas Ioan. in vitis Patrum lib. 3. c. vlt. n. 208. *ita oratio extinguit tentationem.*

IOANNES ABBAS.

Præcluditur in anima omnis peccati aditus. 12. Sextò, orationis scuto præcluditur in animâ omnis peccati aditus. Vnde Gregorius Nyssen. lib. 1. de orat. Dominica, postquam fusè docuit omnibus mundi negotijs quædam plerumque sese admiscere peccata, eius rei causam reddens, ait: *Cum peccati nulla alia causa est quàm quòd ad ea, quæ in manibus habent, & studiosè tractant negotia, diuinum etiam auxilium homines non simul adhibent & assumunt.* Deinde subiungit: *Quòd si oratio negotium præcesserit, peccatum aduersum animam aditum non inueniet.*

GREGOR. NYSSEN.

Scutum oratio, contra ignita detrahentium tela. 13. Septimò, oratio scutum contra ignita detrahentium atque calumniantium tela est; vnde sic Dauid Psal. 108. *Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam.* In quæ verba sic D. Chrysostomus: *Vidisti philosophiam, vidisti moderationem, vidisti mansuetudinem, vidisti animæ pietatem & religionem? Non armabar, inquit, nec contra eum aciem instruebam, sed ad te confugiebam, tuum implorabam auxilium, tuam opem, arma tua potentissima, tuum inexpugnabile, præsidium.* Idem homil 29. in Genes. expendens citata verba, sic ait: *Est & alius quoque qui insidias, & calumnias sustinens dolet, & insuauem putat vitam, nusquam humanum inuenire valens auxilium, docetur & hic ab eodem Propheta, in talibus angustijs non ad humanum præsidium confugiendum. Audi quid ipse dicat: Ipsi detrahebant mihi, ego autem orabam. Vidisti vnde quærat auxilium? Alij, inquit, dolos plectebant, & calumnias & insidias: ego autem ad inexpugnabilem murum confugio, ad tutam anchoram, ad portum fluctuum expertem, preces, inquam, per quas omnia difficilia leuia, & facilia mihi sunt.*

CHRYSOSTOMVS.

Idem.

14. Sic ignea iacula à maledica lingua immissa orationis scuto excipit & repulit Sara; postquam enim ancilla ei calumniam obiecisset, omni telo & gladio acutiorem, dicens: *Numquid & me vis occidere, sicut iam occidisti septem viros?* Quid tum illa? *Ad hanc vocem*, ait Scriptura, *Sara perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non mãducauit, neque bibit, sed in oratione persistens deprecabatur Deum.* *Blasphemamur*, ait D. Paulus 1. Cor. 4. *& obsecramus.* Comprobatur exemplo Saræ.

15. Octauò, potest oratio comparari clypeo ignito, & de illa intelligi illa verba Prouerb. c. 30. *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se.* Quid enim oratio quàm sermo Dei, quàm colloquium siue sermocinacio cum Deo. Et qualis ille sermo, quale colloquium, nónne ignitum? Sanè, de iusti oratione ait Dauid Psalm. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Si quæras quomodo oratio clypeo comparari possit ignito, cùm scuti sit protegere, ignis verò consumere & extinguere? Dico idipsum bene conuenire orationi; nam illa insigniter protegit, vt meritò scuti habeat rationẽ; & insigniter consumit, vt meritò scuto comparanda sit ignito. Vis videre quid consumat? In primis consumit peccata: *Etiamsi*, ait D. Chrysost. lib. 1. de orando Deum, *nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit: quid igitur maius, aut diuinius obtingere possit quàm deprecatio?* Quòd enim animam peccatis obnoxiam deprecatio facilè puram reddat, docet nos publicanus ille, qui petijt à Deo remissionem peccatorum, & impetrauit. Similiter & Dauid, dicens: *Peccaui Domino*, & audire meruit: *transtulit Dominus peccatum tuum, non morieris.* Secundò, omnia remouet atque consumit mala; vnde vim orationis volens exprimere D. Chrysostomus sic ait homil. 5. de incomp. Dei nat. *Vis orationis, impetum ignis extinxit: impetum leonum cohibuit, bella composuit, prælia remouit, tempestates sustulit, dæmonia expulit, cæli fores aperuit, vincula mortis disrupit, languores eiecit, offensas repressit, vrbes terræ motu nutantes firmauit, plagas cælitus irruentes, insidias hominũ, mala denique omnia deleuit oratio.* Hæc ille.

Comparatur oratio clypeo ignito. Ob protectionem insignem. Ob expurgationem.

CHRYSOSTOMVS.

Idem.

16. Clypeo ignito etiam comparanda oratio, quia non solùm protegit atque consumit, verùm & animam insigniter illuminat. Vnde D. Ambrosius serm. 19. loquens de oratione nocturna, ait: *Tu surge vel*

Ob illuminationem.

AMBROS.

vel media nocte, si non potes totam per noctem vigilare, vt dum oras nocte, veri solis pectori tuo splendor irradiet, quia omnis anima, quæ Christum cogitat, in lumine semper est. Vis videre tria hæc in vnica oratione, nimirum, protectionem, consumptionem, & illuminationem? Insignis quidam latro Garinaris nomine, prædas agens in montibus Pyreneis, vidit viâ publicâ transeuntem operarium quendam ducentem duos boues, vt terram suam excoleret; quem mox ille latenter sequitur, prope colendum agrum in insidiis sese abscondens, vt ex illis immisso iaculo illum interficeret: verùm antequam boues aratro admoueat, antequam stiriam manu arripiat, colonus ille genibus in terram defixis, manibus oculisque in cælum eleuatis, orat Deum dignetur multiplicare iniicienda in terram semina, vt possit alere familiam, pauperibus dare eleëmosynam, & subuenire ministrorum Ecclesiæ penuriam: dum autem aptato arcu, paratâque sagitta collimaret prædo ille, & omni studio conaretur telum rectâ in colonum mittere, eundem hasce fundentem audiuit preces. Quibus taliter fuit commotus, & tamquam quibusdam salutiferis sagittis taliter confixus, vt eum anteactæ vitæ mox pœnituerit: Eheu, inquit, me miserum, pauperculus hic colonus laborat pro sustentandis Ecclesiæ ministris, quorum sanguinem ego fundo; laborat vt pauperibus subueniat, quos ego bonis suis nudaui: vnde mox ductus pœnitudine vitæ prioris, ad vicinum quoddam sese recepit antrum, in quo in summo vitæ rigore Deo seruiuit, & feliciter obiit. En qualiter orationis clypeo protectus ille colonus, qualiter in latrone oratione coloni oborta lux interna, & consumpta omnia eius peccata.

Exemplo superiora confirmantur.

17. Hoc clypeo orationis debet semper obarmatus incedere Christianus; nam vt ait Laurentius Iustin. in lib. de lig. vitæ de orat. cap. 6. *Quo tempore sit orandum, liquet, quia omni tempore orandum est, iuxta Saluatoris sententiam dicentis: Oportet semper orare, & non deficere. Nequaquam enim debet Christi miles orationis arma abiicere, donec perseuerat pugna.* Ex quo deinde ita concludit: *Quoniam verò quousque viuimus, in acie militiæ desudamus, oremus continuè, nihil autem tam validum reperitur ad hostium nostrorum conterendam rabiem, quàm orationis perseuerans opus. Sed quia alia negotia hoc minimè permittunt, non prætermittenda, sed intermiscenda est nostris oratio actionibus, quamuis magna voce ille clamet ad Dominum, quietsi lingua taceat, bonis tamen operibus perseuerat. Innitendum autem est, vt in primordio saltem cuiusq; operis dirigatur oratio, & diuini suffragij imploratio, quia sicut militem procedere ad conflictum non congruit sine armorum protectione, ita nec homini Christiano absque orationis munimine aliquid agere licet. Egredientem igitur de hospitio armet oratio, regredientem de plate a comitetur, cum ambulante ambulet, cum operante collaboret, nec priùs corpusculum requiescat in stratu, quàm anima precibus reficiatur.* Sic ille. *Si oratio negotium præcesserit*, ait Niss. lib. de orat. *peccatum aduersus animam aditum non inueniet.*

Hoc clypeo debet semper obarmatus incedere Christianus. LAVR. IVSTIN. *Luc. 18.*

18. Matutino saltem tempore arripiendum hunc orationis clypeum, sic conatur persuadere D. Chrysologus serm. 43. *Sed nos, qui ad incerta consurgimus, qui inter insidias diem ducimus, qui horarum veritates, momentorum motus, verborum lapsus, actuum pericula sustinemus, quid est, quòd Ecclesiam mane nolumus intrare? quid est, quòd matutina prece totius diei custodiam nolumus postulare? quid est, quòd homini astare toto tempore libet, & Deo assistere nec puncto libet? Non est nostrum, fratres, non est nostrum, inimici est ista surreptio, decipere parat, quos non patitur orationibus communiri. Audiamus vocem Domini monentem: Orate, ne intretis in tentationem. In tentationem vadit, qui ad orationem non vadit.* Hæc Chrysologus.

Matutino tempore hoc clypeo obarmari debemus. CHRYSOL.

19. Sed vt orationis clypeo supradicta consequamur, non debet clypeus hic peccatorum rubigine esse obductus, sed totus sit purus, nitidus, leuis, maximeque æqualis, sit diuinæ gratiæ oleo inunctus habeat duas ansas, quarum vna sit eleëmosyna, & altera ieiunium.

Debet hic clypeus non obduci peccatorum rubigine.

Sciat (ait B. Eligius ser. 9. de cœna Domini ad populum) fraternitas vestra, quia tunc pretiosior fit oratio, cùm coniuncta fuerit eleëmosynæ, & ideo scriptura insetuit Tobiæ c. 11. *Bona est deprecatio cum ieiunio, & eleëmosyna: nam qui in die iudicij præmium pro bonis operibus & eleëmosynis redditurus est; hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic Cornelius centurio cùm oraret meruit audiri, faciens multas eleëmosynas, & orans semper ad Dominum, hinc circa horam nonam adstitit Angelus, testimonium reddens operibus eius, & dicens: Corneli orationes tuæ, & eleëmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Domino.* Sic ille. *Quàm celeriter*, ait D. Aug. in Psal. 42. *accipiuntur orationes bene operantium? & hæc iustitia hominis in hac vita, ieiunium eleëmosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, ieiunium & eleëmosynā.*

Orationi debent iungi eleëmosynæ. AVGVST.

20. Sicut autem vnius oratio scuto comparatur, sic puto communem & plurimorum simul orantium orationem testudini posse comparari. Testudo autem est continuata clypeorum series à militibus subiectis curuata, in formam animalis, quod testudo vocatur. Vnde Liuius. *Ipse scalas ferri ad muros ab omni parte muri iussit, ac testudine ad portas successit.* Testudine, id est, continuata clypeorum crate super capita. Idem lib. 4. de bello Maced. *Sublatis deindè super capita scutis, continuatisq; ita inter se, vt non modò ad cæcos ictus, sed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum, loci quidquam esset, testudine facta subibant.* De testitudine mili-

Communis oratio comparatur testudini. LIVIVS.

militari, quid, & quotuplex ea, qualis vis atque robur, vide apud Lipsium lib. 1. Poliorc. Dialog. 5. *Quod si omnis oratio*, ait D. Chrys. hom. 3. Anomæos, *tantam vim habeat, longè magis eam, quæ ore multorum proueniat, valere consentaneum est. Plus enim neruorum in ea est, & multò audientia maior, quàm in domestica illa & priuata.* Sic ille. De orat. publica & communi, vide Dauidem à Maudem in disc. moral. in Decal. disc. 43. in 1. præcept. & Ludouicum de Ponte in Cantic. c. 9. exhort. 2. §. 2. Hieronymum de Lanuza in quadrag. homil. 24. §. 22. *Multi minimi*, ait Ambr. in lib. de pœnitentia, *dum congregantur vnanimes, fiunt magni, & multorum preces, impossibile est contemni*, expende illud: *Vnanimes*, nam vt ait Papa Cyprianus in Decret. 23. q. 1. c. Alienus, *non multitudinem sed vnitatem attendit Deus deprecantium. Omnes velut vnus quispiam*, ait S. Ignatius ep. 6. ad Magnesianos, *ad templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad virum Iesum Christum summum sacerdotem Dei vnigenitum*, Vide Didacum de Celada in Iudith c. 7. v. 1. §. 4.

LIPSIVS. CHRYSOS. DAVID A MAVDEM LVDOVICVS DE PONTE HIERNONYM. DE LANVZA. AMBROS. CYPRIANVS. IGNATIVS. DIDACVS DE CELADA.

De scuto Patientiæ.

§. XIX.

Scutum, Patientia.

1. **V**Igesimum quartum scutum est Patientia, cui nihil tam proprium, quàm vt more clypei ictus accipiat, & non remittat.

Qui Patri cælesti assistunt debent armati clypeo patientiæ.

2. 2. Paralip. 23. legimus de Ioiada summo Pontifice, ipsum dedisse centurionibus; qui adstabant Regi, hastas & clypeos? Certè Pontifex noster Christus id desiderat, vt fideles, & maximè Ecclesiastici, qui summo Regi, hoc est, Patri æterno assistimus, bonorum operum habeant hastas, & patientiæ clypeos.

Hic clypeus opponendus omnibus tribulationum sagittis.

3. Primò, hic clypeus opponendus omnibus tribulationum & ærumnarum sagittis, vt enim in libr. de moribus ait Seneca; *Cuiusuis doloris remedium patientia.*

Omnibus iniuriarum iaculis. NILVS.

4. Secundò, hic clypeus obiiciendus omnibus iniuriarum iaculis. Habes monentem S. Nilum in parænesi: *In omnibus, in quibus, iniuria afficeris, ad patientiam cõfugito, & super iniuriantes nocumentum deuoluetur.*

Hoc clypeo excipiendæ omnes diabolicæ tentationes.

3. Tertiò, hoc clypeo excipiendæ omnes diaboli tentationes, ad imitationem Iobi, de quo testatur Scriptura Iob 1. quòd inter tot à diabolo immissas sagittas illæsus perstiterit; *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Ita vt cùm deessent aduersario malorum tela, non defuerit Iobo patientia. Vt meritò de Iobo dixerit D. Chrys. ad Olympiadem: *Hic ipse Iobus plagam accipiens, non infligens, oculos diaboli confixit, cunctas ab eo emissas sagittas excipiens, pharetram exinaniuit vniuersam.*

CHRYSOS.

Opposuit S. Iob.

6. De Iobi patientia sic quoque S. Prosper de promiss. p. 1. cap. 22. *Tot iaculis emissis, illæsus manet Iob.* Percussus Iob non solùm mali fit illæsus, sed percutientem se acriter repercussit, vnde subiungit Prosper: *Cuius vt militis Dei vno ictu percutitur diabolus; Nudus exij, inquit, de vtero matris meæ, nudus reuertar in terram.* Vis videre alia iacula à Iobo in hostem contorta? Expende illa verba, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Quot voces*, ait D. Gregorius 2. mor. 12. *patientiæ in Dei laudem percussus reddidit, quasi tot aduersarij pectori iacula intorsit, & atriora valde quàm sustinuit, inflixit.* Et eodem loco: *Beatus Iob percussus, quia vim doloris vertit in laudem Conditoris, superbum hostem humilitate percussit, crudelem patientiâ strauit.*

PROSPER.

Clypeo patientiæ proteguntur omnes virtutes.

7. Hoc clypeo omnes proteguntur virtutes, est illis pro portu salutari. Hinc illud S. Zenonis serm. de patientiâ: *Omnes (virtutes) vno, eodemq; consensu quasi quendam patientiæ deferuntur in portum.* Sisto etiam verba Zenonis ser. de patientiâ, vbi sic eam alloquitur: *Tu virginitati præstas, ne flos eius vllo morbo, vllo tempore deflorescat. Tu variarum semper in tempestatum crebris turbinibus constituto fidissimus miserandæ viduitatis es portus. Tu sanctissimo coniugali iugo rudi ceruice subeuntes in nisum laboris, vel amoris æqualem, retinaculis blandis, quasi quidam peritus auriga componis. Tu amicitiam idem velle, atque idem nolle docuisti. Tu seruituti vnica ac fortissima consolatio sæpe libertatem paris. Tu paupertati præstas, vt habeat totum sui contenta, cùm sustinet totum. Tu Prophetas prouexisti. Christo tu Apostolos glutinasti. Tu quotidiana martyrum mater es, & corona. Tu murus fidei, fructus spei, amica charitatis. Tu specialiter omnem populum, diuinasq; virtutes quasi crines effusos in vnius verticis nodum, honorem, decoremq; conducis. Felix, æternumq; felix est, qui semper te habuerit in se.* Vide Cornelium in c. 1. ep. S. Iac. ad v. 4.

ZENO.

Hoc clypeo sustinendæ quotquot occurrunt in vita religiosa difficultates. LAVR. IVSTIN.

8. Quartò hoc clypeo sustinendæ omnes quotquot occurrunt in vitæ religiosæ, ac præsertim obedientiæ conflictu difficultates; nam hoc scuto carens, hostium victima futurus. Sic sanè sentiebat B. Laurentius Iustin. qui de pat. c. 1. ita scribit: *Æqualis periculi est accedere sine armis ad bellum, & absque patientia ad spiritualem subiectionis, obedientiæq; properare conflictum. Ille corpus, iste tempus animamq; amittit. Et quoniam omnibus necessaria est patientia, peramplius tamen iis, qui in studio obedientiæ militare decreuerunt.*

Sustinendæ omnes huius vitæ molestiæ. TRITHEMIVS.

Quintò, hoc patientiæ clypeo, etiam sustinendæ omnes huius vitæ molestiæ, sine quibus illa omnino non potest transigi. Pulchrè Trithemius libr. vanitat. & miser. humanæ vitæ. *Quamdiu in hac vita viuimus miseri sumus, & variis tribulationibus in mundo concutimur. Nemo liber à miseriis: nemo à tribulationibus alienus,*

alienis, nemo viuit sine tentationibus. Et sicut pœna martyrem non facit, sed causa, ita tribulatio non meretur, sed patientia. Habent in mundo tentationes iusti, habent & peccatores. Sed iustis aduersitas per patientiam in meritum æternæ fœlicitatis vertitur: peccatoribus autem & impiis propter impatientiam suam & reprobam vitam in peccatum reputatur. Neminem tribulatio facit beatum, sed amor Dei solus & patientia meritum causant. Nam & peccatores multis vexantur miseriis, in hoc mūdo, qui tamen nudi pelluntur à merito. Cur hoc? non est timor Dei ante oculos eorum, mala perferunt non amore Domini, neque intuitu cælestis patriæ, sed necessitate humanæ vitæ. Multa enim flagella peccatoris, sed solos in Domino sperantes, misericordia circumdabit. Cùm ergo sine tribulationibus in mundo nemo possit viuere, faciamus de necessitate virtutem vt mala quæ necessariò ferimus, ad amorem Dei conuertamus. Hæc Trithemius.

Sola patientia vitam tuetur. *In patientia vestra*, ait Dominus, *possidebitis animas vestras*. Sola enim patientia inter tot vitæ miserias, eam tuetur atque conseruat. Vnde monet D. Gregor. 31. mor. 17. patientiæ proposito, opus omne nostrum præmuniendum. *Mens solicita antequam agere quodlibet incipiat, omnes quas pati potest, sibi contumelias proponat: quatenus Redemptoris sui membra cogitans, ad aduersa se preparet: quæ nimirum venientia, tantò fortiùs excipit, quantò se cautiùs ex præscientia armauit: qui enim improuidus ab aduersitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens inuenitur, eumq; citiùs inimicus necat; quia non repugnantem perforat: nam qui mala imminentia, per solicitudinem prænotat, hostiles incursus; quasi in insidiis vigilans, expectat: & inde ad victoriam valenter accingitur, vnde nesciēs deprehendi putabatur. Solerter ergo animus, ante actionis suæ primordia, cuncta debet aduersa meditari: vt semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus & quidquid acciderit, prouidus superet: & quidquid accesserit, lucrum putet.* GREGOR.

In hoc clypeo plus præsidij statuendum quàm in gladio, licet aliter res se habeat in corporali bello. Antiquitùs vt refert Pierius in Hierog. libr. 42. milites illi reputabantur inertes & pusillanimes, qui plus impendebant operæ in expoliendo & tergendo scuto, quàm gladio. Vnde Scipio Africanus refertur dixisse militi cui clypeus expolitior & lucidior gladio: *Non mirum, quòd clypeum, tantâ ornares curâ, in quo plus præsidij statuas, quàm in gladio.* Verùm longè aliter res se habet in militia Christiana, in clypeo plus præsidij statuendum quàm in gladio Nam vt ait D. Hieron. in Psalm. 46. *Fortitudo scuti in ferendo consistit, in eo enim Dux in bello, recipit ictum lanceæ, vulnus gladij, & sagittæ incursum.* Et in Christiana militia, non qui gladio ferit & infert damnum vincit, verùm qui ictum recipit & fert patienter quod non solùm in iniuriis, verùm & aliis incommodis locum habet. Nam vt canit Virgil. HIERON.

Superanda omnis fortuna ferendo est.

9. Oportet hunc patientiæ clypeum esse fulgidum, ita vt non solùm hominem patientem muniat, sed etiam boni exempli splendore aliis vtilitatem afferat. *Dissimilis*, ait Cosmas Magal. libr. 4. de Benedict. Patriarch. sect. 10. *est clypeus patientiæ, quo se viri iusti instruunt, & obarmant, dissimilis, inquam, est, & diuersus à clypeo crystallino, & lucido, quo Perseus (vt est in fabulis) depictam Gorgonem ostentans, homines in lapides commutabat. Hic enim clypeus perniciosus erat, & lathalis spectatoribus, & soli Perseo vtilis. Contrà verò patientiæ adamantinus clypeus non solùm habentem tuetur, sed boni etiam exempli splendore his, qui in eum oculos figunt, vtilitatem affert, dum animis ardorem ingerit, virtutis eximiæ æmulum.* Sic ille. Hic clypeus debet esse lucidus & in aliorum vtilitatem boni exempli splendore coruscans. COSMAS MAGAL.

10. Hic clypeus patientiæ à Deo petendus, nam hic clypeus cœlestis est, & amicus Dei. Agnoscebat hoc Dauid, vnde ait Psalm. 61. *Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.* Et Ezechieli insultus populi timenti, & diffidenti propriis viribus, animos addidit Deus, dicens Ezech. cap. 3. *Ego dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum: & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem & silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, ne metuas à facie eorum*, &c. Clypeus patientiæ à Deo petendus.

11. Vis acceptum hunc à Domino clypeum tibi indurari? Place tibi in tribulationibus, gaudium existima, dum illæ occurrunt; repetitis enim tribulationum ictibus, &, *Ex eo quòd animus passus est, fit durior*, ait Gregorius Nazianz. orat. de laudibus Athanas. *vt candens ferrum frigidæ aquæ aspersione, impenetrabiles thoraces ferreæ, quæ ictibus hostium, ferreisq; globulis debent obsistere, aqua frigida aspersa in ipsa fabricatione obdurantur.* Sic periculis obduratur animus, ac patientiæ clypeus. Vnde de diabolo Iobum persequente sic Diuus Ambrosius lib. 1. de pœnit. c. 13. *Sic & sanctum Iob magis armauit, postquam vulnerauit, qui diaboli morsum pertulit, sed venena non sensit.* Notum illud: Gaudet patientia duris, iis namque solidatur & constipatur patientiæ clypeus. Gaudendo in tribulationibus hic clypeus induratur. GREGOR. NAZIAN.

12. Non solùm munit clypeus patientiæ, sed etiam superat hostes, vnde legimus Rom. 12. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Qui enim clypeo patientiæ vtuntur, in illo omne genus habent armorum, quibus hostem confodiant. Vnde legimus de turri Dauidica Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Mille clypei dicuntur ex illa pendere, non vnus, vt significetur, virum fortem debere omni ex parte patientiâ muniri. Superat hostes hic clypeus.

13. Qua etiam de causa D. Paulus 2. Corinth. 6. multæ epithero insignit patientiam dicens; *In multa patientia*; statim verò adiicit, *in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditio-* Omni ex parte debet homo patientiâ muniri.

nibus, in laboribus, in vigiliis: nimirum multâ patientiâ opus est occurrere rebus multis, quæ iam vellicant, & exercent, vna patientia, quæ circa vnam duntaxat aduersitatem versiet, cæteras non ferat, adeò vna est, vt verè sit nulla. S. Chrysostom. homil. 12. in hanc epistolam in hæc verba, *In multa patientia*, hæc habet: *In quibus verbis bonorum omnium fundamentum posuit; verè enim fundamentum patientia plena est*; addit: *Qua etiam de causa non simpliciter patientiam dixit, sed multam, addit, vt illius magnitudinem declararet; neque enim vnum aliquod, aut alterum incommodum perferre magna laudi ducendum est: Itaque densa tentationum agmina subiungit, dicens; In tribulationibus, in necessitatibus*, &c. quæ sequuntur. Vide Cornelium ad c. 1. epist. S. Iacob. versu 4.

Chrysos.

14. Clypei autem isti dicuntur, omnis armatura fortium, quia patientes viri in illa habent omnis generis arma, quibus propellant aduersarios.

Varij triũphi hoc clypeo reportati.

15. Vis videre præclara huius clypei trophæa? Primò, hoc patientiæ clypeo armati, pulcherrimam assequimur de hominibus nobis aduersantibus victoriam, vnde sic D. Chrysostomus in cap. 26. Matth. *Qui lædit superare læsum videtur, sed perniciosa sibi victoria superat. Læsus autem si magno animo perfert iniuriam, quamquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est. Sæpenumero ergo vinci, quàm vincere præstantius est: optimus profectò iste victoriæ modus est. Nam siue quis rapiat, siue percutiat, siue inuideat, qui suffert, & non aggreditur, ille pulcherrimus victor est. Cur rapinam, & inuidiam dico, cùm etiam, qui ad martyrium trahitur cæsus, laceratus, iugulatusq́, hoc pacto denique superat? Et quidem in bellis, ostensio prælij est, si miles occiderit. Hæc apud nos clarissima est victoria, nullibi rectè male agentes, & vbique mala sufferentes, superamus; illa fulgentissima victoria est, quia inferentem patiendo superasti; Deus eas tibi vires concessit, vt non consertione manuum, sed patientia vincas. Non exeas igitur in prælium, & vicisti, non colluctatus, & coronatus es.* Sic ille. Qualiter patiens iniurias semper victor existat vide Velasquez tom. 2. in epist. ad Phil. c. 8. v. 15. ad nu. 1 2. 8. 9.

Chrysos.

Velasq.

Patientiæ scuto etiam ab hostibus externis referimus victoriam

Non solùm hoc patientiæ clypeo muniti ab externis hostibus victoriam referimus, sed etiam ab internis, quales sunt inordinatæ passiones, quæ tumultuantur in anima, & omni eam spoliant pace. *Patientia est*, ait D. Cyprianus de bono patientiæ, *quæ nos Deo commendat & seruat, ipsa est quæ iram temperat, linguam frænat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit* &c. Sic ille. *Nihil patientiâ potentius*, ait D. Chrysostomus hom. 34. in Gen. *nihil fortius: illa animam nostram in perpetua tranquillitate, & quasi in portum constituit, & omnis quietis occasio nobis est, omni diademate se possidente, est vtilior. Quid enim beatius quàm intestino liberari bello? Nam quamuis plurima pace & curâ externâ fruamur, si intra nos cogitationum nascatur tempestas, tumultus, & seditio, nihil externa pax nobis proderit; sicut nec miserabilius est aliquid ciuitate; quæ licet præsidiis, & muris bene sit munita, intus tamen ciues foueat proditores.*

Cyprianus.

Chrysos.

Hic clypeus omnia absumit mala.

Hic patientiæ clypeus omnia absumit mala: Audi Chrysost. homil. 35. in 1. ad Corint. *Et patientia scutum inexpugnabile, turris firma, mala omnia repellens: Et quemadmodum in abyssum maris scintilla delata, huic quidem nihil obest, ipsa extinguitur; sic in animum tolerantem, quidquid incidere maximarum etiam rerum potest, facilè quidem absumitur ipsum, ille conturbabitur prorsus nihil, quando rebus omnibus solidior patientia est: exercitus, thesauros, equos, muros, arma, & quodcumque tandem iniice, aquè firmum patientia, nihil educes; iniice multam, nihil hanc petram mouebis; contumeliam pete, nondum turrim concussisti; plagas incute, nihil illum adamantem illum perterruisti. Longanimis idcircò patiens vocatur, quia longum & ingentem animum habet* &c. Qualiter hoc clypeo armatum, non lædant mala, licet tangant, vide apud Velasquez tomo 2. in epist. ad Philipp. ad cap. 2. vers. 23. num. 4. & 5.

Chrysos.

Velasq.

In clypeo patientiæ desculpta multa fortissimorum hominum exempla.

In scutis antiquitus exsculpi solebant insignia & imagines, quæ referebant & repræsentabant egregia bellatorum facinora. Vnde ait Plinius scutum dici, quia sculptum. O quot scutum patientiæ exsculptum pulcherrimis insigniis! Nónne in illo exarata & depicta, innumera martyrum & confessorum victoriæ atque trophæa? Bene D. Gregorius homil. 25. *Quidquid vincitur in sanctis, patientia valor est.*

Gregor.

Hoc clypeo muniti limpidas habent animas.

16. Secundò, hoc patientiæ clypeo muniti, limpidas habent animas, & à voluptatis fæcibus tersas. *Ipsa est*, ait Laurentius Iustin. cap. 2. de patientia, *quæ fæcem totius voluptatis abstergit, ipsa est quæ limpidissimas animas Deo reddit.*

Ivstinia.

Hoc clypeo muniti martyres efficiuntur.

17. Tertiò, hoc patientiæ clypeo muniti, martyres efficiuntur. *Sine ferro*, ait Laurentius Iustin. loco citato, *& flamma martyres esse possumus, si patientiam veraciter in mente seruamus.*

Lavr. Ivstin.

Proximi sunt Deo.

18. Quartò, hoc patientiæ clypeo muniti proximi Deo. S. Aelredus cap. 7. speculi charitatis; *Quid*, ait, *diuinæ tranquillitati tam proximum, quàm illatis contumeliis non nocere, nullo supplicio, nullave persecutione terreri, vnam mentis, & in prosperis, & in aduersis habere constantiam, inimicum & amicum eodem oculo intueri.*

Aelred.

Perueniunt ad possessionem viuentium.

19. Quintò, hoc patientiæ clypeo armati, peruenimus ad possessionem terræ viuentium. De Iudæis ait Dauid Psalm. 42. *Non enim in gladio suo possederunt terram*

terram, nimirum promissionis. Similiter terra viuentium, terra illa promissionis vera, non in gladio possidetur, sicut dicit D. Ambrosius Psalm. 43. brachio capitur, sed patientiâ possidetur, & acquiritur.

Ambros.

Clypeus patientiæ, clypeus salutis.

20. Sextò, est clypeus patientiæ, clypeus salutis, iuxta illud 2. Reg. 22. *Dedisti mihi clypeum salutis tuæ*. Hoc enim clypeo patientiæ maximè saluamur; nam vt Diuus Chrysostomus homil. 2. in 2. Corinth. *Nostra*, inquit, *salus tunc maximè exeritur*, hoc est, ostenditur, *& augescit cùm tolerat, cùm patitur, cùm omnia sustinet*.

Chrysos.

Deperdito hoc clypeo actum est de salute spirituali.

21. Clypeus cùm in bello perditur, actum de vita iudicatur, quare scutum abiicere idem est, ac de salute desperare; imò si casu perforaretur, vt Palladis scuto accidit, ex Plutarcho, de Pythiæ oraculis, maximæ calamitatis signum erat. Similiter deperdito patientiæ clypeo, actum de vita spirituali. Ait enim Christus; *In patientia vestra, possidebitis animas vestras. Per patientiam*, ait Gregorius, *possidemus animas nostras, quia dum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus. Ille verò animam non possidet, qui iracundiæ & furori obsequitur*. Sic ille homil. 35. in Euangel.

Qualiter recordatio Diuini Numinis, sermo Dei, timor Dei, ipsaque virtus habeant rationem scuti?

§. XX.

Scutum recordatio numinis.

S. Anton.

1. VIgesimum quintum scutum est, Recordatio diuini numinis, de qua sic S. Antonius: *Vna est oratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis, iugis recordatio, qui dæmonum ludos quasi fumum expellens, persequetur aduersarios potiùs quàm timebit*.

Scutum, sermo Dei.

2. Vigesimum sextum scutum est, sermo Dei, Prouerb. 30. *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se*. Qualiter Christus repulerit hoc clypeo falsa diaboli tela, manifestum, vide si libet Gislerium in Cantic. cap. 4. ad vers. 4. exp. 2. Quinimò D. Gregorius sermonem Dei, siue sacrum eloquium non vnico vult comparari clypeo, sed turri illi Dauidicæ Cant. 4. ex qua mille pendent clypei. Vnde postquàm citata retulisset verba lib. 2. in Ezech. hom. 15. subiungit: *Quid per collum sanctæ Ecclesiæ, nisi sacra eius eloquia designantur? In qua dum mille clypei dependere memorantur, per hunc perfectum numerum numerus vniuersus ostenditur, quia vniuersa nostra munitiò in sacrò eloquiò continetur. Ibi quippe sunt præcepta Dei, ibi exempla iustorum*. Et statim colligens præcepta singularum virtutum, quæ in sacris literis habentur, concludit: *Quot illic præcepta sunt, tot etiam pectoris nostri munimina*. Rursus colligens veterum Prophetarum exempla, quæ ibidem commemorantur, subdit: *In voce sacri eloquij, cuiuslibet quærimus munimen virtutis, inuenimus*. Ac tandem facto quodam veluti armilustro, seu omnibus diuinæ scripturæ armis, in luce, & conspectu omnium collocatis; *In hac turri*, inquit, *armaturam nostræ mentis inuenimus, vt inde præcepta, inde sumamus exempla, per quæ contra aduersarios nostros inexpugnabiliter armemur*. Sed ne vlla desit huius turris Dauidicæ cum Scriptura similitudo, obserua ex D. Gregorio in turre Dauidica, & esse propugnacula, quæ immobiliter conquiescunt, & scuta, quæ huc illuc facilè versantur; vt significetur, in Scriptura, & esse miracula, tamquam propugnacula, per quæ muniri possimus; sed quæ agere ex nostro arbitrio non possimus; & esse exempla virtutum, tamquam scuta, quæ nostris operibus aptare, & feliciter exercere, præcedente nos diuina gratia, si volumus, valeamus.

Gisler.

Gregor.

3. Vigesimum septimum scutum est, timor Dei; hoc clypeo omnis excluditur & repellitur prophanus timor. Hinc Diuus Ephrem orat. de timore: *Sit timor Dei in corde tuo, charissime, sicut scutum in manu militis, excipiens in eo atque repellens in humilitate tentationes, quæ aduersum se insetuntur à diabolo, vt instar pulueris comminuantur à facie tua inimici tui. Confide, non enim superari poteris, dum scutum, atque armaturam eiusmodi tenes*, &c. Summopere cauendum ne hoc amittamus: nam vt ait Nazianz. orat. 5. de pace: *Nec quidquam perinde metuendum est, quàm ne quid magis quàm Deum timeamus*.

Scutum, timor Dei.

Ephrem.

4. Vigesimum octauum scutum est virtus; hoc clypeo qualiter inuidiæ tela repulerit, nec ab illis læsus fuerit Moyses, sic declarat Gregorius Nyss. libr. de vita Mosis: *Aaron*, inquit, *atque Maria inuidiæ morbo superati, quasi arcum seipsi præbuerunt, quò verba sicuti spicula in Moysen proiecerunt. At Moyses tantùm aberat ab huiusmodi ægritudine, vt cùm neque captus neque læsus ab ea fit, non solùm nullam ipse de inuidentibus pœnam sumpsit, verumetiam Deum precibus placabilem ipsis reddidit. Docuit ergo nos per ea quæ fecit, nullis telorum ictibus eum tangi, qui virtutis scuto seipsum tutatur. Retundit enim ac hebetat huius scuti firma soliditas aciem cuspidis, imò procul totum reiicit telum*. Sic ille.

Scutum virtus inuidiæ tela repellens.

Gregor. Niss.

Vndique autem virtutibus muniri debemus

Vndique hoc clypeo muniri debemus.

bemus, nam si vel vna desit, facilè præbemus vulneri locum, vt docet Pazius tom. 2. de exter. mal. lib. 3. part. 1. ca. 7. De clypeo veritatis vide D. Bernard. serm. 6. super Psalm. 90.

PAZIVS.

De quibusdam aliis inter bonam ficum, & iustum conuenientiis.

SECTIO XIX.

Sicut ficus vmbrosa, alterius speciei arbori non inseritur, in altitudinem parum crescit, atque in hyeme nodosa est, arborque funerea: ita & iustus.

§. I.

Ficus vmbrosa, ita etiam iustus.

1. FIcus ex latitudine ramorum & foliorum, vmbram suauem & desiderabilem efficit: ita iustus suæ orationis vmbra, correctionis, & eleemosynæ alios protegere solet, quod arbores quædam crescant in latitudine, hoc acceptum ferre debent humori lacteo; vnde quia ficus humore lacteo plena est, hinc in latitudine crescit, & latitudine ramorum & foliorum vmbram præstat. Similiter quod iustus tam latè expandat ramos suarum potentiarum, suarum facultatum, vt omnibus vmbra orationis, correctionis, eleemosynarum prosit, omnesque protegat, id humori eius lacteo, charitatis & dilectionis accepto referendum. An non vmbram præstit Moyses oratione sua Israelitis, cùm Dominus dixisset: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Ipse verò se diuinæ offensioni opponens, & æstuantem ad vindictam animum temperans, *Placauit Dominum ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Confugite, confugite, ô mortales, quamuis iustos vos arbitremini, ad vmbram quam vobis præstant aliorum orationes. D. Chrysostomus suo tempore deplorat quosdam fuisse, qui palam dicerent, se aliorum prece non indigere; cùm enim multa dixisset de reciproca prece, subdit: *Et quæ necessitas*, inquit, *est vt alius pro me oret; si ipse bene placuero?* Quibus respondet: *Numquam hæc dixeris homo: Necesse est, & multa prece necesse est; etenim audi quid Deus de amicis Iob dicat: Et orabit, inquit, pro vobis, & remittetur vobis peccatum vestrum; peccauerunt enim, verùm non adeò magnum peccatum.*

Instar Moysis debet vmbram præstare sua oratione.

CHRYSOS.

Ad aliorum confugiendum orationes vt illis obumbremur.

2. D. Paulus quamuis ad exorandum Deum efficacissimus; tamen aliorum fidelium preces requirebat: *De cætero*, inquit, *fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & vos.* 2. Thessal. 3. Denique Christus Dominus discipulos suos, si non ad orandum pro se (neque enim filius apud patrem seruorum precibus indigebat) saltem ad orandum secum inuitauit: *Sustinete hîc & vigilate mecum*, Matth. 26. Vnde rursum D. Chrysostomus loco cit. *Semper indigentes sumus, siquidem rectè sapuerimus. Paulus non dixit, quid mihi precibus aliorum opus est? tametsi illo essent indigni, qui pro eo precabantur, imò neque pares, vt tu dicis, quid mihi opus est aliorum precibus. Petrus non dixit; Quid mihi necesse est vt pro me oretur? Precatio, inquit, fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo; & tu dicis, quid mihi aliorum precibus opus est? Propter hoc ipsum opus habes, quòd tu putas illis non habere necesse. Etiamsi Paulo similis esses, opus tamen haberes aliorum precationibus; non extollas teipsum, ne humilieris. Sed quemadmodum dixi, si nos ipsi in virtutis studio seduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis. Audi quid Paulus dicat: Non enim, inquit, quod hoc mihi cedet ad salutem per vestram precationem & subministrationem spiritus Iesu Christi: Et iterum: Simul adiuuantibus & vobis per deprecationem pro nobis, vt ex multis personis pro dono in nos collato, per multos gratiæ agantur pro nobis. Et tu dicis, quid opus mihi est aliorum precibus?*

CHRYSOS.

Ficus in alterius speciei arborem non inseritur, sic Christianus non debet inseri rebus creatis.

3. Ferunt etiam quòd ficus in alterius speciei arborem ob eximiam eius dulcedinem quam deserere non potest, inseri non possit, vt meritò ficus dulcedinis sit Hieroglyphicum. Tanta debet etiam esse in pectore Christiani dulcedo, quam haurit ex vitæ innocentia, bono conscientiæ testimonio, Sacramentorum vsu, & diuini amoris gustu, vt nullatenus se patiatur per amorem inseri alicui creaturæ, clamans cum Dauide: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Dum enim per amorem adhæret, siue inseritur creaturis, necesse est vt deserat internam illam dulcedinē. Præterea, nullis creatis rebus inseri debet, id est, non debet illis fidere, illis inniti, in illis sperare, sed tantùm diuinæ bonitati, & dulcissimæ eius misericordiæ, clamans cum Dauide: *Deus meus misericordia mea.* Quæ verba sic explicat D. Augustinus in Psalm. 58. *Non inuenit*, ait, *impletus donis Dei; quid appellaret*

AVGVST.

ret Deum suum, nisi misericordiam suam. O nomen, sub quo nemini desperandum est. Deus meus misericordia mea, quid est, misericordia mea? Si dicas, salus mea, intelligo, quia dat tibi salutem: Si dicas, refugium meum, intelligo, quia confugis ad illum: si dicas fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem: misericordia, mea, quid est? Totum quidquid sum, de tua misericordia est.

Iusti omnẽ pellant amorem etiam licitũ vt totum cor inseratur Deo.

4. Tantopere autem Sancti & perfecti viri timent, ne per amorem illicitum inserantur alicui creaturæ, vt non satis illis sit, omnem illicitum amorem creaturæ, quo nimirum ipsa vel pari, vel maiori amore amatur quàm Deus, ex animo pellere; verum & vnicè desiderant ex corde pellere omnem licitũ alicuius mortalis rei amorem, quamuis ordinatum alioquin, & multò inferiorem amori diuino: nam multùm impedit hic amor, ne cor nostrum penitus inseratur Deo. Vnde pulchrè D. Augustinus libr. 33. qq. quæst. 9. *Caritatis venenum est*, inquit, *spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium, nutrimentum autem eius est imminutio cupiditatum, perfectio nulla cupiditas: hinc sancti ab hoc amore, etiam alioquin licito sibi timentes, meritò rogant & orant ab eo liberari.* Psalm. 40. *Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam.* In quæ verba sic Diuus Augustinus: *Auferendo à me etiam amorem licitum rerum sæcularium. Omnis anima infirma, in hac vita quærit sibi aliquid terrenum vbi requiescat, velut sunt ista quæ diligunt etiam homines innocentes; neque enim de cupiditatibus maiorum, nunc loquendum; delectatur enim quis in domo sua in familia, in coniuge, in filiis, in prædiolo suo, in horto suo: sed tamen volens Deus amorem non habere nisi vitæ æternæ, istis delectationibus miscet amaritudines, & vt in his patiamur tribulationes, vniuersum stratum nostrum vertit in infirmitate nostra, docetur enim amare meliora per amorem inferiorum, ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua.*

AVGVST.

IDEM.

Ficus non crescit in altitudinẽ, ita iustus amat humilitatem.

5. Ficus parum crescit in altitudinem, ne ficus fatua efficiatur, sed humorem totum ad fructus multiplicationem asciscit; quod si altitudine delectetur, efficitur ficus, quæ latinè dicitur celsa, siue fatua. Ad hunc modum pius non curat altitudinem sæculi huius, aut dignitates, timens ne per ambitionem infatuetur, & ad nihil vtilis sit, operam autem omnem ponit in fœcunditate fructuum & virtutum comparandarum. Vide Pazium tom. 2. lib. 4 part. 3. c. 8. §. Humilium.

PAZIVS.

Ficus est in hyeme nodosa, aspera &c. sic iustus in hac vita, latet, obscurus est &c.

6. Ficus in hyeme est nodosa, informis, aspera; quinimmo in æstate non floret, non lętatur, folia habet, nõ glabra, sed dura, truncus & cortex amara, omnia prę se ferũt rigorem, & austeritatẽ. Sic cum iustis agitur in hac hyeme, plerumque latent, priuatam ducunt vitam, absque imperio, absque honore & opibus, scientes non in his rebus, sed in virtute à Christiano cælestem quærendã esse felicitatem, vt D. Aug. dixit Ps. 62. *Non ad hoc*, inquit, *sumus Christiani, vt terrenam nobis fœlicitatem petamus, quam plerumq; habent & latrones & scelerati: ad aliam fœlicitatem nos sumus Christiani, quam tunc accipiemus, cùm vita ista transierit.* Item eodem loco: *In hoc sæculo non debemus quasi amare saginam; hic sitiendum est, alibi saginabimur.* Mercenarius vile sumit indumentum iis diebus quibus operi seruit, Dominica die vestem mutat, meliorem mundioremque induit. Ita vir iustus, qui diuino operi instat, vili nunc ac despecto vtitur amictu; cùm verò Dominica illa æternitatis dies illuxerit, mutabit vestem, admirabilique gloriæ splendore velut indumento opertus fulgebit. Vide D. Chrysostomum pulcherrimè laborem, & vitæ austeritatem omnibus suadentem, vtinam persuadentem, hom. 22. ad pop.

AVGVST.

Iustus vtitur vili amictu.

7. Quantum verò mali, in vita deliciis plena; quantum boni, in vita moderata, licet prima fronte rigida atque austera, pulchrè docet D. Chrys. hom. 54. ad popul.

CHRYSOS.

Vitæ austeritas carnẽ id est ancillam coërcet.

8. Certè vel eo nomine omni laude digna est vitæ austeritas, quod maximum, & maximè vicinum animæ hostem coërceat & eneruet; & efficiat ne ancilla insurgat in dominam, nec serua superbiat in liberam. Cato Censor, vt Senatui populoque Romano ad suscipiendum tertium Punicum bellum moueret, plus ostensa ficu profecit, quàm ante Hispaniarum, Saguntique, item Trebiæ, Trasimeni ac Cannarum commemoratæ clades fecerant. Metuens enim ne iterum vrbi Romæ Carthago exitium moliretur, in Senatu ficum recenter ab arbore decerptam ostendit, & à Senatu petiit, qua die ab arbore decerptam putarent. Cùm omnes recenter decerptam dicerent, affirmauit, nondum tertium excessisse diem; cùm in arbore Carthagine penderet: *Et vos*, ait, *tridui itinere remotos hostes infensissimos patiemini?* Suscepto igitur tertio bello Punico, Carthago euersa est. Hæc Plutarchus in eius vita. An anima habet hostem magis infensum, & magis vicinum, atque ipsam carnem? Animæ, carne nihil vicinius, caro autem semper concupiscit aduersus spiritum, caro semper conatur trahere animam in regionem suam, cùm tamen animæ patria Deus ipse sit. Et vos, ô Christiani, non tridui itinere remotos hostes, carnem scilicet cum sensibus, infestissimos animæ patiemini? An non metuetis ne exitium animæ moliantur? an non eas refrænabitis? vires eorum frangetis? quod nulla ratione efficaciùs consequimur, quàm ieiunio & abstinentia, vitæque austeritate.

PLVTARCH.

Caro animæ maximè vicina, vnde anima meritò cõmittit cum illa bellum, ne trahat eam caro in regionem suam.

9. Inter ambigua respõsa, & dubia præcepta Sybillarum, quæ Romæ legebantur, cùm ea ciuitas orbis teneret Principatum, &

Deliciæ perdiderunt Romanum imperium, perdunt etiam hominẽ Christianum.

& imperio suo longè lateque dominabatur, illud erat, inter cætera, non leuem incutiens timorem, magnamque admirationem ingerens: *Miles Romane, Ægyptum caue.* Non erant vires Ptolemei, quæ exitium minabantur Romano imperio, non erant extraneorum arma, quibus concutiendum & euertendum erat Romanum imperium, sed erant mollities atque deliciæ, vitia connata Ægyptiis, quæ Sybilla fugienda prædicebat, & quæ magnum hoc imperium de culmine & statu suo deiecerunt, tantis tamen subnixum viribus, vt tempore Imperatoris Adriani (vt Appianus & Alexand. testatur in præfat.) in suis haberent copiis ducenta millia peditum, & quadraginta millia equitum, trecentos elephantes ad bellum instructos, duo millia curruum armatorum, ex quibus bellabant trecenta millia hominum, vltra bis mille triremes, plusquam mille ducentæ maximæ naues, præter octingentas alias deauratas, deargentatas, & variis depictas coloribus ad pompam & ostentationem.

10. Titus Liuius, Macrobius & Salustius flocci faciunt victorias quas Roma retulit de Asiaticis, dicentes, Romanos, Medos, & Persas subiugasse, cùm rapæ elixæ, vel assatæ illis in præcipuis essent deliciis, sed postea Romanos ab Asiaticis fuisse superatos, vario deliciarum artificio. Cicero ad Atticum scribens, enumerat delicias, quas Roma ab Asia didicit & mutuauit, quibus interitum sibi comparauit, ad quinque eas reducens capita, nimirum, sumptuosa & superba mortuorum monumenta atque sepulchra; vsus annulorum aureorum, vsus pulueris pigmentarij in cibis & condimentis; vsus niuis & glaciei ad vina refrigeranda; vsus odoramentorum, & effrenis quædam licentia absque pudore aliquo & erubescentia committendi libidinosos actus, vt meritò exclamauerit, & comminata fuerit Sybilla, causam prævidens tantæ ruinæ, quæ imminebat Romano imperio: *Miles Romane, Ægyptum caue.*

Miles Christianus à carne sibi caueat.

11. Vnde tot animarum ruinæ in populo Christiano? Vnde tanta vitiorum lues? vnde tanta contagia & spurcities? vnde tanta malorum sentina? O miles Christiane, Ægyptum caue! Abstine à carnis deliciis, & voluptatibus, caue tibi à lenocinio carnis, & sensuum, ne des animæ tuæ concupiscentias eius, ne faciant te in gaudium inimicis tuis, armare austeritate vitæ, & omnia tibi erunt salua.

Ficus symbolum mortis.

12. Ficus symbolum mortis est; hinc vt mortis memoriam, quā incurrerant primi parentes, ob oculos semper haberent, consuerunt sibi folia ficus, quamquam Deo aliter visum fuerit; vt enim hæc mortis memoria in illis vicinior & efficacior foret, induit eos tunicis pelliceis ex demortuorum animalium corporibus detractis, ficum etiam pro mortis Hieroglyphico vsurparunt antiqui, & sic Horatius nominat eam pullam ficum, & Quirmanus libr. 4. c. 9. de funeribus Romanorum, testatur, quod in eorum funeralibus vocabantur designatores, sic nominati, quòd cuique in spectaculis gladiatorum, locum designabant, cæteraque omnia quæ spectabant ad huiusmodi actum: hi in funeralibus vocabantur, vt in illis assisterent, signo ficus, arboris funereæ, tamquam mortis symbolo, ramum fici vel manibus gestantes, vel vestimentum ex fici foliis contextum, funeri imponentes. In antiquis Imperatorum Romanorum monetis, excusa & expressa erant duo sepulchra, vnum hominis ætate prouecti & senis, & alterum adolescentis, in quorum medio ficus erat collocata: nam sicut illa profert fructum temporaneum & serotinum; sic mors tam senes quàm iuuenes tollit è vita. Quid iustus, quàm pulla & funerea ficus, semper mortificationem Iesu Christi in corpore suo circumferendo? Quid iusti exercitatio, quàm continua mortificatio? Quodnam illius institutum, quàm vt mortificet membra sua, quæ sunt super terram, & vt exhibeat seipsum hostiam viuentem & beneplacentem Deo.

Horat. *Quirmanus.* *Homo iustus fit deditus mortificationi.*

Sicut ficus interiùs candida, exteriùs aspera. Ita iustus, contempto externo cultu, solius interni candoris curam gerit.

§. II.

Ficus exteriùs aspera, intus candida, ita & iustus.

1. Ficus exteriùs est nodosa & aspera, speciemque habet externam inter omnes arbores maximè contemptibilem. Interiùs tamen candidam habet animam, ex qua vitam & vim productiuam habet: Ita & iustus contemnit cultum & ornatum omnem exteriorem, sollicitus tantùm vt candidam in neglecto corpore habeat animam. Psalm. 44. legimus. *Omnis gloria filiæ regis ab intus.* Ex quo sic Virgines monet D. Paulinus epist. 4. ad Seuerum: *Meminerint se esse filias illius filiæ, cuius gloria ab intus est.* D. Augustinus in Psalm. 103. referens illa verba Cantic. 3. *Quæ est ista quæ ascendit dealbata,* sic pulcherrimè scribit. *Quid est dealbata? illuminata, non dealbata, sicut fucata. quemadmodum se dealbant*

Avgvst.

dealbāt fœminæ, quæ volunt videri, quod nō sunt: non dealbata, ficut paries dealbatus est. Mundanorum verò hominum cura, tota est in corpore ornando, neglectâ animâ. Ita vt teste Gregor. Nazianz. orat. aduersus mulieres studiosiùs sese ornantes, *internè Hecubam, externè Helenam referant. Nullarum fere,* ait Tertullian. lib. de cult. fœm. *pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est. Virgines,* ait D. Cyprianus lib. de habitu virgin. *sericum & purpuram indutæ, Christum induere non possunt; auro, margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt. Exterioris hominis ornamenta,* ait D. August. serm. 18. de verb. Apost. *quantò magis appetuntur, tantò sunt interioris maiora detrimenta: quantò autem minus appetuntur, tantò magis moribus pulchris homo adornatur.*

NAZIAN. TERTVLL. CYPRIA. AVGVST.

Inuectiuæ Sanctorum PP. in superfluum mulierum ornatum.

2. A quo quidem externo ornatu vt auertant & auocent mulierum animos Sanctissimi Patres, varijs in eum inuehuntur modis, atque turpissimis afficiunt notis.

CLEMENS ALEX. Hic cultus languētis & ægrotantis animæ signum.

Primò, Clemens Alexand. lib. 3. pædag. ca. 2. fatus de artificio fucandæ atque pingendæ faciei, oculorumque picturâ, dicit hæc omnia languentis & ægrotantis maximè animæ esse signa. *Quemadmodum,* ait, *cui impositum est cataplasma & cui inuncti sunt oculi, vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem: ita fuci, tincturæ, & colores illiti, animam intrinsecus ægrotare significant.*

ISIDORVS PELVS. Hic cultus est signum rabidarum affectionum quæ in animo latent.

3. Secundò, Isidorus Pelusiota libro 1. epist. 461. loquens externo de corporis cultu, præsertim, qui in fucanda facie & oculis versatur, dicit eūdem ferre testimonium, in animo latere vitiosas & rabidas maximè affectiones. *Ornatus,* ait, *studium, ac capillorum flores, auriq; cum ijs connexio, atque intorti crines, & oculorum pigmenta, & pulchritudinis effictio, prauaq; circa res huiusmodi artificia, quæ tibi curæ esse omnes referunt, necessarij vsus honestati & grauitati contumeliam inferunt; vitiosarum autem affectionum rabiem significant.*

NAZIAN. Hic cultus est lasciuiæ argumentū.

4. Tertiò, D. Gregorius Nazianz. tract. cit. vult superfluum ornatum lasciuiæ esse argumentum. *Hæc artificia,* inquit, *non pudicitiæ sunt, sed lasciuiæ ac libidinis:* Et eodem loco sic monet mulieres. *Hisce pigmentis nihil aliud, mihi crede, consequeris, quàm vt forma illa, quam tu ingenij viribus viuam depingis apertissimam tibi apud homines contumeliæ notam inurat.* Quò etiam spectans S. Paulinus sic canit in epithalam. in Iulianum:

PAVLIN.

Frustra hæc se mulier iactauerit esse pudicam
Quæ se tam varijs ornat adulterijs.

PET. DAM.

Petrus Damianus opusc. 12. cap. 22. volens præmunire virginem aduersus luxuriæ fœtorem, sic eam monet: *Vt ergo interni sponsi conspectui placeat, non oculos suos stibio cum Iezabele depingat, id est, non se fucis pompæ sæcularis obducat, sed cum Iudith myrto optimo sua membra perungat: omnes videlicet mentis suæ sensus immortalis vnguine castitatis obliniat, ne in mortem per incontinentiam corruens in fœtore luxuriæ computrescat.*

Superbiæ vexillū est. SVETON.

5. *Vestitus insignis ac mollis, superbiæ vexillum est nidusq; luxuriæ,* dicebat August. Cæsar, teste Suetonio. Rogabat Spartanum quispiam, quâ pœnâ in sua ciuitate afficerentur adulteri? At ille. Quomodo Spartæ contingeret adulterium, vbi nulli luxus, nullæ diuitiæ, nulla voluptas.

Inducit notā adulterij corporalis & spiritualis.

6. Quartò, non solùm notam ac contumeliam incurrunt fœminæ cultu illo externo eoque immoderatò adulterij corporalis, verùm hac agendi ratione abundè testantur, se Christo animarum legitimo spōso renuntiasse, & tàmquam adulteras in consortem admisisse & suscepisse dæmonem. Quod sic grauiter firmat D. Chrysostomus homil. 18. in 1. ad Cor. *An non censes,* ait, *cum auaris & alijs, quos Paulus enumerat, diabolum simul accumbere? mulieres autem ornatas ad libidinem nō censes cum eo coire? si quis contradicat, exuat animam mulierum, quæ se adeò indecorè gerunt, & videbit planè sceleratum illum dæmonem vehementer cum eis coniungi & commisceri.* Neque id mirum videri debet, cùm teste Tertullian. lib. de hab. mulier. *cultus ille exterior sit diaboli ianua.*

CHRYSOST. 1. Cor. 16.

Hic cultus diaboli hamus CYRILLVS ALEX. Est læthale venenum. HIERON.

7. Quintò, Cyrillus Alex. orat. de exitu animæ, & de secundo aduentu, cultum superfluum dicit esse, non tam cultū, quàm re ipsa diaboli hamum, nimirum quo tenetur, tam spectator, quàm spectata. D. Hieronymus ornatum vultus homines prouocantem comparat læthali maximè veneno, dum ait: *Si vir aut mulier se ornauerit, & vultus hominum ad se prouocauerit; etsi nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.*

TERTVLL. In Christū delinquunt qui genas rubore obducūt &c.

8. Sextò, Tertullian. de cultu fœm. c. 5. in Deum illas grauiter delinquere, sic conuincit. *In illum (Deum) delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinūt, displicet illis nimirum plastica Dei, in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium, reprehendunt enim cùm emendant adijciunt.*

In præsenti vita superfluus cultus grauiter à Deo punitur.

9. Septimò, non solùm in hac, sed etiam maximè in futura vita hic superfluus cultus grauiter à Deo punietur, maximæque ad iracundiam & vindictam sumendam prouocat Deum. Ad præsentem quod attinet vitam id abundè docet Isaias cap. 3. dum ait: *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion* (id est, quòd sibi subiecerunt cothurnos, vt ijs proceræ incederent, & quasi Reginæ aut Deæ quædam esse viderentur,) *& ambulauerunt extento collo* (superbissimè ceruicem extendentes instar gruum vel cignorum,) *& nutibus oculorum ibant* (Chaldæus vertit stibio linitis oculis ibant) *& plaudebant* (id est vestibus sericis inter se, & ad pauimentum allisis sonitum edebant, vel excitabant sonitum crepitantibus calceis & crepidis incedentes) *ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant* gressu nimirum pōpaticō ad maiestatem & elegantiam concinnato)

cinnato) *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit*. Nimirum per hostes Chaldæos, illis pro seruis & ancillis vtentes. Rasura enim & decaluatio erat habitus debellatorum; indeque seruorum & seruarum. Quem Isaiæ locum expendens D. Cyprian. de habitu Virg. sic ait: *Virgines comptæ turpitudinem, fœditatemq; meruerunt*. Verè Cæsar Augustus. *Conuiuiorum & vestium luxus, ægrotantis ac labentis reip. signa & prænuncia sunt*.

Maximè verò in futuro. CYRILLVS ALEX. 10. Ad futuram quod attinet vitam S. Cyrillus Alex. orat. de exitu animæ &c. dicit similes torquendas, tamquam præceptorum Dei contemptores, & paradisi pulchritudine priuandos. *Qui sibi purpurisso humectant & cerussâ genas illinunt, dealbantq; & ad speculum comantur, vt homines ad nequitiam, & prauas cupiditates, amoresq; satanicos incitet, atque implicent, ij in die iudicij non pij reperietur; sed vt Dei præceptorum contemptores torquebuntur. Qui pulchritudinem asciscunt alienam, paradisi pulchritudine priuabuntur*. CYPRIA. Cyprianus de disc. & hab. Virg. affirmat collinentes oculos non visuros Deum: *Deum*, inquit, *videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit*.

Quia gehennæ obliuiscuntur homines, hinc omne studium ad corpus conferunt. CHRYSOS. 11. Vtinam hæc perpendant superflui cultus amatores, vtinam reminiscantur gehennæ, vtinam cogitent animæ nuditatem & destitutionem. Quia verò hæc omnia longè ab eorum mente, hinc toti in procurando & augendo externo hoc corporis cultu. Vnde vt ab illo alienos reddat homines D. Chrysost. hom. 30. in Matth. sic in similes inuehitur. *Nec gehennæ ignis tibi venit in mentem, nec animæ destitutionem pertimescis, quæ nunc omnino neglecta iacet, cùm totam mentem, curam, studiumq; tuum, ad corpus contulisti*.

Similiter quia homo non cogitat cuius capitis sit membrum. CHRYSOS. 12. Vtinam perpendant cuius capitis sint membra. Hac sanè consideratione non possent non se alienos ostendere à prophano isto cultu. Vnde sic eosdē alloquitur D. Chrysost. loco cit. *Tu cuius caput Christus est, qui fidelis es, inuentiones Satanæ comprobabis, nec recordaberis aquæ illius quæ faciei tuæ circumfusa est, nec sacramenti quod labia tua ornauit, nec sanguinis qui linguam tuam coccineam effecit? quæ omnia si memoriâ teneres, etiam si valdè ornatum amares, non auderes tamen, nec ferre posses puluerem aut cinerem aliquem super faciem tuam imponere. Memento Christo te adoptatam fuisse, & hanc deformitatem abominaberis*.

Quia non cogitant Christi faciem consputam. 13. Vtinam cogitent Christi faciem sputis illitam, non dubium quin ad imitationem fortis illius & Christianæ fœminæ dicerent: *Facies Christi virulentis sputis deformata fuit, & ego stibio pingam meam?*

HVGO VICTOR. Quia non cogitant quales futuri post mortem. 14. Vtinam cogitent quales futuri post mortem: *Illa mulier*, ait Hugo Victor. in libello de nuptijs vitandis cap. 2. *quæ verticis crines aurea diuidit acu, quæ frontem pingit, faciem colorat, gemmis digitos exornat, erit esca vermium, erit colubri cibus, huius collum coluber ambiet, anget anguis vbera: & quantò pulchrior atque tenerior fuerit caro, tantò velociùs putrefacta vertetur in saniem*.

15. Vis scire quis cultus diuinis placeat oculis, quam pulchritudinem concupiscat Christus? Audi & disce idipsum. Quis cultus placeat diuinis oculis.

1. Morum probitas. NAZIAN. Primò, ex Gregor. Nazia. aduersus mulieres ambitiosiùs se ornantes. *Nobilibus*, ait, *fœminis, non aurum, non purpura, non pigmenta ornamentum afferunt, sed earum ornatus est morum probitas & elegantia, domi vt plurimum manere, colloqui cum diuinis oraculis, fuso ac lanæ operam dare, ancillis opera mandare* &c.

2. In interioris hominis ornamentis. AMBROS. 16 Secundò, ex D. Ambrosio exhort. ad virg. vbi postquam adduxisset citatum Isaiæ locum, addit: *Vnde & S. Petrus dixit: Non in plicatu capillorum, neque in tortis crinibus, aut auro & argento, vel veste pretiosa: sed magis interioris hominis ornamenta fœminis esse requirenda, quoniam absconditus ille cordis homo qui est pauper sæculo, ipse est locuples Deo*. Et in 1. Timoth. 2. *Quantò fœmina hominibus splendidior videtur, tantò magis despicitur à Deo*.

3. In ornatu virtutum cælesti. CHRYSOS. 17. Tertiò, ex S. Chrysostomo homil. 30. in epist. ad Roman. *Deposito*, inquit, *vilis fœni onere (hoc enim est vestium sumptus) ornatum accipe cælestem virtutum. Hic est Ecclesiæ ornatus, ille theatrorum; hic cælis dignus, ille equis & mulis, ille & mortuorum corporibus circumdatur, hic in sola splendet anima in qua habitat Christus*.

4. In serico probitatis, in byssino sanctitatis. TERTVLL. 18. Quartò, ex Tertulliano lib. de cult. fœm. vbi sic monet fœminas: *Prodite iam vos mulieres ornamentis instructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem; depictæ oculos verecundiâ, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi, caput maritis subijcite, & satis ornatæ eritis: manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placabitis: vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem*.

5. In collirio Christi. 19. Quintò, ex D. Cypriano de opere & eleemosynis. *Iniunge*, ait, *oculos tuos, non stibio diaboli sed collirio Christi*.

B. Nonnus amare flebat videns Pelagiā tantō vestiū luxu instructam. 20. Sextò, ex B. Nonno Episcopo, qui videns Pelagiam tanto vestium luxu & pompâ totius vrbis oculos ad se rapientem & allicientem, vbertim fleuit: Rogatus causam, dixit: *Duæ res sunt, quæ me mouent, vna quidem huius mulieris perditio: Altera, quòd ego qui nomen Christianum profiteor, non tantum studeo placere Deo vitæ innocentiâ, quantum hæc mulier turpibus placere cupit hominibus*.

Sicut

Sicut ficus minimè pomposa; amans renouationis insitionem omnem admittit, habet folia pungentia &c. ita & iustus.

§. III.

Ficus minimè pomposa, flore caret, interim feracissima fructuum.
ISIDORVS.

1. FIcvs minimè pomposa, caret enim flore, sed interim maximè frugifera. Nam vt ait Isidorus orig. lib. 17. c. 7. *Ficus latinè à fœcunditate vocatur, feracior enim est cæteris arboribus. Nam ter quaterq; per singulos annos generat fructum, atque altero maturescente alter oboritur. Hinc & Caricæ à copia nominatæ.* Plinius lib. 15. cap. 18. ex Onisicrito tradit in Hircania ficus tam esse fertiles vt quæ modios 270. singulæ ferant. Simile prorsus in iusto accidit pompâ externam fugit, fructuum bonorum operum copiam diligit. Peccator verò, malusque Christianus ad imitationem spinæ floribus pomposæ & fructu carentis; externâ gaudet pompâ & apparentiâ. Quod pulchrè apologo à ficu & spina mutuato sic exprimit D. Cyrillus lib. 2. apolog. cap. 23. *Spina florebat, & ficus ante eam frondes ac grossos suos producebat, cui mox tumefacta ex floribus spina dixit. Ficus vbi sunt flores tui? At illa respondit. Spina vbi sunt fructus tui? Tum spina, non dedit mihi, inquit natura fructus. Neque mihi subiungebat ficus, flores addidit. Verùm cùm flos deriuetur in fructum, melius est sine flore fructum producere, quàm fructu priuatam florere: attamen quia non floreo, germen suauissimum gigno. Sic & palma, mel suum non effundens in floribus, mellifluum parit dactylum. Et canna mellea; quia flores non protulit; totam fructus dulcedinem intra semetipsam recondit. Quid ergo de apparentia contrariæ existentiæ gloriaris? Sepulchrum quidem extrinsecus flosculis pingitur & intus est spurcitia mortis plenum. Quin & Sapphyrus qui magis splendet valet minus. Atque ita rerum ipsa mirabilis fabricatrix natura etiam in suis operibus apparentiam damnat. Vt quid igitur externâ tantùm pompâ gaudes? Attende vt aurum in abstrusis terræ latibulis nascitur, & margarita per rorem cælitus diffusum in occultis ostrearum conchis gemmascit. Quin etiam pretiosissima quæque naturæ, inuisibilia existunt. Quid plura? Magis certè gaudeo esse fructifera sine flore, quàm esse spina cum flore. Quibus dictis pomposam confudit.*

PLINIVS.

Vir iustus pompâ externam fugit, copiam diligit bonorum operum Peccator verò diligit externam pompam.

CYRILLVS

Apologo à ficu & spina mutuato idipsum elucidatur.

Ficus in proferendis fructibus est maximè continua & perseuerans. Vnde de illa sic D. Chrysostom. operis imperf. in Matth. 24. *Omnis arbor penè in vno tempore fructum præbet, nam infrà paucos dies & maturescunt & cadunt, ficus autem ex quo cœperit fructus afferre vsque ad hyemem fructificare non cessat.* Ita & iustus postquam cœpit proferre fructus bonorum operum in illis perseuerat vsque ad hyemem mortis & vltimum vitæ terminum. Scribit Plinius lib. 13. cap. 18. ficus chalcidicas esse triferas, siue ter in anno dare fructus. *Imò sunt,* inquit, *& hybernæ quibusdam prouincijs.* Ita & iusti, non solùm per totum vitæ decursum proferunt dulces bonorum operum fructus, verùm & in ipsâ mortis hyeme. Tunc enim sanctè & piè in Domino obdormiendo, & meritorum sibi aceruos congerunt, & superstitibus varia virtutum exempla, quæ æmulentur, ostendant.

CHRYSOS.

PLINIVS.

In vitâ & in morte profert iustus fructū bonorum operum.

2. Ficus amat renouationem. Ficum Romuleam post octingentos & quadraginta annos in trunco & ramis arescentem reuixisse, seque renouasse scribit Tacitus lib. 3. annal. in fine, hisce vsus verbis. *Eodem anno* (nimirum Nerone tertiùm & Messala consulibus) *Ruminalem arborem in Comitio, quæ per octingentos & quadraginta ante annos Remi Romuliq; infantiam texerat mortuis ramalibus, & arescente trunco diminutam, prodigij loco habitum est, donec in nouos fœtus reuiuisceret.* Hæc Tacitus. Similiter qui in die iudicij vult in albo saluandorum inueniri, deposito veteri homine renouari debet & nouum induere hominem iuxta illud D. Pauli ad Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* Et ad Coloss. 3. *Exuentes veterem hominem, induite eum qui secundum Deum creatus est,* &c. Ad hanc renouationem motiua deducta à varijs creaturis vide apud Ioannem Dereyoles in Zachar. cap. 3. quæstione 5.

Ficus amās renouationis.

TACITVS.

Sic iustus exuit hic veterem hominem & induit nouum.

IOAN. DEREYOLES.

3. Non solùm post arescentem truncum & demortuos ramos sese renouat ficus, verùm & alia ratione, nimirum vbi pars ficuum maturuerit alia concoquitur, maturatisque primis fructibus, profert secundos, tertios, quartos, sic sese renouans non solùm in æstate & autumno, verùm & in ipsa hyeme vt paulò superiùs ex Plinio insinuatum. Vnde in apologo illo de arboribus qui refertur Iudic. cap. 9. ficus ad regimen regni suscipiendum inuitata, respondit: *Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suauissimos.* Pro quibus in Hebræis legitur. *Nunquid possum deserere renouationem meam bonam.* Similiter & iusti non contenti præteritis, præcedenti bona vita, semper renouantur ad producenda adhuc alia bona opera, & quotidiana puritatis innouatione iuuenescunt.

Ficus etiam renouatur, ficuum sibi inuicē succedentium prolatione.

Iustus semper renouatur ad producenda alia opera bona.

Quis dubitat Dauidem post insignem illam pœnitentiam totum innouatum? Et tamen adhuc orat: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Quæ verba pendens D. Gregor. Nazianzen. orat. 43. sic ait: *Quin diuinus quoque Dauid, cor mundum in se creari & spiritum rectum in visceribus innouari postulat, non quòd non habeat (quis enim habere possit, si tantus vir eo careat) sed quòd pro nouo id ducat, quod nunc quotidie accrescit.* Sic ille. De hac virtutum bonorumque operum renouatione vide accommodatè scribentem Didacum de Baeza tomo 1. de Christo figur. libro 4. cap. 1. §. 2. Pazium tomo 1. de vitâ spiritual. libro 5. parte 2. cap. 17. Antonium Velazquez in cap. 3. epistolæ ad Philippens. versic. 15. & versic. 16. Cornelium in cap. Exod. 13. ad versic. 21. §. *Vtinam hanc*, & in cap. 41. Eccli. ad versic. 2. in calce, & in cap. Ezech. 47. vers. 12.

Baeza. Pazius. Velazq. Cornel.

Speculum huius renouationis habemus in S. Fráciſco. Bonav.

4. Speculum huius renouationis habes in Seraphico Patre nostro Francisco, cui semper in ore: *Incipiamus fratres seruire Domino Deo nostro, quia vsque nunc parum profecimus.* Et post impressa sibi à Christo vulnera. *Tunc*, (vt de illo scribit S. Bonauentura in illius vita cap. 14.) *flagrabat desiderio magno ad humilitatis redire primordia, vt leprosis sicut à principio ministraret, corpusque iam præ labore collapsum reuocaret ad pristinam seruitutem. Proponebat Christo duce, se facturum ingentia, & satiscentibus membris spiritu fortis, ac feruidus, nouo sperabat certamine de hoste triumphum. Neque enim languor vel desidia locum habet, vbi amoris stimulus semper ad maiora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod cùm ille niteretur ad omnem sanctitatem pertingere, ipsa non solùm non repugnaret, sed præcurrere niteretur.*

In ficu, fructus dulcis, reliqua omnia amara. Poliant.

5. Synesis Cyreneus de prouidentiâ libro 2. citatus in Polyanthea v. *Degener*, notat in fici arbore fructum esse dulcissimum, folia autem & corticem & stipitem & radicem amarissima esse omnia, cuius rei hanc assignat rationem. *Quod enim arboris eius natura deterrimum in se habet, hoc viuendo in ijs quæ vsui apta non sunt absumpto, optimum quod est, id in fructibus sincerum illa relinquere, videri possit.* Sic ille. Ita vt ficus pro speculo nobis esse videatur, laudabilis cuiusdam separationis, quâ nimirum deterrimum separatur à sincero, illo absumpto, hoc retento: Similis est iusti conditio, deterrimum separat à sincero, pretiosum à vili, illo retento & toto hoc absumpto siue abiecto per veram confessionem; quod adducta fici similitudine sic elucidare videtur Gregorius Nyssenus homil. 5. in Cant. ad illa verba: *ficus protulit grossos suos. Cum*, ait, *humana congruenter ficui, de qua hic fit mentio, per à nobis intellectam hyemem*

Sic iustus separat deterrimum à sincero. Gregor. Nyssen.

(scilicet inobedientiæ & peccati) malum collegerit humorem, rectè qui animi ver in nobis efficit, & conuenienti agricultura in nobis plantat id quod est humanum, primum quidem à natura expellit quicquid est terrenum & inutile à ramis, per confessionem expellens excrementa. Deinde qua speratur, beatitudinis quendam characterem per honestiorem viuendi rationem, vitæ, veluti quibusdam grossis, fructuum futuram annunciat dulcedinem. Et hoc est quod dicitur, Ficus protulit grossos suos.

Ficus symbolum obedientiæ.

6. Ficulnea illa, de qua Matth. 21. iussa comas ponere, & exarescere, momento paruit: Similiter iustus & ad cælestem prædestinatus vitam obaudit, obsequitur & paret diuinis mandatis ac iussionibus, iuxta illud Christi Ioan. cap. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit:* Vide Drexel. in Zodiaco Christiano, sexto prędestinationis signo. Qualiter omnia obediant Christo, vide apud Ioannem Dereyroles in cap. 6. Zachar. vers. 17. sect. 2. quæst. 2. & in cap. 2. vers. 11. lection. 1. quæst. 2. numer. 6.

Drexel. Dereyrol.

Ficus ex consortio caprifici magnũ capit emolumẽtum, ita iustus ex infideli, vel hæretico non leue capit commodum. Basilius.

7. Ficus ex consortio caprifici magnum capit emolumentum vt suprà insinuatum sect. 7. Ita similiter fidelis & iustus homo, inspecto aliquando hæretici vel infidelis vitæ secundùm mores instituto, vt se in virtute perficiat, non exiguum ad mores suos rectiùs componendos sumit emolumentum. Hoc habet D. Basil. homil. 5. hexam. *Quod ipsi quoque nos ab alienis à fide nec rarò debemus desumere, intentam animi acrimoniam, vimque bonorum operum efficacem, si quando enim tu vnum aliquem ritu gentili viuentem, aut per erroneam hæresim ab Ecclesia præcisum & dissectum, vita alioqui continentis studiosum, ac reliquæ moralis disciplinæ non instrenuum cultorem, contemplatus fueris: tantò tum ad probitatem confectandam, studium, illius contemplatione, intendito, & connitere, assimilis vt fructiferæ fico euadas, alacrem virium copiam colligenti ex agrestium olynthorum præsentia, suorumque fructuum inhibenti defluuium, & accuratiùs eos ipsos enutrienti.*

Fici lignũ si in aquâ demergatur fundum petit, deinde quasi iam in aquis exficcatũ sustollitur in superficiẽ, idem accidit iusto si immergatur tribulatioũ aquis.

8. De ficu Ægyptiaca, cæteris fœcundiore, scribit Isidorus Orig. lib. 7. cap 7. quòd lignum eius in aqua missum illico mergitur, & cùm in limo aliquandiu iacuerit deinde in superficiem sustollatur, versa vice naturæ, quando madefactum debuit humoris pondere residere. Idem & vno contingit iusto, dum immergitur tribulationum aquis, mox fundum petit sese humiliando sub potenti Dei manu, nequaquam autem patitur se vinci vel obrui tribulationum pondere, vulgarium hominum more, sed palmæ adinstar aduersus deprimentia malorum pondera per veram in Deum spem & fiduciam sese erigit atque sustollit.

9. Hanc fici conditionem ad tropologiam

BIRCH. giam sic allicit Berchorius in reduct. mor. lib. 12. cap. 11. *Lignum ficus Ægyptiacæ in aqua positum statim submergitur, cùm autem madefactum fuerit, tunc contra naturam aliorum lignorum iterum reuenit & resurgit secundùm Plinium libro 13. cap. 7. Talis est vir iustus, quia quando in aqua mundanæ prosperitatis vel voluptatis ponitur, aliquando ex ipsa fragilitate humanæ conditionis cadit vel submergitur per peccatum, verumtamen postquam madefactus fuerit, id est, postquam fuerit inebriatus & imbutus delicijs peccati, tunc per Dei gratiam quandoque, & etiam vt communiter iterum releuatur, quia sicut dicitur Prouerb. 24. Septies in die cadit iustus & resurgit. Et istud est contra naturam aliorum, id est, peccatorum; quia scilicet quando sunt inebriati & madefacti delicijs & peccatis, tunc difficulter reuiuiscunt, quia vbicumque ceciderit lignum, ibi erit, Eccli. 11. Quia sicut dicitur Prouerb. 18. impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Hæc ille.

Ficus folia habet aspera, quæ symbola pœnitētiæ, simili indumento gaudet iustus & delectatur ipse Deus. 10. Ficus folia habet aspera, pungentia, & mordentia, quæ proinde tamquam symbola pœnitentiæ assumpta à primis parentibus post peccati perpetrationem. Vnde Irenæus libro 3. aduersus hæreses, hæres. 37. in bonam partem interpretatur Adami folia, tamquam veri pœnitentis indumenta, quibus caro, eiusque prurientis illecebra folijs aliquanto asperioribus pungeretur, sic enim ait: *Per succinctorium in facto ostendit suam pœnitentiam, folijs ficulneis semetipsum contegens, existentibus & alijs folijs multis, quæ minus corpus eius vexare potuissent, condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei & retundens petulantem carnis impetum, quoniam indolem & puerilem amiserat sensum, & in cogitationem peiorem venerat: frænum continentiæ sibi & vxori suæ circumdedit, timens Deum & aduentum eius expectans, & velut tale quid significans. Quoniam, inquit, eam quam habui à spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, & nunc cognosco, quoniam sum dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus. Et hoc videlicet semper habuisset indumentum humilians semetipsum, nisi Dominus qui est misericors, tunicas pelliceas pro folijs ficulneis induisset eos.* Hæc Irenæus. Pende illa verba: *Et aduentum eius spectans.* Hæc enim folia fici, id est, pœnitentiæ opera alliciunt oculos Dei, quique hisce contectus fuerit reddit se Deo conspicabilem, nec est quod diuinos vereatur obtutus. Fælices proinde Christiani, qui paternæ pœnitentiæ æmuli exiunt sub fici folijs, confugiuntque ad hæc salutaria fici folia. Non potest enim non à Deo conspici, qui sub hisce folijs latet. Quò respiciens Diuus

RVPERT. Rupertus expendens illa verba Ioannis 1. *Cùm esses sub ficu, vidi te*, sic scribit libro 3. in Ioannem: *Vidit non solùm illum, sed omnes electos, cùm primus mandati transgressor consutis ficus folijs pudenda contegeret. Iam tunc vidit eos, & miseratus est, iam tunc disponebat, quo illos ordine liberaret.*

11. Ne autem existimares pœnitentiæ nostræ opera per se tegere posse nuditatem animæ & peccati malitiam emundare, legimus eodem capite: *Fecit Dominus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas.* Nimirum vt significetur; nos de vnius diuini agricolæ Christi vellere sic vestiri, vt & nuditatem operiamus & malitiam extinguamus, vt apud Baezam de Christo figurato tomo 1. libro 1. cap. 34. pulchrè notauit Ioannes Fernandez in thesauro scripturæ sacræ, dum ait: *His pellibus Agnus Dei venturus præfigurabatur in mundo; cuius vellere & tegeretur nuditas nostra, & deleretur iniquitas, iuxta illud: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Patientiæ opera parū prodessent nisi vestiatur homo diuini agricolæ Christi vellere. BAEZA.

12. Ficus folia habet duriora & asperiora, quæ symbola sunt laboris, virtutis ac bonorum operum. Vnde corona illa quâ victores coronabantur, dicta Celista, contexta erat atque constabat ex folijs ficulneæ & ramusculis rosarum, vt signetur neminem coronandum nisi ob asperos quos assumpsit labores, & quas pertulit tribulationum spinas. Similiter & iustus non dulcibus & suauibus indulget delitijs, sed asperis & pungentibus est plenis laboribus. Ficus gaudet durioribus, ita & iustus delectatur laboribus.

13. Ficus insitionem omnem admittit vt ex Theophrasto docet Iulianus epistolâ 24 sic scribens: *Theophrastus, ille vir egregius, in ijs, quæ de agricultura scripsit, cùm de arborum, quæ in alijs inseri possunt, natura, mutuaque insitione differit, præcipuè ficum commendat, quòd variorum generum arbores admittat, & vna ex omnibus facilè aliarum stirpem ferat, si quis eius singulos ramos amputet, & in eorum quemque diffissum, aliarum arborum sobolem inserat: vt persæpe huius vnius aspectus, pro horto integro esse possit: quod vt in prato amœnissimo: sic ipsa varium ac multiplicem omnis generis fructuum splendorem à sese mittat.* Sic ille similiter in iusto sese res habet. Cùm enim, vt suprà diximus, non patiatur sese inseri per inordinatum amorem alicui creaturæ, sicut nec ficus alicui arbori, omnes tamen creaturas propter Dei amorem in corde recipit & diligit, neque proximum ex corde excludit, sed simul cum Deo corde complectitur, quamuis longo, imò infinito infrà Deum collocetur interuallo. Ficus insitionē omnē admittit, sic iustus omnes creaturas ob Christum in corde recipit & diligit, neminem excludit. THEOPH.

AVGVST. 14. Ficus procliuis maximè ad emittendas lachrymas lacteas. Vnde D. August. adhuc Manichæorum hæresi infectus, vt de seipso scribit lib. 3. confess. c. 10. *credebat ficum plorare cùm decerpitur, & matrem eius arborem* Ficus emittit lachrymas lacteas, iustus lachrymabilis est.

borem lachrymis lacteis. Similiter iusti in hac vita lachrymabiles sunt, & multum indulgent lachrymis, plorant & flent, mundo gaudente.

Ficus in senecta fertilissima, idem iusto accidit.

15. *Ficus quò magis senescit*, ait Plin. lib. 16. c. 27. *quò maturius fert*, addit *quoddam genus ficorum in senecta fertilissimum.* Idem etiam in iustis accidit, quò enim prouectiores ætate, quò maturiùs fert fructum bonorum operum, quò in omni opere bono magis fructificat.

Ficus calidæ temperaturæ ita & iustus. GALENVS.

16. *Ficus arbor*, ait Galenus lib. 8. de simplic. medic. facult. *calidæ temperaturæ est, ceu indicant tum liquor eius, tum foliorum succus, valenter enim vtrumque eorum calidus est. Itaque non mordicat tantùm, aut abstergit vehementer, sed & vlcerat.* Sic ille. Nónne similiter iustus omnis calidæ est temperaturæ, charitatis ardore vndique perfusus?

Ficus fulmine non icitur, sic neq; iustus.

17. *Fici arborem item atque laurum è cælo fulminibus non ici*, tradit Mattheolus loco cit. Simili ratione iustus immunis est à fulmine diuinæ indignationis, quæ casura aliquando in caput omnium impiorum.

Ficus crescit in aruo petroso: ita & iustus.

18. Ficus crescit in aruo petroso. Vnde in terra sancta, quæ petrosa, abundant tam ficus quàm vites, vtræque enim tali delectantur aruo: Sic iustus nunquam fœcundiùs, vel fæliciùs prouenit quàm dum plantatur à Deo, in terra quadam petrosa, id est, in statu quodam humili, paupere, arido, abiecto.

Ficus lacteo humore plena: ita & iustus, & de quibusdam alijs inter ficum & iustum conuenientijs.

§ IV.

Ficus plena lacteo humore: iustus plenus lacte charitatis.

1. FICVS mollis est & tenera, plena vndique lacteo humore: sic iustus plenus lacte charitatis & misericordiæ, libenter remittens iniuriam, iniustus instar durissimæ quercus, nulla tangitur misericordia durus debitorum omnium exactor ac repetitor. Ficui si auferas folia vel fructus, lac emittit, sic iustus pulsatus iniurijs, lac patientiæ & compassionis fundit.

RICHAR. VICTOR.

Non habet (ait Richardus à S. Victor. expos. in Cant. cap. 23. expendens illa verba Cant. 4.) *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli qui pascuntur in lilijs, vbera* (patientiæ & compassionis) *anima adhuc carnalis, donec crescat in gratia, & sanguinem carnalitatis conuertat in lac deuotionis. Cùm verò in gratia creuerit, & pietatem conceperit, tunc mater fit, lactat teneros, consolatur desolatos, contumelijs pulsata, vel iniurijs affecta, patientiæ & compassionis lac fundit, non sanguinem carnalis commotionis. Quia enim pietatis lacte repleta est dulcedinem exhibet quam accepit, magis miserijs se lædentis compatitur, quàm iniuriâ moueatur. Est in eo qui iniuriatur nequitia cordis, & est miseria animæ. Sustinens quoque in se habet vnde moueatur ad iram, siue ad clementiam. Si potiùs indignatur quàm compatiatur, carnalis est, & miseriæ peccati etiam ipse obnoxius, quia sicut ille peccat per nequitiam, ita iste per iram & impatientiam. Sanguis sanguinem tangit, id est, peccator peccatorem. Tactus probat quisque qualis sit. Si vbera haberet, tactus, id est, iniuria pulsatus, lac funderet. Tum autem iniuriam patitur, & non compatitur, dolet, & non condolet, quia pietatis lac non effundit, probat se habere non vbera, nec matrem esse, sed sororem adhuc paruulam & vbera non habentem.* Sic ille.

Iustus pulsatus iniurijs, pietatis lac emittit.

Iustus plenus lacte cōpassionis. RICHAR. VICTOR.

2. Tam plenus est iustus lacte compassionis, vt de illo dici possit illud Cantic. 4. *Mel & lac sub lingua eius*, id est ait Richardus à S. Victor. in expos. Cant. cap. 28. *refectio robustorum, & consolatio infirmorum.*

Duæ mammæ spirituales, duplex compassio, corporalis & spiritualis.

Huc etiam spectant quæ scribit idem Auctor cap. 28. in Cantic. dum exponit illa verba sponsi Cantic. 4. *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea, sponsa*: Sic enim scribit: *Quæ mammæ? duplex est compassio, corporalis & spiritualis; hàs habet anima, quando corporum necessitate laborantibus, compatitur, siue in aliquo peccato, vel tentatione positis, consolationem, & orationem impendit. Hæc verba habet, quando nouit gaudere cùm gaudentibus, & flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, vri cum scandalizatis. Pulchræ sunt mammæ illius animæ, quæ omnibus ex affectu compatitur, & nullius dolores sine cordis dolore potest præterire.* Sic ille. Meritò autem hæc duplex compassio animæ vberibus significata est: quia sicut in fœminis vbera sunt adolescentiæ, atque annorum nubilium indicia, eorumque lacte paruulos alunt, ac nutriunt: ita compassio in anima, signum est eam iam infantiam, atque pueritiam spiritualem excessisse, & ad adolescentiam atque annos nubiles peruenisse, in quibus Christo, purissimo connubio iungatur.

Plenus lacte innocētiæ. HIERON.

Secundò, iustus est plenus lacte innocentiæ, de quo lacte intelligendum putat D. Hieronymus illud Isaiæ cap. 55. *Venite, emite absque argento & absque vlla commutatione vinum & lac.* Sic enim scribit ad illa verba: *Prouocat nos Isaias non solùm vt vinum emamus, sed etiam lac, quod significat innocentiam paruulorum, qui mos, ac typus in occidentis Ecclesijs hodie vsque seruatur, vt renatis in Christo, vinum lacque tribuatur* &c. Pulchrè autem lac innocentiam simplicitatemque adumbrat, nam vt annotauit

Lac meritò adumbrat innocentiā.

Gregor.

NYSSEN. Gregorius Nyssenus ad illa verba Cant. 5. *Oculi eius sicut columbæ* &c. vni lacti inter humida hæc proprietas inest, vt nullius rei vmbra vel simulachrum in eo conspiciatur. De hoc lacte D. Petrus epist. 1. cap. 2. *Sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite.*

Plenus lacte diuinæ gratiæ, quæ meritò lacte comparatur. Lac candidum, gratia candida. 4. Tertiò, iustus est plenus lacte diuinæ gratiæ, quæ meritò lacti comparatur. Primò, sicut lac candidum, sic planè candida gratia. Vnde Apocal. cap. 2. dicitur. Calculus candidus, quia animum candore virtutum reddit ornatissimum. Hunc gratiæ candorem, vestis etiam alba olim significabat. Vnde Fortunatus in carmine, FORTVN. cuius initium est: *Salue festa dies*, sic scribit:

Rex sacer ecce radiat pars magna trophæi
Cum puras animas sacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidus exercitus vndis
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas, vestis quoq; candida signat
Ecce grege de niueo gaudia pastor habet.

Est etiam gratia margarita illa pretiosa, quâ inuentâ, quis abit, & vendit omnia quæ habuit & emit eam.

Lac primũ hominis alimentum, ita & gratia hominis iusti. 5. Secundò, lac primum infantis nutrimentum. Quocirca adnata sunt lac & genitura ait Aristoteles libro 3. histor. animal. & gratis præbetur infanti; ita & gratia homini iusto. Vnde sic Diuus Au- AVGVST. gustinus in Psalm. 67. *Lac significat gratiam; manat quippe ex abundantia viscerum maternorum, & misericordia delectabili paruulis gratis infunditur.*

Lac pro cibo, similiter & gratia. PLVTAR. 6. Tertiò. Lac est cibus naturalis, & quasi coæuus homini, infans enim mox vt nascitur, sugit vbera matris, æquè ac agnelli, vituli, hinnuli, cæteraque animalia. *Lac*, inquit Plutarchus libro de sanitate tuend. *Vsurpandum pro potu non est, sed vt cibus, vim validam & ad nutriendum copiosam habes.* Similiter & gratia est homini pro cibo, vim habens validam, & ad nutriendum inferiorem hominem copiosam.

Lacte perfusa redduntur dulcia; idē operatur etiã gratia. BERCH. 7. Quartò, semen amari cucumeris, si lacte mellito perfundatur, dulcem gignit fructum teste Isidoro; ita ait Bechorius in red. mor. lib. 12. cap. 42. si lacte gratiæ perfundamur & rigemur, fructus bonorum operum facimus, qui alioquin per nos non nisi mala opera faceremus, atque hoc esse lac quo Paul. Hebr. 5. nobis opus esse scribit, melque cum lacte sub lingua sponsæ, de quibus Cant. 4.

Anima perfecta instar hinnuli accurrit ad lac gratiæ. RICHAR. VICTOR. 8. Fælix anima quæ ad hoc diuinæ gratiæ lac currere non cessat, vtique assimilanda hinnulis, qui ad lac currunt, & alta petunt. *Anima perfecta*, ait Richard. à S. Vict. expos. in Cant. c. 23. *hinnulis comparatur, qui ad lac currunt & alta petunt. Sugit enim vnde ipsa crescat, & alios reficiat. Duo hinnuli sunt actiui & contemplatiui, qui vtique ad lac gratiæ currere non cessant, hoc desiderat & ad perfectum semper tendunt, & superna petunt. Semper se nouos, semper incipientes, & insufficientes se reputant, quia ad anteriora se extendunt,* &c.

9. Ferunt infantem in materno constitutum vtero vigorem ex illo prodiendi & erumpendi sibi adhiscere, ex desiderio, quo tenetur, vescendi materno lacte. Si desiderium degustandi lac maternum, hoc operatur in infantulo, quid non meritò operabitur desiderium gratiæ in animo Christiano? quomodo vt lacte gratiæ diuino vescatur, & latices illos degustet diuinos non animos sumet ad confringendum, quo concluditur, peccati carcerem? Quantò desiderio teneatur infans vescēdi materni lactis.

. Quartò, iustus plenus lacte puræ, sinceræ, vtilis, & commodæ doctrinæ nutrientis animam sicut lac carnem. Lac tale est doctrina legis diuinæ, quam olim docuit Moses, deinde Christus. Quocirca D. Augustinus in Psal. 30. conc. 1. *Christus*, inquit, *sapientiam suam, vt lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos.* Et in Psalm. 130. *Dominus*, inquit, *noster Iesus Christus panis, se fecit nobis lac incarnatus, & apparens mortalis, vt in eo finiretur mors, & non aberraremus à verbo, credentes in carnem quod factum est verbum. Hinc crescamus, ipso lacte nutriamur: antequam validi simus ad capiendum verbum, non recedamus à fide lactis nostri.* Iustus plenus lacte doctrinæ. AVGVST.

11. Vt lac fluit ex vberibus matris, sic lac sacræ doctrinæ fluit à Spiritu Sancto per duo testamenta tamquam diuina vbera. De quibus sic sponsa Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino. Vt duo vbera*, inquit Philo Carpathius in hunc locum, *duæque mammæ hinc inde pectori affixa cor ambiunt: ita & duo testamenta ex Spiritu Sancto, spiritualem nobis potionem, diuini lactis instar, effundunt, nósque super delectationes omnes humanas sanctissimè lætificant atque tuentur.* Hæc ille. Quare autem doctrina Euangelica lacti comparetur, Vide apud Cornelium in 1. epist. D. Petri c. 2. ad v. 2. Lac sacræ doctrinæ fluit à S. Spiritu per duo testamenta tamquam duo vbera. CARPAT. CORNEL.

12. Fælix qui hæc premit vbera seriâ ac frequenti meditatione. Sic enim, Primò, ex illis non solùm dulce lac, verùm & pingue buthyrum elicit. Iuxta illud Prouerb. cap. 30. *Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit buthyrum. Vbera*, ait D. Gregorius 12. Moral. 1. *fortiter premimus cùm verba sacri eloquij subtili intellectu pensamus, qua pressione dum lac quærimus butyrum inuenimus, quia dum nutriri vel tenui intellectu quærimus, vbertate internæ pinguedinis vngimur.* Sic ille. Hæc vbera premenda, nam lac & butyrum suppeditat. GREGOR.

13. Secundò, ablactant à visibilibus, eaque desipere faciunt. *Sancta pagina*, inquit Laurentius Iustinianus de casto connubio cap. 19. *potissimè bonitatem conditoris commendant. Nostram voluit per has Deus erudire ignorantiam, informare fidem, spem solidare, ablactare à visibilibus, & inuisibilibus pascere.* Hæc vbera ablactant à visibilibus. IVSTINIAN.

14. Tertiò,

Ætatem augent spiritualem. CARPAT.

14. Tertiò, vitam conseruant, ætatem augent spiritualem, de omnibus hominem instruunt, hominem planè cælestem reddunt. *Duo vbera*, ait Carpathius in Cantic. *duo testamenta intellige, à quibus lactantur Ecclesiæ filij, lingua, atque mente, corde, & ore; ex ijs enim verba veritatis exsuguntur, quæ ad vitam perfectam, ætatemque augentur. Horum potio super vinum, & liquores omnes, non enim ex terra scaturit, ac legitur, sed è cælo deriuatur & fluit.* Hæc Philo. Quale lac puer haurit; talis & indole & moribus euadit. Hinc Tartari nonnulli suos infantes lactant lacte canino vt euadant feri, pugnaces, rigosi instar canum. Vnde, cùm lac hoc planè cæleste sit, non mirum quòd cælestem reddat hominem.

Quale lac, talis & indoles sumentis.

Lac horum vberum lumen adfert, cæcitatem pellit. NOVARI.

15. Quartò, lac quod ex hisce vberibus fluit lumen adfert, cæcitatem pellit. Fertur, eo lacte, ait Aloysius Nouarini in electis sacris tomo 2. libro 1. cap. 7. sectione 1. quo ex matris vberibus nutriebatur Beatus Remigius Rhemensis Episcopus, dum infans esset, patris eius cæcitatem ablatam, eique oculorum vsum restitutum, non secus & cælestis doctrinæ lac; menti enim amissum lumen sæpe restituit, spiritalique luce animum perfundit. Vnde & lex lux dicitur Salomoni, Prouerbiorum 6. 23.

Lac horum vberum à morte reuocat. NOVAR.

16. Quintò, lac quod ex hisce manat vberibus à morte reuocat. Fertur, ait Aloysius loco citato, matrem vberum ostensione puerum à casu auocasse, vt lacte bis vitam illi dederit. De quo sic festiuè Antipater Thessalonicensis libro 1. Anthologiæ.

Puero ex altis tegulis super summum verticem,
Deorsum pendenti (per casum pueris non formidatum)
Mater à tergo mammis, reuocauit voluntatem:
Bis verò puero vitam dedit lac.

Idem in nobis præstant præfata testamenti vtriusque vbera. Hæc enim dum nobis ostendunt sacri Doctores, reuocant à præcipitijs. Quot puerorum leuitate miserè laberentur, inque magnas peccatorum foueas deciderent, nisi ostensis mammis, cælestium verborum lacte arcerentur. Qualis autem esse debeat qui horum vberum lac proponat docet idem Aloysius loco citato.

Lac horum vberũ facit germinari in nobis lilia.

17. Sextò, fingunt Poëtæ ex Veneris lacte in terram profuso, germinasse lilia candidissima. Quod fictè de illo Veneris lacte, hoc verè dicere possumus de lacte sacræ doctrinæ, ex hisce vberibus emananante, si contingat illud cadere in cordis nostri alt[um] non nouit aliud quàm lilia produ[c]ere maximè candida virtutum omnium atque perfectionum. *Per lilia quæ nitent*, ait Richardus à S. Victore loco citato, *& odorem habent, munditiam benè viuentium, & odorem virtutum accipimus.*

RICHAR. VICTOR.

18. Si quis lacte diuinorum horum vberum pasci velit, oportet eum priùs auelli & ablactari ab vberibus mundi iuxta illud Isaiæ 28. *Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Auulsos ab vberibus mundi*, ait Hugo Cardinal. *quæ sunt vanitates & voluptates, propter huiusmodi ablactationem, Abraham lætus, id est, Dominus grande conuiuium fecit Genes. 21. quia Dominus multum gaudet, quando aliquis relicta vanitate mundi & voluptate carnis intrat religionem, aut facit in sæculo pœnitentiam.*

Qui vult hoc lacte pasci, debet priùs auelli ab vberibus mundi. HVGO CARD.

Iustus plenus lacte sacratissimæ humanitatis Christi. RICHAR. VICTOR.

19. Quintò, iustus plenus est lacte sacratissimæ Christi humanitatis, dum eam in cælis glorificatam sæpiùs attentè considerat. Vnde Richardus à Sancto Victore exponens illa verba Cantic. 5. *Bibi vinum cum lacte meo*, sic scribit: *Vinum tunc bibit anima cùm diuinitatis eius percepit saporem; & hoc potulo sic inebriatur, vt terrena omnia obliuioni tradat, & superiùs per amorem inhæreat. Lac percipit cùm glorificatam in cælis humanitatem Christi cogitat, hac contemplatione reficitur, & in hac spe & memoria hilarescit, & consolatur.* Sic ille. Qualiter Christus meritò lacti assimiletur, vide apud Cornelium in 1. Petr. 2. ad versic. 2. Vide etiam Diuum Augustinum in Psalmum 33. concione 1. ante medium.

CORNEL. AVGVST.

Iustus plenus est lacte sanctissimæ Eucharistiæ.

20. Sextò, iustus est plenus lacte sanctissimæ Eucharistiæ. Non enim sufficiebat Christo per baptismum hominem regenerasse, vel in Cruce instar Matris ex latere peperisse, verùm tamquam pia mater lacte Eucharistiæ eum fouere & crescere voluit in salutem. Est enim teste Clemente: *Verbum omnia infanti, & Pater & mater, pædagogus & alitor.* Et Diuus Chrysostomus insinuare volens quàm alienus Christus à prauarum quarumdam mulierum more ac consuetudine, quæ natos suos lactandos tradunt alienis, sic scribit: *Generauit filium, statim eum tradidit foras, & pietatis insignia abscondit superbia, erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater. Christus autem non item, ipse nutritor, & mater est, ideo & pro cibo propria nos carne pascit, & pro potu, suum sanguinem propinauit.*

CLEM. CHRYSOS.

Cælestis altaris fontes vbera. TRES PP.

21. Vnde tres Patres apud Theodoretum sic exponunt illa verba Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino. Per vbera illa admiranda, & vino præstantiora cogita illos ineffabiles altaris fontes, ex quibus nos alumni pietatis nutrimur.* Quò etiam respiciens D. August. ser. 1. de Cæna Dom. sic ait, *Quare oportebat vt illa mensa Angelorum lactesceret & ad paruulos perueniret.*

AVGVST.

22. Sicut

Lac pro cibo & potu infanti, ita etiam Eucharistia.

22. Sicut autem maternum lac pro cibo & potu est infanti: ita & Eucharistia Christiano, & sicut lac vim magnam habet nutriendi, ita & Eucharistia. Vnde D. Petrus 1. Petr. 2. *Sicut modò geniti* (nimirum per pœnitentiam) *infantes rationale lac concupiscite* (Eucharistiæ) *vt in eo crescatis in salutem.* De hoc lacte vide Ioan. Carthagena in homil. de arc. Christ. relig. lib. 9. hom. 13. & 14. & Cornelium in 1. Petr. 2. ad vers. 2. Et si teste Clemente Alex. lib. 1. pædag. c. 6. *aluisse sæpe affert plura incitamenta amoris quàm procreasse.* Vide, ô Christiane, quot nominibus obligaris Christo, qui te genuit & taliter alit, nimirum alimento hoc planè diuino & cælesti; vt te similiter in seipsum conuertat & planè diuinum & cælestem efficiat.

IOAN. CARTHAGENA. CORNEL.

Iustus plenus lacte orationis. LAVRET.

23. Septimò, iustus est plenus lacte orationis. Nam in lacte illo quo potatus à Iahele Sisara, vt extingueretur, orationem adumbratam vult Lauretus in sylua alleg. v. *Lac*, sequutus D. Ambrosium de viduis.

Ficus symbolum iustitiæ, similiter bonus Christianus totus in eo est vt respondeat acceptis à Deo donis. SERRARIVS. PLINIVS.

24. Ficum symbolum esse Iustitiæ vult Serrarius scribens in Iud. cap. 9. q. 17. eò quòd licet è terra multum sugat humorem, nihilominus etiam copiosum reddit fructum, quodque si non tempori fructus decerpatur, suum quasi succum resorbet, atque aridum decidere patitur. Similiter bonus Christianus totus in eo est vt acceptis à Deo bonis respondeat, & diuinæ cooperetur gratiæ, ita & mensuræ donorum, respondeat mensura meritorum. Ait etiam Plinius lib. 16. c. 27. esse quoddam genus ficorum, in senecta fertilissimum, quodque quò magis senescit hoc maturius ferat. Similiter bonus Christianus quò senior, quò in bonis operibus fertilior, quò diligentior. De ficu Indica illud compertum est, quòd si eius tantùm folia terræ committantur, ex folijs arbor, fructusque nascantur; ita bonus Christianus, verba in opera vertit, & quæ dicit sancta etiam facit, idipsum & alia ratione expressum habemus in ficulnea, ficus enim cuilibet fructui habet suppositum folium, indicans bono homini esse faciendum quod dicit; ficulneæ si detrahas folia lac emittit, ipsa folia, si abscindantur & secentur, lac emanat, ita similiter è iusto, si aliqua illi irrogatur iniuria, si illum punxeris non defluit sanguis & sanies iracundiæ, superbiæ, vindictæ, &c. sed lac mansuetudinis & patientiæ.

Ex folijs fici oritur arbor, ita iustus verba in opera vertit. Ficus cuilibet ficui habet suppositum folium, sic faciendum iusto quod dicit.

De illaudatis fici conditionibus, quæ si in aliquo tempore iudicij reperiantur, testantur eum futurum de numero reproborum.

SECTIO XX.

Sicut ficus absque fructu, nullius frugis: Cæteris arboribus florentibus non floret, vim maximam habet attrahendi humorem: ita & malus Christianus.

§. I.

1. VIs scire an futurus sis de numero reproborum? Vide an illaudatæ ficus conditiones in te inueniantur: Nihil enim melius peccatoris, & hominis iniusti exprimit conditionem, quàm mala & infructuosa ficus. In primis, Gentiles à ficus ligno fragili & inualido, & ad omnia ferme inutili, parœmias multas deduxerũt: Theocrito, homines molles & nullius frugi, dicuntur ficulni; Horatio, truncus ficulnus, & inutile lignum; Luciano quidam dicitur habere mentem claudam & ficulnam. Vide Erasm. in Adag. chilia. 1. cent. 7. adag. 85. & Isner. hierog. c. 53. c. 32. Quid peccator quàm homo mollis & inutilis, quàm truncus ficulneus? Cuius mens magis clauda & ficulna, quàm peccatoris?

Ficus lignũ fragile, inualid. &c. Ita & peccator. THEOCRITVS. HORAT. LVCIAN. ERASM.

2. Secundò, non floret ficus, cæteris florentibus arboribus; sic nec malus Christianus. Quàm multos videt in Ecclesia, in omni statu, omni virtutum genere florere, ille tamen absque floribus est, & instar ligni aridi, vel potiùs rudis humoribus pleni, qui impediunt, ne aliqua virtute floreat, neque aliqua ostendat bonæ vitæ initia.

Ficus non floret, cæteris arboribus florentibus: ita nec malus Christianus.

tia. Ficulneam illam in vinea infructuosam. Ideo condemnatam volunt aliqui, quia inter fructuosas vites illa sterilis remanebat.

Ficui magna vis attrahẽdi humorem, malo Christiano magna vis attrahendi temporalia. GREGOR: NYSSEN.

3. Tertiò, *est omnino ficui* (ait Gregorius Nyssenus orat. 5. in Cant.) *ob calorem, magna vis in attrahendo ab ima terra humore; cumq; magna iam in meatibus interioribus collecta est humoris copia, & iam humida percoquuntur, necesse est fluxione quadam id, quod terrestre, ac nullius est vsus, ex eius ramis excerni. Quod igitur ante dulcem, maturum fructum à ficu protruditur, & ipsum quandam fructus speciem habens, grossus expellatur.* Sic ille. Similiter in malo Christiano, ob malum calorem concupiscẽtiæ & auaritiæ, ei magna vis est in attrahendo ab ima terra, id est, à terrenarum rerum conditione, humores maximè crudos, id est, affectus animi valde deprauatos: & quid igitur à talibus ficubus protrudi potest, nisi grossi, id est, fructus amari & immaturi, id est, varia, & omnis generis peccata: D. Hieronymus Com. in Mich. c. 7. ad illa verba: *Præcoquas ficus desiderauit anima mea*, &c. per grossos ficorum, intelligit priores arboris ficus, fructus illos immaturos, & acerbos, & ineptos ad vescendum, & qui plerumque sua sponte è ficu celeriter decidunt, præsertim flante vento aliquo vehementi. Ecce quàm pulchrè grossorum natura, naturam exprimat peccatorum, quæ sunt Deo amarissimi gustus, & prouocant eum ad indignationem & iram, quibus tamen vsque ad extremam senectutem inhæret peccator, nec proferre desinit, donec tandem ipsa peccata sponte sua decidant, non tam tunc relinquens peccata, quàm derelictus ab ipsis. Quàm multos videmus hodie, in quibus sponte peccata decidunt; fuit aliquis gulæ & ebrietati deditus, hinc dolores capitis, renum, meatuum opilationes, tandem paralysis aliique morbi, vt non possit, etiamsi velit, prædicta vitia opere ampliùs complere, in eo grossi, id est, peccata, sua sponte decidunt. Est aliquis Deum quotidie offendens, facturus idipsum per totum vitæ cursum, etiamsi ad centum annos extenderetur, subitò, Deo permittente moritur, cõcussus inopinata morte tamquam vento vehementi, sponte sua peccata decidunt, quia illum derelinquunt, non illa verò derelinquuntur ab eo, in quo peccandi adhuc mansit animus, nisi è vita fuisset abreptus.

Grossi symbola peccatorum.

Multis peccata sponte decidunt.

Nihil peccato grossius.

4. Optimè verò peccata in grossis exprimuntur; quid enim est, vt interim nomini alludamus quod peccatum non grossum, terrenum, grauidum, ac stupidum efficiat? *Nolite fieri sicut equus & mulus*, clamat Regius Propheta Dauid, *quibus non est intellectus. Coagulatum est sicut lac cor eorum.* Vaccæ ideò pingues appellantur à Propheta peccatores, quia nihil est quod non sit grossum in peccatore.

Sicut mala ficus plena est folijs, ita & malus Christianus.

§. II.

5. QVARTÒ, testatur D. Ambrosius Com. in Luc. cap. 13. exponens Euangelium arboris fici parabolam: *Quòd arbor ista folijs redundans fluentibus spem possessoris sui cassa speratorum prouentuum expectatione destituit.* Quàm pulchrè hoc in malo patet Christiano: *Expectat Deus vt faceret vuas, fecit labruscas.* Nam quid hoc est Dei expectationem illudere? Folijs redundat interim fluentibus, bonis desiderijs, propositis, & cogitationibus, sed hæc folia sunt absque fructu statim defluentia, & per ventum minimæ occasionis vel tentationis in varias partes dispersa. O quàm peccator plenus folijs!

Ficus plena folijs spem possessoris fallit, ita etiam malus Christianus.

6. Inprimis. Plenus folijs peccatorum. Folia enim ficus peccatorum sunt symbola. *Quidam aiunt* (scribit Procopius ad illum Genes. c. 3. locum: *Consuerunt folia ficus*) *folia fici esse quædam symbola peccatorum, quasi ex propria natura stillauerint. Folia enim ficulnea si corpus attingant; pruritum quendam inferunt; itaque peccati pruriginem ostendunt.* Sic ille. Tegentes ergo nuditatem suam fici folijs videntur voluisse insinuare se peccatores iam esse. *Folia ficulnea intelliguntur peccata*, ait August. sup. Ioan. tract. 7.

Peccator plenus peccatorum. PROCOP. AVGVST.

7. Secundò. Plenus folijs excusationum, folia enim ficus sunt excusationes in peccatis, quibus illa velamus, tegimus, defendimus. Folijs ficus obtegisse nuditatem primos parentes refert Scriptura Genes. cap. 3. *Cumq;*, ait, *cognouissent se esse nudos consuerunt folia ficus.* Quid adumbrant hæc ficus folia, nisi excusationes in peccatis, quibus illa obtegere conamur. *Voluit se operire*, ait D. Ambrosius lib. de parad. c. 13. *quibusdam ficus folijs; fortasse quibusdam inanibus vel vmbratilibus sermonibus, quos compositis mendacijs assuens, & verbum de verbo struens, ad operiendam conscientiam suæ mentis, factique velamen peccator intexit, vt pudenda contegat. Iacit enim supra se folia, qui culpam velare desiderans, aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris. Et de scripturis diuinis frequenter promit exempla, quibus iustos in culpam perhibet incidisse, dicens, si fortè in stupris fuerit deprehensus; & Abraham cum ancilla concubuit, & Dauid alienam adamauit, & sibi adsciuit vxorem. Assuit sibi quædam exempla de propheticarum serie Scripturarum, & fructum earum non putat requirendum.* Vnde D. Hieronymus ad illa verba Psal 140. *Non declines*

Plenus folijs excusationum. Folia ficus excusationes in peccatis. AMBROS. HIERON.

nes cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Sic exclamat: *O infœlicissimum humanum genus: pro quo debueramus pœnitentiam agere, & dicere, Domine peccaui: excusamus & iungimus peccata peccatis. Peccamus miseri de vetito ligno malè comedentes, atque de eodem folia quibus peccatum obtegamus nobis assuimus.* Sic ille.

Excusationes forinsecus plausibiles, interiùs pungentes.

Sicut folia ficus ex vna parte sunt æqualia, ex alia aspera & pungentia, sic excusationes in peccatis, forinsecus plausibiles videntur ac speciosæ, intrinsecus tamen conscientiam pungunt & lacerant.

Quàm hæc folia displiceant Christo, ipso ostendit opere, dum ante mortem ficulneam folia tantùm habentem arefecit. Huius enim facti hanc reddit rationem S. Athanasius quæst. 22. inquiens. *Quia post transgressionem Adam accepit folia ficus, quibus obtexit suæ turpitudinis peccatum, cùm destrueret transgressionis peccatum, & configeret, deleretque in cruce, arefecit operculum peccati, id est, folia ficus, quibus Adam tegebatur post transgressionem.* Nihil enim ita in votis Christo, quàm vt peccati turpitudo reuelata denudetur ac propaletur. Vnde & ipse peccatum pro nobis factus iuxta illud D. Pauli 2. Corinth. 5. *Eum qui non nouerat peccatum fecit peccatum pro nobis;* nudus in cruce apparere voluit, nullâ enim meliori viâ peccatum tollitur, quàm denudatione & propalatione.

Athanasius.

Folia ficus excitant pruritum.

Abulens.

Ferunt fici folia, si tangant verenda hominis membra, in illis excitare pruritum; lac quoque folijs expressum, & cæteris membris corporis applicatum, pruriginem vehementem ingerere. Vide Tostat. in Genes. cap. 3. num. 555. vnde cùm consuerunt primi parentes folia ficus, facientes sibi perizomata, vt tegerent nuditatem, non tam illam contexêre; quàm prodidêre: ita peccator dum culpam suam vult tegere excusationum folijs; magis iam detegit & prodit, dum sese excusat, magis se accusat. Accipe D. Gregorium 22. Moral. 13. *Cùm argueretur vir à Domino, illico respondit: Mulier quam dedisti mihi sociam. Ipsa quoque mulier inquisita respondit: Serpens decepit me. Requisiti quidem fuerant, vt peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo declararent; sed adhiberi sibi vtrique defensionis solatia quàm confessionis elegerunt. Cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, & mulier per serpentem; auxerunt culpam ipsam; ad Dominum referentes. Vir quidem, quod mulier ei data sit: mulier autem, quòd serpentem in paradiso posuisset. Sic ergo reatum suum dum defendere moliuntur, addiderunt. Vnde nunc quoque humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, vt cùm de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verba, quasi sub quædam se arborum folia abscondit. Econtra verò hæc sunt vera humilitatis testimonia, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire. Vnde & mortuo Lazaro, qui mole magna premebatur, nequaquam dicitur, reuiuisce, sed, veni foras. Vt nimirum homo in peccato suo mortuus, qui intra conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam, à seipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim, veni foras, dicitur, vt ab excusatione atque occultatione peccati, ad accusationem suam ore proprio exire prouocetur. Vnde & Dauid ab illa tanti mole facinoris reuiuiscens, ad vocem Domini, quasi foras exiens, dum per Nathan correptus, quod fecerat accusauit.*

Peccator dũ culpam tegit magis eam detegit.

Gregor.

8. Tertiò, plenus folijs verborum, siue Deum, siue homines respicias, interim omni destitutus fructû.

Ad Deum quod attinet. Non ab illo desideratos proferunt iustitiæ fructus, sed de sola se iactant fide, de nomine Christiano, de scientia, de eloquentia, cùm interim iustus, relictis hisce folijs fructum eligat, iuxta illud D. Ambrosij lib. de paradiso c. 13. *Et assuerunt* (scilicet Adamus & Eua) *folia ficus, & fecerunt sibi succinctoria Genes. 3. ficum hoc loco pro qua specie debeamus accipere, diuinarum nos docet series lectionum, quandoquidem sanctos esse qui sub vite & ficu requiescunt scriptura memorauit, & Paulus dixerit. Quis plantat ficum & de fructu eius non manducat, & Dominus ad ficum venerit, sed ideò sit offensus, quòd non inuenerit fructum, sed folia tantùm. Docet ergo me Adam quid sint folia: qui posteaquam peccauit, de folijs ficus fecerit sibi succinctorium, qui de fructibus eius magis gustare debuerit: Iustus fructum elegit, folia peccator. Quis est fructus? Fructus, inquit, spiritus est charitas, gaudium, &c.*

Peccator folia habet, sed Deo nõ profert ab eo desideratos fructus.

Ambros. Iustus relictis folijs, fructum eligit.

9. Neque mirum iustum relictis folijs, fructum eligere. Scit enim & probè nouit verborum folia absque fructu Deo summoperè displicere. Et fortasse nihil aliud adumbrabat præceptũ illud Deut. 16. *Non plantabis lucum, & omnem arborem frondosam iuxta altare Domini Dei tui,* nisi Deo displicere omninò eos homines, quos Plato inuersas arbores & Philo celestes plantas vocauit, dum solo foliorum tegmine, verborum scilicet prolatione absque fructu & operatione operiuntur. Vnde D. Isidorus ad predicta verba ait. *Nemus; frondentes arbores infructuosæ, sola delectatione visus plantatæ, gentiles sunt. Nos autem circa altare Dei; id est, Dominicam fidem; nihil in verbis infructuosum, componimus.*

Displicent Deo verborum folia absque fructu.

Isidorus

10. Scit insuper non folia sed fructum bonorũ operum esurire Christum, cui fami æquum omninò vt satisfaciat Christianus. *Quid esurit,* ait Chrysost. hom. 14. ex varijs in Matth. locis; *in homine Dominus, quidve ab eo sibi desiderat exhiberi, nisi quod ipse Deo patri exhibuit. Meus, inquit, cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me. His Christum saginari certum est, quibus ab ipso saginatus est pater, hæc à nobis exigit, quæ se præbuisse Deo Patri ostendit, exhibe tu Christo, quæ Christus exhibuit Deo: Redde filio quod filius reddidit patri, indè*

Non folia, sed fructum bonorũ operũ esurie Christus.

Chrysostomus.

promeretur Christianus, vnde Deum promeruit Christus. Non esuriat Dominus, cùm non obsequitur seruus. Non sitiat Christus, cùm non obtemperat Christianus, sagina Domini, officia sunt serui. Tu operaris & Dominus pascitur, tu obsequeris & filius Dei saginatur. Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Et paulò inferiùs. *Quod in te Dominus optat, inueniat: quod quærit, reperiat: ne quod à Deo arbori contigit, tibi contingat: in arbusculam prolatum est iudicium, vt tibi proficiat in exemplum: maledictio arboris, tribuat metum, pariat fructum, seruet iudicium. Quantò tardauerit Dominus (tres vel quatuor annos expectans) tantò sollicitior sit seruus. Maior est enim pœna dilata, quàm subita: molestius supplicium, quod præmisso terrore differtur. Maior pœna, quæ ad hoc tardat, vt diutiùs feriat. Non est prouidus seruus quem imparatum inuenerit Dominus. Actus tuos ipse discute, & quod displicuerit corrige, rationes quas daturus es cautè compone, vt Dominus illas possit, cùm venerit, acceptare.* Hæc & alia vtilissima prosequitur D. Chrysostomus, quæ si mente reuoluas, relictis verborum folijs & tegmentis maturos & dulces produces fructus quos Christus esurit.

LEO. 11. *Illa ficus*, ait D. Leo serm. 7. de collect. *nobis cauenda est de suæ infœcunditatis exemplo, quam Dominus nihil habentem, quod esuriens sumeret perpetua sterilitate damnauit.*

Peccator folia habet, sed nō profert fructū desideratū pauperibus.

12. Ad homines præsertim pauperes quod attinet, pleni etiam sunt verbis, & planè destituti operum fructibus. Iuxta illud D. Iacobi. *Si autem frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?*

GREGOR. Ad quem locum sic D. Gregorius 20. Moral. 14. *Dilectio nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis & ministerio charitatis.* Vnde præsentibus verbis ex eius sententia eos carpit, qui cùm possint opere, verbo tantùm pauperibus occurrunt, cùm tamen Paulus dicat, hos non debere diuites esse verbis, sed *operibus bonis facilè tribuere, communicare.*

Gentilium est solis verbis proximo satisfacere.

13. Foliorum vmbracula olim gentilibus & idolatris erant in pretio & ab ijs idolis destinata & consecrata iuxta illud Isaiæ cap. 57. *Qui consolamini in dijs, subter omne lignum frondosum, immolantes paruulos in torrentibus subter eminentes petras,* &c. Similiter gentilium est solis verbis proximo occurrere & satisfacere, Christianorum autem, quibus Christus tantoperè mutuam charitatem commendat, operibus iisdem subuenire, nec

BONAVENTVRA. vacuos abire permittere. Notat D. Bonauentura in 3. c. Lucæ, quod folia ficus sint manui similia, in quo vult ficum adumbrare eos qui alios ad operandum inuitant, cùm ipsi nihil operentur.

Peccator plenus folijs promissionū multa promittit Deo, multa hominibus.

14. Quartò, plenus est promissionum folijs, sunt enim promissiones folijs similes, virore quidem visum reficiunt, sed nequaquam carnem vel mentem enutriunt. Quàm multa tum Deo, tum hominibus promittit homo, quàm exigua præstat & opere exequitur. Vtinam homines ficum præcoquam imitentur, ficum, cui pro folijs & floribus fructus est, quæ nondum folijs vestitur, & iam fructibus exornatur.

Ficus etiam designat externam virtutis laruam.

15. Quintò, folia ficus etiam designare possunt, externam virtutis quandam laruam atque speciem, item externas quasdam cæremonias, sub quibus interdum varia latent vitia, item exteriora quædam indicia Christiani, item verba iustitiæ absque operibus.

Folia ficus sunt externa quædam indicia Christianitatis.

PETRVS DAM. De posteriori sic S. Petrus Dam. epist. 67. *Quisquis*, ait, *fortia prædicat, & eneruiter viuit, ne turpis appareat, quasi sub folijs se honesti sermonis occultat, sub vmbra se proprij oris abscondit, dum in campum certaminis, per sui corporis ignauiam non procedit.* Consentanea sunt quæ scribit Hugo Card. in cap. Prouerb. 27. *De folijs huius ficus* (sacræ Scripturæ) *fecit sibi Adam post peccatum perizomata, ad tegendum pudenda sua Gen. 3. Quod etiam hodie multi faciunt; quia verbis doctrinæ sanctæ, & prædicationis palliant iniquitates suas, nam verba sancta habent & docent, sed vitam sceleratam & immundam.*

Plenus est peccator temporalium folijs.

16. Sextò, plenus est rerum terrenarum & temporalium folijs, sunt folia ficus etiam symbola rerum temporalium præsertim carnalium voluptatum ad quas corpori & animæ assuendas peccatores sese conuertunt, vbi à Deo desciscunt, eiusque gratiâ & castissimis voluptatibus carere se vident. *Ergo*, inquit D. Ambrosius lib. de parad. cap. 3. *posteaquam spoliatos se illa simplicitate & sinceritate viderunt integræ incorruptæq; naturæ, quærere mundana & manu facta cœperunt, quibus nuda sua mentis operirent: delectationes delectationibus, & mundi huius vmbratiles voluptates, velut folia folijs assuentes, quibus obumbrarent genitale secretum.* Sic ille. Nota quàm appositè vocet vmbratiles voluptates, folia quippe sunt quæ foris obuelant, non verò fructus qui suscipitur intus ab anima, folia sunt quæ obumbrant aciem mentis, excæcant iudicium, rationem perturbant. *Omnis homo*, ait Theophyl. in c. 21. Matth. *exponens se delicijs huius vitæ, ficui comparatur: quia fructum non hic spiritualem, vt esurienti Iesu det, sed folia tantùm & temporalem ac defluentem apparentiam.* Meritò mundana omnia cōparantur fici folijs, quia sicut hæc folia aspera, & facillimè ex arbore cadunt: ita & bona temporalia asperitatem habent verā, & facilè euanescunt.

AMBROS.

Folia voluptates.

THEOPHYL.

Pro terrenarū rerum folijs quàm decertent mortales.

Pro terrenarum earum rerū folijs quàm laborent & acriter decertent mortales quis explicet? Paulus 1. ad Cor. 9. *Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, & illi*

illa quidem vt corruptibilem coronam accipiant. Quis nesciat agonistarum contentiones? Proponebatur corona de floribus, seu de frondibus, & pro hac obtinenda & cursus & sudores, & prælia, & pericula subibantur innumera: ecce tibi mundialis agon quo spectat, spectat equidem coronam de folijs, de bonis citò marcescibilibus, imò iam iam perituris, pro quibus & quies & sanguis, & vita profunditur. Rem meritò stupet D. Basilius Sel. orat. 27. inquiens. *His omnibus præmium corona de frondibus dedecoris argumentum, donum ridicularium, & fallacia est appellationis. Corona cætera infructuosa pro fructu pœnas profert: ac totus ille conflictus propter vmbram foliorum suscitatur.* Totus quantus est mundialium hominum conflictus, prælia vniuersa, quibus ipse mundus quatitur, propter vmbras foliorum.

BASILIVS SELEVCVS.

Folia ficus significant hæreticorum mendacia. ISIDOR.

17. Septimò folia ficus etiam sunt hæreticorum mendacia & deliramenta. *Folijs fici se contegunt*, ait Isid. Com. in Gen. 5. *qui sæculum asperum amplectuntur, qui prurigine voluptatis carnalis afflantur, quique decepti hæretica prauitate, & gratiâ Dei nudati, tegamenta mendaciorum, tamquam fici folia colligunt, facientes sibi succinctoria prauitatis, cùm de Domino vel Ecclesia mentiuntur.* Sic Isidor.

Sicut ficus vmbram habet nociuam, est auidissima humoris, sentit vermiculationem, facilè amittit virorem, ita etiam malus Christianus.

§. III.

Ficus vmbram habet nociuam.

LVCRET.

1. FIcvs vmbram exhibet nociuam; non enim est incognitum quarumdam arborũ vmbras ferales esse ac noxias, de quibus Lucretius lib. 6. ait:

Arboribus primum certis, grauis vmbra tributa est
Vsque adeò capiti faciant vt sæpè dolores,
Si quis eas subter iacuit prostratus in herbis.

De nuce præclarè Ouidius:

Me sata ne lædant, quoniam satá lædere dicor
Imus in extrema margine fundus habet.

Et quamuis fortassis ficus vmbra sua non lædat peculiari quadam nocendi vi illi à natura insita, non dubium tamen quin more omnium aliarum arborũ, nocumentum inferat plantulis, circum obsistentibus vmbra sua, quam illis obijcit, quave impedit, ne solis radios excipere possint. Similiter peccator, vmbra, id est, conuersatione sua praua prauoq; suo exemplo maximum affert nocumentum, & quàm maximè officit, præsertim si de numero prælatorum sit, vt pulcherrimè expendit D. Gregorius homil. 3. in Euang. sic scribens. *Sed in hoc sæculo quilibet, si fructum non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præstat cæteris, quia quicumque sub ipso sunt; exemplo prauitatis illius, quasi vmbra peruersitatis eius premuntur. Stat desuper arbor infructuosa & subter terra sterilis iacet. Infructuosæ arboris desuper vmbra densatur, & solis radius ad terram descendere nequaquam permittitur: quia dum subditi quique patroni exempla peruersa conspiciunt, ipsi quoque infructuosi remanentes veritatis lumine priuantur. Sed de hoc peruerso quolibet penè iam requisitio Dei non est. Postquam enim se perdidit quærendum solummodò est, cur alios premat, vnde vinea eiusdem Dominus dicit: vt quid frustra terram occupat? terram enim occupat qui mentes alienas grauat.* Hæc Gregor.

Similiter & peccator praua sua cõuersatio- ne multum nocet, præsertim si sit prælatus. GREGOR.

Ficus humoris auidissima. PLVTARCHVS.

2. Ficus humoris est auidissima, diciturque humidissima inter omnes arbores. Vnde Plutarchus in Solone refert Solonem legem dedisse, vt qui ficum in agro suo plantaret à vicino absisteret pedum nouem interuallo. *Modum, ait, plantationum admodum peritè determinauit qui enim aliam quampiam arborem, in agro suo plantaret, eum à vicino abstinere pedes quindecim imperauit: qui ficum vel oleam, nouem, qui scrobes aut fossas fodere velit, eum ita fodere iussit, vti, quam profundè foderet, tanto etiam interuallo ab alieno abstineret.* Similiter & peccator humoris, id est, delectationis temporalis, diuitiarum, bonorumque temporalium est maximè cupidus, totus in eo est vt proximum exsugat, extenuet, bonaque illius ad se trahat. Per ficum in vineâ plantatam & fructibus carentem intelligit D. Athanasius q. 36. *Peccatis immersam animam.*

Peccator à uidissimus, delectationis, diuitiarum, bonorumq; temporaliũ, totus in eo vt proximum exsugat. ATHAN.

Ficus maximè sentit vermiculationem. PLINIVS.

3. Ficus inter omnes alias arbores, maximè sentiunt vermiculationem, idque aues caui corticis sono experiuntur vt scribit Plin. lib. 17. c. 24. Similiter nihil tam proprium peccatoribus quàm vermiculatio. Verminosi omnes meritò dicendi ob vermes variorum peccatorum, vermemque conscientiæ, quibus continuò roduntur. Ficus asperguntur rutâ, ait Plin. li. 18. c. 28. ne fiant verminosæ, neque radices putrescant. Similiter quos à vermibus peccatorum vult præseruatos Deus, & in quibus non vult putrescere radicem amoris, hos aspergit variarum tribulationum rutâ atque amaritudine.

Nihil tam proprium peccatoribus quàm vermiculatio, & conscientiæ vermis.

Ficus asperguntur rutâ, ne fiant vermiculosæ: sic & c. PLINIVS.

Fici lignum producit fumum acerrimum & molestissimum vt monet interpres Aristophanis apud Erasmum in Adag. Chiliad. 1. cent. 7. adag. 85. Similiter peccator exhalat ex ore nescio quem fumum incompositi & malè ordinati sermonis, quo auditoribus non leuem ingerit molestiam.

Fici lignũ producit fumũ acerbissimũ, ita peccator. ERASMVS.

3. Fructus fici in prærupta asperaque rupe satæ, & ad quam hominibus difficilis accessus, à coruis & miluis tantùm decerpuntur,

Ficus in rupe sata folis coruis producit fructũ: sic &c.

puntur, ita opes diuitiasque peccatorum potentium & sæculari dignitate præstantium, rodunt & deuorant parasiti, adulatores, & blandientes dulcibus sermonibus. Vnde de quolibet eorum dum ad similes accedit, vt illis adblandiatur, dici potest illud antiqui Prouerbij, quod in illum dici solebat, qui propriæ commoditatis gratiâ cuiquam blanditur, *Ficum quærit*. De quo vide Erasmum in Adag. chiliad. 2. cent. 3. adag. 3.

ERASMVS.

Ficulnea facilè vento cedit, ita &c.

5. Ficulnea facilè vento cedit & demittit fructus. Quò respiciens Propheta Nahum cap. 3. ait: *Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.* Idem accidit peccatoribus, cedunt enim omnium tentationum ventis, nullamque aduersus peccata habent repugnantiam. Ita vt de illis dici possit illud Thren. 1. *Abierunt absque fortitudine ante faciem tribulantis.* Cùm iusti vsque ad sanguinem resistant peccato.

Ficus facilè amittit virorem: ita & peccator. Iustus diutissimè viuit, probatur apologo.

6. Ficus facilè amittit virorem & folia, licet humidissima, quia humor ille quo tamquam glutino folia adhærent arbori facilè deficit. Similiter peccator facilè florē ætatis amittit, quia humor naturalis, ob vitam vitijs peractam multum imminuitur, & breui tempore consumitur, cùm interim iustus instar palmæ floreat & diutissimè viuat. Videtur huc referri posse apologus S. Cyrilli lib. 1. apolog. cap. 27. *Inter laurum, ait, oliuam, malum aureum, atque palmam ficus exorta, cùm succedente hyeme, illis solida viriditate vigentibus, suis ipsa folijs velut arida, nudaretur: non minùs mox confusa, quàm liuida, vicinis tetro vultu querulam proposuit quæstionem. Vt quid semper viridia folia retinetis, & transacto fructu, frondes inutiles iam fouetis? Num fortè vmbratilis apparentia complacet? & spreta substantia cortex mulcet? At illæ, pruritum inuidentiæ sentientes, spinam verbi, risu patientiæ confregerunt. Tantum igitur ad virtutem loquentibus illis. Prima respondit laurus. Ego quippe naturali complexione, concalui, & idcircò frigiditate repulsa, in me folium semper viuit. Tunc oliua subiunxit. Nimirum, in me humor pinguedinis supercrescit, quo exundans radix, suas in perpetuum frondes nutrit. Mox malum aureum aiebat: Solidior substantia me componit, vnde in me constans viriditas numquam perit. Sic & palma tandem addidit, in me folium numquam exaruit, quoniam moderatum illud germinaui. Denique laurus vice omnium eloquens dixit: Numquam audistis quare sapiens numquam ponat clari nominis venustatem? nimirum quia claritate prudentiæ, pinguedine iustitiæ, soliditate constantiæ, puritate modestiæ semper viget. Seipsum enim dirigit per prudentiam, nullum lædit per iustitiam, in aduersis non deficit per constantiam, & in prosperis non mollescit per temperantiam; igitur his virtutum quatuor anchoris, in portu sapientiæ ratem figit, quamobrem numquam eum mundialis fluctus tempestatis eludit. Quo dicto, quieuerunt.* Hæc ille.

CYRILL.

Ficus plena est lacte, ita & malus Christianus.

§. IV.

Ficus arbor lactuosa, sic peccator plenus lacte carnalitatis.

1. FIcus est arbor valde lactuosa, similiter & peccator plenus lacte consolationis mundanæ, carnalisque voluptatis, quo inescatus & inebriatus taliter obdormit in peccatis, vt non sentiat quæ illi infliguntur vulnera. Albertus Magnus serm. de S. Nicolao ad tropologiam alliciens Sisaræ historiam quæ refertur Iudic. cap. 4. quem Iahel lacte consopitum prius clauo in tempus infixo interemit, sic scribit. *Sisara interpretatur equi visio, & signat tales, qui non prauident mortem suam, sed vident, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Hos Iahel, qui interpretatur ascendens vitæ pallio falsæ spei operit, & dat eis bibere lac mundanæ voluptatis, & sic ipsos dormientes, clauo perpetuæ mortis perforat, & occidit.* Sic ille.

ALBERT. MAGNVS.

Qui ab hoc lacte ablactatus est, insignem sibi ipsi exhibuit misericordiam.

2. Hoc lacte taliter inescatur homo vt ad imitationem fici illius de quo in arborum apologo relato Iudic. cap. 9. detrectet & recuset imperium, ne cogatur carere voluptatis dulcedine, quæ nequaquam nequit cum regno consistere vtque referto molestiarum spinis, adeoque à spinoso rhamno, recusantibus illud oliua, ficu, & vite, fuit acceptatum.

3. Fœlix qui à lacte voluptatis, à lacte terrenarum consolationum abductus est & ablactatus, nam & insignem sibi ipsi exhibuit misericordiam, & Deum ipsum summa afficit lætitia.

4. Ad primum quod attinet legimus Prouerb. cap. 11. *Benefacit animæ suæ vir misericors, qui autem crudelis est, etiam propinquos abijcit.* Sed obserua prius hemistichium, sic in nonnullis codicibus (teste Rodolpho) legi. *Qui ablactat animam suam, vir misericors est.* Cui lectioni concinit Hebræum verbum, *Gamal*, quod inter alia significat *ablactare*. Posteriora autem sic efferunt Septuag. *Perdit autem suum ipsius corpus immisericors.* Sanè non maior potest animæ exhiberi misericordia, quàm si ablactetur à noxijs voluptatibus & sæculi amore. Similiter carni exhibetur maxima misericordia, dum frugaliter, seuereque tractando eam abducimus & abstrahimus ab omni mollitie & luxu, & consequenter liberamus à putredine & externa corruptione. Quò respiciens D. Bernardus serm. 10. in Psalm. 90. sic de hac re disserit. *Diligat anima carnem suam, sed multò*

Carni magna exhibetur misericordia dum seuerè tractatur.

BERNAR.

magis

magis suum ipsius animum seruet. Amet Adam Euam suam, sed non sic amet vt voci eius plus obediat, quàm diuinæ. Denique ne ipsi quidem expedit sic amari, vt videlicet cui interim caues à flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis. Et paulò pòst: Quomodo dicunt nobis carnales homines; crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestræ? Esto, non parcimus semini. In quo ei magis parcere poteramus? An non melius est illi renouari & multiplicari in agro, quàm in horreo putrefieri? heu computruerunt iumenta in stercore suo. Sic vos parcitis carni vestræ? Sumus nos crudeles interim non parcendo: at vos planè parcendo crudeliores. Siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe, videritis vosipsi quid ignominiæ interim vestra sustineat, quid miseriæ eam maneat in futurum. Sic Bernardus.

Qui ab hoc lacte ablactatus est, Deo summam exhibet lætitiã.

5. Ad secundum quod spectat. Legimus Genes. 28. *Creuit puer Isaac & ablactatus est, fecitq; Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Quis in Abrahamo patre multarum gentium adumbratur nisi Deus? Quem Isaac designat nisi iustum? In die natalis eius serui lætentur, & gaudium sit angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente: patris verò nulla tunc scribatur lætitia, qui filij sibi nati perseuerantiam expectat. At tempore ablactationis, cùm iam natus pericula pusillorum excedit, & signa ostendit maioris ætatis, tunc pater edat signa lætitiæ, monstret se maximè de ablactato gaudere. Vide D. August. lib. qq. in Genes. q. 50. to. 4. & D. Ambrosium lib. 1. de Abraham cap. 7.

AVGVST. AMBROS.

Mortificatio mater est quæ ablactat hominem ab hisce vberibus.

PAZIVS.

6. Vis habere nutricem siue matrem quæ ablactet iustum ab hisce vberibus & noxio lacte? Audi Pazium to. 2. lib. 2. p. 1. cap. 14. §. nec solum. *Mortificatio, ait, siue abnegatio nobis est bona mater, cuius beneficio puerorum cibos; id est, rerum visibilium appetitiones, deserimus, vt solido maiorum cibo sustentemur. Anna quidem mater Samuelis, tanta prole ditata, cùm ad ascendendum in templum Domini inuitaretur; respondit 1. Reg. 1. Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter. Sapienter cogitauit infantes ætate non esse aptos templo, quia nesciunt orare, sciunt autem perstrepere, & orantes turbare: ideò noluit infantem suum ante conuenientem ætatem in domum Domini adducere. Sic & hæc bona nutrix à lacte rerum sæcularium ablactat, & postea à tenerioribus puerorum alimentis, scilicet à sensuum oblectationibus & ab omni inordinatione affectuum auertit, ac tandem in conspectu Domini introducit. Ibi in studio nempe sanctæ orationis apparemus coram Domino; id est, vt homines reuerenter stamus, & non puerorum more huc illucque cogitatione discurrimus. Ibi post ablactationem scimus manere iugiter, scimus, inquam, non iam paternam domum, & puerorum alimenta suspirare, sed ad longum tempus suauitatem spiritus persentire.* Sic ille.

Peccator plenus lacte blanditiarũ, adulationis.

7. Secundò peccatores pleni sunt lacte blanditiarum & variorum lenociniorum quo ad perpetranda varia scelera, inexpertes & voluptatis auidos iuuenes alliciunt. Pleni etiam sunt lacte adulationis, dum ab alijs perpetrata mala fauoribus extollunt. De vtroque lacte cauendo monet Sapiens Prouerb. cap. 1. *Fili, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Duobus modis*, ait Beda, *lactant peccatores eos quos decipiunt, quia aut ad facienda scelera, blandimentis alliciunt: aut facta iam fauoribus quasi laudabiliter acta sustollunt.* Istæ sunt lamiæ de quibus mysticè dicitur Thren. 4. *Sed & lamiæ nudauerunt mammam & lactauerunt catulos suos*, vti ibidem exponit S. Hieron. De vtroque lacte vide Gregor. 4. Moral. 25. & D. Bernard. epist. ad Suggerium. Quid lactationi cum adulatione commune vide apud Salazar ad citatum Prouerbior. locum. Quo loco etiam docet peccatores plenos esse lacte prauæ doctrinæ prauorumque consiliorum, vt maximè ab eorum sit abstinendum consortio. Vide Laurentium de à Ponte in Sap. c. 4. homil. 80.

HIERON. GREGOR. BERNAR.

Quid lactationi cum adulatione commune.

SALAZAR.

Peccator plenus lacte prauæ doctrinæ.

LAVR. DE A PONTE.

Peccator plenus lacte falsæ spei.

8. Tertiò peccatores cùm prodire culpa in vsum cœperit pleni sunt lacte falsæ spei de diuina misericordia consequenda, vt eò nequaquam ad correctionem redeant quò vel factorem suum pium sibi inordinatè simulant. Sic Lauretus in Sylu. alleg. v. *Lac.*

LAVRET.

Qua ratione ab hoc lacte liberetur peccator.

9. Vis scire qualiter hoc noxio humore liberentur peccatores & frugiferi reddantur? Ficus si laboret superfluo humore, atque ob eum infructuosa existat, si clauis configatur, ita vt superfluum emittat humorem, fructuosa redditur, vt dicit Aristoteles: *Sic verè*, ait Berchorius in Reduct. lib. 12. c. 51. *sunt quidam homines qui steriles fiunt propter superabundantiam & superfluitatem istius humoris, scilicet diuitiarum & humanæ prosperitatis, sicut sunt diuites, quibus mundana prosperitas occasio est delinquendi.* Psalm. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Verùm agricolæ, id est, prædicatores, debent diuites cum clauis duræ reprehensionis, diuini timoris, & comminationis infernalium tormentorum pungere & penetrare, vt sic per eleemosynas se euacuent ab isto humore diuitiarum, & sic fœcunditatem bonorum operum obtinebunt, & ipsam poterunt rehabere.* Vt lac diuitiatum prædictis clauis extrahitur, ita & lac carnalis voluptatis & terrenæ consolationis. Quò refero illud Eccles. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Stimulis & clauis comparantur verba & increpationes sanctorum quia mentem pungunt, iuxta illud D. Gregorij homil. in Euangelia. *Clauis ac stimulis sapientum verba comparantur, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere.* Idem in 1. Regum cap. 13. *Stimulus quidem increpatio dicitur.*

Nimirum si clauis cõfigatur diuini timoris &c.

BERCHORIVS.

Clauo increpationis & duræ reprehẽsionis.

GREGOR.

dicitur, quia dum culpas arguit mentem pungit. Non est stimulus qui pungat, ait Petrus Damian. lib. 7. epistola. epist. 11. & in ordine 135. *cùm deest, qui delinquentium peccata corripiat. Hunc pungentem se Paulus stimulum sentire cœperat, cùm vox illa diuina dicebat: Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Notandum est*, ait D. Hieronymus ad citatum Ecclesi. locum: *Quòd dicuntur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciuiam, sed errantibus & tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infigere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo Sapientis.* Legimus 1. Reg. 13. *Retusæ erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium vsque ad stimulum corrigendum.* Vis scire cur tam pauci euacuentur lacte voluptatis & mundanæ consolationis, licet tot sint hodie Doctores & Concionatores? Quia claui & stimuli eorum sunt retusi. Vnde in hunc locum sic Gregorius. *Retusus est stimulus, quando prælati languet intellectus, vt subditorum culpas, nec cognoscendo reperiat, nec inueniendo reprehendat. Retusæ*, ait Petrus Damian. loco citat. *sunt acies vtensilium, cùm zelum & feruor extinguitur magistrorum.*

Petrus Dam. — Hieron. — Claui & stimuli Concionatorũ hodie sunt retusi. — Gregor.

10. *Sycomorus multo lacte abundans, non maturescit*, ait Dioscorides lib. 1. cap. 144. *nisi vngue aut ferro scalpatur.* Sycomora enim nisi vellicentur, ita vt per vellicationem lac prodeat, & à sole penetrentur, non sunt esui apta, dum autem vellicantur apta redduntur, quia mediante vellicatione maturescunt, & quidem breuissimo tempore teste Theophrasto lib. 4. c. 11. de plantarum historia. *Cùm scalpata*, ait, *fuerint poma vnguibus ferreis ad quartum diem maturescunt.* Idem accidit peccatoribus noxio illo humore & lacte plenis. Si vellicentur, si scalpantur vngue tribulationis ferreo, emisso illo lacte facilè disponuntur ad meliorem frugem. Deinde, Sycomora, vt refert Lauretus in Sylua verb. *Culex*, si non vellicentur amarissimas cariculas faciunt, & à culicibus corrumpuntur, sed si vellicentur, desinunt producere culices, ita ait peccatores, si vellicentur desinunt producere culices, id est, molestas & malignas cogitationes, inquietudines, & deordinationes. Clauus quoque quo configendus peccator est acris contritionis dolor. Iuxta illud Psalm. *Quæ dicitis in cordibus vestris* (id est, occulta vestra peccata) *in cubilibus vestris compungimini*, id est, transfigite acri dolore tamquam clauo, claui quoque rationem habet metus gehennæ & timor damnationis, iuxta illud Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas.*

Sycomorus scalpi debet vngue, aut ferro, ita peccator vellicati debet insigni tribulatione. — Dioscorides. — Theophrast. — Lauretus. — Clauus est acris contritionis dolor.

Ficus est plena scutis: ita etiam malus Christianus.

§. V.

FICVS plena est folijs scuti siue peltæ figuram gerentibus, ita & impius obarmatus est vndique scutis.

11. Primò, scuto duritiæ, vt non possit penetrari sagittis gladioque verbi diuini. Vnde D. Thomas exponens illa verba Thren. cap. 3. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum*, sic scribit. *Dabis eis laborem tuum, id est, peccatum, in quo te laborare fecerunt, Isaiæ 1. Laboraui sustinens, scutum cordis, scilicet duritiam, vt non penetrentur sagittis gratiæ tuæ in gladio verbi tui. Iob 40. Corpus illius quasi scuta fusilia.*

Peccator obarmatus scuto duritiei. — Thomas.

12. Secundò, scuto diuinæ patientiæ, hoc enim mali perseuerantes in peccatis opponunt diuinis verbis & inspirationibus. Vnde Paschasius. *Reprobi, dum eos Dei patientia ad pœnitentiam inuitat, opponunt sibi scutum cordis, eandem Dei patientiam, quasi non videat dum diu sustinet, & thesaurizant sibi iram, vt Apostolus testatur, in die iræ. Tenditur autem arcus iudicij, dum eius patientia prolongatur, sed hi duritiam sibi prætendunt, ne verba vitæ suscipiant. Eò igitur ad se transire eius prædicationis verba non permittunt, quò eum laborare vel sustinere vsque ad mortem viderint.*

Scuto diuinæ patientiæ. — Paschasius.

13. Tertiò, scuto superbæ defensionis, de quo D. Gregorius 33. Moral. 30. *Iniqui nulla correctionis iacula se penetrare permittunt, quia in omni peccato quod faciunt scutum superbæ defensionis opponunt, &c.*

Scuto superbæ defensionis. — Gregor.

14. Quartò, scuto malignæ excusationis & peccati commissi in Deum retorsionis. Vnde ad citata Ierem. verba. Sic Hieronymus. *Scutum cordis contra Dominum habuit primus ille peccator, qui requirenti Domino, cur lignum vetitum contigisset, non ad se culpam reddidit, sed à muliere, quam ei dederat se accepisse respondit, vt quasi reatum suum obliquè in auctorem suum relideret, qui ei mulierem dederat, quæ talia persuaderet: hoc scutum etiam mulier requisita tenuit, quando neque ipsa ad se culpam retulit, sed serpentis illud persuasionibus applicauit, vt ipsa quoque obliquè reatum suum in creatorem duceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia, permisisset. Vnde nunc vsque in vsum peccantium trahitur vt culpa cùm arguitur, defendatur, & vnde finiri reatus debuit, inde cumuletur.* Quàm grauiter peccet peccator hoc vtens scuto, insinuat D. Augustinus, cùm censet hoc peccatum penè esse irremissibile. Sic enim scribit explicans illud Psalm. 58. *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Est quædam*, ait, *iniquitas, quam qui*

Scuto malignæ excusationis. — Hieron. — Quàm grauiter peccet homo, hoc vtens scuto. — Augvst.

qui operatur, non potest fieri vt miseratur ei Deus: ipsa est defensio peccatorum: quando quisque defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur, hoc defendit, quod Deus odit: & videte quàm peruersè, quàm iniquè! si quid boni fecerit, sibi vult imputari, si quid mali, Deo: nam hoc modo defendũt homines peccata sua, ex Dei persona: quod peius est. Nemo est qui audeat dicere bonum est adulterium, furtum, fraus, periurium: sed quomodo ea defendunt? Si Deus noluisset, id non fecissem. Quid vis faciam fato meo? Ergo ad hoc peccatum tuum defendis, vt Deum accuses? ideo excusatur reus, vt culpetur iudex, prorsus talem iniquitatem, non miseretur Deus. Sic ille. Vide eundem hac de re fusiùs scribentem in Psalm. 91. in ipso principio. Qualiter aggrauentur peccata dum excusantur, vide latè apud Franciscum de Mendoza, to. 3. in lib. 1. reg. c. 13. n. 23. annot. 14. ar. cit. sect. 2. f. 335. &c.

AVGVST. FRANSC. DE MENDOZA.

15. Quintò, scuto elationis, quod iaculis veritatis obiiciunt. hoc scuto repulit Herodes à D. Ioanne in eum missa veritatis iacula, dum dicebat: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, misit enim eum in carcerem & vinculis tradidit.

Scuto elationis.

Qualiter malus Christianus, sycomori, id est ficus fatuæ referat similitudinem.

§. VI.

Malus Christianus comparandus sycomoro.

Sycomorus siccatur aquâ: sic peccator, exsiccatur dum cumulatur bonis temporalibus.

1. PRimò, De sycomoro, (qui nihil aliud est, quàm ficus fatua; nam fructus illius fatuus est, id est insipidus) refert Plinius l. 13. c. 7. quod siccatur aquâ, sycomori lignum. *Cæsa*, inquit, *statim stagnis immergitur, hoc est eius siccari, & primo sedit, postea fluitare incipit, certoq; fugit eam alienus humor, qui aliam omnem irrigat.* Sycomoro similis peccatór, in diuitiis voluptatibus ac deliciis, veluti aquis demersus est, ab iisque siccatur, cùm tamen diuitiæ probum virum irrigare meritis solent, cùm pauperibus distribuuntur. Sycomorus dum rigatur, deteriorem fert fructum, ait Theophrastus: Idem euenit peccatori, quò magis rigatur diuinis beneficiis, eò deteriorem, & peccatis magis obnoxiam ducit vitam; cùm è contra, *Deuotus animus*, vt ait Petrus Chrysolog. f. 142. *infulis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam.*

PLINIVS.

THEOPH.

Sycomorus dum rigatur deteriorem fert fructum: sic &c.

CHRISOL.

Fructus sycomori nisi scalpatur non maturescit, idem accidit peccatori.

2. Secundò sycomorus, vel ficus agrestis & fatua, fructum fert non ramis, sed candice ipso, qui nisi scalpatur siue vellicetur vnguibus, aut ferro, vt lac effluat, & à sole penetretur, nõ maturescit, vnde illud Amos c. 7. *Sermentarius ego sum vellicans sycomoros*, id est, sycomora, siue ficus sycomorum vnguibus incidens vt maturescant. D. Hieronymus quoque Amos 7. de sycomoro, vel ficu fatua loquens, dicit, quod agrestes afferat ficus, qui si non vellicentur, amarissimas cariculas faciunt, & à culicibus corrumpuntur. Nisi peccator hic à Deo vellicetur, id est, variis afflictionibus pungatur, quibus ad Deum se conuertat, & lac voluptatum emittat, & solem iustitiæ Christum corde excipiat, hoc sibi habeat persuasum, quod cor eius in perpetuum torquebitur culicum & vermium morsibus, sic tamen vt numquam moriatur, sed semper reuiuiscat, instar cordis Promothei illius, ad nouos recipiendos morsus. Quid culice molestius? Quid molestius conscientiæ remorsu? quo nec in hac vita, nec in futura destituuntur? Vnde S. Hier. lib. 18. Comment. in Isa. exponens verba illa; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: Vermis*, inquit, *ille & ignis, à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos.*

A culicibus corrumpitur fructus sycomori.

In culice remorsus conscientiæ designatur.

HIERON.

3. Quid ipsa peccata quàm vermes? Vnde D. Ambrosius lib. 7. in Lucam: *Vermis est, eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei sensumq; compingant, & quædam exedant viscera conscientiæ, quæ tamquam vermes ex vnoquoque nascuntur, tamquam ex corpore peccatoris.*

Peccata, vermes.

AMBROS.

3. Deinde vt vermes fructum sycomori consumunt, ex quo nascuntur; & tinea pannum, ex quo oritur, atterit: ita & peccatum consumit, & atterit ipsum peccatorem, vt non dimidiet dies suos, iuxta illud Eliu apud Iobum c. 4. *Quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea? De mane vsque ad vesperam succidentur.* In quæ verba sic D. Gregor. *A mane vsque ad vesperam peccator succiditur, dum à vitæ suæ exordio, vsque ad terminum iniquitatis perpetratione vulneratur: omni namque tempore reprobi per augmentum malitiæ, contra se ictus ingeminant, quibus occisi in profundum ruunt. De quibus per Psalmistam dicitur: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Peccata vermium more, atterunt ipsum peccatorem ne diutius viuat.

GREGOR.

5. Septimò, sycomorus etiam symbolum est hypocritæ, vt docet Salmeron. tom. 4. part. 3. tract. 28. expendens illud quod de Zachæo legimus: *Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum*, sic ait: *At hæc ficus fatua, in speciem ramis suis, & foliis fructum promittens, præstans autem numquam, aptè peccatum designat hypocrisis, sed qui in illam arborem descendit, significat se huiusmodi delictum peruicisse. Qui Iesum cupit videre, omnem fictionem & simulationem dimittat: quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate, vt ait Sapiens cap. 1.* symbolum esse sycomorum etiam vanitatis, vult D. Ambros. lib. 8. in Lucam.

Sycomorus symbolum hypocritæ.

SALMER.

X Quòd

Quòd in ficulnea nobis etiam adumbrentur ea quæ consequentur extremum iudicium.

SECTIO XXI.

In ficulnea adumbrata, quæ consequuntur iudicium.

6. Septimò consequentia iudicium etiam optimè in ficulnea nobis adumbrantur. Post examen, operumque tam bonorum, quàm malorum discussionē, quidam salutem consequentur, quidam damnationem incurrent, quidam venite, quidam audient, ite; quidā assumentur ad gloriam, quidam porcis infernalibus proiicientur ad escam. *Ab arbore fici discite parabolam*: habemus enim huius rei exemplar apud Ierem. c. 24. *Ostendit*, ait, *mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini. Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt solent ficus esse primi temporis: & calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eò quòd essent malæ. Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, quibus adumbrantur ij, qui cum Iechonia, Ieremiæ consilio, & imperio Dei Nabuchodonosori se tradiderant*, vt ait D. Heronymus; *Et calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eò quòd essent malæ*, iis significabatur Sedecias, & populus Iudæorum.

Quinam sint saluandi, quinam damnandi sub similitudine fici insinuatur.

Hieron.

Ficus bonæ, magno in pretio, sic iusti apud Deum.

7. Quemadmodū ficus bonas, bonas valde, id est, maximè dulces & melleas nobis in pretio sunt, maximeque grati & accepti; ita & boni illi Iudæi, qui cum Iechonia Ieremiæ consilio, & imperio Dei Nabuchodonosori se tradiderunt, Deo maximè fuerunt accepti, & palato eius diuino maximè sapidi; *Cognoscam*, ait Dominus eodē c. *transmigrationem Iuda* (nimirum in bonum faciendo, benefaciendo, cōseruando, tuendo, &c.) *& dabo oculos meos super eos ad placandum* (vt me placatum & beneuolum exhibeam. Hebr. est: *Respiciam eos in bonum, & ædificabo eos*, id est, stabiles sedes illis dabo. Quemadmodum malas ficus porcis abiicimus; sic Sedeciam, & Iudæos malos, Deus Chaldæis, veluti porcis abiecit. Eodem Iere. c. *Sicut ficus pessimæ, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ; hæc dicit Dominus, sic dabo Sedeciam regem Iuda, & principes eius, & reliquos de Ierusalem, qui remanserunt in vrbe hac*, &c. Idem, post latam sententiam continget omnibus hominibus, bonos cognoscet Dominus, sicut pastor cognoscit oues suas; respiciet eos in bonum, ædificabit eos, stabilem atque perpetuam sedem illis dabit in cælesti gloria: malos autem à se repellet, & dabit in vexationem, afflictionemque & opprobrium, & maledictionem omnibus dæmonibus.

Ab arbore fici plantata in vinea discendum, qualiter Deus, à se repellet peccatores. Ficus illa Iudæos designabat, & potest etiā designare peccatores Christianos.

8. Vis scire quomodo repellet? *Ab arbore fici discite parabolam*, legimus Luc. 13. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua*; quæ licet ad Synagogam spectet, nos tamen quoque tangit, atque de quolibet Christianorum narratur, qui non facit fructus dignos pœnitentiæ. Aptè autem Synagogam comparauit ficui, quia sicut hæc arbor foliis redundans fluentibus & viridibus vmbrosa videtur, vmbram autem non faciens, Dominū suum fallit: Sic Synagoga dum doctores eius operibus infœcundi, verbis autem velut foliis redundantibus gloriantur, inani vmbra legis exuberat, spes autem falsi expectata prouentus populi vota credentis illudit. Aliæ etiam arbores flores ferunt antequam fructus; hæc sola ab initio germinat poma pro floribus, in aliis flos discutitur, & poma nascuntur; in hac poma decidunt, vt poma succedant: sic in initio Synagoga protulit Patres, scilicet Mosem, Aaron, Iosue, Samuel, &c. quibus mortuis, nō inuenit nisi folia Christus; successerunt alij vberiores fructus, scilicet Apostoli, & discipuli. Hæc ergo ficus plantata fuit in Israelitico populo, qui vinea Domini exercituum est, iuxta illud Isaiæ c. 5. *Vinea Domini exercituum, domus Israel est.* Et in Ps. 79. etiam habetur, loquens de populo Israel: *Vineam de Ægypto transtulisti. Venit quærens fructus in ea.* Quia Dei filius à solio excelso descendit, vt visitaret dilectam Synagogam, & videret fructus ex ea. Baruc etiam ait c. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est: Et non inuenit.* Folia amabat verborum, & externam sanctimoniā, & cultum habebat, carens fructu virtutum, & bonorum operum. Aliqui boni fuerunt, quando Dominus venit quærere fructum, vt Zacharias, Simeon, Anna, Ioseph, & alij, sed paucissimi comparatione malorum. Sequitur: *Dixit autem ad cultorem vineæ.* Tractanda sunt cum amicis consilia, neque faciet Dominus verbum, nisi prius reuelauerit seruis suis Prophetis. *Incerta*, (inquit Dauid) *& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Et si in omnibus quæ facturi sumus, consilium capere debemus, maximè tamen cum vindicta est exercēda, ne in ea excedamus. Solet enim ira ita hominē excæcare, vt rarò non excedat in verbis, aut factis: sic Deus volens destruere Sodomam & Gomorrham, priùs cùm Abrahā arcanū habuit, & dixit: *Numquid celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Si ergo Deus, quia vindictam excedere nequit, consulit amicum; quis tu, qui illum consulere dedigneris? Porrò cultor istius vineæ, cætus Apostolorum & discipulorum Christi significat, quorum precibus & monitis assidua plebi Dei cura suggeritur, & non inaniter sub nomine vnius cultoris tot Apostoli

Cultores vineæ Apostoli. Cum quibus tractat Dominus vineæ consilia, antequam petat ficulneam.

stoli & discipuli ponuntur (vt in Actis noster Lucas ait,) *Multitudo credentium erat cor vnum, & anima vna.* Occultè enim nos docet littera hæc misericordiam Dei, vt quid enim dixit cultori vineę, quòd volebat ficum destruere, nisi vt cultor pro ficu intercederet? Ad quid reuelare etiã voluit Abrahæ Sodomorum vindictam, nisi vt pro eis oraret vir sanctus, & quoad posset prohiberet? Sic Moysi reuelauit peccatum populi, vt ipse apud Deum pro eo intercederet? Nos autem sine consilio & cõsideratione pręcipites sumus ad vindictam sumendam, sed ad bonum quid agendum, aut eleëmosynam erogandam, vel quid simile pluribus consiliis vtimur.

9. Sed audiamus quid dixerit cultori vineæ: *Ecce tres anni sunt, quòd venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio.* Satis emendationem plebis huius expectaui, quia ante captiuitatem Babylonicam, & post reditum Iudæorum de Babylone, & nunc tertiò in meo aduentu quæsiui opera virtutum in plebe hac. *Succide ergo illam*; hoc est, destruendam atque damnandam pronuncia. Sic loquitur Dominus per Ieremic. 15. *Eiice eos à facie mea*, id est, eijciendos pronuncia, ita vt de ea dicatur illud Psalm. 78. *Fiat habitatio eius deserta.* Atque ideo Apostoli ex parte Dei nunciauerunt excidium Hierosolymitanũ, imò & ipse Christus flens super Ciuitatem, prædixit extremam illius ruinam.

Succisio destructionem & damnationem designat.

10. De te etiam, ô Christiane, potest conqueri Christus & dicere: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo eam, vt quid enim terram occupat?* Ecce, quasi dicat; quis non miretur, quis non obstupescat tantam ingratitudinem! *Anni tres sunt*: non solùm in adolescentia & iuuentute nullos protulit fructus, sed nec in virili ætate; & quod maximè admirandum, & maximę sterilitatis signum, ne quidem in senectute, interim dissimulaui peccata hominum propter pœnitentiam, dedi locum & tempus pœnitentiæ, non subitò eos obrui. Nemini dedit Deus spatium peccandi; ipsi interim maximum hoc beneficium, quale est vitæ prorogatio in despicientiam & contemptum mei conuerterunt; cùm primo anno possem ficum malum sterilemque succidisse, indignus enim erat qui terram occuparet; distuli rigorem, expectaui fructum secundi anni, & post secundum etiam tertij; ficumque præterea per vineæ cultores, id est, per Concionatores & pastores colui, neque illam deserui, sed pluuia etiam & sole, id est, cælestibus inspirationibus & auxiliis foui; & super hæc omnia: *Iam tres anni sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio.* Si seuerus essem homo, qualem seruus ille piger dicebat, multumque fructum, plurimosque prouentus desiderassem à ficulnea; aliquam posset suæ sterilitatis prætexere rationem, sed non plurimos, sed fructum aliquem quæsiui, & non inuenio. Dicitur autem Christus quærere, & non inuenire, non quòd sterilitatem malorum ignoret, sed vt etiam in nos diligentiam, prouidentiamque demonstret, vtque humanam declaret ignauiam; seque pro nostra salute probet sollicitum, & examinatorem totius vitæ nostræ, iuxta illud Psalm. 13. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.* Quid precor excusationis poterit in die iudicij prætexere mala ficus suæ sterilitatis, ne percutiatur fulmine diuinæ & æternæ maledictionis, ne etiam arefiat à radicibus, ne in ignem æternum proijciatur, & nullus bonorum operum fructus ex illa nascatur in æternum?

Anni tres sunt in quibus expectat Deus fructus à Christiano.

Non plurimos, sed fructum aliquẽ quærit Deus.

11. An non, ô Christiane, maiora dona accepisti, quàm isti Iudæi? Illos eduxit Dominus per aquas maris rubri; te aquã baptismi abluit: illos in deserto manna cælesti pauit, te Sacramento altaris. Quando hæc illis Christus loquebatur, non fuderat pro eis sanguinem suum pretiosum; pro te autem mortuus est, & vitam tibi dedit: illis ante eius mortem clausa fuit cæli porta, nobis autem aperta est: illos astrinxit Deus multis, difficilibusque præceptis seruandis, tibi autem pauca, faciliaque proposuit: illis pauca fuerunt Sacramenta, & remedium criminum suorum concessa, tibi verò multa, gratiamque maiorem importantia: illi nullo remedio post peccatum, vna excepta contritione, salutem consequi poterant; at tu præter eandem contritionem, omnibus in vniuersum promissam, Sacramentali confessione cùm attritione simul coniuncta, quorum concussus virtute, verè contritus redderis, veniam peccatorum Sacramenti pœnitentiæ virtute impetras. Sanctiores concionatores fuerunt nobis Apostoli, & discipuli Christi, quàm illis antiqui Prophetæ. Expende igitur Deum tuã causã plura, quàm illorum fecisse, & ideo te plura illi debere, & pluribus nominibus esse deuinctum, ad producendos optatos à Christo fructus. O quanta tunc erit peccatoris confusio!

Christiani Iudæis maiora acceperunt dona, non ergo mirum, si, sicut illi, succidãtur.

12. Nihil sanè poterit pro sua sterilitate subleuanda, vel defendenda afferre excusationis infructuosus peccator, quæ non vergat ad maiorem sui confusionẽ. Vultis hæc intelligere? *Ab arbore fici discite parabolam.* Hac etiam similitudine exprimitur, quale sit futurum hoc examen atque iudicium; nimirũ tale, quod non admittat excusationem, vel profuturã defensionem, Deo manente implacabili: *Non dabit Deo placationem suã.* In vanũ nitetur peccator peccata sua velare palliatis verbis, in vanũ quæret excusationes in peccatis, inutile erit, & nõ duraturũ culpæ

Quidquid excusationis volet proferre peccator, verget ad maiorem eius confusionem.

culpæ velamen, reuelabit Deus pudenda nostra, & reuelabit gentibus turpitudinem nostram. Huius rei symbolum fuit illa ficus, cuius folia consuerunt primi parentes, & fecerunt sibi perizomata, *vt inuicem nuditatem vir & vxor contegerent*, foliis vsi sunt ad subitum velamentum non inidoneis, maximè si ficus illa, quales Indicæ ficus, folia ferentes clypeum, vel peltam Amazonicam æquantia, si credimus Theophrasto libr. 4. de plantis. Certè cæterarum arborum nulla latius vel vmbrosius folium habet, foliis ficulneis veteres laruas conficiebant, maximè milites in triumpho, vt testatur Zonaras tom. 2. in rebus Diocletiani.

Ficus Indica habet folia latissima, sed nihil profuere primis parentibus.

13. Sed velamen hoc fragile & breuis temporis erat, statim ruptum, prodebat quæ tegere debuit fidelius: ideo Deus aliud velamen melius & diuturnius suggessit tunicas pelliceas. In Hispania quidem scimus scuta laudatissima, ficulnea censeri, quia fungosum lignum non facilè discinditur, & si punctum petas, gladium retinet, ne reducatur; at folia ficus, licet peltæ figuram habeant, omnino ad omnem defensionem sunt inepta; imò ne quidem ab tegendam nuditatem apta. Nam vt affirmat D. Augustinus, perdebat oleum & operam primus homo, dum consuit folia ficus, & fecit sibi perizomata: nam tegendo nuditatem, & carnis rebellionem, magis illam prodebat & excitabat. Nam teste Aristotele, succus siue humor lacteus, qui exprimitur è foliis ficus, naturalem hanc habent proprietatem, vt locis pudendis applicatus, mirè prouocet & excitet libidinem: simili ratione in iudicio, quæcumque afferentur excusationes, vertentur in accusationes, non alleuiabunt, sed aggrauabunt, & sicut folia illa ficus, maioris erubescentiæ causa extitere primis parentibus; ita & omnia culpæ velamina in iudicio irrita erunt & inania, operietur peccator sicut deploide confusione sua, operiet confusio faciem suam.

Excusationes in iudicio vertentur in accusationes.

14. Iam in hac vita non desunt peccatori mille velamina quibus culpam tegat, mille modi & viæ quibus elabatur, si illius carpere volueris vitam. Iam de illo dici potest illud olim à Simonide in Iambis pronunciatum: *Anguilla in strigmento.* Strigmentum erat oleum, vel ceroma, quo gladiatores vtebantur, quo leuia, ac labilia membra redderent: significat autem anguillam supra modum labilem: nam cùm ipsa per se lubrica sit, nec facilè manibus stringatur, si oleo eadem imbuatur, lubricissimam reddi necesse est, & captu perquam difficilem. At in tremendo illo iudicio, anguilla hæc, quantumcunque labilis & lubrica, folio tenebitur ficulneæ; nam cum ficulneæ folium asperum sit, lubricam nihilominus retinet anguillam: vnde sub imagine anguillæ, ficulneæ folio tectæ, Alciatus formauit illud suum Emblema 22. *In deprehensam. Ab arbore fici discite parabolam.*

In iudicio erit peccator similis anguillæ detentæ folio ficulneo.

ALCIATVS.

15. Similiter omnis defensio, quâ sese tueri conabitur peccator in die iudicij ad euadendam æternam maledictionem, vis scire quàm sit futura inutilis? *Ab arbore fici discite parabolam.* Apud Hisichium, *ficulnus gladius*, nominatur calumnia, quæ leui negotio refellatur, *ficulnea opitulatio*, inane & non profuturum auxilium. Accurrat licet peccator, ad Sanctorum merita & patrocinia, confugiat licet ad commune illud peccatorum refugium, sacratissimam Deiparam, quamuis prouocare velit à diuina iustitia, ad diuinam misericordiam, ad vulnera, cruciatus, & mortem Christi, nihil proficiet, nihil obtinebit, non liberabit animam suam; hæc omnia instar ficulnei erunt gladij, ficulneæ erunt opitulationes, inania & non profutura auxilia. Quinimò, quæcumque pro scuto opponet peccator diuinæ iustitiæ armis, non ictus repellent; sed sicut scuta ficulnea, quia fungosum est lignum; si punctum illa petas, gladium retinent ne reducatur: similiter in medium quidquid attulerit pro sui defensione peccator, licet & ipsam Christi mortem, non hæc repellet, sed retinebit diuinæ iustitiæ gladium, non placabit Christum, sed magis eius iustitiam prouocabit & excitabit.

Omnem defensionē quam parabit peccator in die iudicij, ficulneam esse reperiet.

Quidquid obtulerit pro sua defensione peccator instar scuti ficulnei, non repellet, sed magis retinebit, diuinæ iustitiæ gladium.

16. Propheta Nahum cap. 3. volens ostendere, humana omnia præsidia, bellica instrumenta, bellicos apparatus, bellicas munitiones nihil profutura Assyriis, quo minùs effectum consequatur diuina ordinatio, comparat illa omnia ficulneæ, poma natura gestanti, quæ minimo vento & impulsu ex arbore decidunt: *Omnes munitiones tuæ sicut ficus, cum grossis suis, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.* Idem eueniet peccatori; omnes illius munitiones, omnes diuitiæ, honores, voluptates, beneficiaque à Deo accepta, atque ipsa mors redemptoris, non poterunt impedire, quo minus Christus, post publicam manifestationem omnium peccatorum, etiam maximè secretorum, coram omnibus creaturis faciendam, eum conijciat & præcipitet in æternæ damnationis abyssum.

Omnes peccatoris munitiones erunt in iudicio, sicut ficus cum grossis, si concussæ fuerint.

17. Quid? an igitur Deus in hoc iudicio reuelabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordis? an ea quæ fecimus in occulto faciet publica? *Ab arbore fici discite parabolam: ficum meam decorticauit*, ait Ioel cap. 1. *nudans spoliauit eam, & proiecit, albi facti sunt rami eius.* Notate verba, *decorticauit, nudans spoliauit eam;* & facta illa denudatione, & operum manifestatione, *proiecit eam.* O durissimum verbum; durum est peccatori, si pudenda illius reuelantur, & omnes illius iniquitates in manu Domini conuolutæ, collò illius imponantur; sed nihil

Christus in iudicio reuelabit abscondita tenebrarum, decorticabitur peccator instar ficus, albi fient rami eius.

Post denudationem omnium peccatorū proijciēdus peccator à facie Dei.

Quantum malum proiici & repelli à Deo.

nihil durius, quàm in æternum repelli, & proiici à beatissima Dei præsentia; durius est, quàm vt verbis exprimi possit. Nihil sunt inextinguibiles illi stygis ignes, illæ tenebræ palpabiles, illæ glacies intolerabiles, illæ species horribiles, illæ monstrosæ cacodæmonum facies, illi sulphurum fœtores, illi cadauerum pædores, illi sterquiliniorum horrores, illi pauores, & infælicium damnatorum clamores, si cum hac pœna conferantur, quâ quis à Dei parte penitus excluditur: hæc pars infiniti boni continet beatitatem, in qua damnatus partem non habet, cæterum illa alia tormenta quodam modo finita sunt, quæ patitur: sed enim quæ proportio finiti ad infinitum? Sensuum tortores in inferno sunt cacodæmones; cæterùm in pœna damni, Deus ipse cuiusdam quasi tortoris vice fungitur, qui damnatum suâ cruciabit & affliget absentiâ: brachium diaboli longè vincitur à brachio Dei; hoc enim infinitè fortius ac robustius illo. Pœna sensus infligitur ob prauam creaturæ inhæsionem; pœna damni, ob numinis offensam: sed quid hæc ad illam? Pœna sensus duratione tantummodo infinita est, hæc autem duratione atque obiecto, quo damnati carent infinito.

Quàm asperũ illud verbum, *succide eam.*

18. Vis scire qualiter fiet hæc à facie Dei in æternum proiectio? *Ab arbore fici discite parabolam.* Postquam Dominus vineæ venit ad ficulneam quærens fructum in ea, & non inueniens, dixit: *Succide ergo illam, vt quid enim terram occupat.* O verba, non verba, sed tonitrua: *Omnis arbor quæ non facit fructum excidetur.* Qua securi, Domine, excidetur & succidetur? Securi illa diuini iudicij, atque horrendâ illâ sententiâ iudicis, quam intonabit contra peccatores: *Ite maledicti.* O gladium bicipitem, ô securam acutissimam quæ nihil integrum, vel sanum relinquet in peccatore; omnia succidet, & quidem vnico ictu. Quis non miretur summam illam clementiam, iam in furorem esse couuersam? Creatorem creaturam suam prorsus succidere? Verùm admirationem cohibe, ne tantopere mireris. Quidni? *Ab arbore fici discite parabolam.*

Ratio succisionis est, quia terram occupat & infructiferam reddit.

19. *Succide illam*, inquit Dominus, & rationem congruam reddit: *Vt quid enim terram occupat?* Græcè: *Quorsum terram infructiferam reddit?* Quod dictum est quoniam cùm ficulnea tot, tantaque, & tam grandia, & pinguia folia edat, & ramos emittat, multum humorem terræ sugit, ideoque illam reddit aridam, & infructuosam. Quàm pulchrè hoc quadrat in peccatorem? Totus est in producẽdis ac dilatandis foliis, & ramis extendendis. Quid enim, quem aucupatur honorem, dignitatem, diuitias, fastum, superbiam, famulorum copiam, indumentorum multiplicitatem, mensarum ac ciborum lautitiam &c. quam folia quædam, ac tenerrimi ramusculi, quæ facilè vento abripiuntur atque franguntur? Quæ omnia, dum quotidie studet augere atque dilatare; tot corradit & coaceruat pecunias, terræ fruges, variaque animalium genera, vt solus videatur omnem terræ humorem exsugere, fructusque eius consumere; ita vt reliquis hominibus non sufficientes possit proferre fructus, ad vitam sustentandam; ita vt illis quodammodo arida & infructuosa sit. Quis etiam nescit, peccatorem terram occupare, eamque infructiferam reddere, dum eam inficit suis sceleribus, & contaminat suis iniquitatibus? Vnde iam tanta terræ sterilitas? Quid est quod ordinarios deneget fructus? quid est quod prima mundi tempora tam erant fælicia, nostra verò tam infœcunda? Numquid quia peccatores eam infructiferam reddunt? Neque solùm terram reddunt infructiferam, sed & ipsas aquas, ipsum aërem, ipsas nubes, vt non pluant super terram, ipsos cælestes orbes, ne influant in inferiora. Quin etiam ipsum miserationis fontem atque abyssum arefaciunt, exsiccant, atque infructiferum quodammodo reddunt, dum peccatis suis Deum prouocant ad amaritudinem, & solitam eius cohibent misericordiam. Meritò ergo ait Christus: *Succide eam, vt quid enim terram occupat?* Erasmus vertit, *Terram onerat inutili pondere?* Alij *Terram inertem, siue sterilem reddit*, tum vmbra sua, tum vitibus vicinis succum præripiendo. Quò respiciens glossa sic ait: *Terram occupat qui locum quem tenet bonis operibus non exercet, & exemplo prauitatis præstat impedimentum cæteris, ne calore solis calescant.*

Peccator omnia infructifera reddit.

Erasmus.

Pulchrè de hac succisionis causa S. Petr. Chrysologus serm. 106. *Infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem: ac sic excidere illam lucrum est. Sic homo vtique qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensus, Iuditium mentis, artis industriam, culturæ bonum, per steriles atque inopes actus euertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat, sicut arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi. Et sicut infœcunda arbor si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subiectis vitibus vmbram. Inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus fit fœcundis: Ita homo deses ignauus, si præsit populis, non sibi soli fit noxius, sed multis: dum sequentes se suo vitiat & perdit exemplo.*

Chrysol.

Auarus in hac ficulnea designatur.

Præclarè etiam D. Gregor. 3. part. past. admon. 22. hęc refert ad diuitem tenacem, nec sua largientem, acerrimè sic eum pungens. *Admonendi sunt qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, vt solitiè attendant; quòd ficulnea quæ fructum non habuit; contra hanc districtus agricola queritur quòd etiam terram occupauit. Terram*

Gregor.

quippe ficulnea sine fructu occupat: quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat, inutiliter seruat. Terram ficulnea sine fructu occcupat: quando locum quem exercere alius, per solem boni operis valuit, stultus per desidiæ vmbram premit, hi autem dicere nonnumquam solent: Concessu vtimur, aliena non quærimus, & si digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen peruersa perpetramus. Quod idcircò sentiunt: quia videlicet aurem cordis à verbis cælestibus claudunt. Neque enim diues in euangelio, qui induebatur purpurâ & bysso, qui epulabatur quotidie splendidè, aliena rapuisse, sed infructuosè propriis vsus fuisse perhibetur: eumq; post hanc vitam vltrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato vsu, totum se licitis tradidit. Admonendi sunt tenaces, vt nouerint, quod hanc primam iniuriam faciant Deo: quia danti sibi omnia, nullam misericordiæ hostiam reddunt. Hinc etenim Psalmista ait. Psal. 48. *Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ; pretium namque redemptionis dare, est opus bonum præuenienti nos gratia reddere. Hinc Ioannes clamans dicit:* Luc. 3. *Iam enim securis ad radicem arboris posita est, omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Qui ergo se innoxios, quia aliena non rapiunt, æstimant, ictum securis vicina præuideant, & torporem improuida securitatis amittant: ne cùm ferre fructum boni operis negligunt, à præsenti vita funditus quasi ex viriditate radicis exsecentur.* Hactenus D. Gregor.

Denegat terra, aliæque creaturæ grauari pondere peccatorũ.

Sunt qui hæc verba referunt ad immaturam mortem peccatorum, quia nempè dedignatur terrà, aliæque creaturæ, eorum pondere grauari, eisque solita obsequia præstare. Legimus 2. reg. 18. De Absalone. *Hærens in quercu, cucurrerũt decem iuuenes armigeri Ioab & percutientes interfecerunt eum.* Quid est quòd terra recusat Absoloni exiguam sui particulam vt in illa decumbens moriatur, an cuipiam id denegat animalium? Pulchrè D. Chrysostomus homil. in Psalm. 2. CHRYSOS. *Terra enim aduersabatur, non ferens pollui passibus parricidæ.* Act. 1. affirmat D. Petrus de Iuda proditore. *Suspensus crepuit medius.* Vnde precor hoc illi accidit? *Suspensus crepuit medius* (ait Rupert. lib. 2. cap. 5. in Zachar.) *nam vt quidam ait: Cælo terraq; perosus, inter vtrumque perit.* Iosue c. 20. designatæ vrbes fugitiuis. Quid opus illis assignari vrbes, cur non illis à Deo assignantur pro asilis & latibulis siluę, deserta, asperæ rupes, terræ cauernæ? Respondet Oleaster. *Tantò enim terra execratur homicidium, vt ex se eiicere videatur homicidam.* Legimus Iosue c. 10. cum deuicisse quinque reges Amorrhæorum, *Percussitq; eos Iosue & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites.* Quid est quod hisce regibus recusatur commune terræ gremium quo condiantur? *Tam pessimi erant*, ait Rup. *tamque peccatores, vt ipsa eos terra meritò euomeret.* Psalm. 105. legimus. *Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, nimirum tanquam grauia sibi pondera*, ait Philo libr. 3. de vita Moysis. PHILO IVDÆVS.

Indigni peccatores quòd occupent terram, indigni quòd eosdem sustineat mare. Legimus apud Matthæum & Marcum Petro & aliis discipulis in nauicula existentibus grauissimam exortam tempestatem, ita vt tam D. Petrus quàm alij de vita periclitarentur, vnde accidit, quòd D. Petrus qui tam prospero successu hactenus nauigauerat, eodem mari, eadem nauicula, iam tantopere periclitetur, vt de vita iam actum putet? Assignat veram periculi causam D. Ambrosius serm. 62. AMBROS. *Hæc est causa periculi: Erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter proditor Iudas, quamuis illius fides fundaret nauiculam, tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est vbi Petrus nauigat, tempestas vbi Iudas adiungitur.* Genes. c. 2. legimus, *Non enim pluerat Deus super terram, & non erat qui operaretur terram, sed fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Quærit D. Augustinus cur fons hic terram rigans & fertilissimam reddens, defecerit? AVGVST. *Nunc enim*, ait lib. 5. in Genes. ad lit. *videmus nullum esse fontem quo irrigatur omnis facies terræ*, Respondet autem. *Fortassis ergo peccatum hominum, hanc etiam pœnam commeruit, vt tanta illius fontis repressa largitas facillimam terræ auferret fœcunditatem, vt incolentium augeretur labor.* Auctor histor. tripart. lib. 9. c. 42. scribit tempore Theodosij Imperatoris Nilum, qui Ægyptum rigat, & exundatione sua annua fœcundat, cursum suum intermisisse. AVCTOR HISTOR. TRIP. Cumque Ægyptij idololatræ huius prodigij varias assignarent causas, illis veram à pio imperatore fuisse assignatam causam, sic nempe illis scripsit: *Numquam curret ille fluuius, si magicis artibus, & fluxu sanguinis vnda polluenda sunt sacri paradisi.* Maria Ægyptiaca, vt legimus apud Sophron. in illius vita, postquam retulisset Abbati Zosimo, SOPHRONIVS. suas luxurias quæ non solùm terrâ sed etiam mari exercuerat, subiunxit: *Stupesco quomodo meas mare illud sustinuit iniquitatum luxurias.*

S. Bernardinus to. 2. ser. 19. artic. 2. c. 3. BERN. putat hisce verbis, *Vt quid enim terram occupat*, significari diuitem mundanum, & infructuosum in proferendis bonis operibus non solùm indignum esse tot prædiis, domibus, &c. quorum possessione fruitur, sed etiam exiguo illo in quo consistit loco, imò & ipsâ quâ reficitur aquâ. *Vt quid enim terram occupat? Id est, cur temporali copia vtitur? ex hoc sumitur argumentum, quòd homo peccator non est dignus aquâ.* Vide huc spectantia apud D. Anselmum lib. de similit. cap. 101.

Peccator indignus loco quem occupat.

Qua-

Qualiter homo infructuosus, ad similitudinem ficulneæ reddatur fructuosus & liberetur à securi diuini iudicij.

SECTIO XXII.

Fossione & stercoratione redditur ficus fructuosa: sic etiam peccator.

20. OCtauò. Vis scire, qua ratione tanta præueniemus mala, tantùm euademus supplicium? *Ab arbore fici discite parabolam*. Postquam enim Dominus vineę grauissimè comminatus fuisset ficulneæ, atque dixisset: *Succide ergo eam, vt quid enim terram occupat*: colonus ægrè ferens, plantam quamcunque exscindi, quasi in seipsum culpam, & ficulneam excusans, quòd ex defectu culturæ defecerit à fructu ferendo: *Domine*, ait, *dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam illam, & mittam stercora*. D. Ambrosius & Augustinus legunt: *Mittam cophinum stercoris, & siquidem fecerit fructum, sin autem, in futurum succides eam*. Id est, si fecerit fructum, habebis quod intendis; sin minùs, poteris succidere, absque eo quòd quis tibi possit opponere. Quod ad Grammaticam attinet, quod dicitur; *& si quidem fecerit fructum*, per figuram reticentiæ, quæ à Græcis dicitur, ἀποσιώπησις accipiendum est; supplendum est enim verbum, parces illi, vel, non succides illam, aut quid simile. Fossio fit ne terra dura humorem ad radicem plantæ accedere impediat, & vt ibi aqua conseruetur, quę est alimentum plantarum; stercoratio verò ad impinguationem terræ spectat.

AMBROS.

21. Quod si hæc parabola ad vniuersos peccatores extendatur, siue olim in lege, siue nunc in Euangelio viuentes, dicendum est, quemuis nostrum ficum quandam esse in Ecclesia Dei plantatam, ad bonos & dulces fructus bonorum operum edendos; quos si nostro vitio non proferimus, conqueritur de nobis Deus, paratus succidere, & è vita tollere Christianum, vel potiùs fulmine suæ indignationis ac iudicij percutere, *Ecce anni tres sunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio*. Dominus vineæ est ipse Deus, ficus ipse Christianus, colonus ipse Christus, vel vt vult Bellarminus Concio. 9. super Psalm. 90. ipse Angelus custos, vel quilibet Episcopus, Pastor, concionator & iustus; qui considerantes Dei iustam in homines indigationem, & quàm indigni sunt vitâ, cernentes vltimum imminere exitium peccatori, nisi resipiscat, cernentes securim ad radicem vitæ positam esse, atque grauissimâ succisionis pœnâ feriendam animam, atque inutilem ficulneam; tamquam solliciti cultores, & animarum pereuntium miserti, excusare nituntur eas, suam de nouo diligentiam offerentes & promittentes vt frugiferam reddant; quolibet eorum dicente: *Dimitte eam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora*. Duplici remedio huiusmodi arbores, iuuari solent; primò ad radices excauatur terra, vt noxiæ herbæ eradicentur; & fossa fit, vbi aqua excipiatur, cuius humorem sugant radices. Secundò, stercora & fimum spargunt circa radices, vt illius calore foueantur, & pinguedine roborentur. Ecce quid quilibet eorum faciendum suscipiat. Illud explicandum restat, quid tam fossio hæc, quàm stercoratio adumbrat; incipiamus à fossione.

Ficus infructuosa, Christianus. Dominus vineæ, Deus. Colonus, Christus vel Angelus custos.

BELLAR.

Ad quid deseruiat fossio & stercoratio.

De varia fossione quâ ficulnea rationalis, ex sterili redditur fructuosa.

§. I.

22. IN primis foditur homo, dum valido ligone ieiunij, austeritatis vitæ, atque mortificationis excauatur terra corporis nostri, vt comprimantur noxiæ herbæ vitiorum, & reddantur radices aptæ ad sugendum humorem cælestium virtutum & donorum. Id enim operatur perfecta mortificatio: *Spiritus*, ait D. Gregorius moral. 11. *deficit vbi calor requiescit. Vt enim caro mollibus, sic anima asperis nutritur. Illam blanda refouent, hanc aspera exercent: Illa delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Et sicut carnem dura sauciant, sic mollia spiritum necant: Et sicut illam laboriosa interimunt, sic istam delectabilia extinguunt*. Et libr. 31. moral. *Quò plus caro premitur, eò de cælesti spe anima securiùs lætatur. Tantò enim meliùs mens ad superna appetens componitur, quantò ab illicitis corpus arctiùs edomatur*. Vide eundem Gregor. in illud Iob 39. *Terram vngula fodit* 31. mor. 17.

Foditur homo ligone ieiunij.

GREGOR.

23. Secundò. Fossio hæc symbolum tribulationis est. Per fossionem enim intelligit D. Athanasius quæstion. 35. huius vitæ afflictionem. *Multi*, ait, *demum resipuere, qui per afflictiones fossi, fructiferi protulerunt virtutem*. Quis transactis annis, nullo dato fructu, tandem afflictionibus fossus non resipiscit? In primis calami-

Ligone tribulationis.

ATHAN.

taribus

tatibus tanquam ligone aufertur peccatori duritia, vt fiat locus stillicidio gratiæ. *Aliquando*, ait D. Gregorius lib. 6. mor. c. 18. *carnem percutit, & mentis duritiam suo pauore tabefacit, occidit enim vt viuificet, percutit, vt sanet* &c.

GREGOR.

Fossio & tribulatio, in quo cõueniant.

24. Vt fossione denudatur radix arboris, & separatur terra quæ malè eam grauabat: sic tribulationibus voluntas nostra denudatur à rerum pereuntium amore, quibus nimis affixa, & quasi obruta erat, vt ad cælestia nequaquam posset assurgere. Vnde D. Augustinus super Matth. ser. 18. *Ideo*, ait, *Deus fælicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quaratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax* &c. Concinit D. Gregorius sic fatus super Ezechielem: *Domis suis Deus flagella permiscet, vt nobis omne quod nos in sæculo delectabat, amarescat, & illuc incendium surgat in animo, quod nos semper ad caleste desiderium inquietet, & excitet, atque vt ita dicam, delectabiliter mordeat, suauiter cruciet, hilariter contristet.* Idem in registro: *Multi in hac vita dolores sunt, qui ad amorem calestium quotidie impellunt, qui in hoc vehementer solùm mihi placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt.* Hinc mortalium nullus est omni ex parte beatus, sed semper experitur in suo statu quod exhorreat, iuxta illud Boëtij l. 2. prof. 4. *Quis enim est tam composita fælicitatis, vt non aliqua ex parte cum statu sui qualitate rixetur? Anxia enim res est humanorum conditio bonorum, vt qua vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis: Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, mallet esse ignotus. Ille verò vtraque circumfluus, vitam calibem deflet, ille nuptiis falix, orbus liberis, alieno censum nutrit haredi. Alius prole latatus filij, filiave delictis mæstus illachrymat, idcircò nemo facilè cum fortuna sua conditione concordat, inest enim singulis quod inexpertus ignoret, & expertus exhorreat* &c. Ne scilicet nimiùm affigat animum terrenis, sed faciliùs ab eis auelli possit.

AVGVST.

GREGOR. Deus tribulationes immittit vt nos auellat ab amore rerum temporalium.

BOETIVS.

Tribulatio facit vt eiectis peccatorum spinis, germina virtutũ melius crescant.

Præterea circa arborem aratur, arborque circumfoditur, vt nihil prope germinans & pullulans, præsertim si noxiæ sint herbæ atque spinæ, impediat fructum, alimento enim quod è terra trahitur, in tam multa minutatim diuiso, necesse est arborẽ, propter inopiam eius, à fructu ferendo impediri. Sic etiam Deus aratro siue ligone tribulationis, aufert ab humana anima, spinas tribulosque bonorum externorum & temporalium, ne attrahẽdo se ad humorem, siue amorem mentium nostrarum, minùs proficiat & crescat homo, in bonis operibus. Separat fossio ab arbore spinas & tribulos; separat ab anima tribulatio vitiorum omnium germina.

BASILIVS.

25. D. Basilius hom. 5. in hexam. animam rationalem viti comparans, quæ vt fructus abundantiores proferat interdum circumfodienda, de fossione hac, quæ etiam rei, de qua agimus, accommodari potest, sic philosophatur. *Exigit insuper à nobis vt sustineamus dum defodimur. Defoditur autem terra ab anima depositione curarum mundi, qua oneri sunt cordibus nostris. Quare qui carneam dilectionem deponit, & amorem erga pecunias, aut erga miseram hanc gloriolam, affectionem conspuendam & contemptibilem ducit, velut defossus est, & respirauit, deposito inani onere terrena elationis ac sapientia.* Sic ille.

26. Væ illi qui hac fossione, qui tribulatione non proficit. Nihil illi expectandum quàm succisio, quàm damnatio. *Fossa*, ait D. Augustinus serm. de temp. barbar. *locus est humilitatis* (siue humiliationis, quæ mediantibus contingit tribulationibus) *quem locum si quis contempserit, amplius sustinebit tormentum quando illius agricola acutissimum senserit ferramentum.* In fossura intelligit D. August. serm. 31. de verbis Dom. exercitium patientiæ, quæ quàm sit ferax vide apud Baezam tom. 1. de Christo fig. lib. 4. c. 3. §. 49.

Væ illi, qui fossione tribulationis non proficit.

AVGVST.

BAEZA.

27. Tertiò. Per fossionem etiam possumus intelligere conscientiæ examen, prout intellexit D. Augustinus scribens in illa verba Psalm. 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos aternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum.* Quæ posteriora verba ab aliquibus sic transferuntur. *Et fodiebam spiritum meum. Scrutabatur*, inquit, *ille spiritum suum, & cum spiritu suo loquebatur, seipsum enim interrogabat, seipsum examinabat, in se iudex erat* &c. Simili ratione se scrutabatur, se fodiebat, se excauabat, qui dicebat Isa. cap. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anima mea.*

In fossione signatur conscientiæ examen.

AVGVST.

28. Quartò. Fossio hæc humilitatem adumbrat. *Circumfossio arboris*, ait D. Augustinus serm. 12. de verb. Dom. *est humilitas pænitentis, omnis enim fossa humilis.* Et serm. 31. de verb. Dom. *Quid est autem fossa, quid est circumfodere, nisi humilitatem & pænitentiam docere? Fossa enim humilis terra est. Fodit*, ait D. Bonauentura in c. Luc. 13. *qui se humiliat: ingredere in petra, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria Maiestatis eius: Facito alueo torrentis huius fossas & fossus.* Vnde glossa: *Fossa quippe in imo est, quando increpatio mentem sibi demonstrat & humiliat.*

Fossio humilitatem adumbrat.

AVGVST.

BONAV.

29. Quintò. Per fossionem intelligere possumus increpationem. *Quid est*, inquit D. Gregorius hom. 31. in Euang. *circa ficulneam fodere, nisi infructuosas mentes increpare? Omnis quippe fossa, in imo est, & nimirum increpatio, dum mentem sibi demonstrat, humiliat. Quoties ergo aliquem de peccato suo corripimus, quasi ex cultura debito circa infructuosam arborem fodimus* &c. Et paulò pòst: *Et sunt plerique qui increpationes audiunt & tamen ad pænitentiam redire contemnunt, & infructuosi*

Per fossionem intelligitur increpatio.

GREGOR.

fructuosi Deo in hoc sæculo virides stant. Sed audiamus quid ficulneæ cultor adiungat: Siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. Quia profectò qui hîc non vult ad fœcunditatem pinguescere per increpationem, illic cadet; vnde iam resurgere per pœnitentiam non valet: & in futurum succidetur, quamuis hic sine fructu viridis stare videatur. &c. Sic D. Gregorius.

Fossio symbolum perforationis manuum & pedũ Christi. BONAV. ISIDORVS PELVSIOT.

30. Sextò, in fossione rimatur D. Bonauentura serm. 2. in Dom. 7. post Pentecost. perforationem manuum & pedum Christi. *Circa ficum*, ait, *foditur, dum Christus propter hominem perforatur.* Psal. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Quò etiam videtur respexisse D. Isidorus Pelusiota epist. 312. dum expendit Christum ex itinere fatigatum & puluerulentum ad fontem expectasse, & conuertisse sterilem Samaritanam, sic enim inducit loquentem diuinum agricolam Christum, *Sine autem eam etiam hoc anno: Si per legem, & Prophetas nihilo meliores facti sunt, nec pœnitentiæ fructus ediderunt, meâ quoque doctrinâ, meisque cruciatibus erigentur.* Qui fossâ laborum Christi adhibitâ non reuiuiscit, illius desperata curatio ac sterilitas. Vide Baezam in commentar. moral. tomo 2. l. 6. c. 3. §. 5. Vide eundem tom. 4. lib. 16. c. 11. §. 3.

BAEZA.

Fossa notitiam sui adumbrat. PAZIVS.

31. Septimò, in fossa notitiam sui adumbrari vult Pazius tom. 2. lib. 4. par. 2. in præfat. sic enim scribit: *Fossa fundamentum humilitatis excipiens, est cognitio siue notitia sui, & meritò fossa quæ vsque ad profundum cordis humani penetrat, & ipsum nihilum humanæ cogitationis reuelat.*

Fossio designat damnationis horrorem nobis incussum. BEDA.

32. Octauò, in fossione contemplatur Beda scribens ad illa verba Lucæ c. 13. *vsque dum fodiam circa illam*, æternæ damnationis horrorem animæ incussum, *vsque dum fodiam circa illam, id est*, ait, *horrorem perpetuæ damnationis incutiam.* Nisi enim homo timore gehennæ ad bonam sese conuertat frugem, nullam spem reliquam facit suæ emendationis, quis enim tam alienus à salute atque ille qui terrore infernalium pœnarum non inducitur ad seriam emendationem? Ioannes prædicans turbis inter alia etiam illa producit verba, vt eos conuertat, *iam enim securis ad radicem arboris posita est*, si ad irrationalem & corporalem arborem ponas securim non sanè fructuosam eam reddes, ad hoc enim non securis, sed fimus magis conducit, & cinis; verùm si ad rationalem arborem, id est hominem, ponas diuini Iudicij, & æternæ damnationis securim, quâ præcidendus, nisi fructum ferat, hac securi illi ob oculos positâ seriò cogitat de vitæ emendatione & de proferendis bonorum operum fructibus. Guilielmus Parisiensis vt gehennam fugeret vtebatur, hoc vnico remedio, quòd ad eam fugeret, *Ab illa fugiens*, ait de mor. cap. 2.) *ad illam fugio.* Quasi dicat, dum volo fugere à gehenna, non conuenientiorem inuenio viam, quàm vt ad illam fugiam. Verùm, ô Guillelme, si gehennã fugis, quomodo ad illam fugis? Quia quando mundus, caro, dæmon, illum impellebant ad diuinorum mandatorum transgressionem, sicque conabantur eum in gehennam præcipitare, mox pede considerationis fugiebat ad gehennam. In qua attentè expendebat illius tormenta, quorum timore & horrore continebat se à legis diuinæ violatione, sicque ab illa fugiens ad illam fugiebat. Cur non dicit ab illa fugiens, ad illum (puta paradisum) fugio? quia vt fugiat homo à gehenna non tantæ virtutis, tantique ponderis est consideratio præmij, atque timor tormenti.

Rationali arbori apposita securis damnationis eam fructuosam reddit.

GVILIEL. PARIS.

Effugies gehennam si fugias ad ad eam.

De varia stercoratione, quâ ficus rationalis ex infructuosa reddatur fœcunda.

§. II.

Stercoratio ficum fœcundat. PLINIVS.

1. NON solùm benignus ille & humanitate plenus agricola Dominum precatur antequam succidat ficulneam, vt fodiat circa eam, sed etiam vt mittat stercora, sperans hac ratione eam liberandam ab infertilitate. Stercoratio enim ficum fœcundat. Audi Plinium lib. 17. cap. 27. *Vberrimas ficus rubrica amurca diluta & cum fimo infusa radicibus frondere incipientium, facit.* Et libro 15. cap. 18. *Cato de ficis ita memorat: ficus moriscas in loco cretoso aut aperto serito, in loco autem crassiore stercorato.* Vis scire quid designet hæc stercoratio?

Stercora symbola peccatorum. GREGOR.

2. In primis stercora symbola sunt peccatorum. Hinc D. Gregorius libro expos. in 1. Reg. cap. 2. tangens illa verba: *Suscitat de puluere egenum & de stercore erigit pauperem. Sic scribit: Quia facilè puluis excutitur, & quem stercora inquinant, horribiliter fœdant: puluis leniora, stercus grauiora peccata significat.*

Cophinus stercoris memoria peccatorũ. GREGOR.

3. Vis scire quando hoc stercore fœcundatur anima? Audi Diuum Gregorium homil. 31. in Euangelio. *Quid est*, ait, *Cophinus stercoris, nisi memoria peccatorum. Peccata enim carnis, stercora vocantur. vnde & per Prophetam dicitur: Computruerunt iumenta in stercore suo.* (Ioel 1.) *iumenta quippe in stercore suo computrescere, est carnales quosque in fœtore luxuriæ vitam finire. Nos itaque quoties carnalem mentem de suis peccatis increpamus, quoties ad eius memoriam vitia ante acta reducimus, quasi infructuosi arbori cophinum stercoris versamus: vt malorum quæ egit memoriam recolat, & ad compunctionis gratiam*

tiam quasi de fœtore pinguescat. Mittitur ergo cophinus stercoris ad radicẽ arboris, quãdo prauitatis suæ conscientia tãgitur memoriâ cogitationis. Ex fœtore ergo ad fructum reuiuiscit arbor, quia de consideratione peccati, ad bona se opera resuscitat animus, &c. Sic ille. *Stercora mittit*, ait D. Bonauentura in Lucæ cap. 13. *qui peccatum ad memoriam reducit*. Vnde glossa Bedæ. *Mittam stercora, id est, malorum, quæ feci, abominationem ad animum reducam, vt compunctionis gratiam cum fructibus boni operis, quasi de putredine stercoris resuscitem. Sicut autem fructificat arbor, quando circa eam mittuntur stercora, sic & anima dum peccatorum suorum recordatur*. Sic Bonauentura.

BEDA.

4. Non solùm hæc stercora peccatorum fœcundant, verùm & insigniter animam humiliant: Vnde D. Greg. expendẽs, quod Iob in sterquilinio sedeat, sic illius factum ad tropologiam allicit: *In sterquilinio sedere*, ait l. 3. mor. c. 18. *est de se vilia quæpiam & abiecta sentire. In sterquilinio nobis quippe sedere, est, ad ea quæ illicitè gessimus mentis oculos pœnitendo reducere, vt cùm ante nos peccatorum stercora cernimus, omne quod in animo de elatione surgit, inclinemus. In sterquilinio sedet, qui infirmitatem suam sollicitus respicit, & sese de bonis quæ per gratiam perceperit nõ extollit*, &c. Qualiter peccatorum recordatio animam humiliet, vide apud Chrysost. hom. 41. ad pop. Vide eundẽ de compunct. lib. 2. to. 5. vbi fusè docet memoria peccatorum quàm sit vtilis, sex vtilitates ex memoria peccatorum, vide apud Mazarin. in Ps. 50. dis. 41. & dist. 63.

Stercora peccatorum animã humiliant. GREGOR. CHRYSOS. MAZAR.

5. Sed quis maior fructus huius stercorationis possit adduci quàm ille quẽ adducit D. Greg. 3. mor. 11. comparans enim corda pœnitentium & peccata præ oculis habentium sterquilinio, affirmat Christum in illo quiescere & residere. In Iobo enim in sterquilinio sedentem Christum intelligens, sic ait: *Ecce dolẽs in sterquilinio sedet qui post perpetratas culpas libenter corda pœnitentium possidet. An non quasi quoddam sterquilinium sunt corda pœnitentium, qui dum mala sua flendo considerãt, quasi ante se stercora sese abijciendo coacernant? Percussus ergo Iob, montem non petijt, sed in sterquilinio sedit: quia ad passionem redemptor veniens, alta superborum corda deseruit, & in afflictorum cordium humilitate requieuit. Quod tamen de se & priùs quàm incarnaretur indicauit cùm per Prophetam dixit: Ad quem respiciam nisi ad humilem & quietum & trementem sermones meos.*

Christus in sterquilinio, id est in homine peccata sua præ oculis habente requiescit. GREGOR.

6. Qui autem in hac vita negligit pœnitendo ad memoriam reuocare peccata, & hisce tanquam fimo stercorare ficulneam suam, vis scire quid illi sit euenturum in vita futura? Tunc peccatis suis tanquam stercore lapidabitur peccator, tunc tamquam sterquilinium perdetur, vt bene expendit D. Gregor. 15. mor. cap. 3. exponens illud Iob 30. *Si ascenderit vsque ad celum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, quia in morte sua, cùm ad tormenta ducitur stercoribus vitiorum plenus à malignis spiritibus conculcatur, & mens illius flagitiorum suorum fœtore damnabitur.*

Qui in hac vita hoc stercore nõ fœcundat animam, in altera eodem stercore lapidabitur. GREGOR.

7. Fælix qui peccatorum stercore ad fœcunditatem fructus prouocatur infelix, qui ad illa rediens more porci in illis computrescens volutatur. De quo, si libet, vide Chrisostomum homilia 18. in cap. Matth. 7.

CHRYSOS.

8. Secundò, stercora hæc symbolum sunt pœnitentiæ. Vnde D. August. serm 31. de de verb. Dom. hanc parabolam exponens ait: *Cophinũ stercoris in bono intellige, sordes sunt sed fructum dant. Sordes cultoris, dolores sunt peccati. Qui agunt pœnitentiam in sordibus agunt, si tamen intelligant & veraciter agant.* Idem August. serm. de temp. barbar. in cophino stercoris lachrymas pœnitentis intelligens, ait: *Cophinus stercoris lachrymæ sunt pœnitentis. Mittitur*, ait D. Gregor. ho. 31. in euangel. *cophinus stercoris ad radicem arboris, cùm se per pœnitentiam ad lamenta mens excitat, & ad bona operationis gratiam reformat, & quasi per tactum stercoris redit ad fœcunditatem operis, radix cordis plangit, quod fecisse se meminit, displicet sibi qualem fuisse se recolit. Intentionem contra se dirigit, atque ad meliora animum accendit. Peccata carnis*, ait glossa, *stercora sunt quæ mittuntur ad radicem arboris, quando prauitatis conscientia tangitur cogitationis memoriâ, & dum inde pœnitet, quasi per tactum stercoris redit ad fœcunditatem operis. Cophinus stercoris*, ait D. Paulinus epistola 3. ad Aprum, *qui de sterili fertilem arborem facit, specialiter mihi videtur humilitas spiritalis, quâ contribulantes cor nostrum, pœnitudine præteritæ vanitatis euacuamus inania, & succum virtutis accipimus, quâ operibus Iustitiæ steriles eramus, reddimur fructuosi. Bonum ergo nobis intrare in recessus nostros & humiliare in ieiunio (quo ieiunatur ab operibus tenebrarum) animam nostram, vt ab huius humilitatis stercore, quæ sæculo vilis, Deo cara est, erigatur.* Quòd dolor tristitiæ sit similis stercori, vide apud Mazarinum in Ps. 50. desc. 91.

Stercora symbola pœnitentiæ. AVGVST. Idem. GREGOR.

9. Gregorius Nazianzenus orat. 40. exponens illa verba: *Mittam stercora: stercora*, inquit, *hoc est lachrymas, gemitus, preces, chamennias, vigilias, animi & corporis macerationem, ac denique correctionem eam, quâ ex peccati confessione, contentioríque vitæ genere existit.*

NAZIAN. Stercora lachrymæ, gemitus, &c.

10. Tertiò, per stercora etiam mortis consideratio intelligi potest, iuxta illud doctissimi Salmeronis tomo 7. tract. 21. *Stercoratur verò dum peccata præterita, quæ stercus quoddam sunt, ad memoriam renouamus, & mortem corpori instantem sedulò consideramus* &c. Et qualiter consideratione mortis non stercorabitur anima. An maius potest inueniri ipso corpore, licet adhuc viuente, sterquilinium? *Si diligenter consideres*, ait Diuus Bernardus in medit. cap. 2. *quid per os & nares ceterosque corporis*

Stercora mortis consideratio. SALMER. BERNAR.

corporis meatus egediatur, vilius sterquilinium nunquam vidisti. Et paulò pòst: *Nihil aliud est homo, quàm sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium.* Sterquilinium corporis nostri considerans D. Innocentius libro 8. de cont. mundi, sic exclamat: *O vilis conditionis humanæ indignitas: O indigna vilitatis humanæ conditio! Herbas & arbores inuestiga. Illæ de se produnt flores & frondes & fructus, & tu de te lentes, & pediculos & lumbricos. Illæ de se effundunt oleum, vinum & balsamum, & tu de te sputum, vrinam, & stercus. Illæ de se spirant suauitatem odoris, & tu de te reddis abominationem fœtoris* &c. Vt meritò corpus humanum sterquilinio comparetur niuibus tecto, quod quidem deforis pulchrum & album apparet, & intus sordibus & immunditijs repletum est. Si corpus dum viuit sterquilinium quid post mortem futurum? certè nihil aliud quàm abominanda quædam putredo & sanies, cuius vel sola cogitatio nedum nominatio, nauseam pariat. Fælix qui hoc stercore impinguat animam, mox miros & eximios proferet pietatis fructus. Fælix qui in hoc sedet sterquilinio, quã amisit humilitatis drachmam ibi inueniet, iuxta illud Diui Hieronymi in epistola ad Rusticum. *Drachma perijt, & tamen inuenitur in stercore.* Nec solùm drachma humilitatis in hoc stercore inuenitur, sed in eodem & optimè seruatur. Iuxta illud Diui Gregorij: *Custos humilitatis est recordatio propriæ vilitatis.* De vtilitate corporis humani vide Pazium tomo 2. libro 5. parte 2. cap. 5. & sequenti.

INNOCENTIVS.

Corpus humanũ sterquilinio cõparatur.

HIERON.

GREGOR.

11. Non libet hîc in medium adducere Sanctorum exempla & documenta, quibus testatum nobis reliquerunt, quàm assidui fuerunt in stercorando cordis agro, consideratione mortalis, caduci & fœtidi corporis nostri, nunquam enim esset finis, tamen omittere non possum referre quorundam Ethnicorum circa hanc rem studium & vigilantiam. Non defuere qui taliter in sterquilinio corporis per considerationem sederunt, vt non alio loco quàm in sterquilinio illud sepeliendum indicarunt. *Nabathæi*, inquit Gregoriús Gyraldus in suo libro, de vario sepeliendi vsu, *atque Arabes & Sabæi, defunctorũ corpora, stercoribus similia putabant, atque adeò Regum suorum & Ducum cadauera in sterquilinijs, cœno, fimoque obtegebant, deinde terra condebant.* Similia haber Strabo, à quo ille mutuatus, lib. 16. in fine, vbi de Nabathæorum moribus: *Mortua corpora, ait, æquè atque stercus, vt Heraclitus inquit habent, imò cadauera stercore abiectiora, quapropter reges in sterquilinijs defodiuntur.* Quantò hi saniùs sentiebant quàm plurimi Christianorum, qui nihil minùs quàm sterquilinia se esse cogitantes, procurant marmoreis, sublimibus, pretiosis, corpora sua, condi loculis.

Quàm ordinaria Ethnicis consideratio mortis.

GYRALD.

12. Tempore quadragesimali ficulneam infructuosam & sterilem volens sancta mater Ecclesia fructuosam reddere, quid ante omnia agit, quid aggreditur, vnde auspicatur tantum negotium? non aliunde quàm vt stercora circa radices ponat, & cineris mortisque memoriam ob oculos ponat: homo est arbor inuersa, radices eius sunt capilli, vt Philosophorum habet doctrina. Circa has radices mittit stercora, cineres apponit & puluerem. Quis dicet quàm sint cineres efficaces? Annotauit Plinius lib. 17. cap. 9. nihil vtilius arboribus quàm si ad earum radices mittatur cinis, qui calore suo noxias herbas absumit, radices fouet, deficientia roborat, impinguat, & vermes enecat ac fugat. Hinc vberrimi sunt agri Ciciliæ, illi præsertim qui monte Ethnæ sunt proximi. Ex eo namque cineres profluunt totam regionem illam reddentes feracissimam, per quos noxiæ herbæ absumuntur, vermes occiduntur, terra ipsa impinguatur.

Tempore quadragesimali cinere capitibus imposito intẽdit Ecclesia stercorare hominũ corda.

PLINIVS.

Radicibus arborũ cineres vtilissimi.

De fœcunditate cinerum quos eijcit & vomit Vesuuius, sic Cassiodorus libro 4. variar. epist. epist. 50. *Vomit fornax illa perpetua, Puniceas quidem, sed fertiles arenas* (cineres sic vocat) *quæ licet diuturna fuerint adustione siccatæ, in varios fœtus suscepta germina mox producunt, & magna quadam celeritate reparant, quæ paulò ante vastauerant.* Ne quis existimet cinerem agnata adustione esse infœcundum, miram illi tribuit Cassiodorus fertilitatem, quâ longè superet campos pingui gleba fælices. Scribit insuper Plinius loco citato. *Transpanis cineris vsus adeò placet, vt anteponant fimo iumentorum: quod quia leuissimum est, ob id exurunt. Vtroque tamen pariter non vtuntur in eodem aruo.* Non solùm cinere fœcundantur arbores, verùm etiam ipsi pubescentes fructus ad maturitatem prouocantur, hinc sic etiam Plinius loco citato: *Sunt qui puluere quoque vuas ali, indicent, pubescentesq́, puluerent, & vitium, arborumque radicibus spargant. Quod certum est Narbonensi prouinciæ*, &c. Hoc Ecclesia sancta intendit cineres mittens ad capillos capitis tui, nimirum hac ratione volens in te exsiccare herbas voluptatum carnalium, te roborare atque munire aduersus diabolum carnem & mundum, te disponere ad fructus pietatis proferendum, atque in te extinguere omnes peccatorum vermes, cor & animam rodentes. Quæ voluptas non exsiccatur si attendas te puluerem futurum? quis fallacijs diaboli, mundi, atque carnis permittet se seduci, qui se cinerem, qui se moriturũ cogitat? Quis non strenuè in vinea Domini laborabit qui dies suos cogitat dies esse mercenarij, & vesperam mortis in ianuis esse? quis peccatorum vermes patietur viuere qui cogitat se cinerem esse & peccato incerto vitæ curriculo coram diuino tribunali esse sistendum? *Stercus mittitur*, ait D. Bonauen. serm. 2.

CASSIOD.

Fœcunditas cinerũ quos vomit mõs Vesuuius.

PLINIVS.

Quid cineris, siue mortis consideratio operetur in peccatore.

BONAV. Dominic. 7. post Pentecost. *dum putrefactio futura hominis ad mentem reducitur*, Iob 20. *Si ascenderit in cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.*

Hodie in cinerem redacto, simul in cinerem transit omnis eius gloria.

Præterea quid res omnes mundanæ, nónne vmbra, fumus, cinis? Considera exitus eorum, quid reperis nisi cinerem? Dum homo in puluerem per cadaueris incinerationem deducitur, an non simul incinerem transit, & conuertitur omnis eius gloria? *Persequatur*, inquit Dauid, *inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam; & gloriam meam* (puta tot opima spolia ab hostibus detracta, tot relata trophæa, honorem occisi gigantis, promissionem regni, &c. *in puluerem deducat.* Vbi Liranus: *In puluerem per cadaueris mei incinerationem.* Vtinam hunc cinerem ad radicem mentis ponat homo, arbor inuersa, ô quantos hic cinis proferet fructus pietatis! Longè alterius naturæ sunt cineres, quàm siliquæ; illi enim fœcundas reddunt arbores, hæ steriles. *Ad radices arboris posita fabarum siliqua, eam sterilem reddunt*, ait Clemens Alex. strom. lib. 3. Vis videre arborem planè sterilem, quia radici, id est, menti & voluntati appositæ fabarum siliquæ? In filium illum prodigum oculos conijce, quid illo sterilius? Vnde hæc sterilitas? Quia vt legimus Lucæ 15. *Cupiebat implere ventrem* (voluntatis) *de siliquis, quas porci manducabant.* Vis scire quales hæ siliquæ? puto fuisse siliquas siue folliculos fabarum. Siliquis enim fabarum pecorum pabulum esse, indicat Plinius libro 18. cap. 12. Et quid hæ adumbrant siliquæ, intus inanes, foris molles, corpus non reficiẽtes, sed implentes, magis oneri, quàm vsui, nisi peccata? Hæc enim est porcorum, id est, impiorum hominum, & cacodæmonum, vt vult Theophy. Euthymius, siliquas voluptates putat indicare: *hisce siliquis*, (id est, peccatis) *cupit miserabilis peccator satiari*, ait Theophylactus, *& nemo illi dat saturari peccato. Assueto enim malis nemo dat satietatem*, &c. Et Euthymius: *Nullus*, inquit, *illi dabat ad satietatem. Huiusmodi enim dæmones, neminem sinunt satiari voluptatibus, ne citiùs à peccato quiescat. Semper enim excitant appetitum*, &c. Qui hasce peccatorum & voluptatum siliquas habet, radici, id est, affectui & voluntati appositas, an mirum quod planè sit sterilis in bonis operibus? Vis ô Christiane è sterili fieri fœcundus? appone radici tuæ cineres, expende cinereum exitum rerum mundanarum, & voluptatum, quibus vt perfruaris in tot tamque grauia te præcipitas peccata, & mox incipies ad bonam redire frugem, & ad saniorem mentem.

LIRAN.

Longè alterius naturæ sunt cineres quàm siliquæ.

CLEMENS ALEX.

Siliquæ symbola peccatorum.

THEOPH.

Non patiebantur dæmones satiari filium prodigum hisce siliquis.

Hasce siliquas si apponas radici, id est, affectui, reddit eum sterilẽ bonis operibus.

Apponẽdus affectui cinereus finis rerum terrenarum.

13. Quartò, per stercora ad radicem apponenda non incongruè etiam intelligitur consideratio extremi Iudicij, vel bene animaduertit Ioannes de Piña scribens in Eccli. cap. 8. ethol. 99. expendens enim illud Matth. 3. *Iam enim securis ad radicem posita est*, sic scribit. Quid vtilitatis adfert securis ad radicem arboris posita? planè non exigua. Sumptâ metaphorâ ab agricultura rem cape. Stercus & fimum ad radicem arborum inijciunt, vt multum fructum afferant. Testatur villicus ille Euangelicus, qui pro ficu infructuosa Dominum exorauit, donec stercus mitteret: ergo arbores ex fimo radicibus apposito non paruam capiunt vtilitatem. At verò homini, qui sensu morali arbor dicitur, securis pro stercore & fimo est, dum enim metum futuri iudicij & vltionis concipit, sterilitatem deponit, & ad virtutes fœcundus redditur. Hanc expositionem deduxi ex Authore operis imperfectis hom. 3. in Matth. his verbis: *Securis autem est acutissima ira consummationis, quæ totum præcissura est mundum; & si posita est, quare non præcidit, aut si interim præcissura non fuerat, quare posita est? quià rationabiles sunt arbores & in potestate habẽt facere bonum, aut non facere, vt videntes ad radicem positam esse securim timeant præcissionem suam & faciant fructum*, &c.

IOAN. DE PINA.

Per stercora intelligitur cõsideratio extremi iudicij.

CHRYSOS.

14. Quintò, D. Ambrosius lib. 7. in Lucæ cap. 17. per stercora intelligit humilitatis affectum qui explosâ superbiâ iam peccatoris animum subijt. Vnde in ficulnea illa ad quam Dominus iam tertio venerat anno, nullo fructu inuento, Synagogam intelligens, duritia & superbia laborante, ac proinde planè sterilem, & tangens illa verba: *Dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam & mittam stercora*, sic ait: *Quàm citò duritiam Iudæorum superbiamq; causas esse sterilitatis agnouit: Itaque nouit excolere, qui nouit vitia deprehendere, pollicetur dura cordis eorum Apostolicis ligonibus esse fodienda, vt longo incultu situm mentis obductum, sermo bis acutus inuertat, & corde proscissi excitet sensum aerio spiramine iam vigentem, ne radicem sapientiæ terrarum aceruus obruat & abscondat. Cophinum quoque stercoris dicit esse mittendum. Magna profectò vis stercoris, quæ tanta est vt de infœcundis fœcunda, de arentibus, virentia: de sterilibus faciat fructuosa. In quo sedit Iob cùm tentaretur, & vinci nequiuit. Et Paulus æstimat stercora vt Christum lucrifaciat. Denique cùm antè Iob plurima perdidisset, posteaquam sedit in stercore non habuit quod ei diabolus posset auferre. Bona ergo terra quæ foditur, bonum stercus quod mittitur. Denique Dominus de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperem. Itaque per intellectus exercitium spiritualis, & humilitatis affectum etiam Iudæis in Euangelium Christi cultor ille bonus fore existimat fructuosus.*

AMBROS.

Stercora humilitatis affectus.

15. Similiter Diuus Paulinus censet in stercore illo, quod mittendum ad radices ficulneæ adumbrari humilitatem, dum sic scribit ad Seuerum ep. 10. *In stercore mihi*

PAVLIN.

mihi videtur æterna piæ humilitatis vtilitas indicari, quæ sterilem fœcundat animam, ne per vacuam arrogantiæ speciem sibi iuxta illum Pharisæum placens, velut arbor infelix frugibus inutili fronde luxuriet. Quàm bonum autem & vtile ad culturam salutis huiusmodi stercus sit, docemur in Beato Iob, qui postquam sedit in stercore tentari destitit; consumpserat enim tentatoris inuidiam humilitate perfecta, quæ faciliùs surgere, quàm deÿci potest. Sic ille.

Nihil fructuosius campis stercore, sic nihil fructuosius humilitate.

16. Quis verbis explicet quàm humilitatis affectus, vel humilitatis virtus, quâ homo verissima sui cognitione, considerando scilicet defectus & miserias suas, sibi ipsi vilescit, multiplices proferat fructus, quamque hominem fructuosum reddat? Quid fructuosius campis stercore & fimo horridis? Dum sol illos aspicit, quos non proferunt fructus? Sic nihil fructuosius homine qui sibi ipsi vilescit. Vilitas hæc & sui ipsius despectus trahit ad se diuini solis oculos, qui quotiescumque hæc stercora propriæ vilitatis aspiciunt, maximè fructuosum hominem reddunt. Non immeritò apud Matthæum cap. 12. notantur loca, per quæ ducat Iesus discipulos suos, ait enim: *Abÿt Iesus per sata Sabattho.* Cur per sata? Sanè vt ostenderet discipulos suos instar satorum de stercore & abiectionibus horrentium, sub diuinis oculis fructificare. Id quod attigit Diuus Ambrosius libro de Isaac cap. 6. sic scribens: *Iesus in Sabbatho duxit per seminata discipulos. Moses per desertum duxit populum Iudæorum. Christus per seminata discipulos duxit, quia per passionem eius floret vt lilium.* Vide cui Christus rediuiuus præ cæteris se spectandum exhibeat, nónne Petro, nónne mulieribus? & quid diuini solis traxit oculos? nimirum eorum vilitas & imbecillitas, vel vt clariùs dicam, stercus propriæ vilitatis. Quocirca ait Diuus Chrysostomus homilia 38. in 1. ad Corinthios 15. *Petrus cùm Christi discipulum se esse negauit, quo minus reiectum se putaret præ cæteris, hunc conspectu suo dignatur Dominus: Eadem causa propter sexus imbecillitatem saluatoris gratiam primo mulier & nascentis & resurgentis sensit.* Expendo illud: *Quo minus reiectum se putaret præ cæteris.* O Christiane tibi vilescas, te dimittas, pro nihilo teipsum reputa, hoc humilitatis stercore agrum cordis impingua, hoc stercore horridum redde, & sub hoc humilitatis stercore videberis à Dei oculis, erigeris & immensis fructibus cumulaberis. Respexit humilitatem & vilitatem Mariæ & quos fructus diuinus sol in illa non produxit? Quàm propriæ vilitatis stercus non placuit diuinis oculis? quàm non est reddita fructuosa? Fælix qui cum Iobo in sterquilinio sedet, id est, de se vilia & abiecta sentit, propriamque infirmitatem respicit, reddentur ei omnia duplicia.

AMBROS.

CHRYSOS.

BERNAR. Per stercora intelliguntur increpatoria verba.

17. Sextò, Diuus Bernardus per stercora intelligit increpatoria verba sic fatus sermone 2. in die SS. Petri & Pauli: *Necesse habeo, ait, dum hunc occupo locum & circumfodere nonnunquam, & apponere stercora. Molestum id quidem, sed dissimulare non audeo, sciens multò ampliùs securim nocituram quàm sarculum, ignem quàm fimum. Itaque & arguere, & increpare interdum necesse est, nec ignoro fimum esse verbum increpatorium, verbum improperÿ, & quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod hoc fimo & si aliquos impinguari, sed alios planè & lapidari & indurari videmus. Hinc namque scriptum est: De stercore boum lapidabitur piger. An non impinguatur qui increpatus benignè accipit, mansuetè respondet, libenter emendare conatur? Hæc planè salubris & fœcunda impinguatio est. Vt corripiat me iustus in misericordia & increpet: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ex ea siquidem pinguedine quam generat oleum peccatoris, abundantiùs pullulant spinæ & tribuli, & omnis radix amaritudinis germinat copiosiùs. Itaque qui iustorum increpationem, misericordiam nominat, satis indicat, quemadmodum suscipienda sit, quàm benigno animo, quàm deuota mente, quantaque ei gratia sit habenda. Sic enim accipientibus nobis erit impinguatio salubris, non fertilis vitiorum, quemadmodum oleum peccatoris: sed fructus illius quem secundum Apostolum habemus in sanctificationem. Quid autem faciemus tibi, ô piger, qui ad hanc misericordiam irritaris magis, & exasperaris? Nónne bonum fimum sparsi in agro tuo? Vnde ergo lapides habet? Sed tu inimice homo, quoniam qui diligit iniquitatem odit animam suam, tu, inquam, inimice homo hoc fecisti, qui desidiam tuam non excutere, sed excusare pergens, fimum tibi peruertis in lapides, & vnde impinguari debueras, lapidaris. Hæc idcirco dicta sunt, fratres, vt noueritis quàm benignè audiendum sit, quàm deuotè suscipiendum, quàm sollicitè conseruandum quidquid ad animarum salutem pertinet, & non sicut verbum hominum, sed sicut quod verè est, verbum Dei, siue illud consolatorium, siue commonitorium, siue etiam increpatorium audiatur.* Hactenus D. Bernardus.

Eccli. 22.

Per stercora intelligitur frequens piorum librorum lectio.

PLINIVS.

18. Septimò, per stercora etiam intelligere possumus frequentem piorum librorum lectionem. *Ager*, inquit Plinius, *nimiùm stercoratus aduritur, non stercoratus alget: ita moderata lectione vegetandum erit ingenium, nam lectione saginatur animus, non aliter quàm ager stercore,* &c. O vtinam, Christiane, dares te sacrorum librorum lectioni, quàm haberes animum non algentem, sed saginatum: nimietas hæc in re omnis laudanda, hac quidem aduritur ager cordis, sed salutari adustione, quæ

fructum non impendit, sed solummodo spinas peccatorum consumit.

Stercora adumbrant eleemosynas pauperibus collatas.

19. Octauò, possumus etiam per stercora quæ animam impinguant ac fructiferum reddunt intelligere eleemosynas pauperibus è bonis nostris diuitiisque collatas, quæ miram vim habent ad agrum cordis, siue radicem mentis impinguandam. Elicio hanc conceptionem ex D. Bonauentura in diæta sal. tit. 1. de peccatis cap. 6. *Amicitia*, ait, *comparatur sterquilinio, quia sicut sterquilinium congregatum corrumpitur & fœtet, dispersum verò facit agros fructificare, sic diuitiæ auari quamdiu sunt congregatæ animam corrumpunt, sed dispersæ pauperibus ipsos nutriunt, & diuitum peccata redimunt. Iuxta illud facite vobis amicos de mammona iniquitatis. De hoc sterquilinio dicitur: Aurum eorum in sterquilinium erit.*

BONAV.

Stercora, Christi opprobria, ignominiæ, &c.

20. Nonò, inter stercora etiam quibus appositis fœcundatur sterilis ficulnea, censenda Christi opprobria, ignominiæ, persecutiones, quis hisce perpensis & ob hominum salutem à Christo perpessis, non frugifer & fœcundus efficeretur? O pinguia stercora, vnde Christus pauper planè & inops eleuatus ad gloriam! D. Augustinum libr. in Cant. cap. 4. loquentem accipe. *Iam verò*, ait, *quod adiungitur. Suscitat à terra inopem, de nullo meliùs quàm de illo intelligo, qui propter nos factus est pauper, cùm diues esset. Vt eius paupertate, sicut paulò antè dictum est, ditaremur. Ipsum enim de terra suscitauit tam citò, vt caro eius non videret corruptionem. Nec illud ab illo alienabo quod additum est, Et de stercore erigit inopem. Inops quippe idem est quod pauper. Stercus verò vnde erectus est rectissimè intelliguntur persecutores Iudæi, in quorum numero cùm se dixisset Apostolus Ecclesiam persecutum. Quæ mihi, inquit, fuerunt lucra hæc propter Christum damna esse duxi, nec solùm detrimenta, verùm etiam stercora existimaui esse vt Christum lucrifacerem. De terra ergo suscitatus est suprà omnes diuites ille pauper, & de illo stercore electus est suprà omnes opulentos ille inops, vt sedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis super duodecim sedes. Et, Sedem gloriæ hæreditatem dans eis.*

AVGVST.

Stercora, sunt paupertatis sordes, & religiosorũ pia & vilia exercitia.

21. Decimò, possumus etiam hisce stercoribus annumerare paupertatis sordes, aliaque religiosorum pia & vilia exercitia, quibus cordis agrum impinguari docet Diuus Bernardus sermon. 2. in die SS. Petri & Pauli hisce verbis: *Ea quæ in Euangelio sterilis ficulnea legitur si posteaquam foderit circa eam vineæ cultor atque miserit stercora, nihilominus sterilis inuenta fuerit, nonne iam securis ad radicem illius arboris erit ponenda? Et ego dico vobis: Si minus boni in sæcularibus inuenerit, maiorem in eis Dominus habiturus est patientiam quàm in nobis, quibus cælestem consolationum pluuiam voluntariam segregauit, quibus non sarculus disciplinæ, non paupertatis & vilitatis stercora defuerint. An non stercora sunt abominationes Ægyptiorum quas immolamus Deo nostro? Stercora planè vilia ad aspectum, sed ad fructum vtilia. Non fugiat hanc fœditatem qui fœcunditatē desiderat. Siquidem ex deformi stercorum aceruo qui portatur in agrum formosus surget aceruus manipulorum, qui reportabitur ex agro. Propterea non vilescat vobis vilitas pretiosa, sed pretiosius cunctis thesauris Ægypti improperium æstimate. Verumtamen terrenum habentibus sterquilinium, ipsa quoque cælestis non deest pluuia, quæ est orationum deuotio, iucunda ruminatio psalmodiæ: dulcis meditatio, consolatio scripturarum.*

BERNAR.

Stercora designant paupertatē ad quam rediguntur diuites mũdani, vt sic reuertantur ad suum principium.

Per stercora insuper quibus fœcundatur ficulnea infructuosa, id est, malus Christianus, possumus etiam intelligere paupertatem, ad quam à Deo rediguntur diuites mundani, & planè infructuosi, vt sic ad saniorem redeant mentem & meliorem vitæ frugem. Dicebat Dominus videns ficulneam, ne quidem tertio anno fructum proferre, sed infructuosam permanere; *vt quid terram occupat?* id est, vt exponit D. Bernardinus, Cur temporali copia vtitur? Quid tum hortulanus, Christum Dominum, animarum nostrarum Saluatorem adumbrans? *Dimitte illam & hoc anno, vt dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Quæ hæc stercora quibus tantam vim tribuit hortulanus, vt putet ijs mediantibus sterilem ficulneam posse reddi fructuosam? Stercora hæc, sunt paupertas, rerum mundanarum penuria, rei familiaris angustia, amissæ opes, amissæ dignitates, amissæ vitæ voluptates. Per stercora paupertatem intelligens Diuus Ambrosius in cap. Lucæ 15. sic eleganter scribit: *Cophinum quoque stercoris dixit esse mittendum. Magna vis stercoris quæ tanta est, vt de infœcundis fœcunda, de vrentibus virentia, de sterilibus faciat fructuosa in quo sedet Iob.* Sic Ambrosius. Itaque Christus vt diuitem sterilem, fœcundum reddat, prætendit id se assecuturum immissa illi paupertate, nimirum, si temporalium copiam tollat, si auferat illi epulas, byssum, & purpuram, rhedas, equos, canes, famulos, amicos, denarios, &c. atque instar alterius Iobi, ad sterquilinium eum redigat. Quâ sanè ratione & viâ, tamquam cæteris longè efficaciori, ex sterili, redditur malus diues in bonis operibus fœcundus, & saniori donatur mente.

BERNAR.

AMBROS.

Immundissima stercoratio sed vtilissima, ita & paupertas.

Res sanè immundissima est stercoratio, sed vtilissima agriculturæ. Olim regias manus illustrauit. Macrobius Saturnum Sterçutiũ Romanos appellasse memorat, quòd rationem fœcundandi, ab stercore, primus inuenerit. Sanctus Augustinus in libro de ciuitate Dei: *Stercen*, ait, *& Sterculium vocarunt Deum agriculturæ.* Hippocrates: *Terra*, inquit, *stercore satiata calorem satis subministrat, & frigus geluque propellit. Bonam terram*, ait Quintill. *stercus meliorem facit, vitiosam emendat.* Quàm bellè hæc omnia conueniunt paupertati, immundissima videtur,

AVGVST.

detur, sed quàm est vtilissima culturæ, & agriculturæ spirituali. Hanc rationem fœcundandi animam præ cæteris omnibus solet eligere summus Deus; hoc paupertatis stercore frigus, geluque peccati ex animo pellitur, & diuinis inspirationibus & motionibus, quas cælestis agricola, tamquam sata, immittit cordis agro, calorem, vim, & energiam impartitur, vt crescere, & in opera, affectumque transire valeant. Quod amplius, paupertas iustos iustiores reddit, vitiosos homines, pristinæ restituit sanitati & menti, atque ex bestijs irrationabilibus, in homines transfert rationales.

Mystica rotæ fortunæ significatio. BERNAR.

Diuus Bernardinus tomo 4. sermon. 48. scribit sic depingi solitam fortunæ rotam mysticam, eius simul significationem attexens: *Qui est in summitate pingitur asinus, quia mundus iste facit homines sensuales, quia sequuntur tantùm quæ mundi sunt, & non cognoscunt Deum. Ille verò qui est collapsus ad ima, est qui perdidit statum, diuitias, & bona temporalia. Tunc vbi prius erant asini in prosperis, efficiuntur retro homines rationales, & incipiunt intelligere istum mundum fore volubilem, caducum, & nihil prosperitatis, & stabilitatis manentis in eo: & ideo non pinguntur asini, & bestiæ, sed homines rationales.*

Sæpè agris periculosa stercoratio, at paupertas impericulosum stercus. SOPHRO.

Sæpè in agricultura terrarum periculosa stercoratio, nam segetes fimo affatim saturatæ pereunt: læduntur vites, si frequentiùs, quàm semel in quadriennio stercorentur. At paupertatem vocat Sophronius in 6. Synodo act. 11. *impericulosum stercus*, sic enim ait: *Terrestri fruebar pauperie, sulcos impericulosi stercoris expiabam, infructuosæ paupertatis mare transmeabā*. &c. Expende illa verba: *Impericulosi stercoris*. Expende etiam ista, *Infructuosæ paupertatis mare*: mare nominat paupertatem, vt celeriorem, & continuum magis cursum ad beatitudinem per paupertatis compendia declaret. Infructuosam nominat, quia caret fluctibus & ventis, ita vt nulla sint timenda naufragia.

Stercora sunt iusti abiecti, &c.

22. Vndecimò, stercora quibus tam vniuersalis Ecclesia quàm particularis quæque potest impinguari anima sunt iusti, præsertim in hoc mundo abiecti & contēptibiles habiti. Et quid ex hisce stercoribus non vtilitatis? Doceat id Diuus Augustinus, qui expendens verba illa Psalm. 140. *Sicut crassitudo terræ erupta est super terram* sic scribit: *Quid est, crassitudo terræ disrupta est super terram? Nouimus crassitudinem terræ contemptibilia quæque esse. Quæ sunt quasi contemptibilia hominibus fœcundant terram. Nam dictum est in quodam Psalmo: Iacuisse mortes sanctorum & non fuit qui sepeliret. Sed omnes illæ mortes factæ sunt crassitudo terræ. Quomodo accipit terra quandam pinguedinem de rebus contemptibilibus & abiectis, sic ex eo quòd contempsit hic mundus accepit crassitudinem terra, vt inde seges Ecclesiæ feraciùs pullularet. Iam nostis fratres, quia contemptibilia terræ huius, de quibus pinguescit terra, nec appellare volo, nec dicere decet. Talis est quædam sagina terræ & quædam pinguedo & contemptibile est hominibus & quasi sordidum est, & abijcitur. Sed quid fecit hic, vt iam & ipsius verbis vtar? De terra erexit inopem & de stercore exaltauit pauperem, vt collocaret eum cum Principibus, cum Principibus populi sui.* Ps. 112. *Prostratus est enim in terra, tanquam pinguedo terræ diruptus est super terram, sicut iacuit ille Lazarus vlcerosus, sed tamen ab Angelis sublatus est in sinum Abrahæ. Preciosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius. Sicut contemptibilis est sæculo, ita preciosa est agricolæ. Nouit enim ibi vtilitatem & vberem succum, & nouit quid affectet, & quid eligat, vnde seges fertilis surgat: sed contemnit eam iste mundus. Nescitis quia contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, tamquam quæ sint, vt ea quæ sunt euacuentur? De stercore erectus Petrus & Paulus, & cùm occiderentur contemnebantur, modò iam saginata inde terra, exurgente segete Ecclesiæ,* &c. Mitte hæc stercora, ô Christiane, ad radicem mentis, considera Martyrum pœnas, & quid pro Christo regnoque eius sustinuerint, & frugifer fertilisque redderis.

Stercora piorū orationes. PAVLIN.

23. Duodecimò, per stercora etiam possunt accipi piorum & iustorum hominum orationes. Hoc eliceo ex verbis D. Paulini ad Delphinum epistola 1. vbi sic scribit alludens ad præcitatam fici parabolam. *Sponde Patrisfamilias diligentiam pro nobis sollicitudinis tuæ, & assiduas orationes tanquam illum apostolicum Euangelici stercoris cophinum pollicere, quo cordis nostri terra pinguescat, & sationis tuæ seges nutriatur, vel plantationis tuæ arbor succum tuæ fœcunditatis accipiat.* Hæc ille.

Stercora huius mūdi bona euanida. BERNAR.

24. Decimotertiò, per stercora etiam possunt designari huius mundi bona euanida, iuxta illud D. Pauli ad Philippenses 3. *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora.* Quæ verba componens D. Bernardus cum illis Eccli. 22. *De stercore boum lapidatus est piger*, sic scribit: *Væ misero qui dum stercoratur putat ornari. Bos erat Paulus, qui omnia mundana arbitrabatur vt stercora vt Christum lucrifaceret. His verò stercoribus lapidatur piger, qui ea amplexatur, & Christum lucrifacere negligens corde vacuo & deserto foras cogitur euagari*, &c. stercoratur verò & fertilis redditur hoc stercore homo, dum mundialium rerum, quas adamauit, considerat, vanitatem, inconstantiam, fallaciam.

Sicut

Sicut putatione ficus redditur fructuosa: Ita etiam peccator.

§. III.

1. FIcvs etiam vt fœcunda sit indiget putatione, nisi enim putetur tam erit luxurians, vt fatua efficiatur, sic planè peccator vt bonis operibus reddatur abundans, opus habet putatione.

Putatione redditur peccator fructuosus. Quæ amputanda: 1. Peccatorum rami. PAZIVS.

2. Imprimis amputandi omnes peccatorum rami falce diuini timoris & veræ contritionis. De quo vide Pazium tom. 1. lib. 1. part. 1. c. 5. & c. 6.

2. Vetus homo. PAZIVS.

3. Secundò, mortificationis falce præscindendus vetus homo, id est, non solùm carnalia omnia opera, verùm & immoderatæ affectiones, & reliquiæ ex peccato manantes: *Præscindendi sunt*, ait Pazius tom. 2. lib. 2. part. 1. cap. 2. *in hac mystica arbore, quæ sumus nos, rami steriles veteris Adæ, vt rami fructiferi cælestis Adæ progerminent. Quis enim vineā necdum putatā bene florere, & copiosos fructus facere dicet?* Nisi enim omnia quæ virtuti sunt contraria, mortificationis ense amputentur, non poterunt inseri virtutes. *Qui assiduè mortificationis obliuiscitur*, (ait Pazius to. 2. l. 2. p. 1. cap. 10. §. *Oportet ergo.*) *neque in infimo gradu virtutis acquirit. Certè sicut vitis naturaliter palmitibus huc illucq; distenditur, & pampinis se diffundit, vt necesse sit eos amputare, si agricola ex vite fructum expectet: Ita natura nostra post Adæ peccatum in id præcipuè incumbit vt cogitationibus ac desiderijs, velut sarmentis, se in res visibiles & terrenas diffundat, quæ falce mortificationis resecanda sunt, si homo cupiat suaues botros id est, dulcissimos virtutum actus producere & emittere. Nam in vite paupertas palmitum, est abundantia fructuum, quia à palmitibus ferendis prohibita, non iam per inutiles pāpinos, sed per vtiles fructus, suauesq; prorumpit, ita & in anima paupertas affectionū, quam mortificatio efficit, est abundantia virtutum, quia conatus qui operibus carnis denegatur, actionibus Iustitiæ conceditur.* Hæc ille de vinea, quæ similiter & locum habere in ficulnea docet experientia.

3. Voluptates.

4. Tertiò, falce mortificationis exscindendæ voluptates quæ mentem fascinant, abscindendæ occasiones peccatorum, oportet vt nobiles, immodicas expensas moderentur, mulieres ornamenta, potentes fastum, Ecclesiasticus vagationes, mercator lucra illicita, &c.

4. Amici, cognati.

5. Quartò amici, cognati, & quicumque ad peccatum nos pelliciunt, putationis cultro abscindendi.

6. Quintò, putari debet anima, ab omnibus imperfectionibus. *Tolle superflua*, ait D. Bernar. serm. 58. in Cant. *& salubria surgunt. Demus operam putationi, putetur cupiditas, vt virtus roboretur.* Memento illius legis Pythagoræ. *Dijs libandum non esse ex vitibus non putatis.* Vt animarum nostrarum sacrificia sint Deo grata, vt cogitationes, desideria, verba & opera, illa sint accepta necesse est animam putari ab omnibus superfluis imperfectionibus.

5. Omnes imperfectiones. BERNAR.

7. Et quidem quamdiu vita durat, ab hac putatione nunquam cessandum vel supersedendum. Nam, vt adducta vineæ similitudine, docet D. Bernardus serm. 58. in Cant. exponens illa verba cap. 2. *Tempus putationis aduenit, nobis putationis semper est tempus sicut semper est opus, &c. An fortassis est qui ita anima vineam* (vel ficulneam) *habet putatam, vt nihil amputandum restet?* Vinea & ficulnea materialis singulis annis semel putanda, verùm vinea & ficulnea animæ, vsque ad mortem semper sunt resecāda. Pulchrè D. Bonau. loco cit. *Quis ita ad vnguem omnia à se superflua resecauit vt nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi & putata repullulant & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta & sopita denuo excitantur. Parum est ergo putasse semel, sæpe putandum est, imò, si fieri possit, semper.*

Ab hac putatione nūquam cessandum. BERNAR.

BONAV.

8. Qualiter semper succrescant in homine, affectus quidam humani, licet etiam illi sit insitum verbum, sic pulchra similitudine ab arbore desumpta docet Osorius tomo 3. in Conc. S. Iacobi §. *Sed certè*, hisce vsus verbis: *Cùm in aliqua arbore vis inserere germen alienum alterius arboris, ramos huius præscindis, & in summitate trunci ponis alterius arboris germen, procedunt inde rami sursum, qui sunt de natura inserti germinis, & fructum illius reddunt. Sed quoniam truncus inferior relictus est, qui de natura est prioris arboris ramos aliquos in inferiori sui parte producit, qui ei natiui sunt, rami ergo arboris sursum ascendentes insiti sunt: qui verò deorsum sunt, naturales arboris rami sunt. Ita planè nobis accidit, homines sumus & natura filij iræ, filij primi Adæ, de terra terreni, inseritur in nobis diuinum verbum iuxta illud Iac. 1. Suscipite insitum verbum quod potest saluare animas vestras. Vbi S. Thomas: Omnia opera nostra quæ ab hoc verbo, & gratia, & virtutibus procedunt, cælestia sunt & diuina, quia tamen in nobis relictus est truncus prioris Adæ, quia homines sumus, aliquos producimus ramos nobis natiuos, qui affectus humani sunt, quibus nos homines esse declaramus & hoc in Apostolis etiam accidit, præcipuè ante aduentum Spiritus sancti.*

Semper succrescunt in homine affectus quidam humani, qui semper tollēdi. OSORIVS.

9. Sicut autem arboris ramos nemo præscindit, nisi adhibito labore & magno conatu, sic neque aliquis in seipso præscindit vitiorum & imperfectionum ramos, nisi vim sibi inferat & nulli labori parcat, vt docet Pazius tomo 2. libro 2. parte 1. cap. 10. §. *Nec satis.* Putemur

Vt quis præscindat suas imperfectiones vis atque conatus adhibenda. PAZIVS.

temur hic salutari pœnitentia & mortificatione, ne postea purgemur acerbissimo igne.

10. Vis omnem amaritudinem & laborem mortificationis superare? vis magnam experiri in præscindendis vitijs facilitatem, imò voluptatem? Ama studium orationis. Nam vir multæ orationis est etiam vir multæ mortificationis & oratione corroborati facilè propensiones malas superamus, & ramos superfluos variarum imperfectionum decutimus. Sed quid si Deus audiat quidem sed non exaudiat, vel differat exaudire orationes nostras, quid si pulsemus & non aperiat, quid si quæramus, & non inueniamus, quid si permittat nos multo tempore colluctari cum vitijs, ita vt perfectè præscindere illa non possimus, quid si sæpiùs relabamur in easdem imperfectiones, an cadendum animo, an à studio præscisionis & mortificationis cessandum? Nequaquam, sed sperandum in Domino, qui differt exaudire vt maiora concedat.

Vir multæ orationis est etiam vir multæ mortificationis.

11. Vis scire qua ratione id contingat? *Ab arbore fici discite parabolam*: *Qui seruat ficum*, ait Sapiens Prouerb. cap. 27. *comedet fructus eius, & qui custos est Domini sui glorificabitur.* Quorum verborum vt capias sensum rei, de qua agitur, conuenientem; scias pro illa voce, *Seruat*, à nonnullis poni, *expectat*, hoc modo: *Qui expectat ficum comedet fructus eius, & qui expectator est Domini sui glorificabitur.* Qui similem vim inesse dicunt illis verbis: *Seruat, & custos est*; ita vt seruare & custodem agere perinde sit ac expectare. Vt sensus sit: Sicut qui serit vel plantat ficum, quamuis multo tempore nullum ex illa capiat vsum vel fructum, nihilominùs non sine labore atque molestia illam colit, recolitque seruans eam, id est, expectans opportuno tempore ab ea fructum, tandem potitur votis suis, & ex ficu colligit duplices fructus, præcoces & temporaneos: Sic ille Christianus, qui custos est Domini sui: qui magna cum fiducia orationi incumbit, atque salutaria postulat. Et quamuis multo tempore non exauditur, custos est & expectator Domini atque Dei sui, tandem ab illo glorificabitur, tandem laboris sui fructum largioribus præmijs, & multiplicatis donis nanciscetur.

Vt fructus fici expectandus, sic exauditio precum nostrarum expectanda tempore opportuno à Christo.

12. Verùm cur vtitur ad huius rei declarationem Sapiens ficus similitudine? Cur non ait, qui seruat & expectat malum, pyrum &c. comedet fructus eius, & qui custos est, & expectator Domini sui glorificabitur? Inter fructiferas arbores nulla est, quæ minorem spem fructus ingerit, quæque maiorem copiam fructuum nihilominus largiatur quàm ficus: Spes enim fructuum cùm in floribus consistat, hæc numquam floret, & cùm reliquæ arbores semel in anno dent fructum, hæc bis eum administrat, præcocem vnum, alterum temporaneum. Pari ratione se Deus interdum gerit, cùm amicis suis cum rogantibus, & cælestia bona auxiliaque postulantibus, tam est ad exaudiendum tardus, vt videatur omnem spem exauditionis velle præscindere: sed si viriliter agamus, & cor nostrum confortetur, eumque sustineamus, custodiamus & expectemus, nihil illo fœcundius, nihil liberalius.

Quamuis Deus videatur spem exauditionis præscidisse, instanter tamen rogandus.

13. Consistit autem hæc fœcunditas in tribus, nimirum cum plus dare quàm tollat, rogitetur, polliceatur. Imprimis omnia reddit duplicia, vt accidit Iobo. Secundò, maiora & plura concedit quàm fuerat pollicitus, vt accidit Aaroni, cui promiserat quidem vt virga eius floreret, sed eodem momento voluit eandem amigdalorum fructu ornari. Tertiò, concedit postulata atque rogata, sed abundantiùs & perfectiùs, quàm ferebant, vel sibi persuadere poterant vota nostra. Rectè ergo Sapiens vt hanc orationis perseuerantiam nobis persuadeat ait: *Qui expectat ficum comedet fructus eius, & qui expectator est Domini sui glorificabitur.*

Si in precando perseueremus tandem in exauditione se fœcundū maximè exhibet Deus.

14. Vis scire quænam sint huius putationis vtilitates? *Ab arbore fici discite parabolam.* Ficus nisi putetur taliter in ramis luxuriat, vt ficus fatua efficiatur. Idem accidit homini, nisi mortificatione rescindat vitia, infatuatur.

Quæ bona nobis proueniant ex putatione vitiorum.

15. Considera, ait Barradius, agens de de circumcisione spiritali, quid vineæ contingat si non amputetur? quid febre ardentissima laboranti si vena non scindatur? quid capillos numquam tondenti, vngues numquam resecanti? Id spiritualiter homini illi, qui vitia cupiditatesque minimè rescindit reperies euenire. 1. Machab. cap. 4. *In atrijs templi virgulta nata*, viderunt prisci illi viri, *sicut in saltu, vel in montibus.* Eodem pacto in ipsis corporis nostri membris, animæque facultatibus, spinas, vepres, vitiorumque dumeta nata cernes, si mortificationis falce non rescindantur. Etenim in obscuras rediguntur sylvas & aspera nemora, in quibus leones, lupi, tigrides, id est, varia peccatorum monstra, odia, periuria, libido, ambitio, aliæque huiusmodi feræ pascuntur.

16. Si capillos Absolon circumcidisset, ex illis quasi ex fune suspensus non perijsset 2. Reg. 18. Capillorum circumcisio nobis perniciem parit.

17. Lapides nisi rescindantur ædificijs terrenis non sunt apti, homines verò nisi spiritualiter circumcidantur, ædificijs cælestibus non sunt accommodati, non rescissa nec dolata ligna, ignis sunt pabulum: circumcisione spirituali minimè

circumciſi homines, tartareæ flammæ ſunt eſca, quæ perpetuò editur numquam abſumitur.

Sicut ficus, radicum circumciſione, redditur fructuoſa: ita etiam peccator, in quo primò ſuperbiæ radix præſcindenda.

§. IV.

Ficus radicum circũciſione redditur fructuoſa.

1. DOcet etiam Plinius lib. 18. c. 17. prodeſſe ſi ficuum radices circumcidantur, & circumciſis addantur cineres: ſimiliter vt Deo fructuoſus reddatur malus Chriſtianus nihil tantoperè illi prodeſt, quàm malarum & noxiarum radicum circumciſio. Vis ſcire, quaſnam debeat radices circumſcindere, vel ſi mauis præſcindere?

Radix ſuperbiæ circumſcindenda. GREGOR.

2. Imprimis, radicem ſuperbiæ, hæc enim eſt reliquorum vitiorum omnium radix, iuxta illud D. Gregorij 31. Mor. 13. *Radix cuncti mali, & regina omnium vitiorum ſuperbia eſt, de qua ſcriptura atteſtante dicitur: Initium omnis peccati ſuperbia: Septem principalia vitia de ſuperbiæ virulenta radice, proferuntur: ſcilicet inanis gloria, inuidia, ira, triſtitia, auaritia, ventris ingluuies, & luxuria. Sed habent contra nos hæc ſingula exercitium ſuum, nam de inani gloria, inobedientia, iactantia, hypocriſis, contentiones, pertinaciæ, diſcordiæ, & nouitatum præſumptiones oriuntur.* Idem habet S. Proſper lib. 3. de vita cont. cap. 2. *Initium, inquit ſcriptura, non alicuius, ſed omnis peccati ſuperbia, vt euidenter oſtenderet, quòd ipſa ſit peccatorum omnium cauſa, quoniam non ſolùm peccatum eſt ipſa, ſed etiam nullum peccatum fieri potuit, poteſt, aut poterit ſine ipſa. Siquidem nihil aliud omne peccatum niſi Dei contemptus, quo eius præcepta calcantur. Quem contemptum Dei, nulla alia res perſuadet hominibus, niſi ſuperbia.* Sic ille. Et Fulgentius epiſt. 3. ad Probam. *Superbia ideò initium omnis peccati dicitur, vt omne peccatum de ipſa, tamquam de radice pullulare monſtretur, quæ multiplici modo miſeris inferens mortem, publico certamine carnales deijcit: ſpirituales verò ſi quos incautos inuenerit, occultiore conflictu proſternit.*

PROSPER.

Quanta vitiorũ congeries ex vna ſuperbia.

3. Quanta vitiorum congeries in vnâ ſuperbiâ, ſub ſimilitudine currus ſic congruenter inſinuat Hugo lib. de clauſtro animæ. *Quatuor ſunt quæ trahunt elationis currum, amor dominandi, amor propriæ laudis, contemptus & inobedientia; rotæ verò ſunt iactantia mentis, & arrogantia, verboſitas & leuitas: auriga in hoc curru eſt ſpiritus ſuperbiæ: amatores mundi ſunt qui feruntur in hoc curru: infrænes ſunt equi, volubiles rotæ, auriga peruerſus, & qui portatur infirmus,* &c. Quanta mala moliatur ſuperbia, ambitio & libido dominandi vide apud Dauidem à Mauden in Tobiæ cap. 1. ſectio. 10. ad verſ. 5.

HVGO VICTOR.

DAVID A MAVDEN.

Præcipuum huius radicis virgultũ eſt inuidia. AMBROS.

4. Præcipuum verò huius prauæ radicis virgultum eſt inuidia, iuxta illud D. Ambroſij precatione ad Miſſam, prec. 2. *Qui inuidet vel odit non alium priùs quàm ſeipſum occidit. Qui exultat in aduerſis proximi, & affligitur in proſperis eius, alieno proximum ſe petit gladio. Hoc ſecundum ſuperbiæ virgultum, tunc primò fuit exortum, cùm ille de quo ſcriptum eſt, inuidiâ diaboli mors intrauit in orbem terrarum, Cain perſuaſit vt liuoris odio fraternum funderet ſanguinem.* Eandem rem ſic firmat D. Chryſoſtomus homil. 8. in cap. 1. Ioan. poſtquam enim dixiſſet: *Maximæ prauitatis eſt vt aliorum commoda iniquo animo quis ferat, præcipuè ſi nullo ſuo detrimento id fiat. Nam ſi aliorum ſalus tuis commodis officeret, eſſet fortaſsis dolori tuo indulgendum, quamquam neque hoc ſapientem deceat. Quod ſi neque proximi damno, aliquid tibi lucri, neque fœlicitate detrimenti prouenit, quamobrem torqueris ſi quis gratis ſalutem aſſequitur:* Peſſimi huius virgulti aſſignans radicem ſubiungit: *Superbiam namque malorum omnium in te plantaſti radicem. Idcircò Sapiens, Principium eam peccati, hoc eſt, radicem fontemq́; & matrem appellauit.*

CHRYSOS.

Eccli. 10.

Superbia radix omnium malorum duplici de cauſa.

4. *Superbia*, ait Hugo Cardinalis ſcribens in Pſal. 7. *dicitur radix omnium malorum Eccli. 10. initium omnis peccati ſuperbia, duabus de cauſis. Vna, quia angelus cecidit per illud. Alia, quia ſicut radix difficillimè euellitur, ita hoc vitium.* Sic ille. *Pecunias contemnere volenti*, ait Chryſoſtomus homil. 43. ad popul. *ſatis eſt facile, honorem autem à multis collatum deſpicere, multi laboris indiget, magnæ ſapientiæ, angelicæ cuiuſdam animæ, ipſum cæleſtis teſtudinis verticem tangentis. Non eſt enim, non eſt, inquam, vitium ita tyrannicum & vbique dominans ex maiori quidem, vel ex minori parte, attamen vbique.* Sic Chryſoſtomus. *Sicut peſtilentia* (ait D. Auguſtinus ad illud Pſal. 1. *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit*) *morbus eſt latè peruagatus, & qui omnes, aut penè omnes inuoluit: ita ferè nemo eſt, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Hoc ipſo*, inquit D. Ambroſius lib. 4. in Luc. *perniciosior ambitio, quòd blanda mater quædam eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos.*

HVGO CARD. CHRYSOS.

AVGVST.

Qualiter

BERNAR. Qualiter clerum hæc radix penetret & inficiat sic firmat D. Bernardus in epist. 42. ad Archiepiscopum Henricum. *Curritur in clero passim, ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas curas, tamquam sine curis iam quisque victurus sit cùm ad curas peruenerit*, & cætera quæ ille prosequitur. Penetrat radix facillimè mollem terram, ita & superbia terrenas mentes. *Leuiter penetrat superbia*, ait D. Bernardus ser. 6. sup. Psal. 90. *sed dico tibi non leue infligit vulnus.* Quibus autem indicijs agnosci possit quod hæc radix in animo delitescat, docet PROSPER. D. Prosper lib. 3. de vita contemp. c. 8.

Radix in imo iacet & immunda est, sic superbia.

5. Sicut autem radix in imo iacet & planè immunda est, ita & superbia & ambitio. *Ambitio*, inquit D. Bernardus in epist. 126. ad Episcopos Aquitaniæ, *mater hypocrisis, latebras amat, & tenebras, lucis impatiens est. Ambitio spurcum vitium in imo latet, videt tamen omne sublime, sed videri ipsa refugit. Quid tam inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi.*

Radix superbiæ germinat pœnas & plagas.

6. Quis referat, quantas hæc radix superbiæ germinet pœnas & plagas? *Radices gentium superbarum*, ait Eccli. cap. 10. *arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Superbia*, ait Innocentius de vilitate INNOCENTIVS. condit. hum. *turrim euertit, linguam confundit, prostrauit Goliath, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, & Sennacherib interemit, sedes ducum superborum destruxit Deus, radices gentium superbarum arefecit.*

Superbus sine vlla curatione deficit.

7. *Synagogæ superborum*, ait Eccli. cap. 3. *non erit sanitas* (id est, eas pœnas dabit, vt sine vllo remedio puniatur, sine vlla curatione deficiat. *Frutex enim peccati radicabitur in illis.* Superbia enim est, veluti radix, ex qua malorum multorum seges pullulat. *Et non intelligetur*, id est omnis eius memoria peribit. Hac enim phrasi frequentiùs in scriptura significatur rem aliquam omninò deletam esse & perijsse iuxta illud Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Quidam ita interpretantur: *Et non intelligetur.* Superbo ex elationis radice multa peccatorum seges pullulabit, idque continget sensim, & absque vllo sensu superborum, vel aliorum, qui eos intuentur, vt enim plantæ insensibiliter crescunt, sic & repetitis peccatis & peccandi consuetudo, & tandem pœna oboritur.

Superbus adimpletur maledictis.

8. *Qui tenuerit illam* (superbiam) *adimplebitur maledictis*, ait Sapiens Eccli. cap. 10. *& subuertet eum in finem.* Tribus modis adimpletur maledictis superbus. Primò, dum ille facilè in alios maledicta, opprobria & scommata iacit. Secundò, dum omnium inuidiam sibi conflat, & diris imprecationibus ab omnibus excipitur. Tertiò, dum in die iudicij à Christo auditurus est dira illa verba: *Ite maledicti, &c.* Neque enim iustus Dominus impunitum abire sinit huiusmodi vitium, nec supplicium aufert, dum differt. Ideò Liuius lib. 1. Decad. li. 3. ait: *Superbiæ ac crudelitati si seræ, non tamen leues veniunt pœnæ.*

9. Vis hanc peccatorum & pœnarum radicem in te arefacere & extinguere? In primis esto pauper spiritu & humilis corde. *Quoniam*, ait D. Chrysostomus homil. 6. ex varijs in Matth. locis, *superbia malorum arx erat, & radix, omnisque fons nequitiæ, remedium ægritudini præparans congruum, quasi validum quoddam, tutumq́; fundamentum hanc legem* (beati pauperes spiritu) *iecit, & hinc orditur, ex auditorum cordibus superbiam vellens radicitus.*

Paupertate spiritus & humilitate hæc radix extinguitur. CHRYSOSTOMVS.

10. Secundò, expende agricolam illum cælestem, eam præsertim ob causam in huius mundi agrum venisse, vt hanc superbiæ tolleret & euelleret radicem. Quocirca appositè S. Augustinus in Psal. 18. circa finem. *Quæritis quàm magnum sit hoc delictum quod deiecit angelum, quod ex angelo fecit diabolum, eiq́; in æternum interclusit regnum cælorum? Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum. Scriptum est enim: Initium peccati omnis superbia, & ne quasi leue aliquid contemnas sedulò tibi considerandum est, quòd propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem medicum de cælo deduxit, vsque ad formam serui humiliauit, contumelijs egit, ligno suspendit: vt per salutem tantæ medicinæ, curetur hic tumor, & iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. Superbia*, inquit idē D. Aug. de pecc. merit. & remiss. contra Pelag. li. 2. c. 17. *vitiorum omnium humanorum causa est, ad hanc conuincendam atque auferendam talis medicina cælitus venit, ad elatum hominem per superbiam, Deus humilis descendit per misericordiam*, & tract. 25. in cap. 6. Ioan. *Cura superbiam & nulla erit iniquitas. Vt ergo causa omnium morborum curaretur, id est superbia, descendit & humilis factus est filius Dei. Quid superbis homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Pudet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit filius Dei in homine, & humilis factus est. Præcipitur tibi vt sis humilis, non tibi præcipitur vt ex homine fias pecus*, &c.

Si consideres Deum præcipuè ideò in mūdum venisse vt hanc radicem euelleret. AVGVST.

AVGVST.

11. De alijs aduersus superbiam remedijs vide Chrysost. homil. 43. ad pop. Pazium tom. 2. lib. 1. part. 2. c. 18. fol. 200. Vide Busæum in arca medica v. *Superbia*, finem facio cum pulcherrimo monito D. Gregorij 24. Moral. 28. *Vitium superbiæ ab ipsa mox radice secandum est, vt cùm latenter oritur, tunc vigilanter abscondatur, ne prouectu vigeat, ne vsu roboretur. Difficilè enim in se quisque inueteratam superbiam deprehendit: quia nimirum hoc vitium, quantò magis patimur, tantò minùs videmus. Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur. Quo se* hac

CHRYSOST. PAZIVS. BVSÆVS.

Mox secanda hæc radix.

hac latiùs dilatat, eò vehementiùs lumen angustat. Paulisper ergo elatio in præcordijs crescit, & cum se vastiùs extenderit oppressæ mentis oculum funditus claudit, vt captiuus animus typhum elationis & pati possit, & tamen id quod patitur, videre non possit. Sic ille.

In peccatore etiam vt fœcundus reddatur præscindenda radix auaritiæ.

§. V.

Præscindenda radix auaritiæ. Ex ea pullulant omnia vitia.

ASTERIVS.

1. SEcvndò præscindenda est radix auaritiæ, idque varias ob causas.

Prima, quoniam ab illa tamquam à virulenta quadam radice pullulant omnia vitia, nullumque fit vitium quod cum illa consistere non possit. Vnde S. Asterius homil. aduersus auaritiam. *Auaritia, fratres, sicut dicit Apostolus, radix est omnium malorum, innumera ex sese vitia progignens, sicut enim ij qui aurum in sinu visceribusque terræ scrutantur, auream glebam circa principem, & proprium generationis locum cumulatim repositam inueniri narrant, & aliquas inde velut venis in longum hinc inde produci sicut arborum à stipite latè sese explicant, ac diffundunt radices: ad eundem modum imagine non minùs impropria auri, & auaritiæ multa video germina, multosque surculos vna eademq; stirpe auaritia coniunctos.* Sic ille. Adstipulatur D. Petrus Damiani opusc. 12. cap. 29. *Auaritia*, inquit, *malorum omnium radix vberiùs pullulat, & tamquam virosæ propaginis ramos per totum orbem feralium vitiorum portenta dilatat.* Hæc ille.

NILVS.

Huc etiam eunt quæ scribit S. Nilus orat. 3. aduersus vitia. *Auaritia, ait, malorum, est omnium radix & reliqua vitia tamquam ramos improbos nutrit, nec quæ ex se pullulant, ea finit arescere. Qui vitia cupit exscindere, radicem euellat. Licet enim reliquos amputes ramos, manente auaritia, nihil proficies, nam iterum renascentur.*

Quales fructus ex hac radice nascantur.

LEO.

2. Quales fructus ex hac infausta radice nascantur sic explicat D. Leo serm. 9. de passione, dum ait: *Videte, dilectissimi, & prudenter inspicite quæ germina & quales fructus de auaritiæ stirpe nascantur, quàm meritò Apostolus radicem omnium malorum esse definiuit: quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis appetitus illicitus istius auiditatis est morbus. Amore pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumq; est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.*

LAVR. NOVARINVS.

3. Luculentiùs rem hanc sic versat Laurentius Nouarinus homil. 1. de pœnitentia. *Auaritia infandum est vitium in hominibus, radix est vna in præcordijs fixa, ex quâ pullulant omnia mala, quid est auaritia? cupiditas omnium malorum radix. De ista radice exurgunt mendacia, oriuntur periuria: quis enim est aut distractor aut emptor qui lucri gratiâ habet de cupiditate tractatus, nónne plerumque peierat? sæpè mentitur? sine hoc vitio negotiator aut rarus aut nullus, & quid dico negotiatorem, impostorem vsum commercij? Videamus quæ res facit prædones: aut vnde erumpunt proditores. Nónne de auaritia? Præda fuit Achab, quando per factionem dolosæ mulieris falsa sub proditione iustum iugulauit; vt vineam eius violentus inuaderet: auarus & Iudas fuit cùm proderet Christum Iudæis, cùm acciperet ab eis triginta argenteos: tolle auaritiam & non est discordia, aufer auaritiam & solus amor regnat: desinat auaritia & cessat ambitio: tolle cupiditatem, & nemo dicit hoc meum, hoc tuum, fraus inde germinat, dolus inde consurgit, factio inde concinnatur, iræ quoque insidiæq; & homicidia, bella ipsa, siue publica, siue intestina, cupiditatis & auaritiæ fructus sunt, vt si quando vel armis, vel argumentis alter alterum vel superauerit, vel truncauerit, res eius velut victor diripiat, suamque auaritiam suppleat, & hoc est quod in scriptura testatur Apostolus 1. ad Timoth. 6. Radix est omnium malorum cupiditas.* Sic ille.

Hæc radix necat omnium virtutum germina.

CHRYSOL.

4. Secunda, quia non solùm ex hac radice pullulant multa vitia, verùm etiam impedit ipsa, inficitque & necat omnia virtutum germina, bonorumque operum fructus. Hinc Chrysologus serm. 162. *Auaritia fratres sicut dicit Apostolus radix est omnium malorum, quæ cùm radicari cœperit in corde, sic morum dissipat ornamenta, sicut arbor noxia feralibus radicibus nexa soluit & dissipat monumenta maiorum.* Et S. Leo serm. 4. de Collectis, *sciens diabolus Deum, non solùm verbis sed etiam factis negari, multis quibus auferre non potuit fidem, sustulit charitatem, & agro cordis ipsorum, auaritiæ radicibus occupato, spoliauit fructu operum, quos non priuauit confessione labiorum.* Qualiter auaritia & lucri amor consistere non possint cum iustitia vel Christo, pulchrè docet Baeza tom. 2. comment. moral. in Euang. histor. lib. 11. cap. 5. §. 14.

LEO.

BAEZA.

Radix degit in tenebris, ita & mens auari.

AMBROS.

5. Tertia, quia sicut radix in tenebris degit: ita & mens auari. Lucæ cap. 12. dicitur. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te.* Cur dicit nocte, & non die, repetendam animam auari? Audi D. Ambrosium lib. de Naboth cap. 4. *Nocte anima auari reposcitur, quæ à tenebris incipit, & in tenebris perseuerat, auaro semper nox est.* Sic ille. In quàm caliginosa nocte non versabatur Iudas, dum, vt legimus Matth. 27. retulit triginta argenteos & proiecit in templo, & abiens laqueo se suspendit. Sese arbori suspendendo dabat, & argenteos non nisi templo reddit, cur miser non magis

magis tibi consulis, quàm argenteis? Cur potiùs in argenteos non irasceris, illósque in mare proiectis, te in templum recipis impetraturus veniam? Cur mauis te perditioni, & nummos templo reddere? Pulchrè Drogo Hostiensis lib. de Sacramento passionis: *Ecce infœlix, qualiter excæcatus est, maluit seipsum perdere quàm denarios perire. Denarios templo, seipsum laqueo addixit.* Sicut inuestigatores auri versantur in tenebris, iuxta illud Cassiodor. lib. 9. var. 3. *Intrant homines caligines profundas, viuunt sine superis, exulant à Sole:* Ita & illius amatores.

DROGO.

CASSIOD.

Radix difformis, ita & mens auari.

6. Quarta, quia sicut radix difformis, sordida, & immunda, ita & mens auari; iuxta illud imperfecti homil. 15. in Matth. *Qui diuitias congregat cum peccato spem suam ponit in terrâ, qui autem spem habet in terrâ, illius mens carnalis est & immunda.*

Radix facillimè gignitur: sic etiam auaritia facilè occupat corda.

7. Quinta, quoniam sicut radix facillimè in terrà gignitur & serpit nullaque terra est quæ non radices progerminet: ita & auaritia facilè omnium hominum occupat corda, & in omnium proserpit animos: iuxta illud Ierem. cap. 6. *A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student. Adeò magnum malũ auaritia est*, inquit Ambrosius lib. 2. offic. cap. 26. *vt Iesus Naue, qui potuit solem statuere, ne procederet, auaritiam hominum non potuerit sistere, ne serperet: ad vocem eius sol stetit, auaritia non stetit* (alludit ad furtum de anathemate Iericho factum ab Achan de quo Iosue 7.) *Sole itaque stante confecit Iesus triumphum, auaritia autem procedente, penè omnem amisit victoriam.*

AMBROS.

Radix hæret terræ nec facilè euellitur, ita & auaritia.

8. Sexta, quoniam sicut radix tenaciùs hæret terræ nec facilè euellitur, ita & auaritia. Falsâ enim dulcedine animo diuitis illabitur, & vbi mentem corripuerit & infecerit, ægrè eijci vel expelli potest. Iuxta illud S. Zenonis Episcopi serm. 2. de Auaritia. *Auaritia quàm facilè arguitur ab omnibus, vtinam possit tam facilè non amari. Est enim artifex ac dulce malum, & hominibus vniuersis semper infestum. Reginam illam*, ait Cassiodor. lib. 12. var. 1. *procacium vitiorum auaritiam fuge, cui cuncta crimina detestabili deuotione famulantur, quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gregatim quoque maleficas cohortes admittit, ferri non potest recepta, quia nescit esse solitaria. Agmen habet blandissimum, arma suscipit ex talentis*, &c. *Si sensim*, ait D. Chrysostomus homil. 12. in epist. ad Roman. *in huius insaniæ pelagus illapsus fueris, semel ingressus, difficilè regredi poteris.* Reuera, inquit Petrus Damiani epist. 119. auaritia in manu suscipientis viscus est, quæ quidquid apponitur, excuti non permittit, sed more picis hærere compellit. Quò respiciens S. Asterius homil. 3. aduersus auaritiam, eam comparat hæderæ, quæ quàm arctè radicibus arborem stringat, nemo non nouit. *Auaritiæ morbus, ait, eiusmodi malum est, vt vix vnquam eo liberari possis & quemadmodum hæc semper virens; atque frondens hædera, adsitas irrepens arbores validè circumuoluitur, & adhæret; ac ne ramis quidem fatiscentibus, aut arefactis recedit, nisi quis flexus istos, & anguineos quasi gyros ferro secet: ita nec auari mentem, siue iuuenis sis, siue senex in libertatem facilè vindicaris, nisi sobrio prudentiæ consilio velut machæra morbum disciderìs.*

ZENO.

CASSIOD.

CHRYSOS.

ASTERIUS.

Amor pecuniæ præualet cupidini siue corporum amori.

ISIDOR. PELVS.

9. S. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 233. conferens inter se Cupidinem siue corporum amorem, & amorem pecuniæ, siue auaritiam, & insinuare volens quàm hic præ illo firmiùs & tenaciùs cordi inhæreret, quamque difficulter ab illo migret quem semel corripuerit, sic scribit. *Corporum amorem, vt qui acris quidem sit, verum celeriter extinguatur, ob eam causam pictores cum facibus & pennis depingunt: quoniam nunc libidinem inflammat, nunc rursum ob saturitatem auolat. At pecuniarum amorem nemo vnquam, aut fingere, aut scribere ausus est, cuius rei hæc fortasse causa est, quia ne amor quidem est, sed insanabilis furor. Aut hæc fortasse, quia nec fingi, nec describi potest.* Addit statim. *Quin nec pennas quidem habet, satiari enim atque expleri nescit.* Et paucis interiectis. *Porrò*, inquit, *aures vsque adeò septas & obturatas habet, vt nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus; nec vituperationes habeat. Tantum verò ab eo abest, vt pennas habeat (quæ saturitatem designant) vt ne pedem ipsi vir vllus cordatus tribuere queat. Neque enim ingredi, neque ab eo, qui captus est, secedere potest.*

Ne in morte quidem hæc radix hominem dimittit.

NILVS.

10. Ne in morte quidem nouit radix auaritiæ hominem dimittere. Vnde sic pulchrè S. Nilus Abbas orat. 3. contr. vitia. *Diues ærumnis & molestijs impeditus, & canis instar catenis deuinctus: quòd si migrare compellatur, diuitiarum memoriam & dolorem inutilem, tamquam grauem sarcinam circumfert, mœrore stimulatur, & animo angitur vehementer, diuitias relinquit & molestia torquetur. Si mors instat à præsentibus discedit iniquo animo. Animam agit, nec oculos ab opibus auertit. Inuitus trahitur velut seruus fugitiuus. A corpore non autem à diuitijs separatur, imò verò ab illis rapitur & detinetur.*

Auaritia plagæ immissione delenda.

11. Hinc accidit quòd auaritia non tam admonitione corrigenda quàm plagæ immissione delenda videatur. Actorum 5. legimus: *Dixit autem Petrus, Anania cur tentauit Satanas cor tuum*, &c. *Audiens autem Ananias verba hæc cecidit, & expirauit.* Quod idem factum subdit statim Lucas eodem capite num. 10. de vxore eiusdem Ananiæ. Quis non miretur, Petrum ob tam leue peccatum, tantam immisisse plagam nulla præuia commonitione & argutione delicti? Cùm Petrus mitiùs cum reliquis peccatoribus ageret eos blandè consolatus & sanctis admonitionibus ad saniorem mentem traducere conatus sit, quid est quod hos clade repentina deleat? huius rei causam reddit D. Ambrosius serm. 57. de Ma-

AMBROS.

 ria

ria Magdalena hisce vsus verbis: *Tantâ enim erat infectus auaritiæ pestilentiâ, vt sanctus eum Petrus non tam emendare voluerit, quàm damnare. Dixerat enim: Eijce de concilio pestilentem, & exibit cum eo omnis contentio. Ab Apostolis igitur Ananias inuentus est: iam nostra excusetur humilitas, minùs enim mirandum est abundare sub nobis hoc vitium, cùm sub Apostolis cœperit pullulare. Etsi eorum authoritas hæc in Anania emendare non potuit, quid imputabitur si eadem in plerisque fratribus corrigere non valemus. In Anania enim si auaritiam Petrus potuisset corrigere, non punisset, sed dum illum punit, alios corrigit.*

Tria expendenda in præfatis Ambrosij verbis.

12. Tria expende in citatis D. Ambrosij verbis. Primum. Si quem auaritia subiecerit, eum tam firmiter tenere, vt nulla spes correctionis affulgeat & proinde non tam curandum de emendatione, quàm cogitandum de punitione & damnatione, non quòd impossibilitatem inducant verba D. Ambrosij, sed difficultatem innuunt. Secundum. Quod contra auaros exponat illa verba Prouerb. cap. 22. quæ paulò aliter habentur apud nostrum vulgatum, nempe: *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ contumeliæ.* Ambrosius legit: *Eijce de concilio pestilentem*: Cùm grassante peste optimè auaritiam componens. Pestis enim & sæua lues ita grassatur, vt hanc nulla medicorum cura, aut ars curare possit, & contra auaritiam vix vlla remedia valent. Tertium, etiam nascentis Ecclesiæ primordia, infecisse auaritiam. Et hoc primum in sancta illa congregatione pullulasse peccatum. Tanta enim est vis auaritiæ.

Radix auaritiæ progerminat multas pœnas.

13. Septima. Quia hæc radix, non solùm progerminat multa culpæ, sed & pœnæ mala. Verba enim illa 1. ad Timoth. 6. *Radix omnium malorũ est cupiditas*, non solùm de malis culpæ, sed & pœnæ intelligi possunt, prout colligi non incongruè posse videtur ex ijs quæ mox ibidem subijciuntur. *Quam* (scilicet cupiditatem) *quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Vbi nota duplex indicatum pœnarum peccati genus, quibus propter istud in primis auaritiæ, & cupiditatis scelus impij castigari plerumque solent in hac vitâ. Alterum pœnarum spiritualium, quarum præcipua est, vt in fide errare, eiusque fidei sinceritatem finantur amittere. *Qui pecuniam appetit*, ait D. Ambrosius serm. 50. *fidem perdit, qui aurum diligit, gratiam prodigit. Auaritia enim cæcitas est errorem religionis inducit. Cæca, inquam, est auaritia, sed diuersis fraudum oculata ingenijs: non videt quæ diuinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt.* Quàm intima fuerat religio, Christi Dominique diuinitas Osio illi cantatissimo Episcopo Cordubensi? quàm acerrimè pro vtraque decertauit? Accipite de illo Isidorum fantem lib. de scriptoribus Ecclesiasticis c. 1. *Osius autem post multum senium vetustatis arcessitus à Constantio Principe minisque perterritus, metuens ne senex, & diues damna rerum, vel exilium pateretur, illicò Arianæ impietati consensit.* Alterum genus pœnarum temporalium & corporalium, vt amissionis bonorum temporalium, inopiarum, cladium, in primisque dolorum animi & corporis, insinuatur illis verbis: *Inseruerunt se doloribus multis*, vel vt habent Græca, *infixerunt*, vel, *transfixerunt se doloribus multis*, in quænam mala se coniecêre auari, vide apud Busæum in arce medicâ. Verbo *Auaritia* rem. ed. 5. *Inseruerunt se doloribus multis, quia inseruerunt se prius amoribus multis*, ait Salmeron in hunc locum tom. 15. disput. 16. quem vide, vide etiam Laurent. de à Ponte in Sapient. c. 4. homil. 81.

Auari facilè perdunt fidem.

Ambros.

Isidorus.

Auari incidunt in varios dolores.

Busæus.

Salmeron.

Laur. de a Ponte.

Ex radice auaritiæ pullulant illa verborum folia amarissima: Ite in ignem æternum.

14. Grauia pœnæ mala germinat hæc radix auaro in hac vitâ, sed grauissima in futurâ. Ex illa enim pullulabunt aspera illa verborum folia, *ite maledicti in ignem æternum.* Quò respiciens D. Bernardus tract. de diligendo Deo, sic pungit auarum immisericordem. *Væ tibi popule stulte & insipiens, nec modò enim liberari vis de laqueo venantium, siquidem qui volunt diuites fieri in hoc sæculo, incidunt in laqueum diaboli. Nec tunc à verbo aspero poteris liberari! O verbum asperum! O sermo durus! Ite maledicti in ignem æternum.* Sic ille. Quid audire ex ore illius æterni iudicis: *Nescio vos, clausa est ianua.* Quàm plenum erit asperitate tunc vocari à iudice, ob adamata bona terrena, stultos, insipientes, & stolidos, ad diuitem illum sic Deus Lucæ cap. 12. *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te.* Si tam probroso & aspero verbo pungitur auarus in hac vitâ, quàm probroso & aspero putas eundem feriendum in futuro, existimat aspera illa verba asperiora fore damnatis D. Basilius quàm ipsa æterna pœna, sic enim scribit homil. in ditescentes. *Audi miser te dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, sed ipse Dominus indidit. Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetunt: superat æternam pœnam irrisio illa stultitiæ.*

Meritò hæc radix expellenda è corde.

15. Quis iam tam erit amens & vecors vt feralem & virulentam hanc radicem non pellat ex corde? *De agro tuo*, ait D. Augustinus serm. 205. de tempor. *extirpas radicem spinarum, & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum, purgas agrum tuum vnde fructum capiat venter tuus, & non purgas cor tuum vbi habitet Deus tuus, radix est enim omnium malorum auaritia, &c.*

Si plantes charitatem in corde, extingues auaritiæ radicem.

Augvst.

Chrysos.

16. Vis extirpare noxiam hanc radicem? Primò, Conare vt plantes in corde charitatem iuxta preclarum D. Augustini monitum ser. 12. de verbis Domini secundum Matth. *Extirpa cupiditatem, & planta charitatem: sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, ita radix omnium bonorum est est charitas.* Vide Chrysostomum homil. 17. in epist. 1. ad Timoth. cap. 6. in morali, huc

etiam

LAVRENTIVS. etiam referenda pulcherrima monita Laurentij homil. 1. de Eleëmoſyna. *Radix, ait, omnium malorum, quid eſt? Auaritia. Radix omnium bonorum quid eſt? Eleëmoſyna. Et qui nunc vulneratus es per auaritiam, cura te per eleëmoſynam: mortuus es per auaritiam? viuifica te per eleëmoſynam: exulcerata eſt peccatis anima tua? vnge eam pietatis & iuſtitiæ opere: implicauit te cupiditas? habes multa piacula.* Sic ille. Et paulò inferiùs. *Habes multarum offenſionum & peccatorum congeſtam molem: quam cùm ſolus non potes ab animis tuis depellere; noli tædiari, adeſt auxilium. Si vis, propè ſunt adiutores. Aperi oculos tuos, & reſpice in pauperes. Ipſi enim ſunt in tali opere adiutores. Eroga quantum valuerit manus tua: conclude eleëmoſynam in ſinu pauperum, & ipſa te eruet. Fac eleëmoſynam, moles illa criminum quam timebas momento minuitur, & à conſcientia labitur. Studioſus agricola vicinos ſuos ad opus plerumque inuitat vt agris ſuis vel vineis tempore opportuno adhibeat conuenientem culturam: ne ſi neglexerit, dum ſolus non euincit aut præualet, aut ager ſpinis ſordeſcat, aut vinea ſarmentis ſylueſcat. Ille adiutores ſibi adiungit operarios, & multiplicat in terrenâ culturâ. Et tu agrum cordis tui vineamque animi, dum ſolus colere vis, relinquis deſertum? Homo aduerte quod dicitur: Spiritalis eſt iſta non carnalis cultura. De eleëmoſyna conduc operarios. Quos? cæcos, claudos, debiles & alios his ſimiles. Hi ſunt operarij parua mercede conducti, qui purgant agrum cordis tui & renouant vineam, vt fiant in te (per culturam eleëmoſynæ) & ager frugifer, & fructifera vinea.* Hactenus ille.

Si in corde plantes cæleſtis regni deſiderium. CHRYSOS. 17. Secundò, conare vt in corde plantes cæleſtis regni deſiderium, iuxta illud D. Chryſoſtomi homil. 9. in caput 3. Matthæi. *Si alium, id eſt, cæleſtis regni amorem intra pectus tuum incluſeris ab inutili & imperioſo amore (rerum terrenarum) requieſces. Qui enim concupiſcit illius regni gloriam, facilè irridebit auaritiam. Qui ſemel Chriſti ſeruus effectus eſt, non erit mammonæ famulus, cuius certè è regione ſit Dominus,* &c. Idem homil. 10. in epiſt. 1. ad Theſſal. ſic ſcribit in rem præſentem. *Erudiamus animum, vt deinceps non maiora concupiſcat, quod eſt amplius non appetat. In cæleſtibus verò numquam habeat terminum, eius quod eſt amplius deſiderium, ſed plus ſemper vnuſquiſque appetat. In terrâ verò ad vſum & ad ſufficientiam conſiſtat vnuſquiſque & nihil quærat amplius.* Et homil. 17. in 1. ad Timotheum. *Si diuitias illas æternæ vitæ intenta cogitatione voluamus, tum demum has contemnere dabitur.*

Quibus cōſiderationibus expellatur auaritia. CHRYSOS. Tertiò facilè extinguimus auaritiam teſte D. Chryſoſtomo loco proximè citato. *Si quàm ſit inanis & ſuperflua videamus. Denique non valet comitari ex vita abeuntes, & hic quoque non ſæpè dimittit, & quidem cùm hic ipſa permaneat. Porrò vulnera quæ nobis infligit, nuſquam deſerunt nos. Si attendamus innumera his ineſſe pericula, momentaneamque voluptatem, eamque triſtibus ſæpè permixtam. Si cogitemus diuitias nihil nobis prodeſſe, non ad gloriam, non ad ſanitatem, non ad aliud quicquam, ſed contrà, nos in interitum mergere pœnamq́; perpetuam. Si hæc perpetuâ meditatione verſemus, erit & fortaſſis ſalubritas quædam.* Sic Chryſoſtomus cum quibuſdam alijs huc ſpectantibus.

Præſcindenda radix inuidiæ, vt homo reddatur fructuoſus.

§. VI.

Radix inuidiæ præſcindenda, quia eſt radix amaritudinis. 1. TERTIÒ eſt præſcindenda radix inuidiæ & Primò quidem, quia radix eſt amaritudinis, iuxta illud D. Pauli Hebr. cap. 12. *Ne qua radix amaritudinis, ſurſum germinans impediat* (ſcilicet pacem diuinamque gratiam) *& per illam inquinentur multi.* Radicem amaritudinis vocat inuidiam propter tormentum quod inuidi patiuntur, & propter differentiam quâ ab alijs peccatis differt, ex quibus homo aliquam in animo ſenſualem accipit voluptatem, velut ex luxuria, ira, acedia &c. at ex inuidia nullus ſenſualis fructus, imò magna ſpiritus afflictio educitur & decerpitur, vt pulchrè notat D. Chryſoſtomus homil. 44. CHRYSOS. ad populum ſic fatus. *Inuidi antequam inuiſas animas ſuas pœnis afficiunt, tumultus omnis, & ignobilitatis eas fruſtra & incaſſum implent. Propterea omni venia caret iſtud peccatum. Nam fornicator quidem concupiſcentiam prætendere poteſt, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas & irrationabiles, habent tamen quas prætendant excuſationes.* Tu verò quam dices cauſam rogo? nullam penitus niſi tantùm intenſam malitiam & nequitiam.

Hæc radix pacem euertit. CHRYSOS. 2. Secundò, radix hæc omnia impedit & euertit bona, præſertim pacem, & charitatem, *Vbi liuor & inuidia*, ait Chryſoſtomus homil. 44. ad popul. *quod charitatis opera ſublata ſint, cuiq́; patet.*

Innumera germinat peccata. PROSPER. 3. Tertiò, quia radix hæc innumera progerminat peccata, de aliquibus ſic D. Proſper lib. 3. de vita cont. cap. 9. *Inuidi de bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitijs gratuitis ardent, deprehendi pectoris ſui malitiam timent, ſemper amari, numquam certi, amici diaboli, inimici etiam ſui, omnibus odioſi, ad gaudenda anxij, ad plangenda læti, vtrobique peruerſi. Inter amicos diſcordias ſeminant, diſcordantes ad tempus,*

tempus, si possunt, in dissensione confirmant. Opinionem bonorum mendacijs decolorant, in spiritualibus carnalia laudant, vt spiritualia bona eis deesse persuadeant. Amicitias simulant, vt eos, qui se incautè sibi commiserunt, quâ possunt arte decipiant. Sic ille. *Inuidia*, ait D. Cyprianus serm. de zelo & liu. *radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum.*

Radix dif- formis, ita & inuidia. CHRYSOS. 4. Quartò, quia sicut radix difformis est, ita & inuidia maximè difformat inuidum. Vnde feris & dæmonibus assimilat inuidos D. Chrysostomus hom. 44. ad popul. *Sunt*, ait, *inuidi feris peiores. Nam illæ quidem esca indigentes vel à nobis irritatæ, aduersus nos armantur. Hi verò beneficijs quoque frequenter allecti, bene meritos maleficijs prosecuti sunt. Hi quidem peiores feris, dæmonibus autem pares, fortè verò peiores & istis. Hi namque contra nos bellum exercent impacatum, consortibus autem generis non insidiantur.* Sic ille. Externam quoque in BASILIVS. inuidis notat difformitatem D. Basilius homil. 11. dum ait: *Ipso fatentur ore hoc vitium inuidi, aspectus illis est aridus & obscurus, gena subtristis, supercilium demissum.* Et Gregorius 5. Moral. 34. *Cùm deuictum cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant quàm grauiter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescunt: fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor,* &c.

Radix immunda inuidia. 5. Quintò, sicut radix immunda, ita & inuidia: vnde D. Paulus Hebr. 12. cùm nominasset inuidiam radicem amaritudinis, dicit per illam si sursum germinet, inquinari multos. Vnde etiam inuidi immundis maximè animalibus comparantur, vt viperis, vulturibus, muscis, canibus, suibus, scarabæis vt videre licet apud Busæum in Arcâ med. verbo *Auaritia* remed. 5.

Radix in tenebris degit, ita & inuidia. CHRYSOSTOMVS. 6. Sextò, radix degit in tenebris, sic maximè cæca & tenebrosa inuidia. *Perspicuus*, ait Chrysostomus homil. 45. ad pop. *furor est prosperis aliorum rebus angi.* Tam cæca est inuidia, vt etiam persequatur summos benefactores, vt in Saule contigisse pulchrè & fusè prosequitur D. Chrysostomus homil. 45. ad pop.

Radix in imo latet, hæret terræ: ita etiam inuidia. CYPRIANVS. 7. Septimò, radix in imo latet, hæretque eò tenaciùs, quò profundiùs latet, ita etiam res se habet in inuidia, nam in imo recessu cordis latet, & difficillimæ est curationis: *Facilior cura est*, ait D. Cyprianus serm. de zelo & liu. *vbi plaga perspicua, & citò ad sanitatem medela subueniente perducitur vulnus quod videtur, zeli vulnera abstrusa sunt & occulta, nec remedium cura medentis admittunt, quæ se in conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt.* Et D. Basil. homil. 11. *inuidus rogatus vt morbum suum manifestet, se accusare omninò veretur, morbum in imo cordis recessu rodentem & absumentem viscera retinens, itaque nec medicum, nec medicinam ad eum fugandum aptam inuenire potest, quamquam curandorum ægrorum tot referti sint libri.* Chrysostom. CHRYSOS. homil. 27. in 2. ad Corinth. *Sanè præstat serpentem in visceribus prouolutum habere, quàm inuidiam internè serpentem. Etenim ille, & medicamentorum auxilio sæpè euomi, & alimenti ope mitigari potest: at inuidia non in visceribus sese voluat, sed in animæ sinu versatur. Eaque est huius morbi natura, vt ægrè deleri atque extingui possit. Ac serpens intus conditus corpora humana haudquaquam attigerit, siquidem ipsi alimentum apponatur: at inuidia etiamsi sexcentas ei mensas apposueris, animam ipsam arrodit, vndecumque mordens, vellicans, trahens: neque vllum solatij genus reperire est, cuius ope atque adiumento furorem compescat, vno dumtaxat excepto, nempe vt ei, qui prosperis rerum successibus vtitur, calamitas aliqua accidat. Nam hac demum ratione morbus remittitur. Imò ne sic quidem,* &c. quæ ille prosequitur.

8. Hanc radicem quis non desideret præscindere & prorsus eradicare? Vis scire qualiter id fiat? Si plantes in agro cordis radicem charitatis. *Charitas*, ait D. Paulus, *non æmulatur*, id est, non inuidet. Nam vt ait S. Gregor. homil. 5. in Euang. *Voluntas bona* (quam parit charitas) *est, sic aduersa alterius, sicut nostra pertimescere: sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari: aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra putare.* Ratio est, quia charitas non respicit meum & tuum, sed quæ Dei sunt. Nam vt ait ibidem S. Gregorius. *Quidquid in hoc mundo concupiscimus, hoc proximo inuidemus.* Videtur enim nobis decedere, quod alteri accedit. Hanc ob causam charitas friget, vbi cupiditas, è contrario cùm fraterna charitas regnat tunc cupiditas exulat. Nam vt ait S. Augustinus lib. 3. de doctr. Christ. c. 10. *Quantò magis regnum cupiditatis destruitur, tantò charitatis augetur. Charitas*, ait D. Gregor. 10. Moral. 8. *non æmulatur, quia per hoc quod in præsenti mundo nihil appetit, inuidere terrenis successibus nescit. Omnem eijciamus inuidiam*, ait Chrysostomus homil. 44. ad pop. *& in animabus nostris charitatem plantemus.* — Charitas necat hanc radicem. GREGOR. AVGVST. GREGOR.

9. Secundò planta in agro cordis humilitatem & eradicasti omnem inuidiam & liuorem. Cùm enim inuidia nascatur ex superbia, iuxta illud D. August. in Psal. 58. *Quoniam superbiæ comes est inuidentia, fieri non potest, vt superbus non inuideat*, nullo alio antidoto efficaciùs tollitur, quàm quo ipsa superbia. — Humilitas extinguit inuidiam. AVGVST.

10. Tertiò plantemus in animo contemptum rerum humanarum, plantemus amorem beatitudinis. De quibus vide Busæum in Arc. med. v. *Inuidia* remed. 9. & 10. — Cõtemptus rerum terrenarum pellit hanc radicem. BVSÆVS.

Præ-

Præſcindenda radix luxuriæ, detractionis, atque omnis peccati.

§. VII.

Radix luxuriæ, præſcindenda.

11. QVartò, eſt præſcindenda radix luxuriæ, de qua ſic S. Laurentius Nouarinus homil. 1. de Pœnitentia. *Duas habet in ſe homo, duorum malorum fixas radices, quibus repugnando intra vexatur & carpitur. Et quæ ſunt iſtæ radices? vna eſt auaritia, & vna eſt luxuria. Auaritiæ radix vbi eſt? in cupidine mentis. Luxuria vbi eſt? in voluntate membrorum. Cupiditas namque mentis in auaritia inardeſcens, armat manus pedeſq;, & facit in his forenſe peccatum, & crimen extra corpus. Radix verò luxuriæ, quæ ſuccis membrorũ nutritur, venarumq; humoribus irrigatur, cogit ipſa viſcera in obſcœna cupidate delinquere & facere peccatum inteſtinum.* Sic ille, cum quibuſdam aliis huc ſpectantibus. Quanta mala ex hac pullulant radice, quàm firmiter nobis inhæreat, quamq; difficulter euellatur, in quantis degat tenebris, quàm difformis & immunda ſit, quas progerminet pœnas tam in hoc quàm in futuro ſæculo, facilè deducere poterit, prudens concionator, vt non ſit opus ſingula hîc expendere & ad longum deducere.

Luxuriæ radix creſcit in voluntate membrorum.

Radix detractionis præſcindenda. Pazius.

12. Quintò, eſt præſcindenda radix detractionis, de qua Pazius tom. 1. libr. 3. part. 3. cap. 27. intelligit illa verba D. Pauli Hebr. 12. *Contemplemur itaque ne quis deſit gratiæ Dei*, illi, inquam, gratiæ quâ nos ad magnam pacem & fideliſſimam vocationem vocauit; *ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans*, & in verba prorumpens impediat profectum noſtrum, *& per illam inquinentur multi.* Radix amaritudinis eſt detractio. Nam ſicut ex vna radice multi rami procedunt, ita ex vna detractione multiplex emergit amaritudo in cordibus aliorum, vnus lupus ſi in caulas ouium ingrediatur, vnus cùm ſit, omnes oues conturbat & miſcet, & vnus mundus aut maleuolus, & bono dilectionis carens, ſufficit vniuerſos qui in domo ſunt vna obmurmuratione turbare. Sic ille. Huic radici etiam quis accommodare poterit facilè conditiones & proprietates in ſuperioribus notatæ vitiis.

Detractio radix amaritudinis.

Extirpanda radix peccati.

13. Sextò, eſt pręſcindenda & extirpãda radix peccati, quam Paulus Hebr. 12. vocat genuinè & propriè radicem amaritudinis, gratiam Dei impedientem, & omnia bona ſubuertentem. Quàm hæc radix fœcunda in germinandis malis quis explicet? De illa dici poteſt quod de peccatore dicebat Dominus Deut. cap. 29. *Ne fortè ſit inter vos vir aut mulier, familia, aut tribus, cuius cor auerſum eſt hodie à Domino Deo noſtro, vt vadat, & ſeruiat diis aliarum gentium, & ſit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem.* Oleaſter legit: *Radix germinans venenum, & abſinthium.* Dulcis quidem eſt peccati radix, ſed ramos profert amariſſimos multarum plagarum, adeò vt radici iuniperorum comparari poſſit, quę licet dulcis ſit, nil tamen niſi ſpinas germinat. Vnde D. Gregorius ad tropologiam vocans verba illa Iob cap. 30. *& mandebant herbas & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum*, ſic ſcribit 20. moral. 25. *Adhuc enim radicem iuniperi comedunt, ſed huius radicis quàm ſint aſperi rami non attendunt, quia nimirum modò praua actio quaſi ex radice delectat in culpa, ſed poſtea, quaſi ex ramis pungit in pœna.* Vis ſcire quænam aqua hanc radicem ſuffocet? Audi D. Bernardum de diuerſis affectionibus animæ: *Quærenda ſunt*, inquit, *remedia lachrymarum & currendum ad aquas, quarum abundantia malè viuida radix peccati ſuffocatur.* Qualiter aut radix hæc non neceſſariò, ſed liberè oriatur ex libero arbitrio docet D. Cyrill. Hieroſ. Catech. 2. dum ait: *Peccatum malum eſt liberi arbitrij, germenq; voluntarium.*

Peccatum radix germinans venenum.

Peccatum radix iuniperi, nihil niſi ſpinas germinat. Gregor.

Bern.

Quòd præſcindenda radix cupiditatis ſiue auaritiæ generaliter ſumptæ.

§. VIII.

14. SEptimò reſcindenda eſt radix cupiditatis. Nam teſte D. Paulo 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Quamuis enim per cupiditatem Paulus videatur ſpecialiter intelligere, auaritiam ſtudiumque pecuniæ, nihilominus S. Auguſtinus libr. 11. de Gen. ad lit. cap. 14. cupiditatem accipit generaliſſimè, illam ſcilicet, quâ aliquid appetit aliquis ampliùs, ſiue honoris, ſiue opum, ſiue voluptatum, ſiue vindictæ quàm ipſi conueniat, ita vt ſuperbiam comprehendat cupiditas, tanquam ſpeciem. *Quærimus aliquando*, ait D. Auguſtinus tract. 8. in epiſt Ioan. *quomodo ſibi concordent iſtæ duæ ſententiæ: Radix omnium malorum auaritia, Radix omnium malorum ſuperbia eſt. Si initium omnis peccati ſuperbia, radix omnium malorum ſuperbia eſt. Certè ſi radix omnium malorum auaritia eſt, inuenimus & in ſuperbia auaritiam eſſe: exceſſit eum modum homo. Quid eſt auarum eſſe? progredi vltra quàm ſufficit. Adam per ſuperbiam cecidit, initium omnis peccati*

Præſcindenda radix cupiditatis, ſiue auaritiæ generaliter ſumptæ.

Augvst.

superbia, inquit, nunquid auaritia? Quid auarius illo cui Deus sufficere non potuit. Sic Augustinus.

15. De radice cupiditatis aut auaritiæ sic generaliter sumptæ an quid verius dici vel affirmari potest, quàm quòd illi qui hanc in seipsis admittunt, quique volunt & concupiscunt huius mundi honores, dignitates, gloriam, famam, voluptates, de inimicis vindictam &c. *Incidant in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Eo ipso enim quo quis terrena hæc incipit concupiscere, eo exponit se, imò tradit tentationi inimici, vnde impossibile ei vt non tentetur. Arma diaboli res huius sunt mundi, per has tentat, si has tollas, non habebit quomodo tentet, immunis est à tentationibus inimici qui nihil concupiscit, non habet inimicus vnde eum tentet, spernat aliquis diuitias, abhorreat honores, nolit dominari, carnem reprimat & calcet, vnde tentabit eum inimicus? At pone nunc aliquem qui hæc omnia desideret & concupiscat, illico incidit in tentationes, incidit in arma inimici, dat ansam inimico vt eum tentet, qui ante nullam habebat. *Fugiamus*, inquit D. Chrysost. hom. 17. in epist. 1. ad Timot. *malorum radicem*, cupiditatem nempe, *& omnia vitabimus.* Nam si radix omnium malorum est cupiditas, vt ait Apostolus, præscinde radicem, non erunt ampliùs mala, non vnde nos tentet Satanas, neque vnde vim ad mala inferat patranda, sed da concupiscentem, in eo quod concupiscit, in eo præbuit ansam inimico vt tentet, & vt perimat: *Si cupiditas*, ait D. Bernardus libr. de modo bene viuendi cap. 45. *est radix omnium malorum, necesse est vt expellas eam à corde tuo: vt cæteræ soboles non pullulent vitiorum, cupiditas peruersa non sit in te.* Sicut à radice trahunt rami nutrimentum & fomentum, ita ab ipsa cupiditate omnia peccata consurgunt & nutriuntur, siue auaritiæ, siue luxuriæ, siue superbiæ & generaliter omnium aliorum, adeoque qui hanc succiderit ab omnibus tentationibus & peccatis immunis existit. Hinc etiam Christus volens in nobis planè destruere peccata, monet ne illorum radicem, id est, cupiditatem admittamus, quæ si in corde serpat & habitat, rami peccatorum mox vndique pullulant atque germinant. Vnde Chrysostomus homil. 8. de pœnitentia adferens illud Matth. 5. *Quicumque viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo*, sic scribit, *non modò morbum, sed & morbi radicem euellit. Radix enim adulterij concupiscentia impudica. Sic & medici faciunt non ad morbos instant solùm, sed causas etiam tollendas, quamuis ægrotantem oculum viderint, prauum rheuma desuper à temporibus compescunt: sic & Christus facit, tacitas mala est adulterium, oculorum est morbus non corporis solùm, sed animæ priùs, idcircò compescit rheuma impudicitiæ per timorem legis, iam mœchatus est in corde suo, corde corrupto, quæ vtilitas in reliquo corpore.* Sic Chrysost. Qui rami, posita hac radice, sequantur, docet D. Thomas ex illo loco Iacobi: *Concupiscitis & non habetis*, ecce alienæ rei desiderium, *occiditis & zelatis*, ecce personæ possidentis odium, *litigatis & belligeratis*, ecce vtriusque effectus.

Qui hanc radicem admittit incidit in tentationem & in laqueum diaboli, &c.

Chrysos.

Bern.

Ab hac radice omnia peccata consurgũt.

Chrysos.

Concupiscentia radix adulterij.

D. Thom.

16. Sed qualiter tollemus & extirpabimus hanc radicem? Tolles, si semen vnde gignitur elidas & perdas. Vis scire quodnam huius radicis semen? est hominis insatiabilitas, quæ non patitur vt iam habitis & adeptis, sit contentus homo. Qua de re sic pulchrè Galenus lib. de curandis animi morbis. *Scito*, inquit, *omnis mœroris causam esse insatiabilitatem, ex eo quòd cupiditates habeant homines, quæ neque satiari, neque expleri possunt. Semper enim concupiscunt, qui præsentium rerum inexplebiles sunt: proinde si duplum quippiam habent, triplum ilico student acquirere, si triplum, quadruplum appetere incipiunt. Quare tu nunquam omnibus ditior, sed propter immensas cupiditates, semper futurus es pauper. Rectè igitur dictum, insatiabilitatem vitium animi esse pessimum, fundamentum enim quoddam est omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatus contentionis.* Sic ille. Extingue ergo insatiabilitatem & extingueris eius radicem cupiditatem. Faciliter autem ex animo tolles insatiabilitatem si obsequaris S. Bernardi monito, sic sororem admonentis loco cit. *Soror dilecta cursum tuum considera, & cognosce tibi pauca sufficere posse quæ habes.*

Huius radicis semen est insatiabilitas.

Galen.

Tolle insatiabilitatẽ, & sustulisti radicem.

Bern.

17. Secundò. Tollitur cupiditatis radix non timore seruili, sed perfecto Dei timore, siue casto amore. Vnde sic D. Augustinus serm. 10. de verb. Dom. *Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia iam concupiscit*: subiicit præclaram imaginem; *Terrore ingenti armorum, atque telorum, & circumdantis forsitan multitudinis etiam leo reuocatur à præda, & tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit, sed malitiam non posuit.* Ita ille. Cupiditates, exteriùs potius rationibus, & causis, impeditas, & non casto Dei timore, siue amore, cohibitas, robustiores fieri adstruit S. Nilus in Ascetico sic scribens: *Licet cupiditates non lædant, quod propter assiduos congressus, lædendi non inueniunt opportunitatem, clam tamen insinuant sese, & corroborantur, ac maiores ex temporis spatio vires colligunt.* Quod deinde pulchra similitudine à radicibus mutuata sic illustrat: *Et quemadmodum terra frequenti pedum incessu conculcata, quamuis habeat spinas, tamen eas non profert, exortum enim illarum cohibet pedum conculcatio, interim tamen propagantur radices, &*

Tollitur hæc radix casto Dei amore vel perfecto timore.

Avgvst.

simul

simul ac tempus concesserit, vberes spinæ florentesq́; prodeunt: sic & cupiditates dum assiduis congressibus & occupationibus in apertum prodere nequeunt, occultè fouentur, & fiunt robustiores, dataq́; per otium, & quiete occasione graue & periculosum illis, qui eas initio expugnare neglexerunt bellum inferunt. Hactenus ille. *Quantò magis habet quis de charitate*, ait D. Augustinus, *tantò minùs de cupiditate, & è conuerso.* D. Thomas opusc. 7. postquam varias retulisset rationes ob quas vetita concupiscentia, siue rerum terrenarum cupiditas quatuor profert modos quibus illa superanda. Referuntur illius verba à Cornelio in Deut. cap. 5. in calce. De bello concupiscientiæ huius & quomodo illi occurrendum vide Balthasarum Paes in epist. D. Iacob. cap. 4. §. 1. & 2.

AVGVST. D. THOM. CORNEL. BALTASAR PAES.

Quòd reprimenda radix prauæ concupiscentiæ.

§. IX.

Radix hæc comprimenda. Hæc radix numquam in nobis penitus interit.

18. OCtauò, rescindenda, vel potiùs reprimenda etiam est, quantum fieri potest, concupiscentia siue fomes ille atque illecebra peccati. De hac enim etiam affirmari potest quòd radix sit omnis peccati, quodque ad omnia peccata hominem alliciat atque inflammet vt pulcherrimè docet & fusè prosequitur D. Bonauent. in opusc. cui Titulus, Speculum animæ, & inuenitur tom. 7. part. 3. fol. 29. Notandum autem quòd quamuis fomes hic peccati magis in dies minui & decrescere quodam modo possit, hoc est, possit vis eius compesci magis & frænari per Dei gratiam, & studium bonorum operum, numquam tamen penitus interire in nobis. Quis enim sanctior aut Deo carior, aut in virtutibus exercitatior quàm Apostoli, quorum vnus clamat: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Atque hæc Paulum de seipso dicere, nunquamq́ue in iustis fomitem omnino extingui plurimis in locis contra Pelagianos docet D. Augustinus, vt libr. 1. de nupt. & concup. cap. 27. & seq. Et lib. 1. retract. cap. 23. & 26. & libr. 2. c. 1. sermone 5. & 6. De verb. Apost. Et ser. 43. de verbis Domini, vbi sic ait: *Volumus, vt nulla sint concupiscentiæ, sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas; velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt, premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiscit aduersus spiritum, & Spiritus aduersus carnem.* Hæc D. Aug. qui antea dixerat, hanc luctam non cessare nisi in cælesti gloria, additq́ue: *Ergo quamdiu hic viuitur, sic est, sicut & nos qui seruimus in ista militia. Minores quidem hostes habemus, sed tamen habemus.*

Rom. 7. AVGVST.

19. Idem variis in locis insinuat & docet D. Bernardus præsertim ser. 6. de Aduentu, vbi postquam adduxisset verba illa D. Pauli Rom. 6. *Scio quod non est in me bonum*, id est, in carne mea, & illa Rom. 6. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*, subiungit, *sciebat nimirum non prius liberandum se esse à pessima illa radice quæ carni infixa est, à lege peccati quæ est in membris nostris, donec & ab ipso corpore solueretur. Vnde & cupiebat dissolui & cum Christo esse, sciens quod peccatum separans inter nos & Deum penitus auferri non poterit donec liberemur à corpore. Audistis de quodam quem Dominus curauit à dæmonio, quoniam collidens & multum discerpens eum, dæmon exiuit ab illo. Itaque dico vobis genus illud peccati, quod toties conturbat nos (concupiscentias loquor & desideria mala) reprimi quidem debet & potest per gratiam Dei, vt non regnet in nobis. Nec demum membra nostra arma iniquitatis peccato: & sic nulla damnatio his qui sunt in Christo Iesu, sed non eiicitur nisi in morte, quando sic decerpimur vt anima separetur à corpore.* Hæc D. Bern.

BERN. Marc. 9.

20. Quamuis autem hæc radix non possit penitus extingui, debet tamen reprimi vt docet idem Bernard. serm. de triplici genere cogitationum, vbi postquam retulisset verba illa Iacob Gen. 49. *Ruben primogenitus meus, non crescas, ascendisti enim cubile patris tui*, in Rubeno concupiscentiam siue appetitum carnalem, in cubili memoriam & voluntatem obumbrata sentiens, sic scribit: *Rubea, carnalis, atque sanguinea concupiscentia est: quæ tunc cubile nostrum ascendit, cùm non solùm memoriam tangit cogitatione, sed & ipsum voluntatis stratum ingreditur, & polluit praua delectatione. Bene autem primogenitus noster dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipso nimirum initio vitæ nostræ, in nobis pullulat, cùm cætera vitia processu temporis ex malitia mundi huius variisque occasionibus contrahantur. Oportet ergo reprimere quem extinguere non possumus appetitum, vt quàm citò cubile nostrum ingreditur, crescere eum nullatenus patiamur, sed sub nobis sit, queadmodum dicit scriptura, sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius* &c.

Hæc radix quamuis non possit extingui, debet tamen reprimi. BERN. Primogenitus noster appetitus carnalis.

21. Lachrymarum aquam radicem concupiscentiæ maximè reprimere siue arefacere, docet idem Bernardus sermone de Diuersis affectionibus animæ, vbi expendens ab homine per Christum eiectos dæmones in porcos esse missos, per hominem partem rationalem, per dæmones ipsas concupiscentias, siue peccati legem,

Lachrymarum aqua hanc radicem reprimit.

legem, per porcos sensus eius corporeos, intelligens, sic scribit: *Sensus corporei sunt porci, qui volutabro luti & spurcitiis oblectantur, quos eiecti ab homine maligni spiritus intrant. Eiectum enim à rationali nostro, id est, mente, peccatum sensibus corporis hæret, Apostolo teste, quod mente consentiat legi Dei, carne verò legi peccati quæ est in membris nostris, Vnde & in alio loco. Scio, inquit, quod non est in me bonum, hoc est in carne mea. Quid tamen agendum est cùm sic eiecti ab homine porcos inhabitant spurci spiritus, nisi quærenda remedia lachrymarum, & currendum ad aquas, quarum abundantia malè viuida radix peccati suffocetur in eis? Quamuis hæc omnimoda peccati extinctio, fini potiùs reseruata videtur.* Sic ille. Qualiter radix hæc alliganda vinculo ferreo & æreo, id est valido ieiunio, in ferro adumbrato, sed tamen moderato, sapienterque assumpto, cuius sapientiæ æs refert imaginem, docet pulcherrimè Hieronymus de la Nitza in Tractatibus Euangel. tract. 2. part. 1. §. 24. fol. 323. Quare autem post baptisma nobis relicta concupiscentia, vide apud Petrum Morales in cap. 1. Matth. lib. 3. tract. 3. num. 4. & 5. vbi citat D. Thomam 3. part. qu. 27. art. 3. Conc. Trident. sess. 5. canone vlt. & Salmeron. tom. 13. disput. 3. super cap. 6. ad Rom. huius rei causis suppeditantes. Vide etiam D. Bern. serm. in cœna Domini. Quantò autem profundiùs & tenaciùs hæc mala concupiscentiæ radix nobis inhæret, tantò ampliùs timenda, sub hac radice Paulus quo nihil inter homines sanctius, gemit, dum ait Rom. 7. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius, sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati.* Hic est angelus Satanæ, qui Paulum colaphizat. Quis igitur Paulum audiens non sibi timeat. *Sed dices*, (inquit in hanc sententiam D. Cyrillus Hierosl. Catech. 2.) *fidelis sum, non me apprehendet concupiscentia. An ignoras quòd etiam in petra quandoq; radix agitur, & sæpe manet, ne suscipias semen, quoniam perdet tuam fidem, priusquam floreat, radicitus erue malum.* Sic ille. Nemo ergo securè viuat, quantumuis fortis & castus videatur, sibi ab hac radice timeat.

Rom. 7.
Ibid.
Radix hæc alliganda vinculo ferreo, & æreo, id est valido ieiunio.
HIERON. DE LA NVZA.
PETRVS MORAL.
Hæc radix eò magis timenda quo profundius inhæret.
CYRILL. HIEROS.

Præscindenda etiam radix propriæ voluntatis.

§. X.

Radix propriæ voluntatis præscindenda.

22. NOnò, Præscindenda est etiam radix propriæ voluntatis, Voluntas autem propria dicitur, quæ ita nostra est, vt in eo, quod volumus, non sit Deo proximisque communis. Vt si ego velim dormire vel vigilare, quo tempore non est secundum diuinam voluntatem quod vigilem, & ordinis instituta, iussiones prælatorum & consensus fratrum, nunc vigilandum esse non censent, id dicetur fieri ex propria voluntate. Ita quidem exposita est propria voluntas à Bernardo serm. 3. de resurrectione, cuius hæc sunt verba: *Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm: quando, quod volumus non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum.* Et Anselmus in idem conspirat, licet aliis verbis sit vsus. *Propria voluntas est*, inquit, *quæ Dei voluntatem sibi aduocatam habere non potest: vt si quæratur, cur hoc aut illud velit, respondere veraciter non valet, quia & Deus vult, vt hoc velit.* Sic illi.

BERN.
Quænam sit voluntas propria.
ANSELM.

23. Hanc esse in homine radicem vanitatis & voluptatis affirmat D. Bernardus sermone de verbis libri Sap. *Iustum deduxit* &c. Salmeron tom. 5. tract. 49. expendens Dominicam petitionem, *fiat voluntas tua*, sic scribit: *Rogamus his verbis, vt nostra voluntas penitus intereat, quæ nimirum mala est radixq; malorum omnium; quâ nihil magis à nobis diligitur, & nihil difficilius relinquitur, de qua scriptum est Genes. 8. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et Sapiens Eccli. 18. admonebat: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere, si præstes animæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Et semper inuenies in scripturis, propriam hominis voluntatem damnari.* Vnde per Isaiam cap. 58. dicitur: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis.* Et infrà. *Si auerteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in Deo sancto meo, & non inuenietur voluntas tua* &c. Si enim diligenter expendas, inuenies, voluntatem propriam esse, quę omnia diuina & humana iura confundit atque peruertit dum volumus appetitionibus suis facere satis, neque illam voluntati Dei subiicere studemus, hinc enim odia, inimicitiæ, cædes, bella, atque adeò ipsa gehenna.

Propria voluntas radix vanitatis & voluptatis.
BERN.
SALMER.

24. D. Anselmus in lib. de similitud. c. 37. propriam voluntatem assimilat cuidam *Reginæ adulteræ, quæ se cuidam Regi adultero coniunxit, ex quo etiam tres filios habuit. In his verò tribus, tot alij filij & nepotes sunt geniti, itaque quoque multiplicati, vt numerari non possint. Omnes autem in familia illius regis & regina consistunt, eorumq; iussa quisque suo modo perficiunt. Rex autem cum Regina ista, cuidam alij regi aduersatur, collectaq; filiorum & nepotum exercitu, regnum illius*

ANSELM.
Propria voluntas regina, iuncta regi diabolo &c.

illius aggressum, prædatur. Hic autem exercitus, sic seruos illius regis inuadit, vt aut plures, plures: aut vnus, vnum: aut plures, vnum: aut vnus, plures aggrediatur. Quoscumque verò deuincere possunt vinctos & abductos in carcerem trudunt; exigentes ab eis quantum numquam persoluere possunt: sed omnibus affecti miseriis, in carcere illo deficiunt. Hæc autem regina (ait S. Anselmus) *propria est voluntas omnium inobedientium domina. Quæ ideo vocatur adultera, quia separatur à Deo, cui esse deberet coniuncta, & diabolo coniungitur, à quo deberet esse disiuncta. Ipse verò diabolus idcircò Rex dicitur & adulter, quia in hominibus regnans per voluntatem propriam animabus eorum, Dei videlicet sponsis, abutitur. Cui se postquam propria voluntas iunxerit, ex illius semine, id est, peruersa suggestione, tria principalia vitia scilicet delectationem, extollentiam, curiositatem concipit, vt per quinque corporis sensus, velut ea pariens, emittit. Ex his verò tribus tot alia vitia nascuntur, sicq; multiplicantur, vt absque numero habeantur. Omnia verò ex familia diaboli, propriaq; voluntatis existunt, & ex seipsis, quandam admirabilem multitudinem reddunt. Diabolus itaque propriaq; voluntas, Deo regi regum aduersatur: & congregata vitiorum militia, regnum illius, scilicet hunc mundum aggredientes, prædantur, hæc autem familia sic humanum genus inuadit vt aut plura vitia, plures homines: aut vnum, vnum: aut plura, vnum: aut vnum, plures: diuersis modis accipiant. Quemcumque verò superare possunt mala consuetudine ligatum, in infernum detrudunt. Vbi ab eo vnumquodq; vitium exigit, quicquid vnquam per illud commisit. Quod quia nunquam persoluere poterit, nec ei miseria vnquam deerit.* Sic Anselmus.

ANSELM. Propria voluntas similis venenosæ herbæ.

25. Idem Anselmus eandem propriam voluntatem loco cit. cap. 38. herbæ venenosæ assimilat, quâ degustatâ ab hominibus mortem incurrunt animæ: *Propria voluntas*, ait, *cuidam herbæ venenosæ atque mortiferæ assimilatur, & comparatur, quam medicus quidam peritissimus progeniei cuiusdam, primis scilicet parentibus interdixit, comminatus eis, qui si ex ea comederent, leprosi effecti proculdubio interirent. At illi præceptis eius obedire noluerunt, sed ex eadem herba comederunt, vnde & leprosi effecti, leprosos quoque filios genuerunt: atque vt medicus eis comminatus fuerat, mortui sunt. Quorum filij, licet patres suos agnouerint herbâ illâ infirmatos fuisse & mortuos, seq; ipsos leprâ percussos & mortuos, eandem tamen herbam super omnes alias diligunt, indeque cibos suos vniuersos condiunt. Manè surgentes ex eadem, quasi pro medicamento, accipiunt; sed & somnium serò capturi similiter faciunt, hi igitur quàm sint dementes, omnis, qui audit, aduertere potest. Sed nec minùs dementantur, qui propria voluntate vtuntur. Ipsa est etenim herba diaboli, venenosa suggestione venenata, & omnibus eâ vtentibus, pestifera, hanc Deus qui nostris piè medetur peccatis, primis humani generis parentibus interdixit, tùm eos comedere pomum, sub mortis comminatione, prohibuit: Qui, quia præceptum eius transgressi, ex eo comederunt, mox peccatores effecti, & in anima mortui, postquam alios peccatores genuerunt, & ipsi carne mortui sunt, homines tamen eandem voluntatem præ cæteris diligunt, & etiam immiscent omnibus penè, quæ agunt. Nihil itaque istis dementius, qui nihil vtuntur sua morte libentiùs.* Sic Anselm.

LAVR. IVSTIN. Propria voluntas quosnam progerminet ramos.

26. D. Laurentius Iustin. lib. de disciplina monast. cap. 7. hosce planè peruersos dicit ex hac radice progerminari ramos. *Propria*, ait, *voluntas semper Deo inimicatur. Dominari toto posse conatur, rationis iudicium extorquet, suo faciens arbitrio militare. Non maioribus acquiescit, non reueretur, non obtemperat, nulli subesse potest: nec commoditate flectitur, nec minis humiliatur, semper procax est, effrenata in locucione, incomposita in moribus, ignara sui, & à proximi dilectione aliena. Deinde verò in illam sic inuehitur. O malum detestabile! O antiqua nequitia, quantum præuales! quantum dominaris! Per te angelorum ruina facta est, & cælorum agmina minorata: per te deliciarum paradisus homine orbatus est, & humanum genus innumeris cladibus sauciatum: Te suadente corruit Adam, & innocentiæ stolâ nudatus est. A te dominandi ambitio, & à Deo apostatandi sumpsere principium. Tu cognatorum amorem scindis, & coniugum diuortia facis. Tu amicitiarum iura violas, & domesticorum vota dissoluis. Tu cunctum perturbas orbem, & plurimis reples flagitiis. Tu bellorum discordias generas. Tu pacem fugas, & odiorum venena disseminas. Tu infernum ditas, & gehennalibus flammis fomenta subministras. In cælo præualuisti, & in hoc sæculo principaris.* Sic Laur. Vide eundem etiam in lib. De interiori conflictu cap. 4. & in lib. de obedientia cap. 17.

BERN. accuratè de pessimæ huius radicis ramis.

27. De pessimis huius pessimæ radicis ramis accuratè etiam Diuus Bernardus, imprimis serm. 3. de resurr. sic scribit. *Voluntas propria quo furore Dominum maiestatis impugnet, audiant & timeant serui propriæ voluntatis. Primò namque seipsum subtrahit & subducit eius dominatui, cui tanquam auctori seruire iure debuerat, dum efficitur sua.*

BERN.

28. Secundò, loco cit. de illa sic Bernardus. *Sed nunquid contenta erit hac iniuriâ?* addit adhuc: *Et quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt, tollit & diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nónne qui per vsuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum conaretur vniuersum lucrari, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas. Dico fiducialiter, nemini, qui sit in propria voluntate, posset vniuersus mundus sufficere.*

29. Tertiò, præcedentibus adtexit D.

 Bernar-

BERN. Benard. eod. loco: *Sed vtinam vel rebus istis esset contenta; ne in ipsum (horribile dictu) desæuiret auctorem. Nunc autem & ipsum, quantum in ipsa est Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ quantū in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat.*

BERN. 30. Quartò, idem Bernardus serm. de duplici Baptismo, docet dæmonem semel ab anima nostra per sacramentum baptismi abactum, per propriam voluntatem, cum septem spiritibus nequioribus reuocari. *Quando*, ait, *fortis ille armatus quem fortior superueniens alligauit, atrium illud olim suum valuit violentiâ aliquâ obtinere? Sed vacuum, sibiq; insipienter expositum domicilium reperit, & cum aliis septem nequioribus, non fortioribus, ingrediens, non irruens, liberè habitauit. Quis verò eum admisit: nisi propria voluntas? Ipsa est quæ in potestatem tenebrarum denuo rediit, quæ nos iterum subdidit mortis imperio.* Vide Bernardum si libet.

IDEM. 31. Quintò, idem Bernardus serm. 71. in Cant. docet omnia bona opera nostra per voluntatem propriam inquinari, meritoque suo destitui. *Etenim*, inquit, *si in die ieiunij mei, inueniatur voluntas mea, non tale ieiunium elegit sponsus, non sapit illi ieiunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solùm de ieiunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni obseruatione monachi, vbi inuenitur voluntas sua in ea, & non obedientia magistri sui idipsum sentio. Minimè prorsus obseruantias illas, etsi bonas in se, tamen inter lilia, id est, inter virtutes censuerim deputandas, sed audiet à propheta qui huiusmodi est, nunquid tale est obsequium quod elegi? dicit Dominus & addit: in die bonorum tuorum inueniuntur voluntates tuæ. Grande malum propria voluntas, qua fit vt bona tua, tibi bona non sint.* Idem serm. 3. de ieiunio quadragesimali. *Anima ipsa ieiunet à vitiis & propria voluntate sua. Etenim sine ieiunio hoc, cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est, quia in diebus ieiuniorum vestrorum voluntates vestræ inueniuntur.*

Isa. 58. — Ibid. — Isa. 58.

IDEM. 32. Sexto, idem serm. de dup. Bapt. docet hanc solam nos separare & abstrahere à Christo. Postquam enim adduxisset illa verba Ioan. 1. *Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri*, subiungit: *Nec inanis est aut infirma potestas, quia nimirum certi sumus, continuò & nos, quoniam neque mors, neque vita, neque virtutes, neque angeli, neque altitudo, neque profundum poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Sed attende quanta enumerauit Apostolus (eius enim verba sunt) minimè tamen adiiciens, nec nosipsi. Nimirum hac est libertas quâ Christus nos liberauit, vt nulla penitus creatura auellere nos, aut vim facere possit. Soli id deserere possumus propria voluntate abstracti & illecti à propria concupiscentia, præter hanc enim nihil est quod timeamus.*

33. Septimò, idem Bernardus serm. 3. de resurrectione affirmat ex hac radice pullulare amarissimas inferni pœnas. *Quid*, ait, *odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? cesset voluntas propria & infernus non erit, in quem enim ignis ille desæuiet, nisi in propriam voluntatem?* IDEM.

34. Quis iam non videt quàm homini necessarium vt præscindat & extinguat hanc radicem si frugifer & fertilis esse velit in bonis operibus? Vis scire qualiter extinguet? Audi quid dicat Simeon Iunior in capitulis moralibus cap. 20. *Qui suam*, ait, *studet necare voluntatem, Dei voluntati parere debet, atque pro sua diuinam induere, eamque in corde suo serere & inserere.* Qualiter sit præcidenda & mortificanda propria voluntas, vide etiam apud Pazium tom. 2. libr. 2. part. 3. cap. 7. & seqq. Vide etiam de abnegatione propriæ voluntatis Harphium libr. 2. De myst. theol. par. 1. cap. 12. vide eundem de myst. theol. lib. 2. p. 4. cap. 60. vbi agit de duodecim abnegationibus voluntatis. Vide similiter Diuum Bernardum serm. *Quomodo voluntas nostra diuinæ voluntati tripliciter subijci debeat.*

Qualiter hæc radix extinguenda. — SIMEON IVNIOR. — PAZIVS. — HARPH. — BERN.

35. Fœlix qui hanc amarissimam propriæ voluntatis præscidit radicem; est enim de numero fælicium illorum violentorum, qui sibi vim inferunt & rapiunt regnum cælorum, de quo sic Abbas Abraham de mortif. collat. 24. cap. 26. *Regnum cælorum non desides, non remissi, non delicati, non teneri, sed violenti, diripiunt. Qui ergo hi violenti sunt? nempe illi qui non aliis, sed voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili omni se præsentium rerum voluptate fraudantes, voce Dominica egregij direptores pronuntiantur, & per huiuscemodi rapinam regnum cælorum violenter inuadunt. Regnum enim cælorum secundum sententiam Domini vim patitur, & violenti diripiunt illud. Isti profectò sunt laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. Perditio nostra est oblectatio vitæ præsentis, & (vt expressiùs dicam) executio desideriorum, voluntatumq; nostrarum, quas si quis ab anima sua subtraxerit & mortificauerit gloriosam profectò & vtilem perditioni suæ vim facit.* Sic ille.

Qui vult hanc radicem præscindere debet esse de numero violentorum. — ABBAS ABRAH.

36. Deinde talis verâ vitâ perfruitur, quamdiu voluntatem propriam abnegat. De quo sic S. Cæsarius Arelatensis episc. homil. 29. fratres suos admonens: *Non te fallat, quicumque ille es, numerus dierum quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti. Illum tantum diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, quem sine vlla regulæ transgressione duxisti. Illum tantùm diem*

Verâ vitâ perfruimur, quamdiu voluntatem propriam abnegamus. — CÆSAR.

diem vixisse te computa, in quo desideriis restitisti. Illum diem vixisse te computa, quem non malitia, non inuidia, superbia contaminauit, quem non mendacij, non periurij culpa respersit. Sic ille. Et quod ille fratribus dicit, hoc omnibus quadrat Christianis. Illum enim tantùm diem vixisse computare debent, in quo voluntatem abnegarunt propriam, & sese diuinæ subdidêre voluntati. *Sicut ramusculus*, ait Salmeron to. 2. tr. 15. *quamdiu propriæ radici inhæret, tamdiu emori nequit, vt qui semper vitalem humorem ex radice manantem accipiat: Ita & angelica humanaq; substantia, quamdiu per firmissimum ad diuina consensum permanserit, nequaquam morietur. Vbi verò propriæ voluntati innitentes à Deo secedunt, mox velut rami à radice præcisi vitali humore, omniq; sanctæ vitæ officio priuantur. Vnde scriptura ait Ioan. 15. Ego sum vitis, & vos palmites, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite: ita & vos nisi in me manseritis.*

SALMER.

Præscindenda radix proprij Amoris.

§. XI.

Radix proprij amoris præscindenda. Quàm peruersi rami ab hac radice pullulant.

37. DEcimò, radix proprij amoris etiam præscindenda, nam & hic radix omnium malorum dici potest. Quàm peruersi ex hac radice pullulent rami refert D. Paulus 2. Corint. 3. Cùm enim dixisset: *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines seipsos amantes*, adtexit, quæ ex hoc amore proprio tanquam fœcunda radice progerminent vitia. *Erunt*, ait, *cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, timidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei. Cùm dixisset*, inquit D. Augustinus tract. 123. in Ioan. *Apostolus & erunt homines seipsos amantes &c. adiunxit, hæc omnia mala & vitia, quæ ab eo veluti fonte emanant. Ab hoc velut fonte*, inquit Anselmus, quod scilicet homines erunt seipsos amantes, *manabunt multi vitiorum riui.* Et D. Thomas in eundem locum ait: *Quod radix totius iniquitatis est amor sui ipsius.* Et D. Gregor. hom. 4. in Ezech. *scimus, quia vehementer claudit oculum cordis amor priuatus, quo sanè clauso, facile est in vniuersa mala præcipites ferri, & quò ruamus penitus ignorare.*

AVGVST. ANSELM. D. THOM. GREGOR.

Qualiter ethnici hanc radicem detestati. PLATO.

38. Non solùm Patres, sed etiam Philosophi detestantur nimium sui amorem tanquam omnium peccatorum causam. Nam Plato dialog. 5. de legibus, agens de amore sui vitioso, sic ait: *Nimius in se ipsum amor omnium peccatorum, omnibus semper est causa. Obcæcatur circa amantem, qui amat. Quapropter qui se amat, cùm seipsum magis quàm veritatem honorandum putet; quod iussum bonum, pulchrum sit, malè iudicat. Docet sanè eum, qui magnus vir futurus est, neque se ipsum, neque sua diligere: sed iusta semper, siue à se ipso, siue ab alio gerantur.* Hæc ille.

Ex hac radice omne malum nascitur.

39. Primum autem ramum huius radicis dicit Paulus esse cupiditatem. *Erunt*, ait, *seipsos amantes, cupidi*, vel vt legit Ambrosius, *Auari*. Est enim auaritia siue pecuniæ cupiditas, vitium iis insitum, qui se nimiùm amant. Vnde Teoph. & Oecum. aiunt, à sui amore, quasi ex radice, oriri tanquam ramum auaritiam & honorum, voluptatumque cupiditatem, quamuis vt Augustinus aduertit lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 15. & tract. 8. in epist. D. Ioan. D. Paulus hoc verbo tantùm expressit cupiditatem pecuniarum, quæ dicitur Auaritia. *Hæc labes*, vt Theop. ait, *ex radice amoris sui enascitur, tanquam primus & maximus ramus. Perinde namque atque ex charitate omne bonum, sic ex philautia, id est, amore sui, omne malum profluit.*

Ex amore proprio omnia vitia. BONAV.

40. Qualiter autem ex amore proprio tanquam à radice procedant omnia vitia, sic particulariùs docet D. Bonauentura in opusc. de tribus ternariis peccatorum infamibus cap. 6. *Amor*, ait, *inordinatus sui est causa omnis peccati, quia ex amore sui procedit superbia, nam superbia est amor propriæ excellentiæ. Item inuidia, quæ est dolor de bono alterius, inquantum est diminutiuum proprij. Item acedia, quæ est tristitia de bono spirituali, inquantum per ipsum impeditur bonum temporale vel corporale. Item ira, ideo enim quis accenditur ad vindictam, quia honor proprius nimis amatur. Item gula & luxuria, quæ propter corporalem delectationem appetuntur. Et sic omnes malæ passiones & vitia capitalia ex amore inordinato, tanquam à radice procedunt.* Sic Bonauent. De amore proprio & illius ramis vide latè Pazium tom. 2. lib. 2. p. 3. c. 2. & seq.

Hæc radix omnia exsiccat bona. THEOPH.

41. Non solùm hæc radix omnia progignit vitia, verùm & omnia exsiccat & necat bona, præsertim ipsam charitatem, *Philautia* (id est amor sui, ait Theoph. in cit. D. Pauli locum) *charitati est opposita. Nam charitas est lata & vndique effunditur: philautia verò latitudinem eius in arctum constringit & vnum tantummodo contrahit. Hic amor priuatus*, ait Dionysius Richelius libr. de laude vitæ solitariæ articul. 6. *omnium radix atque origo iniquitatum sanctæ extat charitati venenum, & minoratio istius detestandi amoris, est charitatis profectus & incrementum. Mera verò praui improbiq; illius amoris eradicatio, est charitatis perfectio.* Qualiter hæc radix mortificanda & extirpanda docet Pazius loco cit. c. 5. & seq.

Ficus

Ficus vt fœcunda sit debet exponi soli: Ita etiam homo debet exponi soli diuino, id est, Deo, cum variis inter Deum & solem conuenientiis.

SECTIO XXIII.

Vt fœcundus reddatur peccator debet exponi soli.

1. FIcus gaudet sole, vnde vt fertilis sit & fœcunda soli debet exponi & solaribus radiis perfundi: Ita & homo peccator quamdiu in tenebris degit, & vmbra mortis consistit, sterilis vt sit planè est necessarium. Vt autem fœcundus existat in bonis operibus, soli debet exponi; solaribus radiis expositi operum illius fructus, facilè maturescunt, facilè dulcescunt. Sed quisnam hic sol cui si homo expositus, frugifer & fœcundus efficitur?

Sol Deus.

2. Imprimis. Sol hic ipse Deus est, cui si exponatur homo, cuius radiis si illustretur, non potest non esse fœcundissimus. Meritò autem Deum soli assimilamus, nam vt ait Dionysius de diuin. nom. cap. 4. *Clara, expressaq́, diuinitatis imago est magnus hic sol totus lucens ac semper splendidus* &c. Vis videre aliquas inter hunc solem & Deum conuenientias? — Dionys.

Soli comparatur Deus ob lucis copiam.

§. I.

Primò ob lucis abundantiam.

3. PRimò. Comparatur Deus soli ob lucis copiam & abundantiam. Sicut enim sol est fons lucis, & reliquorum luminum parens: ita & Deus, Pater est luminum, fonsque omnis lucis tam increatæ quàm creatæ.

Verbum diuinum soli comparatur.

4. Quid verbum diuinum, nisi lux increata, emanans à patre, tanquam diuino quodam sole. Vnde D. Paulus respiciens ad diuinam Christi naturam sic loquitur Hebr. cap. 1. *Qui cùm sit splendor patris & figura substantiæ eius.* Quæ verba exponens Cornelius sic scribit. Generatio filij optimè comparatur emanationi radij à sole; hac enim similitudine, vt notat S. Ambrosius lib. 1. de fide ad Grat. cap. 4. & patres Græci tria significantur. Primò generationem filij esse naturalem, filiumque à patre non liberè, sed naturaliter, perinde vt radium à sole, procedere. Vnde Cyrill. lib. 10. thesauri cap. 8. hinc probat, filium Dei non præcedente voluntate & electione, sed secundum naturam à Patre generatum esse. Secundò, hac radij ac lucis similitudine significatur immutabilitas generationis filij: sic enim sine mutatione & immutabiliter radius à sole profluit. Tertiò significatur generationis huius æternitas, radius enim siue splendor soli coæuus est. Vbi ergo, inquit Chrysostomus sunt Arriani, qui dicunt, *Erat quando non erat*, id est, erat tempus quando non erat filius. Rursum quartò, significatur generationis eiusdem puritas, quia lux à sole promanat, sine vlla fæce aut commistione, quasi spiritualis & purissima qualitas. Quintò, hinc colligit Damascenus lib. 1. de fide cap. 9. filium à patre esse inseparabilem, sic enim lux & radius à sole inseparabilis est. Rursum numquam posse filium deficere, quia lux solis durante sole deficere nequit. Denique sicut à sole & splendore calor, ita à patre filioque Spiritus sanctus procedit. Hæc ille, sed fusiùs ante eum de eadem re Philippus Diez in summa prædicat. tom. 2. verbo, *Natiuitas Domini*, ad verba; *Et peperit filium suum primogenitum* &c. fol. 176. Qualiter Christus assimiletur luci vide etiam apud Ioan. à S. Gemin in summa exemp. lib. 1. cap. 91.

Cornel. — Chrysos. — Philipp. Diez. — Ioan. a S. Gemin.

Deus pater fons omnis lucis creatæ.

5. Et etiam Deus Pater fons omnis lucis creatæ, nam creator est angelorum, qui lumina quædam sunt participata, & vocantur ab Apostolo Angeli lucis. Vnde Nazianzenus orat. 2. in pascha. *Secundi splendores procreati, sunt primi splendoris administri, primario Dei fulgore collucentes. Ille ob splendorem Lucifer* &c. Dicitur etiam fons luminis respectu hominis cui & rationis naturalis lumen concessit, & lumen supernaturale gratiæ, & lumen gloriæ, tandemque alios aliorum lumina constituit, iuxta illud Matth. 5. *Vos estis lux mundi*, & illud Diui Pauli Philip. 2. *inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes*. Qualiter propria Dei possessio & thesaurus sit lux pulchrè docet Pineda in Iob cap. 36. secundum Anagogiam exponens illa verba. *Annunciat de ea amico suo, quòd possessio eius sit & ad eam possit ascendere.*

Nazian. — Pineda.

Soli

Soli comparatur Deus ob illuminationem.

§. II.

Secundò, ob illuminationem.

6. SEcundò, comparatur Deus soli, ob illuminationem, sicut enim proprius effectus solis est lucere & illuminare, quemadmodum & aliorum astrorum iuxta illud Genes. cap. 1. *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cæli, & illuminent terram, & diuidant diem & noctem, vt luceant in firmamento cæli & illuminent terram.* Et rursus cùm ait: *Fecitq́, Deus duo luminaria magna & stellas, & posuit ea in firmamento cæli, vt lucerent super terram* &c. Ita multò magis proprium est diuini illius solis lucere & illuminare, animarumque tenebras omnes dispellere. Quo quidem sensu Philo Iudæus in lib. de charit. ita per comparationem eleganter ait: *Quemadmodum enim sole exorto euanescunt tenebræ & luce replentur omnia, eodem modo quando sol diuinus illucescit animæ, vitiorum, affectionumq́, caligo dispellitur, & splendidissima virtutis pura, amabilisq́, se profert species.* Consentanea sunt quæ scribit Gregorius Nazianzenus orat. in sancta lumina ita inquiens: *Enimvero Deus summum lumen est, & inaccessibile, quod nec verbis explicari potest naturam omnem ratione praditam illustrans, hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus, eò se magis contemplandum nobis prabens, quò accuratius animos purgauerimus, eò rursus magis amandum, quò magis contemplati fuerimus, eò denique magis cognoscendum, quò maiore ipsius amore arserimus.* Hæc Nazianzenus.

Philo.

Nazian.

Quantum ad illuminationem differt sol corporalis ab increato in infinitum.

7. Longè autem, imò in infinitum, quantum ad illuminationem differt hic sol corporalis ab increato illo sole, de hoc enim sole diuino siue Patre luminum sic Diuus Iacobus epistolæ suæ cap. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis adumbratio.* Sol corporeus mutabilis est, mouetur perpetuò & rotatur, & à terræ vmbra, ne omnes homines illuminet, impeditur. In sole est transmutatio, hoc est, sol, ex vno in alterum hemisphærium, singulis diebus transmutatur. Est etiam vicissitudinis adumbratio, hoc est, vicissim ab hac, & ab illa terræ parte adumbratur, vt nox vicissim modò in vna, modò in altera efficiatur; ipsa enim vmbra terræ soli officiens noctem efficit. Vox verò Græca quæ alludit ad solem, & pro qua noster vulgatus habet, *vicissitudinis obumbratio, solis conuersionem.* Et ideo Oecum. legit, *non conuersionis obumbratio.* Est in sole conuersionis obumbratio, quia cùm conuertitur ab vno in alterum hemisphærium, illud, quod deserit, propter solis conuersionem obumbratur, vel quia cùm à tropico cancri in tropicum Capricorni conuertitur, nubibus & pluuiis aër obnubilatur. At apud Patrem luminum, nec est transmutatio, nec vicissitudinis aut conuersionis, obumbratio. Neque enim vlla, in illum, aut mutatio, aut conuersio, aut obumbratio vllo modo cadere potest, nulla ad eum peruenire, vel tenuissima vmbra, nullæ accedere possunt nubes, nullæ tenebræ, nullo indiget cursu, nullo vt illuminet orbem indiget motu, stabilis, quietus, atque immotus per vniuersitatem hanc rerum omnium spargit radios, quibus nulla vmbra, nullæ officiunt tenebræ.

Oecum.

8. Deinde hisce vtitur verbis Iacobus, ne cogitaremus, quòd sicut sol mutabilis in se est, & mutatione sua quâ circuit terram, modoque ad nostrum hemisphærium accedit, modò recedit, & sic est nobis causa diei ac noctis: ita & Patrem luminum in se esse mutabilem, atque aliqua voluntatis suæ mutabilitate esse causam vicissitudinis quæ reperitur in lumine gratiæ, & in vmbra peccati, quasi velut accessu ad nos lumen gratiæ conferat, & recessu tenebras peccati inducat: Hoc enim planè falsum & impium, quia concupiscentiâ ac malitiâ nostrâ ab eodem auertimur, & tenebras peccati incurrimus, sicut contingeret si fixo permanente sole globus terræ eam faciem, quæ modò ab eo illustratur, in solis vmbram inuerteret, vt in tenebris remaneret. Quod mihi videtur dixisse Interlinearis Glossa, cùm hoc loco sic habet: *In cuius natura nulla mutabilitas, sed identitas, & non solùm in natura, sed etiam in distributione donorum, quia sola dona lucis, & non tenebras errorum immittit.* Et D. Thomas in citatum locum. *Apud quem non est transmutatio in natura sua, qui omnino immortalis est, nec vicissitudinis obumbratio in effectu, quia ab ipso semper procedit lux, numquam tenebræ.* Vis nullas incurrere tenebras peccati? Caue ne te ab hoc diuino auertas sole, caue ne ab illo cadas. *Noli cadere,* ait D. August. tract. 2. in Ioan. *& non tibi occidet hic sol, si tu feceris casum, ille tibi faciet occasum,* &c.

Glossa Interl.

D. Thom.

Qui nullas vult incurrere tenebras caueat ne discedat à diuinò sole.

August.

Infælix cui per peccati casum facit hic occasum.

9. Infælicissimus est, qui ob peccati casum, efficit, vt sol ille increatus illi faciat occasum, priueturque illius præstantissima luce. Sol hic externus lux pecorum est, quippe qui oculos pecorum, imò & muscarum & vermium illustrat. Et quanti non facit homo hanc muscarum & vermium lucem? quàm graue malum non ducit cæcitatem, quæ nos illâ priuat. Quis ergo illius explicet infælicitatem qui per mortiferum casum sese priuat increati solis splendore. Cap. 5. libri Tobiæ, cùm gaudium imprecaretur Raphael An-

gelus Tobiæ, salutansque diceret: *Gaudium tibi sit semper*: respondit Tobias, *quale gaudium mihi esse potest, qui in tenebris sedeo & lumen cæli, non video?* Si magno afficiebatur mœrore Tobias, quòd lucem cæli non videret quo dolore illum par est affici qui lucem solis increati non cernit? Quale gaudium impius esse potest, qui in mediis huius mundi tenebris constituti lætissimo huius solis splendore sunt destituti.

Iracundia efficit vt hic sol nobis faciat occasum. AVGVST.

Præcipuè verò iracundia efficit, vt hic sol nobis faciat occasum. Vnde Diuus August. hom. 43. inter 50. *Non debuit*, inquit, *occidere sol super iracundiam vestram, & multi soles occiderunt: transeat aliquando iracundia vestra, dies magni solis celebramus*: (Per diem magni solis intelligit diem Dominicum) *illius solis, de quo dicit Scriptura: Orietur vobis sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Quid est in pennis eius? In protectione eius. Vnde in Psalm. dicitur: Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Et mox: *Si ergo irasceris, ne occidat sol iste in corde tuo super iracundiam tuam, ne fortè & occidat tibi sol iustitiæ, & in tenebris remaneas. Ne putetis autem quia nihil sit iracundia: Turbatus est præ ira oculus meus. Vtique cui turbatur oculus, solem videre non potest, & si conatus fuerit videre, pœna illi est, non voluptas.*

Psalm. 16.

Quid accidat recedēti ab hoc sole diuino. AVGVST.

Vis scire, quid animæ accidat, quæ recedit ab hoc sole, & cui diuinus sol facit occasum? Audi D. August. epist. 119. ad Ianuarium c. 5. *Anima humana, recedente à sole iustitiæ, omnes vias suas in terrena conuertit, & eò magis magisq; obscuratur in interioribus & superioribus suis: & lux illa ingenij ad inferiora vergit, mutaturq; in deterius, ad exteriora progrediens, terrena sapiendo.*

10. Si à sole hoc non faciamus occasum sed nos respiciat & radiis suis perfundat, ex illo omnia hauriuntur bona iuxta illud Dei Leuit. 26. *Respiciam vos & crescere faciam, multiplicabimini & firmabo pactum meum vobiscum.* Quem locum exponens Origenes, inquit: *Plenum beatitudinis est hoc ipsum, si quem respiciat Dominus. Respiciam vos & augebo vos, inquit, tanquam si sol aspiciens segetem, & vberrimos fructus referat, quam vtique si non aspixisset, infœcunda relinqueretur: ita Dominus Deus cor nostrum inspiciens oculis misericordiæ suæ, & radiis nos verbi sui illuminans, auget nos & multiplicat.* Sic ille. Quem autem hic non respicit sol, quia ab eo fecit occasum, hic omnibus inuoluitur malis.

Soli comparatur Deus ob communicationem, viuificationem beneficentiam radiorum emanationem.

§. III.

11. TErtiò comparatur soli ob communicationem. Sicut enim sol omnibus lucem suam communicat, ita & Deus tanquam summum bonum, maximè est communicatiuus. Vnde Dionys. Ariop. in libr. de diuin. nom. cap. 4. de ipso bono, id est summi boni proprietate differens, sic ait: *Age ergo ad ipsam iam boni appellationem pergamus explicandam, quam Theologi peculiariter summæ Deitati applicant, ipsam vt reor, substantiam diuinam, bonitatem appellantes, & quia eo ipso, quod est bonum, vt substantiale bonum in omnia, quæ sunt portendit bonitatem. Nam quemadmodum sol iste, non cogitatione aut electione, sed eo ipso, quod est illuminat omnia, quæ pro modo suo participationem lucis admittunt: Ita & summum illud bonum solem superans, non secus atque obtusam imaginem primitiua excellit forma ipsa sua, omnibus quæ sunt pro captu cuiusq; totius bonitatis iniicit radios. Eorum denique gratia subsistunt intelligibiles omnes, spiritalesq; substantiæ, & virtutes, atque operationes.* Hæc Dionys. Et paulò inferiùs in proposita solis similitudine seu comparatione cum summo bono persistens, ita congruenter, ait: *Ita profectò, & liquida diuinæ bonitatis imago magnus iste, & pellucidus, semperq; luceus sol, pro exigua boni similitudine, omnia quæ haurire ipsum possunt, illuminat, habetq; lucem eminenter explicitam, expandens illam super omnem hunc visibilem mundum, supraque, atque infra vibrans radios suos, quod si quid est quod non hauriat, id non imbecillitati, aut breuitati luminosæ ipsius distributionis imputandum est, sed iis potiùs, quæ percipiendæ luci minùs idonea sunt, neque se ad consortium lucis extendunt* &c. Plato quoque in dialogo 6. de rep. Deum, quia summum bonum est, propter effusam atque excellentem bonitatem, beneficentiam, & largitatem soli comparat, & solem ipsius boni filium esse, ait, patri suo simillimum ex eo autem quod summum bonum sponte sua diffusiuum & communicatiuum sui est, tanquam ex bono & solido fundamento probat D. Thomas 3. part. quæst. 1. artic. 1. decens congruumque

Tertiò, ob communicationem.

DIONYS.

gruumque fuisse valde diuinæ bonitati, vt filius Dei carnem nostram assumeret, de affluentia diuinæ liberalitatis, vide Balthazarum Paes in epistola Diui Iacobi cap. 1. ad vers. 5. *Qui dat omnibus affluenter* §. 3.

BALTHAZAR DIAS.

Quartò, ob viuificationem.

12. Quartò, comparatur soli ob viuificationem. Sicut enim solis officium & munus est salutem & vitam dare, vnde per excellentiam à quibusdam vitæ dator, seu largitor nominatur: ita & Deus omnis essentiæ & vitæ primarius auctor, non solùm viuit, sed ipsamet vita est, & fons vitæ, à quo, quidquid viuit, vitam haurit.

Quintò, ob beneficentiam.

13. Quintò, comparatur soli ob beneficentiam. Sicut sol oritur super bonos & malos, neque vno se continens loco, indefesso quærit studio quibus vitam inspiret, & obscura & remotissima quæque inuisit, quibus colluceat, neque illi satis est, si ad illius immoti & consistentis beneficium in publico, & in aperto positum, cuncti certatim aduolent, nisi cunctos suo ipse motu angulos rimetur, perlustret, cæcis & abstrusis recessibus lumen afferat, offerat: desidentibus & immotis occurrat, adsit; neque vnius hemisspherij, quamuis amplissima ditione contentus est, sed & alterum quoque sphereæ dimidium, vt bene de vniuerso mereatur orbe, requieto ambitu fertur; ita & Deus, beneficum se omnibus exhibet non solùm iustis, sed etiam peccatoribus, peculiari tamen ratione illuminat, conseruat, custodit atque beneficiis, fauoribus & consolationibus afficit iustos, quia scilicet capaciores, id est magis idonei & digni diuinæ illuminatione, beneficentia & gratia, tantò equidem magis, quantò fuerint iustiores & Deo similiores, ad cuius imaginem & similitudinem facti sunt, peccatores verò non item, quia minùs idonei, & valde indigni sunt, quos illuminet, vel ita assiduè illuminet atque respiciat. Quemadmodum enim ad hunc solem materialem intuendum oculis sanis & puris opus est: ita etiam vt luce illius diuini solis assiduè collustremur, mens sana & pura, Deo ipsi similis, requiritur, vt lucem & splendorem illius radij diuini recipiat. Nam quemadmodum rectè inquit Diuus Ambrosius in libro de Isaac & anima cap. 8. *Solem nisi sanus & vehemens oculus non aspicit, nec bonum potest videre nisi anima bona. Fiat ergo bonus qui vult videre ipsum bonum, id est Deum* &c.

AMBROS.

Sol imago bonitatis diuinæ.

GREGOR. NISS.

14. Notat autem rectè Gregorius Nissenus solem tantummodo imaginem esse bonitatis diuinæ, non ipsa summa bonitas, vtpote à qua longissimè distet. *Quippe*, ait de orat. mortal. *non vbique, aut semper, aut omnibus prodest, vt qui & nimio nonnunquam ardore vehementer noceat, & quæ sibi obiecta sunt vehementiùs exficcet, & morborum persæpe causa sit, lippientibus atque oculis imbecillioribus officiat, & ex humidorum corruptione, damna molestiasque viuentibus importet* &c.

Sextò, ob radiorum emanationem.

15. Sextò, Deus soli comparatur, ob radiorum emanationem. Sicut enim sol corporalis suos diffundit radios, qui calefaciunt: ita Deus sol increatus tanquam tot fulgentes radios diffundit in homines cuncta bona. Quò respiciens Diuus Iacobus in epistola sua cap. 1. sic ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum.* Vis scire quid sint bona omnia, siue ea vtilia, siue iucunda, siue honesta sint, quæ cupis? huius radij quidam sunt, qui nos calefaciunt & illius amore incendunt. Vis scire quid sint naturæ omnes, quarum pulchritudo multorum corda, amoremque rapit? huius solis scintillæ quædam sunt. Si tanto ardore animos scintillæ inflammant, quanto maiori sol inflammabit increatus? Caueat homo, ne in hisce radiis siue scintillis creaturarum siue donorum Dei, sistat & hæreat, sed per ipsos, ad ipsum ascendat & tendat solem atque authorem quem quasi digito ostendunt. *Vt enim*, ait Theophilus Bernardinus de relig. persecu. præsidiis libr. 4. cap. 9. *tenebricoso loco conclusus irrumpente per aliquam rimam limpidissimo lucis radio, amicè quidem iucundum illum radium contueretur, & maiori longè cupiditate flagraret, videndi illius illustris & luminosi corporis, vnde lux tanta manauit, ita cùm videmus creaturas ad eam lucem euocatas, vt & sint, & multa possint: quid possemus aliud, quàm vt vehementius cogitationem transferremus in admirationem tam nobilis præcelsi principij, à quo omnia, quæ nihil erant, abundè & indesinenter omne esse, omne posse, hauriunt, conseruant atque perficiunt? Indeque altrauersus delati, non sine singulari mentis oblectatione spectaremus summam illam & nullius rei indigam naturam, hæc tam multa, tam varia, tam minuta, solisque rebus procreatis vtilia vel iucunda, tam constanter, multipliciter, indefessè & benignissimè impertiri?* Sic ferè ille. Qualiter per hosce radios variarum creaturarum ad ipsum ascendendum solem docet fusè idem auctor loco præcitato cap. 10.

THEOPH. BERNARDINVS.

Deus comparatur soli, ob obtenebrationem, rerum omnium ad se conuersionem & vbique præsentiam.

§. IV.

Septimò, ob obtenebrationem.

16. SEptimò, Deus soli comparatur, ob humani oculi obtenebrationem & excæcationem si fixis contempletur oculis. Sicut enim is qui solis splendorem, fixis in eum oculis contemplatur, solis ipsius luce nimia obruitur, & excęcatur, sic qui diuinitatis radios ardentissimos temerè & insolenter intuetur, coruscante illorum splendore opprimitur. *Solem hunc sensibilem*, ait Diuus Basilius in cap. 1. Ioan. *nemo est qui non laudet, & ipsius magnitudinem simulq́; pulchritudinem & radiorum symmetriam, atque lucis splendorem admirans: si verò in eo diligentiùs atque pertinaciùs intuebitur & in dies eius aspectum considerabit, non solùm quæ sentit in eo deprehendet, sed etiam oculorum aciem debilitatus abscedet. Tale quid videor mihi pati mente, si requiratur de Deo, quid sit.* Sic Basilius. Pulcherrimè quoque Diuus Hilarius libr. 10. de Trinit. *Sicut est in sole, quod videas, si hoc velis videre quod possis: amittas autem quod potes videre, dum, quod non potes, niteris: ita & in rebus Dei habes quod non intelligas, si intelligere, quod potes, velis. Cæterùm si vltra quàm potes, speres, id quoque quod potuisti posse, non poteris.* Hæc ille. *Quia sol est Deus*, ait Plutarchus, *quò magis intueor, quò magis obcæcatus illususq́; discedo.*

Basilius.

Hilar.

Plvtarc.

17. Eccle. 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris* &c. Altius nostro intellectu est mysterium diuinitatis & fortius, non potest paruus intellectus ad altissimum pertingere mysterium: imbecillis mens non potest fortissimum capere arcanum. Duplex autem est causa cur ad tantum mysterium non pertingamus. Altera est in nobis, altera in ipso mysterio. In mysterio est infinita altitudo quæ omnem superat intellectum, iuxta illud Iob 36. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*, & illud Psalmi 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, præ me, nam captũ meum excedit; *Confortata est*, id est, fortis facta est, *& non potero ad eam* ascendere, non potero ei præualere. In nobis verò est causa magna imbecillitas. Vnde D. Gregorius 9. moral. 11. *Qui*, inquit, *in factis Dei rationem non videt infirmitatem suam considerans, cur non videat, rationem videt* &c. Ibidem: *Nequaquam sufficit sensus carnis, vt secreta penetret maiestatis* &c. Legendus etiã D. Aug. initio lib. 4. de Trin. de cogitatione nostrę infirmitatis agens. *Scientiam*, inquit, *terrestrium cælestiumq́; rerum, magni æstimare solet genus humanum. In quo profectò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos, laudabiliorq́; est animus, cui nota est, vel infirmitas sua, quam qui ea non respecta vias syderum scrutatur etiam cogniturus, aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipse quà viâ ingrediatur ad salutem ac infirmitatem suam* &c. Non sunt ergo superbè perscrutanda diuinitatis arcana, perscrutanda sunt potiùs humiliter Dei mandata, vt illa exequamur. Quamobrem Sapiens Eccle. 3. postquam dixit: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*, addit: *Sed quæ præcepit tibi Dominus cogita semper.*

Gregor.

Avgvst.

18. Octauò, Deus soli comparatur, ob rerũ omnium ad se cõuersionem. Plato enim Cratylo ait ἥλιον id est, solem vocari à conuersione, quod suis radiis, luce, calore, efficacitate omnes res, omniumque oculos ad se conuertat, multò magis id facit Deus, qui est sol immensus tum lumine, tum calore, tum beneficentia in omnes & omnia. Verè S. Iustinus apud Damascenum lib. 1. Paralip. c. 65. *Vt corporis bonum*, inquit, *est sanitas, sic animæ bonum est Dei cognitio, quæ est velut quædam animæ sanitas, per quam diuina similitudo comparatur.* Idem apud Antonium de Melissa l. 2. ser. 43. *Finis philosophanti est, Deo quoad eius fieri potest assimilari.*

Octauò, soli cõparatur ob omniũ rerum ad se conuersionem.

Damasc.

19. Nonò, Deus soli assimilatur ob vbique quandam præsentiam, sicut sol vbique præsens est, miscetur omnibus, nihilque est quod à sole sese abscondere possit, virtute enim sua penetrat caua viscera terræ, & in terræ absconditis profert aurum, argentum, ceteraque metalla, in maris profundo gemmas, lapidesque pretiosos: Similiter & Deus vbique pręsens, vbique infusus; vnde sic pulchrè Minutius Fælix in Octauio: *Non tantũ Deus vbique proximus, sed infusus est. In solem adeò rursus intende: cælo affixus, sed terris omnibus sparsus est: pariter præsens vbique interest, & miscetur omnibus (nusquam enim claritudo violatur) quantò magis Deus author omnium, ac speculator omnium à quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris? Non tantùm sub illo agimus; sed cum illo, vt prope dixerim, viuimus.* Et Ambr. lib. 1. off. c. 14. *Quid tam stolidum quàm putare quod Deum quidquam prætereat, cùm sol qui minister luminis est, etiam abdita penetret, & in fundamenta domus, vel secreta conclauia, vis caloris eius erumpat. Quis neget verna temperie tepefieri interiora terrarum, quas glacies hiberna constrixerit? Norunt arborum occultam vim caloris vel frigoris, adeò vt radices arborum, aut vrantur frigore, aut fotu solis virescant. Denique vbi clementia cæli arrise-*

Nonò, ob vbique quandam præsentiam.

Minvt. Fælix.

Ambros.

arriserit varios terra se fundit in fructus. Si ergo radius solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis, aut grauium valuarum obicibus, quò minùs penetret impeditur, quomodo non potest intelligibilis Dei splendor, in cogitationes hominum & corda semet quæ ipse creauit, inserere?

Sicut sol omnia videt: Ita multò perfectiùs Deus.

§. V.

Decimò, sol omnia videt, at multò perfectiùs Deus. Primò.

20. DEcimò. Sicut sol dum vbique est, quodammodo etiam videt omnia, ita multò ita magis ipse Deus Opt. Max. cum sua immensitate omnes penetret & peruadat creaturas, omnibusque sit intimus. Hinc naturali etiam sequitur consequentia, Deum omnia videre ac perscrutari, neque quidquam à diuinis illius abscondi oculis, prout scripturæ multis in locis passim inculcant atque testantur. Prouerb. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Et Prouerbiorum 16. *Omnes viæ hominis patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus.* Priora verba sic aliqui legunt teste Salazar in hunc locum. *Omnes viæ viri vitreæ in oculis eius.* Iam verò ex hisce hunc elicit sensum: *Omnes viæ hominis patent oculis eius: id est, omnes rationes, & consilia hominis Deo manifesta sunt, aut (si licet dicere) vitrea, & crystallina, ita vt illa penitus inspiciat, & intentissimam illius aciem nihil fugiat. Interim tamen dum vitro perlucenti, & crystallo diaphano comparantur, insinuatur quàm fragiles, & inanes sint prouidentia, & cassa hominis cõsilia apud Deum. Non solũ enim ea acie sua peruenit, ac permeat, quà diaphana sunt; sed etiam nullo negotio refringere, & comminuere potest, quà vitrea sunt. Et spirituum ponderator est Dominus. Germanus sensus esse videtur Deum internas hominis cogitationes non solùm penitus inspicere: sed etiam appendere, & librare, & leues ne sint, an graues, lance sua æstimationis explorare. Leues cogitationes sunt ioculares, inanes, vanæ, superbæ, & alia id genus: graues autem humiles, demissæ, seriæ, & quæ cum his concinunt.*

Salaz.

21. De iisdem oculis agens Ecclesiasticus c. 23. sic ait: *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Syrus verò, *& nescit quia oculi Dei magni, maiores sunt decies millies sole, & videt vias omnium hominum, & intelligit in tenebris faciem operum eorum.* Quibus verbis insinuat Sapiens, quatuor præsertim modis oculos Dei lucidiores esse super solem, quos sic expendit Cornelius: Dei oculus in multis superat solem. Sol enim non circumspicit omnes vias, id est, mores, & actus etiam internos hominum, hos tamen circumspicit Deus.

Secundò, sol non penetrat profundum abyssi, id est, maris: mare enim multis in locis ad duo vel tria milliaria profundum est, quò non pertingunt solis radij, vt plurimum tamen maris profunditas non excedit dimidium milliarij, vti testantur nautæ qui maris altitudinem demissa bolide explorarunt. Adde, nonnulla maria profunda esse, vt eorum profunditas necdum reperta sit, qualia sunt Sueuica littora, vbi non anchoris, sed ferreis annulis naues cohibentur, & in Ponto, de quibus Plinius lib. 2. cap. 102. in Ponto, inquit, ex aduerso Coraxorum (vocant Bathea, id est, profunda, Ponti) trecentis ferè à continenti stadiis immensam altitudinem maris tradunt, vadis nunquam repertis. Secundò. Plinius.

22. Tertiò, Deus est cardiognostes, & hominum corda introspicit. Id facere nequit Sol. Quocirca à Sophocle in Oedipo Colon, epithetum Deo proprium datur πανδέρκης, id est, omnia intuens, quod nihil eum lateat, nullum cordis arcanum eius aspectum fugiat. Tertiò.

23. Quartò, absconditas mundi partes, puta terræ viscera & centrum, locaque inferni, ac tot milliones dæmonum & hominum damnatorum ibi degentium clarè intuetur Deus; rursum omnes mundi angulos, cubicula, lectos, stragula, antra, cauernas, latibula, fossas, hiatus peruidet. Id non facit sol. Oculi ergo Dei multò lucidiores sole sunt, præsertim circa actus hominum bonos vel malos: hos enim acerrima acie intuetur Deus, vt suo tempore æternis pœnis vel præmiis eos puniat, aut remuneret. Quocirca S. Ioannes Apocal. 1. Christi gloriam describens: *Oculi eius tanquam flamma ignis.* Et Daniel cap. 10. Angelum Dei, & in eo Deum pingens: *Facies eius*, inquit, *vel vt species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens.* Quartò.

24. Pulchrè etiam de acie perspicacissima, & immensa mentis diuinæ Iob c. 26. *Nudus*, ait; *est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.* Quæ verba Pineda exponit de infernis locis, & terræ centro nobis occultissimis, quod cùm nos ignorationis, & caliginis velo contectum lateat, at latere non potest diuinorum aciem oculorum. Pineda.

25. Ad hanc Iobi sententiam alludens Paulus Hebræor. 4. ait: *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Quod aperta dixit, Erasmus, Ribera & alij dicunt resupinata, id est, in collum siue ceruicem reclinata, ita vt sint facie conuersa ad cælum, & oculis obuia, quo significatur taliter omnia esse exposita diuinis oculis, ita vt

vt perfectissimè omnia cognoscat, non per vmbram, non videat tantùm posteriora, sed faciem ipsam ad cælũ, & diuinos oculos conuersam; ita vt de facie, & intus & in

CHRYSOS.

cute perspiciat. Chrysost. legit excoriata, vt sit metaphora ab ouibus iugulatis & excoriatis: *Sicut enim*, inquit, *cùm pecudes occiderit quis, & ex carnibus detraxerit pellem, omnia interiora reuelantur, & aperta sunt oculis nostris, sic & Deo aperta subiacent omnia.*

ANSELM.

Sic ille. Anselmus: Dum Paulus, ait, omnia aperta esse oculis Dei affirmat aperiendi translationem referendam existimat ad librum, qui cùm aperitur legi potest. Ita nimirum diuinis oculis peruium, & lectu facile esse quidquid in nostris conscientiis exaratum, & signatum est. Quare quod nos seris, & repagulis claudere conamur, recludit Deus; quod nos conculcare, & obuoluere tenebris, illuminat, quod aperire, & contegere, reuelat.

Videt Deus omnia, antequam fiant.

26. Quod amplius, videt omnia Deus diuinis oculis, vel antequam fiant. Hinc Daniel. cap. 13. *Deus æterne qui absconditorum es conditor, qui nosti omnia antequã fiant.* Et Regius Propheta Ps. 138. *Cognouisti sessionem meam, & resurrectionẽ meam, intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam, & funiculum meum inuestigasti. Et omnes vias meas præuidisti: quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua.* Et Ecclesiast. c. 23. *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia.* Sed SS. Patrum hac de re sensa adducenda.

Probatur sententiis sanctorum Patrum.

§. VI.

TERTVL. Deum omnia videre probatur SS. Patrũ sententiis.

27. NIhil, ait Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 6. *occultum quod reueletur, quantascunque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen, & illius oculi lucidiores super solem*, &c.

CHRYSOS.

28. *Fingamus*, ait D. Chrysost. homil. de Cruce Dominica, *Deum, quasi hominem sedentem in excelso montis vertice, & exinde prospicientem vniuersum mare, nauesq; transeuntes, aliam quidem velificantem, & tempestatem violentam patientem ventorum, sed gubernatore peritissimo regente vndarum moles huc illucq; diuidentem illæsam in portum deducere nauem: aliis autem prospero cursu rectam viam pergentibus, aliis verò naufragium sustinentibus, & paucis exinde hominibus adiumento axis alicuius ad littus euadentibus, aliis verò morientibus: ita est & Deus omnia prospiciens. Quando autem dixero Deum sedentem in excelsis, vbique eum credite esse præsentem. Nec enim locorum distantiã retardatur, cùm ipse sibi sit locus, & ipse omnia capiat, capiat autem eum nihil. Qui enim capacitas potest incorporalem ferre naturam, immobilem, & sine fine, & inuestigabilem, & inconuertibilem, incomprehensibilem? Quæ omnia Deus est.*

29. *Oculos Dei simul vniuersa cernentis*, In-

AVGVST.

quit S. Aug. ser. 2. de tempor. *non abdita locorum, non parietum septa secludunt, nec solùm ei acta & cogitata, verùm & agenda & cogitãda sunt cognita. Ista vera scientia summi iudicis iste est tremendus aspectus, cui peruium est omne solidum, & apertũ omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur.* Pulchrè & affectuosè idipsum pertractat, author Soliloquiorum, c. 14. qui extat to. 9. operum S. Aug. *vbi inter alia*, sic scribit: *Sed imperfectum meum viderunt oculi tui: oculi (inquam) tui multò lucidiores sunt sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & in omni loco contemplantur semper bonos & malos. Cùm enim cunctis præsideas singula implens, totus semper vbique præsens, cunctorumq; curam agens quæ creasti, qui nihil odisti eorum quæ fecisti: sic gressus meos semitasq; cõsideras, & die noctuq; super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ cæli & terræ oblitus, tantùm me consideres, & nihil sit tibi cura de aliis. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantùm vnum aspicias: neque minuitur, si innumera videas, & diuersa. Quia sicut vnum totum simul perfectè consideras, sic singula qualibet licet diuersa, perfectè simul totaq; totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic vnũ; & sicut vnũ sic singula, totus simul sine diuisione, vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore sine tempore, totum me simul semperq; consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omniũ oblitus sis, & mihi soli intendere velis. Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratũ inuenis. Quocunque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram. Vbicunque fuero non recedis, quoniã vbique es, vt quocumque iero, inueniam te; per quẽ possum esse, ne peream sine te, cùm sine te esse non possim. Fateor quidẽ, quia quidquid facio; & illud quidquid est quod facio, melius tu vides, quã ego, qui facio. Quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens assistis, vtpote perspector omnium cogitationum, intentionum, delectationũ, & omnium operationum mearum. Domine ante te est semper omne desiderium meũ, ante te tota cogitatio mea. Tu Domine vides vnde veniat spiritus, vbi sit, & quò vadat, quia tu es omnium spirituũ ponderator. Et vtrum radix sit dulcis, an amara, de qua foris pulchra folia emittũtur: tu iudex internus meliùs ipse nosti, & etiam medullas radicum subtiliùs perscrutaris, & non solũ intentionũ, sed radicis eius medullam intimã, disertissima tuæ lucis veritate colligis, numeras, cõtueris, & consignas, vt reddas vnicuiq; non solummodo secundum opera, vel intentionẽ, sed etiam secundũ ipsam interiorẽ absconditam medullã radicis, de qua procedit intentio operantis. Ad*

quod

quod tendo cùm operor, quidquid cogito, & in quocumque delector, tu vides, aures tuæ audiunt, oculi tui vident, & considerant, signas, attendis, & notas & scribis in libro tuo, siue bonum fuerit, siue malum, vt reddas postea pro bono præmia, & pro malo supplicia. Hucusque ille. Et epist. 111. *Deus*, ait, *totus oculus est, quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur: totus pars est, quia vbique est.*

GREGOR. 30. *Occulta mentis nostræ itinera*, ait D. Greg. 25. mor. 3. *nullus hominum videt, vt tamen ante Dei oculos tot gressus ponimus, quot affectus mouemus.* Et 26. mor. c. 4. *Toties ante illum labimur, quoties à recto infirma cogitationis pede claudicamus. Nisi enim in conspectu eius iste assiduus nostrarum mentium lapsus incresceret, per Prophetam scilicet non clamaret.* Isa. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Hæc nimirum dicens: vim coopertæ nostræ malitiæ quasi ferre se non posse testatur. Quæ cooperta illi esse non potest: quia videlicet importunè eius conspectui ingeritur, quidquid à nobis illicitum occultè cogitatur. Hebr. 4. Omnia enim, sicut scriptum est: nuda & aperta sunt oculis eius.

BERN. 31. D. Bernard. serm. ad Clericos c. 16. adultero illi respondens qui ait: *Quis me videt, parietes cooperiunt me*, sic pulcherrimè scribit: *Esto nemo te videat, non tamen nullus. Videt te Angelus malus, videt te Angelus bonus, videt te & bonis, & malis maior Angelis Deus, videt accusator, videt testium multitudo, videt & ipse iudex, cuius te oportet assistere tribunali. Sub cuius sanè oculis velle delinquere tam insanum est, quàm horrendum incidere in manus Dei viuentis. Nuda sunt eius oculis omnia*, &c.

Probatur dictis philosophorum.

§. VII.

Deum omnia videre probatur dictis omnium philosophorum

32. PHilosophorum quoque variæ sententiæ, & dicta in hunc scopum collimantia audienda. Celebre in primis illud Hesiodi de Iouis oculis; Omnia videns Iouis oculus, omniaque intelligens.

PLATO, PLOTIN. 33. Plato & Plotinus rogati, quomodo Deus videre possit omnia? Responderunt, Quia hæc tota rerum machina in cõspectu Dei est instar puncti. Hinc S. Athanasius de vnita substantia SS. Trinitatis lib. 1. in fine illis Isaiæ c. 40. verbis: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt*, putat significari neminem à diuinitate Trinitatis posse se occultare vel fugere, quia illi totus orbis est quasi gutta.

THALES. 34. Thales septem Græciæ sapientum sapientissimus dicebat, *Homines sibi persuadere debere, Deos omnia cernere Deorumq; omnia esse plena, vt coram iis castè & sanctè viuant*, Idem rogatus, num facta iniqua Deos laterent respondit: *Ne cogitata quidem: secretis enim cogitationibus caleste numen adest, & interest.* Cùm simile Thaletis Milesij monitum recitasset Tullius lib. 3. de legibus, nimirum assiduè volutandum animo esse, non solùm facta atque dicta, verùm & cogitata diuinis oculis patere, præclarè adiecit: *Omnem virtutis philosophiam, hoc vno verbo Thales complexus est.* Homerus quis sit Deus ita definit:

Est sol qui omnia videt, & omnia audit.

35. Dicebat Lucilio suo Seneca ep. 41. SENEC. *Prope Deus est, tecum est: intus est. Ita dico Lucili sacer intra nos spiritus sedet, bonorumq; malorumq; nostrorum obseruator & custos.* Paulò aliter Cicero lib. 2. de natura Deorum: *Ignoratio rerum aliena naturæ Deorum est, & sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas, minimè cadit in maiestatem Deorum.* Percontatus Thales, an facta hominum Deos fallerent? *Ne cogitata*, respondit, *vt non solùm manus, sed mentes etiam puras habere vellemus, cum secretis cogitationibus nostris celeste numen adesse credimus.*

36. Antalcidas, vt scribit Plutarchus in PLVTARC. Lacon. dum in Samothracia initiaretur, & inquireret sacrificus, quid laude & gloria dignum gessisset? dicebat: *Hoc Deos scire, ideoq; eorundem commemoratione perperam apud illos commendari se velle.*

37. Idem etiam eleganter illa Arionis historia, potiùs fabula, quã Plutarch. in conuiuio describit, significatũ est: Cùm Arionis cogitationem in mediis fluctibus periclitantis, nisi Delphinorum ope, & diuina prouidentia subleuatus fuisset, in hæc verba exprimit: PLVTARC. *Aiebat sibi neque mortis tantùm metum, neque vitæ cupiditatem tantùm ad animum accidisse, quantum sibi studium incessisset, vt seruatus & diis charus videretur, & firmam de iis opinionem conciperet. Simulq; se, cùm cælum intueretur stellis frequentissimis nitens, lunamq; fulgidam, & puram exorientem, stantem, stante mari tranquillo vndequaque, & sine fluctibus cursum veluti semitam scissam præbente, cogitante secum animo suo, non vnum dumtaxat iustitiæ oculum esse, sed his omnibus (stellis, inquam, atque luminibus cælestibus) circumcirca Deum obseruare, quæ terra mariq; agantur.*

38. Huc etiam spectantes Ægyptij pingebant Deum, quasi oculum baculo innixum, vt significarent Dei omniscientiam, ÆGYPTII. & prouidentiam, peruigilemque curã, quasi pastoralem. Sic Osirim Deum suũ pingebant, quasi sceptrum habens in se oculum insculptum, ait Macrobius l. 1. c. 21. Sceptrũ significat Dominũ & potestatem regiam, oculus omniscientiã. Quò allusisse videtur Ier. c. 1. dum rogatus quid videret? respondit, *se virgam vigilantem siue oculatã vidisse.*

39. Ita etiam de Deo senserunt varij POETÆ. Poetæ. In primis Orpheus, qui in carmine ad Museum filium, ac reliquos Germanos, verosque auditores de Deo canit hoc modo, vt etiam recitat Iustinus:

Vnicus

Vnicus est per se existens qui cuncta creauit,
Inq; his ipse exstat nulli è mortalibus vnquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.

Quanta insipientia peccatoris arbitrantis se à diuinis abscondi oculis.

§. VIII.

Tam stultus peccator vt putet se à diuinis oculis non videri.

40. HÆc cùm ita se habeant, quis non mirabitur insignem illam peccatorum insipientiam & stultitiam, quâ excæcati persuasum habent, dum diuinam offendunt Maiestatem, se ab insopito illo diuino oculo, id est perspicacissima diuinæ mentis acie vel non videri, vel tenebris occultari. Tales in primis primi Parentes, de quibus legimus Genes. cap. 3. *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Mali*, ait Hieronym. in c. 29. Isaiæ lib. 9. super illa verba, *Væ qui profundi estis corde, idcircò arbitrantur Deum sua nescire consilia, quia in tenebris sunt opera eorũ, & dicunt, quis videt nos? Et quis nouit nos? Hæc dicunt sapientes huius sæculi, non recordãtes eius, quod ad eum dicitur, tenebræ nõn obscurabuntur à te. Hoc errore decepti Adam, & Eua, audientes sonitum pedũ eius deambulantis absconderunt se sub arbore.* Sic ille. *Quanta hoc insipientia est*, ait D. Chrysost. in c. 3. Genes. hom. 17. *quod à Deo, qui vbique præsens est, qui abscõdita scit, qui fingit sigillatim corda hominum, & nouit omnia opera eorum, qui scrutatur corda, & renes, qui etiam ipsos cordis motus cognoscit, abscondere se tentant? Sed ne mireris, dilecte; talis enim peccantium consuetudo est, vt tametsi occultari non possint, occultari tamen velint, & studeant.* Talis illi de quibus Dauid Ps. 85. *Ecce*, inquit, *loquẽtur in ore suo, & gladius in labijs eorum, quoniam quis audiuit.* Hoc est, pessima inter se consilia inibunt, & pessima opera molientur, hac vna spe freti fore, vt à nemine audiantur: Sic exponit ibi Theod. cum Symmacho: *Veluti*, inquit, *nemine prospiciente, nec exaudiente, nec pœnas exigente, hæc patrare audent.* Tales erãt seniores illi, de quibus Dominus Ezech. 8. *Vides*, inquit, *fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, vnusquisque in abscõdito cubiculi sui, dicũt enim, non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Tales illi de quibus Isa. c. 29. *Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos, & quis nouit nos? Peruersa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo: Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo: Non intelligis. Omnis homo*, ait Ecclesiast. c. 23. *qui transgreditur lectũ suum, contemnens in animam suam, & dicens: Quis me videt? Tenebræ circumdant me & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius. Hic in plateis ciuitatis vindicabitur & quasi pullus equinus fugabitur: & vbi non sperauit, apprehendetur.* Quis non risu excipiat & sibilo explodat tantam huius adulteri insipientiam, quantas patiatur in mente tenebras. Pulchrè expendit D. Chrys. hom. 11. in 1. ad Cor. *Noli*, inquit, *dicere: In tenebris sum, pariete claudor, quis me videt? Qui enim omnia nostra corda effinxit, ipse omnia nouit. Quoniam tenebræ apud eum nihil obscurius reddũt. Rectè autem inquit peccator: Tenebræ circumdant me, & parietes: nisi enim in tenebris animus esset, non sanè Dei timore abiecto, tantâ duceretur licentiâ. Nam nisi priùs rationalis pars caligaret, non tam licenter peccata in nos impetum facere potuissent. Quãobrem ne dicas, nemo me videt: est namque qui ad animam vsque & spiritum, articulos & medullas penetrat. Te autem ipsum non vides, neque potes nebulas expellere: sed tanquam muro vndique circumdaris, & sic nequis cælum suspicere.* Docet deinde in omni peccato esse tenebras mentis, & rationis lumẽ extingui. *Nam quemadmodum*, inquit, *latrones, & parietum perfossores, cùm quid pretiosum rapere volunt, extincto lumine id aggrediuntur: sic in peccatoribus corrupta ratio. Etenim in nobis rationis lumen est semper ardens; quod si spiritus iniquitatis vehementiori impetu aggressus extinxerit, quamprimùm animã obscurauit, expugnauitq;, & quidquid in ea conditum est, compilauit.* Sic ille. Eleganter quoque eiusdẽ exsibilans stultitiam D. Ambr. citatum expendens locum, sic scribit l. 1. Offic. c. 14. *Nolunt* (adulteri & impij) *supra se esse iudicem, quem nihil fallat: nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi: sed etiam Dominus sciens opera eorum, tradidit eos in tenebras. In nocte, inquit, erit fur: & oculus adulteri seruabit tenebras, dicens: Non cõsiderabit me oculus, & latibulum personæ opposuit suæ. Omnis enim qui malè agit, lucem fugit, diligit tenebras, studens latere, cùm Deum latere non possit, qui intrat profundum abyssi, & intra hominem mentes non solùm tractata, sed etiam voluenda cognoscit. Denique & ille qui dicit in Ecclesiastico: Quis videt me? Et tenebræ operiũt me & parietes, quem vereor? quamuis in lecto positus hæc cogitet, vbi non putauerit, comprehenditur. Et erit, inquit, dedecus, quod non intellexerit timorem Dei. Quid autem tam stolidũ, quàm putare quòd Deum quidquam prætereat; cùm sol qui minister luminis est, etiã abdita penetret, & in fundamenta domus, vel secreta cõclauia vis caloris eius irrumpat?* Et paulò pòst: *Si igitur radius solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis, aut grauium valuarum obicibus, quò minùs penetret, impeditur;* quomo-

Hieron.

Chrysos.

Chrysos.

Ambros.

quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum & corda, quæ ipse creauit, semet insererem? Sed ea quæ ipse fecit non videt, & fecit vt meliora sint quæ facta sunt, & potentiora, quàm ipse est qui ea fecit, vt possint, quando volunt, cognitionem sui operatoris latere? Tantam ergo virtutem & potestatem inseruit mentibus nostris, vt comprehendere cùm velit, ipse non possit.

41. Psal. 123. sic introducit loquentem peccatorem Dauid: *Non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob*, subiungit autem eundem corripiens: *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat*. Meritò similes insipientes vocat. Nam vt scribit D. Hieron. in illud Amos cap. 9. *Si absconderint se ab oculis meis in profundo maris, mandabo draconi, & mordebit eos.* Quid tam stolidum quàm putare quòd Deum quidquam prætereat? An non cœcum illum insipientem diceres, qui quoniam non videt præsentes, putaret se ab ijsdem non videri. Tales planè peccatores, quoniam non videt Deum, non videt Angelos, non videt seipsum, se latere putat & abscondi. Pulchrè horum insipientiam sugillans D. Ambrosius, sic scribit serm. 1. in Psal. 118 *Noli sicut cæcus oculis corporalibus, aut sicut surdus, qui eò quòd non potest videre nec audire præsentes, solum esse se credit, & in plurimorum catu, dum putat nullum esse præsentem, perpetrare adoritur quod arbitratur esse secretum, non potest enim videntes videre quia non videt. Similiter & tu mentis cæcatus oculis, noli æstimare quòd sine teste delinquas, quia hominum præsentiam declinare potuisti. Plures sunt qui redarguunt, quàm quos cauere potuisti. Ipsum te fugere tuus accusatorem non potes quem conuenit propria conscientia. Et si negas alijs, tibi non negas. Et si homini inficiaris, Deo fateris. Et si volueris negare, tuæ te cogitationes reuincunt.* Et paulò pòst: *Putas te solum esse cùm fornicaris, & non recordaris, quia oculi Domini vident orbem terrarum? Non audis dicentem: Ecce venit hora vt dispergamini vnusquisque in sua, & me solum relinquatis: sed non sum solus, quia pater mecum est? Adest ergo pater, adest & filius Dei: adsunt ministri, adsunt Cherubim & Seraphim, qui dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus: plena est terra maiestatis tuæ. Plenus est enim mundus Sanctarum virtutum, quia plenus est nequitiarum. Plenus est orbis terrarum remedijs, quia plenus est laqueis. Putas quòd in lupanari Christus te non videat, quem videt lupanar intrare? Putas quòd in adulterio te non deprehendat, quem videt adulterium cogitantem? Num parietes refugit, qui spectat errores? & secretum criminis auersatur, qui scenam criminis intuetur? An putas tunc primum te intrare meritorium, cùm fornicem meretricis ingrederis. Intrasti iam quando cogitationes tuas meretrix introiuit. Intrasti iam quando ad potiendam prostibuli cupiditatem gressu mentis intrasti. Pulsasti lupanaris fores quando ad mulieris concupiscendæ decorem oculos mentis aperuisti. Et si verum audire vis: quomodo te in lupanari non vidit Christus, quando te vidit qui adulterando in corde tuo teipsum lupanar esse fecisti.* Hæc ille.

Nihil tam stolidum quàm putare quod quidquam Deum prætereat.

HIERON.

AMBROS.

Ioan. 16.

Isaia 6.

42. Vis scire quibus similes homines generationis huius? Pueris rectè assimilaueris, quorum si obtecto linteo vel panno facies, quia iam neminem vident, putant se etiam à nemine videri. Similes sunt struthioni animali hebetissimo, licet maximo, de quo Plinius lib. 10. cap. 1. quòd in tanta reliqui corporis altitudine, cùm colla frutice occultauerit, existimet se latere. Quò respiciens scriptura Iob 39. ait, de struthione: *Priuauit enim eam Deus sapientia*: vel vt legitur in Hebræo: *fecit Deus illam obliuisci sapientiam*, ita vt stolida meritò dicatur, & habeatur, cuius etiam signum paruitas capitis, quæ stolidorũ est, ex Physiognomia, ex cuius defectu, præsertim cùm cerebrum fere nullum habeat, stoliditatem illam deuorandi effici putant, vt quidquid tetigerit, continuò deglutiat, lintea, ferrum, lapides. Rectè etiam eosdem assimilaueris mugili & lamprete, de quibus testatur Plinius lib. 9. cap. 19. & cap. 23. quòd si caput vndis immergant, reliquum corpus patere oculis non putent. Similiter & peccatores tam sunt vesani & stulti.

Quibus similes qui putant se non videri à Christo.

Similes struthioni.

43. Huius farinæ peccatores, existimat Ludouicus de Ponte, meditat. tom. 2. part. 4. medit. 30. adumbratos in illis Iudæos, qui vt faciem Christi liberiùs percuterent, illius velauerunt oculos, vnde cõtumeliam illam Christo irrogatam expendens, sic ait: *Perpendam quàm sit proprium ac familiare insignium peccatorum, optare, se non videri à Deo, aut id sibi fingere, quo liberiùs peccare possint, dicentes, quod est apud Iob scriptum: Nubes latibulum eius, nec nostra considerat. Sicut stupidi hi ministri, velarunt oculos corporis Christi, ne ab eo viderentur; sed non propterea impediebant, quo minus oculis animæ suæ ac diuinitatis, eos videret. Quare seipsos potiùs excæcarũt, quàm Christi conspectum effugerunt. Et hac ratione cogitare debeo, cùm peccatũ admitto, oblitus, quòd me videat Deus; hanc obliuionem instar esse veli, quo existimo, Dei oculos esse velatos, dicens illud Iob c. 22. Quid nouit Deus, quasi per caliginem indicat, cùm reuera non illius, sed mei velati sint: & vt ait Sapiens: In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos; & bonum malumve, quod quisque facit. O Deus æterne, ne permittas aliter me velare oculos tuos, aut, faciem tuam quam Seraphini, qui alis suis eam velabant, diuinitatem tuam venerantes, & confitentes, deesse sibi oculos ad eam comprehendendam: sed tu Domine clarissimos, & perspicaces illos habes, vt me videas & comprehendas, & hoc mihi sufficit, vt credam te videre meas culpas; & ad eas deflendas mouear, animo eas non repetẽdi.* Hactenus ille.

LVDOVIC. DE PONT.

Iob 22.

Prouerb. 15.

Isa. 16.

44. Verùm qualiter Deus horum hominum oculis Dei velare conantium, stupiditatem, ignorantiam, vel obliuionem interdum miraculis coarguat, accipe ex Petro

PETRVS DAMIA. Damia. sic enim ait l. 5. ep. 16. ad Landulph. *Quidam alienam suem furtiuè surripuit, & caueæ clandestinus inclusit; vir tamen ille pietatis operibus intentus esse consueuerat. Interea adest diues Iesus in effigie pauperis, & tanquam prolixo iam crine deformis egebat arte tonsoris. Ille protinus reuerenter assurgens, inter cætera officiosæ humanitatis impendia, cæpit illum forcipibus attondere: sed dum tornat ac satagit, ecce recipit duos in occipitio sub crinibus oculos latitantes. Expauit homo, stupensque contremuit, & quod vellet esse quod cerneret, pauidus inquisiuit. Cui mox ille: Ego, inquit, Iesus vocor, qui vndique cuncta contemplor; & isti sunt oculi quibus etiam suem vidi, quam nuper in cauea conclusisti. Moxque disparuit. Ille protinus ad cor rediens, & diuinam circa se clementiam recognouit, & quod iniquè præsumpserat, satisfactione purgauit.*

GREGOR. 45. Sed quàm non modò insana, sed etiam perniciosa fuerat, hæc peccatoris occultatio, rectè expendit D. Gregorius 22. Mor. 9. vbi loquutus de Adamo se abscondente. *In qua, inquit, occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi. Agit quippe, ne omnia videntem videat; non autem, ne ipse videatur*, &c. Et 25. Moral. 4. de omnibus loquens similibus peccatoribus, ait: *Lux æterna quæ Deus est, quantò immutabiliter fulget, tantò penetrabiliter videt, & neque occulta nescit, qui cuncta penetrat, & neque penetrata obliuiscitur, quia incommutabilis durat. Proinde quoties indignum aliquid corde concipimus, toties in luce peccamus, quia ipsa nobis & non sibi præsentibus præsto est, & peruersè gradientes in ipsam impingimus, à qua per meatum longè sumus: cùm verò nos videri non credimus, in sole clausos oculos tenemus, illum videlicet nobis abscondimus, non nos illi.* Hactenus D. Gregor.

Pœnitentia occultat peccata. 46. Vis ô peccator occultare Deo tua peccata? En vna tibi superest quàm maximè salutaris via, nimirum per veram pœnitentiam ab eis resipiscentia, iuxta illud

GREGOR. D. Greg. 25. Moral. 4. *Mala hominum, nec cogitata ignorat, nec perpetrata obliuiscitur, nisi ab eius oculis pœnitendo deleantur.* Benè etiam

CHRYSOL. Chrysol. serm. 95. *Absolui vis, ama: charitas cooperit multitudinem peccatorum, negationis crimine quod peius? & tamen Petrus amore solo valuit hoc delere probante Domino cùm dicit, Petre amas me?*

Non minor, verùm maior insipientia est eorum, qui quamuis probè sciant Deum omnia cernere, & oculo insopito omnia videre, nihilominus magis verentur oculos hominum, qui eos à peccato retrahunt, quàm oculos Dei, sub quibus peccata maxima facillimè committunt, rectè operãtes in publico, perperam verò in secreto. Tales illi Presbyteri Daniel. cap. 13. qui adulteria in luce condemnabant, in tenebris autem ambiebant: *Ecce*, inquiunt, *ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, assentire nobis.* In quos D. Bernardus serm. 3. de an-

BERNAR. nuntiat. sic inuehitur: *Inueterati*, inquit, *dierum malorum, modò accusabitis adulterium, modò adulterium suadetis? Sed hæc est tota iustitia vestra, & quæ palam arguitis eadem agitis in occulto.* Talis est illa mulier quæ præsenti viro obedientiam præstabat, absenti insidias struebat. Nam ad fidem thori violandam, ex viri sui absentia inducebatur, dicens Prouerb. 7. *Non est enim vir in domo sua, abijt via longissima.* Quasi non tam Dei iniuriam, quàm viri notitiam præcaueret, in publico ad minimam culpam timida, in occulto ad omne facinus temeraria. O præposterum & amentiâ plenum hominum genus, ipsis vel Ethnicis multò inferius, de quibus D. Cyrill. Hierosol. catech. 4. *Cùm*, inquit, *aberrauerint quidam ab vno Deo, alij quidem solem ponebant, vt occidente sole noctis tempore sine Deo essent: Alij verò lunam, vt in die Deum non haberent. Adeò Dei oculos effugiebant, vt ne in illos inciderent, Deos qui quandoque absentes essent, captarent.* An non hisce Ethnicis dementiores peccatores, qui hominum verentur oculos, non autem diuinos? Illi enim Deo præsente peccare non audebant, idcirco Deum aliquando absentem sibi cooptabant. Hi humanos tantùm oculos cauent, diuinos qui nostris operibus præsentes, videntesque inuigilant, non curant. CYRILLVS HIEROS.

47. Milesias quandoque virgines, vt refert Plutarchus de claris mulier. c. 7. admirabilis quidam morbus, immanisque furor, inuasit, quo illarum mentes ad insaniam conuersæ, repentinæ mortis cupiditate, tanta corripiebantur, vt seipsas strangularent: Cui infortunio cùm nec parentum lachrymæ nec amicorum monita, persuasionesque mederi possent, solus pudor medicamẽtum apposuit: nam spectatę quodam prudentiæ viro præcipiente, vt virginum, quæ sibi ipsis mortem consciuissent, per medium forum, nuda cadauera deferrentur: tantò fuerunt huius rei pudore suffusæ, vt nulla amplius earum fuerit suæ mortis rea: hic non modò virginum furorem compescuit pudor, sed etiam illum omnino sedauit, extinxitque. Et cùm Tarquinius ille superbus, pudendum quoddam suis imperasset, quod ne exequerentur illi potiùs internecioni se dabant: Pudore impius Rex, pudorem præcepti superare volens, illorum cadauera ignominiosissimæ addixit cruci. Quam ignominiam adeò abhorruit populus vt pudore coactus illud deinde fecerit, quod iam antea, ne puderet, facere delectauerat. Similes virginibus Milesijs, similes Tarquinij subditis, plurimi Christiani, quos pudor humanus & non diuinus oculus retrahit & auertit à peccatis. PLVTARC.

48. Si quis plures desiderat inter solem & Deum analogias videat Pier. in collect. hierog. lib. 2. verbo *Deus*. videat etiam Cornel. in Apoc. c. 1. ver. 17. videat Lorinum in Eccl. c. 11. ad vers. 7. PIERIVS. CORNEL.

Con-

Consideratio Iudicij quàm apta curandis morbis animæ spiritualibus, adducta fici imagine ostenditur.

SECTIO XXIV.

Cõsideratio Iudicij apta ad curandos morbos spirituales.

1. **V**Is scire quàm animis nostris curandis, & à varijs morbis spiritualibus vindicandis efficax sit diuini iudicij consideratio? *Ab arbore fici discite parabolam*

Ficus valet aduersus venena, sic consideratio Iudicij aduersus peccata.

IVLIAN.

2. Ficus aduersus omnia venena est præsentissimum præsidium: *Iam adeò*, ait Iulianus epist. 24. *hominibus vtilis est ficus, vt præsidium ad quæuis venena salutare Aristoteli videatur: ac mensis etiam inchoandis & claudendis, non ab aliam causam adhiberi, tamquam hoc vnum pro omnibus sacrum remedium aduersus ciborum iniurias exhibeatur.* Similiter consideratio & meditatio extremi iudicij, sacrum quoddam est remedium aduersus peccatorum & culparum omnium iniurias.

Ficus sanat tumores, cogitatio Iudicij sanat superbiam, luxuriam.

HIERON.

3. Ficis eximia vis ad curandos tumores, vlcera & apostemata; nam vt scribit Hieronymus in Isa. cap. 38. *Omnis sanies siccioribus ficis atque contusis in cutis superficiem euocatur, tumore abscedente.* Quid in homine superbia, quàm quædam plaga tumens, & vlcus quoddam animæ? Quid luxuria & iracundia, nónne quidam animi tumores, cum maxima inflammatione coniuncti? Vis hæc curare vlcera & apostemata? Diuinum iudicium cogita, cogita omnem peccatorum tuorum saniem, quæ iam latet in cordis fundo, & ab hominum oculis est abscondita, euocandam in superficiem, ante faciem tuam ponendam, & toti orbi manifestandam, iuxta illud Psal. 52. *Arguam te, & statuam te ante faciem tuam.* In quæ verba sic D. August.

AVGVST.

Non vis modò nosse vt tibi displiceas, nosces vt plangas. Non enim demonstraturus est Deus iniquis iniquitatem suam? Si non est demonstraturus, qui erunt qui dicturi sunt? Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tunc ergo scient qui modò scire nolunt. Sic ille.

Sanat hypocrisim.

D. THOM.

4. Habet mundus multos hypocritas, quales illi, teste Oecumenio in 2. ad Timoth. cap. 3. qui latentem iniquitatem specie virtutis tegunt. *Hypocrisis*, ait D. Thomas 2. 2. quæst. 11. art. 2. *simulatio est, non autem omnis simulatio, sed solùm illa, quâ quis simulat personam alterius, sicut cùm peccator simulat personam iusti.* Et Diuus Gregorius Nazianzenus in orat. funeris patris dicit; *hypocritam esse instar muliercula insipientis, quæ cùm pulchritudine careat naturali ad colores confugere solet, fucos atque pigmenta.* Hypocritæ nomen existimat Diuus Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 3. ab his qui in scenis exhibent id quod non sunt, sic enim scribit: *Hypocritæ & simulatores aliarum personarum, agunt partes illius quod non sunt, non enim qui agit partes Agamemnonis, verè Agamemnon est, sed simulat eum. Sic in Ecclesijs, & in omni vita humana, qui se vult videri quod non est, hypocrita est: simulat enim iustum, non exhibet,* &c. Quis referat quot orbis Christianus habeat hypocritas? An non sunt plurimi, qui charitatem Dei laudantes, fictam fidem habent? An non est hypocrita mercator, qui publicè largitur eleemosynam pauperi; occultè verò vastat latrocinijs ciuitatem? Quid vidua, quæ honesto cultu foris probitatem pollicetur, intus verò incesta est, & polluta? Quid Sacerdos, qui vestibus oblongis, & lineo indumento ad cælum suspirare videtur, domo verò eijcere culpæ materiam non vult? Quid tabellio, qui præscriptum pretium sui laboris in tabella ostentans, cumulum lucri exigit? Quid affectator dignitatis? Nónne vides, vt incestum componat ille, vt oculos dimittat alius, vt commendet honestatem suæ vitæ, qui magistratum ambit? Intus verò quæ non latet peccatorum sanies, quæ virtutis specie tegitur, quæ honesta quadam externa conuersatione, tamquam quodam fuco obducitur? Vis liberari, vis expurgari à noxia hac & latente sanie? Diuinum tibi ob oculos statue iudicium, quod more sicciorum & contusorum ficuum omnem hanc peccatorum saniem in superficiem, & in propatulum adducet.

NAZIAN.

Quinam hypocritæ.

AVGVST.

Magnus peccatorem inuadet pudor cùm viderit latẽtia peccata in superficiẽ adduci.

CHRYSOS.

5. Quis referat quantus tunc peccatorem inuadet pudor, dum viderit latentia omnia sua peccata in superficiem adducta, & in propatulo esse? *Si nostrum cuiusquam occultum crimen*, ait D. Chrysostomus hom. 5. in epist. ad Roman. *in medium delatum huic tantummodo confessui innotesceret, nónne fieret, vt ille interire, ac terram sibi potiùs dehiscere, quàm tam multos peccati sui testes habere mallet? Quid igitur tum nobis fiet miseris, cùm omnia orbi vniuersi palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum nobis partim cognitorum oculis, partim incognitorum subijcientur.* Sic ille. Quanti pudoris sit operum nostrorum malorum denudatio in die iudicij coram purissimis spectatoribus, vide apud Baezam de Christo figurato tom. 1. lib. 1. cap. 2. §. 18. Ficis etiam eximia vis ad curandos timores, quia illis maxima vis exsiccandi humores. Quos peccatorum humores imò gurgites non exsiccat consideratio iudicij? Audi Theophylum epist. 5. *Cùm futurum tribunal*

BAEZA.

THEOPH.

nal & formidolosum iudicij diem cogitauerunt homines, tam principium, quàm medium, finemque peccati prohibebit, & amoris illius fluctus & intumescentes gurgites vsque ad ipsum fontem, venasque siccabit.

DIOSCOR. Ficis siccis vis calefaciendi consideratio iudicij, hominem viuido induit calore.

6. *Ficus siccis*, ait Dioscorides lib. 1. cap. 145. *natura calefaciendi, vires alunt, aluo vtiles, rheumatismis ventris & stomacho contraria, gutturi aut arteriæ renibus, vesicæ, & ijs quos longa valetudo decolorauit, anhelatoribus hydropicis, comitialibus, aptissimi.* Similiter iudicij consideratio frigidum hominis animum viuido imbuit feruore, & calore, vires alit ne oneri succumbant &c.

Lacteus humor fici curat rugas. GALFRI. Consideratio iudicij facit animã reiuuenescere.

7. Ficus lacteo suo humore, rugas in facie exaratas, præ senio, curat. O quot rugas contrahit à voluptate mens humana: meritò dixit venerabilis Galfridus ad illud Prouerb. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ; pessima mater voluntas propria, cuius sunt duæ filiæ non degeneres, iniquitas scilicet & voluptas: illa animam inquinat, hæc contrahit & quodammodo rugat.* Sic ille. Vis hasce tollere rugas, vis corrugatam mentem planè iuuenescere? ficulneo hoc lacte, consideratione, inquam, iudicij, perlineas mentem, perlineas animam.

Venenis crabronum aduersatur lacteus succus, similiter &c. PLINIVS.

8. Fici succus lacteus aduersatur venenis crabronum, vesparum & scorpionum ictibus, teste Plinio lib. 23. c. 7. Si cum scorpionibus habitas, qui maledica lingua sua te pungant, te mordeant, recurre ad lacteum fici humorem, subeat animum cogitatio iudicij, prorumpe cum D. Paulo in illa verba 1. Cor. 4. *Qui autem me iudicat, Dominus est.* Si virulentis suis linguis, tamquam tot scorpionum ictibus peccatores te incitarint ad captanda seculi gaudia, oppone hisce ictibus ficulnei lactis, id est, iudicij meditationem.

PLINIVS. Fici succus lacteus habet vim coaguli, cõsideratione iudicij mẽs obfirmatur aduersus peccatã.

9. *Fici succus lacteus*, ait Plinius lib. 23. cap. 7. *aceti naturam habet, itaque coaguli modo contrahit.* Idem lib. 16. c. 38. *ficis humor lacteus: huic ad caseos figurandos coaguli vis.* Quid humidius, quid fluidius, quid fluxibilius animâ peccatoris. Vis eam contrahi, indurari; & in substantiam quandam solidiorem commutari? fici succo lacteo vtere, pro coagulo; menti permisceatur futuri iudicij contemplatio, & taliter obfirmabis, & indurabis aduersus omnia proritamenta peccati animam, vt nulli cedat tentationi, nulla admittat peccati vulnera.

Folia ficulnea curant hemorroides, similiter peccatorum fluxum, &c. MATTHE. DIOSCOR.

10. *Ficulneis folijs facili affrictu curantur hemorrhoides* ait Mattheolus lib. 1. Dioscoridis cap. 145. Similiter facilè omnem peccatorum sanguineum fluxum cohibebis, si ficulneæ folia, id est, de diuino iudicio à Christo & Prophetis prolata verba, menti, per seriam meditationem, adfrixeris.

PLINIVS.

11. *Ficorum natura calidissima est*, ait Plinius 2. de remed. lib. 4. cap. 47. *hydopricos extrinsecus siccant ex vino contusæ, & cum absinthio, & hordeacea farina in modum cataplasmatis adunatæ, combustæ & tutæ.* Similiter consideratio diuini iudicij, si adiunctum habeat vinum compunctionis, cum absinthio æternæ damnationis, quæ expectat peccatorem, frigidæ animæ maximum ingerit calorem, & salutarem salutis propriæ zelum, curatque omnem hydropisim superbiæ, luxuriæ & auaritiæ.

Ficorũ natura calidissima, sic cõsideratio iudicij.

12. *Fici lacteus succus lepras expurgat*, ait Dioscorides lib. 1. cap. 145. sic iudicij contemplatio lepram expurgat peccati. *Fici lacteus succus*, ait idem loco citato, rabiosi canis morsibus auxiliatur. Quid peccata omnia, quàm morsus rabiosi canis, id est diaboli. Vis hisce morsibus ferre medelam? Memorare vltimum illud, tremendumque iudicium.

Fici succus lepram expugnat, sic &c. DIOSCOR.

13. Sandæus in Theologia medica lib. 3. comment. 6. adducta fici similitudine docere volens, quæ trahantur ex consideratione iudicij vtilitates emollire, è ficubus malagma, docet: *Sicut interdum, ait, in corpore humano tumores quidam duri, sed sine dolore: hi scirrhi vocantur, vel scirriomata: horum durities ficorum massa imposita dispellitur. Quanta est in multis peccatoribus durities? saxea planè; & quod pessimum, non sentitur: sicut nec grauitas situlæ, quæ aquæ est immersa, quemadmodum cor peccatorum in fœditatis cloaca. Ad hanc duritiem animo tollendam opportunum remedium est iudicij extremi meditatio: quæ tum timorem incutit, quasi imposito emplastro, vel infixo in vlcus aculeo, animum emollit.* Quod adducto è vitis Patrum exemplo, sic comprobat, Monachus quidã se mori cùm dixisset: *Crede, pater, cor mihi oppidò durum est, nec timorem vllum sentio; quid, quæso, facto opus est?* Respondisse senem: *Cogita seriò, quid Deo iudici responsurus sis, interroganti, cur peccata tam grauia commiseris.*

SAND. Consideratio iudicij quot proferat bona.

14. Idem loco citato docet, quòd, sicut ficus magna vis est ad edomandos ferocientium animalium spiritus: Taurum enim ferocientem, tradit Plutarchus in sympos. lib. 6. cap. 10. ad ficum alligato planè mansuefieri; sic nihil esse efficacius ad homines nimiùm ob res secundas, ferocientes, & taurorum in morem cornibus obuios quosque arietantes, continendos, quàm si illos alligaueris ad diuini iudicij ficum, & illis ad mentem reduxeris terribile Dei iudicium; vt patuit in Felice Syriæ præside Act. 24.

IDEM.

15. Idem docet loco citato, quòd ficus verrucas dicatur tollere, quæ vult symbola esse minimorum & venialium peccatorum, mortalia enim vlceribus comparantur: Ita consideratione iudicij, in quo reddenda ratio de omni verbo otioso, tolli & impediri superflua verba immoderati risus, &c.

IDEM.

16. Idem

IDEM. 16. Idem loco citato docet, ex naturalium scriptore, maturam ficum mouere sudorem, sitimque sedare: similiter & considerationem iudicij elicere sudorem lachrymarum, patientiæ, &c. sitimque extinguere caducarum rerum. Cùm enim hæc omnia dissoluenda sint, quid earum siti torquemur?

Quòd ficulnea sit pulcherrimũ Christi Saluatoris nostri symbolum.

SECTIO XXV.

Conuenientiæ inter ficum, & Christum Saluatorem hominum.

§. I.

Ficulnea symbolum Christi.

1. POSSVMVS, & quidem meritissimè affirmare ficulneã pulchram esse imaginem pulcherrimumque symbolum Christi Saluatoris nostri, sunt enim plurimæ non contemnendæ inter ficum & Christum conuenientiæ siue analogiæ.

Ficus arbor humilis: ita & Christus.

2. Prima, ficus, arbor est humilis, *ficus*, ait Mattheolus in lib. 1. Dioscoridis cap. 145. *arbor est caudice vt plurimum breui*: Ita etiam maximè breuis & humilis Christus Dominus. Hinc passim se vocat filium hominis. Hinc Paulus dicit ad Philipp. 2. *Formam serui accipiens*. Quo etiam nomine se insigniuit ipse Christus Matth. 20. vbi dominandi superbiam, seruiendi humilitate compescuit, dicens: *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Idem asserit Diuus Marcus cap. 10. dicens: *Quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus: Nam & filius hominis non venit, vt ministraretur ei, sed vt ministraret,* &c. Hinc affirmat Diuus Paulus quòd Christus sese humiliauerit, factusque fuerit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quod amplius Origenes homilia 22. quæ est de humilitate tomo 1. ait: *Vniuersam Domini dispensationem ad humilitatem nos instruere deprehendimus.* Quam veritatem sic fusiùs prosequitur Diuus Gregorius 34. moral. 21. *Audiant omnes Dominum dicentem: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Ad hoc namque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc inuisibilis, non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem, factus est paruus,* &c. Quo loco etiam idem Sanctissimus Pater, disparitatem illam summam, quæ inter Christum infima ambientem, & Luciferum semper summa sibi arrogantem sic pulcherrimè describit. *hostis noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus: Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Auctor mortis dicit: in cælum conscendam. Auctor vitæ ait: Repleta est malis anima mea, & vita inferno appropinquauit: Ille dicit: Supra astra cæli exaltabo solium meum; iste humano generi, à Paradisi sedibus excluso, dicit: Ecce venio citò & habitabo in medio tui. Ille dicit, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Iste dicit, Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Ille dicit, Ascendam super altitudinem montium, & ero similis Altissimo; iste cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,* &c. Sicut autem maximè discrepat, superbia diaboli ab humilitate Christi: Ita etiam maxima est oppositio, maximaque discrepantia diabolicæ disciplinæ & Christi doctrinæ. De quo sic loco citato Diuus Gregorius: *Ille,* (scilicet diabolus) *nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem, omnium hominum, alta elatione trãsire, ac sese contra potentiam conditoris exigere. Iste ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, atque ad mortem veniens, membra sua admonet, dicens: Si quis mihi ministrauerit, me sequatur.* Postremò docet eodem loco Diuus Gregorius signum reproborum esse superbiam, electorum autem humilitatem, sic fatus: *Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leuiathan: iste Rex dicitur superborum, apertè cognoscimus, quod euidentissimum reproborum signum est, superbia: & contrà humilitas, electorum. Cùm ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo Rege militat, inuenitur. Vnusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facilè ostendat, sub cuius seruiat potestate rectoris.* Hactenus Gregorius.

Vniuersa dispensatio Christi ad humilitatẽ instruit.

ORIGEN.

GREGOR.

Magna disparitas inter Christũ, infima & luciferum summa ambientem.

GREGOR.

Maxima etiam oppositio inter doctrinam Christi & doctrinam diaboli.

GREGOR.

Reproborũ est superbia, electorum humilitas.

GREGOR.

 3. Secunda

Ficus habet folia glabra, sic Christus, &c.

3. Secunda, ficus habet folia glabra & aspera, sed hæc tollunt in varijs rebus inæqualitatem: ita Christus multa verba, sanctissimo suo protulit ore, quæ asperrima sunt deprauatæ naturæ, sed interim tollunt, quæ in animo latet, eamque maximè deformat inæqualitatem, quam ibidem induxere tot peccata, tot passiones, tot malæ propensiones, tot illicita & deordinata desideria.

Habet folia lenia vna ex parte, sic Christus, &c.

4. Tertia, ficus habet folia lenia & æqualia, vna ex parte, & ex altera, glabra & aspera. An non idem inuenitur in Christi verbis: expende parabolam illam Christi apud Mat. c. 25. *Homo quidam peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta &c.* Quid lenius illis verbis, *homo quidam*, quibus à se assumptam pro hominibus humanitatem insinuat Christus. Quid lenius illis verbis, *Peregrè proficiscens*, quibus testatur se taliter amoris glutino hominibus in hac vita degentibus adhærere, vt sua in cælum gloriosa ascensio ipsi quædam in exteram terram profectio & peregrinatio videatur, vt vult Chrysostomus. Quid lenius illis verbis, *Tradidit eis bona sua?* Quid lenius illis verbis, *euge serue bone & fidelis &c.* Quid etiam illis verbis asperius? *Serue male & piger* &c. &, *Tollite ab eo talentum* &c.

Ficus primò fructus, postea folia, sic Christus primò cæpit docere, postea facere.

5. Quarta, ficus pimò emittit fructus, qui grossi vocantur, postea germinat folia; ita Christus primò cœpit facere & postea docere, vt legimus Act. 1. Principiò fecit, deinde verò, quæ antea fecerat, docuit, & doctrinâ factis stabilitâ, & operibus confirmatâ, homines erudiuit. Optimus modus docendi, si priùs difficultatem operis facto experiaris; deinde quæ expertus es, & opere didicisti, alios edoceas. Sicut è contra, inepta est ratio docendi, alios ad illa efficienda adigere, quæ tu nec digitis attigisti, & vt est apud Chrysostomum hom. 1. in Acta Apost. *nihil doctore frigidius, qui verbis dumtaxat philosophatur. Neque enim hoc doctoris est, sed histrionis, & hypocritæ*, Saluator ergo qui longissimè ab ingenio fictorum distabat, nihil verbo præcepit, quod non priùs actione perfecerit. Triginta annis docuit, & tacendo operatus est, & tribus, aut ad summum quatuor annis, nondum expletis, verbo docuit quod antea fecerat, docendoque operum laborem non prætermisit, vt homines intelligerent, veram charitatem non tam sermone quàm operatione monstrari. *Apparuit*, ait D. Paulus ad Tit. 2. *gratia Dei Saluatoris nostri, omnibus hominibus, erudiens nos.* Priùs apparuit ipse Christus, qui (vt interpretatur Anselm.) est gratia æterni patris misericorditer in nos effusa, postea verò nos erudiuit. Apparuit operibus, apparuit beneficijs, apparuit innumerabilibus virtutis & sanctitatis exemplis. Postquam autem sic apparuit, & factis incomprehensibilem suum amorem aliasque virtutes expressit, iam verbis nos in eodem amore cæterisque virtutibus sapienter instruxit. In ficulnea illa anathemate percussa, eò quòd folia tantùm haberet & non fructum, vt legimus Marci 11. Diuus Augustinus sermon. 74. de temp. vult significatum eorum pœnam, qui loqui bona possunt, facere bona nolunt.

CHRYSOS.

6. Quinta, ficus folijs suis texit nuditatem primorum parentum: *Consueuerunt* enim sibi *folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Quid tam Christo proprium, quàm nuditatem animarum nostrarum tegere proprio corporis tegumento? Marci c. 11. veniens Dominus Hierosolymā mundum redempturus vidit ficum, & cùm non esset tempus ficorum, accessit tamen ad illam. Cur Domine, accedis ad vacuam arborem? quid negotij cum ficu vacua? eleganter & scienter D. Chrysologus serm. 106. inquit: *Ad ficulneam venit Christus, ad quam legitur Adam nudus confugisse post culpam. Venit ergo ad ficum Christus, vt inueniret Adam, vt nudum obtegeret pio sui corporis indumento; cuius ficus ista non velabat, sed stimulabat pudorem.* Ecce extunc latitanti peccatori, & à ficu folia emendicanti accessit Dominus offerens præstantius sui corporis indumentum. In quo obtundantur omnia diuinæ iracundiæ tela, quibus peccator meritò erat feriendus.

Ficus folijs suis texit nuditatem: nihil tam proprium Christo quàm animarum nuditatem tegere.

CHRYSOLOGVS.

7. D. Paulus ad Gal. 3. quasi opponens statui innocentiæ statum reparationis ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Non ampliùs homines nudi sunt, ex quo receptum est baptisma Christi: Non ampliùs virtutum flores, sic gelidis ventis expositi, vt vel à gelidi serpentis sibilo corrumpi possent, quos enim vestit Christus, & gelu, & brumæ & reflantibus Aquilonis auris, viriliter resistunt. Ait D. Eulogius epist. ad quendam Christophorū apud Biblioth. Photij f. 878. *Alijs autem ob inexplicabilem bonitatem suam, indumētum fit Christus, quibus tegumentum præbet ne ab aquilone, vento aspero, frigidoque, qui pestilentem & exitialem animabus afflat auram, conuersi ad Christum pereant.* Vnde Chrysostomus dicebat videns Iesum à Maria natum. *Non amplius metuimus morsus serpentis, non amplius à ficu accipimus folia, non ampliùs gressus Dei extimescimus.*

Christus indumentum.

EVLOGIVS.

8. Mens Hebræorum est, vt videre est apud Rabbi Salomonem, Adamo postquam peccauit, omnes arbores denegasse velamentum pudoris, solam verò ficum, in qua ceciderat, præbuisse. Nónne id verius de Christo dici & affirmari potest? Cùm enim omnes creaturæ aduersentur peccatoribus, & quod amplius cùm Deus Pater illis maximè esset offensus, cùm Sanctus Spiritus indignos eos æstimaret sua inhabitatione, vtpote qui iam toti caro essent, sola ficus, id est, solus filius

Folia ficus dignata præbere folia Adamo, sic solus Christus, &c.

Rabbi Salomon.

filius Dei, & sapientia Patris, contra quam præcipuè peccauerat Adam, dum ambiuit boni & mali scientiam illi iudumentum & velamentum præbuit pudoris.

Ficus calidæ naturæ: ita & Christus.

GALENVS.

9. Sexta, ficus calidæ maximè naturæ. *Ficus*, ait Galen. lib. 8. de simplicium medicamentorum facultate. *calidæ temperaturæ est, ceu indicant tum liquor eius, tum foliorum succus, valenter enim eorum vterque calidus est. Itaque non mordicat tantùm, aut abstergit vehementer, sed & vlcerat. Porrò ficus agrestis, quam erineum Græcè (Latinè caprificum) nominant, tum liquor tum succus ad omnia, quàm satiuæ, valentior est. Sed & cradæ, hoc est, rami earum, adeò sunt calidæ, tenuiumque partium temperamento, vt carnes bubulas duras, si coquendis adijciantur, friabiles, ac teneras efficiunt.* Sic ille, lib. 3. cap. ph. p. & lib. simpl. sic scribit de ficis aridis, *ficus arida, seu passa, id est carica, calida in fine primi gradus, vel initio secundi partium tenuium, digerit, tenuat, coquit &c.*

PLINIVS.

ficus tritæ ait Plin. lib. 4. cap. 47. *& impositæ vehementes tumores, aut maturant, aut discutiunt.* Quis referat quàm accensa fuerit in Christo illius erga homines dilectio? *Cùm dilexisset suos in finem dilexit eos*, ait D. Ioannes. cap. 13. *Quem vsque in finem dilexit eos?* rogat Rupertus lib. 11. Respondet autem sic. *Sic vsque iam dilexerat eos, vt de cælo ad terram descenderit propter eos, & vt, qui erat Deus inuisibilis in sinu patris, homo visibilis, de ventre fœmineo factus fuerit. Sed non erat consummata ista dilectio. Nihil enim suis profuisset, quòd homo fuerat factus, si non pro illis etiam pateretur: Igitur & vt oportebat, in finem dilexit eos, id est, dilectionem erga illos eò vsque perfecit, vltra quod non posset augeri, videlicet, vt animam suam poneret pro illis.* De Christo ait D. Paulus ad Phil. 2. *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* O feruentissimam Christi dilectionem! In Cruce morte soluitur & obedientiæ, & nostræ salutis opus, cur adhuc vadit ad sepulchrum? Eleganter Chrysologus serm. 59. *Crucifixus est Iesus. Vt quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum & sepultus est vt officia tota mortis impleret.* Expende illud: *Officia tota mortis*, quasi enim integratur mors, & completur laboribus ac doloribus grauissimis exhalatione animæ, corporis sepultura.

CHRYSOLOGVS.

Degenerat ficus à propria dignitate vt fructus ferat: sic Christus.

10. Septima, ficus vt abundantiores, maiores ac dulciores producat ficus, degenerat libenter à propria, & quasi sibi, & alijs arboribus innata dignitate, pulchritudine, & excellentia. Nam cùm aliæ arbores floribus sese ornent illisque spem fructuum ingerunt, sola ficus hoc florum ornatu se spoliat & quo gaudere posset communi priuilegio, illo se priuat, vt sua ignobilitate suoque luctu, atque descensu fructum promoueat: quem enim humorem crassum reliquæ arbores in suo stipite reseruant, vt flores, inde nascatur, quibus ornentur, hosce ficus, neglectis floribus, atque proprio ornatu reseruat, atque impendit fructibus abundantioribus, maioribus, ac dulcioribus producendis, contenta nodoso & duro cortice, & aspero foliorum indumento, quæ scuti ac peltæ similitudinem referentia, illis vtitur, vt fructus ab aëris iniuria defendat, ac protegat. Quàm egregiè hæc conueniunt Christo, nónne proposito sibi gaudio, eo neglecto, sustinuit crucem? Nónne cùm diues esset propter nos pauper effectus, vt nos sua diuites redderet paupertate? Nónne cùm in forma Dei esset, seipsum exinaniuit, formam serui accipiēs, vt seruos, imò mācipia vilissima diaboli, cōstituat Dei filios? *Qui mundū*, ait Greg. Nazian. orat. 1. in Pascha: *vario vestit ornatu, vilibus induitur, vt stolam immortalitatis reciperemus. Manus, pedesq; cunis adstringuntur, vt manus nostræ ad bene operādum, pedes nostri in viam pacis dirigantur. In præsepio reclinatur, vt fideles omnes, sancta videlicet animalia, carnis sui frumento, reficeret, qui panis est Angelorum. In angusto præsepi continetur vt nos per cælestis regni gaudia dilataret. Non in domo parentum natus est Dominus, vt ostenderet quia per humanitatem assumptam, quasi in alienō nascebatur, non secundùm potestatem, sed secundum naturam humanitatis. Nam de potestate eius scriptum est. In propria venit. Et quia omnis caro fœnum, factus homo Deus, fœnum nostrum vertit in frumentum, de seipso dicens, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, vnde & natus in præsepi reclinatur.* Hæc ille.

NAZIAN.

Christus cum proprio detrimento benefacit hominibus.

NAZIAN.

Et S. Gregorius Nazianz. orat. 1. expendens illa verba Apostoli 2. Cor. 8. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est cùm esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis*: sic pulcherrimè scribit: *Ille gloriam suam exinaniuit vt vos non illius opibus sed egestate ditemini.*

Hāc Christi munificentiā imitatus est D. Paulus.

Eandem Christi munificentiam, quâ cum proprio detrimēto, benefacit hominibus, æmulantur quotquot sanctitate aliqua pollent eximia, vel insigni sunt præditi charitate. Notum est illud Diui Pauli ad Roman. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Ecce tam liberali benignitate, amat Paulus fratres suos, vt in locum suum subrogari, præ charitate exoptet. Percupit enim vt apostolico fastigio omnes sublimarentur? ipso deposito si opus esset à tanta muneris sublimitate: Percupit præ charitate vt ex suis meritis omnes cumulentur, & si ipse orbaretur propriæ virtutis merito, præoptat vt à beata gloria sua quam olim in paradiso delibauit fæliciter bearentur homines, sese beatitudine priuans, & gloriā piè defraudans, vt fratres suos gloriosè bearet. Perbellè Gregorius Nazianzenus loco citato sic fatur: *Quin & maius quoddam pro suis secundùm carnem fratribus ausus est Paulus (& ipse quoque audaciùs hæc dicam) eos apud Christum in locum suum subrogari præ charitate optat.*

S. IGNAT.

Rogauit S. Ignatius aliquando pijssimos

mos collegas tuos quibuscum Societatem fundauit, an si ex reuelatione scirent vel se statim fælici morte adlegendos ad perpetuæ beatitudinis gloriam; vel si adhuc in vita persisterent relinquendos communi damnationis periculo; tamē certò scire aliquod obsequium se Deo facturos in vita, vt puta illustrem infamis peccatoris conuersionem, rogauit, inquam, quid tunc eligerent? respondente autem quopiam, ego quidem iam diu exambitam beatitudinem vltro amarem & procul dubio eligerem, subiunxit S. Ignatius: At ego sponte subirem perpetuæ saluationis aleam, si eluceret spes aut Deo fælicius obsequendi aut peccatoris conuertendi.

Hoc sanè ingenium charitatis vt nouerit cum sui damno & detrimento alijs benefacere, vnde D. Paulus 2. Corinth. 8. adhortans fideles ad eminentiam charitatis Christianæ sic scribit: *Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans.*

Deinde vt doceat D. Paulus in quo ingenium illud & acumen charitatis consistat, subiungit exemplum charitatis Christi, nos paupertate sua vitantis, *scitis enim*, ait, *gratiam Domini nostri Iesu Christi.*

Primò grossos producit ficus postea ficus dulcissimas, sic Christus primò dat promissiones, postea rem ipsam exhibet.

11. Octaua, ficus primò dat grossos siue ficus immaturos, postea ficus dulcissimas. Quod in alijs arboribus flores, hoc in ficulnea grossi. Sicut enim flores ingerunt spem fructuum, ita & grossi spem subsequendarum dulcissimarum ficuum, vt testatur D. Bernard. serm. 59. Similiter Christus grossos primò exhibet, deinde dulcissimas ficus nobis confert, grossi siue flores, sunt illius promissiones, de conferenda nobis æterna & cælesti vita, ficus dulcissimæ sunt promissionum actualis exhibitio atque finitio, & sic duplici gaudio afficit cultores suos. Primò, dum beneficia cōferenda certis promissionibus prænuntiat, quoties enim quis, promissa sibi bona recolit, toties suauitatem beneficij degustat atque præsentit, Secundò, dum promissa beneficia actualiter exhibet & confert. Vnde quædam huc spectantia apud Baeza de Christo figur. lib. 1. c. 1. §. 25. BAEZA.

Ficus plena dulcedine, sic Christus ob misericordiā dulcissimus.

12. Nona, ficus plena dulcedine, vnde in apolog. illo relato Iud. c. 9. sic fertur locuta vt sese à regimine aliarum arborum vindicaret. *Quomodo potero deserere dulcedinem meā?* Ita Christus plenus dulcedine bonitatis & misericordiæ. Si Christi spectes diuinitatē de illa sic Sapient. c. 16. legimus: *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat*, nimirum cùm dulcissimum māna, quod omnem saporis suauitatem continebat, Hebræis in deserto exhibuit: Sed quænam hæc Dei substantia? nimirum ipsa Dei natura quæ est dulcissima & suauissima, adeoque ipsa suauitas & dulcedo increata & immensa, quæ proinde seipsam communicans Hebræis, ipsis dulcissimum manna exhibuit, sic enim legit & intelligit hæc verba Nazian. orat. 49: *Apud Salomonem dicitur, substantia mea, dulcedo mea est.* Pronam & profusam Dei ad miserandum & benefaciendum naturam perspectam habes D. Paulus, peculiariter diuitem in misericordia appellat Ephes. 2. & ad Rom. 2. diuitias bonitatis eius (Syriacè *dulcedinis*) prædicat. Qua mente etiam 2. Cor. 1. Patrem misericordiarum vocat planè, vt indicet ex propria natura habere, vt misereatur & benefaciat, non secus, ac qui filium gignit, ex propriæ illum substantiæ visceribus educit. Quod ad ea Pauli verba sic affirmauit Bernard. ser. 5. in Natali Dom. *Bene dicitur Pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper & parcere.* Et post pauca: *Quod miseretur proprium est illi, ex se enim sumit materiā, & velut quoddam seminarium miserendi. Rectè igitur, non pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, sed pater misericordiarum; non modò, quod pater videatur misereri potius, quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum misereatur timentium se, sed eò magis quòd miserendi causam, & originem sumat ex proprio: iudicandi vel vlciscendi magis ex nostro.* Nec Pater solùm, sed mater etiam misericordiarum. Deus visus est Chrysostomo orat. de S. Philog. dum ait: *Benignus est Deus, & quemadmodum parturiens cupit eniti fœtum; ita ille cupit effundere suam misericordiam.*

NAZIAN. BERNAR. Christus pater & mater misericordiarum. CHRYSOS.

13. Consentanea sunt quæ ad hanc rem spectantia scribit Seneca epist. 95. vbi formata hac interrogatione: *Quæ causa est Deo benefaciendi?* Respondet. *Natura: errat, si quis putat, illum nocere velle, non potest: accipere iniuriam nequit, nec facere, lædere enim, lædique coniunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quem periculo exemit, nec periculosum quidem fecit.* Et libro 2. de ira cap. 27. *Quædam sunt, quæ nocere non possunt, nullamque vim, nisi beneficam, & salutarem habent, vt Deus immortalis qui nec vult obesse, nec potest: natura enim in illo mitis, & placida est, tam longè remota, ab aliena iniuria, quàm à sua.* SENECA.

Dei præueniens misericordia maximè dulcis.

14. Præcipuè verò Dei illa misericordia dulcis est, quā præuenit peccatorem: iuxta illud Ps. 20. *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Quæ verba expendens Diuus Bernardus serm. 39. ex paruis sic pulcherrimè & scienter scribit: *Triplex nobis est necessaria benedictio, præueniens, adiuuans, & consummans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Præuenit misericordia conuersionem, adiuuat gratia conuersationem, perficit gloria consummationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non potest dare terra nostra fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum donec à misericordia præueniamur, aut agere bonum, donec adiuuemur à gratia, aut cōsummari in bonis possumus, donec gloriā repleamur: Verùm in his tribus non immeritò dulciùs sapit, ea quæ non modò, immeritos, sed & malè meritos, præuenit: vt dum adhuc filij* BERNAR.

sumus

sumus iræ, & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imò & impetentibus: non inuocantibus, sed prouocantibus: non interpellantibus, sed etiam repellentibus spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Meritò proinde benedictio dulcedinis nominatur ea, quæ præuenit, quia quæ adiuuat fortitudinis, quæ consummat plenitudinis est. Hactenus Bernardus.

Quàm cumulatè Deus effūdat misericordiam. Quàm cumulatè effundat in peccatorem misericordiam suam, videre licet apud Lucam in parabola filij prodigi, ob præfatum finem, à Christo in medium adducta, ait namque Lucas: *Misericordiâ motus est*, nempe Deus, *& occurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum, insuper & ad seruos dicit: Citò proferte stolam primam & induite illum, date annulum in manu eius & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum*: sufficeisset filio, quòd Pater misericordiam faceret, cur post hanc addit tot dona, & amplexus, oscula, vestes, & calceos, & vitulum? Sanè, filio ista prima misericordia sufficiebat, quâ admitteretur in domo paterna: at diuinæ bonitati nō sufficiebat vna misericordia, sed nouis semper donis manifestanda erat, nec exhaurienda. Vnde in illa verba sic perbellè Ruricius li. 1. ep. 2. *Et sufficit misericordia hæredi, quin etiam paternæ clemētiæ venia vna non sufficit, quod vlnu fouet, quòd gratiâ permulcet, nisi & munera larga multiplicet: dat annulum ne rursus à patre, perfidiâ duce discedat, calceamēta dat pedibus, quo faciliùs ardui itineris aspera & dura cōtemnat, dat & ipsam primam stolam*, &c. Non vllū finem ponit benefaciendo diuina misericordia.

AVGVST. 15. Dei dulcedinem expendens D. Aug. in Soliloq. c. 22. sic enim alloquitur: *Obsecro, vt omnia mihi amarescāt, & tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæstimabilis, per quam cuncta amara dulcorātur. Tua enim dulcedo lapides torrentis Stephano dulcorauit. Tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit: pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudētes à cōspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine tuo contumeliā pati. Ibat Andreas securus ad Crucem, quoniam ad tuam dulcedinem properabat*, &c.

Deus homo factus totus misericordia. 16. Postquam autem Deus homo factus, tantâ fuit cumulatus dulcedine misericordiæ, & pietatis, vt quidquid in eo erat excellentiæ, magnificentiæ ac potentiæ, id totum in benignitatem & beneficentiam hominibus impendendam transfudisse videatur, vt pulchrè adnotauit D. Bernard. BERNARDVS. serm. 15. in Cant. Dum ea verba Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Et illa Isaiæ c. 9. *Vocabitur nomen eius admirabilis* &c. ad vim nominis Iesu exprimēdam sic inter se componit & versat. *Vocabitur*, inquit Propheta, *nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis: Primum, tertium, quartum Maiestatem sonant, reliqua pietatem. Quid horum ergo effunditur? Profectò Maiestatis, ac potentiæ nomen in id quod est pietatis & gratiæ, quodammodo transfunditur abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrū. Nomen verbi gratiâ, quod Deus, nónne in id quod est nobiscum Deus: hoc est, in Emmanuel liquescit, defit? Sic admirabilis in id quod est consiliarius. Sic Deus & fortis, in ea quæ sunt. Pater futuri sæculi, & Princeps pacis, vt Dominus iustus noster misericors, & miserator Dominus.* Hæc ibi Bern.

Iste paruulus qui datus est, ait Richard. à S. Vict. lib. 2. de Emmanuele p. 1. c. 23. *mellea quadam & supercælesti dulcedine priùs est cibatus* (nimirum cùm esset in sola forma Dei & intuitiuè essentiam Dei cerneret) *quàm natus: certè ex quo cœpit esse homo, ab ipsa hora conceptionis suæ repletus est totius dulcedinis, totius suauitatis plenitudine.*

17. Vnde D. August. post conuersionem suam expendens Deum hominem factum, tantam ex hac cōsideratione trahebat dulcedinē, vt dicat li. 2. confess. c. 6. *Non satiabar dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui super salutē generis humani, quantum fleui in hymnis & canticis tuis, voces illæ influebant in auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex eo æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Quanta dulcedo in Deo homine.

Meritò autem Christus homo factus, plenus est dulcedine misericordiæ, & propitiationis, quid enim nobis prodesset ipsius incarnatio, nisi etiam esset nostra propitiatio. Petr. Cellensis lib. de tabern. expendens in arcâ illâ tabulas legis cōtinente, Iesum adumbratū, diuinam suam legem hominibus docentē, rogat. Cur huic arcæ superadditū fuerit, vt legimus Exod. 25. propitiatoriū de auro mundissimo? Respondet autē in propitiatorio Christi misericordiam & bonitatem designari, quia licet Deus incarnatus, licet doctrinam suam per omnia mundi climata diuulgasset, ni propitius foret, ni condonaret, ni misericordiæ suæ impendisset beneficia nihil nobis profuisset. Richardum loquentem accipe. *Quid nobis Domine, quid nobis testificatio tua prodesset, si propitiatio deesset? cumulo beneficiorū tuorum reatus noster augeretur nisi cum beneficijs indultu beneficium propitiationis supererogaretur, nam sola ingratitudo damnaret, nisi & ingratitudinem indulgentia exciperet: quò namque numerosiora Creatoris beneficia, eò inde gratiosiora nostra debuerunt rependi beneficia: sed vnum præ alijs suæ bonitatis strictiùs religauit beneficiorū vinculum, quo spretus non asperneret, erectus non abijceret, offensus non læderet, sed satisfaceret sibi pro nobis de nostra iniuria, sed requireret, sed reduceret planè, si in Iesu aliquid melius est ipso Iesu, id mihi propitiatorium, id est, recōciliatorium: sed Iesus totus desiderabilis, totus amabilis, igitur in arca amabilior, in propitiatorio desiderabilis ex bonitate, sed desiderabilior ex propitiatione, quæ est pinguedo bonitatis quia superexaltat misericordia iudicio.*

Nō prodesset nobis Christi incarnatio nisi etiam esset nostra propitiatio. PETRVS CELLENS. In propitiatorio Christi bonitas & misericordia significata. RICHARDVS.

18. Tam dulcis, tam suauis in homines Christus, vt cùm existimarent Christum ad benefaciendum quidem esse potentem, nequaquam verò ad puniendos eos, qui ipsum varijs afficiebant cōtumelijs & iniurijs,

 & gra-

Ficum exsiccauit Christus vt non solùm se ostenderet, vt passim faciebat, ad benefaciendũ potentem, sed & ad puniendum.

& grauissimis tormentis erant affecturi, & ad mortem ignominiosissimam erant condemnaturi: vt ostenderet sibi subesse vim, & potestatem, sese vindicandi, eosque condigno supplicio afficiendi, nulli tamen hominum malum irrogare, sed pro homine ficulneam, fructum non habentem, plectere voluit: id ad hæc Matthæi verba c.21. *Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in eâ, nisi folia tantùm, & ait illi, numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Pensitante D.Chrysostomo hom.68. in Matth. *maledicit ficulneam propter discipulos, vt confidant: quia enim vbique beneficia tribuebat, nullumque puniebat: oportebat autem eius punitiuæ virtutis demonstrationem præbere, vt discerent, quòd posset etiam Iudæos persequentes [...]care, noluit hoc demonstrare in hominibus, vnde in planta suæ punitiuæ virtutis præbuit signum.* Similiter Hilarius can.21. *Et in hoc bonitatis Dominicæ argumentum reperimus; nam vbique afferre voluit, procuratæ per se salutis exemplum, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit, spem futurorum, & animæ salutem curis præsertim ægritudinum commendans: nunc verò vbi in contumaces formam seueritatis constituebat, futuri speciem damno arboris indicauit.* Ita ille. De dulcedine oris Christi vide Laur. de à Ponte in Sapient.c.7.num.29.hom.146.§.5.

Chrysos.

Laur. de a Ponte.

19. Quamuis tam dulcis, tam misericors Christus, nolo tamen, ô Christiane, taliter illâ delecteris, illique innitaris, vt inde occasionem capias liberiùs peccandi, vel in peccatis diutiùs perseuerandi. Pulchrè equidem adnotauit D.Augustinus tract.33. in Ioan.c.8. quòd quando Dominus dixit adulteræ: *Nec ego te condemnabo.* Addidit. *Vade, & iam amplius noli peccare.* Vbi Augustinus sic: Non dixit Dominus: *Nec ego te condemnabo, vade, & viue vt vis, sed noli amplius peccare.* Apta equidem adnotatio, & Augustino digna. Non te condemnabo dixit Dominus: *Si amplius non pecces,* sed si perseueraueris peccando, & ego te condemnabo. Erit tibi spes si amplius non peccabis. Sed si peccabis, non est quod falsò speres, quia licet misericors, mansuetus & dulcis sum, sum etiam verax & iustus. *Intendant ergo* (sequitur Sanctus) *qui amant in Domino mansuetudinem, & timeant veritatem. Etenim dulcis & rectus Dominus* (Psal.24.) *Amas quòd dulcis est, time quòd rectus est. Sperando decipitur qui dicit: bonus est Deus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ, quia misericors est Deus, mansuetus est Deus: deciperis, & spe ista periclitaris, occidet te spes, & cùm multum speras de misericordia, incides in iudicium.*

Caueat Christianus vt ex dulcedine diuinæ misericordiæ capiat occasionem perseuerãdi in peccatis.

Avgvst.

Ama quod dulcis, time quod rectus.

20. Et quidem quantò dulcior Christus in hac vitâ, tantò amarior est futurus in altera. *Numquid,* ait D.August.serm.102. de temp. *prolixa misericordia potest Deo auferre iustitiam? quantò enim diutiùs expectat, tantò grauiùs vindicat: quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali à Domino sustinemus, patientia est non negligentia.* Grauiùs, inquam, vindicat, quia, vt inquit S.Hieronymus in epist.ad Rom.c.20. super illa verba: *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor* &c. *sicut qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri vt fugiat, qui si fugere nolit tantò fortiùs sagittâ emissâ configitur, quantò maiori tempore arcus intentio fuit facta, sic Deus qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicij grauitate compensat.*

Quãtò dulcior in hac vitâ Christus, tantò amarior in altera.

Avgvst.

Hieron.

21. Non ideò, Christiane, Christus tam dulcis in misericordia, vt inde libertate peccandi vel differendi pœnitentiam trahas, & in vanam spem misericordiæ consequendæ erigaris, verùm, vt ait Apostolus ad Rom.c.2. Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, quam si negligas, non misericordiam, sed iram tibi thesaurizas, euacuans in te misericordiam Dei, vt inquit Bernardus serm.de triplici misericordia, dum ait: *Thesaurizas tibi thesaurum iræ, pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, & euacuas in te misericordiam Dei.*

Benignitas & suauitas Dei ad pœnitentiam nos adducit.

Bernardvs.

22. Vidisti dulcedinem Christi, vide iam stultitiam mali Christiani. Ad imitationem arborum illarum infrugiferarum, de quibus in illo apologo relato Iudic.9. relictis oliua, ficu, vite, id est, Patre, Filio, & Spiritu sancto, eligunt sibi in regem rhamnum, spinis, sentibus, & aculeis vndique obsitum, id est, ipsummet diabolum, sibi subditos aculeis peccati & mortis pungentem & lancinantem, & flammis ex se prodeuntibus comburentem, in regem eligunt, hæc meditantem accipe D.Hieronymum, sic enim scribit in Agg.cap.9. *Quòd vinea & ficus & oliua referantur, ad personam Saluatoris & Dei Patris & Spiritus sancti, in Iudicum libro pleniùs legitur, vbi vadunt infructuosa ligna vt constituant regem super se, dicuntque per ordinem viti, ficui, & oliuæ vt regnent super ea, & tam vitis quàm ficus & oliua renuunt tale imperium, nec dignantur super infructuosa ligna regnare, tunc illa veniunt ad dignum sterilitatis suæ regem, id est, ad rhamnum spinosum fruticem, & arbusculam sentibus, vncinisq́ contextam, quæ teneat quidquid attigerit, & retentum vulneret, & vulneratorum sanguine delectetur, insuper & ignem emittat à se, & regnata ligna consumat. Referimus autem rhamnum ad diabolum, & secundum virgulti naturam illius naturam interpretamur.* Hæc D.Hieronymus.

Quanta stultitia Christiani, qui relicto suauissima ficu, Christo, eligit sibi in regem rhamnum aculeis peccati & mortis obsitum.

Hieron.

23. Decima, si ficus à fœcunditate nuncupata, quid fœcundius, quid fructuosius Christo? D.Ambrosius in ea verba Psalm. 118. *Bonus es tu.* inde confirmat Christi in fructibus producẽdis fœcunditatem, quòd arborem bonam, ex qua boni virtutum fructus pullulant, sese in Euangelio appellarit, Lucæ 6. Matth.7. sic namque scribit: *Proprium Dei est, vt bonus sit, denique in Euangelio habes, quia arbor bona bonos fructus facit: fructus eius*

Instar ficus nihil fructuosius Christo.

Ambros.

eius angeli sunt, fructus eius homines sunt, hoc est, rationabiles, sancti, si Domini præcepta custodiunt: fructus eius sunt hi qui nascuntur in terris: fructus eius sunt virtutes hominum, meritò ergo arbor bona bonos fructus facit.

Omnium bonorum nostrorum operũ fructus pullulant ex mystica ficu Christo.

24. Et vnde precor pullulant in nobis, omnium nostrorum bonorum operum fructus, nisi ex hac mystica ficu? hinc equidem est, quòd diuina institutione admonita, edoctaque sponsa, dum cælestem sponsum ad degustandos horti fructus inuitat, tam hos, quàm illum, non suam, sed eius rem esse, sic affirmat, Cant.5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.* Ad quæ verba Philo Carpathius. *Propterea in hortum suum vocatur sponsus à sponsa ad suos fructus edendos, vt ostendat nihil inter se habere disiunctum, nihil separatum, nihil dissonum, instar vnius sanctissimi paris amicorum: vtque illud nos salubriter admoneat, omnia bona nostra ex illius gratia prouenire, nihilque boni sponsæ inesse, quod non ab ipsius sponsi largissimo bonorum omnium fonte, emanarit. Id quod ipse per se testatur cùm ait: Sine me nihil potestis facere: & illud Iacobi: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, supernè est descendens à Patre luminum.* Hæc Philo.

PHILO CARPATHIVS.

Ficus tota mellea & lactea. PLINIVS.

25. Vndecima, ficus tota mellea, tota lactea est. *Ficu, succus maturescentibus, lactis, percoctis mellis*, ait Plinius lib.15. cap.19. Videmus quoque folia à ficu decerpta, lac emittere: ita & Christus, totus melleus, totus lacteus. Vnde sic eum laudat Sponsa Cantic.4. *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Mel ob charitatem, quæ dulcissima est gustui, quam vbique commendat Christus, lac ob puritatem & sanctitatem, quam à suis passim exigit. Christus etiam plenus lacte mansuetudinis. Vnde D. Bernardus duo vbera sponsi, de quibus sic sponsa Cant.1. *Meliora sunt vbera tua vino*, ad illius referens mansuetudinem, sic scribit serm. 9. in Cantic. *Duo sponsi vbera, duo sunt in ipso ingenitæ mansuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina*, inquam, *dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando, facilitas.*

Christus totus melleus & lacteus, mel ob charitatem, lac ob puritatem.

Ficus pro leui cultura reddit multiplicem fructum, ita etiam Christus.

26. Duodecima, ficus pro facili & leui cultura, cultori reddit multiplices & suauissimos fructus. Ficus, præ vite, olea &c. exiguam exigit culturam. Vitis enim debet seri, repastinari, aggerari, putari, folijs distringi, vt vuæ à sole coquantur, & maturescant &c. quorum nihil fit in ficu. Ficus enim vix aliam culturam, quàm plantationem & ablaqueationem, vti cæteræ arbores; quâ radices earum circumfodiendo aperiuntur, & aëri exponuntur, requirit. Pro exigua autem hac cultura multos dat fructus, quia suauissimi, & saluberrimi, omniumq; arborum fructus antecellũt, tum sapore, tum salubritate, tum integritate: sapore, quia melleum habẽt similem mannæ: salubritate, quia planè percocti sunt, vnde nihil habent acerbum indigestum, & crudum, vti habent cæteri omnes: integritate, quia nullos habent acinos, aut lapillos, vti habent omnes aliarum arborum. Sic Christus pro paruo & exiguo obsequio, pro parua re, æternæ vitæ, æternæque gloriæ, ficus, id est, gaudia nobis largitur. Audi D. Augustinũ ser.64. in Euang. S.Ioannis. *Regnum Dei, venale est. Eme, si vis, nec multum exæstues de re magna, propter pretij magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista tanti valet, quantum es tu. Te da, & habebis illam. Sed malus sum, inquies, & fortè me non accipit. Dando te illi, bonus eris. Cùm autem bonus fueris, pretium ipsius rei eris.* Damus autem nos Deo per amorem. Amor ergo est pretium, quo comparamus nobis æternorum gaudiorum suauissimos fructus. Iam verò quid facilius, quid leuius amore? Sincero amore & dilectione cole Christum & comedes illius tum in hac tum in alterâ vitâ fructus.

Christus pro parua re confert regnum cæleste. AVGVST.

Amore cõparamus regnum cæleste.

Quid homini vtilius ac magis necessarium quàm vt peccata sua redimat? Vis scire quàm faciliter id assequatur? Audi D. Ambrosium lib. de Elia c.20. *Habemus plura præsidia quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes redime peccatum tuum, non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es, redime te operibus tuis*: omninò autem ad rem Chrysost. hom.33. ad pop. *Sunt & hîc castra pauperum & bellum in quo pro te pauperes pugnant, cùm enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium.* Et postmodũ: *hos itaque conspiciens milites quotidie pro te cum diabolo precibus & orationibus pugnantes à temetipso istud tributum exige, ipsorũ alimenta.* Sic Chrysost.

Quàm facilè homo redimat peccata sua. AMBROS.

CHRYSOS.

Et Chrysostomus hom.3. de pœnitentia sic inducit Deum loquentem: *Quiddam ipsi facite, & quod reliquum est ipse adijciam. Exiguum aliquid mihi date, & solidam totius rei summam ipse vobis impertiatur gratuitò.* Expende vltimum D.Chrysostomi verbum, quamuis enim nos in Deum officiosi, religiosi ac obsequiosi sumus, nullum tamen nobis acquirimus ius, quo teneatur præmia nobis concedere, neque enim nostris obsequijs eum deuincere possumus, si præmia nobis reddat & largiatur, id agit iuxta gratuitam suam promissionem quâ præmia se daturum sese obsequentibus promisit. Itaque quoad reddenda præmia, sibi suæque fidei obligatus est, itaque si aliter ageret quàm promisit, contra fidem datam, non contra ius nobis acquisitum ageret.

Si des aliquid, reliquum adijciet Deus. CHRYSOS.

27. Vide quantos mundani suscipiunt, pro assequendis rebus mundanis, labores, quantisque illas emant laboribus & sudoribus, & tu recusabis pauca dare, & exigua, pro assequendis cælestis regni delicijs. Tertulli. lib. de pœnit. c.11. ex ambitiosorum ardore, quo ingentibus corporis incommodis,

modis, magiſtratus ambiunt, ad pœnitentiæ & pietatis ſtudium ſuſcipiendum, quibus comparamus nobis cæli dulciſſima gaudia, ſic nos vrget. *Sed enim illos, qui ambitu obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantùm, verùm & contumelijs omnibus eniti in cauſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant? quæ non atria nocturnis, & crudis ſalutationibus occupant? ad omnem occurſum maioris cuiuſque perſonæ decreſcentes, nullis conuiuijs celebres, nullis comeſſationibus congreges, ſed exules à libertatis, à lætitiæ fœlicitate, idq́ꝫ totum propter vnius anni volaticum gaudium. Nos quod ſecurium, virgarumque petitio ſuſtinet, in periculo æternitatis tolerare dubitabimus? & caſtigationem victus, atque cultus, offenſo Domino, præſtare ceſſabimus, quæ gentiles nomine omninò læſo, ſibi irrogant.* Sic ille.

TERTVLL. Si mundani tanta ſuſcipiunt pro rebus mundanis, mirum quòd Chriſtianus parua non velit ſuſcipere pro rebus cæleſtibus.

28. Pungentem etiam hoſce tepidos & frigidos Chriſtianos, accipe D. Auguſtinũ in Pſal. 15. *Secari*, inquit, *& vri ſe homines patiuntur, vt dolores non æterni, ſed aliquanto diuturnioris vlceris, acriorum dolorum, pretio redimantur. Immaniſſimis bellis miles atteritur: pluribus fortaſſe annis in laboribus inquietus, quàm in otio quieturus. Quibus tempeſtatibus & procellis agitantur mercatores, vt diuitias perituras acquirant, maioribus quàm quibus acquiſitæ ſunt, laboribus & periculis plenas. Quos æſtus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à foſſis, à præcipitijs, à fluminibus, à feris perferunt, venatores? quem laborem eſuriendi & ſitiendi? Quantas viliſſimi & ſordidiſſimi cibi & potus anguſtias, vt beſtiam capiant? & interdum nec ipſius beſtiæ carnes habent, propter quam hæc tanta ſuſtinent, epulis neceſſarias. Quamquam etſi aper, ceruuſq́ꝫ capiatur, magis ſuaue ſit venantis animo, quia captus eſt, quàm comedentis palato, quia coctus eſt. Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas ſubditur? Quantis etiam in ſcholis vigiliarum, & abſtinentiæ moleſtijs exercentur, non propter diſcendam ſapientiam, ſed propter opes, honoresq́ꝫ vanitatis, vt numeros & literas, & diſertas fallacias eloqui diſcant.* Idem ſerm. 110. de diuerſis, ſic probat Sanctiſſimos non plus pro Deo facere quàm mundiales pro mundo. *Quid ergo miramini fratres, ſi amatores Dei tanta pertulerunt vt acquirerent Deum? Amatores auri videte quanta patientur. Hyemalibus aſperitatibus nauigando ſe committunt, iactantur ventis, ſuſpenduntur & deprimuntur fluctibus, ineffabilibus periculis vſque ad mortem agitantur. Dicant & ipſi auro: Propter te mortificamur tota die. Dicant Martyres Chriſto: Propter te mortificamur tota die. Vox quidem ſimilis, ſed cauſa eſt valde diſſimilis: Ecce vtrique dixerint, iſti Chriſto, illi auro.* Idem q. 141. expendens illud Exodi c. 32. *Dixitque, ad eos Aaron, tollite inaures aureas de vxorum filiorumque & filiarum veſtrarum auribus & afferte ad me. Fecit populus quod iuſſerat deferens inaures,* &c. Miratur Iſraelitas ad idoli fabricam requiſitos tam liberaliter exhibuiſſe aurum ad idolum fabricandum, cùm tamen plurimi Chriſtianorum nequaquam æquo animo ferrent, ſi pro regno acquirendo cælorum id ipſum cælitus ac diuinitus facere iuberentur. Accipe illius verba: *Factum tamen illud ipſum difficile, vt eſſet aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putaui qui contriſtantur ſi quid tale propter vitam æternam diuinitus fieri vel æquo animo tolerari iubeatur.* Quid precor ſubeſt cauſæ, quòd mundani pro mundanis tot ſuſcipiant libenter labores? eam loco citat. in Pſal. 15. inſinuat D. Auguſtinus, dum præcedentibus ſubiungit: *Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur, qui verò amant, eadem quidem, ſed non grauia pati videntur.* Vis ſcire, ô Chriſtiane, quare paruum & exiguum deneges Chriſto tanta promittenti? nimirum quia frigidus & omni Chriſti & cæleſtis regni amore vacuus, quia teipſum per amorem non vis dare Chriſto. Nam vt ait D. Auguſtinus ſerm. 9. de verb. Dom. *Omnia ſæua & immania, prorſus facilia, & propè nulla efficit amor.*

Eoſdem Chriſtianos acriter pungit. AVGVST.

Sanctiſſimi non plus pro Deo faciunt quam mundani pro mundo. AVGVST.

Iſraelitæ pro fabricando idolo libenter dant aurũ: quàm pauci Chriſtiani qui id vellent facere propter Deum.

Amor facit mundanos pro mundanis grauia tolerare. AVGVST.

AVGVST.

Verùm quid agit diabolus in cuius obſequium ſua tam profuſè appendunt peccatores? an pro exiguo magna conferre ſolet? abſit, non ſolùm nihil dat quod præmij loco habendum, ſed etiam magna aufert, vt meritò inclamet S. Ioannes Chryſoſtomus orat. de diuitijs & paupertate: *Heu magnum ſtuporem, non aduertimus dolum malum diaboli qui paruorum obiectu magna nobis adimit, lutum dat vt cælum rapiat, vmbram oſtendit vt veritatem excludat, in ſomnijs imagines obijcit: Hoc enim ſunt præſentes diuitiæ vt adueniente die pauperrimos omnium oſtendat.*

Diabolus lutum dat, vt cælum auferat.

De multitudine bonorum, quæ nobis obueniunt ex obſequio cultuq́; Chriſti, veriſſimæ & fructuoſiſſimæ ficus.

§. II.

1. QVi ſeruat ficum, ait Sapiens Prouerb. 27. *comedet fructus eius, & qui cuſtos eſt Domini ſui glorificabitur.* Quæ equidem verba, ſi iuxta litteram, de ſeruo, ac Domino temporali, accipias, nihil aliud hiſce ſuadetur verbis, quàm vt mancipia & ſerui Dominis ſuis fidelitatem ſeruent ſpe

Multitudo bonorũ ex obſequio Chriſti.

spe emolumenti & præmij, quæ ipsos potissimùm ad laborem exacuit, quasi dicat: Quemadmodum ille qui ficum seruat, & culturam illi adhibet, dulcissimos illius fructus tandem carpit: ita etiam seruus qui colit, obseruat defenditque Dominum suum, ab ipso etiam gloriam, & mercedem copiosam fructus loco refert.

Herus ac Dominus cur ficui comparetur.

2. At cur, inquies, herus cum fico potiùs, quàm cum alia arbore comparatur? Posset quispiam dicere ad dulcedinem fructuum Salomonem spectasse, ita vt sensus sit: Seruum mercedem sibi maximè dulcem ac iucundam reportaturum, scilicet libertatem, hoc enim est dignissimum & maximum beneficium, quod à Domino in seruos proficisci solet & quod ipsissimet seruis gratissimum & iucundissimum accidit. Seneca epist. 76. *Inæstimabile*, inquit, *bonum est suum esse.* Illud etiam inter apophtegma Cæsaris refert Erasmus: *Nulla voluptas viris ingenuis suauior est libertate.* Rodolphus addit: Propterea herum cum fico à Sapiente collatum, quia ficus non vnum tantùm fructum adfert, sed duos, alterum præcocem, alterum verò temporaneum, atque adeò significat seruum, qui ad nutum Domino obsequitur suo, non vnam tantùm mercedem nec vnum tantùm honorem, sed alios sub alijs honores & mercedes reportare solitum. Posset etiam quisquam sic comminisci, duos illos fructus præcocem atque temporaneum, duo item præmia, vel duas mercedes, seruitutis bene impensæ, notare bonum, scilicet honestam tractationem dum seruit & demum post aliquos seruitutis annos indultam libertatem. Et sanè verbum illud, *glorificabitur*, ad libertatem, quam rectè riteque obseruiens mancipium à grato Domino, tandem aliquando consequi solet, referendum videtur, hæc enim seruum ex vilissima & degenere valde conditione ad honestam, gloriosamque traducit.

SENECA.

Duplicem fructũ consequitur seruus, fideliter Domino seruiens.

3. Septuaginta Interpretes & Chaldæus ita hæc verba extulerunt: *Qui plantat ficum comedet fructus eius*, &c. Ita vt comparatio sumatur ab eo qui serit & plantat ficum. Obseruare autem oportet ex arboribus alias esse valde seras, quæ nimirum longissimo tempore, postquam seruntur fructus afferre incipiunt, vt oleæ, palmæ, & id genus plures, alias verò esse perceleres, quæ postquam satæ sunt, non longo interuallo adolescunt & fructus afferunt, inter quas refertur etiam ficus, quæ paucis post sationem annis vberrimè fructificat. Huius ergo translationis sensus est. Quemadmodum qui ficulneam serit, fructus eius dulcissimos decerpit, non enim hæc arbor vti aliæ sera est, fructus afferens qui posteris prosint, sed fermè ipsemet qui serit illam, prædulces eius fructus degustat, ita etiam qui studiosè & accuratè Domino obseruit, obsequiturque suo, non quidem serò, & post longas temporum moras, sed ocyùs ab ipso mercedem, præmium, ac libertatis honorem obtinebit, ita vt ipse eâ gloriâ perfrui diutius possit.

Qui studiosè obsequitur Domino, ocyùs ab ipso accipit mercedem.

4. Hæc si in temporalibus seruis ac dominis locum habeant, quid sentiendum illis qui seruiunt Christo? Quicumque enim Christo bene seruierit, coluerit, obseruauerit, honoremque eius & gloriam quæsierit, atque defenderit, mercedem sanè copiosissimam referet, vereque glorificabitur, & suauissima filiorum Dei libertate donabitur. Nec vnam tantùm mercedem, sed alios sub alijs honores, eosque eximios atque æternos reportabit. Et quidem in futura vita hosce fructus à Christo cumulatè & integrè accipiet dum auditurus est ex illius benedicto ore: *Venite benedicti Patris possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Interim verò in hac vitâ fidelis Christi seruus non carebit etiam mercede & gloria sua, ex quâ tamquam ex præcoci fructu poterit prægustare, quam omnem superabit dulcedinem temporaneus fructus æternæ gloriæ.

Superiora cumulatè reperiuntur in Christo.

5. Quis enim explicare valeat, quàm Christus in hac vitâ ob leue impensum obsequium, bona & honesta tractatione seruos suos afficiat? O quàm longè aliter tractat suos seruos Christus quàm vel mundus, vel caro, vel diabolus! Quamuis Deo seruiamus, nihil tamen mercedis, eò nomine, nobis debetur à Deo, debitores enim sumus Deo. Sicut arbor omnem fructum debet hortulano, ita nos etiam Deo. Hanc veritatem Christus declarat parabolâ illâ, cuius conclusio est; *Sic & vos cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite quia serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Quid enim habes quod non accepisti? Vnde serui Dei hanc veritatem probè agnoscentes, dum Dei quærunt auxilium, non audent illi sua ob oculos ponere obsequia, quin potiùs proponunt accepta beneficia. Vt homines à regibus terræ obtineant postulata, allegare solent obsequia tam à se quam ab antecessoribus suis regibus exhibita, tacent verò beneficia collata, longè verò aliter sese gerunt serui Dei, Iacob timens iram fratris sui Genes. 32. sic orat: *Domine, qui dixisti mihi, reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis & veritate tua quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior, erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo, ne fortè veniens percutiat, matrem cum filijs.* Iudith quoque pro populi sui liberatione sic precatur: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem: & dedisti mulieres eorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem: & omnem prædam* in

Quàm benè Christus tractet suos seruos ob leue obsequium.

Quamuis nihil pro nostro obsequio debeat nobis mercedis, Deus, tamen minima obsequia abundanter compensat.

in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum subueni, quæso, te Domine Deus meus mihi viduæ. Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post seruos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum, &c. Licet hæc ita se habeant, Dominum nihilominus habemus tam humanum & gratum, vt minima etiam remunerare velit obsequia. Virga vigilans Deus est, vigilat enim super opera nostra, minimasque etiam obseruat cor constantias, vt nihil irremuneratum relinquat. Nónne legimus Christum reclinatum in præsepio quia illi non erat locus in diuersorio? An hoc præsepio vsus est absque remuneratione ingenti? Audi D. Basilium Sel. orat. de incarnat. verbi. *Loco in diuersorio nullo reperto, reclinatur in præsepio, interim æterna tabernacula parat in cælo. A Magis dona accipit & pretium pro peccatis dependit. Paleas accipiebat in præsepio, & tabernacula nobis parabat in cælo. Munera Magorum sumebat & sese totum effundebat in nostrorum peccatorum pretium.* De Iesu legimus Ioannis 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & cur hominibus tantam potestatem dedit quâ possent fieri filij Dei? acceperat ipse ab homine, quo filius hominis erat, & ex quo accepit id statim cogitat dare hominibus quod filij Dei fierent. Athanasius de Incarnatione Christi: *accipiens mortalem hominem patrem, dedit hominibus suum patrem immortalem, quod ex eo dicto apparet: dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Nónne ait Matth. cap. 8. *Misereor super turbam, ecce iam triduo sustinent me?* Vnxit pedes eius Magdalena, & tanti tam leue obsequium fecit Christus, quod illud voluerit in omnium venire notitiam. Matth. c. 26. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Et Ioan. 11. legimus: *Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento & extersit pedes eius capillis suis.* Et Genes. c. 22. *Per memetipsum iuraui*, dicit Dominus, *quia fecisti hanc rem & non pepercisti filio tuo propter, me benedicam tibi*, &c. Perfloridè de his Saluianus Episcopus Massiliensis lib. 7. de prouidentia Dei. *Non enim nos ad aratra vocat aut ligones, non ad scindendas terras, neque ad vineas pastinandas; non denique illa exigit à suis seruis, quæ nos exigimus à nostris; quid namque à nobis exigit? quid præstari sibi à nobis iubet nisi solam tantummodò fidem, castitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem? quæ vtique omnia non onerant nos, sed ornant.* Legimus Esther cap. 6. Assuerum historias & annales priorum temporum habuisse in quibus descripta obsequia sibi præstita, & annotatæ remunerationes & mercedes eo nomine collatæ; ex illis autem cùm pateret constaretque Mardochæum nihil honoris ac præmij consecutum pro eximia sua in regem fide, dum illi nunciauerat insidias Bagathan & Thares Eunuchorum, regem Assuerum iugulare cupientium, statim decreuit quo honore esset Mardochæus afficiendus. Si Assuerus tam studiosus in remunerandis obsequijs, quid de Deo sentiendum? Henricus Suso vir maximæ sanctitatis, lib. de 9. rupibus cap. 18. format hanc obiectionem: *Quid sibi vult Domine Deus quod plerisque tantas opes tribuis, cùm tamen id saluti eorum officere videatur?* Respondet verò: *Bonitas Dei tam immensa, vt nihil sinat esse remuneratum. Solet enim Deus etiam bona opera moralia ab impijs peracta cumulatè remunerare.*

Varijs idipsum ostenditur exemplis.

Basilius Seleucus.

Athanasius.

Assuerus studiosus in remunerandis obsequijs, multò magis Christus.

Bona moralia ab impijs peracta etiam cumulatissimè remunerat Deus.

Henricus Suso.

6. Quàm longè aliter cum seruis suis sese gerit diabolus. Laborant & illi in illius obsequio, & quidem grauissimè. *Lassati sumus*, aiunt Sapient. c. 5. *in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* Græci codices pro hisce verbis exscribunt, *Fatigati sumus in vijs, callibus, itineribus tritis.* At S. Cyprianus, Augustinus, Gaudentius, Chrysostomus, & Ephrem transtulêre: *Perambulauimus solitudines difficiles vel desertas.* Alij, *deserta impermia, vel inaccessibilia, vel solitudines inaccessas.* Pende in locis citatis peccatorum itinera dici trita, & tamen simul dici itinera deserta, inuia, inaccessa. Trita dicuntur, quia vt ait Christus Matth. c. 7. *spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Dicuntur deserta & inuia &c. quia multo lapide impedita, quia carduis & spinis plena, quia difficultatibus obruta. Vnde Chrysostomus in Psalm. 13. ad citata verba alludens ait: *Putas quod peccatores huius mundi, non laborent, bene enim maiores labores, & solicitudines habent, quàm serui Dei.* Sed qualiter erga hosce suos seruos se gerit diabolus? Certè non secus, ac si eos haberet sibi maximè aduersarios & inimicissimos. Refert Valerius lib. 9. cap. 2. Hannibalem Carthaginensium ducem, Romanis infensissimum eosdem in bello captos priuasse pedum parte anteriori, vt non possent in patriam reuerti, vel effugere duram seruitutem, verùm maior est peccati atque diaboli tyrannis, quia non solùm pedes abscindunt, ne possint eorum mancipia, proprijs viribus à statu peccati transire ad gratiam, sed & manus tollunt, ne operentur aliquod bonum cælestis regni meritorium, imò & oculos eruunt, ne videant & agnoscant miserrimum, in quo degunt atque versantur, statum. Et quod maximè dolendum ab hac seruitute, transeunt ad tenebras infernales, vbi nulla speratur redemptio, atque in illis verificatur illud Apocal. cap. 13. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadit*, vel vt alij legunt: *Vadet.* Qui propria voluntate factus est diaboli seruus atque captiuus, aliam postea incurret grauiorem, vtpote infernalem & æternam.

Serui diaboli in eius obsequio grauissimè laborant.

Et tamen hosce tractat, tamquam sibi maximè aduersarios.

7. Secundò, Christus si quid asperum occurrit seruis suis in illius obsequio, nouit illud

Christus si quid asperũ occurrit seruis, nouit illud condire sua dulcedine.

illud condire sua dulcedine, & quod insipidum & arduum est, sapidum & leue sua reddere gratia. Vnde ait Christus Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, iugum meum suaue est & onus meum leue. Vt sarcina eius sit tibi leuis*, ait D. August. serm. 12. de verb. Apost. c. 7. *& iugum eius suaue, ille tibi amorem inspirauit. Amanti suaue est, non amanti durum est. Amanti suaue est, Dominus dedit suauitatem.* Terrentur mundani dum audiunt sermonem fieri de Dei obsequio & seruitio, quasi dura hæc sint & insipida. Sed vtinam viderent & extremis labijs illa degustarent, dicerent profectò nihil esse dulcius. Si videant aliquem relicto sæculo alicui bonæ religioni nomen dare, vt ibidem rectam vitam instituat & pœnitentiam agat, existimant quòd fletum & lachrymas tendat, cùm interim ad gaudia & ad fruendum Deo, vadat. Ioann. cap. 11. audit Magdalena aduenisse Christum, & relictis Iudæis, illi obuiam procedit, quid tum illi? *Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi*, cùm interim non vt ploret, sed vt suaui Christi gaudeat præsentiâ, illos reliquerit, & domo egressa fuerit. Filijs Israel ad desertum tendentibus humana sapientia iudicabat eos ad mortem & interitum tendere, cùm tamen proficiscerentur ad terram lacte & melle manantem. Comparat Christus Ecclesiam nuptijs, & decem virginibus exeuntibus obuiam sponso & sponsæ, comparat lautissimo conuiuio, comparat thesauro abscondito, comparat pulcherrimæ margaritæ &c. & quid hæc omnia præ se ferunt quàm gaudia, quàm delicias, quàm diuitias, quàm decorem? Nónne Martyres & teneræ Virgines ad tormenta pro Christi amore toleranda properabant tamquam ad dulcissimas epulas, nónne Christus ait: *Beati pauperes, beati mites*, &c. Si mentis oculos aperias videbis carnem grauiter decipi dum iudicat Deo seruire, rem esse plenam amaritudine, & omnem eius lætitiam nullatenus comparandam, vel minimæ stillæ dulcedinis, quam iusti percipiunt, in medijs etiam carnis asperitatibus & mortificationibus. Vt hæc probè intelligas, nota duplices esse delicias, nimirum carnis & spiritus, atque ita iusti perpetuò secum habent & purgatorium & cælum, in carne purgatorium, vtpote, quam sancto prosequuntur odio, quam malè tractant, ab illa remouentes & arcentes omnes carnales delectationes, & mundana gaudia, ne eorum aliquid eam possit intrare. Alia autem ex parte quamuis carnem affligant, in spiritu gestant portatile quoddam cælum. Regnum quoddam Dei, in ipsis latet, futuram in hac vitâ prælibantes gloriam. Trahunt è petra dulcissimas aquas. Cùm Samsone mella reperiunt in faucibus & ore leonis, & cum Dauide inter lachrymas inueniunt panem mirè confortantem.

Qui dat se Dei obsequio putatur ad tristia manum extendere, cùm interim nil nisi lætum occurrat.

Hinc Ecclesia comparatur, nuptijs, thesauro, &c.

Perpetuò secum habent iusti, cælum & purgatoriũ.

8. *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* dicebant fœminæ, *erat quippe magnus valde, & accedentes ad monumentum viderunt reuolutum lapidem*, imò & angelum, de resurrectione Christi dantem lætissima noua. Idipsum experiuntur omnes Dei serui præsertim in primordijs suæ conuersionis. Si cœptum virtutis iter alacriter prosequantur, omnia quæ videbantur difficilia & imperuia, inueniuntur leuia & plana, & vbi verebantur reperire angustias, lachrymas, & labores, inueniunt gaudia, delicias, & summam quietem. Ex quo illa Guerricus Abbas serm. 1. in die Resurrectionis. *Nos tamen, fratres mei, licet non simus tanta nobis puritatis conscij, eamus nihilominus, eamus videre Iesum in montem Galileæ cælestis, vbi constituit nobis. Eundo crescet affectus, & saltem perueniendo perficietur. Eundo via priùs arcta & difficilis dilatatur & virtus infirmis augetur. Ille prodigus filius qui longissimè à patre aberat, dicebat Lucæ cap. 15. Surgam & ibo ad Patrem, & vt surrexit, venit ad patrem, legimus enim: Surgens venit ad patrem, quomodo tam facilè peruenit ad patrem longissimè distantem? surrexit & cœpit ire, & eundo via priùs arcta & difficilis dilatata est, sic via salutis si semel teratur infirmos roborat & reddit praua indirecta & aspera in vias planas vt sint omnia facilia superatu.* Ex quo monebat D. Thomas in Cantic. *Surgens venit ad patrem, sic & nos faciamus, ne pigeat nos longitudinis viæ, quia si voluerimus fiet regressus celer & facilis. Eunti ad Deum omnia difficilia complanantur.* Psalm. 96. *Lux orta est iusto & rectis corde lætitia.* Hebraicè, *lux sata*, vel, *seminata est iusto*, quasi dicat. Lux lætitiæ, gaudij, prosperitatis, sata est à Deo iusto in medijs afflictionibus & laboribus. Sata dicitur hæc consolatio iustorum, nimirum respectu dulcedinis & gaudiorum quæ percepturi sunt, in cælis, ibi enim plenam & copiosissimam messem colligent omnis generis gaudiorum & sanctissimarum voluptatum. Tunc donabuntur hæreditate illa immarcessibili, quæ illis, in hac vitâ adhuc laborantibus est conseruata in cælis vt loquitur D. Petrus. Et talem vt iam diximus sese exhibet Christus sibi seruientibus & obsequentibus.

In Dei obsequio omnia quæ videbantur difficilia, inueniuntur postmodum leuia.

Via Christi in initio arcta mox dilatatur.

GVERRICVS.

9. Quàm longè aliter cum sibi obsequentibus agit diabolus. Quidquid ab eis exigit operosum est, laboriosum est, durum est, ferreum est, D. Paulus ad Galat. cap. 5. loquens de actibus ad quos excitat caro, id est, concupiscentia, illos opera vocat carnis. *Manifesta sunt opera carnis.* Cur illud, quia peccata omnia operosa sunt, grauia, ac ponderosa. An simile quid accidit in virtute excolenda? Absit. Vnde eodem loco variarum virtutum habitus vel potiùs actus, quæ Spiritus sanctus

Diabolus quidquid à suis exigit, laboriosum.

Peccata, opera vocantur, virtutes fructus.

per

per gratiam suam in nobis parit & producit, fructus vocat. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia.* Sicut enim fructus sapore suo gustum, odore suo olfactum, colore suo oculos reficiunt, ita virtus, quæ fructui insuper comparatur, quia consolationem, refocillationem, & miram delectationem ac voluptatem cordibus humanis ingerit.

Iugum diaboli durissimum.

10. Iugum diaboli non suaue sed durissimum. Vnde Isaias cap. 9. describit sic triumphum quem retulit Christus de tyrannico diaboli in homines imperio. *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in Madian.* Quæ verba sic expendit Blasius Viegas in cap. 12. Apocal. com. 1. sect. 10. num. 6. & 7. Primò obseruandum, dæmonem vocari exactorem, id est, exigentem tributa, duabus potissimùm de causis. Prima redditur à D. Hieronymo, quia peccata quasi quoddam tributum reddere compellit. Secunda est, quia post peccatum susceptum, debitas pœnas exigit, tum in hac vitâ, tum in alia apud inferos: quo fit vt omnis peccator sit dæmonis tributarius, eique duplex tributum soluat, ipsum nimirum peccatum & peccati supplicia. Secundò, est aduertendum diabolum habere iugum, virgam, & sceptrum. Etenim iugo premit; virgâ percutit, sceptro tyrannicè imperat. Tertiò, obseruandum ex Cyrillo Alex. lib. 1. in Isaiam, virgam, quâ dæmon peccatores verberat, esse suos ipsorum affectus & passiones: *Coercet,* inquit, *nos, cogitque ad suam voluntatem sceleratam, ac nefariam, agmen dæmoniorum, eorumq; antesignanus Satanas affectuum dynastiâ, atque imperio, seu virgâ propemodum verberans.* Ex quo colligimus quemlibet inordinatum affectum, iuxta Cyrilli sententiam, esse veluti quandam virgam, quâ nos diabolus, tamquam sua mancipia assiduè verberat, quare ne ab eo vapulemus, necesse est, vt huiusmodi virgas frangamus, quod per mortificationem & macerationem carnis efficitur. Sic ferè ille.

Blasius Viegas.

Diabolus habet iugũ, virgam & sceptrum.

Cyrill.

Conscientiæ stimulus reddit diaboli iugum grauissimum.

Cyrill. Alexan.

Quòd autem diaboli iugum durissimum reddit est conscientiæ ille stimulus qui quocumque pergit peccator eum comitatur, ita vt non habeat quò ab illo fugiat; hæc benè expendentem accipe D. Cyrillum Alexand. lib. 6. in Ioan. c. 2. *Propterea serui hominum inhumanos & immites plerumque effugiunt Dominos & corripiendo fugam à dura liberantur seruitute seruus verò peccati quò fugiat non habet; sequitur enim illum semper vindex conscientia, & grauissimis stimulis qui ex peccati recordatione surgunt, torquere non cessat, nec placidam ei quietem concedit.* Taliter autem hic conscientiæ stimulus pungit imò dilacerat peccatoris animum, vt illi nonnumquam præferat præcipitium. De Iuda locutus Matth. cap. 27. *Pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum, &c. Et proiectis argenteis in templo recessit; & abiens laqueo se suspendit.* Cur miser à tanta tui sceleris agnitione, ad tam crudele festinas exitium? ait D. Chrysost. homil. 86. in Matth. *Nec enim potuit acerbos conscientiæ stimulos & flagella perferre. Adeò sceleris commissi stimulus fodicabat miserum, rabidissimisque conscientiæ morsibus lacerabatur vt tolerabiliorem duceret extremam ruinam.*

Huic conscientiæ stimulo, præferunt aliqui præcipitium.

Chrysost.

Christus sibi seruientes reges constituit.

11. Tertiò, Christus sibi seruientes Reges constituit, hinc illud Gregorij: *Seruire Deo, regnare est.* Quinetiam Christus vocatur Princeps Regum terræ Apocal. cap. 2. id est, iustorum, quemadmodum interpretatur Rupertus, quo nihil magnificentius de vllo rege, & eius clientibus dici potuit, cuius enim Regis clientes ac subditi omnes reges fuerunt? Ratio verò est, quia Christus omnes qui suum imperium non detrectant, Reges facit, quod multò ante prædixerat Regius vates Psal. 109. cùm dixit: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Septuag. legunt. *Populus tuus principatus, seu Principes.* Cur verò reges appellentur, duplex est potissimùm ratio. Prior est D. Gregorij 11. moral. 9. super illud Iob cap. 12. *Baltheum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.* Vbi vult iustos appellari Reges, propter castitatem & continentiam, quæ maxima est castitatis laus, & in hunc sensum locum citatum interpretatur. *Qui membrorum,* inquit, *suorum motus bene regere sciunt, non immeritò reges vocantur, sed cùm de ipsa continentia mens elatione tangitur, plerumque omnipotens Deus eius superbiam deserens, in immunditiam operis cadere permittit: itaque Regum balthеum dissoluit, quando propter elationis culpam castitatis in eis cingulum destruit.* Posterior ratio est D. Ambrosij lib. 2. de Abraham cap. 10. super illud Genes. 17. dictum ad Abraham: *Faciam te crescere, & ponam te in gentem magnam, regesque ex te egredientur. Ex genere Abrahæ,* inquit, *non solùm reges erant dignitate, verumetiam illi reges qui peccato non seruiunt, nec vincit eos malitia.* Quæ etiam ratio est D. Gregorij 26. moral. 26. *Quia,* inquit, *tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Id quod vel ipso naturæ lumine cognouit M. Tullius. Is enim in orat. pro P. Sylla sic ait, loquens cum Torquato accusatore: *Quare neque peregrinum posthac dixeris, ne grauiùs refutere, neque Regem ne derideare: nisi fortè regium tibi videtur ita viuere, vt non modò homini, sed nec cupiditati quidem vlli seruias, contemnere omnes libidines,* &c. Et sic interpretatur D. Gregor. illud Iob 36. *Reges in solio collocat in perpetuum,* id est, iustos, ab hac potestate regiminis

Iusti reges.

Propter castitatem & continentiam.

Gregor.

Quia peccato non seruiunt, quia præsunt tentationũ suarum motibus.

M. Tvllivs.

nis ad potestatem transfert retributionis.

Deus seruos suos Deos constituit.

12. Sed quid dico Deum suos seruos creare Principes & reges, cùm sciam in Exod. c. 3. illos quoque mundi Deos nominari? *ecce constitui te Deum Pharaonis*, inquit Dominus ad Moysen. Non sufficit illi eos in filios adoptare ac regni sui proceres & Principes constituere, sed eisdem quoque titulum diuinitatis communicat: Ita Christus ait: *Illos dixit Deus ad quos sermo Dei factus est*, & *Ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes.* Quemadmodum de quopiam officiali regis alicuius, cuius est magna apud regem authoritas, dicere solemus, esse alterum regni regem, quo titulo etiam Ægyptij Iosephum Patriarcham dignati sunt. Quod ipsum vel experientia magistra discere possumus, etenim quinam mundo dominantur? vtique serui Dei, quibus obsequitur totius huius vniuersi moles? Dei seruis, ignis, aqua, angues, cæteræque belluæ, sol, cælum, luna, tellus & reliquæ creaturæ quibus ancillantur, nisi seruis Dei? Quanta potestate mandauit Iosue soli, vt cursum sisteret Ios. cap. 10. *Sol contra Gabaon ne mouearis.* Potuitne imperiosiùs ipse Deus regem siderum affari? Quanta potestate iussit Helias ignem cælo defluere? Quanta potestate præcepit Eliseus vrsorum dentibus pueros impios dilaniari? Quis vnquam vidit agnos coram pastore suo adeò mansuetos vt famelici leones coram Daniele? Quis vnquam fuit œconomus adeò prouidus, in annona familiæ suæ procuranda, vt coruus Eliæ? Quæ nauis vnquam sibi credentes homines adeò securè ad portum destinatum prouexit, vt balæna Ionam saluum, incolumemque in littus Niniuiticum effudit? Quis murus, quod vallum, quæ turres, aut castra adeò validè suos milites ciuesque defenderunt ab hostium insultibus, vt fornacis Babylonicæ ignes, tres pueros?

Serui Dei mundo dominantur.

Dat Christus seruis suis potestatem maiora faciẽdi, quàm ipse fecerit.

13. Quod amplius, nónne Christus ait Ioan 14. *Amen, Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quis non miretur Dominum, sibi non solùm exæquare discipulum, sed etiam concedere, vt maiora & insigniora edat miracula? Vis scire quænam illa fuerint. De Christo non legitur, quod sola vmbra ægros curauerit, quod tamen legitur de Petro, & alijs Apostolis commune fuisse. Vult S. Proclus calceamenta, vestimenta, cingula, sapiones, & strophiola seruorum Dei quanta non vbique miracula patrarunt, quæ tamen non leguntur de Christo? Verùm Diuus Augustinus maiora illa miracula peracta ab Apostolis non autem per Christum præstita, existimat fuisse, quòd plures peccatores per Christum conuerterunt prædicando, quàm ipse Christus conuertit per seipsum. Sed audiendus Sanctus Augustinus qui explicans hæc Ioannis verba, ita scribit: *Maiora horum faciet. Sed quæ sunt ista maiora? an fortè quòd ægros ipsos transeuntibus, etiam eorum vmbra sanabat? maius est enim quòd sanet vmbra quàm fimbria, verumtamen quando ista dicebat, verborum suorum facta, & opera commendabat. Cùm enim dixit: Pater in me manens, ipse facit opera, quæ opera tunc dicebat nisi verba quæ loquebatur, & eorum verborum fructus erat fides illorum? Verumtamen euangelizantibus discipulis, non tam pauci, quàm illi erant, sed gentes etiam crediderunt: Nónne ab ore ipsius diues ille tristis abscessit? Et tamen postea quod ab illo audito non fecit vnius fecerunt multi, cùm per discipulos loqueretur, ecce maiora fecit prædicatus à credentibus, quàm loquutus audientibus*, sic Aug.

AVGVST.

Ad terram vsq; deijcit diabolus suos cliẽtes.

14. At quomodo tractat dæmon suos clientes? Ad terram vsque eos deijcit, vt de quolibet eorum vsurpare possit illud Centurionis: *Puer meus iacet in domo mea paraliticus.* Quod amplius, diabolus seruos suos contemptibiles reddit omnibus creaturis, iuxta illud: *Quomodo vilis facta est filia Sion?*

Reddit eos contemptibiles omnibus creaturis.

Quàm durè tractet suos clientes mundus, caro, & diabolus.

15. Quis expendens hanc Christi in seruos suos ob leue & breue obsequium sibi præstitum munificentiam, non enim ex animo colat, non ex toto corde seruiat? Quis donorum & beneficiorum suorum consideratione, non animetur vt omne vitæ tempus in illius expendat obsequium? O vtinam expendant homines, quàm longè aliâ tractet ratione clientes suos, mundus, caro & diabolus, quàm agit ipse Christus. Illos rectè comparaueris iunipero illi, de quo in Apologo relato Iud. cap. 9. qui non nisi spinas & flammas pollicetur sibi adhærentibus, Christum verò vel Sanctissimam Trinitatem, frugiferis illis arboribus, ficui, viti, oliuæ. In quibus adumbrari personam Saluatoris, Patris, & filij, vult Hieronymus scribens in Agg. cap. 2. Qualiter persona Patris rectè comparetur ficui grossos suos proferenti sic eruditè declarat D. Bonauentura in lib. de sept. Itiner. distinct. 7 expendens verba illa sponsæ Cant. 1. *Ficus protulit grossos suos. Quid per ficum conuenientius intelligi potest producentem fructum dulcedinis, quàm Pater æternus, Principium omnis dulcoris, qui protulit nobis grossos infinitæ dulcedinis, & refectionis, scilicet verbum suum, Spiritum sanctum, consubstantiales, & coæternos? Verbum suum infinitæ dulcedinis protulit incarnatum, vt nobis esset in redemptionem, & panem supersubstantialem, vt esset nobis in refectione, qui descendit de cælo nobis praeparatus, & habens*

Similes sunt illi iunipero qui nil nisi flãmas pollicetur.

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ficui, viti, oliuæ, cõparantur.

BONAV. HIERON.

in se omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis, vt per ipsum dulciter reficiamur in via ne deficiamus, sed ad æternum Patrem reducamur. Ficus etiam paterna protulit nobis spiritum sanctum, consubstantialem & coæternum, qui est fons infinitæ dulcedinis, salutis in vitam æternam, Spiritus enim meus super mel dulcis, à quo omnis dulcedo emanat. Vnde Gregorius lib. 5. mor dicit, *quòd unctio Spiritus sancti facit contemnere inferiora, & eleuat ad superiora, & quòd dulcedo eius hîc sentiri potest, non dici, hunc grossum infinitæ dulcedinis, Pater nobis protulit, dum nobis eum in sensibilibus signis misit, & quotidie inuisibiliter electis mittitur, qui itinerantes, per septem dona, quasi per septem dies, & per septem refectiones spirituales, nos ad conuiuium æternorum collium perducit.* Vnde Greg. lib. 1. mor. dicit, *quòd vnumquodque donum Spiritus Sancti, diem spiritualem facit in mente per suam illuminationem, & in qualibet die conuiuium facit per suam dulcedinem. Intellectus in die suo conuiuium facit & præparat, quia in eo quòd audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illustrat: Sapientia in die suo conuiuium facit, quia mentē æternorum spe, & certitudine reficit. Consilium in die suo conuiuium exhibet, quia dum præcipitem esse prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in die suo conuiuium facit, quia dum aduersa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Scientia in die suo conuiuium præparat, quia in ventre mentis ignorantiæ ieiunium separat. Pietas in die suo conuiuium exhibet, quia cordis viscera misericordiæ operibus replet. Timor in die suo conuiuium facit, quia dum premit mentem ne de præsentibus superbiat, de futuro illam cibo spei confortat. Hæc ille & sic itinerans ad æternitatem confidenter & velociter incedit.* Hæc omnia D. Bonauentura. S. Spiritus etiam rectè ficui, (quæ pacis & quietis symbolum) comparari potest. Quiescere sub ficu est quiescere in donis Spiritus sancti ait Sylua allegor. v. *Sedere.* Et Origines hom. 15. in Iof. fatus de requie cælestis patriæ alludens ad illud 3. Reg. 4. vbi agitur de pace terreni Salomonis: *habitabatq; Iuda & Hierusalem, & Israel absque timore vllo, vnusquisque sub ficu sua, & sub vite sua, à Dan vsque Bersabee cunctis diebus Salomonis*, sic scribit: *Tunc tibi dabitur requies, vt requiescas sub vite tua, qui est Christus Iesus, & sub ficu tua, quæ est Spiritus sanctus.* Ecce quales arbores nobis colendæ, ecce quibus seruiendum Dominis, si velimus accipere fructus præcoces & temporaneos, id est, tum huius, tum futuræ vitæ bona.

Gregor. Origen.

Qualiter mundus, caro, diabolus similes sint Iunipero expenditur

Hvgo a S. Victor.

16. Qualiter verò caro, mundus, diabolus, sint sibi seruientibus & adhærentibus, quasi tot iuniperi, facilè iudicabit qui perpenderit verba illa Hugonis à Sancto Victore miscell. 2. lib. 3. titulo. 8. *Quatuor sunt quorum in hac vita obsequijs deseruimus, caro, mundus, diabolus, Deus. Carni militamus, gulæ illecebris seruiendo, luxuriæ stimulis obsequendo. Mundo militamus, auaritiæ æstibus anhelando, honoris altitudinem affectando. Diabolo militamus, bonorum profectibus inuidendo & contra Deum superbiæ spiritu intumescendo. Deo militamus pietatis operibus humiliter insistendo, potestates aëreas virtute spiritus oppugnando. Habent & singuli Principes isti, donaria propria. Caro suis tyronibus elargitur momentaneam voluptatem, mundus transitoriam sublimitatem. Diabolus captiuitatem perpetuam. Deus interminabilem fælicitatem, hæc sola præponderat.* Sic ille. Pende illa verba, *Captiuitatem perpetuam.* Numquam enim caro, mundus vel diabolus, seruos suos donant libertate, numquam manumittunt vt pulcherrimè notauit Philo Hebræus lib. 2. Allegor. post medium, vbi alloquens Esau prauatum cupiditatum mancipium, ait: *Teipsum subiugasti affectuum vehiculo, aurigante insipientia, nunc quidem seruus es molestorum herorum & intolerabilium, qui non solent quemquam manumittere. Quòd si eos fugitiuus, deserueris, excipiet te amator seruorum Dominus, cum certa spe futuræ libertatis, nec vnquam exhibebit heris prioribus.* Sic Philo.

Nunquam seruos suos manumittunt.

Philo Hebraevs.

Qualiter Christianus Christo seruire debeat.

§. III.

1. CVm tam benignum, fructuosum ac liberalem sese exhibeat Christus seruis suis, paucis exponendum qualiter seruiendus à quolibet Christiano.

Qualiter seruiendum Christo.

2. Primò, debet quilibet seruire Deo, iuxta status sui conditionem 1. ad Corinthios 12. *Diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*, & 2. ad Timotheum 4. *ministerium tuum imple.* Sed clariùs Rom. 12. *Sicut enim in vno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo.* & 1. Corinth. 7. *Vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet*, has enim ratione facillimè vitam assequetur æternam Iosue cap. 6. Lapsis muris Iericonthinis tubarum clangore, quilibet intrabat per eam portam partemque quæ respondebat loco in quo stabat, sic ablatis à Deo impedimentis, quæ impediebant cæli ingressum, seruemus locum & statum, in quo à Deo positi sumus, viuentes iuxta illius exigentiam, & sic illo mediante facilè intrabimus & potiemur regnō cælorum.

Debet quilibet seruire Christo iuxta status sui conditionem.

3. Verùm

Pauci in mundo qui viuũt iuxta ſtatus ſui exigentiam.

3. Verùm quàm paucos habet mundus qui viuant iuxta ſtatus ſui exigentiam. Quod deplorans Ieremias in Threnis c. 4. ait: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, in capite omnium platearum. Filÿ Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli. Sed & Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerant catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. Qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora.* Ponit Propheta oculos in omnes mũdi ſtatus, & cernens quantum defecerint à primæva atque antiqua bonitate & rectitudine, eoſdem deplorat. Et primò quidem prælatos Eccleſiæ, quòd in eis obſcuratum ſit aurum charitatis quod fulgebat in S. Ambroſio, Auguſtino, Martino, &c. Secundò, deplorat lapides ſanctuarij, nimirum Religioſos, in quibus deficit rigor & feruor vitæ, quæ florebant in primis illis patris & fundatoribus. Tertiò deplorat filios Sion, id eſt Eccleſiaſticos, qui cùm deberent fulgere auro charitatis omniumque virtutum, facti ſunt per amorem rerum terrenarum vaſa lutea, quæ finguntur volatili rota. Quartò deplorat magiſtratus, parentes atque magiſtros, quod lamijs deteriores ac crudeliores quæ denudant mammas, vt catulos lactent; illi è contra more ſtruthionum, oua propria negligentium, nullam gerant ſubditorum, filiorum ac diſcipulorum curam. Vltimò deplorat ſæculares homines, qui ſolebant indui croceis, id eſt, pulcherrimis virtutum veſtimentis, nunc verò immundiſſimis vacant vitijs, & ſtercora carnalium vitiorum amplexantur. Concludit Propheta: *Maior eſt effecta iniquitas populi mei peccato Sodomorum.* Illi enim erant infideles nos fideles, nos populus acquiſitionis, nos ſcientes Dei voluntatem, & propoſita Deo ſeruientibus præmia. Vtinam obaudiamus monito Tobiæ ad filium facto, Tob. 20. *Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Nam vt ait Ierem. c. 10. *Scio Domine, quia non eſt homini via eius: nec viri eſt, vt ambulet & dirigat greſſus ſuos.* Per viam autem intelligit cuiuſque hominis ſtatum & vocationem.

Soli Deo ſeruiendum & quàm maximè recedẽdum à peccato.

Richar. à S. Vict.

4. Secundò, ſoli Deo ſeruiendum Chriſtiano, qui de numero ſeruorum Dei ſe eſſe gloriatur, & quàm maximè fieri poteſt illi recedendum à peccato, vt rectè docet Richardus à S. Victor. in illud Pſalm. 118. *Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum*, vbi poſtquam dixiſſet: *Verè me fateor ſeruum eius* (Dei) *non tantùm iure creationis, nec ſolùm debito neceſſitatis, ſed etiam propoſito voluntatis. Nam alios ſeruos efficit ipſa eorum natiuitas, alios ſeruituti addicit belli neceſſitas, alios obſequio ſubÿcit humilitatis magiſtra charitas. Seruiam, ſeruiam igitur creatori meo iure conditionis, obſequar Regi meo, ex reuerentia maieſtatis, ſubÿciar Saluatori meo debito charitatis.* Subiungit. *Nulli iam dubium arbitror, quin ſe fortiter vendicet à ſeruitute peccati, qui ſe non dubitat nominare ſeruum Dei. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire. Sed qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Conſequens ergo eſt, vt eum credamus peccato non deſeruiri, ſed reſiſtere, vt veraciter ſe poſſit ſeruum Dei aſſerere.* Sic ille.

Quo feruore ſeruiuimus iniquitati, eodem ſeruiendum iuſtitiæ.

5. Quantopere peccator ante conuerſionem ſub diaboli ſeruitute conſtitutus alienus fuit ab omni virtute & ab omni iuſtitia planè liber: tantopere iam conuerſus & Chriſti ſeruus effectus debet eſſe alienus ab omni peccato. Vnde D. Paulus Rom. 6. poſtquam ab eis poſtulaſſet, vt tantam afferrent in ſeruiendo Chriſto diligentiam, quantam impendiſſent ſeruitio & obſequio peccati ac diaboli, ſic fatus: *humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem:* Subiungit: *Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ*: In quæ verba ſic D. Chryſoſtomus hom. 12. in epiſt. ad Rom. *Quod autem*, ait, *hunc habet ſenſum. Dum in malitia viueretis, in iniuſtitia, in ſummis malis, tanta cum obedientia viuebatis, vt prorſus nihil boni ageretis. Hoc enim ſignificant verba hæc, liberi eratis iuſtitiæ, hoc eſt, non eratis ei ſubditi, ſed alienati ab ea prorſus: neque enim ſeruitutis modum diſtribuebatis, partim iuſtitiæ, partim peccato, ſed ipſos vos totos debebatis malitiæ. Igitur & nunc quoque, poſteaquam ad iuſtitiæ cultum vos traduxiſtis, ipſos vos totos ad virtutem date, nullum prorſus vitio locum relinquentes, vt in eo vel æqualem ſaltem modum ſeruare vos oſtendatis: quanquam non ipſius dominij ſolum, ſed & ſeruitutis quoque magnum adeò ſit diſcrimen.* Sic ille. Vide Baeza tom. 5. de Chriſto figur. lib. 9. c. 8. §. 32.

Chrysos.

Nemo poteſt ſimul ſeruire Deo & peccato.

6. Nihil eſt ſtultius quàm quod Chriſtianus exiſtimet, ſe Deo poſſe ſeruire & dæmonio. ſiue peccato. Nullatenus ſimul morari poſſunt Arca Dei, & Dagon, vt videre eſt 1. Reg. 5. *Coanguſtatum eſt ſtratum* (cordis humani) *ita vt alter decidat*: clamat Iſaias cap. 28. Leuit. c. 19. præcipit Deus, ne quis vtatur veſtibus diuerſi coloris, id eſt, ſeruiat virtutibus & vitijs. Hoc vitium reprehendebat Elias 3. Reg. 18. *Vſquequo claudicatis in duas partes, ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini illum.* Et 1. Cor. 10. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & dæmoniorum.* Hoc prætendebat Pharao dicens Exod. c. 8. *Ite & ſacrificate Deo veſtro in terra hac*, verùm in tenebris Ægypti non poteſt offerri gratum Deo ſacrificium: hinc Sapiens conſulit filio ſuo Eccli. 11. *Fili, ne in multis ſint actus tui*, quaſi dicat: Vni Deo te totum impende, nam vt ait Eccli. c. 3. *Cor duplex malos habebit ſucceſſus*, & talibus iurat Deus per Sophoniam cap. 1. *Diſperdam eos qui iurant in Domino, & iurant in Melchon.* Hac de cauſa etiam Iere-

mias cap. 7. reprehendit Iudæos, dicens: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, templum Domini, templum Domini est*, in quo nostra offerimus sacrificia, interim grauia committentes peccata. In hosce quadrat & illud Oseæ cap. 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt*. Pulchrè Poëta:

Omne regnum impatiēs consortis.

Nulla fides regni socijs, semperque potestas
Impatiens consortu erit.

Imprimis regnum cælorum.

Patet inductione: Maximum regnum cæli est, tum extensione, nam terra illius respectu est instar puncti. *Punctum est istud omne in quo bella geritis & regna disponitis*, dicebat Seneca; tum duratione, nam regnum est, omnium sæculorum, iuxta scripturam. *Regnum*, ait Isidorus Pelusiota, *quod æternitas velut corona cingit*. In hoc regno se socium Deo voluit exhibere Lucifer. *Sedebo*, ait, *in monte Aquilonis & ero similis altissimo. Mons iste frigidus est*, ait Diuus Bernardus, *videbam Sathanam quasi fulgur cadentem è cælo*.

SENECA.

BERNAR.

In stellato cælo etiam vnus est Rex.

CICERO.

7. A cælo empireo descendamus ad cælum stellatum. Inter omnia astra, vnus est Rex, nempe sol. *Sol*, ait Cicero, *dux, princeps, ac moderator luminarium ceterorum*. Vnde dixit Alexander Dario offerenti dimidium regni: vnum cælum duos non patitur soles, vnum regnum duos non patitur Imperatores. *Roma vt condita est*, ait Hieronymus, *duos fratres simul habere non potuit. Dux vnus in apibus*, ait Minutius Fælix in Octau. *dux vnus in gregibus, in conuentis rector vnus, tu in cælo summam potestatem diuidi credis*. Quomodo ergo in paruulo corde, duos vis morari dominos, quomodo vnius pileus duo teget capita, vnus calceus duos calceabit pedes, vnus lectulus duos recipiet, breue pallium duos operiet?

HIERON.

Qui vnum sequuntur polum, necesse est, vt alteri humeros vertat.

8. Duo sunt in cælo poli, arcticus & antarcticus, qui vnum sequuntur necesse est alteri humeros vertant, vt experiuntur qui in Indiam nauigant: Idem accidit illis, qui volunt seruire Deo, & nauigare in Indias illas Beatorum, necesse planè est, vt terga vertant mundo, nam si illi magis afficiantur, necesse est illa vertere Deo. Impossibile est seruire duobus dominis contraria imperantibus.

Cur non laudata à Deo opera secundæ diei.

HVGO VICTOR.

Binarius symbolum diuisionis. Infamis numerus.

9. Quærit Hugo à S. Victore libro 1. de Sacrament. parte 1. cap. 20. *Quare non vidit Deus opus secundæ diei quòd esset bonum, sicut in cæteris omnibus diebus, vidisse legitur. Et vidit Deus quod esset bonum?* Respondet autem: *Fortassis quia binarius signum diuisionis est: qui primus ab vnitate discedit: Sacramentum aliquod hic commendatur. Et non sunt laudata opera secunda, non quia bona non essent, sed quia malorum signa essent*. Sic ille. Numerus binarius etiam apud Pythagoricos reputabatur infamis, vtpote existens principium diuisionis, quæ causa est contrarietatis, similiter & distantiæ, quia contraria maximè distant, Pythagoras affirmabat numerum vnitatis dare rebus existentiam, binarium verò inducere destructionem & mortem, & sicut vita quæ maximè æstimatur vnio est animæ cum corpore, ita & mors quæ cæteris rebus horribilior separatio est eiusdem animæ & corporis. Vnde nullatenus vult Deus cor nostrum inter ipsum & mundum siue peccatum diuidi, sed solus illud possidere desiderat. *Dei seruus ecce ille est*, ait Gregorius Nyssenus libro de vitâ Mosis prope finem, *qui cætera omnia superauit. Nam Deo seruire quispiam non potest, nisi omnia quæ in hoc mundo sunt, propter Deum spreuerit*.

Nullatenus vult Deus cor nostrū diuidi.

NYSSEN.

10. Tertiò, seruus Dei, in ipsum Deum, tanquam in scopum, omnes actiones, consilia & desideria sua referre debet, tantum non exprimens illud Pauli ad Colossenses 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi*. Et 1. Corinth. 10. *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Vbi Theodoretus: *Omnia*, inquit, *comprehendit, & sedere & ambulare & differere & misereri, & docere, vt vnus sit scopus Dei gloria*. Sic vni Deo viuebat Dauid in omnibus actionibus & affectibus non alium sibi præfigens scopum, quàm vnam Dei gloriam. Quâ mente dicebat Psalm. 26. *Tibi dixit cor meum*. & Psalm. 3. *Mane astabo tibi*. & Psalm. 29. *In æternum confitebor tibi*, & statim: *Vt cantet tibi gloria mea*, & Psalm. 100. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, tibi, id est, ad laudem tuam, ait Bellarminus. Opportunè D. Bernardus serm. de Obedientia & Patientia dicebat: *Deo quodammodo insulsa est nostra obedientia, seu patientia, nisi omnium quæ agimus, & patimur, ipse sit causa*. Quare Ps. 118. obnixè rogabat Deum Regius vates, vt oculos suos à vanitate auerteret, ne videlicet in aliud, quocumque tandem se illi verterent, quàm in Dei honorem & gloriam intenderent. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem*. Vbi Diuus Augustinus componens hæc verba cum illis Christi apud Matthæum cap. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*. sic loculenter loquitur: *Proinde magni interest cùm aliquid boni fecimus, cuius rei contemplatione faciamus: Officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est, vt scilicet, non tantùm, si bonum est, quod facimus, sed præcipuè si bonum est propter quod facimus, cogitemus*. Et statim, *hos oculos quibus contemplamur, quare faciamus, quod facimus, auerti poscit. Ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendant, propter quam faciat, cùm boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui magni in hoc sæculo nominati sunt, multumque laudati in ciuitatibus gentium quærentes non apud Deum,*

Seruus Dei in ipsum Deum tanquam scopū debet referre omnes suas actiones.

THEODO.

BELLAR.

BERNAR.

AVGVST.

Deum, sed apud homines gloriam, & propter hanc velut prudentes, fortiter, temperanter, iusteque viuentes; ad quam peruenientes, perceperunt mercedem suam, vani vanam. hæc & multò plura ibi in hanc rem D. August.

CORNEL. Consilij est nō præcepti vt singula opera nostra in Deū referamus.

10. Cornelius expendens citata D. Pauli verba scribit illis contineri non quidem præceptum sed consilium, vt singula opera nostra, actu aut virtute ad Christi gloriam referri velimus, sic in sequentibus scribens: & sanè consulenda hæc est praxis, vt assuescamus crebrò iteratis actionibus opera nostra, præsertim in eorum exordio, referre ad gloriam Christi; ita fert vt ex consuetudine habitum inducamus, quo vel actu vel virtute, omnia illa referamus ad gloriam Christi; hinc consequetur vt omnia opera nostra, etiam indifferentia virtutis ac meriti rationem induant. Qua in re multi simplices opifices, agricolæ, alijque multi deficiunt, faciuntque ingentes labores, sed sine merito, quia laborant tantùm ex motiuo, & fine naturali, vt scilicet sibi, suisque de necessarijs vitæ prouideant; qui si docerentur eadem insuper referre ad Dei laudem & obsequium, nullo lucro terreno fraudarentur; sed præter illud, ingens meritorum, & benedictionis diuinæ lucrum, apud Deum acquirerent. Vt ad hoc se & suos excitaret, Deique & piæ intentionis in Deum memoriam, renouaret. Beatus Pater Ignatius hoc elogium perpetuò habebat in ore: *Ad maiorem Dei gloriam.* Simili modo Apostol. 1. Cor. 10. dixit: *Omnia in gloriam Dei facite.*

Cum lætitia seruiendū Christo.

11. Quartò, cum lætitia seruiendum Christo, *Respiciat nos tantummodo Dominus noster*, dicebant Iosepho Ægyptij, *& læti seruiemus regi*, Deo nos respicienti & conferenti tot bona, cur læti illi non seruiemus quid tam proprium Deo quàm benefacere & bona conferre hominibus. Cùm Exod. cap. 3. diceret Deus Moysi: *Veni & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israel de Ægypto. Respondit Moyses: Ecce ego vado ad filios Israel, & dicam eis, Deus patrum misit me ad vos. Si dixerint mihi; Quod est nomen eius, quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: ego sum qui sum. Ait: Sic dices filijs Israel, qui est misit me ad vos, dixitque iterum Deus ad Moysen: hæc dices filijs Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos, hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* Ecce duo nomina sibi indit Deus, primum plenum est maiestate, ego sum qui sum, nomen quàm maximè exprimens naturam Dei, nam Deo nihil tam proprium quàm esse, vnde sic Deum alloquitur. Iob cap. 14. *Nónne tu qui solus es?* Alterum est, *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus patrum vestrorum:* ex duobus hisce nominibus, quodnam illius magis afficit gustum, quo magis delectatur? certè secundo, *hoc*, ait, *nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem.*

Deo tanquam Regi maximè benefico seruiendum cum lætitia.

Hoc nomen Deo gratius quo significatur eius in homines beneficētiā.

Cur illud? quia licet primum nomen sit augustius, naturam Dei optimè exprimens: Secundum nomen, quia Dei in homines beneficentiam redolet, illi multò est gratius, vnde mox à primo ad secundum transgreditur, *Deus sum Abraham*, quasi dicat, ego ille sum qui singularem curam Abrahæ habui; ego sum qui Isaac tot benedictionibus prosecutus sum; ego sum ille in quo Iacob omnem spem repositam habuit & cui in omnibus periculis defensor & auxiliator exstiti, & antiquos patres tot tantisque beneficijs cumulaui, hoc nomen mihi placet, mihique planè arridet, quo significatur mea in homines beneficentia & ad bona largienda promptitudo: cur ergo hominibus Deus tam beneficus, cur tali regi non læti seruiant & omne obsequium præstent. *& læti seruiemus regi.*

Lætitia, qua seruimus Christo, superat etiam corporis infirmitatem.

Hæc lætitia & mentis internæ alacritas quâ seruiuimus Deo superat etiam ipsius corporis infirmitatem, vt quod infirmum, sanum appareat & robustum. Cùm Iacob penè animam ageret Genes. 48. ait textus: dictum est seni: *Ecce filius tuus Ioseph venit ad te, qui confortatus sedit in lectulo, &c.* Qui moriturus iacebat, vt audiuit filium suum ad se venire, & exurgit, & sedit in lecto. Vnde hoc ait Rupertus libro 9. cap. 22. *Confortatus itaque adeò mente est, qui ægrotabat corpore, ita vt corpus quoque fessum alleuiaretur mentis alacritate: & cuius oculi corporei caligauerant præ nimia senectute, nec clarè videre poterat, interioris eius hominis acies clarificata est.* Sic mentis alacritas corpus fessum & prostratum alleuiabat vt surgeret & erecto collo sederet, vt sedere solent qui viribus valent. De Simeone illo cantatissimo sene ait Luc. c. 2. *Venit in spiritu in templum.* Quod ponderans Timoth. Hierosolymit. orat. de illo festo, ait, *Simeon itaque tanquam ætate innouatus, animique desiderio perinde ac alis quibusdam vehementer concitatus & à Spiritu sancto nihilominus impulsus & subleuatus celerrimè cucurrit, Iosephumque & Mariam qui rectà ad templum contendebant anteuertit.* Ecce tibi senex ætate confectus, iuuenes ad templum contendentes cursu corporali anteuertit & prior illis terit templi limina. vnde hoc? Ait ibi, *Animique desiderio ac alis quibusdam vehementer concitatus.* Itaque animi desiderium & alacritas alas indidit seni, quibus concitatus & grauedinem senectutis & infirmitatem vinceret.

RVPERT.

TIMOTH.

Reddēdum Deo quod quilibet postulat à suo famulo

AVGVST.

13. Quinto. Vt benè Christo seruiamus, hoc illi reddendum, quod nos postulamus nobis exhiberi à famulo & seruo nostro. Vnde Diuus Augustinus sermon. 5. ex 40. postquam dixisset seruos à Domino manumitti & libertate donari ob fidem sibi exhibitam, modum insinuans quo manumissio

numissio peragebatur, hisce vsus verbis: *Seruum tuum manumittendum manu ducis in Ecclesiam, fit silentium, libellus tuus recitatur, aut fit desiderij tui prosecutio. Dicis te seruum manumittere, quòd tibi in omnibus seruauerit fidem, hoc diligis, hoc honoras, hoc donas præmio libertatis. Quicquid potes facis, facis liberum, quia non potes facere sempiternum.* Sic in sequentibus rem in illos torquet qui non reddunt Deo, quod laudant in seruo: *Deus,* inquit, *tuus clamat ad te, & in seruo tuo conuincit te. Dicit tibi in corde tuo: duxisti seruum tuum de domo tua, ad domum meam: vis eum de domo mea liberum reuocare in domum tuam. Tu quare malè seruis in domo mea? Das illi quod potes: promitto tibi, quod possum. Tu facis liberum seruantem tibi fidem: ego te facio sempiternum, si seruaueris mihi fidem. Quid adhuc argumentaris contra me in corde tuo? Redde domino tuo quod laudas in seruo tuo. An fortè tibi tantum arrogas, vt te dignum putes, qui seruum fidelem habeas, quem tibi comparaui: & ego non sum dignus, qui seruum fidelem habeam, quem creaui?*

Increpantes seruos solebant illis obijcere pretium, quo essent empti, an non meritò id agit Christus cũ malo Christiano? AVGVST.

14. Olim seruum, qui fidem non seruaret, increpantes, pretium quo emptus esset, obijciebant, quod sanguinis nomine circumscribebant, in hunc ferè modum: *Nescis, quia sanguinem meum, pro te numeraui,* aut, *sanguinem meum, pro te dedi, male serue,* vt patet ex D. Augustino, loco citato, vbi ita scribit: *Si tibi seruus tuus, quem manu mittis, fidem non exhiberet, nec se manumissione dignum, fidem seruando faceret, & eum in aliquibus in domo tua fraudibus inuenires, quid clamares? Malè serue. fidem mihi non seruas? Nescis, quia emi te? Nescis, quia sanguinem meum pro te numeraui. Clamas quantum potes, & cælum inuidiosis pulsas vocibus: Sanguinem meum pro te dedi, male serue, & omnes qui audiunt, inquiunt: Verum dicit. Si tibi auderet respondere sic inuehenti & clamanti ipse seruus tuus, non erubesceres, si tibi diceret: Quem, rogo te, sanguinem pro me dedisti, quando me emisti? Nec saltem te phlebotomasti? sed sanguinem tuum pecuniam vocas: tantum amas pecuniam tuam vt eam appelles sanguinem tuum.* Flectit deinde ad Christum, qui verè suum pro nobis sanguinem dedit, vt reddenda illi fides, quam in seruo quærimus, & à seruo. Dabo Sancti Patris verba: *De voce tua te conuincit Dominus tuus. Vocas pecuniam tuam sanguinem tuum: & ideo exigis à seruo tuo empto fidem; quia pro eo dedisti, non vtique sanguinem, sed nummum, vel aurum. Ego, quid dederim, recolis: tabulas tuas lege: si non recolis, lege pro te mortem Saluatoris, lanceam percussoris, pretium Redẽptoris. Potest & homo viuens, venâ, vt dixi, percussâ dare sanguinem suum, & tamen viuere. Plus est quod tibi dicit Dominus tuus, non de me viuente sanguis expressus est? Sanguine meo te emi. Addo, morte mea te emi. Quid habes, quod dicas? Redde fidem Domino tuo, quam exigis à seruo tuo.* Hæc omnia D. August.

15. Sed esto non dederit pro nobis sanguinẽ suum Christus, nónne modis omnibus cõsultum vt fidem quam in seruo desideramus, illi exhibeamus? Audi Ambros. in epist. 2. ad Timoth. *Dignitas est*, ait, *seruum esse potentis. Felicitas, seruum esse sapientis. Spes, & securitas est, seruum esse diuitis.* An quid potentius, sapientius, ditius ac opulentius Christo excogitari potest! huic ergo fidem seruemus, & ex animo seruiamus.

Merito Christo fidem seruamus, quia potens est, sapiens, & diues. AMBROS.

16. Postulant etiam Domini oculos seruorum suorum, ita etiam Christus, quò respiciens Dauid dicebat Ps. 122. *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominũ Deum nostrũ.* habent serui oculos in manibus domini collocatos, nõ solùm ad recipiendam mercedẽ, ad petendam vitę sustentationem, ad obtinẽdam quando castigantur, sed etiam ad exequendam eorum voluntatem, dum vel minimum mouent digitum, ita & nos debemus oculos in Deum collocatos habere, ab eo sperantes bona tam temporalia quàm æterna, expectantes culparum nostrarum remissionem, ipsi relinquentes nostram protectionem & defensionem, & ad nutum illi seruientes & obedientes. Postulant insuper seruorum obsequium Domini quod attinet reliquos omnes eorum sensus: Ita similiter ipse Deus, Genes. cap. 47. vbi Ioseph Ægypti terram vniuersam emerat, datis sementis, vt seminaretur, dicebat: *Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum,* &c. Quæ verba expendens Berengosius Abbas libro 1. de inuent. Crucis c. 6. ait: *Sicut ex præcepto Ioseph quinta pars frugum Ægyptiarum data est Regi, ita quinque sensus nostri deferendi sunt in obsequium Dei, vt pro quinta parte, quæ debebatur Regibus, quinque sensuum nostrorum custodiam diuinis semper mancipemus legibus. Nisi enim ad exemplum legalis Sacramenti primogenitum hominis redimamus quinque siclis argenti, nihil nobis quinque vulnerum Christi proficere vibices, quibus in ara Crucis quinque sensuum nostrorum voluit sanare cicatrices,* &c.

Serui collocatos habẽt in herum oculos, nos eosdem in Deo collocatos debemus habere.

BERENG.

Quinque sensus nostri, deferẽdi in obsequiũ Christi.

17. Vt bene Christo seruiamus, nos illius voluntati in omnibus conformari debemus: nam, vt inquit Tertullianus, *Obsequij ratio in similitudine animorum constituta est.* Vnde sic conuenienter orat Dauid Psalm. 118. *Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia,* & eodem loco: *Consilium meum:* (Alij legunt consiliarij mei,) *iustificationes tuæ*: siue mandata tua, & Psal. 142. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Se seruum Christi agnoscens D. Paulus vide quid dicat: *Domine quid me vis facere?* quasi dicat: Tua, ô Domine, voluntas, mea est, tuum erit in posterũ mihi præcipere, meum obedire. *O breue verbum,* ait D. Bernard. serm. 1. in conuersione S. Pauli, *sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione:* & de quolibet iusto ait Dauid

Vt bene seruiamus Christo debemus nos conformare illius volũtati.

TERTVLL.

BERNAR.

uid

uid Psal. 1. *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Voluntas eius idem sonat atque *desiderium*, aut *voluptas eius.* Quasi dicat, omnis iusti voluntas, voluptas, ac desiderium in eo collocata vt obsequatur legi Dei, totus in eo est vt diu noctuque nihil aliud cogitet quàm quæ ad legis & voluntatis diuinæ spectant obseruantiam. Ita vt cum sponsa Cant. 5. dicere possit: *Ego dormio, cor meum vigilat. Sunt enim*, vt ait D. Basilius: *cogitationes in somno fermè extrema resonantiæ diurnarum cogitationum.* Et quid inde consequitur iustus quòd legem Dei diurna verset manu, verset nocturna? *& erit tanquam lignum*, &c. Alia translatio legit, *& erit sicut arbor vitæ.*

Ficulneam, illiusque fructus esse pulcherrimum speculum Eucharistiæ.

SECTIO XXVI.

Sicut ficus plena dulcedine, ita etiam Eucharistia.

§. I.

Ficulnea speculum Eucharistiæ.

Christus ficui comparatur.

Hieron. tom. 9.

1. CHRISTVM Saluatorem nostrum comparari ficui arbori dulcissimæ docet D. Hieronymus scribens in Aggæi cap. 2. ad illa verba: *Adhuc vinea, & ficus & lignum oliuæ non floruit.* sic scribens: *Quòd vinea, & ficus & oliua, referantur ad personam Saluatoris, & Dei Patris & Spiritus sancti in Iudicum libro plenius legitur: vbi vadunt infructuosa ligna, vt constituant Regem super se, dicuntque per ordinem vineæ, & ficui & oliuæ, vt regnent super ea, & tam vinea quàm ficus & oliua, renuunt tale imperium, nec dignantur super infructuosa ligna regnare. Tunc illa veniunt ad lignum sterilitatis suæ Regem, id est, ad rhamnum spinosum fruticem, & arbusculum sentibus vncinisque contextam, quæ teneat quidquid attigerit, & retentum vulneret, & vulneratorum sanguine delectetur: Insuper & ignem emittat ex se, & regna ligna consumat. Referimus autem rhamnum ad diabolum & secundum virgulti naturam, illius naturam interpretabimur.* Hæc D. Hieronym. Quamuis autem ob varias considerationes Saluator noster ficui comparetur, de quibus in præcedentibus, nusquam tamen tam expressum gerit fici similitudinem atque in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, idque ob varias rationes.

Christus in Eucharistia gerit fici similitudinē.

2. Imprimis, ficus maximè fœcunda, ordinariè bifero, & in aliquibus regionibus trifero gaudens fructu, quem tanta in multitudine & copia progignit in Hyrcania teste Plinio lib. 15. cap. 18. vt modios ducentos & septuaginta singulæ ferant: Similiter quis verbis assequi valeat quàm fructuosus sit Eucharisticus cibus, quotque hominibus progignet bona, quorum pauca in sequentibus à nobis delibanda, vt veritas hæc aliquatenus elucescat.

Ficus maximè fœcunda.

Plinius.

Christus maximè fructuosus in Eucharistia.

3. Secundò ficus, præsertim ob dulcissimum fructum, dulcissima. Vnde sic ficos laudat Iulianus Imperator epist. 24. ad Serapionem: *Homerus ille sapiens cæteros fructus, partim ob magnitudinem, partim ob colorem, pulchritudinemve laudat, soli fico dulcedinis nomen attribuit. At ficus non solùm sensu est dulcis, verùm etiam odore antecellit.* Similiter dulcissimum est Eucharistiæ Sacramentum, vt meritò dixerit D. Thomas in Opuscul. 57. *Suauitatem huius Sacramenti nullus dignè exprimere sufficit, per quod spiritalis dulcedo in suo fonte gustatur: & recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstrauit, excellentissimæ charitatis.* Vnde Marcus Episcopus Vormacensis homilia in Cæna Domini, vocat Eucharistiam *futuræ iucunditatis amabile preludium, Ecclesiæ militantis cum triumphante suaue glutinum, dum eandem dulcedinem, quā illic fruitur sine velamento, ista habet sub Sacramento.* Adstipulatur Olimpiodorus in Eccle. cap. 5. *Qui manducat*, ait, *carnem filij hominis, futuræ fælicitatis partem hîc aliquam, fruitionemque accipit.*

Ficus dulcissima.

Ivlian.

Dulcissimū Eucharistiç Sacramentum.

D. Thom.

Marcvs.

Olimp.

Et D. Thomas Opusculo 58. c. 1. expendens verba illa Ierem. 24. *Ficus bonas, bonas valdè*, sic ait, *ficus bis dictæ dulces, corpus Christi Dei & hominis significabant.*

D. Thom.

Ficus bis bonæ significant corpus Christi.

Plutarchus in problemat. dec. 5. rogat cur ficus arbor, facilè amarissima, dulcissimos edat fructus: Respondet: *Ficum expresso quidquid reliquum erat dulcis succi, consumpto, transmissoque in fructum suum, quidquid pinguedinis maturique succi habebat. Ipsum expertem dulcoris omnis manere.* Taliter ficus afficitur homini, vt quidquid habet dulcedinis eam in fructu suo illi largiatur, sibi retento omni amaro succo, nunquid simile quid videmus in Christo Eucharistiam instituente eamque tanquam dulcissimum fructum hominibus largiente, quidquid in se habebat dulcedinis in illam effundit, vt dulcescat nobis, sibi verò reseruat amara omnia.

Plvtarc.

Christus sibi reseruat amara, in Eucharistiam verò effundit quidquid habet dulcedinis.

Ob quam quidem rationem, meritò Eucharistia comparari potest arbori illi, cui nomen Baxana, de qua sic Maiol. in colloquio de plātis. Arbor Baxana in regno Dely comperta est radicibus adeò venenosis, vt statim perimat tangentes. Verùm illius fructus cui nomen Hitabix adeò salutaris est

Eucharistia arbori cōparatur cui nomen Baxana.

Maiolvs.

eſt vt huic veneno, & reliquis omnibus, præſentaneum remedium ſit. Quęnam precor ſunt radices arboris Euchariſtiæ? nónne Crux, claui, lancea, flagella, ſputa, irriſiones; blaſphemiæ & ſimiles amariſſimæ pœnæ, à mundo, diabolo inſtigante, inuentæ, vt non ſolùm hominibus vitam ſed etiam auctori vitæ vitam auferant, interim qui ex hac arbore Euchariſtica naſcitur fructus tam plenus dulcedine vt non ſolùm vitam conferat, ſed etiam amaram mortem blandam & dulcem reddat.

Contritus Chriſtus, vt nobis eſſet dulciſſima farina in Euchariſtia.
Bercho.

Eadem etiam de cauſa opinor etiã Euchariſtiã tritici nomine deſignari, legimus enim Oſeæ c. 14. loquẽtis de hoc ſacratiſſimo Sacramẽto, *Viuent tritico*, vult autẽ Berchor. triticũ dici à tero, teris, quod teratur ad hoc vt edatur, & qualiter non contritus eſt Chriſtus, quem ob finem? vt nobis fiat mundiſſima & dulciſſima farina, vt nobis fiat dulciſſimus in Euchariſtia cibus.

Pectuſculũ, quod dulciſſimum & optimũ in animali, ſymbolum Euchariſtiæ.
D. Thom.

Legimus Leuit. 10. *Pectuſculum quod oblatum eſt, edes in loco mundiſſimo. Pectuſculum quod optimum eſt, & dulciſſimum eſt animalis ſignificat dulcedinẽ corporis Chriſti* ait D. Thomas opuſc. 54. cap. 4.

Dulciſſimæ etiam aſſimilatur mannæ.
Bernardinus.
D. Thom.

Quòd de manna legimus Sapientiæ 16. optimè quadrat in Euchariſtiam, *omne delectamẽtum habentis, & omnis ſaporis ſuauitatem. Huic ſuauitati*, ait S. Bernardin. ſerm. 1. in feſto omnium Sanctor. *huic ſapori omne quod deſideratur non valet comparari.* De effectu huius dulcedinis ſic D. Thom. opuſc. 58. c. 32. *hæc dulcedo tria bona facit, ſcilicet contemptum vitiorum, gratiam bonorum eloquiorum, deſiderium æternorum. De primo Prouer. 17. Anima ſaturata calcabit fauum. Qui enim de petra corporis Chriſti melle ſanguinis eius ſaturati ſunt, omnis peccati ſuauitatem contemnunt. Aſt anima eſuriens, id eſt, ille qui rarò vel nũquam ad Sacramentum accedit, etiam amarum pro dulci ſumit, id eſt, ad huius ſæculi voluptates quæ multam habent adiunctam amaritudinem deuoluitur.*

Pauper ſpiritu hanc percipit dulcedinẽ.

4. Vt hanc communicando dulcedinem percipiat Chriſtianus pauperem ſpiritu illum eſſe conuenit, ita vt illius animus nullo occupetur affectu rerum terrenarum. Vnde ſic Dauid Pſ. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Si enim occupata fuerit voluntas, vel manus interna rebus caducis, quomodo poterit accipere æterna & ſpiritualia. *Amor hominis*, ait D. Auguſt. ſer. 15. *manus eſt animæ, ſi aliquid tenet, tenere aliud non poteſt: vt poſſit tenere quod datur, dimittat quod tenet; qui amat ſæculum amare Deum non poteſt, occupatam habet manum: Dicit illi Deus: tene quod do, ſi non vult dimittere quod tenebat, nõ poteſt accipere quod offertur.* Fœlix qui paupertate ſpiritus ornatus accedit ad hoc Sacramentum. Nam vt ait D. Cyprianus de Cæna Dom. *hoc vno ferculo contenti pauperes ſpiritu omnes mundi huius delicias aſpernantur, & poſſidentes Chriſtum, aliquam huius mundi poſſidere ſupellectilem dedignantur.*

Auguſt.
Cypria.

Si quis præoccupatum terrenis affectibus habeat animum, tantum abeſt vt dulcedinem hanc ſentiat, verùm & magno laborat huius panis cæleſtis faſtidio. Num. 11. Manna, ſapore præſtantiſſimo, deſpexerunt multi ex Iſraelitis, Ægyptij porros, cæpas & allia illi antepoſuerunt. *Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cæpe & allia, anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man.* En tibi hominum iſtorum imaginem, qui Ægypti, id eſt mundi porris, & cæpis & allijs oblectantur, quique ſacramenti admirabilis dulcedinem minimè curant, terrenarum rerum falſa dulcedine ineſcati: At illi qui mundanis rebus remiſerunt nuntium Ægyptique porros cæpaſque, atque allia faſtidio habent, ex cæleſti manna miram capiunt voluptatem. *Fructus eius dulcis gutturi meo*, ait ſponſa Cant. 2. quæ verba ponderans D. Thomas opuſ. 58. cap. 22. ait. *Nota, meo, id eſt piæ & fideli menti, quæ audit & intelligit hunc illum fructum ſibi eſſe vtiliſſimum.* Itaque iuxta propriam noſtram diſpoſitionẽ hic cibus & dulcis & amarus.

Cur dulcedinem hanc non ſentiamus, nimirũ quia præoccupatum habemus animũ terrenis affectibus.
D. Thom.

Quærit Ariſtotel. in problematicis vt refert Auctor floſc. Ariſtot. p. 79. cur mulieres grauidæ appetitum taliter deordinatum concipiant, vt appetant manducare terram, cineres, carbones & ſimilia quæ aliorum ſtomachis horrorem ingerunt. Reſpondet verò, quia quales ſunt humores in ſtomacho, talia nutrimenta appetunt, & quia in mulieribus prægnantibus ſunt putridi & corrupti humores, replentes ſtomachum, ideo appetunt ſimilia, cùm omne ſimile appetat ſibi ſimile. Similiter, quia homines iuſti mens ſana eſt, & bene diſpoſita eſt, per diuini amoris, diuinæq; gratiæ præſtantiſſimos humores, ſapit illi quã dulciter hic cibus; quia verò mali habent ſtomachum occupatum peſſimis mundanorum affectuum humoribus, hinc accidit quòd huius cibi dulcedinem non deguſtent, ſed illius laborent faſtidio. Itaque quia ſponſa plena pietate, amore &c. conuenienter ait, *Fructus eius dulcis gutturi meo. Quando infirmus*, ait S. Vincent. Ferr. ſerm. 1. Domin. 3. poſt Paſcha: *habet palatum inordinatum & infectum aliquo malo humore, dulce videtur ſibi amarũ, ſecus de ſanis bene ordinatis & diſpoſitis.*

Ariſtot.
Humores quos habet in ſtomacho mulier grauida cauſant in ea appetitũ, tam deordinatum.
Similiter Chriſtiani qui habent animum occupatum terrenis affectibus nõ guſtãt dulcedinem huius cibi.
Vincen. Ferr.

Quis neſcit aquas pro ſoli qualitate ſuaues eſſe vel amaras? *Aquæ vnius eiuſdemq́; naturæ cùm ſint*, ait Moyſes Barcephus lib. de parad. c. 21. *pro ſoli calore, dulciores, amariores, inſulſiores, ſalſiores euadunt.* Quid Euchariſtia? Nónne aqua illa quæ fluxit de petrã Oreb? Sanè ita ſentit Hugo Cardin. explicans verba illa 1. Cor. 10. *Omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra, petra autẽ erat Chriſtus.* Sic enim ait: *Dicitur aqua, quia ſitim cupiditatis & peccati extinguit. Hæc eſt aqua quæ fluxit de petra Chriſto.* Vnde Paulus: *bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petrã.*

Aquæ pro ſoli qualitate dulcis vel amaræ, ſic &c.
Moyses Barcep.
Hugo Card.

Hæc

Hæc igitur aqua ad imitationem aquæ naturalis, si decurrat per terram humani cordis, dulcis vel amara est pro illius qualitate vel dispositione: si recipiatur ab anima pia & plena dulcedine gratiæ sapidissima est, si verò inueniat animam peccatis obnoxiam, tum non solùm amara, sed & venenata existit.

Cur aquæ Nili dulcissimæ.

Diodorus Secilianus reddens rationem cur aquæ Nili sint dulcissimæ, ait: *Nili præcipua dulcedo, quia loca sole adusta decurrat, quod causam præbet vt dulcedine cætera exsuperet flumina tanquam caloris natura eum saporem flumini præstante.* Sic aqua hæc Eucharistica eò dulcior, quò homo eam bibens est charitate erga Deum calidior & feruentior.

Sese exercenti dapes sunt dulces, sic &c.

Præterea sicut dapes dulces sunt ei qui se exercuit, ei verò qui omnino torpet, non multum gratæ: non aliter dulce Eucharistia sapit ei, qui per virtutum opera, & attentam rerum cælestium contemplationem ad excipiendam Eucharistiam se comparauit & spiritualem famem & sitim excitauit; ei verò non satis est grata qui otio torpet.

Ficulneæ si alligaueris taurum mansuescit, & Eucharistia mitescere facit passiones.

5. Ficus tam dulcis, vt si illi alligaueris ferocientem taurum, mansuefiat & ferociam deponat, ficulneæ ramis si appendas duriores carnes, molliores & ad esum aptiores redduntur. Quid singula vitia atque deordinatæ passiones quàm sæuissimi tauri cornibus suis animas hominum ventilantes. Vis illa moderari, vis mitia reddere? accede ad hanc sacram ficulneam, accede ad sacram Eucharistiam. De illa enim sic loquitur Cassiodorus 2. var. 11. *Tristitiam noxiam iucundat, tumidos furores attenuat: cruentam sæuitiam efficit blandam: excitat ignauiam, soporantemq́, languorem: vigilantibus reddit saluberrimam quietem: vitiatam turpi amore ad honestum studium, reuocat castitatem: sanat mentis tædium, bonis cogitationibus semper aduersum: peruersa odia, conuertit in auxiliatem gratiam: & quod beatum genus curationis est, per dulcissimas voluptates, expellit animi passiones.*

Cassidorus.

Nulla bellua tam ferox quæ nō capiatur cibo, nullus homo tam belluinus quin mansuetū eum reddat Eucharistia.

6. Quæ tanta potest excogitari feritas, quæ hoc Eucharistico cibo non mansuefiat. De ferocissima omnium bellua Behemoth, locutus Iob c. 4. post eius ferociam terribilem descriptam, ait: *In oculis eius quasi hamo, capiet eum.* Non enim aliter capietur hæc bellua, nisi quasi hamo? Et cur quasi hamo? hamus vt capiat & trahat, sub apposito cibo occultatur, & crede mihi nulla adeò ferox bellua est, quæ cibo non capiatur. De hac inquit Carthus. ibi: *Modus capiendi hanc bestiam est, quòd in via eius sit fouea, cui aliquid superponitur, cui & cibus supponi solet. Itaque Elephas super locum istum deueniens ruit in foueam & capitur tali dolo, insuper Elephanto sic lapso, vnus venator accedens pungit & percutit ipsum, alter autem venator adueniens amouet primum venatorem, ne percutiat elephantem, datq́, ei comedere hordeum; quod cùm ter vel quater peregerit, elephas diligit se iuuantem, atque deinceps ei obediens mansuescit: sicq́, capitur per cibum sibi oblatum, sicut piscis per hamum.* Equidem vel ferocissima bellua, cibo sibi apposito capitur & mansuescit, & venatori obedit. Similiter homines ferocissimis ac belluinis moribus præditos mites ac mansuetos reddit hic cælestis cibus.

Carth.

Ad efferata hominum corda domanda nihil cibo efficacius, vnde non abscondit Christus corpus, sub specie auri &c.

Poterat Christus abscondere corpus & sanguinem sub specie auri & argenti, sub specie adamantis &c. aliarumque rerum, quæ maximè trahunt oculos & corda, cur ego illud nobis dat sub specie panis & vini? vt indomita & efferata hominum corda domet, & reddat mansueta, quia ad domandam ferociam animalium nihil opportunius cibo. Vnde Plutarch. in Conuiu. trecad. 3. Prouerb. 4. *Persarum reges non amicis tantùm diuitibusq́, ac stipatoribus portiones escarias semper dimittunt; imò vernarum quoque ac canum esca in illorum mensa proponi vsque solet, quasi qui cunctos, quorum operâ ministerioq́, vtuntur, quoad eius fieri potest mensæ, sociq́, vnius participes reddant. Nam & immanes quoque bestiæ, cibi communione curantur.* Sic ille. Hanc ad rem dicit Seneca de Benef. lib. 1. *Elephantum feritatem vsque in seruile officium demeretur cibus.* Vides cur Christus hoc Sacramentum instituit sub specie panis & vini? Nimirum vt hac ratione mansueta & domita reddat hominum corda. *Corpore Christi,* ait D. Thomas opusc. 59. cap. 5. *fit homo mansuetior, ad correptionem patientior, ad laborem feruentior, ad obedientiam promior.*

Plutarc.

Senec.

D. Thom.

Corpore Christi homo fit mãsuetior.

Eucharistia comparanda gemmæ, cui nomẽ liparea, cuius videndi desiderio omnes tenentur feræ.

De gemma dicta liparea refert Berchorius in reduct. moral. lib. 10. cap. 92. quòd omnes feræ teneantur desiderio eam videndi, quodque ad eam nescio quâ naturali vi trahantur, vnde venatores quas canibus non possunt assequi feras, eandem gemmam vel oculis earum conantur obiicere, & sic earum compotes redduntur. Quid aliud corpus Christi quod latet in hoc Sacramento sub specie panis & vini quàm quædam liparea diuina? Sicut enim gemma hæc demulcet ferarum oculos & corda earum efferata allicit ac mansuefacit; idem etiam operatur Eucharistia. Quæ feritas non mitigatur, quæ durities non mollescit &c. dum in Eucharistiam oculos coniiciens, videt Deum taliter amore hominis captum quòd seipsum sub specie panis & vini homini det in cibum? Quis hac consideratione non ponat superbiam, non illius amore passiones suas mortificet ac deprimat?

Becch.

Eucharistia fuit Guilielmo instar cuiusdam diuinæ lipareæ.

Nónne Eucharistia instar cuiusdam lipareæ diuinæ fuit Guilielmo Duci Aquitaniæ homini maximè obstinato & rebelli

belli tam Deo quàm Eccleſiæ? Qualiter inſignis ille ac cœleſtis venator Diuus Bernardus manſuetum & obedientem illum reddidit, ita vt depoſita duritie ex leone agnus euaſerit? Cùm enim miſſam celebraſſet Bernardus, poſitâ ſupra patenam Euchariſtiâ, acceſſit Guilielmum extra fores Eccleſiæ exiſtentem, demonſtratâ illi Euchariſtiâ, & dicens: ecce poſt ſeruos ad te omnium Dominus ſupplicaturus aduenit: Ecce filius virginis, caput Eccleſiæ, quem tu perſequeris. Poſt membrorum preces, caput ad te proceſſit. Nunquid & illum ſpernes? nunquid ipſum ſicut ſeruos eius ſpernes? nunquid ipſum ſicut ſeruos eius contemnes? Ad viſionem Euchariſtiæ & citata Bernardi verba, Guiliemus tremebundus & confuſione plenus, in terram ſe deiicit, ferociam ponit, duritiem exuit ac totus in alium virum mutatus, è terra ſurgit, & ex vaſe contumeliæ in vas transfertur gratiæ &c. Vid. Lipp. 10. Feb. LIPPOM.

Hominem exuit, diabolum induit qui hoc non manſueſcit cibo.

Saxis durior eſt qui hoc non emollitur cibo, hominem exuit & Diabolum induit, qui ad hanc eſcam non manſueſcit, non deponit duritiem. Quæritur cur Chriſtus, probè noſcens animum Iudæ efferatum, & nihil ampliùs quàm turpiſſimam traditionem molientem, eundem admiſerit ad Euchariſtiæ ſumptionem. Reſpondet S. Victor Antioch. vt videre eſt in gloſſa in cap. 14. Marci, *Dominus licet omnium conſiliorum Iudæ ignarus non eſſet, tamen à Sacramenti ſui acceſſu illum non prohibuit, vt hinc diſceret nihil eorum prætermiſiſſe, quæ eum ad ſanam mentem reducere quodammodo poterant.* VICTOR ANTIOC.

Facies ſuas indurauerunt ſuper petras D. THOM.

Ieremiæ 5. *Indurauerunt facies ſuas ſuper petram & noluerunt reuerti.* S. Thomas opuſ. 58. cap. 37. contra eos dicta autumat verba, qui epoto ſanguine Chriſti adhuc in ſceleribus perdurant. Reſpexiſſe videtur Ieremias naturam adamantis duriſſimæ petræ, quæ nullis artificum inſtrumentis cedit; & tamen cedit ſanguini hircino. Nihilominus hi adeò ſunt duri, & in peccatis obcalluerunt vt etiam Chriſti ſanguinem patiantur, neque tamen molleſcant. Vel etiam reſpexiſſe videtur Propheta petras illas, quæ moriente Domino ſciſſæ ſunt, de quibus Math. 27. *Et terra mota eſt & petræ ſciſſæ ſunt.* O homines ſaxis & ſilicibus duriores: hi enim non paſſi ſunt Chriſti ſanguinem ſed diſſiluerunt & crepuerunt: hi autem ſupra ſaxa & lapides duri, huius ſanguinis robori & virtuti non ceſſerunt. Audi Diuum Thomam. *Ieremiæ 5. Indurauerunt facies ſuas ſuper petram. quaſi diceret: Quidam pertinaces in ſua malitia duriores ſunt corde quàm petra; ſcilicet quàm durus adamas, qui quamuis nulla re poſſit frangi, ſcinditur tandem ſanguine hirci; ſed illi duriores ſunt qui neque virtute ſanguinis Chriſti molliri poſſunt nec à ſua prauitate conuerti. Item duriores ſunt quàm petra, ſcilicet, quàm quilibet ſaxa dura: quia ad clamorem Chriſti in cruce & eius ſanguinis effuſionem terra tremuit, & petræ ſciſſæ ſunt, ſed iſti neque ad terribilem vocem prædicationis, neque ad virtutem Sanguinis Chriſti poſſunt emolliri, & à ſua prauitate conuerti.* Qui hoc cibo non ſanantur & in duritia cordis ſui perſeuerant pro inſanis & inſanabilibus habendi, vt meritò exclamet & dicat S. Bernardinus Senenſ. tomo 2. ſectione 54. articul. 3. cap. 1. *O quàm ſapidus, quàm amabilis eſt cibus iſte, qui hominem facit Deum, & nos è vita noſtra quæ verè eſt mors funditus eradicando occidit. Verè nobis poteſt dicere Ieſus: quid vltra tibi anima mea potuit facere & non fecit? ſcilicet quod tui cordis duritiem emolliret? quaſi dicat, nihil.*

Pro inſanis habendi qui hoc cibo non manſueſcunt. BERNARDINVS SEN.

Sicut ficus inſigniter nutrit, ita etiam Euchariſtia.

§. II.

Ficus inſigniter nutrit: ita & Euchariſtia. PLINIVS.

7. SEcundò ficus inſigniter nutriunt, *Corpus & vires adiuuant*, ait Plinius lib. 23. cap. 7. *ob id ante Athletæ hoc cibo paſcebantur: Pythagoras exercitator primus ad carnes eos tranſtulit, iuuenum vires augent, ſenibus meliorem valetudinem faciunt, minuſq́; rugarum.* Sic ille. Similiter nihil tam medetur humanæ infirmitati, atque ita animum obfirmat aduerſum vitia atque Euchariſtia. Eſt enim panis cor hominis confirmans vt legimus Pſalm. 113. Pulchrè Diuus Cyprianus libr. de Adorando in ſpiritu: *Inopia, ait, diuinorum bonorum, nihil aliud eſt, quàm boni deſperatio; infirma enim erit hominis natura perquam facilè. Nam in quoduis abſurdum prolabitur, niſi contineat illam Saluatoris gratia, cæleſtibus bonis ſuis locupletans. Nutrit enim robur ſpirituale panis viuus, & panis cor hominis confirmat liberatque à ſeruitute, & affectionibus, & gloria libertatis ſupra modum ornat.* Accipe etiam Diuum Baſilium in cap. Iſa. 3. *Quemadmodum corpora noſtra conualeſcunt ac firmantur ſub alterna ſumptione congruentium alimentorum: ita quiddam eſt, quod conſentaneè paſcit animam, eique ſuggerit vires ad bonitatem ſectandam. Quid tandem illud eſt? nimirum quod dixit Dominus: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, quibus autem non ſuppetunt hæc, iis vtique*

CYPRIANVS. BASIL.

que deficit robur panis & aquæ.

Eucharistia mensa aduersus tribulantes nos.

8. Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* Quænam hæc mensa sic muniens prophetas aduersus tribulantium & persequentium sese impetus? hac mensa signari Sacramentum altaris sic præclarè hic docet Chrysostomus. *Hæc mensa agnoscitur altaris Domini consecratio: parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Qui sunt isti qui nos tribulant? Suggestiones inimici, exagitationes, cupiditates, delectationes, sæculi honores.* (Chrysos.)

Cur vocetur Christus dominus exercituum dum agitur de institutione Eucharistiæ. Eusebius.

Legimus Isaiæ 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Eusebius libr. 1. de demonstr. cap. vlt. Cyrillus Procop. Cyprianus in exposit. Symboli, hæc accipiunt de conuiuio Eucharistico, corporis, & sanguinis Christi, quæ summæ sanctorum sunt deliciæ: vtriusque enim speciei meminit, scilicet panis & carnis, cùm vocat conuiuium medullatorum; & vini & sanguinis Christi, cùm vocat conuiuium vindemiæ, id est, vini ex vindemia expressi. Eucharistia enim præ omnibus epulis, mentem saginat, impinguat, & inebriat. Sed quænam potest subesse ratio, quòd propheta loquens de Deo huius conuiuij in monte Sion instructore, non eum vocet Dominum cæli, vel Dominum Angelorum, vel alio quopiam nomine, sed Dominum exercituum: *Faciet Dominus exercituum in monte hoc conuiuium.* Perpulchrè & accommodatè Salmeron tom. 9. tra. 2. in Euang. *Dicitur hoc conuiuium institutum à Domino exercituum, quia pro exercitibus Ecclesiæ militantis corroborandis, & contra malignorum spirituum exercitus confortandis, institutum est.*

Dominus exercituum vocatur, quia hoc conuiuium instruxit pro exercitibus Ecclesiæ militantis. Salmer.

De pane Eucharistico martyribus tanta fortitudo. Cyprianus.

9. Vnde martyribus illis tam inuictus animus ad subeunda & superanda tanta tamque grauia tormenta, nisi de pane hoc Eucharistico? Eleganter Patres Concilij Carthaginensis stylo S. Cypriani epist. 54. ita scribunt ad Cornelium Papam. *Quos excitamus*, inquiunt, *& hortamur ad prælium, non inermes, & & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus, & cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarios volumus munimento Dominicæ saturitatis, armemus.* Et iterum iidem Patres loco cit. *Quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos priùs ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus?*

Mens deficit quam non erigit Eucharistia.

Et iterum: *Idoneus non potest esse, ad martyrium, qui ab Ecclesia, non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non accepta Eucharistia erigit & accendit.*

Eucharistia panis fortium. Hieron.

10. Psalm. 77. *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis. Panem angelorum manducauit homo.* S. Hieronymus interpretatur, *Panem fortium*, scilicet Eucharisticum manna panis est fortium, quia robustos facit, *panis est angelorum*, ait Lorinus, *quia vires integras & sanitatem conseruat, ita vt angelis similes videantur.* Qualiter confortet, communiat & terribiles nos reddit hic panis inimicis, sic expendit Diuus Chrysostomus hom. 61. ad populum dum ait: *Recedamus ab hac mensa, tanquam leones ignem spirantes, facti diabolo terribiles.* Quid est quòd Christiani tam sint inermes, flaccidi, caduci, nutantes, fæminei, nónne quia non vegetantur hoc Eucharistico cibo? (Lorinus. Terribiles nos reddit dæmonibus. Chrysos.)

Huius rei exemplar panis subcineritius Eliæ, cuius virtute confortatus &c.

Horum omnium exemplar, fuit panis ille subcineritius, quem Angelus attulit Heliæ 3. Reg. 19. cuius virtute confortatus diebus quadraginta deambulauit, donec veniret ad montem Dei, & postquam ibidem in spelunca aliquibus diebus esset moratus, rediit per eandem deserti viam, iterum ad terram Israel, vt bene probat Abulensis. Ita vt centum dierum spatio, ad hæc omnia peragenda necessario, nulla fame vexatus fuerit, nec corpore infirmatus, sola panis illius virtute confortatus, qui ideo tantarum fuit virium, vt vult Diuus Augustinus libr. de mirabil. script. quia ab Angelo fuerat paratus. Si pani illi angelico tanta virtus, quid iudicandum de hoc diuino & supercælesti pane, qui de cælo venit? An mirum quòd serui Dei, illo confortati, euntes de virtute in virtutem, ascendant continuò, donec videant Deum Deorum in Sion? Perbellè Paschasius libr. de corpore Christi cap. 13. *Nostra ad accipiendum præparanda sunt corda, vt tali epulo refecti, ad altiora in fortitudine transeamus: nemo igitur dignè accipit, nisi qui transit. Qui edit hanc carnem,* ait Sanctorum quispiam, *ad incrementum virium diuinarum, venit.* Absque hoc cibo quid valeat homo, quàm ægrè resistat hostibus, quot acceptis plagis infæliciter pugnet, sic exprimit Paschasius ad illud Ezech. cap. 5. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis*, vel vt alij legunt: *Plagarum famis. Cum*, ait, *cibum vitæ anima amiserit, per omnes sensus corporis, & per omnes affectus animi, diuersis plagarum patet vulneribus.* Qui hoc non nutritur cibo, necesse planè vt deficiat. *Quemadmodum*, ait S. Macharius Senior homil. 2. *in infirmis, si corpus vltra cibum sumere nequeat, desperant de ipsis, ac* (Augusti. Paschas. Idem.)

Qui hoc non nutritur cibo necesse est vt deficiat. Macharius Senior.

ac deflent omnes amici, veri cognati, atque dilecti. Ita luget Deus, Angeli sancti, animas illas quæ non vescuntur cælesti spiritali cibo. Morti destinatus, qui ab hoc se abstinet cibo. *Debemus*, ait S. Bernardinus tomo 4. sermone 43. *comedere corpus Christi, considerato defectu nostræ fragilitatis, quia si non comedimus cibum corporalem, non possumus viuere: ita nec anima potest viuere sine cibo spirituali, & non potest dici illum habere animam qui saltem semel in anno non accipit corpus Christi.*

Morti destinatus qui ab hoc abstinet cibo. BERNARDINVS. SEN.

Vis ergo non vulnerari, non deficere, non mori, vis conseruari? Per deuotam Eucharistiæ sumptionem mane in Christo. Sit tibi Christus in Eucharistia instar loci muniti, iuxta illud Psalm. 70. *Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitum. Natura rerum est*, ait S. Bernardinus tom. 2. sermone 53. articul. 3. cap. 1. *quod nihil conseruatur extra proprium locum, nam & & pisces extra aquam putrescunt, aqua extra flumen corrumpitur, arbores atque herbæ extra terram arescunt: sed cùm locus animæ sit propriè ipse Deus, patet, quia in eo quiescit, & conseruatur, extra Deum non poterit conseruari. Sed in Sacramento Eucharistiæ, Deus vtique est, propterea meritò sumentes illud, ab eo conseruantur. Qui*, enim ait Christus Ioan. 6. *manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet.*

Sit tibi Christus instar loci muniti in Eucharistia si non vis vulnerari.

11. Quoniam verò homini Christiano, nunquam maior fortitudo maiorque virium restauratio est necessaria, quàm dum est migraturus ex hac vita, & breui profecturus ad terram viuentium, antequam nouam hanc ingrediatur viam, tot hostibus obseptam, nihil illi tam necessarium quàm instante morte muniri hoc viuifico cibo. Hinc est quòd maiores nostri semper anxij fuerunt, ne quis discederet ex hoc mundo, nisi priùs munitus esset hoc eodem sacramento, priusquam anima auelleretur à corpore. Atque ob eandem caussam, quia nimirum administrabatur infirmis ex hac vita discessuris, idem Sacramentum à Latinis vocatum fuit, viaticum. Viaticum autem vocant Latini quod homo accinctus itineri defert secum ad restaurandas nonnihil vires, postquam lassus & fessus fuerit, quove natura sustentetur, ne deficiat in via. Hoc autem viatico muniti qualiter pergant ad cælestem patriam docet Chrysostomus homil. 24. in 1. ad Corinth. dicens. *Si hinc sacrificio isto muniti migrabimus maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, tanquam aureis quibusdam vestibus vndique contecti.*

Non discedendum ex hoc mundo nisi muniti hoc sacramento.

Hoc sacramentum viaticum cur vocetur.

CHRYSOS.

12. Deuteron. cap. 15. agens lex de seruis Hebræis manumittendis sic ait: *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum, & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, de area, de torculari tuo, quibus Dominus Deus benedixit tibi.* Quæ mysticè ita interpretatur S. Cyrillus libr. 7. de adorat. in spiritu: *Vides vim mysterij Christi in his elucere? liberauit enim nos gratis Dominus, non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum magnam misericordiam suam, tantam illam clementiam participamus. Postquam verò liberos nos fecit, adiecit seipsum viaticum, tanquam victima omnis maculæ expers, & ouis pro nobis mactata, concedens vt viuificam benedictionem participaremus. Sanctam dico carnem & sanguinem, hoc existimo esse quod ait lex, oportere suppeditari viaticum de ouibus & de frumento & de vino* &c. Nisi enim hoc viatico muniti fuerimus, quasi vacui dimittimur ex hoc mundo, & quoniam longa restat via deficimus.

Christus quos liberos fecit, iisdem addidit & viaticum.

CYRILL.

13. Hinc meritò sic docet orare filios suos Ecclesia: *Aue verum corpus natum ex Maria virgine, verè passum, immolatum in Cruce pro homine, esto nobis prægustatum in mortis examine.* Et in missa Diui Iacobi fratris Domini, peractis mysteriis, & data populo communione, antequam populus dimitteretur, sic orabat Sacerdos vel Diaconus: *Agimus gratias tibi Seruatori vniuersorum Deo, pro omnibus bonis quæ nobis præbuisti, & pro sumptione sanctorum & immaculatorum tuorum mysteriorum, orantes vt nos conserues, sub operimento alarum tuarum, & digneris nos vsque ad vltimum spiraculum vitæ nostræ participes facere sanctificationum tuarum, in sanctificationem animarum & corporum, in hæreditatem regni cælorum, quia tu es sanctificatio nostra Deus, tibiq́; gloriam & gratiarum actionem referimus, Patri & Filio, & Spiritui sancto.* Dicta verò hac oratione, aliam subnectebat Diaconus hac formulà. *Etiam atque etiam, & omni tempore in pace Dominum oremus, vt perceptio sacrorum eius mysteriorum, valeat nobis ad amoliendam omnem malam rem, in viaticum vitæ æternæ, in communicationem ac donum Spiritus sancti.*

Pro viatico hoc habendo Deus feruenter orandus.

14. Vis scire qualiter hoc viaticum, mortis suauiet angustias? Aiebat Dominus Lucæ cap. 9. *Dico autem vobis verè. Sunt aliqui hîc stantes qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Et quomodo non gustabunt mortem? Accipientes illum viuificum panem, sub cuius speciebus est agnus diuinissimus, sic se component ad mortem, quasi eam

Viaticum hoc mortis suauiat angustias.

eam vix extremis labiis gustaturi. Ait Ioannes Xiphilinus Patriarcha Constantinopol. oratione in Crucis adoratione apud Grethser. tomo 2. de Cruce: *Quoniam inter stantes est discrimen, qui melius stant, diuinam verbi inter homines peregrinati gloriam, & dignitatem eius videbunt: qui non modò non replebuntur morte, sed ne primoribus quidem labris gustabunt, panem vitæ comedentes, carnem Domini, inquam, & sanguinem eius bibentes.* Itaque comedentes deuotè carnem Domini in extremo vitę articulo, sic afficimur vt vix mortis amaritudinem, nec extremis labiis gustare possimus.

IOAN. XIPHILINVS.

Ita vt meritò vsurpare possimus hoc cibo confortati illud Dauidis Psalm. 22. *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ambulare in medio vmbrę mortis, perinde est morti adeò vicinum esse, vt vmbra eius pedes attingat. Non enim tunc timet, qui per deuotam Eucharistiæ sumptionem secum habet Christum. *Qui de vita hac emigraturi sunt*, ait Chrysostomus lib. 6. de Sacram. *si mysteriorum huiusmodi, cum pura & munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab angelis eorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud Sacramentum, hinc rectà in cælum adducuntur.* Aufugientibus, qui adsunt dæmonibus, vt iter animæ impediant iuxta illud S. Vincentij in Octaua Corp. Domini. *Magnam difficultatem habet anima in exitu è corpore, vbi veniunt dæmones, eam expectantes: propter quod datur communio infirmis, & datur viaticum, nam tunc dæmones sentientes Christi præsentiam, fugiunt.*

Sumentes corpus Christi in extremo vitæ abangelis in cælum deducuntur.

CHRYSOS.

Ficus in deliciis habiti, illisque maxima impinguandi vis: sic plena deliciis sacris Eucharistia, maximaque illi vis impinguandi animam.

§. III.

15. **T**Ertiò, priscis non tantùm victus maxima spes in ficis posita, verùm & in deliciis habiti. Athenæus libr. 3. cap. 5. ex Herodoto scribens de viris, quibuscum odia exercenda essent, pugnandumque, docturusque molliter nequaquam educatos: *Aduersus illos homines, ait, ô rex, exercitum comparas, qui anaxyride, & reliquo vestitu coriaceo vtuntur, cibantur verò non iis, quæ cupiunt, sed iis quæ suppetunt, regionem asperam incolunt. Vinum per Iouem non bibunt, nec ficis, nec aliis lautis cibis vescuntur*, pende vltima verba. *Ficus*, ait Iulianus Imperator loco citato, *regales mensas ornat, atque ad omnium conuiuiorum ornatum adhibetur, neque intritum, aut scriblita, aut panis dulciarius, aut denique aliud condimenti genus pari suauitate vnquam reperietur, adeo est mirabilis iste cibus præ aliis omnibus.* Similiter nihil delectabilius Eucharistico cibo. Nonne hic cibus ornat regiam Christi mensam, quam vltimam exhibuit Apostolis? Nonne hic cibus in vltima cæna præbet delicias cælesti Regi? Quærit Doctor Angelicus 3. parte q. 81. articul. 1. Cur Christus se communicauerit paulò ante passionem, nam indubium est sui corporis & sanguinis sumptionem non auxisse habitualem Christi gratiam. Quorsum ergò Christus Deus se communicat? quem effectum ipsi præbet Eucharistia? Quid conducat Christus ipse in escam conditus, & Eucharisticè sumptus? Quòd si frustra se communicat, indignè id faceret, nam indignum Christo est, quicquam frustra facere? Respondet S. Thomas quòd Christus: *Ex susceptione huius sacramenti, habuit quandam spiritualem delectationem.* Videtur itaque innuere angelicus Doctor Christum Deum mente, voluntate beatum, & ita beata delectatione fruentem, nouam delectationem spiritualem de nouo percepisse ex Eucharistico cibo. Quantam delectationem ex hoc cibo hauserit Christus ipse docet, dum ait Lucæ cap. 22. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* Pro quibus legit Tertullianus lib. 4. aduers. Marcio. cap. 4. *Concupiscentiâ concupiui hoc pascha edere vobiscum.* Ecce voluptatem & delectationem gustandæ Eucharistiæ exprimit Christus concupiscentiæ nomine, quæ iucundiores carnis delicias exprimere solet.

Fici antiquis in deliciis habiti.

ATHEN.

Nihil delectabilius Eucharistico cibo.

D. THOM.

TERTVL.

16. Quas delicias exhibeat Eucharistia puris animabus passim docent Sancti Patres. *Mensa Patris*, ait Chrysolog. ser. 1. *nos alit virtutis cibo, salutis epulo, deliciis honestatis & gloriæ.* Vt hic locum habeat illud Senecæ libr. 4. de benef. cap. 5. *Neque necessitatibus nostris tantummodo prouisum est, vsque ad delicias amamur.* Vel ipsa huius cibi fames deliciosa. *Quàm*, ait Petrus Damiani serm. 32. de-

CRYSOL.

SENEC.

32. *delitiosa fame affligitur, qui cælestis promptuarij dapibus saturatur, cui cælum fit cellarium, cælestis promus exhibet ministerium!*

Etiam caro deliciatur in hoc conuiuio.

17. Neque solùm animus deliciatur in hoc conuiuio, sed etiam caro. Vnde exclamat Regius Vates Psalm. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Illum ad sacramentum altaris respicere innuunt verba sequentia: *Altaria tua Domine virtutum.* Vnde S. Monica in hunc sensum exprimit præfata verba apud P. Cornelium in cap. 25. Isaiæ vers. 6. quæ sumptâ Eucharistiâ quasi mente ebria exclamabat. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

CORNEL.

Solidum gaudium ex sumptione Sacramenti. SENEC.

18. O Christiane, vis solidè & securè gaudere, & iis frui deliciis quæ animam repleant? Dignè frequenta cælestis huius mensæ delicias. Seneca volens persuadere Lucilio, vt neglecto vano gaudio, quod trahitur ex fortuitis, studeat frui verâ lætitiâ, quæ nobis domi nasci debet, sic ait epistol. 23. *Bona mentis fundamentum, quod sit, quæris? ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc esse dixi, etiam culmen est, ad summa peruenit qui scit, quo gaudeat. Hoc ante omnia fac, mi Lucili: disce gaudere. Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoueo, qui spes, dulcissima oblectamenta, deuitandas existimo. Imò contrà, nolo tibi vnquam deesse lætitiam. Volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontes remittunt, leues sunt: nisi fortè tu iudicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus. Mihi crede, res seuera est, verum gaudium.* Ecce non vult Lucilium gaudere, vanis, breuibus ac pœnitentis voluptatibus, sed solidis, & quæ domi, & in nobisipsis nobis nascuntur. Similiter non decet Christianum gaudere mundialibus voluptatibus facilè dilabentibus, sed illâ delectari lætitiâ, quæ sibi domi nascitur & quæ intra ipsum sit. Vis scire quænam verè hæc sit lætitia? est illa quæ sumitur ex Eucharistico cibo & potu, pectoribus immisso. Quid enim tam intra nos est, quàm iste cibus & potus? *Quàm diliciosa fame affligitur*, ait Petr. Damiani, *qui cælestis promptuarij dapibus saturatur: cui cælum fit cellarium, cælestis Promus exhibet ministerium.*

PETRVS DAM.

Quare nullas trahamus ex Eucharistia delicias.

19. Vis scire quare nullas trahas ex hac esca delicias? Vide quam benedictionem conferat Iacob filio suo Aser Genes. 49. respiciens ad hunc Eucharisticum panem, *Aser, pinguis panis eius & præbebit delicias Regibus*, in quæ verba sic Rupertus lib. 9. in Genes. cap. 34. *Pinguis iste panis Regibus, id est, eis qui semetipsos student regere, vt sint digni Regali curia, delicias præbebit vitalis alimoniæ.* Vis scire quinam seipsos regant? Audi Sinosium libr. de regno. *Istud primarium & summè regium est, sui ipsius esse regem, mentemq; domestica bellua quasi dominatricem præferre: neque cum infinitis propemodum hominibus dominari velis, ipsum turpissimis dæmonibus seruire, voluptati, dolori, & quæcumque his affines belluæ, suum in anima domicilium habent.*

RVPERT.

Quia nonnisi regibus præbet delicias hic panis.

Quinam seipsos regant.

SINESIVS.

Fici impinguant corpus, Eucharistiâ anima saginatur.

20. Tertiò, ficis maxima impinguandi corpora vis est. An non Eucharistiæ maxima vis impinguandi animam? Audi Tertullianum de resurrect. cap. 8. *Caro, corpore & carne Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.* Iulius Firmicus de errore prof. Religio. *Alius, ait, est cibus qui salutem largitur, & vitam, qui hominem summè Deo commendat & reddit: qui languentes releuat: qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insigne. Christi panem, Christi poculum quære, vt terrena fragilitate contempta, substantia hominis immortali pabulo saginetur.* Et Diuus Ambrosius sermone 14. in Psam. 118. *Bona pascua diuina sunt sacramenta, carpis lilium in quo splendor sit æternitatis: carpis rosam, id est, Dominici corporis sanguinem, his pascuis grex Domini saginatur.* Et Leo Nonus libr. 9. in epistol. contra præsumptiones Michaelis cap. 24. *Martyrum exercitus nostris azymis saginatur*, est sacratissima Eucharistia mensa illa quam promittit Eliu apud Iob cap. 36. *Et erit requies mensæ tuæ, plena pinguedine.* Ad hanc pinguedinem anhelabat Regius vates Psalm. 62. dum ait: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Huc etiam idem spectâsse videtur cùm dixit Psalm. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur*, id est pinguescent, nimirum in modum crescent, tum in longitudine, tum in latitudine, tum in crassitie spirituali. Saginatur quidem & incrassatur hoc cibo anima, sed incrassata & impinguata non recalcitrat, imò prorsus contrario modo res se habet quàm in cibo corporali; hoc enim vt legimus Deuter. 32. *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, dereliquit Deum factorem suum* &c. At cibo cęlesti incrassatus & saturatus dilectus non recalcitrat, sed iugum suscipit Domini, non relinquit Deum factorem suum, sed adhæret Deo salutari suo. Neque mirum Eucharisticâ mensâ saginari animas, est enim vt legimus Isa. 28. *Conuiuium pinguium, pinguium medullatorum.* Et vt loquitur Ter-

TERTVL.

IVLIVS FIRMIC.

AMBROS.

LEO NONVS.

Hoc cibo incrassata anima non recalcitrat.

TERTVL. Tertullianus libr. de pudicitia, *Opimitate Dominici corporis vescitur hoc.* Est in Eucharistia Christus vitulus ille saginatus.

Saginantur aues apponendæ conuiuiis lacte, saginatur anima pane Eucharistico quē sub forma lactei cibi præbet Christus.

21. Rectè autem Patres citati vtuntur verbo saginandi, quasi respicientes & alludentes ad morem & consuetudinem aues saginandi. Et qualiter saginantur aues, vel etiam bestiæ quæ conuiuiis magnorum, eorumque epulis sunt deputatæ? nónne lacte quo quotidie quasi replentur & ingurgitantur donec planè sunt pingues & bene saginatæ? & ipsi infantes qualiter meliùs impinguantur & quasi saginantur quàm lacte materno, vel alieno? Sic etiam anima nulla ratione, meliùs impinguatur vel saginatur quàm hoc viuifico pane, quem sub forma lactei cibi præbet Christus in hoc sacramento, vt inferiùs latiùs declarabitur.

Quænam requirantur, vt anima sic saginetur. IOAN. CARTH.

22. Notandum autem vt aues bene saginentur, quædam requiri & vt infantes lacte salubriter pinguescant, quædam esse necessaria, imprimis vt bene notat Carthagena de arc. Christi libr. 9. homil. 14. vt vtile sit lac, vt salutiferum nutrimentum, vt ait Galenus & Auicenna, cum vniuersa medicorum schola, oportet corpus malis humoribus expurgari, aliter enim cum lacte peccans humor augetur, sic etiam vt anima nostra hoc lacteo cibo saginetur, conuenit eam esse alienam ab omni genere culparum, nam nisi expurgata sit à læthalibus criminibus, non potest hoc diuino saginari lacte. Deinde vt sagina conuenienter fiat, multum conducit somnus frequenter iteratus, sic etiam si velit anima hoc cibo saginari, dormiendum illi, sæpius vacare debet somno contemplationis & considerationis, expendens summum Christi amorem, in hoc sacramento manifestatum, aliaque quæ in illo miranda occurrunt. Tertiò bestiæ dum saginantur in obscuro detinentur loco, ita vt appositum cibum vix cernant, aues similiter dum saginantur habent velatos oculos, vt cibum quo saginandi minimè oculorum sensu percipiant. Sic omnis sensus præter auditum etiam ipse intellectus, est quasi velandus & captiuandus in obsequium fidei.

Requiritur malorum humorum, id est, peccatorum expurgatio.

Requiritur frequens somnus contemplationis.

Requiritur obscuritas.

Ficus lactea, lacteus quoque Christus in Eucharistia.

§. IV.

Ficus lactea, lacteus Christus in Eucharistia. PLINIVS.

23. QVartò, ficus plena lacte, insuper de illius fructu ait Plinius libr. 15. cap. 19. *Ficus mollis omnibus tactu: maturis frumenta intus, succum maturescentibus lactis: percoctis mellis.* Similiter in Eucharistia Christus totus lacteus est, vt pulcherrimè docet Diuus Augustinus scribens in Psalm. 33. volens enim explicare, qualiter ipsum verbum, quod cibus angelorum factum fuerit cibus hominum fragilium & infirmorum sic scribit: *In principio erat verbum: Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus, & manducant & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? oportebat ergo vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? Vnde omnibus in lac conuertitur nisi per carnem traiiciatur. Nam mater hoc facit, quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minùs idoneus est infans, qui pane vescatur, ideo ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ, & lactis succo de ipso pane pascit infantem* &c. Contemplabatur Diuus Augustinus Christum similem matri plures filios habenti, quos omnes eodem pane sustentaret; sed natu grandioribus; & dentibus cibum terere & stomachi calore coquere valentibus, panem porrigit cortice obductum & duriorem; Infantulo autem, quem ad vbera nutrit, non panem ipsum, sed substantiam panis, natiuo suo calore in liquorem lacteum versi, largitur. Hoc modo, vt censet Augustinus, Christus instar nutricis amantissimæ pascit Angelos ac beatos in cœlo, & homines iustos in terris: Sed hoc inter vtrosque discrimen est, quoniam illos tanquam filios ætate prouectiores sustentat pane in forma propria, id est, visione Dei, vt videant eum sicuti est: nobis autem tanquam paruulis, quibus lacte opus est non solido cibo, vt dixit Paulus, eundem panem quasi sub forma lactei cibi, præbet. Vt enim ait Diuus Augustinus: *Oportebat vt mensa illa lactesceret*, propter nostram imbecillitatem, qui tanquam infantes cælestem panem manducare non valebamus, nisi per Christum panis ille Angelorum homi-

AVGVST.

Beatos in cælo sustentat Christus vt bona nutrix, pane in forma propria, nos verò eodem pane, sed sub forma lactei cibi.

hominum gustui & imbecillitati fuisset attemperatus, quod contigit, quando diuinum illud verbum se exinaniuit per incarnationem caro factum, & postea seipsum totum in cibum hominibus præbens in Eucharistia sub specie panis & vini, & sic panis angelorum factus est cibus viatorum.

Christus nutritius hominum, vnde etiam habet vbera.

Ego quasi nutritius Ephraim, ait Deus Osee c. 11. Si nutritius Deus, ergo debet etiam habere vbera, & quidem lacte turgentia. Non desunt vbera animarum nostrarum sponso. Audi sponsam Cantic. 1. *Meliora sunt vbera tua vino*. Pulchrè Plutarchus de educandis liberis. *Sapientem*, ait, *fuisse naturæ prouidentiam constat, quæ duplices mulieribus mammas addit, vt si gemellos peperisse contigerit, duplices ad alendum fontes haberent*. Duplices habet filios Christus, alios in patria, alios in peregrinatione huius vitæ. Omnes eodem pascit lacte nimirum diuinitatis suæ. Sed in cælo nuda & aperta pascit diuinitate in peregrinatione tecta, sensibilibus speciebus, sed nihilominus vera & perfecta. *Per vbera illa admiranda*, aiunt tres Patres in Cat. *& vino præstantiora, cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus nos omnes pietatis alumni enutrimur*. Quem in finem hæc assumat Deus vbera, insinuat Guarricus serm. 2. in Nat. *Habet*, ait, *sponsus vbera, ne vllum de omnibus officiis, & nominibus pietatis eum prætereat, vt qui pater est, creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, sit & mater affectu clementiæ, sit & nutrix sedulitate officij & cura*. Quid restat, ô Christiane, quàm vt hisce vberibus hoc lacte refectus, totum te effundas in laudando Deo, nutritio tuo. Legimus Psalm. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam*. Bernardus, *vnde dabis mihi infantes ac lactentes, quorum ex ore laudem suam perficiat Deus? Cælum non habet infantes, habet Ecclesia, quibus dicit; Lac vobis Dei non escam* &c. nimirum corpus & sanguinem Christi instar lactis. De lacte Eucharistico vide quædam apud Pinna tom. 2. in Eccl. etholog. 421. num. 5. & seq.

Plutarc. — Duplicia habet vbera Christus propter duplices filios. — Vbera illius, sunt illi altaris fontes. — Hoc lacte, his vberibus nutritus totum se diffundere debet in laudes Christi. — Pinna.

24. Meritò autem lacti comparatur Eucharistia. Primò sicut dulce lac, ita & Eucharistia. Secundò, sicut lac maximè nutritiuum facitque vt infans paruo tempore multum augmenti accipiat & crescat, idem etiam præstat Eucharistia. Vnde ait S. Dionysius de Eccl. Hierarch. cap. 5. *Tribuit sacerdos Sacramentum infanti, vt in eo nutriatur & crescat sacris augmentis*. Tertiò sicut lac vegetem & fortem reddit infantem, ita etiam Eucharistia Christianum. Quartò lac pulchritudinem confert infanti, ita Eucharistia animæ Christianæ. Quintò, lac somnum conciliat, ita etiam Eucharistia facit nos obdormire mundo & carni. Sextò, lac progignit sanguinem optimum & maximè festiuum, vt patet in infantibus qui plerumque læti, hilares, iucundi & ad risum propensi: idem præstat etiam Eucharistia, lætum enim & iucundum reddit animum Christiani. Septimò, secundum qualitatem lactis etiam est complexio illius qui eodem nutritur. Hinc accidit quòd capreæ quæ ouino nutriuntur lacte, mutent naturalem complexionem, & quidem tantopere vt etiam eorum pili reddantur molles & suaues quales ouium esse solent, sint autem oues nutriantur lacte caprino, quam ferunt lanam rudior & durior esse solet. Ita similiter Eucharistia dignè accedentem reddit cælestem & planè diuinum.

Meritò lacti comparatur Eucharistia. Prima ratio. — Secunda. — Dionys. — Tertia. — Quarta. — Quinta. — Sexta. — Septima.

25. Felices qui hoc lacte gaudent, qui illud sitiunt, illud concupiscunt, iuxta illud 1. Pet. 2. *Quasi modò geniti infantes rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem* (Syrus, Ad vitam) *Si tamen* (quandoquidem) *gustastis quoniam suauis & dulcis est Dominus*. Pro illis verbis, *lac rationabile*, alij legunt, *lac verbale*. Est enim Christus verbum patris, quod ad lactis similitudinem nobis paruulis exhibetur in Eucharistia, vt iam insinuauimus. *Non videtis*, ait Chrysostomus homil. 83. *quanta infantes alacritate mammillas accipiunt, qua pressione papillis infigunt labia? Non minori cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad calicis huius spiritualem accedamus papillam, imò verò desiderio, quasi lactentes pueri, gratiam sugamus*. Sic Chrysost. Qualiter totus lacteus, totus mammeus Christus in Eucharistia vide apud Baeza tomo 1. in histor. Euang. lib. 3. c. 12. Qualiter hoc lac non tam edendum quàm concupiscendum, vide eundem to. 4. de Christo fig. l. 8. c. 7. §. 20.

Felices qui hoc lac concupiscunt. — Chrysost. Sicut infantes ad mãmillam, sic nos ad hanc escam ferri debemus. — Baeza.

26. Quoniam verò nullo tenemur huius lactis desiderio, neque illud debita cum dispositione sumimus, hinc accidit, quòd nulla potiamur interna gratiarum pinguedine, nulla pulchritudine, nulla interiori lætitia, sed planè sumus macilenti, desformes, flaccidi, subtristes, & nobis ipsis tædio atque oneri, similes nimirum illis bobus, de quibus Genes. 41. vt pulchrè expendit D. Gregorius Naz. orat. 19. sic scribens. *Et tamen plerumque quod maximè dolendum est, ita vsu venire solet, multis sacerdotibus, qui similes mihi esse videntur septem illis bobus macie confectis & fœdis quas per somnium vides Pharao Rex Ægypti, quæ tamen ex eodem flumine bibebant, & eisdem locis virentibus & pratis amœnissimis pascebantur*.

Quia huius cibi non tenemur desiderio, similes sumus bobus illis macie confectis. — Gregor. Nazian.

Sicut ficus feruidæ naturæ, & eximium præbet corpori augmentum: sic Christus in Eucharistiâ igneus est, & auget animas.

§. V.

Ficus feruida, ita nihil ad calefaciendam animam aptius Eucharistiâ.

27. QVINTÒ, ficus feruidæ est naturæ, vnde ficis Plinius lib. 23. c. 7. tribuit vim excalefaciendi, sitimque adferendi præsertim siccis. Quid tam feruidum atque ad animum excalefaciendum aptum, atque Eucharisticus cibus. Audi Concilium Trident. sessio. 13. *Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias sui erga homines amoris, velut effudit.* Et Rupertus notat in plenilunio Christum Eucharistiam instituisse, vt luna plena plenitudinem amoris significet. *Ignem & Spiritum*, ait S. Ephrem de natura Dei non scrutanda, *manducandum, ac bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus scilicet & sanguinem suum. Quemadmodum ignis sensibilis*, ait S. Dionys. de cælest. Hierarch. *ea quibus insederit, in suum traducit officium; omnibusq; quomodolibet sibi propinquantibus sui consortium tradit: haud aliter Dominus noster & Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum, in sui traducit effigiem, Deiformesque reddit.* Qualiter Christus in Eucharistia totus igneus vide enar. 4. sect. 16. & 17.

CONCIL. TRIDENTIN.

RVPERT.

EPHREM.

DIONYS.

Ipse formandi hostiam modus Christi passi præ amore memoriam exprimit.

S. BERNARDIN. SENIOR.

Ipse formandi hostiam modus, ait S. Bernardin. *quæ inter ferra ignita constringitur & coquitur, Christi passi memoriam exprimit. Nam ferrum ignitum, fuit ipsa crudelitas Iudæorum, contraria Christo, ferrum insuper ignitum fuit immobilis charitas Christi.* Legimus Isa. c. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Septuag. legũt *Carbunculus. Non carbonem*, ait D. Hieron. *vel prunam vt plerique existimant, sed carbunculum lapidem.* Cuius rei figura hic carbunculus? corporis Christi. Quare? Audi D. Thomam opusc. 58. c. 22. *Calculus iste est carbunculus, sic dictus, quia ignitus est, vt carbo, & significat corpus Domini, de altari sumptum, & charitate inflammatum.* Et S. Ioan. Damasc. orat. de Sabbatho sancto, sic alloquitur eum, qui sumpserat corpus Christi: *Tetigisti diuinum illum carbunculum quem sub figura ipsi Seraphim, tangere omninò nequiuerunt.*

Isaia 6.

Calculus ille figura Christi.

D. THOM.

IOAN. DAMAS.

Cur carbũculo cõparetur Christus in Eucharistiâ.

Carbunculo etiam comparatur Christus in Eucharistia, quia carbunculus lucet in tenebris adeò, vt flammas ad oculos vibret inter gemmas, ait Chassaneus in catalogo glo. mund. part. 12. cons. 52. rubri coloris carbunculus rubicundissimus est, nocte magis, quàm die lucet, nam die obscuratur, nocte verò & in obscuro tantùm refulget vt circa se noctem in diem vertat. Olim, vt fertur, in ciuitate educenti erat carbunculus positus super pyramidem, vt lumen noctu effunderet super omnem ciuitatem. Docemur itaque de die, id est, cum lumine rationis naturalis, non esse considerandum Christum in Eucharistiâ, tunc enim nulli apparent, mirabilium rerum, quæ in illa latent, colores. Sed in tenebris ignorantiæ vidẽdus, ab eo nimirum qui se cæcum reputat. Vnde etiam Seraphim duabus alis dicuntur velare faciem suam, vt doceant hæc mysteria optimè intelligi à cæcis & lumine naturali minimè vtentibus, atque Eucharistiam theatrum quoddam esse cæcorum, mysteriaque eius meliùs capi & intelligi, ab ijs qui in hoc Sacramento inuestigando, se planè cæcos esse fatentur.

CHASSANÆVS.

Nocte magis quàm die fulget, sic Eucharistia.

28. Quia Christus feruidæ naturæ in Eucharistia, hinc consequenter sumptus in eà magnum confert augmentum spirituale animæ. *Sicut cibus corporalis*, ait Liranus in cap. Ioan. 6. *non tantummodo nutrit & conseruat vitam, sed deducit ad perfectam quantitatem: sic hoc Sacramentum deducit hominem, ad consummationem gratiæ.* Pro cuius rei intelligentia notandum, quòd sicut corpus infantis antequam concipiatur in vtero materno nullam habet quantitatem, nec longitudinem, nec latitudinem, nec crassitiem, nullum enim adhuc habet esse, nec possunt accidentia præexistere ante subiectum. Sic homo antequam sit spiritualiter regeneratus, nullam habet spiritualem longitudinem, latitudinem, vel profunditatem, necdum enim accepit gratuitum esse gratiæ. Sed sicut corpus infantis iam conceptum in vtero habet omnes suas dimensiones, secundum quas crescit, cibo & alimento corporali refectum: sic homo iam renatus spiritualiter, post acceptum esse supernaturale gratiæ, etiam spirituales suas accipit dimensiones secundum quas oportet eum crescere donec occurrat in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quænam sunt hæ spirituales dimensiones? nimirum fides, spes, charitas, quæ in lauacro regenerationis nobis infunduntur, secundum quas crescimus hoc pane viuifico. Fides respondet longitudini, nam fides est diuinæ lucis quidam radius extendens se in tantam longitudinem, vt attingat diuinorum mysteriorum cognitionem, quæ aciem humani ingenij & intellectus nostri in immensum superat & transgreditur. Spes respondet latitudini, nam sicut latitudo non potest esse sine longitudine, sic spes præsupponit necessariò fidem. Habet etiam

Hoc Sacramentũ perducit hominem ad consummationem gratiæ.

LIRANVS.

Ficus insigne præbet corpori augmentũ, ita Eucharistia animæ.

Homo renatus crescit secundum tres dimensiones, id est, fidẽ, spem, charitatem.

etiam spes nō minus quàm fides propriam quandam longitudinem, quâ Deum attingit tamquam laborum omnium præmium & mercedem, atque remuneratorem, vnde anima omnes amplectitur difficultates, vt hoc diuino semel donetur & perfruatur præmio. Charitas respondet crassitudini; nam sicut crassitudo non potest esse absque longitudine & latitudine, sic nec charitas absque fide & spe. Deinde charitas tamquam spiritualis quædam profunditas & crassities complectitur tam Deum quàm homines. Nunc facillimè ostenditur has dimensiones hoc viuifico cibo augeri & secundum eas hominem crescere.

Fides capit augmentum ex Eucharistia.

29. Fides mirum capit augmentum, est enim mysteriū fidei, fidem maximè exercens. Quo sensu dicatur mysterium fidei, & fidem exerceat hoc Sacramentum, vide apud Ioan. de Carthagena in hom. Cathol. lib. 9. hom. 3. Vide eundem etiam hom. 2.

Similiter & spes.

30. Similiter & spei nostræ magnum confert augmētum. Nam vt canit Ecclesia: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, & futuræ, gloriæ nobis pignus datur.* Quorum verborum explicationem vide apud Ioan. de Carthag. in hom. cath. lib. 9. homil. 5. præsertim in fine. Si in exilio seipsum dedit, an denegabit in patria? Pulchrè Algerus li. 1. de Sacramento c. 3. ait: *Non enim esset misericordiæ, & iustitiæ condignum si eos repelleret à regni sui consortio, quibus tam familiariter vniri dignatur in exilio mundi.* Et qui seipso nos alit & nutrit in hoc sæculo, an in futuro denegabit vitam æternam? haud equidem credo. Vide Baeza tom. 3. com. in hist. Euang. lib. 14. c. 10. §. 22. Quid ab illo non sperandum, qui seipsum dat in cibum & potum & omnimodam vnionem. Vide Baeza tom. 3. in Euang. histor. lib. 14. c. 10. §. 20.

Ioan. Carthagena. Alger. Baeza. Baeza.

Qui hoc cibo deuotè vescitur, illi nihil reliquū quàm vt fideliter in Domino ad vitam æternam obdormiat.

Ioan. Carthagena.

31. Ioan. de Carthagena in homil. Christ. lib. 9. homil. 1. reddens rationem cur Christus hoc Sacramentum in cœna instituit, sic ad mentem nostram respondet: Quoniam postquam huic diuinæ mensæ, & cœnæ Christi accubuimus, nihil reliquum est, nisi vt in Domino fœliciter ad vitam æternam obdormiamus. Declarat hoc ipsum Ægyptiorum imago: effingebant enim ad significanda bona vera & solida, adolescentem, vna manu spicas triticeas, altera vini poculum & de collo pendens papauer habentem; quoniam quibus panis, & vini copia est, securos possunt somnos capere, & missas facere reliquarum rerum, ac lucrorum tractationes, quibus inuigilantes mortales, numquam non curarum æstu sollicitantur. Christus ergo tamquam prouidus ac benignissimus Pater, paulò ante mortem testamentum condidit, alimenta vitæ nobis omnibus reliquit, fundum promissionis assignans carnem suam & sanguinem, quæ alimenta numquam nobis defutura, vsque ad mundi finem iuramento Dei roboratum etiam est, vt ait Dauid Ps. 109. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.* Cùm ergo simus à Christo hæredes instituti, suæ carnis & sanguinis, quo victu omnis nostra inopia locupletata est, & famis in posterum depulsa formido, renunciare debet quisque vestrûm, mundi voluptatibus, & lucra omnia, & commercia caduca negligens, hoc diuino cibo contentus cum Propheta dicere Psal. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Hæc ille.

Charitas quoque capit augmētum.

32. Qualiter charitas, imò ipse animus, hoc cibo augeatur, sic egregiè explicat Barradius tom. 4. comment. Euang. lib. 3. c. 11. Panis corpori, animo Eucharistia incrementum adfert; tunc accressit corpus, cùm maiorem comparat quantitatem; animus verò tunc augetur, cùm maiorem acquirit gratiam & charitatem; vt enim Bernardus ait serm. 27. in Cantic. *Animi quantitas charitas est.* Illud corpus maius est, quòd maiorem habet quantitatem; ille verò animus maior est, qui maiorem habet charitatem. Corporis quantitas terminum habet & finem, non enim semper hominis corpus augetur. Animi quantitas, id est, charitas, termino, fineque caret; semper enim quamdiu in viâ sumus, animus potest charitate crescere. Stat corporis quantitas, neque progredi potest, numquam stat, sed semper progredi potest vlteriùs quantitas animi, id est, charitas. Decrepiti senis corpus non accipit à natura incrementum, sed decrementum, at animus eius senis potest recipere ab Eucharistia incrementum maximum. Auget nempe Eucharistia animum ad mortem vsque, si dignè sumatur. Quotiescumque dignè sumitur, nouam adijcit quantitatem animi, id est, nouam gratiam & charitatem. Si corpori quotidie noua adderetur quantitas, gigas homo euaderet. O Sacerdotes, qui sacræ mensæ quotidie accumbitis, gigantes vos esse oportet, animi quantitate, id est, gratia & charitate, siquidem quotidie si dignè accumbitis, noua vobis quantitas adijcitur. Si autem gigantes estis charitate, id ostendite, operibus & virtutibus giganteis hoc est, magnis eleëmosynis, animarum zelo, modestia, humilitate, castitate, mundiq; contemptu. Quicumque alij hoc Sacramentum frequentatis, & charitatis gratiæque incrementum accipitis, Sacramentū ipsum honore afficite, tunc enim afficietis honore, cùm gratiam & charitatem, quam ab illo accipitis, sanctis actionibus demonstraueritis. Sic ille. Et si Christus, in hoc Sacramento, totus igneus, quid mirum quod dum sumitur ab homine, amoris in illo augeat flammam, & charitatem magis magisque accendat?

Animi quantitas, charitas.

Gigantes in gratia & charitate nos reddit hic cibus.

Sicut

Sicut ficus habet vim coagulandi, ita etiam Eucharistia.

§. VI.

Ficus habet vim coagulandi. PLINIVS.

1. SExtò, ficus habet vim coagulandi. Nam vt ſcribit Plinius lib. 16. c. 38. *Fitis, lacteus ſuccus, huic ad caſeos figurandos coaguli vis.* Et lib. 23. cap. 7. *Fici ſuccus lacteus aceti naturam habet, itaque coaguli modo lac contrahit.* Nónne ſimiliter coagulandi vis maxima ineſt Euchariſtiæ? nónne per illius ſumptionem Chriſtus in homine & homo manet in Chriſto iuxta pulcherrima illa Chriſti verba: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Licet enim ex vi verborum non donetur nobis niſi corpus Chriſti, tamen per concomitantiam & ſanguis Chriſti, Chriſtuſque qui Deus & homo totus nobis communicatur, & à nobis ſumitur, adeoque totus exiſtit in nobis, noſque in illo, quæ quidem mutua exiſtentia, vel ſi mauis cohærentia, tam eſt ſecreta & intima, vt vnionis nomine ſoleat à ſanctis Patribus deſignari.

Coagulandi vis maxima ineſt Euchariſtiæ.

Amori nihil tam proprium quàm deſiderare vnionē cum re amata.

2. Pro cuius vnionis maiori intelligentia ſciendum; quòd ſicut amori nihil tam proprium, quàm vnionem cum re amata, quàm poteſt fieri perfectiſſimè, omnibus procurare modis, non ſufficiebat Chriſto corporali vnione per incarnationem facta vnire ſe cum humanitate in vtero Virginis per operationem Spiritus ſancti formata. Hæc enim vnio vnius tantùm vnitatis fuit, neque etiam illi ſufficiebat matrimonio quodam ſpirituali per effectus ordinarios gratiæ & charitatis animabus noſtris vniri, ſiue cohætere, iuxta illud 1. Corinth. 6. *Qui adheret Domino vnus ſpiritus eſt cum eo,* quia vnio quæ fit per matrimonium ſpiritale, de quo loquitur D. Paulus, ſolummodò cum ſpiritu contrahitur, non cum corpore; ideò aliam vnitatem excogitauit, & ſtabilijt, iungens corpus ſuum noſtris, carnem ſuam humanæ carni, carnem, inquam, ſuam viuentem, vnitam diuinitati, gloriæ, dotibus, & immortalitate colluſtratam. Quia verò à ratione alienum, neque diuinæ maieſtati vllo modo decorum, aut congruum erat, vt fieret ſecum vnio hypoſtatica naturæ omnium indiuiduorum, ſicut in incarnatione cauit, mirum modum adinuenit, inſtituens diuinum hoc Euchariſtiæ Sacramentum, cuius manducatione pollicetur ſe in nobis manſurum, noſque pariter in eo permanſuros. Quocirca D. Chryſoſtomus valde propriè Sacramentum hoc appellat: *Extenſionem incarnationis:* quibus verbis monemur Chriſtum in eo nobiſcum idem agere, quod egit cum ſacratiſſima humanitate ſua in vtero Virginis; non quòd iterum ſupponat in ſe ipſo naturam noſtram; ſed vniens ſecum quemlibet noſtrū vnione corporali, naturali, ſubſtantiali, phyſica, reali, ſacramentali, cuius virtute caro ex carne, & os ex oſſibus eius efficimur, iuxta illud Pauli ad Epheſ. cap. 5. *Quia membra ſumus corporis eius* (nimirum myſtici, quod eſt Eccleſia) *de carne eius, & de oſſibus eius.* Quo loco Apoſtolus reflectit oculos in primam illam Euæ formationem, de qua Geneſ. cap. 2. ex coſta Adami, non nuda, ſed carne eius obducta atque veſtita, atque ad illa Adami verba poſtquam Eua ad illum adducta, quæ etiam citato adducit & recitat loco Apoſtolus: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Quæ omnia in figurâ contigiſſe eius quod geſtum in Chriſto & Eccleſia, eodem loco docet Apoſtolus, dicens: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia,* ſignificat enim intimam illam cohærentiam & vnionem Chriſti cum Eccleſia, quæ fit per communicationē corporis & ſanguinis ſui, vt expreſſis verbis docet Diuus Auguſtinus lib. 2. contra Aduerſ. legis & prop. ſic ſcribens: *Nos intelligamus duos in carne vna, Chriſtum, & Eccleſiam, ſicut mediatorem Dei hominum, Chriſtum Ieſum, carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fidei corde, & ore ſuſcipimus.* Sic ille. Affirmat idem Paſchaſ. lib. de corpore & ſanguine Chriſti, dum ait: *Vtique hoc Sacramentum, velint nolint inimici, magnum eſt in Chriſto, & Eccleſia, quod erunt duo in carne vna: alioquin quomodo auderet aſſerere Apoſtolus Chriſti Eccleſiam de carne, & oſſibus eius conſtare?* Sic ille.

Quem modum excogitauerit Chriſtus vt nos ſecum poſſet vnire.

Euchariſtia extenſio incarnationis.

3. Sed qualiter prædictis modis in nobis ſit Chriſtus, Scripturarum & SS. Patrum teſtimonijs comprobandum. Volunt enim hæretici à via regia communique deflectentes, non niſi vi intellectus fidei media credentis corpus Chriſti nobis communicari, Chriſtumque nobis vniri. Verùm realiter id fieri manifeſtiſſimè docent illa verba Chriſti dicentis: *Si non manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Cur enim ita ſpeciatim expreſſiſſet voluntatem ſuam loquens de carne filij hominis, niſi vt agnoſceremus eum locutum fuiſſe de manducatione vera & reali, & per conſequens, vera & reali cohærentia ſiue vnione. Hinc D. Chryſoſtomus homil. 61. ad popul. poſtquam adduxit illa verba Pauli ad Epheſ. 5. *Vnum corpus ſumus, & membra ex carne eius, & ex oſſibus eius,* ſubiungit: *Vt itaque non tantùm per charitatem hoc ſiamus, verùm & ipſa re in illam miſceamur carnem, hoc per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium, quod erga nos habet. Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit,*

Realiter Chriſtus vnitur fidelibus in Euchariſtia.

CHRYSOST.

miscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur, tanquam corpus capiti aptatum: ardenter enim amantium hoc est. Hoc itaque Iob insinuans dicebat de seruis, quibus erat supra modum desiderabilis, quod desiderium ostendentes dicebant: Quis dederit nobis ex carnibus eius impleri? Propterea quidem & Christus id fecit, in maiorem nos inducens charitatem, & suum erga nos ostendens desiderium, non tantùm se præbens cupientibus videndum: sed & palpandum, & comedendum, & carni dentes infigere, & complicari, & omne desiderium implere.

Iob 31.

Substantiali vnione vnitur fidelibus.

4. Substantialem vnionem nimirum, quæ contingit virtute substantiarum, apertè insinuant illa verba Christi Ioan. 6. *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me.* Sicut enim inficiari nemo potest, Christum non viuere propter Patrem per accidentia sola, vel solos effectus, sed per participationem substantiæ, ei ab æterno communicatæ, cùm constet ambos fontem, & originem vitæ esse. Ita vt similitudo ab ipsomet facta absoluatur, quis in dubium reuocabit assertionem illam, nos, scilicet, propter eum, & ex eo viuere debere, per substantialem, non accidentariam manducationem, qualem esse illam, quæ fidei virtute fieri prædicatur.

5. De naturali vnione, qualis membrorum cùm capite, sic apertissimè Hilarius li. 8. de Trinit. *Si verè verbum caro factum est, & verè nos verbum carnem factum, cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est, qui & naturam carnis suæ nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ, ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim vnum sumus, quia in Christo Pater, & Christus in nobis vnum in his nos esse faciunt.* Et paulò inferiùs: *De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè, atque impiè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis, non est relictus ambigendi locus, nunc enim, & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est, & hac accepta atque hausta id efficiunt, vt, & nos in Christo, & Christus in nobis sit. An hoc veritas non est? Contingat planè ijs verùm non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant, est ergo ipse in nobis per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus in Deo est.*

Corporaliter vnitur fidelibus.
IRENÆVS.

6. De corporali vnione, quæ contingit dum corpus corpori iungitur siue vnitur. Sic Irenæus lib. 5. cap. 2. contra hær. *Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis, & sanguinis Christi, è quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia. Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ corpore & sanguine eius nutritur, & membrum eius est? Quemadmodum & B. Apostolus in eâ quæ est ad Ephesios epistolâ dicit: Quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & ossibus eius, non de spirituali aliquo, & inuisibili homine hæc dicit, spiritus enim neque ossa, neque carnes habet, sed de ea dispositione quæ est secundum verum hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit, quæ de calice, qui est sanguis eius nutritur, & de pane, qui est corpus eius augetur.* Sic ille. Sicut ergo cibus corporalis corporaliter corpori vnitur dum illo nutritur, & ex illo augmentum sumit, ita & corpus nostrum nutritur & augetur corpore Christi.

CYRILL.

7. Conuenienter etiam hanc ad rem D. Cyrillus scribens super illud Ioan. *Ego sum vitis vera: Non negamus, ait, rectà nos fide, charitateque sincera Christo spiritualiter coniungi. Sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idq; à diuinis scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitauit, Christum etiam sic vitem esse, nos verò palmites, qui vitam nobis inde acquirimus? Audi Paulum dicentem: Quia omnes vnum corpus sumus in Christo. Quia etsi multi sumus, vnum tamen in eo sumus: omnes enim vno participamus. An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cùm in nobis fiat, nónne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium, membra Christi sunt?* &c. *Eucharistia*, ait Ioan. Damascen. lib. 4. cap. 14. *dicitur communio, & reuera ita est, quia per ipsam communicamus Christo, & participamus eius carne, ac diuinitate corporati inuicem existentes. Accedat, credat, & incorporetur*, ait D. Augustinus in Ioan. cap. 6. tractat. 26. *In sacra communione*, ait Cyrillus Hierosolym. catech. 4. *simus non tantùm Christiferi, sed & concorporei & consanguinei Christi.*

1. Cor. 10.

FVLBERT.

8. D. Fulbertus Episcopus Carnotensis epist. 1. postquam retulit verba illa Christi: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*, subiungit: *Quâ veri magistri authoritate animati, dum corpori & sanguini eius communicamus, audenter fatemur nos in corpus illius transeundi, & ipsum in nobis manere. In nobis ipsum manere dico, non solùm per concordiam voluntatis; sed etiam per naturæ vnitæ veritatem.* Sic ille.

Varijs similitudinibus præfatæ vniones elucidantur à SS. Patribus.

Similitudine cibi in propriam substantiam transeuntis.
IRENÆVS.

9. Vt hanc vnionem veram, realem, substantialem, corporalem, exprimant SS. Patres atque Scriptores, varijs vtuntur similitudinibus. D. Irenæus eam explicauit similitudine manducationis cibi & alimenti corporalis, in propriam substantiam transeuntis. Non quòd hic panis sacer comestus, mutetur in nostram substantiam, sed vt ait D. Augustinus, nos potiùs in se transmutet, sibique vniat & similes

miles faciat, quod non facit cibus communis.

Similitudine argentei scyphi deaurati. CHRYSOS.

10. D. Chrysostomus homil. 61. ad popul. adhibet similitudinem ex auri fabri officina desumptam. *Sicut*, ait, *auro liquescente, siue manum, siue linguam aliquis immittat, eam statim auream reddit: ita & hic proposita pretiosam reddunt animam*, &c. Ex quibus talis videtur posse conflari similitudo; si argenteus scyphus aut patera deauretur aurum & argentum opera artificis fiunt vnum, est vna patera argentea, deaurata: ita homo Christi carnem manducans, & sanguinem bibens, ex quibus tamquam diuinis quibusdam fluentis aureum, imò diuinum quendam suscipit splendorem, vnum quid efficitur cum Christo. Idem homil. 81. & 83. in Matthæum, sic scribit: *Non enim sufficit ipsi hominem fidei, flagellis interim cadi, sed nos secum in vnam (vt ita dicam) massam reducit: neque id fide solùm, sed re ipsa nos corpus suum efficit.* Et infrà: *Multa matres post partum alijs nutricibus infantes dederunt: quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi coniungit, atque conglutinat.*

Similitudine liquefactæ ceræ. CYRILL.

11. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 17. & lib. 10. c. 13. vtitur similitudine liquefactæ ceræ, & alij infusæ; ait enim: *Sicut si quis liquefacta cera aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est; ita, si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur.* Deinde adhibet similitudinem fermenti: *Sicut parum fermenti totam massam fermentat; sic paruula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & suâ gratiâ replet: & hoc modo Christus in nobis manet, & nos in Christo.*

Similitudine substantiarum quæ in pharmacis coniunguntur, aut ceræ quæ papyro affigitur &c.

12. Quidam nostri temporis scriptores, ait Adrianus Holstadius in serm. Eucharist. serm. 47. adhibent similitudines, aut exempla substantiarum quæ in pharmacis coniunguntur, item lignorum quæ clauis compinguntur, aut ceræ quæ papyro affigitur, sic vt ipsa cum papyro vnum constituat: alij alijs vtuntur similitudinibus, vt probent nos per sumptionem istius Sacramenti vnum fieri cùm Christo illique coniungi, non tantùm secundum animam, sed etiam secundum corpus. Sic ille. Christophorus de Auendano in quadrages. serm. de institutione Sacramenti altaris, dist. 10. vnionem hanc exprimit similitudine surculi cuipiam arbori inserti, dicitque Christum in hoc Sacramento esse instar arboris vitæ, cui nos tamquam surculi inserimur, vt autem surculus est in arbore, arbor verò in surculo; sic docet nos mediante hoc Sacramento, dum dignè & vt oportet sumitur esse in Christo, & Christum in nobis, illique nos vniri vnione naturali, reali, substantiali, & corporali, quemadmodum hisce vnionibus vnitur surculus arbori.

Similitudine surculi arbori inserti.

Quàm arcta hæc vnio indicauit Christus, dum vino aquam miscere voluit.

13. Quàm arcta & intima sit nostra cum Christo vnio, dum illum in Sacramento sumimus, insinuauit vel ipse Christus, dum vino aquam misceri voluit, hunc enim vsum perseuerasse in Ecclesia, vel ab ipsis Apostolorum temporibus (qui non nisi Christum imitati hac fuêre cæremoniâ vsi, id facientes quod coram viderant in cœna Christum facientem) vsque ad nostra tempora certissimum. Patet enim id in primis ex decretis Alexandri Pontificis & Martyris, qui vixit sub Traiano Imperatore, ait enim: *Non debet, vt à parentibus accepimus, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum.* Parentes haud dubio nominat Apostolos eorum discipulos: Nam D. Ioannes penè vixit vsque ad tempora Traiani, teste Hieronymo. De hoc vsu etiam Iustinus in Apolog. 2. sub finem. Et Irenæus lib. 5. Cyprianus epist. 3. lib. 2. Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. Ambros. lib. de Sacramentis cap. 1. Augustinus tract. 120. in Ioan. & lib. 4. de doctrin. Christiana cap. 5. Quid autem lateat mysterij in hac mixtione, quòd ad consecrationem sanguinis Domini sumatur vinum, aquâ temperatur, aquæ vnitum, & sic vnitum, vt vnus sit liquor, docent Patres. D. Ambrosius significari putat, cùm aqua miscetur vino, quòd ante consecrationem est figura sanguinis, sed à consecratione verè versum est in sanguinem, populum qui in aquis designatur, iuxta illud Apocal. cap. 17. Aquæ multæ, populi multi sunt, per Christi sanguinem esse redemptum, sic enim scribit lib. 4. de Sacramentis cap. 5. *Ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus. Vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit.* Sic ille.

Quid Sacramenti contineat, quod vino aqua misceatur. AMBROS.

D. Cyprianus loco citato putat ista mistione significari vnionem istam mysticam, quæ facta inter nos & filium Dei, per nobile balsamum sanguini eius in cruce effusi, sic enim ait: Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit copulatur & iungitur. Ritus iste ob oculos nobis ponit, quomodo ex latere Saluatoris fluxerint aqua & sanguis. Verùm S. Paschasius Abbas lib. de corpore & sanguine Domini, hac cæremoniâ putat significari arctissimam fidelium vnionem cum Christo, in aquâ enim quæ miscetur vino, & cum vino vnum constituit liquorem, qui per verba consecrationis conuertitur in sanguinem Christi, ita vt iam vinum & aqua desinant esse, sint verò verus Christi sanguis, putat significari populum communicantem taliter vniri Christo, vt quasi vnum cum Christo censeri debeat. Cui consentiens D. Cæsarius Arelat. hom. 7. sic ait:

CYPRIANVS.

PASCHAS.

CÆSAR.

ait: *Dum in Sacramentis vino aqua miscetur, Christo fidelis populus incorporatur, & iungitur, & quadam ei copulâ perfecta charitatis vnitur, vt possit dicere cum Apostolo: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio?* Hinc dignè communicantes sic alloquitur Algerius li.1. de Sacrament. cap.19. *Panis Dominicus facti estis.* Et lib.1. de Sacrament. cap.3. ait: *Concorporales & consacramentales sumus Christo.* Quin etiam ex D. Augustino videtur posse colligi, quòd dignè communicantes sint quasi particulæ hostiæ ipsius consecratæ, exponens enim illa verba Psalm.147. *Mittit chrystallum suam sicut buccellas,* pro quibus ipse legit, *mittit chrystallum suam velut frusta panis.* In chrystallo quæ nix est multorum annorum tempore & serie sæculorum durata, dicit designari pertinaces quosdam peccatores, sed tamen à Deo prædestinati, & ad vitam vocandi, qui dum modò prædicant veritatem, facti sunt frusta panis, panis, inquam illius Eucharistici, quod assumptis verbis D. Pauli 1. Corinth.10. sic probat: *Quis ille vnus panis? Multi,* inquit Apostolus, *vnum corpus sumus in Christo. Vnus panis, vnum corpus: multi sumus ipse dicit: Ergo si vnus panis totum corpus Christi, membra Christi frusta panis sunt.*

ALGER.

14. De vnione quæ fit mediante hoc Sacramento inter Deum & animam, etiam audiendus Harphius Theolog. myst. lib.1. part.1. cap.20. *Quintus, ait, effectus eius est, nos vnire summo Deo, & totaliter intimare, & vnum cum eo efficere, sicut ad Patrem Christus orans dicebat: Oro pater, vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus. Vnde in hoc Sacramento ostenditur excessus diuinæ largitatis in summo gradu. In omnibus enim alijs Dei donis inter donantem & eum cui datur, semper aliqua diuisio remanet: sed cùm se dat in cibum & potum, ad omnimodam se confert vnionem, sicut cibus & cibans in vnione corporis vniuntur. Cibus enim conuertitur in carnem & sanguinem cibati, vt iam vnius ad alterum non sit aliqua separatio. Verumtamen iste cibus non conuertitur in comedentem, sed è contra comedentem conuertit in cibum, sicut ait Dominus ad Augustinum: Cibus sum grandium. Cresce & manducabis me. Nec me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. In Christum enim anima mutatur, cùm Christo magis ac magis in gratiâ & charitate cæterisque virtutibus assimilatur. Factus est, inquam, cibus & potus quotidianus, in quo totum quod ipse est & habet, cùm spiritu suo nobis in summo communicat: cùm tamen natura diuina totum quod est optimum in se naturaliter habet. Et hæc offert quocumque loco, quocumque tempore, & quocumque Sacerdote Catholico, ritè quod agendum est perficiente, vt sic summa Trinitas in hoc Sacramento singulis animabus amorosis, se totam ad fruendum sacramentaliter exhibeat, & eidem se veraciter vniat vnione, quâ strictior & gloriosior non inuenitur in viâ. In cuius argumentum Christus in similitudine se dicit fermentum, & nos farinam, quia pasta post fermentationem est de natura fermenti.* Hactenus ille. De vnione Christi cum suscipientibus vide Laurent. de à Ponte tom.2. in Sap. hom.78. & digress.4.

HARPH.

Ioan.17.

LAVR. DE A PONTE.

15. Sed vt ita vniamur per Sacramenti susceptionem Christo, necesse est nos priùs cum proximo vniri charitatis & pacis vinculo, & vbi tanta cum Christo societas, non debet interuenire cum Christiano dissidium. Non ineffabilis obtinetur cum capite vnitas, nisi sincera præcedat erga membra dilectio. Si vis esse membrum Christi, noli diuidi à membris Christi; si vis Christo sociari, noli à Christianis separari. Charitatem cum proximo sequitur vnitas cum Christo, non procedit. *Vt simus membra eius,* inquit Aug. tract.27. in Ioannē, *vnitas nos compaginat: vt compaginet vnitas, quid facit nisi charitas? Qui accipit mysterium vnitatis,* ait Algerius lib.1. de Sacram. c.3. *& non tenet vinculum pacis, non mysterium pro se, sed testimonium accipit contra se,* &c. Et Eucharistia mysterium & Sacramentum vnitatis & concordiæ fidelium. *In hoc ipso Sacramento,* inquit Hilarius, quod numerosis tritici granis confici nouimus, vnitatem constat assignari populorum. Sic ille. Sed fusiùs hac de re Innocentius 3. lib.3. Mysteriorum Missæ, vbi sic scribit: *Tria quippe in hoc Sacramento,* inquit, *videlicet forma visibilis, veritas corporis, & virtus spiritualis. Forma panis, & vini, veritas carnis & sanguinis; virtus vnitatis & charitatis. Primum oculo cernitur; secundum animo creditur; tertium corde percipitur. Primum, est Sacramentum, & non res; secundum est Sacramentum, & res; tertium, est res, & non Sacramentum. Sed primum est Sacramentum gemina rei; tertium verò gemini Sacramenti; secundum autem est Sacramentum vnius, & res alterius. Nam forma panis, vtramque carnem Christi significat, id est, veram & mysticam. Sed veram carnem & continet, & significat, mysticam verò significat, sed non continet. Sicut vnus panis ex multis granis conficitur, & vnum vinum ex multis racemis confluit: sic corpus Christi ex multis membris componitur; & vnitas Ecclesiastica ex diuersis personis consistit: in prædestinatis, vocatis, iustificatis, & glorificatis.* Et infrà: *Vinum autem in quantum liquet, & rubet, similitudinem sanguinis repræsentat. In quantum calet, aut redolet, proprietatem charitatis significat & ostendit. Nam vinum, & sanguinem operatur, & excitat charitatem, quia cor bibentis exhilarat, & dilatat. Patet ergo quòd substantia corporis & sanguinis Christi est Sacramentum. Est enim res primi, quia significatur, & continetur à primo, videlicet à forma visibili: & est Sacramentum tertij, quia significat, & efficit tertium, videlicet, vnitatem Ecclesiasticam.* Hactenus doctissimus Innocentius. Vt ergo ad hanc mensam accedamus, coaptati & concordes, tamquam vnius corporis

Vt quis vniatur Christo per Eucharistiam, necesse est vt priùs vniatur proximo charitatis vinculo.

AVGVST.

ALGER.

INNOCENTIVS.

Concordes esse debent qui ad hoc Sacramentū accedunt.

poris membra, venire debemus, vt à pacifico capite in pacifica membra gratiarum fluentia & vita deſcendant. *Spiritus*, ait D. Auguſtinus loco citat. *eſt qui viuificat; ſpiritus enim facit viua membra, nec viua membra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore quod vegetat, ipſe ſpiritus inuenerit: nam ſpiritus qui eſt in te, ô homo, quo conſtas vt homo ſis, numquid viuificat membrum quod ſeparatum inuenerit à carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non viuificat, niſi membra quæ ſunt in carne tuâ, vnum ſi tollas, iam non viuificatur ex anima tua, quia vnitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparationem.* Sic ille.

AVGVST.

CHRYSOS.

16. Accipe etiam Chryſoſtomum hæc adſtruentem. De proditione Iudæ: *Animarum ſimus charitate deuincti, vt ſic diuinæ menſæ poſſimus fructibus ſociari: nam ſi multis bonis abundemus, reconciliatione contempta, nullum poſſumus ſolatium promereri.* Quid eſt quòd ex ſumptione Euchariſtiæ Iudas nullum ſolatium promeritus fuerit, ſed Euchariſticus panis illi veneni loco extiterit, nónne quia non pacatus illam accepit? Audi D. Auguſtinum tractat. 6. in Ioan. *Medicus non daret venenum, ſalutem medicus dedit, ſed indignè accipiendo, ad iudicium accepit, quia non pacatus accepit, ſed cum odio, rancore, & furore.*

Non concordi cum fratre Chriſtus in Sacramento cibus venenatus.

17. Legimus in vitâ S. Odonis, quòd Epiſcopus qui ſacris eum initiaſſet, ſua benedictione talem virtutem pani à ſe conſecrato infuderit vt cuicumque cani, deguſtanti ex eo, inſtar veneni, vitam abſtulerit, & morti addixerit. Nónne idipſum abundantiùs accidit homini, ſi inſtar rabidi canis plenus odio & rancore, accedat & deguſtet ex hoc Euchariſtico & conſecrato pane? Meritò inclamat Ioannes Apocalypſis cap. 21. *Foris canes.*

Tempore meſſis non litibus vacandum.

18. Ponderat Petr. Damian. opuſc. 41. cap. 2. ciuilibus legibus iuſtè ordinatum ne tempore meſſis & vindemiæ homines litibus vacarent, omniaque nulla & irrita eſſe quæcumque durante meſſe & vindemia eſſent in tribunalibus decreta, ne ſcilicet homines litigijs implicati & detenti minorem operam cogerentur impendere colligendis fructibus, ex quibus dependet omnium hominum victus ac ſuſtentatio. Quid Chriſtianorum vita, nónne tempus meſſis atque vindemiæ ſpiritualis, vt ergo illud poſſit impendere acquirendo pani cæleſti, vnde in perpetuum debet viuere, & vindemiando vino, virgines germinanti, à litibus, iurgijs, diſſentionibus illi penitus abſtinendum.

Inter epulas de incendio non facienda mentio.

19. De gentilibus refert Plinius lib. 28. cap. 2. quòd neſcio qua ſuperſtitione permoti, nullo modo volebant, inter epulas de incendijs mentionem fieri, vel verbum illud nominari vel pronuntiari, ſin accidiſſet quempiam id feciſſe, omnes abominabantur, & in deteſtationis ſignum ac teſtimonium, magnam aquæ copiam effundebant infrà menſam. *Incendia*, ait, *inter epulas nominata, effuſis ſubter menſam aquis abominamur.* Si in communi menſa illis tam odioſum fuit incendiorum vocabulum, quàm longè debet remoueri à menſa hac Euchariſtica iræ, odij, auerſionis, atque diſſentionis ignis atque incendium. Abſit vt vel hæc nominentur à Chriſtianis ad ſacrum hoc conuiuium accedentibus. Si ignis hic lateat in corde effuſâ extinguatur aquâ, in hoc imitantes Regium vatem, qui reſpiciens ad ſacratiſſimas Euchariſtiæ epulas dicebat Pſalm. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei, hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam.* Quaſi dicat, ô quanto deſiderio deſiderat anima mea, vt appaream coram facie Dei, illiuſque poſſim accumbere menſæ? Dum hæc memoria mentem ſubit, effundo animam ſuprà corpus. Sed quem ob finem ô Regie vates id agis? Audi Ambroſium lib. de fuga ſæculi c. 9. *Vt anima ſupra corpus effuſa, reſtinguat omne carnale deſiderium, ſæculare ſtudium.* Adde, omne iræ atque diſcordiæ incendium.

20. Quòd non niſi corde pacato ad hoc accedendum Sacramentum docet Eccleſia, dum nonniſi poſt oſculum pacis ſumitur Euchariſtia: *Euchariſtia*, ait Amalarius de officijs Eccleſ. libro 3. epiſt. 34. *ſumenda poſt oſculum pacis. Sicut vnus panis ſumus in Chriſto, ſic & vnum cor debemus habere. Ipſa vnitas vt teneatur, admonetur per oſcula pacis.*

Corde pacato ad Euchariſtiam accedendũ.

21. Qui etiam ita vult vniri Deo, & huic menſæ dignè aſſiſtere, debet eximiâ pollere puritate & ſanctitate, & pulcherrimis virtutum veſtimentis eſſe indutum, vt optimè docet Chryſoſtomus homil. 61. ad popul. Inter alia ſcribens: *Nolo vos tantùm*, inquit, *à cæno eſſe liberos, verùm & candidos & ſplendidos. Nam ſi Rex Babylonius, ex captiuitate deligens adoleſcentes, pulchros ſpecie, & decoros aſpectu ſumpſit, multò magis & nos ſanctæ menſæ aſſiſtentes regiæ, ſpecie pulchros eſſe decet, aureum animæ mundum habentes, veſtem puram, calceamenta regia, decorum vultum, aureum ipſius ornatum, eſſe indutos cingulum veritatis: talis accedat, & regios tangat calices. Si quis verò pannis indutus, ſordidus, ſqualens regalem velit menſam petere, videat quanta patietur.*

Puritas etiam neceſſaria dignè communicanti.

22. Quantoperè autem Chriſto diſpliceat, ſi cum maculata carnis tunica quis præſumat corpus ſuum ſumere, & ſanguinem bibere, duo eximiè teſtantur

Quàm diſpliceat Chriſto, ſi quis cum maculata

corporis tunica accedat ad hoc Sacramĕtum, exĕplo cōprobatur. PET. CLVNIACENS.

testantur exempla, quorum primum refert Petrus Cluniacensis lib. 1. de miraculis cap. 2. de quodam Sacerdote, qui post lapsum in peccatum carnis, ad celebrandum accessit. Cumque sacram Hostiam in manibus haberet, vt eam sumeret, illa euanuit; & cùm acciperet ad manum calicem, etiam pretiosissimus sanguis euanuit. Qui tamen etsi ex hoc euentu timore esset perterritus, sequenti tamen die rediijt ad sacrum celebrandum: euenitque idem quod priùs. Et cùm ille adhuc pergeret tertio die celebrare, vt videret, an Dominus Deus in irâ suâ contra ipsum persisteret: idem omninò euenit. Quare ter priuatus est communione in ipso Sacro, tamquam indignus tali cibo. Et tunc accessit suum Episcopum, multisque lachrymis suum confessus est peccatum, & miraculum quod euenisset, aperuit. Et cùm per multos dies pœnitentiam egisset, abstinens à celebratione: posteà ex præscripto sui Prælati, accessit ad missam celebrandam. Et in primâ missâ quam magna cum deuotione & pietate fecit: cùm vellet communicare, repente apparuerunt illi tres, illæ hostiæ quæ priùs disparuerant; & in calice similiter inuenit tantam sacri sanguinis quantitatem in signum quod Deus Dominus noster ipsius peccata remisisset. Et sumens omnes tres hostias totumque sanguinem, duxit in posterum piam valde & sanctam vitam.

Aliud exemplum ex Cæsario.

23. Secundum à priori parum dissimile refert Cæsarius lib. 2. dialog. cap. 5. de quodam Sacerdote, qui cum nocte Natiuitatis prôficisceretur ad pagū quendam, vt sacrum in eo celebraret: in ipso itinere incidit in quandam fœminam, cum qua carnaliter peccauit, & nihilominus post matutinum officium Sacrum fecit; sed statim atque consecrationem peregit, euenit ei idem miraculum: aduolans enim columba quædam sorbuit sacrum liquorem, qui erat in calice, & hostiam sacram rostro accipiens auolauit. Et cùm posteà etiam in aurorâ celebraret, ac denique in tertio sacro; idem in omnibus ei euenit. De suo tamen lapsu vehementer dolens, & præmissâ pœnitentiâ, cùm rediijt ad sacrum faciendum, eadem columba rediijt cum tribus hostijs, & ex rostro suo eas in altari collocauit; liquoremque sacrum quem acceperat, in calicem ipsum infudit vt ex hoc facto intelligeretur: Spiritum sanctum per columbam significatum, eos horrere, qui absque puritate communicant, dolentibus verò, & columbarum instar gementibus, ob admissas culpas, restituere, quod propter illas amiserunt.

Nulli periculosiùs accedunt Eucharistiam quàm luxuriosi. PASCHAS.

24. Paschasius de corpore & sanguine Domin. cap. 22. expendens verba illa Exodi cap. 12. *Sic autem comeditis illum. Renes vestros accingetis.* Sic scribit: *Renes vestros accingetis, quia hæc Sacramenta sunt vitæ semina, quibus Virgines generantur. Vnde constat, quòd nulli periculosiùs ea contingunt, quàm luxuriosi & incæstuosi. Aliam huius periculi rationem & ad rem de qua agimus accommodam assignat.* Algerus lib. de Sacrament. capite 23. sic scribens: *Agnum Dei sine macula, qui virginis est filius, luxuriosi & incestuosi, sumunt periculosiùs, quia, cum in Sacramento ei vniri debeamus conformitate passionis, & munditiei, nihil sic aduersatur passioni Crucis, vt voluptas; nihil sic munditiei, vt fœditas; nihil sic eius vnitioni, quàm fornicariæ societatis vnitas.*

ALGER.

Qualiter vniamur, proximo per Eucharistiam. IOAN. CARTHAGENA.

Qualiter mediante Eucharistia, coagulemur & vniamur proximo vide apud Ioannem de Carthagena in homil. Cathol. lib. 9. homil. 8. Qualiter sanguis Christi in Cruce effusus, & consequenter qui nobis potandus exhibetur in Eucharistiâ ad vniendos inter se omnes homines, coaguli vim habuerit, sic pulcherrimè docet Gregorius Nazianz. orat. 42. *Quamuis permulta illius temporis* (quo passus est Dominus) *miracula fuerint, Deus nempe in Cruce pendens, sol obscuratus, velum scissum, sanguis & aqua è latere profluentes, terra tremore concussa, petræ perruptæ, mortui resurgentes, signa partim ad sepulchrum, partim post sepulchrum, edita, quæ quis est, qui pro dignitate laudare queat? nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est: in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt, atque idem quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes, & constringentes.* In quæ verba sic eiusdem Scholiastes Nicetas: *multa quidem & præclara sunt hæc miracula, sed nullum, cum salutis meæ miraculo conferendum est: Exiguæ enim cruoris guttæ, orbem vniuersum instaurarunt, hoc est, ita innouarunt, vt nouum vitæ iter sectaretur, ac nos in vnum coniunxerunt & constrinxerunt, non secus ac coagulum, si in lac inijciatur, id quod in eo dispersum & fluidum est, condensat, atque in vnum solidum corpus compingit & colligit. Coagulum autem est lacteum illud, quod in ficu est, quoque nonnulli ad condensandum lac vtuntur.*

Sanguis Christi in Eucharistia vim habet coaguli. GREGOR. NAZ.

Sicut

Sicut ficulnea, ad hominum sustentandam vitam composita & nata videtur; Ita etiam Eucharistia.

§. VII.

Ficulnea ad vitam hominis sustentandam est composita: ita & Eucharistia.

1. SEPTIMO, ficulnea ad vitam hominis vegetandam & continuandam tota videtur esse composita & nata. In primis, anno primo quo plantata fructum interdum profert. Vnde Dominus vineæ primo anno quo plãtauerat in ea ficulneam, venit ad eam quærens fructum, non vtique venturus si arbor tunc per naturam fuisset ad fructus ferendos inidonea. Secundò, in fructibus ferendis maximè abundat. Tertiò, fructus eius maximè nutriunt, & insigniter reparant restaurantq; humorem natiuum. Quartò, ficus calidæ sunt & pingues reddunt edentes, vel ipso Galeno auctore libro simplic. medicament. Quintò, apud Plin. legimus lib. 35. c. 29. *Ita ficus ad victus humani commoditatem nata, vt Hypponax poëta vetus eam auro prætulerit.* Sextò, vitalis quædam vis videtur inesse ficulneæ, nam illius cineribus, apes ad vitam reuocari dicuntur: Quàm hæc omnia bellè conueniunt Eucharistiæ, hæc enim instituta, vt ij qui iam viuunt vita gratiæ, in eadem vita alantur & conseruentur.

GALENVS. PLINIVS.

Baptismus est sacramẽtum regenerationis.

2. Pro quo notandum, quòd communis sit Theologorum opinio: Quædam Sacramenta instituta esse ad vitam animabus mortuis dandam, vel ad ipsas regenerandas. Tale est baptisma, quod vocat Apostol. *Lauacrum regenerationis.* De quo etiam ait B. Prosper lib. 1. de vocat. gent. c. 18. *Origo veræ vitæ, veræq; iustitiæ, in regenerationis est posita Sacramento. Quædam etiam instituta, ad animas à morte reuocandas, quale est sacramentum pœnitentiæ, quod est & appellatur Sacramentum mortuorum.*

PROSPER.

Renatis opus est cibo.

3. Sed sufficitne homines esse regeneratos, sufficitne animas esse à morte reuocatas & vita gratiæ donatas? Nequaquam, opus enim est cibo, quo vita hæc conseruetur. *Qui per baptismum regeneratus est*, ait D. Basil. ser. 1. de baptis. c. 13. *participatione diuinorum mysteriorum deinceps nutriri debet. Oportebat*, ait Ioan. Damascen. lib. 4. de fide, *quemlibet hominem, in participationem summi illius boni venire, nouoq; alimento ac natiuitati consentaneo vesci, sicque ad perfectam & plenam mensuram peruenire.*

BASILIVS.

Creaturæ quæ vitam habent indigent alimento.

4. Si consideres varietatem creaturarum, inuenies eas reduci posse ad duos ordines siue catægorias: Earum scilicet quæ esse solùm habent, vel earum quæ præter esse, & vitam habent. Nam omnes creaturæ vel esse solùm habent absque vita, vt elementa & lapides &c. vel esse & vitam simul, vt plantæ, bestiæ, homines, ipsique etiam Angeli. Quæ vitam habent, indigent etiam alimento, quo vita conseruetur, & sicut non paris dignitatis est vita, sic nec alimentum. Aliæ sustentantur ex terra, aliæ ex aqua, aliæ ex herbis, aliæ ex carnibus, &c. Aliæ nobiliori substantia, vt Angeli: habent enim & hi proprium alimentum quo sustentantur vt in Raphaelè Angelo patet Tob. 6. qui dicit se inuisibili pasci cibo. Cùm ergo omnes creaturæ quæ vitam aliquam participant, alimento indigeant, homo autem inter illos annumerandus sit, quis non videt etiam illũ aliquo cibo indigere, ad vitam hanc conseruandam. Trismegist. hominem describẽs, dicit eum esse mirabile vinculum naturæ, cõstat namque corporea, spiritualique natura, corpore & anima, vnde etiam sequitur eum duplici indigere cibo.

Probatur inductione.

Cibus animæ regeneratæ est Eucharistia.

5. Et vt de cibo corporis nihil dicamus, vis scire quis cibus sit animæ præsertim per baptismum & pœnitentiam regeneratæ & innouatæ, & proinde nõ iam vulgari solùm vitâ, sed quadam spirituali, cælesti, imò diuina præditæ? Vis scire quo cibo, hæc animæ vita conseruetur? conseruatur sanè per Eucharistiæ sumptionem, vt pręclarè docet Nicol. Cabasilas lib. 1. de vita in Christo, hisce verbis; *In sacris mysterijs, sepulturam eius adumbrantes, & mortem annuntiantes, per ea generamur & fingimur & excellentissimè cum Saluatore coalescimus. Hæc enim sunt per quæ in ipso vt Paulus ait, viuimus, mouemur, & sumus. Siquidem baptisma quidem esse, & prorsus subsistere in Christo largitur. Id enim mortuos perditosq; cõplexum, primũ in vitam introducit. Sacra autem vnctio, naturam perficit & consummat, actionem tali vitæ respondentem inserens. Diuina deinde Eucharistia vitam hanc & sanitatem continet atque conseruat. Parta enim seruare, & vitam retinere, panis vitæ donum ac munus est. Idcircò hoc quidem pane viuimus, vnguento autẽ mouemur, post quã à baptismo accepimus, vt essemus. Et hoc pacto viuimus vita, à mundo isto aspectabili ad inaspectabilem conuersa, & non quidem loco, sed vita & viuendi rationibus cõmutatis.* Hactenus ille. Qualiter hic cibus charitatem, in qua vita animæ sita, conseruet, vide apud Salmeron, tom. 9. tract. 25 §. *Vt vitam.*

NICOLAVS CABASIL.

Hic cibus charitatem conseruat in qua vita animæ.

SALMER.

5. Qui seipsum priuat hoc Eucharistico cibo, necesse est in mortẽ & interitũ ruat. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. *Vt frigida ad Eucharistiam accessio, periculosa est, ita nulla mysticæ illius cænæ participatio, pestis est & interitus. Ipsa namq; mensa, animæ nostræ vis est; nerui mentis, fiduciæ vinculũ, spes, salus, lux & vita nostra.* Et qui diutius à cõmunione abstinent facilè in peccatũ labi læthale benè obseruauit D. Cyril. Alex. l. 3. in Ioan. c. 37. *Sciant*, ait, *baptizati homines, & diuinæ gratiæ partici-*

Qui se priuat hoc cibo, necesse est, vt in mortem ruat.

CHRYSOS.

Qui diutius hoc cibo abstinet facilè in peccatum cadit.

CYR. ALE.

DAMASC. *Ijs*, ait Damascenus l. 4. c. 14. *qui Sacramentum hoc per fidem dignè suscipiunt, in peccatorum remissionem, & vitam æternam, animique & corporis præsidium cedit, omne incommodum propulsat.*

Eucharistia pellit morbos corporales. 14. Eucharistiam etiam pellere & arcere morbos corporales est extra controuersiã. Scribit D. Gregor. Nazia. orat. 19. in funer. NAZIAN. patris, patrem suum ardentissima & diuturna febri exhaustum sumptâ Sacrâ Eucharistiâ conualuisse, ac subiungit idem miraculum, matri suæ aliquantò pòst contigisse, idem in funere Gorgoniæ sororis suæ scribit, illam ad S. Eucharistiam orantem, à membrorum omnium dissolutione, ac grauissimis cruciatibus, quibus angebatur, sanitati, sibique restitutam.

Consultum medico corporali, vt infirmo persuadeat confessionẽ, & Eucharistię sumptionem. Itaque maximè consultum medicis corporalibus, vt si velint in curandis ægrotis, fæliciter sibi omnia euenire, ac succedere, moneat infirmos quamprimum, à peccatis sese expurgare, & deuotè Eucharistiam sumere, præponentes omnibus suis remedijs, ipsam Eucharisticam escam. Vnde bonum & pium medicum depingens, siue FORTVN. exhibens Fortunatus lib. 1. medicinæ cap. 4. sic ait: *Quamobrem imprimis sit medicus in quo non solùm eximiam medendi peritiam agnoscant omnes, sed etiam probent Religionem. Nihil enim infaustè, nihil non ex animi sententia illi continget, qui tam fælicissimo auspicio, medica opera aggredietur.* Et S. Bernardin. tomo 4. BERNAR. SENEN. serm. 44. hæc scribit: *Boni medici fecerunt me prædicare, vt infirmi corpus Christi recipiant, quia euenit, quod aliter faciendo, medicus sæpe remanet vituperatus.* Et eodem loco docet, hinc maritum facilè agnoscere an diligatur ab vxore, & an vitam longiorem illi exoptet, si eundem sollicitet & stimulet ad Sacramẽti huius susceptionem: *Volo*, inquit, *vos docere, quando vxor vestra vos diligit, quandoque odit, cupitque vos emori, vt alterum accipiat. Si non curat tempore Quadragesimæ & Paschæ, quod tu accipias corpus Christi, ac non stimulat neque sollicitat te, vt illud sumas, est signum, quod vult te mori: ratio est, quia citiùs morieris.*

Vnde agnoscat maritus an diligatur ab vxore.

Eucharistia arcet incantationes. 15. Eucharistiam etiam arcere incantationes & præstigias dæmonum luculenter demonstrari potest ex vita S. Abbatis Macarij Ægyptij & Macarij Alexandrini apud Surium 2. Ianuarii, vbi hæc refertur historia ex Cassiano col. 19. cap. 4. & CASSIAN. RVFFIN. Ruffino lib. 2. cap. 28. Ægyptius quidam libidinosus, captus amore cuiusdam mulieris ingenuæ, quæ viro nupserat, cùm non posset eam inescare propter pudicitiam & castitatem erga suum maritum Parthenicum, conuenit improbus præstigiatorem, dicens: Aut eam incita vt me amet, aut arte tua effice, vt eius maritus eam dimittat. Cùm ergo præstigiator satis ab eo accepisset, vsus est suis præstigijs & incantationibus: & cùm non posset eius animum mouere vt ei assentiretur, effecit vt videretur equa ijs quæ eam intuebantur. Cùm ergo foris venisset eius maritus, aspexit vxorem suam in forma equæ: cumque in suo lecto cubuisset, alienum ei videbatur quod in suo cubili equa iaceret. Flet ergo eius maritus & lamentatur quòd rem non inueniat: & quòd existimans se alloqui bestiam, responsum non assequatur, præterquam quòd solummodò eam videbat irasci. Vndè magis angebatur animo, cùm intelligeret eam esse suam vxorem: curiosis autem hominum artibus esse mutatam in equam. His de causis accersit vici presbyteros, & domum adducit, & eis eam ostendit: sed nec ij cognouerunt calamitatem, quæ eis acciderat. Tribus ergo diebus, neque fœnum comedit vt equa, neque panem vt homo, vtroque alimento priuata. Tandem vt Deus glorificaretur, & videretur virtus S. Macarij, ascendit in cor mariti eius, ducere eam in solitudinem ad Sanctum virum: & cùm eam capistro ligasset, vt equam, duxit in solitudinem. Dum autem appropinquassent, steterunt fratres prope cellam S. Macarij, cum eius marito contendentes: cur huc adduxisti hanc equam? Is autem dicit, vt misericordiam consequatur sancti oratione: Illi verò dicunt ad eum: Quid mali habet? Ille eis dicit: Quam videtis equam, ea misera est vxor mea: neque scio quemadmodum mutata sit in equam, & iam sunt tres dies ex quo nihil comedit. Illi autem cùm hæc audissent, referunt ad seruum Dei Macarium, eo iam intus pro illa orante: ei enim Deus reuelauerat, ipsis ad eum venientibus, & ideo orabat, vt sibi declararetur causa propter quam hoc euenerat. Respondit autem S. Macarius fratribus, qui ei renunciauerant: Adduxitne aliquis huc equam? Dicunt: Ita. Is verò ijs dicit: equi vos estis, qui habetis equorum oculos: illa enim est fœmina, ita vt est creata, sed sic solùm apparens oculis eorum, qui sunt decepti. Quæ cùm esset adducta, àquamque benedixisset, & in eius nudum caput infudisset, super eius caput est precatus: statimque effecit vt omnibus videntibus videretur Fœmina. Cùm autem iussisset ei cibum afferri, iussit comedere, & eam sic curatam dimisit cum suo marito, Deo agentes gratias. Eam autem admonuit vir Dei, sic dicens: Nunquam Ecclesiam deseras, nunquam abstineas à communione Christi Sacramentorum, hæc enim tibi acciderunt, quod iam quinque hebdomadis non accessisti ad intemerata nostri Saluatoris Sacramenta. Hæc Surius.

acquiritur splendor, quàm mediante deuota communione?

Cor sursum erigunt.

9. Sextò, lilium sursum folia erigit, etiam inter nimbos & grandines. Ita per eucharistiæ sumptionem Christianus, cor in cælum ad Deum erectum habet tam in aduersis, quàm prosperis.

Maximam spem concipiũt salutis.

10. Septimò, lilium symbolum est spei; hinc in imperatorum Rom. nummis in altera parte visitur Deus dextera lilium protendens, cum hac inscriptione: *Spes publica*, vel *Spes augusta*, vel *Spes pop. Rom.* teste Pierio hierog. lib. 55. Vnde & Virgil. significans spem de Marcello conceptam, sic de illo canit 6. Æneid.

Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet auos.

Et mox,

Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis.

Ita & Christianus per deuotam Eucharistiæ sumptionem maximam spem concipit salutis. Quos Deus taliter pauit, an non saluabit? Audi Chrysostomum lib. 6. de Sacerdotio. *Quidam mihi narrauit, nō ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quòd qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi, cum pura ac munda conscientia, fuerint participes, spiritum efflaturi, ab angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum, hinc rectà in cælum abducuntur.*

Chrysos.

Radijs diuinæ gratiæ irradiantur.

11. Octauò, sicut lilium expositum est radix solis corporei, ab ijsque expectat & haurit spiritum, vitam, decorem, & omne bonum, illis enim vegetatur & viuificatur: ita & vir bonus, deuotè suscipiens Eucharistiam, radijs diuinæ gratiæ iugiter irradiatur, ijsque alitur & augescit, ab ijs omne sperat & consequitur bonum.

Florent in medijs tribulationibus.

12. Nonò, lilium floret inter spinas: sic Christianus Eucharistiā munitus, floret in medijs laboribus, tribulationibus & angustiis, imò in ipsa lætatur morte. Quis enim iam metuat sibi mortem, dum cælestem cibum à Domino accipit præparatum? Aiebat Paulus ad Roman. 8. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* ex his Augustinus serm. 4. de natalitijs Martyrum, conemtptum mortis vult persuadere Christianis ex dono accepto à patre, aiens: *Terret te fremitus mundi, cui donatus est artifex mundi? Christum nobis donatum esse gaudeamus, & nullos in hoc seculo inimicos timeamus.* Nosce homo diuinum donum, nosce mensam paratam, disce mortem non timere, cur enim mortem timeas, cùm vitæ authorem, tibi datum accipias?

Avgvst.

13. Sed quales sint futuræ huius lilij radices non absque consideratione prætereundum; postquam enim dixisset, *germinabit sicut lilium*, mox subiungit, *erumpet radix eius vt libani.* Si instar lilij germinet, deuotè suscipiens Eucharistiam, qualiter radicem habet cedri crescentis in Libano? Quid lilio cum cedri radice? multum per omnem modum, nisi enim lilium hoc spirituale habeat radicem cedri, non est magni momenti quod ad tempus pulcherrimè germinet, floreat & crescat. Voluit propheta significare virtutes illas, quæ mediante hoc sacramento nobis conferuntur, non facilè labefactari, non facilè deficere, vel marcescere: non enim cedunt aliquibus malis, quantumuis grauibus eas pulsantibus. Vnde quidam sic legit: *Stabilietur radix eius.* Hebræa & Septuag. habent, *Mittet* vel *projciet radices suas.* Id est, profundè eas in terra quaquauersum sparget, & firmabit, nimirum more cedri atque aliarum arborum Libani, quæ cùm sint excelsæ ac vastæ, ac ventorum flatibus agitentur, profundè iaciunt radices. *Mittemus radices nostras*, ait Hieron. *sicut arbores libani, quæ quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, vt nullæ tempestate quatiantur, sed stabili mole diu consistant.* Et cum hoc sensu & interpretatione, etiam conuenit nostra trāslatio: *erumpet radix eius, vt Libani,* quia radix non tantùm in germina, sed & in fibras suas erumpere dicitur. Cùm enim ipsa quæ priùs videbatur arida & emortua vim vitalem & vegetantem in se latentem foras emittit, & in fibras, quibus se in terra spargat & figat, exerit, erumpere dicitur. Constantia ergo eorum non immeritò his verbis signatur qui dignè communicant, & in omni virtutum genere continua perseuerantia, quæ immota manet aduersus omnes insultus, prout hac similitudine vtens pulchrè canit Virgil. 4. Æneid.

Virtutes eorum non facilè marcescunt.

Constantes sunt in bono.

At vbi annosam, valido cum robore quercum
Alpini Boreæ, nunc hinc, nunc flatibus illinc
Concutere inter se certant, it stridor, & alta
Consternant terram, concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendit.
Haud secus assiduis hinc atque hinc heros
Tunditur, & magno præsentit pectore curas
Mens immota manet, lachrymæ voluuntur inanes.

Potest autem non incongruè per hanc profundam radicem, etiam significari profunda illa humilitas, ac singularis quædam animi demissio, quâ gaudent fideles si dignè communicauerint.

Profunda donantur humilitate.

14. Florens etiam hæc fidelium vita signatur in oliua. *Et erit quasi oliua gloria eius,* quasi dicat: erit anima fœcunda, speciosa & gloriosa instar oliuæ frōdibus & fructibus vndique circumdatæ & quasi coronatæ. Hæc enim est gloria oleæ. Signatur ergo hìc imprimis fœcūditas bonorum eorum, qui hoc tritico viuunt. Oliua quoque symbolum pacis est: Signatur ergo etiam hic interna illa pax dignè communicantium. Oliua quoque symbolum misericordiæ, signatur ergo etiam hac similitudine quod erunt

Florent instar oliuæ.

Sunt fœcūdi, pacifici, misericordes, mansueti, obedientes, concordes.

erunt maximè misericordes. Oliua etiam symbolum mansuetudinis. Significatur ergo quòd suaues erunt, mites atque mansueti. Oliua symbolum deditionis, obedientiæ, concordiæ: significatur ergo quòd sese submittant, sintque obedientes, concordes, & pacifici, quæ omnia sic breuiter perstringe, quia suo loco de oliua longè lateque nobis agendum, de odore pauca dicenda.

Exhalant suauem odorem.

15. *Et odor eius vt Libani.* Sunt sicut mons Libani, qui omnibus odoriferis herbis, floribus & arboribus erat abundans, vnde suauem vndique exhalabat odorem, sic dignè hoc triticum sumentes abundabunt virtutum & perfectionũ omnium floribus, quarum suaui odore omnes mirè recreabunt, vt de quolibet eorum dicere meritò possit Christus: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

16. *Odor eius vt Libani.* Libanus Hebraicè significat thus. hinc Chaldæus vertit: *Odor eorum erit odor incensi aromatum.* Et S. Hieronymus conformiter sic interpretatur hunc locum. *Et habebimus*, ait, *odorem quasi Libani*, vel, *thuris*, quod est genus thymiamatis, odori thuris similes fore memorantur ob eximiam & singularem sanctitatem & perfectionem, cuius thus symbolum est, quia simplicissimus & minimè compositus est eius odor; hæc autem perfectio thuris, odori comparatur: Etenim sicut thus in Arabia, ex quadam arbuscula inter inaccessas rupes nascitur, ita hic virtutum odor, si perfectissimus esse debet, rarissimus est. Deinde sicut thus per incisionem corticis illius arbusculæ in feruentissimo solis ardore colligitur: ita etiam virtutum perfectio, non nisi per incisionem arboris, id est, mortificationem carnis, & in ipso solis ardore, id est tribulatione acquiri consueuit. Adhæc arbusculæ illius cortex lauri folio est similis. Quia qui ad hunc virtutum odorem attingit dignus profectò est qui lauro coronetur.

HIERON.

Odor thuris suauissimus.

17. *Odor eius vt thuris*, q. d. Virtutis eius odor gratissimus est Deo. Odor thuris inter omnes odores simplices, gratissimus Deo in scriptura sacra describitur cùm semel sponsa, vt D. Gregorius annotauit, ad sponsum dixisset: *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, quasi volens exprimere quisnam iste esset odor, qui omnium aromatũ odores superat, statim subintulit: *Odor vestimentorum tuorum, quasi odor thuris.* Vnde illis tantummodo sacrificijs thus voluit Deus adiungi, quæ sibi certissimè erant grata. Hac de causa in sacrificio primitiarum iubebat oleum & thus imponi, *quia oblatio Domini est* ait Leuit 2. id est, quia est oblatio Deo grata. Additque sacrificium primitiarum ita offerendum, vt ex primitijs & oleo, pars aliqua adoleretur à sacerdote, reliquũ in ipsius sacerdotis vsum cederet, thus autem totum coram Deo cremaretur, Leuit 2. *Adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti & olei, & totum thus.* Tam gratus illi erat thuris odor, vt totum thus sibi vellet offerri. Similiter de panibus propositionis ait: *Pones super eos thus lucidissimum.* Idcirco etiam Oseas Propheta exprimere volens quàm grata esset futura illa anima, quæ sæpe vescitur hoc tritico Eucharistico, ait, *odor eius vt Libani.* Vox autem Hebræa vt D. Hieronymus annotauit & Libanum montem & thus significat, quo mons Libani maximè abundat, ideoque alij transferunt. *Odor eius vt thuris.* Thuris enim odor mundus, impollutus & ideo gratissimus iudicatur.

GREGOR.

18. *Odor eius vt thuris.* Possumus etiam ex hac verborum formula colligere, inter alios effectus, quos hoc cæleste triticum operatur, non esse vltimum, continuam quandam Dei memoriam atque perseuerantem quãdam & indefessam orationem. Thus symbolum orationis est, hinc Dauid Ps. 140. *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*, & huc spectare videtur Theophylactus dum hunc locum explicans sic ait. *Significatur enim qui seipsum offert Deo mente & spiritu orans instar Libani fragrantiam suauis odoris habere.* Pulchrè & clarè D. Gregor. Cant. 3. *Sancta anima*, ait, *quasi thuribulum cor suum coram Deo facit* &c. huic animæ illud congruit Cant 4. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Semper enim odoré thuris, id est, orationis exhalat. *Bene odor vestimentorum eius*, ait D. Gregorius eodem cap. *sicut odor thuris esse perhibetur, quia in omnibus operibus suis orat, dum perueniendi ad cælestia intentione, ea quæ potest, bona operatur. &c.*

Continuam habent Dei, in thure significati memoriam.

THEOPH.

GREGOR.

19. *Odor eius vt thuris.* Thus etiam symbolum diuinitatis. Vnde Magi Christo recenter nato thus obtulerunt, hac ratione protestantes, se in paruis illius mẽbris latentem diuinitatem venerari & adorare. Qui sæpius dignè hoc vescitur cibo, quem emittit odorem? nónne odorem quendam Christi & Dei, vt dicere possit: *Christi bonus odor sumus Deo.* In intellectu est odor thuris, id est, Dei, dum illum studet magis magisque cognoscere & in eius notitia quotidiè magnis passibus progredi, in memoria est odor thuris, id est, Dei, dum Deum prouidet in conspectu suo semper: in voluntate est odor thuris, id est, Dei, dum illa firmiter Deo adhæret, cantans cum Dauide *mihi autem adhærere Deo bonum est.* In omnibus operibus eius est odor quidam Dei, dum in illis nihil attendit, nisi solius Dei gloriam, sed præsertim in illius intentione odor est Dei, dum vnicum Deum tanquam scopum, & finem omnium actionum suarum præ oculis habet, & vita hæc tam suauis tam læta, tam florida vnde ortũ habet? non aliunde quã quod fideles viuant tritico & sæpius sumant corpus Christi sub specie panis triticei nobis exhibitum.

Emittunt quendam odoré Dei, & Christi.

20. Vi-

Replentur bonorum omnium copia.

Cornel.

20. *Viuent tritico*, LXX. vertunt: *Bibent & inebriabuntur tritico*. In quæ verba sic Cornelius. Triticum enim bibitur, in potu, ex eo confecto, puta in ceruisia, quâ Transalpini, vt vino, deliciantur & inebriantur. Triticum ergo eis est cibus & potus æquè ac Eucharistia fidelibus. Vnde S. Hieronymus exponens Septuag. *Bibent & inebriabuntur tritico, hoc est*, ait, *rerum omnium abundantia. Quòd autem ebrietas hîc non euersionem mentis, sed copiam rerum omnium significet versiculus ille declarat dicens: visitasti terram & inebriasti eam.* Ps. 65. *& Ioseph conuiuiū, in quo inebriasse dicitur fratres suos* Gen. 43. *Et Dominus loquens ad Apostolos: Comedite amici mei & bibite & inebriamini fratres*, Cant. 5. *Siue, quia Dominus noster ipse est frumentum & vinea, quicumque crediderit in eo, inebriari dicitur, &c.* Eucharistiæ ergo effectus vnus è multis est, vt ex ea fideles fiant spiritualiter ebrij iuxta illud Ps. 22. *Calix tuus inebrians quàm præclarus est?* Et Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*. Vbi S. Augustinus: *Hoc calice*, ait, *inebriati erant martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium quàm non agnoscere vxorem flentem, non filios, non parentes? Nolite mirari, ebrij erant. Vnde ebrij erant? Videte, acceperunt calicem vnde inebriarentur.* Idem in Ps. 103. ad illa verba, *Et vinum lætificet cor hominis, Videbitur*, ait, *ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore iustitiæ, videbitur postremo in alienatione mentis vestræ, sed à terrenis in cælum &c.* Complutenses legunt, *firmabuntur*, vel *confortabuntur tritico*.

Hieron.

August.

Maxima pulchritudo & florentissimus status ex hoc cibo.

Hieron.

Florentem ac pulchram vitam, quam causat Eucharistia, etiam ex alijs scripturæ locis rimari possumus. Propheta Ezechiel cap. 16. postquam miram descripsit animæ iustæ pulchritudinem, eam reijcit in alimoniam hanc diuinam sub imagine similæ, mellis, & olei nobis insinuatam. *Similam, ait, & mel, & oleum comedisti, & facta es decora vehementer nimis.* In quæ verba sic D. Hieronymus. *Qui talem comedit cibum & hoc dulcissimo, ac suauissimo pane, oleique splendore fulgente pastus fuerit ac nutritus, vertetur in decorem, & fiet pulcherrimus non semel, sed repetito nimis, nimis, duplicatum enim aduerbium pondus facit orationis, quod pulchritudinis magnitudini, addi vltra non posset.*

Vt cibus corporalis confert ad augendam pulchritudinem corporis, sic hic cibus perfloridam reddit animam.

Clemens Alexan.

Quantum cibus & potus sanus atque temperatus conducat, ad augendam pulchritudinem corporalem, quæ in coloris suauitate ac rubore præcipuè consistit, sic docet Clemens Alexand. pædag. lib. 3 cap. 11. *Ad ornatum secundum naturam, magno prædita est artificio, potus temperati & cibi commendatio. Ex eo enim quod est ignitum, fulgor & splendor accedit; ex humido autem nitor, & gratia; ex sicco autem virtus & stabilitas: ex aëre autem spirandi facilitas, & par æquilibrium ex quibus pulchra hæc verbi, seu rationis statua est ornata: Sanitatis autem liberalis flos est pulchritudo; Sanitas enim intus operatur, exterius autem efflorescens pulchritudo bonum colorem manifestè ostēdit.* Sic ille. Sicut cibus & potus corporalis, vim habent ad inducendā pulchritudinem externam, ita Spiritus S. gratia, quæ in hoc sacramento abundè confertur, maximam vim habet vt perfloridam & perpulchram reddat animam: Audi eundem Clementem loco cit: *Illa est optima pulchritudo animæ, quando fuerit ornata Spiritu sancto, & ijs, quæ ab eo oriuntur inspirata lætitijs, iustitia, prudentia, fortitudine temperantia, bonorum amore, & pudore, quo nullus color vnquam nitidior visus est.*

Anima ex hoc cibo maximè decora.

Cant. 6. legimus sponsum considerata animæ pulchritudine exclamare: *Quàm pulchra es, & decora charissima in delicijs.* Sed vnde animæ tanta species, tanta pulchritudo, tanta venustas, quæ trahit & in admirationem rapit ipsum Deum? Respondet Diuus Thomas opusculo 58. cap. 26. *Delicato cibo & potu corporis Christi & sanguinis nutrita, facta est multum decora, & idcirco grata Deo & chara.*

D. Thom.

Ex vino Eucharistico summa pulchritudo.

Damasc.

Legimus Cant. 2. animam dicere: *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Et paulò inferiùs legimus Sponsum, tanto eam videndi desiderio exarsisse, vt dicat: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Vnde precor tanta nata est ipsi pulchritudo, nimirum, ex vino Eucharistico. *Anima*, ait Ioan. Damasc. ser. 2. de Natiuit. Mariæ. *Christo desponsata, in Cant. ait: Introduxit me rex in domum vini, quod perinde est, ac si diceret: Introduxit me in domum ecclesiæ, in qua poculum salutaris lætitiæ agni sanguine temperatum præponitur. Quæ postquam in eam ingressa est, ostende mihi, inquit, faciem tuam.* Sic ille. Vino corporali forma perit, vino corrumpitur ætas, vt canit Poeta, sed longè alia ratio est vini huius mystici, etiam virgines germinantis, nam hoc vinum sponsam sine macula & ruga constituere solet. Vnde S. Paschasius expendens verba illa Zachar. cap. 9. *Quid bonum, aut quid pulchrum eius, sic scribit: Notandum, quòd nonnisi electorum est cibus, ex quo bonum salutis ecclesiæ & pulchritudo decoris præstatur, quia etsi quotidie sordescit, quotidie reparatur, vt sponsa Christi sine macula & ruga, talibus inueniatur respersa muneribus.* Et Chrysost. hom. 61. ad pop. *hic sanguis pulchritudinem, atque nobilitatem animæ, quam semper irrigat & nutrit, languescere non finit.*

Pascha.

Ex hoc cibo mystico renouatur senectus spiritualis.

Petrar.

Ad vitam hanc florentem, quam accipimus ex Eucharistia referri etiam possunt verba illa Ps. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Sed quomodo fiet istud, ô Sancte Dauid! De senectute fatus Franciscus Petrarcha, ait: *Pauper certè diuitias optare potest, libertatem seruus, speciem deformis, sanitatem æger, fessus requiem, exul reditum: at iuuentam optare verus senex nequit, puerile potiùs votum est.* Sic ille. Quomodo ergo ait Dauid: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua? non de renouatione sene-

senectutis corporalis loquitur Dauid, sed de spirituali, quæ accidit per cibi Eucharistici sumptionem, hic cibus iuuentutem adducit ac facit reiuuenescere animā. *Ama mysterium*, ait Greg. Nyss. orat. aduersus eos qui differunt &c. *quod eo modo qui non cadit sub aspectum, veteres transmittit ad iuuentutem.*

NYSSEN.

Introibo, ait Regius vates Ps. 42. *ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam*, vt nimirum in virore & flore semper conseruetur animæ iuuentus & florida ætas, *Vinum*, ait Cælius, *à Deo hominibus cōtributum Plato scribit, quasi remedium aduersus senectutem.* Vis efficacissimum remedium ad effugiendam & longè repellendam turpissimam animæ senectutem? redde tibi familiarem sanguinis Christi deuotam sumptionem.

Hoc vinum lætificat iuuentutem spiritualem & in vigore eam conseruat.

Quid mirum quòd floridam vitam expertantur, qui Christum in Eucharistia sumunt, cùm Christus licet in passione aridus, in ipsa tamen Eucharistia totus est floridus, cùm, inquam, Christus flos sit, omnia quæ attingit noua & florida reddens atque reuiuiscere faciens.

Christus in passione aridus, tamē in Eucharistia floridus, & ideo non mirū quod floridam confert vitam.

Nónne Sanctus ille Simeon dum venit in templum planè senex atque annosus erat? Et tamen de eodem legimus Lucæ cap. 2. *Et ipse accepit eum in vlnas suas.* Vnde huic seni decrepito tantæ vires, vt puerum contineat vlnis pectori affigat, præ gaudio exultet, & clamet: *Nunc dimittis* &c? *Mox*, ait S. Bernar. *vt puerum attigit, fugit senectus, & iuuenilis vigor affuit atque fortitudo, & qui seipsum vix ferre poterat, nunc leuiter ferens puerum exultat.* An mirum quòd illi qui deuotè Christum in Eucharistia de manibus sacerdotum accipiunt & pectore totum hauriunt, deponant animæ vetustatem, renouentur & reiuuenescant?

Simeon dum accepit Christum in vlnas, fugit senectus, sic etiam &c.

BERNARDINVS.

In crucem Christi sponsa oculos conijciens, ait Cant. 1. *Lectulus noster floridus*, hæc enim est lectulus Christi, de quo dicit Dauid in persona Christi: *Ego dormiui & soporatus sum.* Sed quomodo crux ex arido ligno composita potest dici florida? Nónne cùm esset mortis acerbæ & ignominiosissimæ instrumentum, præstaret illam nominare arentem & pallidam? Florida nominatur ob Christum florē campi, quem suscepit, quique proprio cruore illā aspersit & floridam reddidit: Audi Hug. Car. *Lectulus dicitur floridus, non solùm quia flos campi & liliū conuallium exornauit illum, sed quia ipsius sponsi sanguine rigatus, ad fructū nostræ salutis floruit, aridus enim & horribilis fuerat ante lectus iste, & post quam ei insertus est flos campi floridus factus est, & qui prius erat locus mortis, factus est locus vitæ.*

Crux florida quia Christi sanguine rigata.

HVGO CARD.

Legimus Matt. 27. *Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo.* In quæ verba sic Paschasius. *Inuoluit in sindone munda. Narratur munda fuisse, quia dignum erat vt dignissimum corpus Domini mūdo inuolueretur in linteo. Sed corpus Christi magis præstabat munditiem, quàm illud in quo inuolutum erat, quia quæcumque tangebat auctor vitæ, omnia fiebant munda & noua.* Si floridam attactu suo reddat Christus aridam & horridam crucis arborem, si mūda & noua reddebat linteamina, quibus ipsius sacrū inuoluebatur corpus, an non fatebitur, quòd floridam reddat animam totum Christum in Eucharistia suscipientem? qualiter Eucharistia floridam reddat animam, & omnem ab ea arceat senectutem, vide quædam non contemnenda apud Piña tom. 2. in Eccli. etholog. 589. fol. 963. & ethol. 590.

Quæcumq; Christus tangebat, omnia fiebant noua.

PASCHAS.

PIÑA.

Qui autem hac sese priuant Eucharisticâ escâ, necesse planè est vt veterascant & arescant. Iob c. 8. *Nunquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua?* Etiamsi aliæ herbæ quandoque nascantur in locis siccis & aridis, nihilominus scirpus, & id genus alia non consueuerūt nasci, nisi vbi sit copia humoris. Et pietas & virtus scirpi naturam quodammodo induunt, atque adeò arescunt, nisi ad Eucharistiam accedas, in qua sanguine Christi irrigamur. Hoc dixerim ex Hug. Card. in c. 6. Ioan. cuius verba subscribo: *Quinta causa est, quia tales à fonte plenitudinis gratiarum se diuidunt, & ideo non est mirum si arescunt* Iob 8. *Nunquid potest virere scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua?*

Qui hac se priuāt escâ, necesse est vt senescāt.

HVGO CARD.

Neque arescunt solùm & vetustatem incurrunt, sed etiam bestiarum imaginem assumunt, dum enim se priuant hac esca, sanctitatis se pabulo priuant, qua deficiente homo bestijs inferior redditur Ioel. 2. *Filij Siō exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ:* LXX. legūt: *Quia dedit vobis escam sanctitatis.* Laurent. Iustin. de regim. prælat. c. 21. vocat Eucharistiam, *Pabulum sanctitatis.* Hoc pabulo deficiente quo cōseruatur sanctitas, homo plus dici potest bestia, quam homo, imò dici bestijs inferior. *Naturæ prærogatiuā*, dicit Ambros. in Ps. 118. octon. 19. *plus bestijs sumus, sed inferiores diminutione gratiæ, & præuaricatione iustitiæ.* S. Bonauent. tractans de necessitate huius Sacramenti, sic ait: *Tolle hoc Sacramentum ab Ecclesia, & quid erit in mundo nisi error, & infidelitas, & populus Christianorum erit velut grex porcorum.*

Qui hac se priuāt escâ bestiarum imaginem assumunt.

LAVREN. IVSTIN.

AMBROS.

21. Vt autem florentem hanc vitam conferat tibi Eucharistia, scias te quoque dum ad illam accedis floridum debere esse virtutibus. Cur putas Deum iussisse, vt in mense Nisan, hoc est in mense Aprili quotannis celebraretur Paschale conuiuium, quod vmbra quædam & figura erat huius nostri Eucharistici conuiuij? Audi Rupertum lib. 2. in Exod. cap. 5. *Sed & ipsa mensis Nisan, id est, Aprilis verna temperies, cùm tellus reflorescit, totusque post hyemem, quasi post senium iuuenescit orbis, nónne sensatum hominem docet, quatenus renouatus spiritu mentis suæ fide viridis, spe lætus & charitate floridus Paschalis agni epulis intersit spiritualibus.*

Vt floridam haurias vitā ex Eucharistia, floridus ad eam accedere debes.

RVPERT.

22. Le-

Vt nouellæ oliuarum huic mensæ assistere debemus.

22. Legimus Psl. 127. *filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ:* Ecce quales velit esse Dauid eos qui huic assistunt mensæ. Non vult esse grandæuas oliuas, sed nouellas, grandæua enim iam oliua solet vetustis folijs aliquibus sordescere, in oliuarum autem nouellis, nec folium vetustum, nec sordes aliquæ apparent. Ex quo sic monet D. Chrysost. ho. 3. in ep. ad Ephes. inquiens: *Qui salutari compunctione atterit corda mortalium, ipse corda vestra compungere dignetur, vt à timore eius promereamini concipere, simul & parere Spiritum salutis, & cum omni fiducia ad mensam Dominicam accedere. Filij enim tui, ait scriptura, sicut nouellæ oliuarum sint in circuitu mensæ tuæ. Nihil hic vetustum, nihil immite, nihil acerbum. Tales enim nouellæ plantulæ, ad proferendam frugem bonam, accommodatæ sunt & opportunæ. Sed & fortes & vegetæ sunt, ita vt omnes consistant in circuitu mensæ salutaris.* Vide quædam huc spectantia apud Baeza tom. 2. de Christ. fig. lib. 5. c. 26. §. 9.

CHRYSOS.

Qualiter Caro Christi viuificet animas, explicatur.

§. IX.

Qualiter caro Christi conseruet vitam spiritualem.

26. SEd dices, qualiter suprà relata possunt fieri per carnem Christi? qualiter illa vitam potest conseruare spiritualem? An carne quid est debilius? Quid insuper in sacris litteris magis reprehenditur quàm caro & sanguis? Vix his nominibus vtitur Spiritus sanctus, nisi ad imbecillitatem & ignorantiam, ac interdum ad culpam significandam. Hinc tam displicuisse Deo carnem & sanguinem cernimus, vt non aliam ipse assignauerit causam, nisi carnis, quod in homine permanere nollet, Gen. 6. *Non permanebit*, inquit, *spiritus meus in homine, quia caro est.* Isaias cap. 40. carnem vocauit fænum. *Omnis caro fænum*, & Ioannes cap. 1. hoc etiam nomine filios Dei à cæteris distinxit, *qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Et Petro confitenti Christum esse filium Dei, respondet ipse Mat. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi.* Carnem etiam & sanguinem gentium Apostolus Paulus à regno cælorum repellit inquiens 1. Cor. 6. *Caro & sanguis non possidebunt regnum Dei.*

27. Sed respondetur, quamuis omnia hæc verificentur de communi carne mortalium, longè aliam esse rationem de carne Christi, vnde non cuilibet carni, sed suæ tribuit Christus vim viuificandi. *Qui manducat*, ait, *meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Nam cùm diuinum verbum sit Christi carni vnitum, virtutem carni eius communicat, vitam dandi, eam manducantibus, vt S. Cyrillus lib. 4. Ioan. cap. 12. & 14. testatur his verbis. *Viuificatiuum Dei verbum vniens seipsum propriæ carni fecit ipsam viuificatiuam*, & cap. 24. addit: *Si enim mel cùm naturaliter dulcescit, ea dulcia facit quibus immiscetur, quantò magis viuifica Dei natura dedit homini, in quo habitat, viuificandi virtutem.* Quemadmodum enim Deus, per amici sui vmbram, vel tactum, sanans ægrotos magis suam explicat potentiam, quàm si per se absque alio medio sanaret: sic in hoc sacramento per Christi carnem præbens vitam humanæ menti, multò magis Dei potentia commendatur &c.

Diuinum verbum, Christi carni vnitum vim illi præstat animas viuificandi.

28. Caro quidem humana secundum se considerata planè mortalis est & venenosa, sed assumpta à verbo viuifica facta est, & salutaris. De vnicornio refert Cardanus libr. 10. de subtil. miranda, vtpote quòd nascatur in Ethiopia, moretur in horridis locis atque desertis, nutriatur in aridis filuis, in quibus languent herbæ, non vestiuntur frondibus plantæ, non ornantur floribus rami, non coronantur fructibus arbores, non erumpunt fontes, non flumina manant, non riui decurrunt, non stagna intumescunt, ipsa terra arida & sicca, tantùm producit copiam serpentum, qui plantas omnes veneno inficiunt, aquas, cæteraque omnia veneno perfundunt, adeò vt animalia omnia hausto ac sumpto venenato isto cibo & potu videantur quasi fulmine percussa & breui tempore consumenda, verùm malis hisce omnibus prouidit natura, idque per vim, energiam, & efficaciam, quam contulit vnicornio, cuius cornu est instar regalis cuiusdam antidoti contra vniuersa venena: Format vnicornium imprimis regiam suam inter ob longos arborum ramos, speciali quodam naturæ priuilegio, frondescentes pulchrè inter se tum industriâ vnicornij, tum ab ipsa natura aptatos & concinnatos. Viridia gramina, siue germina, oblongo suo ac pretioso cornu, tanquam falce reserat, & manipulis inde formatis atque in humeros sublatis, recipit sese in suam regiam, inuitans reliquas bestias; quæ gaudentes turmatim accurrunt & absque aliqua mali suspicione ad saturitatem vsque deuorant herbarum illarum manipulos, nam virtute ipsius cornu, quo sunt resecatæ & tactæ, factæ sunt salutiferæ & à veneno expurgatæ & quod antea erat lethiferum, iam mutatum in optimum pastum, & quod mortem operabatur, confert vitam. Idem cornu suo operatur vnicornium in aquis, quas primus intrat, & eas cornu suo regio tangens, planè immutat, ita vt quæ erant felleæ, fiant melleæ; quæ amaræ fiant dulces; quæ morta-

Caro humana secundum se considerata mortalis, sed assumpta à verbo viuifica facta est.

Hæc veritas elucidatur similitudine desumpta ab vnicornio.

CARDANVS.

Vnicorniū cornu suo tangens aquas & herbas, ex venenatis reddit eas salutiferas.

les fiant vitales. Taliter operâ ſerpentis infernalis infecta erat caro humana in deſerto huius mundi, in quod relegati ſumus, ob peccatum primi parentis, vt verè dicere potuerit Moyſes Geneſ. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Et ſi iuxta medicorum commune placitum iiſdem nutrimur quibus & conſtamus, carne quâ formati ſumus & vnde conſtamus, veneno infecta, certè deerat homini cibus nutrimẽto ſuo maximè conueniens, vnde quilibet mortalium conquerebatur dicens: *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Ecce in remedium tanti mali apparuit in deſerto huius vitæ filius virginis, dilectus quemadmodum filius vnicornium, & cornu regio ſuæ potentiæ & ſapientiæ infinitæ, cibum nobis quaſi præſcindit & porrigit. Aufert enim ſubſtantiam panis in hoc Sacramento, & vi ſuæ vocis, præſentem exhibet ſuam carnem, eamq́ue planè viuificam & diuinam, vtpote verbo vnitam, carnem, inquam, quam à nobis accepit, eamq́ue in Eccleſia, tanquam regia ſua, regali prorſus cum magnificentiâ, edendam nobis porrigit, atque illa, per hypoſtaticam vnionem verbo diuino vnita, & quaſi ab illo contacta, nos reficit, & duplicis ſubſtantiæ totum cibat hominem, vt iam iiſdem nutriamur, quibus conſtamus, nutriamur, inquam, ad vitam gratiæ, quam hic cibus conſeruat & auget, nã caro quę antea mortem, nunc vitã confert, & reddita eſt fons vitæ, non ordinariæ ſed æternæ. Nõ noſtra hæc conſideratio, ſed Prophetæ Pſ. 77. *Ædificauit ſicut vnicornium, ſanctificium ſuum in terra.* S. Hier. legit: *In ſimilitudinem monocerotis.* Chald. *Ædificauit ſicut cornu vnicornis,* vt inſinuet taliter exornatam eſſe Eccleſiam, vt domus & regia ipſius vnicornis. O diuini verbi ſummam ſapientiam, quâ amarum priùs cibum dulcem contactu ſuo reddidit, quâ in fontem vitæ mutauit carnem illam quæ iam antea fuerat mortis ſcaturigo. Prouidit ſanè diuina ſapientia hac ratione animalibus rationabilibus de domo ciboq́ue dulciſſimis. Vnde canebat Regius Vates Pſalm. 67. *Animalia tua habitabunt in ea, paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Auguſtinus in hunc Pſalmum, ſic ait: *Animalia tua non ſua, tibi ſubdita, non ſibi libera, à te egentia, non ſibi ſufficientia, Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* O ditiſſimi pauperes! ô beata animalia! Cur dulcedinem ô Dauid, non explicas? tacet, quod explicari non poteſt. *In dulcedine tua.* O diuinum cibum, ad quem condiendum ſufficiebat ambroſia vel Deorum nectar, ſed neceſſaria erat dulcedo infinita. *In dulcedine tua.* In illa ipſa dulcedine, quę tu es Deus meus, quâ tu paſceris, tua diuinitate, tua carne. O glorioſum vnicornium! ô amantiſſimum paſtorem!

HIERON.

Mira ratione prouidit diuina ſapientia, animalibus ſuis de cibo.

AVGVST.

29. Certè mirabilis fuit hæc diuinæ ſapientiæ inuentio, quòd carnem, quam de nobis aſſumpſerat, nobis contulerit ad ſalutem & vitam, dum eam diuino ſuppoſito ſiue verbo vnitam cæleſtem prorſus reddit & diuinam. Quod expendens D. Thomas opuſc. 57. ſic pulcherrimè ſcribit: *Hoc inſuper quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem.* Vnde meritò Clemens Alexandrinus dicit Chriſtum ſe erga nos taliter geſſiſſe, vt ſe gerit apis erga hortulanum. Delibat enim apis flores horti, & ex illis rorem colligit, ſed hæc in mel & fauum transformans, iamque multum meliora hortulano reſtituit, nam quæ breui tempore & marceſcere debebant in naturam mellis & faui commutata, longo ſeruantur tempore, & quibus frui non datur niſi mediantibus oculis, odoratu, & tactu, iam etiam guſtu percipiuntur & viſceribus hominum recipiuntur. Quid caro noſtra niſi fœnum, vel flos fœni, an quid citiùs efflorеſcit atque marceſcit? Hunc florem, hoc fœnum aſſumpſit verbum, ſibique vniuit, diuinaque prorſus reddidit, atque in mel quoddam viuificum mutauit, ſicque nobis illa reſtituit atque in vitalem cibum largitus eſt, vt hac ratione viuant hominum corda & animæ in ſæculum ſæculi.

D. THOM. Quod à nobis aſſumpſit Chriſtus id totum more apis denuo confert ad ſalutem.

Qualiter Chriſtus in Euchariſtia, conferat etiam corporibus immortalitatem.

§. X.

1. NOn ſolùm hic Euchariſticus cibus animas viuificat, ſed & corpora eorum, qui dignè communicant, facit corruptionis expertia, æterna, & glorioſa. Vnde ſatis liquet diſcrimen, quod eſt inter hoc alimentum, & quæcumque alia quæ à mundo miniſtrantur. Nam quamuis cibo, quo vtimur vitam tueri, & mortem fugere videamur, potiùs nobis vita minuitur, quoniam licet nõ omnino comedentes, citò moreremur, ſic etiam comedentes paulatim morimur, quia corpus noſtrum intra ſeipſum habet principium corruptionis, & viſcera rodentem vermem, qui eſt calor naturalis, qui humorem radicis continuò abſumit. Nam ſicut vinum aquâ dilutum, augetur quidem, ſed vis eius ac virtus minuitur; ita cibo corpus creſcit, & vita protrahitur, interim tamen calor vitalis deteritur, & extinguitur, vt ſolet faculæ flamma, quæ poſt ceræ combuſtionem, non amplius coruſcat. Hic autem

Caro Chriſti confert immortalitatem corporibus.

tem diuinus cibus cùm intra se habeat vitæ fontem Christum, vitam non consumit nec labefactat. Imò illam auget & conseruat per omnem æternitatem iuxta illud Christi: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*, viuet immortalem vitam & gloriosam, non modò quoad animam, sed etiam quoad corpus; nam, *ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Adeò vt caro Christi tanquam propria verbi caro, & à verbo assumpta, vim virtutemque habeat, non solùm animabus, sed & corporibus impartiri vitam, non temporalem sed æternam. Vnde passim sacri Doctores, de hoc cibo Eucharistico loquentes, dicunt, quod homines immortales & incorruptibiles faciat.

Homines immortales & incorruptibiles facit.

APOLINARIS.

2. Huc spectant verba illa S. Apolinaris in manu scriptis Vaticani: *Non licet nobis ad consequendam vitam æternam verbo Dei perfrui nisi per quoddam carnis suæ commercium: quousque enim carni verbum permixtum non fuit, morti obnoxia caro omnis continebatur. Porrò nunc in cibum datur nobis caro viuifica Christi & verbum vnigenitum vitam æternam sustentans, per virtutem, quæ ipsius carni coniuncta, & contemperata est, quæ sanè virtus facit, vt carnes quæ eius sunt participes, commisceantur.* Eandem veritatem sic tractat Diuus Cyrillus libr. 3. in Ioan. cap. 37. *Corpus Christi & ad incorruptionem sua participatione reducit, non enim alterius cuiusdam sed ipsius vitæ corpus est virtutem incarnati verbi retinens, & plenum potestate illius, quo vniuersa viuunt & sunt.*

CYRILL.

IDEM.

3. Idem in Euangelium Ioan. libr. 10. cap. 13. sic ait: *Considerandum est non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur Christum in nobis esse, verùm etiam in participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alia ceræ similiter liquefacta ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur, sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti, Christo, te obsecro, fidem præbe. Amen, amen, inquit, dico vobis: nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum habet vitam æternam & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Audis apertè clamantem, non habituros nos vitam, nisi sanguinem eius biberimus & carnem manducauerimus. In vobis autem ipsis dicit, id est, in corpore vestro, vita autem iure ipsa vitæ caro intelligi potest: Hæc enim nos in nouissimo die suscitat, & quomodo dicere non grauabor: Caro vitæ facta vnigeniti, caro ad virtutem vitæ traducta est; non potest igitur morte superari: Propterea in nobis facta, interitum à nobis expellit, non enim abest ab ea vnigenitus Dei filius. Vnde quia vnus est cum carne sua, ego, inquit, suscitabo eum.*

4. Idem in epistola ad Colisirium. *Virtus viuificatiua Dei Patris vnigenitum verbum est, efficiens carnem viuificatiuam. Si enim in aliquo liquore modicum panis immiseris, reperies hunc imbibitum qualitate illius. Igitur viuificatiuum Dei verbum vniens seipsum propriæ carni, fecit eam viuificatiuam. Decebat ergo cum nostris quodammodo vniri corporibus per sacram eius carnem, & pretiosum sanguinem, vt corpus vitæ, quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis.* IDEM.

5. Idem libr. 4. in Ioan. cap. 14. *Hac de causa exsuscitandis mortuis, non solummodo verbo, & imperio, vt Deus vtebatur; verumetiam carnem suam quasi cooperatricem, nonnumquam adhibebat, vt ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse.* IDEM.

6. Adstipulatur S. Irenæus lib. 4. cap. 34. *Quemadmodum*, ait, *qui ex terra est panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis est panis, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam non iam sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* IRENÆVS.

7. Sic etiam optimè hanc ad rem Iulius Firmicus de errore Religio. *Alius est cibus, qui salutem largitur & vitam, qui hominem summo Deo commendat, & reddit; qui languentes releuat; qui morientibus, æternæ immortalitatis largitur insigne, Christi panem, Christi poculum quære, vt terrena fragilitate contempta, substantia hominis immortali pabulo saginetur.* IVLIVS FIRMICVS.

8. Breuiter & neruosè S. Paschasius libr. de Corp. Christi cap. 11. *Caro per immortalitatis alimoniam enutrita, vitæ semina percipit, vt in morte detineri non possit.* PASCHAS.

Danda etiam hîc verba Diui Thomæ opusc. 58. cap. 23 sic scribit. *Electi propter Christi corporis participationem scilicet sacramentalem vel spiritualem surgent sole pulchriores.* D. THOM.

Electi ob Eucharistiæ sumptionem sole pulchriores.

9. Virtutem & efficaciam, quam corpus Christi communicat corporibus dignè sumentium, sic amianti similitudine, vindicantis ab ignis combustione quam tegit materiam, sic declarat D. Athanasius de Incar. verbi. *Quemadmodum stipula, quæ naturaliter ab igne consumitur; si ab ea ignem depellas, non comburitur; sed tamen sicut stipula fuit, ita stipula permanet obnoxia igni: Ignisque comburendi vim, malè sibi metuit & suspectam habet. Si quis tamen stipulam copioso amianto vestiat, cuius natura dicitur igni resistere, nihil iam deinde metuet, vtpote munita re, quæ comburi nequeat, Idem quoque de corpore nostro & de morte sentias, quod si solo præcepto mors à Deo depulsa fuisset,*

Qualiter caro Christi corpora viuificet amianti similitudine explicatur.

ATHAN.

sa fuisset, nihilo tamen minus mortale, & corruptibile, pro ratione corporeæ naturæ remaneret: sed ne fieret, induit corpus incorporalem omnipotentiæ Dei rationem: neque iam inde corruptionem aut mortem exhorrescit: cùm habeat vitam pro indumento, & per id corruptionem amoliatur. Sic ille.

10. Qualiter Christus communicantibus dignè immortalitatem etiam conferat corporum, allatis quibusdam similitudinibus, ostendit Baeza tom. 1. Comment. in Euang. histor. lib. 3. c. 8. §. 42. & tom. 1. lib. 3. c. 8. §. 27. & 29.

BAEZA.

11. Ad superiorum omnium maiorem intelligentiam libet hic adnectere quæ hanc ad rem spectantia habet Adrianus Hostadius in serm. Eucharist. sermone 53. Si quæras, inquit, cuius præterea virtutis sit cibus iste? Dico, energia illius non tantùm animas nostras immortalitate donandas, sed & corpora ista ad immortalitatem fore excitanda. Legite scripturam, & illa ob oculos statuet vobis triplicem causam resurrectionis & immortalitatis futuræ. Harum vna est extrinseca, videlicet, omnipotens Dei virtus, huic frequenter scriptura tribuit resurrectionem, *Deus suscitabit nos per virtutem suam,* inquit Paulus 1. Corinth. 6. & iterum 2. Corinth. 13. *Viuemus cum eo ex virtute Dei.* Et ad Philip. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Quomodo id fiet? *Secundum operationem* (secundum efficaciam græcè) *quâ possit subijcere sibi omnia.* Quid? etiam mortem, corruptionem. Hanc Dei potentiam ignorabant Sadducæi, qui negabant futuram carnis resurrectionem, ideo Dominus redarguens eos dicebat Matth. 22. *Erratis nescientes scripturam, neque virtutem Dei,* scilicet, quâ mortuos suscitare potest. Si itaque quæras, qualiter resurgent impij, qui sacramentum istud ad iudicium acceperunt; quomodo paruuli, vel alij iusti, qui nunquam sumpserunt? Dico resurrecturos, omnipotente & ineffabili Dei virtute. Et hæc quidem generalis est causa, sed hæc causa est extrinseca, non immanens, aut inhærens nobis. Secunda causa resurrectionis iustorum inhæret illis, nempe virtus & gratia S. Spiritus, nimirum, quo donati sunt & veteris legis iusti & germani filij noui testamenti. Sic enim ratiocinatur Apostolus scribens Romanis cap. 8. *Si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per* (sic enim multi legunt, non propter) *inhabitantem spiritum eius in vobis.* Suscitabit mortalia & & mortua corpora vestra, idque virtute spiritus habitantis in vobis. Id apta similitudine declarat Macharius homil. 5. Videmus, quotannis tempore hiemis, arbores spoliari suis frondibus, & folijs, & velut mori, at tempore verno aduentante, mense R. Xantico, id est, Aprili & Maio, eadem quasi reuiuiscunt, rursus ornantur frondibus, deinde floribus, ac tandem fructibus. Huius autem effectus duæ sunt causæ, vna est extrinseca, id est virtus solis, qui tum fit vicinior, altera est intrinseca, id est, succus intus manens, qui illas alit & fouet. Eundem in modum reuiuiscent & resurgent corpora iustorum virtute solis iustitiæ, id est, omnipotentia Dei, & succi spiritualis & cælestis, qui hîc fouit animas & corpora illorum. Præter communem ergo causam, id est, omnipotentiam Dei, quâ resurgent etiam impij, fideles habent causam, sibi immanentem spiritualem, & habitualem, vt loquuntur Scholastici: verùm hæc causa etsi inhæreat nobis non est nobis homogenea, non est eiusdem generis & naturæ cum carne nostra. Christiani igitur qui tracti à Patre realiter & oraliter sumpserunt viuificam Christi carnem præter duas causas resurrectionis iam dictas, habent causam realem intimam eiusdem generis & naturæ cum carne sua, quam Græci vocant homogeneam. Illa est benedicta caro Domini, carni nostræ per sumptionem sacræ Eucharistiæ infusa. Cùm enim caro ista sit immortalis, immortalitatem præstat corpori nostro tanquam intima causa resurrectionis. Ideo Sacramentum istud à D. Ignatio vocatur, *medicamentum immortalitatis,* & D. Gregorius Nyssenus illud confert medicamento quod infunditur alicui, ad expellendam vim veneni dolo illi propinati: vt expellatur venenum per membra diffusum, medicamentum debet corpori infundi sic vt expellatur venenum per serpentem nobis instillatum, id est, mortalitas, medicamentum debet admitti in corpus. Medicamentum autem illud non est aliud, quàm sacrum illud corpus, quod & morte ostensum fuit potentius, & nostræ vitæ fuit initium, vt ait, vetus ille scriptor. Huius rei optimè gnari maiores nostri, scilicet sacramentum illud esse medicamentum immortalitatis, anxiè solliciti fuere, ne & ipsi, vel etiam alij, sanguine & affinitate iuncti, per mortem decederent ex hoc mundo nisi hoc viatico bene muniti. Hactenus Adrianus.

Triplex causa resurrectionis. ADRIAN. HOSTADIUS.

Prima est Dei virtus & potentia.

Secunda est virtus & gratia Sancti Spiritus.

Explicatur veritas similitudine.

Tertia est viuifica Christi caro à fidelibus sumpta.

GREGOR. NYSS. Eucharistia medicamentum immortalitatis.

Sicut

Sicut ficus, habet rationem, non solùm cibi, sed etiam pharmaci: Ita & Sacra Eucharistia.

§. XI.

Eucharistia habet etiam rationem pharmaci

1. NOnò. Fici non solùm medicinales, quia varia curant mala, verumetiam quia à futuris morbis hominem præseruant. Primum docet experientia quotidiana. De secundo, sic Plinius libr. 23. cap. 7. *Lactis ficulni natura aduersatur crabronum, vesparumq́, & similium venenu, priuatim scorpionum.* Quam vim contra venena habeant fici testatur Iulianus Imperator epistol. 24. ad Serapionem hisce verbis. *Ficus regales mensas ornat, atque ad omnium conuiuiorum ornatum adhibetur; neque intritum, aut scriblita, aut panis dulciarius, aut denique aliud condimenti genus pari suauitate vnquam reperietur; adeò est mirabilis iste cibus præ alius omnibus. Iam adeò vtilis hominibus est, vt præsidium ad quæuis venena salutare Aristoteli videatur, ac mensis etiam inchoandis & claudendis non aliam ob causam adhibeatur. Ea medicina, antiquior,* ait Diuus Ambrosius libr. 3. cap. 13. *quæ herbis curare consueuit, & succis: nec vlla firmior sanitas, quàm quæ salubribus reformatur alimentis. Vnde secundum naturam docemur, quia sola nobis esca, medicina est. herbis certè vlcera aperta clauduntur, herbis curantur interna.* Quasi dicat, ea curatio optima, quæ per res accidit, quæ & medicamenti, & alimenti habent rationem, nam vt medicamenta tollunt morbum, vt alimenta non nocent corpori, sed sunt illi maximè proportionata & proficua. Cùm ergo fici vna ex parte tollant morbos, & alia ex parte corpus insigniter nutriant, inter medicamenta primatum tenent. Quod de ficis dicitur, idem etiam de Eucharistico cibo affirmari potest. Magnus enim ille qui de cælo venit medicus taliter Eucharistiam instituit, vt simul esset & alimentum & medicamentum, non solùm curans animæ morbos, sed etiam homines ab animæ infirmitatibus præseruans.

PLINIVS. Fici curant morbos, & à morbis præseruant. Ita etiam Eucharistia. ARISTOT. AMBROS.

Eucharistia curat animæ morbos. CYPRIANVS.

2. Ad primum quod attinet. Hac de causâ nominat Diuus Cyprianus serm. de Cœna Dom. hoc sacramentum medicamentum ad sanandas infirmitates, & eodem loco vocat Eucharistiam malagma conueniens, dicens: *Nos quidem cùm caro essemus & sanguis, corrupta & infirma corporis animaq́, natura, reformari non poteramus, neque ad similitudinem Dei reuerti, nisi morbo inueterano imponeretur malagma conueniens, & in commotione desperatæ infirmitatis, contraria remouerentur contrariis, & similibus similia conuenirent.*

3. D. Ioannes Damascenus libr. 4. orthod. fid. cap. 14. loquens & enarrans fructus huius Sacramenti, inter alia dicit: *Hæc est pura hostia, & incruenta, quam ab ortu vsque ad occasum ipsi offerri per prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & sanguis Christi, in stabilimentum animæ nostræ & corporis, inconsumptum & incorruptum, non in secessum iens (absit enim) sed in nostram substantiam & conuersationem, omnimodi nocumenti reparatio, sordis omnis purgatio. Siquidem aurum offendat adulteratum, per iudicialem, correptoriamq́, ignitionem purgat, vt non in futuro cum mundo condemnemur. Curat enim morbos, & omnimoda damna* &c. DAMASC. IOAN.

4. Diuus Anselmus in illud Diui Pauli 1. Corinth. 11. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*, sic ait: *Ostendit Apostolus mysterium Eucharistiæ, intra cænam celebratam, non cænam esse. Medicina enim spiritualis est, quæ cum reuerentia degustata purificat sibi deuotum.* Sic ille. Ambrosius libr. de Sacramentis cap. 4. *Qui vulnus habet medicinam requirit, vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cæleste & venerabile Sacramentum.* Et in Psalm. 118. sermone 15. *Venias ad cibum Christi, ad epulas sacramenti, ad illud poculum quo fidelium inebriatur affectus, vt lætitiam induat de remissione peccati, curas sæculi huius metum mortis, sollicitudinesq́, deponat.* ANSELM.

5. Consentanea sunt quæ scribit D. Bernardus sermone de Baptismo & Sacr. Alt. *In casu*, ait, *primi hominis, cecidimus, super lapidem & in luto, vnde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati & quassati grauiter sumus. Lauari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa, sed vt securi sitis, Sacramenti Dominici corporis & sanguinis pretiosi inuestituram habetis.* BERNAR.

6. Eucharistiam verò curare & diminuere peccati fomitem constans est sanctorum Patrum sententia. *Licet*, inquit D. Thomas part. 3. quæst. 79. artic. 6. ad 3. *hoc sacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem*, quia sicut Augustinus ait in libr. 83. qq. quæst. 36. *augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.* Sic Diuus Thomas, Diuus Bernardus sermone 1. in cæna Dom. *Si quis*, inquit, *vestrûm non tam sæpe modò, non tam acerbos sentit iracundiæ*

Eucharistia diminuit peccati fomitem. D. THOM. AVGVST. BERN.

cundia motus, inuidia aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in eo. Et D. Cyrillus libr. 4. in Ioan. 17. *sedat, cùm in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit* &c. D. Chrysostomus homil. 46. in Ioan. fonti Eucharistiam comparat, æstum mitiganti. *Si quis* ait, *æstuat, ad hunc fontem se conferat, & recreabitur. Mundat squalorem & sordes, æstus mitigat non solares, sed quos ignita sagitta imprimunt. Etenim ortum suum supernè habet,* &c.

CYRIL.

CHRYSOS.

7. Pulchrè ad horum omnium confirmationem Innocentius libr. 4. de mysterio Missæ cap. 44. vim explicans huius viuifici panis, ait: *Mysterium crucis eripit nos à potestate peccati, mysterium Eucharistiæ eripit à voluntate peccandi.* Quid profuisset per Christum, nos erutos esse à potestate peccati, si in nobis tantopere addictis terrenarum rerum deliciis, remaneret propensio illa siue impetus ad eas adamandas atque quærendas. Opus ergo fuit remedio, quo quasi abstraheremur à terrenarum rerum amore, quodnam à Christo inuentum remedium? nimirum sacra Eucharistia, hoc enim sibi vult Innocentius cùm ait: *Eripit mysterium Eucharistiæ à voluntate peccandi.* Hoc mysterio quasi ablactamur à lacte, & auellimur ab vberibus mundi, ac rerum caducarum.

INNOC.

Christi præsentiâ comprimitur concupiscentia.

8. Sicut arca, vbi prima fluenta Iordanis attigit, eius aquæ substiterunt, sic etiam concupiscentia, varij cordis nostri motus, cupiditates, & passiones, quæ ad ima nos demergunt Christi Domini sacramentali præsentia, comprimuntur, & sedantur.

9. Narrant Poëtarum figmenta Æneam, cùm ad inferos visendi Patris Anchisæ gratiâ descendere voluisset, à Sybilla medicatum panem accepisse, quem is in tercipitis Cerberi os, qui aditum huius loci prohibebat, proiiceret, quo eius rabiem ac furorem mitigaret atque sopiret, sic enim fore vt tutior ad inferos ingressus atque egressus pateret; sic intra pectus quidem nostrum triceps hic cerberus latet, nimirum concupiscentia carnis, oculorum, & vitæ superbia, honoris nempe, diuinarum ac voluptatum amor. Huius tanti mali remedium est panis, non à Sybilla confectus, sed sacerdotis ministerio sacratus, qui piè à pio & religioso viro sumptus, miro modo tricipitis huius canis rabiem atque famem sedat & temperat.

Concupiscentiæ rabiem sedat Eucharistia.

Hoc cibo destituti summè fragiles.

10. Nunc verò, quid mirum, si qui cælesti virtute huius cibi Eucharistici destituti sunt, in summa imbecillitate versentur, & leuissimæ cuiusque auræ impulsu à cupiditatibus & concupiscentiis superentur? Quid mirum quòd variis vexentur morbis, cùm hoc antidoto non vtantur? quid mirum quòd fomes concupiscentiæ in eis vigeat, cùm nunquam bibant hoc vinum quod virgines germinat, vtpote præter morem vini ordinarij, in quo est luxuria, sedans & comprimens fomitem concupiscentiæ.

11. Si autem roges an hoc sacramentum etiam medelam adferat culpæ mortiferæ, & vtrum culpa mortifera per hoc sacramentum remittatur? respondetur minimè remitti. Imò si quis cum scientia culpæ lethiferæ illud sumat, nouam committit. *Qui enim manducat & bibit indignè*, ait Diuus Paulus 1. Corinth. 11. *iudicium sibi manducat & bibit.* Est hoc sacramentum institutum ad nutriendum, mortuus autem non nutritur, sed viuus, viuum ergo esse necesse est, qui ad illud accedit vt nutriatur, si mortuus quis accedat non solùm non nutritur, verùm iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.

12. Quamquam autem nunquam Eucharistia per se & principaliter dat primam gratiam cùm ad id non sit instituta, sed inuentam priorem auget: sicut & cibi proprium est non inchoare vitam, sed inchoatam nutrire, per accidens tamen contingit aliquando vt primam gratiam attrito donet propter ignorantiam, qua de re legendus est D. Thomas 3. part. quæst. 79. articul. 3. *Potest*, inquit, *hoc sacramentum operari remissionem peccati perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet, fortè enim primò non fuit sufficienter contritus, sed deuotè & reuerenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Sic Diuus Thomas, & in responsione ad primum docet, cur hoc Sacramentum ab Ecclesia dicatur ablutio scelerum. *Petimus*, inquit, *vt sit ablutio scelerum hoc sacramentum: vel eorum quorum conscientiam non habemus secundum illud; Ab occultis meis munda me, vel, vt contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem, vel etiam vt robur nobis detur ad scelera vitanda* &c.

Eucharistia quamuis non per se, tamen aliquando per accidens confert primam gratiam.

D. THOM.

13. De peccatis venialibus alia ratio est. Per hoc enim sacramentum ea remittuntur teste eodem magistro sanctissimo. *Nam hoc sacramentum*, ait ille art. 4. *sumitur sub specie cibi nutrientis, nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis, & ideo competit huic sacramento vt remittat peccata venialia, res autem huius sacramenti est charitas, non solùm quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur*

Per Eucharistiam remittuntur peccata venialia.

D. THOM.

excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia soluuntur, vnde manifestum est quòd virtute huius sacramenti remittuntur peccata venialia &c.

Quænam peccata remittantur per Eucharistiam. SALMER.

14. Pluribus hanc veritatem elucidat Salmeron tomo 9. tract. 25. in hunc modum scribens. Si quæstio sit de peccato mortifero, etsi gratiam quæcumque peccata remittendi conferat hoc sacramentum, quatenus instrumentum passionis Christi est: qui tamen reciperet sacramentum hoc, cum conscientia criminis alicuius, & ita obicem poneret, reus esset corporis & sanguinis Domini,& iudicium sibi manducaret & biberet. Deinde Sacramentum hoc operatur remissionem peccatorum etiam læthalium, in voto; dum quis iustificatur aut per baptismum,aut per pœnitentiam, nam in vtroque includitur votum huius sacramenti, quia Eucharistia est finis omnium sacramentorum, atque hac ratione confert gratiam primam. Adhæc, hoc sacramentum actu susceptum, præstat mortiferi delicti remissionem, cuius qui accedit nec conscientiam habet, nec affectum. Sed hoc intellige per accidens, quia sacramentum per se ad hoc principaliter non est institutum, sicut nec nutrimentum siue alimentum ad conferendam vitam mortuo, sed viuenti tantùm. Præterea Sacramentum hoc gratiæ augmentum porrigit, sed ab illo,quod datur per confirmationem diuersum: nam illic datur ad robur contra hostes externos ad Christi fidem profitendam ac propugnandam; hic verò ad vitam spiritualem sustinendam, vt homo perfectus per hoc sacramentum Christo vniatur, & in eum magis transformetur. Porrigit igitur hoc sacramentum primam gratiam aliter quàm baptismus & pœnitentia porrigit, & gratiæ incrementum secus quàm confirmatio, propriè autem & purè confert gratiam alendi spiritum in amore Dei, qui est vita spiritus. Si autem sermo sit de quotidianis & venialibus delictis; tollit illa hoc sacramentum, tum ratione nutrimenti, quod restaurat deperditum, tum ratione rei, id est, charitatis in actu: Et hoc per se, quia venialia gratiam non excludunt quemadmodum mortifera. Nec obstat quod possemus asserere, nos esse sine peccato veniali, contra illud: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Sed vt respondet D.

D.THOM.

Thomas 3.part.quæst. 79. art. 4. ad 2. mirum non est, si ad tempus sumus etiam sine veniali, secus per totam vitam. Et Ioannes negat nos non posse dicere immunes esse à labe peccati, verùm quod non debemus asserere. Si verò quæstio sit de pœnis peccato debitis, cùm hoc Sacramentum per se institutum sit, ad nutriendum hominem & Christo capiti, atque aliis fidelibus vt membris incorporandum, non habet tollere vllam pœnam, quamquam ex concomitantia quadam illud efficiat: nam hæc vnio fit per actum vel feruorem charitatis, qua ratione non solùm veniale delictum, verùm etiam pœna debita expiatur, non tamen semper omnis pœna, sed maior vel minor eius portio, pro mensura doloris vel charitatis amplectentis opera satisfactoria. Hactenus Salmeron. Qualiter autem debitam pœnam criminibus læthiferis aboleat hoc Sacramentum iuxta nempe feruoris & deuotionis, quo excipitur, modum, videndus D. Thomas p.3.qu. 79.ar. 5.

Qualiter pœnæ peccato debitæ remittuntur per Eucharistiam.

15. Neque mirum hæc omnia operari Christum dum piè suscipitur in hoc Sacramento, nam vt pulchrè docet Clichtoueus commentator siue Scholiastes Diui Damasceni, expendens illius verba suprà relata: Si benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus quàm in agris cunctam eius substantiam, num multò magis ad introitum regis gloriæ & Domini virtutum, qui maior est quàm Ioseph, dabitur benedictio piis mentibus, ipsum cum sincero affectu suscipientibus, & conferetur multiplicatio gratiæ diuinorumque & spiritualium donorum? *Cumq; habitaret arca Domini in domo Obededom Hethai tribus mensibus, benedixit*, vt ait scriptura. *Dominus Obededom & omnem domum eius propter arcam Dei.* Nónne igitur largior benedictionis copia illis concedetur qui arcam Domini viuam, cælestem & primitiuam, in qua continetur bonorum omnium affluentia, habent in se manentem & sacrorum mysteriorum perceptione secum habitantem? Rursus ingressus Dominus & dignatione sua Zachæi domum contestatus est, quod salus illi domui tunc facta sit, eò quòd ipse esset filius Abrahæ. Quid ni ergo, per ingressum benigni Saluatoris in animi nostri domicilium, dignè, quantum finit imbecillitas nostra, præparatum, salus, vita, & gratiarum dona nobis communicabuntur? Reuolue diligentiùs omnem Euangelicæ lectionis contextum, lege in illo quid egerit Dominus noster, & quid docuerit, & rursum lege: non inuenies ipsum subiisse domum aliquam, ad quam pio aliorum affectu & studio fuit vocatus, quin aliquod ibi beneficium, sanitatis aut doctrinæ, benigniter impenderit. Siquidem ingressus domum Simonis, socrum eius grauiter febribus æstuantem, solo verbi imperio sanauit. Alio quoque loco paralyticum in domo oblatum, attendens offerentium fidem, admiranda virtute, sanitati restituit. Denique filiam Archisynagogi mortuam in domo iacentem, suscitauit. Et quod maius est, miserationis iudicium Pharisæorum domos ingressus, maligno animo ipsum vt accusarent, obseruantium, benefi-

Non mirum quod per susceptionem Eucharistiæ nobis tot conferuntur bona. CLICHTOVÆVS.

Quæ bona per se operatus est Christus in hac vita existens, eadem iam operatur per Eucharistiam.

beneficentiam curationis & doctrinæ nequaquam subtraxit, hydropicumque & aridâ manu dexterâ mancum, integræ sanitati reddit, confutatis aduersariis Sabatho non licere curationem languidis adhiberi, falsò existimantibus. Quis ergo faciet humanæ mentis domum per communicationem huius sacri mysterij ingressus? Omnem planè morbum animæ depellet, ardentem concupiscentiam, ignauiam, mortem quam intulit culpa, rerum terrenarum cupiditatem, rectè operandi impotentiam, & cælestibus eam muneribus, vitâ, gratiâ, luce, affatim cumulabit, si modò studium adhibeatur ad ritè preparandum tanto regi hospitium? &c.

IDEM. 16. Et paulò inferiùs idem Scholiastes. Quantæ verò sit efficaciæ & virtutis hæc saluberrima medicina liquidò patefacit auctor (nimirum Damascenus loco cit.) subiungens: *Quod curat morbos & omnimoda damna.* Nullum sanè fuit morbi corporalis genus quod Saluator noster, quando in terra visus est, & cum hominibus conuersatus, solo verbi imperio, aut potentificæ manus impositione, non subitò curauerit. Ita cùm se, vt mederetur malè habentibus pientissimus animarum medicus, venisse contestatus est, hac salutari medelâ omnem animæ morbum prorsus expellit. Non enim abbreuiata est manus Domini, vt saluare aut curare nequeat, modò cum solida fide, & pio desiderij affectu, ipsum accesserimus, quemadmodum corporis salutem ab eo impetrare cupientes supplices eum rogabant, aut eos qui pro se rogarent Dominum habebant. Quin imò si contactus fimbriæ vestimenti sui, si dumtaxat ex corporis circumpositione sanctificati restinxit fluxum sanguinis in muliere, quæ duodecim annos eo languore detenta fuerat, si insuper, quotquot languidi tetigerunt oram vestium eius, sanitatem sunt consecuti, quocumque grauarentur corporis incommodo: quemadmodum Matthæus cap. 14. testatur, & vt inquit Lucas: *Virtus de illo exibat & sanabat omnes*, nónne totius dominici corporis & contrectatio & sumptio salutiferam afferet opem animæ & medelam, omnimodosque morbos humanæ mentis expurgabit, si contractas ostenderit sordes? Hactenus ille.

GREGOR. NAZIAN. 17. Superioribus Clichtouæi verbis suffragatur D. Gregorius Nazianz. orat. de sacro baptis. vbi sic loquitur: *Si Christum totum admiseris, omnes curationes quibus priuatim vnusquisque ad sanitatem reuocatus est, in animam congeres.* Quasi dicat: Si Christum dignè in Eucharistia acceperis, si illum hospitio cordis susceperis tanquam creatorem, saluatorem, redemptorem, glorificatorem, aduocatum & iudicem tuum, qualscumque ille sanitates, dum erat in hoc mundo, contulit corporales, eas omnes in cumulum redactas, congeres spiritualiter in teipso. Visum ille contulit cæcis, tu quoque hoc cibo illuminaberis & cernes Dei magnalia. Auditum contulit surdis, tu quoque hoc cibo aures habebis apertas ad capiendas cælestes veritates atque doctrinas. Non manus iam habebis aridas, sed succo misericordiæ in pauperes plenas. Nulla superbiæ hydropisi, nulla auaritiæ ariditate, nulla torpentis ignauiæ paralysi laborabis. Et sicut Christus vel tactu fimbriæ sanauit fluxum sanguinis, ita per deuotam sumptionem Eucharistiæ si illum tetigeris, sanabit omnem peccatorum damnabilem fluxum.

18. Sed ad contactum fimbriæ quod attinet, & quæ subsecuta est curatio, ea omnia ad sumptionem huius cibi transferentem accipe Chrysologum serm. 34. CHRYSOL. vbi sic scribit: *O quàm docuit mulier quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria, tantum esse monstrauit. Audiant Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt quantam de ipso corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem? Sed quod nobis flendum est, mulier de fimbria medicinam tulit; nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus.*

Mulier de fimbria medicinam tulit, nos de fimbria sumimus vulnus.

19. Scis quare mulier de fimbria medicinam sumpserit, nos verò de medicina vulnus sumamus? Illa tetigit Christi fimbriam, nos corpus Christi molestè premimus: *Corpus Christi* (ait Diuus Augustinus AVGVST. serm. 74. de temp.) *multi molestè premunt, pauci salubriter tangunt. Tetigit me aliquis? Ego enim sensi virtutem de me exisse* &c. Tangit Christum non qui loco, sed qui fide iuxta illum est. *Certe*, ait Chrysostomus CHRYSOS. hom. 51. in Matth. *nihil prodest loco iuxta Christum esse, si fide non sis.* Tangit Christum qui mutat vitam. *In Christi corpore*, ait D. Augustin. serm. 1. de temp. *vita nostra consistit, sicut ipse dixit: Nisi manducaueritis &c. Mutet ergo vitam qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanetur, magis occiditur quàm viuificetur.* Quamdiu non mutas vitam, non tangis, sed comprimis quàm molestissimè Christum.

Quia corpus Christi molestè premimus.

20. Neque solùm est Eucharistia instar medicinæ curantis vulnera nostra, sed etiam instar antidoti præseruantis hominem à peccatorum morbis & infirmitatibus. Vt cibi aliqui aduersus venena & morbos medicina sunt: sic cælestis cibus Eucharistia aduersus peccatorum venenum & morbos medicamentum est, è cælo datum. Venenum habuit cibus ille vetitæ arboris, quod non solùm primos parentes, sed cunctos eorum natos vitâ priuauit: Eucharistia verò aduersus venenum continet remedium, quod primorum parentum filios præseruat à morte sempiterna.

Eucharistia est etiam instar antidoti præseruantis hominem à peccatorum morbis.

D. THOM. na. Læthalia venena peccata sunt mortifera, ab his præseruat Eucharistia, vt docet D. Thomas p. 3. q. 79. art. 6. *Sacramentum*, inquit, *hoc præseruat à peccato, roborat spiritualem vitam hominis tamquam spiritalis cibus, & medicina spiritalis*, &c. Item: *Sacramentum hoc*, inquit, *confirmat cor hominis in bono per quod etiam præseruatur homo à peccato*, &c. Ad hæc Innocentius Tertius lib. 4. c. 44. scribit: *Eucharistia si dignè sumatur à malo liberat & confirmat in bono, delet venialia, & cauet mortalia.* INNOCENTIVS.

21. Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Præseruat myrrha corpus à corruptione; sic dilectus Christus inter vbera & in pectore per Sacramentum collocatus à corruptione peccati præseruat corda. Viuent corda eorum in sæculum sæculi. D. Bernardus serm. de cœna Dom. *Hoc Sacramentum*, inquit, *minuit sensum in minimis, & in grauioribus tollit omninò consensum.* Præseruatio verò hæc, tum per feruorem & ardorem charitatis fit, tum per Dei auxilia. *Quòd si loquamur*, ait Salmeron loco citat. *de peccatis futuris, dubium non est ab illis præseruare, vt illis qui frequentant Sacramenta ignotum non est. Hinc Dominus dixit: Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, id est, quia manna erat à Deo missum tantùm in vitæ temporalis subsidium, quæ suâpte naturâ finitur, manducantes tandem mortui sunt: hic autem meus panis, qui præsidium est spiritualis vitæ, quæ per se est perpetua, nec per mortem corporis interpellatur, virtutem habet eam seruandi, atque à morte peccati eam tuendi.* BERNAR. SALMERON.

Ficus admittit omnem insitionem: ita etiam Eucharistia.

§. XII.

1. DEcimò. Ficus omnem admittit insitionem. *Quædam omni genere inseruntur*, ait Plinius lib. 17. c. 16. *vt ficus*. Addit autem: *Tot modis insitam arborem vidimus iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, piris, punicis, malorumque generibus. Sed huic breuis fuit vita.* Idem etiam de Christo in Eucharistiâ dicere possumus, sic enim ipse loquitur Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet*, nimirum tamquam surculus in arbore cui inseritur. Sed longè diuersa est hæc insitio, ab illa quæ naturaliter contingit. Ibi enim surculus nobilior & fructuosior inseritur trunco ignobiliori & infructuoso, hic verò surculus planè ignobilis & infructuosus igni destinatus, qualis est homo, inseritur arbori vitæ, id est, Christo, & completur illud D. Pauli ad Rom. 11. *Tu cùm oleaster esses, contra naturam insertus es in bonam oliuam, particeps factus illius pinguedinis.* Qui enim supra naturæ ordinem operatur, Deus, nec naturæ legibus adstringitur per gratiam suam efficit, vt nos cùm simus oleastri, inseramur nihilominus, mediante Eucharistia, ipsi Christo, non iam proprium fructum sed planè diuinum, & Christo conformem, proferentes. Quò spectant illa verba S. Dionysij de Ecclesi. Hierarch. cap. 3. *Per hanc beneficam clementiam ad participationem sui, suorumq́ bonorum, inuitat genus humanum. Si igitur ipsius sacratissimæ inseramur vitæ, ipsam, quantum fas est, æstimando, veraciter consortes Dei, diuinorumque participes efficiemur.* Vnde quod Plinius testatur se semel vidisse, nimirum tot modis insitam arborem &c. nos quotidie videmus in multis Christianis, qui cùm anteà essent planè surculi siluestres, Christo per Eucharistiam inserti dant mille bonorum fructuum differentias. Neque vllatenus hîc accidit, quòd ibidem accidisse dicit Plin. *Sed huic fuit breuis vita*, & per consequens etiam omnibus illis pomis. Verùm hîc longè aliter res se habet. Nam cùm Christus arbor sit prorsus diuina, & immortalitate plena, etiam surculi, id est, Christiani illi inserti succumque gratiæ ab eo trahentes, non solùm proferunt virtutum varios fructus, verumetiam in illis proferendis sunt maximè diuturni, imò perennes. Ita vt iam non sint ampliùs oleastri, vel siluestres surculi, sed oliuæ fructiferæ, non carnales ampliùs, sed spirituales; non terreni, sed cælestes; non humani, sed potiùs diuini, vt pulcherrimè docet S. Irenæus lib. 5. c. 10. hisce verbis: *Quemadmodum oleaster insertus, substantiam quidem ligni non amittit; qualitatem autem fructus immutat, & aliud percipit vocabulum, iam non oleaster; sed fructifera oliua existens, & dicitur: Sic & homo per fidem insertus, & assumens spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus immutat, & aliud accipit vocabulum, significans illam, quæ in melius est, transmutationem, iam non caro & sanguis: sed homo spiritualis existens, & dicitur.* Sic ille. DIONYS. IRENÆVS.

Ficus admittit omnem insitionem. PLINIVS.

Christus in Eucharistia etiam admittit omnem insitionem.

Manemus in Christo sicut surculus in arbore, cui inseritur.

Longè diuersa hæc insitio ab ea quæ fit naturaliter.

Qualiter Christus ad vnitatem tanti mysterij nullius reijciat consortium, indicatur & præfiguratur, dum in sacrificio Missæ vino miscetur aqua. Audi Algerium lib. 2. Sacr. cap. 5. *Quia panis & vinum propriè proprius cibus & potus est non bestiarum sed hominum, ideò Christus vtriusque est vsus mysterio, vt singularis & propria hominum crederetur refectio, quia autem postmodum per Apostolos aquam admisceri voluit quæ communis potus est bestiarum & hominum, vt ad vnitatem tanti mysterij designaret pertinere non solùm iustorum, sed & peccatorum, si pœnitere velint, consortium.* ALGER.

Aquæ admistione in Missæ sacrificio docemur Christum ad vnitatem tanti mysterij, nullius reijcere consortium.

Idem Algerius cap. 4. expendit Eucha-

ristiam non institutam à Christo sub speciebus pretiosis, sed communibus, vulgaribus, & passim obuijs panis & vini, vt facilior pauperibus omnibus ad eam foret accessus, qui vtique illis denegatus fuisset, si sub speciebus pretiosis Eucharistia instituta fuisset. *Deus, ait, in suis beneficijs nostram abstulit expensam ne grauaremur, suam contulit incomparabilem gratiam vt hilarius iuuaremur. Si enim in quibuslibet speciebus pretiosis Sacramenta sua Deus instituisset, difficilis & onerosa pauperibus ad ea fieret accessio.*

Ficulnea symbolum æqualitatis: Ita & Euchariftia.

§. XIII.

Ficulnea symbolum æqualitatis.

2. DVodecimò. Ficulnea symbolum æqualitatis. Æqualiter enim succum suum largitur omnibus ficis, vnde dum erumpunt ex illa grossi vno eodemque tempore id accidit, nec vnus alium excedit magitudine, nam hæc omnibus vna. Similiter Christus summa cum æqualitate seipsum communicat omnibus, non solùm in passione, sed etiam in huius Eucharistici cibi collatione. Quod amplius, tantum largitur singulis, quantum omnibus. Nam ad passionem quod attinet, de illa sic eleganter Dionys. Carthus. super Lucam ad illa verba: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Considerate, ait, hic, immo & toto cordis affectu profundè considerare oportet, vt ingrati non simus & ad amorem Christi excitemur, Christum non solùm in communi pro omnibus venisse, & crucem, & plagas sustulisse, sed in particulari pro quolibet nostrûm. Medela enim non sanat, nisi in particulari applicetur, & quod ita sit, satis constat, ex omissione ouium, vt perditam quæreret; & ex apparitione, quâ octauo die Apostolis apparuit, propter vnius tantùm incredulitatem, ex ostensione etiam manuum, & vulnerum, quam Sancto Thomæ Apostolo fecit: in quo quid aliud ostendebat, quàm paratum esse iterum pro illo, & pro vnoquoque mori, & vulnera suscipere? In quo adimplesse videtur, quod S. Dionysius inquit, Christum dixisse Sancto Episcopo Carpo; Percute iterum: paratus enim sum, si opus esset, iterum pro peccatoribus mori. De quo in vitâ Polycarpi. Hac etiam consideratione D. Paulus afficiebatur, vt S. Chrysostomus adnotauit quando dicebat ad Galat. 2. de benignissimo Iesu, loquens. Dilexit me, seque ipsum tradidit pro me. Cùm tamen poterat dicere. Dilexit nos, & propter nos semetipsum tradidit. Et hac ratione meritò de quolibet peccatore conqueritur Christus, vt S. Bernardus serm. 4. Feriæ Dominicæ palmarum in his verbis considerat: Nónne pro te satis vulneratus sum? nónne pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionem afflictio? magis aggrauant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. Et paulò inferiùs Christum crucifixum sic cum peccatore loquentem, & amore allicientem introducit: O homo, vide quæ pro te patior, non est dolor sicut quo crucior; ad te clamo, qui pro te morior; vide pœnas quibus afficior; vide clauos quibus confodior: Cùm sit dolor tantus exterior, interior est planctus grauior, cùm te tam ingratum experior.* Hæc Carthus.

Christus largitur in passione tantum singulis quantum omnibus.

DIONYS. CARTHVS.

3. Ad sacram Eucharistiam quod spectat, nónne cantat Ecclesia. *Sic totum omnibus, quod totum singulis. Christus* (ait Saluianus ad Eccles. Cathol. lib. 2.) *sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis; & cunctis se impendit, pariter & singulis: & totum se dedit vniuersis & totum singulis.* Ne autem quispiam existimaret, se minus debitorem, vel obligatum esse Christo, quia tantum vel ex passione, vel ex Eucharistiæ institutione, recipiunt vniuersi, quàm singuli, subiungit: *Quidquid passione sua Saluator præstitit, sicut totum ei debent vniuersi, sic totum singuli, nisi quod propter hoc plus singuli, quàm vniuersi, quod tantum acceperunt singuli, quantum vniuersi: Vbi enim hoc vnus accipit, quod vniuersi, & si par est mensura, maior inuidia est. Quò fit, vt licet ipsum accipiat, plus debere videatur: quia magis fit vnus obnoxius, qui videtur omnibus comparatus.* Sic ille. Sicut autem Christus in Eucharistia, sic totus singulis quam totus omnibus datur, sic etiam mediante hoc Sacramento operatur in quolibet dignè recipiente, effectum quem vniuersaliter pro omnibus fuit operatus in Cruce.

In Eucharistiâ Christus sic totum se præbet omnibus & singulis.

SALVIANVS.

4. Se planè Christus talem ostendit in hoc Eucharistico conuiuio qualem Symposiarcham, id est Regem, siue Præfectum conuiuij desiderabat Pollux Philosophus, de Symposiarcha, dum vult quod sit, *Splendidus, magnificus, hospitalis, hospitum amans, popularis, magnanimus, commodus, affabilis,* &c. Et Plutarchus lib. Sympos. cap. 4. *Amicè & beneuolè erga omnes conuiuas affectus: nemini infensus, & inimicus in distribuendo æqualitatis obseruans.* Pende vltima verba.

In Eucharistiæ conuiuio Christus adimplet officium Symposiarchæ.

POLLVX.

PLVTARCHVS.

Ficus symbolum munificentiæ: sic Christus in Eucharistiâ in homines maximè munificus.

§. XIV.

5. DEcimotertiò. Ficus antiquitus fuit habita pro symbolo beneficentiæ & benignitatis in proximos. Vnde pro sacra

Ficus symbolum munificentiæ.

PLVTARCHVS. sacra habita vt scribit Plutarchus quæst. conv. lib. 7. q. 4. *Non absurdè prisci, vel quercus venerabantur frugiferas, & ficum quandam vocitauerunt sacram Athenienses, & morum interdixerunt detruncare. Hæc namque non faciunt in superstitionem præcipites, vt ferunt nonnulli; sed consuefaciunt in rebus sensu carentibus, & surdis, beneficentiam nostram, & benignitatem nos mutuo.* Vbi precor in homines beneficentior ac liberalior Christus, quàm in sanctissima Eucharistia. Quidquid habet Christus, vel habet de suo, vel de nostro, de suo diuinitatem, de nostro humanitatem. Omnes verò tum diuinitatis, tum humanitatis suæ diuitias in exiguo clausas, nobis summa cum munificentia largitur. Accipe hæc meditantem D. Thomam Opusc. 57. *Immensa diuinæ largitatis beneficia, exhibita populo Christiano, inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est, aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Vnigenitus siquidem Dei filius, suæ diuinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, vt homines Deos faceret factus homo. Et hoc insuper quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara Crucis, hostiam obtulit Deo Patri, sanguinem suum fudit in pretium, simul & lauacrum: vt redempti à miserabili seruitute à peccatis omnibus mundaremur. Et vt tanti beneficij iugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum, sub specie panis & vini sumendum, fidelibus dereliquit.* Sic D. Thomas.

Christus liberalissimus in Eucharistiâ.

D. THOM.

Christus in Eucharistiâ lignum vitæ proferens fructus duodecim per singulos menses.

Apocal. c. 22. *In medio plateæ eius ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum.* Hæc arbor Christi, in medio horti Ecclesiæ constitutus per singulos menses dicitur proferre fructus, vt significetur fructuum abundātia, quibus omnis suppletur defectus. Audi Richardum à S. Laurentio lib. 12. de laud. Virg. *Lignum vitæ Christus Dominus qui viuentes reficit Sacramenti sui participatione, per singulos menses reddens fructus suos, quia mensis dicitur à mene quod est defectus, quia per singulos defectus nostros, quantum est in se, quodammodo supplet in hac vita, cùm ipse etiam & in præsenti sit omnia omnibus, id est, sufficientia omnium.*

RICHAR. à S. LAVR.

Panis noster quotidianus Christus in Eucharistiâ.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, nónne præter panem etiam alia necessaria? cur ergo solùm de pane mentio fit? panis hic Christus est in Eucharistiâ, hūc panem qui accipit, in eo particeps redditur bonorū omnium, quia *Deus Pater,* ait Paschas. in Matth. c. 6. *cum Christo omnia nobis donauit, sit tantùm ille nobis cibus quotidianus & omnia in eo simul nostra erunt.*

In Eucharistiâ Christus similis aquilæ abūdanter pullos suos prouidenti.

Assimilari potest Christus in hoc Sacramento Aquilæ, quæ quanta cum largitate prouideat pullos, de cibo corporali sic declarat Albertus Magnus lib. 23. de Animalibus. *Narrauit mihi quidam fide dignus quòd aliquando in nido vno Aquilarum, antequam pulli complerentur, plusquam trecentas anates & plusquam centum anseres, & circa quadraginta lepores accepit & plurimos magnos pisces quorum numerum non retinuit,* &c. Ametistum inueniri etiam in nido Aquilarum testantur Authores. Quid sacra Eucharistia, non sanè graculorum, sed Aquilarum mensa, in quā Christus magna cum munificentiâ fideles suos nutrit.

ALBERT. MAGNVS.

6. Vnde sic Fulbert. Carn. epist. 1. pulcherrimè monet Christianum ad hunc cibum accedentem, vt sese paret ad recipienda dona cælestia quæ in hoc Sacramento vbertim exundant: *Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende, & sume panem vitæ, interioris hominis alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ Deitatis vitale pulmentum. Sume nihilominus vinum, non sordido cultore calcatum, sed de torculari Crucis expressum. Gusta, inquam, cælestis ferculi suauitatem, sed ne nauseès terreni germinis saporem.* FVLBERT.

7. Munificentiam autem Christi in hoc Sacramento exhibitam, maximè illud cōmendat, quod, sicut iam antè relatum, fidelium quisque tantum recipit, quantum simul omnes. Quæ est illustris explicatio illius sententiæ Psal. 25. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.* quam tradit Tertull. lib. de pudic. c. 18. ita fatus: *Lauabo cum innocentibus manus meas, & altare tuum circumdabo, Domine, vt solus plures*: Id est, ego solus pro pluribus sum, tantum enim in hac mensa recipit quiuis, quantum simul omnes. TERTVLL.

Quædam aliæ conuenientiæ inter ficum & Eucharisticum panem.

§. XV.

8. Decimoquartò. Ficus symbolum temporaneæ fœlicitatis & lætitiæ. Vnde Prophetæ vt depingant lætissimam ac fœlicissimam, faciem alicuius regionis, dicunt vnumquemque sedisse sub vite sua & sub ficu sua, sub quarū frondibus exercebantur confabulationes, ludi, recreationes, conuiuia. Vnde legimus 3. Reg 4. *Habitabatq́; Iuda & Israel absq; timore vllo, vnusquisque sub vite sua & sub ficu sua à Dan vsque Bersabee cūctis diebus Salomonis.* Iisdem germana 4. Reg. 18. Isa. 36. Micheæ 4. Zach. 3. nec aliud durius supplicium quàm his spoliasse, Ps. 104. *Et percussit vineas eorum & ficulneas eorū*: Oseæ 2. *Et corrumpā vineam eius, & ficum eius.* Damnatur & his carēs regio Num. 20. *Quare adduxistis in locum istum pessimum, qui nec ficum gignit, nec vineas?* Similiter plenum est non temporanea & corporali; sed æterna ac spirituali fœlicitate, in animâ plantatam

Ficus symbolum temporaneæ fœlicitatis.

tam

Plena fœlicitate Eucharistia. MARCVS. tam habere hanc cælestem Eucharistiæ ficum. Vnde Marcus Episcopus Vormacensis hom. in cœnâ Dom. vocat Eucharistiam *futuræ iucunditatis amabile præludium, Ecclesiæ militantis cum triumphante suaue glutinum, dum eandem dulcedinē, quâ illic fruitur sine velamento, ista habet sub Sacramento.* S. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 6. vocat hoc Sacramentum, *Redemptionis nostræ memoriale dulcissimum, arrham Sponsi.* Cantat verò de hoc Sacramento Ecclesia: *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Quid felicius excogitari potest quàm in hoc sæculo possidere & habere tam arrham Sponsi, quàm pignus gloriæ? *Pignus est*, ait Isidor. lib. 5. Etym. c. 5. *quod datur propter rem creditam, quæ dum redditur, statim aufertur: arrha est primum quod pro re, bona fidei contractu empta, ex parte datur, & postea completur. Est autem arrha complenda, non auferenda; vnde qui habet arrham, non reddit, sicut pignus, sed desiderat plenitudinem.* Pignus ergo dicitur Eucharistia, vt doceamur nihil dari maius in cælo beatis quàm nobis mortalibus. Arrha dicitur, quia datur ad comparandam vitam æternam. Sicut è contra nihil infœlicius illâ animâ quæ hac priuatur escâ. Quàm sit futuræ mortis & interitus signum hac priuari esca, vide Baeza tom. 3 in histor. Euang. lib. 14. cap. 10. §. 26. Eucharistiam plenam esse lætitiâ vide apud Aloysium Nouar. lib. 5. Sacr. elect. siue in Agno Euchar. exo. 65. nu. marg. 1002.

ANTONINVS. Eucharistia pignus futuræ gloriæ. ISIDOR. Nihil infœlicius quàm hac esca priuari. BAEZA. NOVARINVS.

Ficus sacra vocata. PLVTARCHVS. Morti obnoxius qui ficum detruncasset, morti obnoxius qui Christo contumeliam infert.

9. Decimoquintò Ficum quondam vocitarunt sacram Athenienses ait Plutarch. quæst. con. lib. 7. q 4. ac proinde in summâ veneratione est habita, & si quis eam dilacerasset, vel detruncasset, morti se reddebat obnoxium. An sacratius quid potest excogitari Christo se præsentem exhibenti in Eucharistiæ Sacramento? Caue ô Christiane ne ficum hanc dilaceres, ne aliquam Christo contumeliam inferas. Vis scire quando id ipsum accidit? nimirum, quando indignè ad hoc Sacramentum accedis. Audi Chrysost. hom. 6. ad pop. dum versat illa verba 1. Cor. 11. *Qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit. Nam si*, inquit, *regiam contaminantes purpuram similiter puniuntur, sicut & discindentes: non est dissimile Domini corpus impura mente suscipientes, eandem subire vindictam, cum his qui clauis ipsum disciderunt.*

De indignè sumentibus Eucharistiam grauiter conqueritur Christus. BERNARDIN. SEN. De similibus multò grauiùs conqueritur Christus, quàm de ipsis crucifixoribus suis, Ps. 68. *Quoniam*, ait, *quem tu percussisti, persecuti sunt & super dolorem vulnerū meorum addiderunt.* In quæ verba, sic S. Bernardin. to. 4. ser 44. *Magis dolet Christus ista vulnera facta à peccatoribus, sumentibus corpus suum indignè, quia iterum crucifigunt eum, quia vulnera sibi facta à Iudæis quia Deus permissiuè dimisit percutere Christum à Iudæis, qui ignorabant quid faciebant, eo respectu quia nesciebant ipsum esse filium Dei, iuxta dictum Christi, Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Sed illi existentes in peccato mortali scienter sumunt ipsum indignè, & scienter addunt sibi vulnera vulneribus. Et hoc est quod dicit: Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Sic ille. Adaptans insuper duodecim illas maledictiones eiusdem psalmi, indignè communicantibus: *Quàm*, ait D. Augustinus apud D. Thomam opusculo 58. cap. 18. *temerarium, quàm nefarium cruentis manibus intemeratæ virginis tractare filium? quis auditus sustineret aurium? quis oculus non confunderetur ad intuitum? cuius mens non raperetur in excessum? vbi mundi pretium in sterquilinium mittitur? non enim minus est detestabile in os pollutum quàm in lutum mittere filium Dei.*

Duodecim maledictiones psl. 68. adaptantur indignè communicantibus. BERNARDIN. SEN.

Legimus Ezechielis cap. 9. *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius, & ingressi sunt & steterunt iuxta altare æreum: pro vase interitus;* Septuaginta legunt, *Securis*. Cur precor Angeli securibus armati sic stant iuxta altare? an non conuenientiùs starent in foro, in tribunalibus, in tabernis, & lupanaribus, vbi passim tot committuntur peccata, vt illa vindicent? stare dicuntur iuxta altare, quia cæteris grauiùs peccant qui indignè & cum reatu peccati mortalis ad altare accedere non verentur. Audi Hieronymum. *Iuxta altare stare dicuntur parati ad iubentis imperium vt cuiuscumque viderint ibi non esse peccata dimissa, sententiæ Domini & interfectioni subiacere cognoscant.*

Angeli cum securibus adstant altari, vt vindicent indignè accedentes. HIERON.

Legimus Psal. 77. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum.* Quid est quod tam repentè, tamque grauiter puniat Deus eos, quibus manna panemque Angelorum manducandum dedit? Nónne Dauid Psal. 102. clementissimam Dei conditionem nobis insinuare volens exclamat. *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors?* nónne clamat Isaias c. 30. *Expectat Dominus vt misereatur nostri?* Quomodo ergo iam tanto impetu, tanta acceleratione, quin etiam, vel ipso tempore, quo committuntur peccata, Deus eadem tam grauiter punit? nimirum quia in mannâ & cibo illo indignè accepto præfigurabatur sumptio Eucharistiæ irreuerenter facta. *Potest*, ait Hugo Cardinalis, *exponi de indignè sumentibus Eucharistiam, quia ex hoc statim ira Dei ascendit super eos, secundum illud: ideò inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi.*

Dum manna adhuc erat in ore Israelitarū grauiter fuere puniti, quia manna huius cibi figura. HVGO CARD.

Nouimus quid Iudæ Iscariotæ indignè sumenti Eucharistiam acciderit, legimus Ioan. 14. *Et cùm intinxisset panem dedit illum Iudæ Simoni Iscariotæ & post buccellam introiuit in eum Sathanas.* In quę verba sic Victor Antiochenus. Ioannes post acceptam buccellam, Sathanam in illum introisse scribit: *At hoc ea de causa non contingit quòd Sathanas acceptum Christi corpus pro nihilo duceret aut contemneret;*

Post buccellam, in Iudam introiuit Sathanas, sic &c. VICTOR ANTIOCHEN.

contemneret; sed quod Deus impudentem proditoris ausum impunè abire nollet.

Qualiter homo se præparare debet ad sumendam Eucharistiam. Gverricvs.

Quicumque ergo accedere volunt ad sacrum altare, audiant Guerricum Abbatem sic monentem serm. 5. in purificat. *Debemus ei reuerentiam, inuestigare scilicet nosmetipsos, & si inuenerimus cor pollutum fœdu cogitationibus, aut mala voluntate, ab eius contactu vt ab igne, & nos, & alios arceamus.* Audiant Psalmistam Psalm. 61. *effundite coram illo corda vestra. Effundite,* ait Hugo Cardinalis, *coram illo corda vestra, per confessionem. Cor enim peccatoris est quasi vas plenum stercoribus. Nisi,* ait S. Basilius, *perturbationes & vitia animas nostras possidentia prius eijciamus vas quod odore tetro fuit refertum, vnguentum odoratum minimè recipere poterit. Opus itaque ea quæ priùs occupant vt impedimenta remouere si talia succedentia collocare velimus.*

Hvgo Card.

Honor Christi iudicium diligit in sumptione Sacramenti.

Honor Regis iudicium diligit, ait Regius Vates Psalm. 98. id est, ait S. Bernard. tom. 1. ser. 56. art. 3. c. 1. *honor Christi iudicium diligit in sumptione corporis eius:* nimirum iudicium de quo Apostolus. *Si nosipsos diiudicaremus,* &c. De hoc iudicio sic D. Thomas opusc. 48. c. 16. ex doctrina Sancti Augustini. *Adsit accusatrix cogitatio & testis conscientia & carnifex timor Domini inde quidam sanguis animæ confitentis per lachrymas profluat. Et sic,* ait Angelicus Doctor, *homo dignus erit ad sumendum corpus Christi nunc in Sacramento, & perfecta fruitione in futuro.*

D. Thom.

Ficus vberiùs crescit stercore. Plinivs.

10. Decimosextò. Ficus gaudet, & vberiùs crescit stercore, vt docet Plin. lib. 15. cap. 18. vbi sic scribit: *Cato de ficu ita memorat. Ficos mariscas in loco cretoso aut aperto serito. In loco autem crassiore aut stercorato Africanas & Herculeanas,* &c. Et paulò inferiùs sic scribit: *Paruarum genus arborum post autumnum fimo contegunt, deprehensasq; in his hyeme grossos; quæ mitiore cælo refossæ, cum arbore, atque in lucem remissæ, nouos soles, aliosq; quàm quibus vixere, auidè tamquam iterum natæ, accipiunt: & cum venientium flore maturescunt, alieno præcoces anno in tractu vel gelidissimo.* Sic Plin.

Christus in Eucharistia gaudet humilitate.

Similiter Christus in Eucharistiâ gaudet stercore humilitatis nostræ, quo mediante instar ficulneæ, mirabiles in nobis progignit fructus. Dum è Virgine natus, non ambit Christus nasci in templo illo Salomonis augustissimo, sed reclinatur à Virgine in præsepio. Cur Domine paratum tibi locum in sanctuario non occupas? cur magis tibi præsepe placuit quàm sanctuarij locus? equidem Sanctuarium aut auro, aut gemmis diuitijsque temporalibus plenum erat, sic non dabat nascenti Iesu locum, qui de præsepij humilitate & vilitate fœcundiorem sumebat materiam ad excitandas suis immarcessibiles & magnificas coronas. Ait D. Chrysostomus homil. 2. in Lucam. *Non inuenit locum in sancto Sanctorum qui auro, gemmis, serico, & argento fulgebat; & tamen non nascitur inter aurum & diuitias, sed in stercore nascitur, hoc est, in stabulo. Propterea in stercore nascitur, vt eos, qui sunt de stercore subleuet, leuans de stercore inopem. In stercore nascitur, vbi & Iob & sedebat, & postea coronatus est.* Fugit Dominus aurum, fugit opes sanctuarij, vt quæ censeantur inter mundi inania; magis eligit humilia stabuli, stercus stabuli, quod iam dudum fœcundum nouerat ad coronas pariendas immortales. Similiter Christus vt spiritualiter per Eucharistici cibi sumptionem nascatur in homine, non auro & argento non opibus & diuitijs delectatur, sed humilitatis sterquilinio.

In stercore natus Christus, non in auro. Chrysos.

Ficus iuuatur fossione. Christus in Eucharistiâ vult vt cum consideratione amoris &c. ad eam accedamus.

11. Decimoseptimò. Ficus maximè ad fructus producendos iuuatur fossione, vnde patrifamilias iubenti succisionem ficulneæ, dixit Hortulanus: *Dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam,* &c. Similiter si velimus ex Eucharistia dignos referre fructus; opus est fossione, id est, consideratione diuinæ potentiæ, sapientiæ, liberalitatis, charitatis &c. quæ resplendent in hoc Sacramento. Opus est fossione, id est, discretione inter hunc diuinum & corporalem cibum. Quò spectabat illud Pauli de Christi Domini corpore 1. Corinth. 11. *Qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Circa quæ D. Anselmus ait: *Ille accipit non ad vitam, sed ad iudicium, quia non diiudicat corpus Domini, id est, non discernit, quàm sit dignius omnibus creaturis hoc corpus, quod videtur esse panis. Ideò enim Apostolus nunc indignè dicit acceptum à Corinthijs, quia hoc non discernebant à cæteris cibis veneratione singulariter debita,* &c. Sic ibi.

Opus est discretione inter hunc diuinum & corporalem cibum. Anselm.

Maximè nocent ficui vermes. Plinivs.

12. Decimooctauò, maximè nocent ficulneis vermes, eas enim interiùs corrodunt & exedunt ac planè inutiles & infructuosas reddunt. *Vermiculatio,* ait Plinius lib. 17. cap. 24. *maximè obest ficu, idque ante caui corticis sono experiuntur.* Similiter, taliter vermes peccatorum obsunt gratiæ nobis per sacram Eucharistiam conferendæ vt illi maximum obijciant obijcem ne in animam nostram defluat.

Vermes peccatorum ponût obicê gratiæ nobis per Eucharistiam conferêdæ.

13. Decimononò. Fici habent rationem cibi & potus, non tantùm sedant famem, sed & sitim extinguunt, pascunt, & more aquæ reficiunt. Talis nobis Christus in Eucharistiâ: corpore nos pascit, sanguine reficit. Notat S. Vincentius Ferr. Christum quando pascebat turbas 5. panibus & duobus piscibus nihil vini vel aquæ præbuisse ad bibendum, cùm tamen omne conuiuium administret tum cibum, tum potum, huius rei rationem assignans ait; *Debemus dicere ne prandium videatur imperfectum, quia Dei perfecta sunt opera, quod biberunt, & quod illi panes & pisces fuerunt simul cibus & potus: de pane & de pisce exibat quidam liquor, qui refocillabat comedentes.* Deinde hæc omnia Eucharistiæ accommo-

commodans, cuius hoc miraculū pulcherrima quædam adumbratio, ſic ait, *quia in hoſtiâ conſecratâ eſt totum corpus ex vi verborum & totus ſanguis ex concomitantia reali.*

Quæ ſub imagine ficulneæ, ſuperiùs dicta de Euchariſtia, accommodantur arbori vitæ, tanquam vſitatiori eius ſymbolo.

§. XVI.

Euchariſtia adumbrata in arbore vitæ.

1. SI alicui pro ſymbolo ſacræ Euchariſtiæ magis arrideat arbor illa vitæ collocata in medio paradiſi, quàm hæc noſtra ficulnea, poterit arbori illi vitæ, ſuperiora omnia, quæ de Euchariſtia in medium ſunt allata taliter accommodare.

CONC. I.

Ratio 1.

2. Chriſto in Euchariſtiâ conuenire nomen arboris vitæ patet ex illa ſubſcriptione litterarum, quæ ad Angelum Epheſi dantur, quæ ita habet: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.*

RVPERT.

Quoniam igitur (inquit Rupertus ſuper hunc locum) *primis parentibus, quia corripienti Deo non acquieuerunt, ſed peccatum ſuum excuſarunt, lignum vitæ interdictum fuit Geneſ. cap.3. rectè modò pœnitenti lignum vitæ repromittitur, quod eſt ipſe Chriſtus, cuius & in cæleſti paradiſo viſione, & in præſenti, corpore, ſanctæ reficiuntur animæ.* Et expendens verbum illud: *Dabo*, ſic ait: *Sæpè enim qui nondum vicit, id eſt, nondum egit pœnitentiam, edit de hoc ligno vitæ, manducans videlicet corpus & bibens ſanguinem Domini: verùm non illi dat Chriſtus, ſed ipſe rapit, atque adeò iudicium ſibi manducat & bibit.* Itaque vides Rupertum hunc eſum ligni vitæ, tum ad viſionem beatificam tum ad Euchariſtiæ communionem referre. Quæ poſterior ex-

PASCHAS.

poſitio eſt etiam Paſchaſij Abbatis lib. de corpor. & ſang. Chriſti cap.7. Quo in loco poſtquam hanc mouit difficultatem: Cur ſcilicet arbor illa vitæ, quam poſuit Deus in medio paradiſi, cùm vim haberet vitam dandi & conſeruandi vitam, nihilominùs nemini communicauerit, vel hunc effectum nemini contulerit, quaſi fruſtra & in vacuum fuiſſet plantata, quod tamen de Dei operibus minimè ſentiendum? ſic reſpondet: *Arbor quidem ligni vitæ, Chriſtus, nunc in Eccleſiâ eſt, cuius imago in paradiſo arbor illa fuit. Idcircò ſcire conuenit quòd veritas hîc completur quam priùs figura præmiſit.*

BARCEPHA.

Barcepha in comment. de paradiſo part.2.cap.6. varias afferens arboris vitæ myſticas ſignificationes, ſic ait: *Alij denique corpus & ſanguinem Chriſti Dei noſtri, arborem vitæ vocari putant.* Qualiter Chriſtus in Euchariſtiâ vitam conferat vide ſuprà ſect.26.§.7.

CONC. II.

3. Arbor vitæ conferebat homini non vulgarem vitam, ſed lætam & floridam: idem etiam præſtat Euchariſtia. Vide ſuprà ſect.26. §.8.& 9. Ratio 2.

CONC. III.

4. Quemadmodum autem arbor vitæ non ſolùm conſeruabat homini integras vires, ſed etiam humorem naturalem meliorem ſuggerebat & calorem naturalem refractum roborabat, confortabat & in meliorem ſtatum reſtituebat: ſic etiam Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ ad ſimilitudinem arboris vitæ, & augmentum gratiæ adminiſtrat, & charitatem mirum in modum confortat. Qualiter autem Euchariſtiâ tribuatur nobis robur pro reparatione virium deperditarum pulchrè inter alia id docet arboris ſimilitudine Laurent. Iuſtinianus lib. de diſcip. & perfect. monaſt.cap.19. Vide etiam hac de re Barradium in Euangel. conc. tom.4. lib. 3. cap. 11. §. *Quemadmodum calor*, &c. Atque hinc eſt quod huius arboris vitæ fructus, nimirum caro & ſanguis Chriſti verè dicantur cibus & potus Ioan.cap.6. *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus.* Nam cùm ideò ſit inuentus cibus, vt abſumptas animalis vires perfectè reſtauret, mortemque ablegat, vnus cibus Euchariſticus verè muneri ſuo ſatisfacit, quia vnus perfectam reſtaurationem donat & mortem penitus exſufflat. Introducta immortalitate ſic D.Paſchaſ. lib. de Sacr. corp. Chriſti cap. 19. fatus. *Generaliter homines cibum & potum permaximè appetunt, vt non eſuriant neque ſitiant & ne moriantur; hoc vtique communis iſte non præſtat cibus, nec potus, ſed caro Chriſti & ſanguis qui immortales & incorruptibiles facit ideò verè cibus & potus nominantur.* Ratio 3.

CONC. IV.

5. Arbor vitæ inſigniter nutriebat hominem: ita etiam Chriſtus in Euchariſtiâ: vide ſuprà ſect.26.§.2. Ratio 4.

CONC. V.

Sicut fructus arboris vitæ, erat maximè dulcis, & delitioſus, ita etiam Chriſtus in Euchariſtiâ, vide ſuprà ſect.26. §.1. & §.3. Ratio 5.

CONC. VI.

Habuit autem fructus arboris vitæ non tantùm rationem cibi, ſed & pharmaci miræ virtutis, quod antequam conuertatur in ſubſtantiam hominis, purificat, reficit atque ſanat ipſum corpus, maxima ex parte malos & deprauatos humores diminuens, vel in totum expellens: talis nobis eſt Chriſtus in Sacramento Ratio 6.

cramento Eucharistiæ, vide suprà sect. 26. §. 11.

CONC. VII.

Ratio 7. Primarius huius arboris vitæ fructus, est vnio cum Christo, vide suprà sect. 26. §. 6.

Qualiter Christus, fidelissimo custodi suo, Iosepho, se instar ficus fructuosæ, exhibuerit, in remunerandis sibi præstitis obsequijs.

SECTIO XXVII.

Iosepho, exhibuit se Christus instar fructuosæ ficus.

1. SI seruans ficum, comedat fructus eius, & qui custos est Domini sui glorificetur ab eo, vt legimus Prouerb. cap. 27. qualiter putas glorificatum à Domino Deo Iosephum, tot obsequia & ministeria ei fideliter exhibentem.

Quæ obsequia præstiterit Iosephus Christo. Christum veste sua operuit.

2. Vis videre quæ obsequia præstitit Iosephus Christo? Inprimis, Iosephum veste sua Christum natum cooperuisse, sicut & Virginem capitis sui velo, antiqua traditio est, & tum vestis, tum velum Romæ in Ecclesia S. Anastasiæ seruantur.

Portauit, deduxit, nutriuit, custodiuit. ISOLANVS

3. Secundò, Iosephus Christum portauit, brachijs gestauit, deduxit, amplexatus & deosculatus est, nutriuit & custodiuit, vnde de Iosepho sic Isolanus 2. p. c. vlt. *Iosepho datum est, quod multi Reges & Prophetæ, cùm vellent videre, non viderunt, audire & non audierunt: Non solùm videre & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari & nutrire & custodire. Quid obsecro B. Iosepho accidisse putamus, quando flammigero amore, & ignita charitate infantem Iesum brachijs suis gestabat? quando vt pater amantissimus ei dicebat: Quid à me petis ô fili mi? O Deus immortalis, annue, iube, impera, quia quem patrem putari mandas, seruum tuum se esse gestit & gloriatur. Tu es Deus verus: tu sapientia Patris: tu splendor gloriæ: tu salus humani generis: te adoro ô fili mi: te amo: & à te amari opto. O dulce solatium! O fons amoris! Liquefacta est in te anima mea præ tui amoris dulcedine.*

Hospitem excepit, &c. ISOLANVS.

4. Tertiò, *Iosephus*, vt scribit Isolanus p. 3. cap. 19. *Dei filium hospitem excepit nudum pannis operuit, esurientem pauit, infirmum per infantiam visitauit & tandem quidquid humanitatis exhiberi oportuit mortali homini, Ioseph Deo homini facto exhibuit. Quo mentis affectu, quâ dulcedine, quâ intellectus eleuatione animaduerteret amabilis Ioseph Christum dilectissimum, Deum carne circumdatum? pedes quidem contingens, flammescenti dicebat susurro: Terra, mi Iesu, scabellum pedum tuorum: manus videns, mente reuoluebat Dauidicum illud: Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me, in faciem cælo sereno præstantiorem aspiciens, dicebat: Domine in lumine vultus tui ambulabunt.*

5. Idem 2. p. cap. 4. sic scribit: *Vide quantæ latebant in sanctissimo Ioseph, virtutes, quibus filium Dei educaret, aleret & vestiret: ad varia enim animantium genera alenda, atque educanda, omnium corporum cælestium vis occurrit, quas ab angelis orbium motoribus, accipiunt; Ioseph autem verbi Dei, quòd per cælestes orbes, & angeli conditi sunt, & in esse conseruantur, enutriuit & aluit. Ioseph profectò plusquam Iosaba, filia Regis Ioram fuit, ac in eâ præfiguratum est, quæ Ioas infantem clam nutriuit, & aluit, ac Regem Israel tandem constituit, vt habetur 4. Reg. 11.* IDEM.

6. Quartò, Iosephus Christo semper adstabat, numquam à Christo recedens. Vnde de sanctissimo Ioseph ait Isolanus 1. p. cap. 16. *Deo semper adstat chorus Angelorum, quorum nonnulli in ministerium mittuntur, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Putásne Ioseph Christi præsentiam, siue in infantili ætate, siue in puerili, siue in adolescentia, siue in iuuentute sponte aliquando deseruisse? Eidem pariter Christo deseruiebat, magno cordis iubilo, etiam propter eos qui hæreditatem accepturi erant salutis. Quare consequitur, vt vitam contemplationi Christi Dei addictam duceret, quâ absens quoque pro varijs rerum familiarium negotijs, mente fruebatur vt Angelica in eo luceret conuersatio.* De Angelis enim scribitur Matth. cap. 18. *quoniam semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Christo semper adfuit. ISOLANVS.

7. Quintò, Iosephus conseruauit Christum. Vnde Chrysostomus homil. 3. in cap. 2. Matth. *Vides quia Ioseph non ad coniugium Mariæ erat electus, sed ad ministerium eius. Eunte illa in Ægyptum & redeunte, nisi desponsata illi fuisset quis ministerium ei tantæ necessitatis impleret? Nam in primâ quidem facie, Maria puerum nutriebat, Ioseph conseruabat.* Christum conseruauit. CHRYSOS.

8. Iosephum tamquam paradisi & arboris vitæ, id est, Virginis matris & pueruli Iesu custodem contemplatur Bustus in Mar. 9. p. serm. 1. assumpt. 1. sic scribens: *Virgo Maria paradisus dicitur, in cuius medio positum est lignum vitæ, cuius folijs sanantur infirmi, cuius odor viuificat mortuos, cuius sapor dulcorat amaros, cuius vmbra refrigerat mortuos, cuius aspectus lætificat Angelos. Ad cuius custodiam electus fuit per matrimonium B. Ioseph, & non alius, inter innumeras hominum turbas, quæ sub cælo erant, fuerantque ab orbe condito, aut erunt vsque ad diem iudicij.* BVSTVS.

9. Sororia

ISOLANVS.

9. Sororia sunt quæ scribit Isolanus 3.p. cap.22. *Memento, ait, sacra seriem Geneseos, asserentem Deum posuisse Cherubim qui paradisi terrestris custos fuit atque seruator: Reminiscere quoque Virginem matrem paradisi typo signatam, & Christum lignum esse vitæ: quod plantatum est secus decursus aquarum. Porrò si isthæc explorata creduntur veritatis, cur non Ioseph Cherubim asseuerandus est, qui & Virginis sanctissimæ, & Christi custos, à Deo immortali positus fuit.*

Ioseph angelo comparandus. ISOLANVS.

10. Qualiter autem Ioseph meritò Angelo comparetur, sic probat Isolanus 1.p. cap.16. *Angelici dicendi sunt, munditiam virginitatis semper spirantes, sapientiam exprimentes diuinam, dum prudentissimè consilia perficeret angelica, ac diuina ardens charitate Deum verum manibus pertractaret: numquid coram magno perseuerans igne diu quispiam frigescit? Deus autem noster ignis ardens est, cui per singulas horas Ioseph adstabat.*

Iosephus custos thesaurorum Dei. BERN. SENEN.

11. Iosephum fidelissimum custodem thesaurorum Dei vocat Bernard. Senensis serm. de S. Ioseph sic fatus: *Ioseph ab æterno Patre electus est fidelis nutritius, atque custos principalium thesaurorum suorum, scilicet filij eius, ac sponsæ suæ. Quod officium fidelissimè prosequutus est, cui propterea Dominus Deus ait: Serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui: in quibus verbis de isto sanctissimo viro Ioseph, describitur triplex bonum. In primo exprimitur nobilitas generationis. Ibi: Serue bone. In secundo gratiositas conuersationis & gratiæ, ibi: Et fidelis. In tertio sublimitas glorificationis, ibi, intra in gaudium Domini tui.*

Prudentia Iosephi fuit Christo instar scuti.

12. Sextò, Iosephi prudentia, fuit Christo instar scuti aduersus omnes dæmonis insidias, vt optimè ponderauit Isolanus 2.p.cap.4. sic dicens: *Fuit Ioseph Christi pueri contra insidias diaboli, & astutias defensor: magna profectò erat, & mortalibus inexplicabilis virtus, Iosephi vis, quæ vehementiora diaboli nocumenta superare poterat. Non est potestas super terram, quæ diaboli potestati comparari queat Iob 41. Neque astutia, neque dolus, quæ cuncta aduersus Christum puerum, quanta potuit malignitate, exercere studuit. Cui incognitas Iosephi virtutes Deus omnipotens opposuit. Quàm fortis, quàm excelsus, quantâ fulgebat prudentiâ Ioseph, qui aduersus fortissimum callidissimum, ac nequissimum diabolum, filium Dei infantem ac puerum protexit, & defendit. Hic quoque Ioseph matris virginis pudorem tutatus est tanta fide & sapientia, vt etiam intellectum Angelicum diaboli obtenebrauerit: Oppressa enim fuit mens diaboli à Maiestate prudentiæ Ioseph.*

Christi genealogia adumbrata in scala Iacob, cuius supremus gradus Iosephus, cui innixus Christus.

13. Septimò, Rupertus de gloria filij hominis lib.2. expendens Christi genealogiam apud Matth. cap.1. quam, postquam Patriarchas recitasset, sic claudit: *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus,* existimat eam adumbratam in scala illa Iacob Genes. cap.28. Supremum verò scalæ gradum esse Iosephum cui Christus innixus tamquam tutori pupillus. Do illius verba: *Ecce scala illa quæ in somno Iacob apparuit, quando parentibus obediens ibat in Syriam: Scala illa ista est generatio Iesu Christi, & latera scalæ summi Patres vel Principes sunt huius generationis, Abraham atque Dauid, ad quos promissio facta. Supremus scalæ gradus, cui Dominus innixus est, iste est B. Ioseph, vir Mariæ, de qua Iesus qui vocatur Christus natus est. Quomodo iste Deus & Dominus huius innixus est? vtique tamquam tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo sine patre natus est; ita innixus est huic B. Ioseph, vt esset infantulo iste pater optimus, vt huius solatio paterno puer cum virgine puerpera sustentaretur.*

RVPERT.

Quieuit Christus planè in Iosepho.

14. Octauò, quieuit Dominus planè in Iosepho iuxta illud Gen.cap.2. *Requieuit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat, & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in illo cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Dominus.* Super quo deuotè & eleganter dixit Isolanus 3.p. cap.1. in hæc verba: *Benedixit autem Deus diei septimo, quia requieuit in eo ab omni opere quod patrarat. O quoties Iesu, maximè in gremio Ioseph quieuisti? eius collum tuis tenens brachijs, illius hærens pectori, ac humeris. Quieuit igitur Deus in Ioseph corporaliter, quieuit spiritualiter per donum gratiæ gratum facientis: quieuit fiduciâ, desponsans ei matrem: quieuit curâ vocans eum Patrem, quieuit lætitiâ, laboribus eius viuens. Verè Ioseph magnus ille dies Sabbathi, in quo quieuit Deus gloriosus ab omni opere quod patrarat.* Sic ille. Ecce qualiter Iosephus instar optimi serui Dominum Iesum custodierit.

ISOLANVS.

Quæ Iosephi glorificatio respondeat præfatis illius obsequijs.

15. Vis iam scire quæ Iosephi glorificatio respondeat hisce suis obsequijs Domino suo Christo exhibitis? *Qui seruat ficum comedet fructus eius*, ait Sapiens, fructus, inquam, duplices, tam temporaneos quàm serotinos: ita & Iosephus ob sua in Christum ministeria & obsequia duplicem consecutus est fructum, nempe temporaneum huius vitæ, & serotinum vitæ futuræ. Temporaneus huius vitæ fuit summa dulcedo, quam hausit ex familiari cum Christo conuersatione, quæ tanta erat, vt dicere potuerit illud Iob *Petra fundebat mihi riuos olei. Nullus vnquam fuit*, ait Bustus 4.p.serm.12. *qui tantum, tam frequenter & assiduè de dulcissimo Iesu & dulcissima matre eius participauerit, sicut noster Ioseph, qui, vt creditur, per triginta annos cum eis familiariter fuit conuersatus: Non parum ante baptismum mortuus est, vt communiter tenetur. Si beatus Ioannes Euangelista semel dormiens in sinu Iesu tantam consolationem recepit, vt fluenta Euangelij, de eius sacri pectoris fonte potauerit. Et si*

Iosephus, à Christo consecutus est fructum temporaneũ & serotinũ. Temporaneus fuit summa dulcedo, quam hausit ex Christi familiari conuersatione.

BVSTVS.

frater

frater Ruffinus socius S. Francisci semel videns gloriosam Virginem sibi apparentem cum filio in brachijs, tantam recepit suauitatem, quòd quasi eius anima exierit de corpore; quid obsecro dicendum aut sentiendum erit de nostro Iosepho qui per tot annos, noctibus & diebus, inseparabili contubernio cum eis vitam familiarem & domesticam agebat? Dic mihi dulcissime Ioseph, quale gaudium habuisti in sanctissimæ natiuitatis nocte? cantabant Angeli & tu dulcedine repletus, cum feruore ignem ad calefaciendum puerum Iesum & Matrem eius faciebas? Antequam pastores ab Angelis vocati Saluatorem mundi videant & adorent, antequam Magi ab oriente, stella duce, pergant, thesauros suos aperiant & prouoluti dona mystica puero Iesu offerant, tu illum fide integra agnouisti, charitate flammigera adamasti, & tandem primus post benedictam matrem regem regum magno iubilo adorasti. Dic mihi dulcissime Ioseph, quanta tibi erat tenerrima dulcedo & consolatio, quando filium Dei te patrem compellentem audiebas? Et quando eundem in mensa tibi seruire volentem conspiciebas? Dic mihi dulcissime Ioseph, quantum gaudebat cor tuum quando videbas dulcissimum Iesum in labore & artificio tuo adiuuantem? Dic mihi dulcissime Ioseph qua dulcedine replebaris quando ipsum paruulum Iesum tenebas brachijs, osculabaris, & stringebas suauiter, non semel tantùm sicut Simeon senex, sed quotidie frequenter? Dic mihi dulcissime Ioseph quali dulcedine fruebaris quando Dei filius te suis brachijs amplexabatur, & dulciter osculabatur? Non dubium profectò quin tu illi decantabas: Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis. S. Franciscus & S. Clara colloquẽtes de Deo in ecstasim rapti sunt, & ita igne Spiritus Sancti inflammati, vt à circumstantibus videretur totum monasterium, in quo erant, ardere: quid obsecro tibi contingebat, quando cum sanctissima sponsa tua de cælestibus loquebaris, & non solùm de Deo, sed cum ipso Deo? profectò stupebas audiens mirabilia, quæ non licet homini loqui, & solum exclamando, dicebas: Consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Hæc Bustus.

16. Diuina & suauia colloquia inter Christum & Iosephum brachijs illum stringentem sic delineat Isolanus. 2. p. cap. 13. & cap. 15. *O quoties Ioseph infantem Iesum brachijs gestabat eius amore languens: O quoties iam loquenti Iesu, & rationem ostendenti dixit Ioseph: Quid à me petis, ô fili mi, ô Deus immortalis? Annue, iube, impera, quia quem patrem putari mandas, seruum tuum se esse gessit & gloriatur. O dulce solatium! O fons amoris, liquefacta est in te anima mea, præ tui amoris dulcedine! O quoties infantem exosculans, quàm dulcissime aiebat: O fœlicia oscula, quæ humani generis Sancti Patres per tot & tanta secula exoptauerunt; hic est enim cuius oscula optantur à canticis exordientibus: Osculetur me osculo oris sui: Nonnunquam Ioseph diuinum infantem considerabat & præ gaudio eliquescens dicebat: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia, ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput tuum aurum optimum. Oculi tui sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. Genæ tuæ sicut areolæ aromatum, labia tua lilia distillantia myrrham primam. Manus tuæ tornatiles plenæ hyacinthis, venter tuus eburneus distinctus sapphiris. Et cùm infans Iesus, ore proferre verba cœpit, aiebat Ioseph, vox dilecti mei quàm suauis & decora. Vox hæc illius est de quo scribitur: Semel loquitur Deus, & amplius non repetit illud, en repetit decies & ampliùs.* Et concludit: *Certè si vitam omnem per multa annorum curricula, quam Ioseph, attentissimè animaduertit, in Christi infantia, pueritia, & adolescentia, ac iuuentute prosequi voluero, consurgat caput in volumen grande, necesse est; quis quæso Ioseph exarsisse non crederet, cùm Iesum contingebat, gestabat, & brachijs suis portabat eum, qui ignis venerat, ignem mittere in terram, volens vt ardeat? Quapropter contemplantis animi ardentissimæ flammæ Illhæc in lucem prodenda relinquo.*

ISOLANVS.

17. Temporaneus etiam huius vitæ fructus fuit, quòd ipse Dominus, factus fuit seruus & subditus Iosepho; cui humillimum præstitit obsequium. Vt ex historijs Catholicorum orientalium ex Hebræo in Latinam linguam traductis refert dictus Isolanus 4. p. cap. 9. his verbis: *Ego conuersatus sum cum Ioseph in omnibus, sicut si essem filius eius, & eram per omnia sicut ipse, & obediebam ei in omnibus nec vnquam transgressus verbum illius, & eram subditus illi sicut filij parentibus, & diligebam Ioseph valde, sicut pupillam oculi mei.* Quod considerans Gerson serm. de natiuitate Virginis consi. 3. rei magnitudinem sic exclamat. *O miranda prorsus Iosephe sublimitas tua! O dignitas incomparabilis, vt mater Dei, Regina cæli & Domina mundi appellare te Dominum, non indignum putauerit? Nescio sanè, quid hic amplius habeat mirabilis, vel humilitas Mariæ, vel in Ioseph sublimitas, quamuis incomparabiliter exuperet vtrumque puer Iesus, benedictus in secula, de quo scriptum est. Et erat subditus illis. Subditus fabro is, qui fabricauit auroram & solem, subditus fæminæ textinæ, cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium & infernorum.* Phil. 2.

Temporaneus fructus, quòd ipse Dominus factus fuerit Iosophi seruus.

ISOLAN.

GERSON.

18. *Hæc obedientia Christi Iosepho exhibita,* ait Isolanus 2. parte cap. 14. *maioris arguit dignitatis sanctum fuisse Ioseph, quam vlla mortalium ingenia excogitare queant. Quis enim intelligere poterit illius maiestatem, qui Deo imperauit, cuique Deus ipse subditus fuit? hebetis sunt ingenij, qui Ioseph munera à Deo concessa non esse peculiaria summamque non arguentia sanctitudinem, innocentiam, charitatem, & gloriam, & erat, inquit Euangelista, subditus illis.*

ISOLAN.

Temporaneus fructus quod vidérit Christi corpus gloriosum.
BVSTVS.

19. Temporaneus etiam huius vitæ fructus fuit, quòd Ioseph gloriosum Christi corpus non semel viderit, vt vidit in monte Petrus. Quod ita expendit Bernard. à Bustis ser. 12. de desponsat. Mariæ, vbi ita exclamat, *O sanctissime Ioseph si Petrus semel tantùm videns gloriam & pulchritudinem Iesu transfigurati dixit, vt habetur* Matth. 17. *Domine bonum est nos hìc esse, quid tu dicere debebas, cui non semel sed sæpius, vt piè creditur se benedictus Iesus transfiguratum in corpore glorioso ostendit?*

Temporaneus fructus fuit quòd Christus morienti Ioseph præsens fuerit, &c.
BERNARDINVS.

20. Temporaneus etiam fructus huius vitæ fuit quòd Christus morienti Iosepho se præsentem exhibuit, cohortatus est, consolatus est, & vt bene expendit S. Bernardinus Senens. sermon. de S. Iosepho hisce verbis: *Licet quo tempore mortuus fuerit Ioseph non legatur in sacro textu: tamen probabiliter creditur, quòd defunctus est ante Dominicam Passionem. Non enim absens fuisset à Dominica Cruce si extitisset viuus: & ipso viuente non oportuisset sacram Virginem alteri recommendari per Christum dum moreretur in Cruce: fortè etiam mortuus fuit, ante Christi baptismum quia ex tunc nulla de eo in Euangelio mentio facta est, nisi quod Christo improperabant fuisse filium fabri, cùm Mat. 13. dicebant: Nónne hic est filius fabri? Piè igitur credendum est, quòd in obitu suo, præsens fuerit pius Iesus Christus, & sacratissima Virgo sponsa sua. Quantas putas exultationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes & æternorum bonorum reuelationes recepit in transitu suo à sanctissima sponsa sua, & à dulcissimo filio Dei Iesu, relinquo deuotæ menti contemplandum vel considerandum. Voluit enim Deus ipsum mori ante Dominicam passionem, maximè propter duo. Primò, ne in morte Christi immenso dolore cruciaretur: Secundò, vt priuilegium fidei solum in tempore passionis in Virgine remaneret.*

Téporaneus fructus quòd Iosepho nomen in cælo & in terra celeberrimũ.

In scriptura multoties repetitum Iosephi nomen.

21. Temporaneus etiam huius vitæ fructus fuit, quòd Iosephi nomen celeberrimum est in cælo & in terra; ad terram quod attinet, nónne nomen eius multoties inuenitur in Euangelio repetitum? Nimirum Matthæi 1. num. 16. *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus*, & num. 18. *Cùm esset desponsata mater Iesu, Maria, Ioseph.* Et num. 19. *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus*, & num. 20. *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, & num. 24. *Exurgens autem Ioseph à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini*, & cap. 2. num. 13. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* & num. 19. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto.* Et Lucæ 1. numero 17. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph*, & cap. 2. num. 4. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa*, &c. & num. 16. *Et inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem.* Et cap. 3. num. 23. *Putabatur filius Ioseph.* Et cap. 4. num. 22. *Nónne hic est filius Ioseph.* Et Ioan. 6. num. 42. *Nónne hic est filius Ioseph?* Et alibi sub nomine parentis. Quod quidem mirâ Dei prouidentiâ gestum non dubitamus, vt optimè aduertit Albertus Magnus super Missus est, cap. 47. in hæc verba: *vt iustus apud Deum demonstretur Ioseph, cuius nomen tanquam in libro vitæ scriptum in Euangelio signanter exprimitur, vt notus hominibus intelligatur qui testis virginitatis beatæ Virgini adhibetur, vt nomen eius dignè in memoriam hominum vertatur, qui in patrem Dei assumitur putatiuum.* Et eodem intentu dixit D. Bonauentura Opusc. de vita Christi cap. 6. *Verè de S. Ioseph dici potest, quod laus eius est in Euangelio.*

ALBERT. MAGNVS.

In cælo honorabile Iosephi nomen.
ISOLANVS.

22. Non solùm in terris apud homines, sed etiam in cælis apud Deum, Angelos & homines glorificatos honorabile est, & esse debet nomen Sanctissimi Ioseph, vt pulchrè satis dixit Isolanus 4. par. cap. 7. & cap. 8. *Honoramus patronos vrbium sub festo solemni; cur non patronum Reginæ nostræ Mariæ Virginis eodem venerabimur honore? quantis plausibus, quâ lætitiâ, quibus honoribus ac præconijs personare cælestem credimus Hierusalem cùm Ioseph nominatur? quem parentem Deus ipse vocare dignatus est; quem Regina Angelorum sponsum amantissimum adhuc clamitat?*

Fructus serotini quibus gaudet S. Ioseph.
Christus assumpsit Iosephum in corpore & anima.
BERNARDINVS.

23. Vidisti fructus temporaneos, vis videre serotinos quibus gauisus est Iosephus? Quia Ioseph custos fuit Domini sui, Dominus sicut in corpore & anima assumpsit sacratissimam matrem in cælum, idem affirmare possumus etiam contigisse Iosepho. De quo hìc S. Bernard. Senens. serm. de S. Iosepho: *Piè credendum est, non tamen asserendum quòd pijssimus filius Dei Iesus, pari priuilegio decorauit suum putatiuum patrem, sicut suam sanctissimam matrem: vt sicut illam assumpsit in cælum in corpore & anima gloriosam: sic etiam in die resurrectionis suæ sanctissimum Ioseph in gloria resurrectionis secum: vt sicut illa sancta familia, scilicet, Christus, Virgo, & Ioseph, in laboriosa vita & amorosa gratia simul vixerunt in terris: sic in amorosa gloria nunc, & corpore & anima regnat in cælis iuxta regulam Apostoli 2. Cor. 1. Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. Scriptum est enim Matth. 27. multa corpora Sanctorum surrexerunt, qui dormierant, id est, obierant: Secundum enim Hieronymum hoc factum fuit Domino resurgente: quia Dominus fuit primogenitus mortuorum & princeps Regum terræ, dicitur Apoc. 1.*

In cælo gaudet peculiari gloria.
CAPITEF.

24. Quia Ioseph custos Domini sui, Dominus in cælo illum afficit peculiari gloria, vt optimè adnotauit Capitefon. lib. de perpetua Virginitate Mariæ & Iosephi dicens: *Sanctissimus hic Ioseph inter tot labores & mortis pericula fuit semper constans vt mater, hic multa pro Christo & cum Christo passus est. Qui ergo compassus est & socius passio-*

num

num, tentationum & periculorum Christi fuit, nónne & cum eo regnaturus & glorificandus erat? Si socij paßionum estis, ita eritis & consolationum: Si compatimur & conregnabimus, ait Apostolus. Hinc conijce quanta sit eius gloria in cælis, quàm amplum regnum, & quanta consolatio, quia Reges non tantùm gratiam habent his qui sibi iam regnantibus & glorificatis seruiunt, atque illis qui eis in minoribus constitutis, cùm nulla appareret spei futuræ gloriæ, regni, seruire fideliter, ac constãter adhærere voluerũt; nam quòd martyres pro Christo iam regnante paßi sunt, hi laudem quidem magnam merentur, sed maiorem noster Ioseph, qui pro Christo puero, nulla futuri regni in se adhuc signa habenti, tanta pati & subire pericula, tanto cum amore, & constantia voluit. Certè Iosepho conuenit quod Christus dixit Apostolis Lucæ 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronis, &c.

Excepta Virgine, in gloria nemo maior Iosepho. BVSTVS.

25 Quinetiam in cælesti gloria neminem, excepta Virgine, maiorem esse Iosepho, affirmat Bustus in mariali 4. p. ser. 12. hisce vsus verbis: *Cùm gratia similiter & gloria naturam non tollat, sed extollat & perficiat: cogitemus pia deuotione, quod si vinculo quodam naturali obligatio consurgit filij ad matrem & matris ad sponsum suum, & vtriusque scilicet filij & matris ad fidelißimum, vigilantißimum & sedulum custodem & nutritium Iosephum, qui fuit caput Mariæ, habens inde auctoritatem aliquam in Mariam, sicut & Maria suo modo in filium suum Iesum, iure naturalis maternitatis, quantus æstimandus est, iustus ipse Ioseph in gloria & in cælis, qui talis & tantus inuentus est hic in miseria & in terris? Ex quibus patet, quod nullus sanctus in cælis est maior S. Ioseph post Virginem benedictam.*

Iesus, Maria, Ioseph, in cælo non separati. OSORIVS.

26. *In terra*, ait Osorius serm. 2. de S. Iosepho, *Iesus, Maria, Ioseph, qui coniunctißimi fuerunt, qua ratione in cælo erunt loco separandi? nec enim decet dulcißimum sponsum suum procul à se positum Mariam videre; nec dulcißimum & fidelißimum patrem sibi in terra coniunctißimum procul à se positum conspicere Christum, imò conuenit maximè quòd hi tres qui se in vita intimè dilexêre, vt probauimus, in morte etiam non separentur, sed quod ordine Euangelij, Iesus, Maria, Ioseph, sint in cælo collocati.* Sic ille. Vide latiùs de Iosephi glorificatione disserentem Petrum Morales in cap. 1. Matth. lib. 5. tract. 11.

Deus annuit votis aliquid petentium in nomine Iosephi. ISOLANVS.

27. Quia Iosephus custos fuit Domini sui, Dominus eum glorificat annuẽs eius votis, exaudiẽs clementiùs, & abundantiùs effundẽs munera cælestia, eum inuocãtibus. Quæ omnia sic exprimit Isolan. 4. p. c. 8. *Apud cæli ciues*, inquit, *non minuitur charitas. mutua dilectio, affectus, vota non perduntur, sed ad perfectum vsque ascendunt. Nam qui secundùm Deum hic mutuo se dilexerunt, cùm fuerint cælestem ingreßi patriam ampliori se dilectione prosequentur, nulla illic erit inuidia, communis lætitia, communiaque cætera: Quod si hæc in sanctis inueniuntur, quid erit in sancto sanctorum, Deo vero? Itaque cùm Dei filius intuetur in lumine suæ gloriæ quempiam sancto afsici Iosepho, illius studere honori, eius implorare suffragia, gaudet profectò, vt filius suum nutritorem honoret, annuit votis, exaudit clementiùs, & pro paterna gloria abundantiùs munera inuocantibus effundit cælestia: quia tota applaudit curia cælestis quãdo Saluatoris nutritor honoratur.* Vnde meritò sic Bustus: *Qui igitur vult aliquid à Deo obtinere accipiat B. Ioseph pro aduocato suo ante Virginem benedictam sponsam suam, & B. Virginem apud filium suum & Dominum Iesum antè Patrem cælestem, & omnia impetrabit.* BVSTVS.

28. *Vide*, (ait Christophorus Capitefont. lib. de perpet. virg. Mar. & Ios.) *filij Regum quanta pro suis nutritijs faciant, & pro suis nutricibus, & quanta apud eos pro suis amicis poßint impetrare. Non credas Christum vnquam obliuioni daturum, quantum Iosephus pro eo laboris sustinuerit, quãtum illi debeat, atque ideo multa pro eo, & fecit semper olim, in illius gratiam deuotis eius facere paratus in æternum erit. Leoni comparatur Christus propter animi generositatem, & nobilitatem. Leone autem nihil est magis gratum, & memor, nihil quod acceptum beneficium, maiori cum diligentia, & animi gratitudine rependat.* CAPITEF.

Quod arbor fici sit pulcherrimũ Virginis speculum.

SECTIO XXVIII.

Ficus speculum Virginis, exprimens qualis in seipsa sit, nempe fructuosa, interiùs candida, præsertim in Conceptione.

§. I.

COMPARAVIMVS Christum in superioribus ficui, libet nunc ostendere fici conditiones & proprietates optimè Virgini adaptari, ipsamque ficum speculum pulcherrimum esse sacratissimæ Virginis, siue respicias quid in seipsa sit, quid nobis sit, quid Deo sit. Ficus speculum Virginis si consideres quid in seipsa sit.

1. Si respicias quid in seipsa sit, ficum illam esse conuenienter dixeris. Primò, quia Ficus maximè fructuosa.

quia ficus maximè est fructuosa, imò tam fructuosa, vt sæpe primo anno quo plantata est soleat fructus dare. Vnde homo ille qui plantauerat ficum in sua vinea, etiam primo ad eam venit anno, quærẽs fructum, non vtique primo anno venturus nisi & illo soleret ficus fructum ferre. Quis referet quàm repleta fructibus Maria? non solùm primo anno, sed primo momento quo per conceptionem est plantata hæc arbor virginea in materno vtero, plena fuit fructibus gratiæ, cùm tamen si alios omnes respicias homines, tunc in illis non sit tempus ficuũ gratiæ; tunc enim in illis non ficus bonæ, bonæ valdè, vt in Virgine, sed malæ, malæ valdè. Sola Virgo nunquam fructu caruit, sed fructum gratiæ Deo exhibuit à primo conceptus sui momento.

Sic Maria plena fructibus gratiæ etiam in materno existens vtero.

2. Fici lignum maximè album & candidum, sic Virgo planè alba, planè candida etiam primo suæ conceptionis momento. S. Spiritus Virginem vocans ad altissimam coronam diuinæ maternitatis, sic ait Cant. 4. *Veni de Libano sponsa, veni de Libano, veni coronaberis.* Quæ verba explicans S. Hieron. ait: *Non immeritò igitur de Libano venire iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata niue candidior.* Cur S. Hieronymus ad declarandam Virginis puritatem non assumit similitudinem lini vel byssi albissimi, sed niuis? quia illa primò fuêre difformia & nigra, per multas autem lotiones peruenerunt ad illum candorem, verùm nix semper candida, & semper nigredinis expers: ita etiam res se habet in Maria, & meritò quidem, quia ipsa est æterni patris primogenita filia, diuini verbi mater, & S. Spiritus sponsa, imò sacratissimum templum, quæ omnia conuincunt illam etiam primo conceptionis momento fuisse maximè candidam & puram.

Fici lignum album & candidum, sic Maria candida, etiam primo suæ conceptionis momento.

HIERON.

3. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quòd Virgo concepta fuerit absque omni macula peccati originalis. Nam si oculos deflectas ad Deum Patrem, nónne Maria illius est filia primogenita, nónne ab Ecclesia Virgini accommodantur illa verba Eccli. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Si Angelos, si primos homines Deus in gratia creauerit, quid Deo decentius, quàm vt primogenitam filiam etiam in gratia crearit. *Constat*, ait Hieronymus epistol. ad Paulam & Eustoch. *beatam & gloriosam Virginem Mariam, ampliora promeruisse virtutum priuilegia & percepisse gratiam ab ipsis Angelis collaudatam; vnde etsi mirabilis fuit eorum virtus, mirabilior tamen in Maria, quam obumbrauit virtus Altissimi, vt vltra omnem virtutem angelicam sit; Quod factum est in ea, & admirabile cunctis sæculis Sacramentum.* Sic ille. Conuenienter sic etiam Bernar. *Magnum est Angelo vt minister sit Domini, sed Maria sublimius quiddam meruit, vt sit mater tantò excellentior Angelis facta, quantò differentius præ ministris nomen matris accepit.*

Vt filia Patris planè decet Virginem cõceptam esse absque peccato originali.

HIERON.

4. Si cælestis Pater, & Virginem percussit maledictione peccati originalis, si aliquando filia iræ Maria, qualiter salutatur ab Elisabetha benedicta inter mulieres, si non caruit peccati originalis macula, & quomodo fructus ventris dicitur benedictus, si processit ex matre semel maledicta?

5. Si filium consideres, nónne hic Mariam elegit in matrem? Et quis dubitet eum honorasse talem matrem, vt decebat talem filium? Vnde Methodius in serm. de hypopante. *Qui dixit honora patrem & matrem, vt decretum à se promulgatum obseruaret, atque adeò hac in parte alios excelleret, omnem matri gratiam & honorem impendit.* Pulchrè Ierocles Philosophus lib. de liberorum officijs erga parentes. *Quoniam matris semper est anteuertere filiorum officia, sit aliquando filij, cùm præsertim queat, anteuertere matris postulationẽ.* Si boni filij sit anteuertere matris petitionẽ, & antequam petat ea matri præstare, quæ ad illius spectant consolationem, honorem &c. Cùm Dei filius extiterit ante Mariam, quis dubitare potest, instar boni filij se præuenisse & anteuertisse petitionem matris, cùm illi planè perspectum fuerit antequam illam formaret, nihil illi gratius futurum, postquam iam formata, quàm quòd immunis esset à macula peccati originalis?

Decuit vt Maria tanquam Dei mater libera esset à peccato originali.

METHOD.

IEROCL.

6. Præterea, nónne ait Sapiens Prouerb. 17. *Gloria filiorum, patres eorum.* Quem locum postquam adduxisset Diuus Thomas p. 1. q. 27. art. 4. vt probet Mariam liberam fuisse à peccato veniali, subiungit: *Ignominia matris ad filium redundasset.* Si ignominia fuisset Christo, habuisse matrem maculâ peccati venialis deformatam, quanta foret illi ignominia matrem habuisse maculâ peccati originalis infectam, quæ nos constituit filios iræ & mancipia diaboli?

D. THOM.

7. Exodi cap. 21. legimus: *Qui maledixerit Patri vel matri, morte morietur.* Si subdita semel peccato originali Maria, ergo semel maledicta à filio, & qualiter in humanam mentem cadere potest Christum semel matri suæ maledixisse? *Dictum est de Christo*, ait Ambrosius de Instit. virg. c. 8. *quòd confortauit seras portarum suarum, & suam portam confortare non potuit? confortauit profectò.*

AMBROS.

8. Planè conuenisse vt Christus de impolluta nasceretur, sic adstruit D. Augustinus serm. 20. *Dei filius pro redemptione hominum homo factus est, vt caro per carnem liberaretur, quia verò à corruptione liberandus erat homo. Ideo pretium redemptionis incorruptum esse debuerat: propterea Maria Mater electa est, vt de mundissima matre, mundissimus filius nasceretur, & ita fuit omnibus gratijs fœcundata, & omni sanctitate repleta, vt sicut in cælo filius habuit patrem immortalem & æternum: sic & in*

AVGVST.

in terra haberet matrem omni corruptione carentem: igitur in cœlo qualis pater, talis filius: & in terra qualis mater, talis est secundum carnem filius. Sic August.

RVPERT. 9. Huc refero quæ tradit Rupertus in cap. 2. Cant. lib. 2. vbi sic Virginem loquentem introducit: *Priusquam nascerer, illi præsens aderam, antequam fierem, bene illi cognita fueram: Si enim dicitis, vt verè dicitis, quia elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, nónne & de me rectè sentitis & rectè sentiendo dicitis: quia elegit me ante mundi constitutionem, vt essem sancta & immaculata in conspectu eius?*

Decuit Mariam tamquam sponsam S. Spiritus concipi absque peccato originali. 10. Si personam attendas S. Spiritus, nónne Maria illius est dilectissima Sponsa? Cùm ergo præuideret eam suam fore sponsam, an dubitandum quin illam sanctificauerit, & ab omni macula peccati originalis præseruauerit. *Dum in peccato concipimur*, ait D. Bernard. ser. 12. grad. humil. *à serpente strangulamur: dum in peccato concipimur* ait D. August. lib. 1. de Gen. ad lit. *à diabolo iugulamur.* An iam in humanum potest cadere sensum sanctum Spiritum permisisse, vt quam habiturus erat in sponsam, permiserit antea strangulari, antea iugulari à diabolo?

BERNAR. AVGVST.

11. Nónne Maria templum est Spiritus Sancti? Quî ergo hic permittere potuit, quod illud primò occupatum & violatum fuerit ab aduersario suo diabolo? Audi Cyrillum Alex. homil. quæ habetur in actis Concilij Ephesini, cap. 6. *Quis autem vnquam de architecto audiuit, quòd sibi ipsi templum extruxerit, & in eo habitare prohibitus sit, propter inimicum?*

CYRIL. ALEX.

CYPRIA. 12. Pulcherrimè & neruosè D. Cyprianus ser. de Natiu. Christi. *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis, communibus afficeretur iniurijs, nam plurimum à cæteris differens, natura communicabat non culpa.*

PET. GRE. 13. *Tria sunt genera hominum*, ait Petr. Greg. lib. de repub. *alij liberi sunt, atque ingenui, qui nunquam seruierant; alij liberti, qui seruierunt, id est, qui fuerunt seruituti obnoxij, sed tamen per manumissionem libertatem adepti sunt; alij serui, qui in seruitute ipsa semper manent. De libertis autem dixit Martianus Imperator: Libertis nota, & macula quædam, inter ingenuos remanet, vtpote ob receptum beneficium ab illis à quibus acceperint.* Sic ille. De quopiam scribit Oratius: *Quem omnes rodunt, libertino patre natum. Spurius legitimatus*, ait Baldus in cap. fin. de transf. epist. *vel aliqua alia ratione nobilitatus, similis est ægro curato à vulnere, cuius semper aliqua remanet cicatrix.* Si ita se res habeat inter homines, quis audeat dicere sacratissimam Mariam semel seruam fuisse diaboli, postea verò libertate donatam, fuisse quidem filiam iræ, sed Deo reconciliatam, fuisse aliquando spuriam & immundam, dum degeret sub potestate dæmonis, sed postea donis cælestibus nobilitatam, cum hisce omnibus non obstantibus, apud ingenuos angelos, & in gratia conditos, Mariæ tanquam libertæ, nota & macula quædam remaneat? si à vulnere sanata cicatricem retineat? Si à quolibet aduersario rodi possit, illi objiciendo quod cùm serua esset, libertate donata sit?

Libertis remanet nota quædã inter ingenuos.

ORATIVS.

BALDVS.

14. Suffragatur hac in re Virgini ipse Mahomet, vt scribit Petr. Galat. lib. 7. de arc. c. 5. cuius hæc apud eum verba: *Nullus nascitur de filijs Adam quem non momorderit Sathan, præter Mariam & filium eius.* GALAT. Suffragatur Virginis immaculatę conceptioni Mahomet.

15. Suffragatur & ipse impurissimus Lutherus. Verba Lutheri quibus confirmabat immaculatam Virginis conceptionem refert Canisius lib. 1. de B. Virgine cap. 8. quę ita sonant: *Mariæ conceptio piè creditur sine peccato originali facta, vt scilicet in ipsa animæ infusione, diuinis dotibus fuerit redimita, ad accipiendam sanctam animam à Deo ipso infusam: & ita in primo momento quo viuere inciperet, omnis peccati expers erat* &c. Et paulò inferiùs: *Non enim ad eam dici posset: Benedicta tu inter mulieres, si aliquando maledictioni obnoxia fuisset. Dignum etenim & iustum erat, personam hanc ab originali peccato præseruari, de qua Christus sumpturus erat carnem, quæ omnia peccata superaret. Illud enim propriè benedictum vocatur, quod diuinâ gratiâ donatum est, hoc est quod peccato caret &c.* Suffragatur Lutherus. CANISIVS.

16. De ipso Erasmo, cælesti huic lunæ, instar canis rabidi, semper oblatrante & instar muris, Virginem rodente, scribit idem Canisius in Apologia ad librum Alberti Pij, quod hæc dixerit verba: *Profiteor, mihi magis probari sententiam illorum qui Mariam faciunt immunem ab omni peccato, neque remitto, dicebat Erasmus ad eã quæ hac de re scribit Pean discipulus meus in hæc verba: Tu felix illa plantula de Iessea radice subnata, nihil tamen inde genialium sordium trahens: Tu sacratissimum pacifici regis templum tam magnificum, vt in eo rex Olympi præsideret; tam sacrum, vt nullâ vnquam peccati labe potuerit prophanari.* Suffragatur Erasmus. CANISIVS.

17. Quamuis autem Virgo non peccauerit in Adamo, non inde sequitur eam non fuisse participem sanguinis & redemptionis Christi, quod enim præseruata fuit à peccato originali, id planè adscribendum sanguini Christi. Ezech. cap. 1. legitur, *Et super firmamentum quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni*, hunc thronum dicit Hugo Card. symbolum esse Virginis: *Thronus saphirinus est beata Virgo, quæ exaltata est super firmamentũ, id est, super choros angelorũ.* Cur quæso Virginis pulchritudo exprimitur sub similitudine sapphiri, non verò adamantis &c.? Affirmat Albert. Mag. sapphirum esse ex maximè pretiosis gemmis pretiumque eius maximè augeri ex rubeo colore quo tingitur. *Ad rubedinem declinantes*, ait. Vides cur Maria assimiletur throno sapphirino, nimirum vt significet si quid in illa est pretij siue valoris, promanare ex sanguine

Quod Maria præseruata à peccato id adscribendum sanguini Christi. HVGO CARD.

Virgo thronus saphirinus, saphirus æstimatus ex colore, sic Maria ex sanguine Christi. ALBERT. MAGNVS.

ſanguine Chriſti, quodque abſque iſta rubedine nunquam digna fuiſſet tanto valore.

Maria roſa ex ſanguine Chriſti deinde candidũ lilium.

18. Ipſa Virgo oculos conjciens in fontem vnde illi tanta promanat pulchritudo, ait Cant. 2. *Ego flos campi & lilium conuallium.* Pagninus legit: *Ego roſa campi & lilium conuallium.* Nota, primò Maria ſe dicit roſam, quæ colore rubro imbuta, & poſtea lilium candido colore inſignitum, volens ſignificare, candorem ſuæ innocentiæ prouenire ex rubedine ſanguinis Chriſti.

Bernar. Maria cõparat Chriſtũ crucifixũ myrrhæ, qui ſicut illa preſeruat corpora, ſic paſſio Chriſti Mariam præſeruauit à culpa.

19. De hac gratia loquebatur Virgo cùm dicebat Cantic. 1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Per myrrham arborem ſpinoſam & amaram intelligit S. Bernard. ſer. 43. in Cant. Deum crucifixum, ſpinis coronatũ, felle potatum, & inſtar faſciculi myrrhæ in cruce exaltatum. Cur Virgo ſub ſimilitudine myrrhæ deſcribit Chriſti pœnas? An quia myrrha amariſſima, ſicut & Chriſti pœna, illi fuit dum ſtabat doloroſa iuxta crucem? Forſan ita ſe res habet. Sed meo iudicio comparat Chriſti pœnam myrrhæ, quia ſicut myrrha præſeruat à corruptione corpora: ita Chriſti paſſio, Virginem præſeruauit à corruptione peccati. Alijs fuit paſſio Chriſti medicina expurgans iuxta illud D. Pauli Hebr. 1. *Purgationem peccatorum faciens.* Virgini verò fuit medicina præſeruans, quia illa gratia ſanctificationis, vt ait Epiſcopus Chriſtopolitanus in Cant. c. 2. quâ fuit ſanctificata, non fuit ipſi collata niſi per merita paſſionis Chriſti, ſed per alium modum, nam in omnibus nobis fuit purgatiua peccati, ſed in B. Virgine Maria fuit illa gratia ab omni peccato præſeruatiua.

Paſſio Chriſti fuit Magdalenæ medicina præſeruans.

Eodẽ modo redempta Virgo quo Angeli.

20. Marci 16. *Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedẽtem à dextris coopertum ſtolâ candidâ.* Cur quæſo hic Angelus apparet tempore paſſionis & reſurrectionis Dominicæ coopertus ſtolâ candidâ? Scimus Neophitos ſolitos hoc tempore veſtiri alba veſte, vt ſignificent per baptiſmum, quo mediante illis applicatus ſanguis Chriſti ſe aſſecutos albedinem & candorem animæ. Apoc. 7. *Dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.* Fortaſſis etiam ipſi Angeli hiſce veſtibus albis volunt ſignificare ſe Chriſti ſanguine dealbatos. Verũ, inquies: Quid peccati illi commiſerunt vt opus haberent lotione ac dealbatione? Certè nulla vnquam fuerant peccati maculâ infecti, ſed vt ait Bernard. ſer 22. in Cant. *Qui erexit hominem lapſum, dedit Angelo gratiam ſtandi, ne laberetur.* Si tam excellenti modo redempti Angeli, an negare poterimus eodem honore non exceptam fuiſſe à Chriſto ipſam matrem? *Si Angeli*, ait Caniſius de Deipara lib. 1. c. 7. *à peccato fuerunt præſeruati: certè longè magis Maria quæ ſuper Angelos erat exaltanda.*

Bernar.

Caniſius.

Quod Virgo ſemper pura & candida, ſed candorem velans, & obtegens.

§. II.

1. Sacratissima Virgo non ſolùm pura & immaculata in cõceptione, verùm & per omnem vitæ decurſum, quem ſi examines nullum inuenies in eo, alicuius etiam leuiſſimi peccati maculam. De Virginis puritate, ſic ſcribit S. Vincentius ſer. in Purificatione Deiparæ: *Nunquam*, ait, *peccauit aliquo modo, nec corde malè cogitando, nec ore malè loquendo, nec opere malè operando: imò fuit purior ſole, in tantum quòd Spiritus ſanctus de ea philocaptus, de ſua puritate facit vnam cantilenam, dicens: Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es,* & rurſum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Andreas Cretenſis ho. 1. in Aſſumpt. *Mulier*, inquit, *quæ cælorum ſuperauerat naturam puritate.*

Vincen. Summa ſemper fuit Virginis puritas.

2. Virginem puritate tam homines quàm Angelos ſuperare paſſim adſtruunt Sancti Patres: *Tanta*, ait D. Hieronymus in epiſt. ad Euſtoch. & Paul. *erat Mariæ vitæ claritas. vt omnium vitam quodammodo obſcuraret. Omnis pulchritudo*, ait Maximus, *ad Virginem comparata difformitas eſt, & omnis innocentia peccatum.* Neque ſolùm homines ita obſcurat, ſed & Angelos offuſcat. *Nulla*, inquit Arnoldus Carnotenſis tract. de laudibus Virginis, *facta eſt Angelicæ dignitati iniuria, ſi illius excellentiæ cacumen Virgo exaltata ſicut cedrus in Libano obumbrat.*

Puritate ſuperat homines & Angelos. Hieron.

3. *Quæ enim vel Angelica puritas*, ait Diuus Bernardus ſerm. 4. in Aſſumpt. Deip. *Virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus ſancti ſacrarium fieri, & habitaculum filij Dei? Super Angelos eſt*, inquit Richardus de S. Victor. in Cant. cap. 39. *quia eos ſupergreditur puritate. Ad hanc puritatem & munditiam*, inquit D. Bernardinus tom. 3. tractat. de B. Virg. ſer. 11. art. 1. c. 1. *nulla pura creatura aſcendit, nec Angeli, nec virgines.*

Bernar.

Richar. Victor.

4. Ob ſummam illius puritatem quâ etiam Angelos antecellit, vocat illam D. Bonauentura tract. de B. Virg. ſerm. 1. to. 3. ſtellam maris: *Maria, ait, eſt ſtella puriſſima ſine peccato puriſſimè viuendo. Vnde de ea dici poteſt illud Sapientiæ. Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata inuenitur purior. Quidam legũt hic: Prior, quidam, purior. Vtrumque verò ſtellæ noſtræ competit. Maria enim eſt prior, id eſt, potior ſiue dignior, Maria etiam purior eſt ſole, & ſtellis & luce, quia tam dignitate quàm puritate ſolem & ſtellas & omnem lucem ſuperat corporalem, imò etiam ſpiritualem, id eſt, Angelicam creaturam, de qua dicitur:*

Maria vocatur ſtella maris ob puritatem. Bonav.

dicitur: diuisit Deus lucem à tenebris, id est, Angelos stantes à cadentibus. Hac vtique luce angelica, prior & purior est Maria, prior dignitate, & purior sanctitate. Hactenus D. Bonauentura.

Quanta fuerit Virginis puritas. S. BIRGIT. 5. Huc spectat elogium illud D. Ioannis Baptistæ S. Birgittæ reuelatum vt legimus lib. 1. reuelat. cap. 31. *Regina cæli sic pura fuit, quòd vna macula peccati inueniri nunquam potuit in ea, à principio ingressus eius in mundum, vsque ad vltimum diem mortis ipsius, nec omnes diaboli tantam impuritatem reperire poterant in ea, vbi cuspis acus poni posset. Ipsa verò erat purissima.*

Ob summã puritatem dicitur Virgo electa vt Sol. 6. Ob summam hanc puritatem dicitur Virgo *Electa vt Sol*, Græci solem vocabant Apollinem & Phœbum. Apollo ait Plutarchus, Latinè, *Solus, sine multis*, quod Latino nomini consentaneum, Sol enim dicitur. quia Solus. Phœbus idem quod purus, si vnum nomen alteri adnectas fit, *Solus purus*. Quo insinuare volebant Græci inter omnes creaturas solum solem esse purum. Habent enim reliquæ omnes admixtum aliquid impuritatis. Ecce ratio cur Virgo dicatur *electa vt Sol*. Ad eam puritatem significandam dicitur Apoc. 12. Amicta sole & lunam sub pedibus habere. Nam luna symbolum est imperfectionis, vtpote obnoxia maculis & obscuritati. Et, vt ait D. Bernardus sermone super *Signum magnum*: BERNAR. *Omnes defectus sub Maria & quidquid fragilitatis seu corruptionis, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit & supergreditur creaturis, vt meritò sub pedibus eius luna esse dicatur.*

Decebat Virginem Deum concepturam esse purissimam. CYRILL. HIEROS. ANSELM. 7. Et sanè planè conueniens & decens erat, quæ Deum esset conceptura tali puritate niteret. Nam vt ait Cyrillus Hierosol. Cathec. 12. decebat sanè purissimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis. Verùm luculentiùs D. Anselmus libro de Concept. Virgin. cap. 18. *Decebat vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret, nempe decens erat, vt ea puritate, quâ maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idemque communis Dei patris & Virginis filius: & quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat: & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur ille de quo procedebat.* Sic ille.

Quamuis Virgo purissima, tamen puritatem istam nouit abscõdere sicut ficus abscõdit internã albedinem sub nigricante cortice. 8. Sicut autem ficus albedinem & candorem internum, nullatenus ostentat, sed sub nigricante cortice tegit: ita sacratissima Virgo tantam puritatem sub nigro purificationis cortice aliisque modis eam tegere semper conata fuit, quemadmodum & omnia alia miranda mysteria in illa peracta, semper occultauit, & ab aliorum notitia, quantum potuit subduxit. Nulli maximum illud incarnationis mysterium in se peractum prodidit. Pulchrè de hac Virginis taciturnitate B. Thomas à Villanoua conc. 2. in Annunt. THOM. À VILLAN. Maria nulli prodidit maximum incarnationis in se peractum mysterium. *Ecce, inquit, Mater Dei, Domina mundi, cælorum terrarumque Regina constituta erat, & in eius purissimo vtero, tantum ac tale mysterium diuina virtute, celebratum fuerat & nemo ab ea nouit, nullus audiuit, nullus ab ea secretum didicit, tacuit, semper siluit, donec prodente Deo apud cognatam suam Elisabeth mysterium propalatum esse cognouit.* Sic ille. Imò nec sponso quidem mysterium illud prodidit, Ne quidem Iosepho. qui alioqui scire omnia debebat, & conceptus signa videns in suspicionem rapi videbatur, quam auferre ex eius mente statim poterat Maria, si rem vt res erat marito exposuisset, si Dei se matrem factam dixisset. Noluit tamen manifestare, omnia suppressit, silentij & modestiæ exemplar omnibus futura, vt ab ea Virgines & mulieres discerent, sua passim non effundere, nec Dei dona in publicum iactare, vt præfato loco bene expendit idem Auctor hisce verbis: IDEM. *Sed neque sponsus ipse Ioseph, cui manifesta signa conceptus grauissimum suspicionis dolorem ingesserant, ab ea quidquam audiuit, donec reuelante Angelo mysterium cognouit: Discite, vos virgines occultare secreta, discite, ostensa vobis celare mysteria: Si quid secretiore mentis cubiculo in aure cordis auditis, non statim effundere super tecta: Ad vos illud Prophetæ verbum spectat: Secretum meum mihi.*

De quibusdam causis ob quas Virgo seruauerit Purificationis legem.

§. III.

Puritatem suam sub nigro purificationis cortice abscondit Maria. 9. SED quid est quod Virgo tegat puritatem illam suam cortice illo nigro purificationis, quæ præsupponit præcedentes aliquas sordes, antecedentem quandam immunditiam? Nónne D. Bernardus in sermon. de Purificatione, BERNAR. hunc Virgini sermonem affingit: *Quid mihi opus est purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cuius vterus nesciens virum templum factus est Spiritus sancti? cur non ingrediar templum quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil purgandum, nimirum cùm proles ista fons puritatis sit. Quid in me legalis purificet obseruatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato?*

10. Sanè neque hac purificatione, neque vlla alia animi expiatione, Virgo absque vlla peccati labe concepta, vnquam opus habuit, nihilominus ob certas rationes hanc purificationis legem subire voluit.

11. Primò, ex humilitate humiliter legi voluit

Virgo purificationis seruauit legem ex humilitate.

voluit obedire, cui nequaquam erat deuincta. Vnde Iustinianus in serm. de purif. rectè ait: *Virginem supra legem fecerat gratia, sed sub lege humilitas.* Christus quoque Opt. Max. lege Moysis minimè adstringebatur, legi tamen paruit. Vnde illud Is. 9. *Cuius principatus super humerum eius.* Chaldæus sic interpretatur: *Suscepit legem supra se, vt seruaret eam.* Bom enim principis est, leges seruare, quas populo seruandas imponit; & imperium suum, hoc est, quod imperat alijs super humerum ferre, iuxta illud D. Isidori lib. 3. sent. c. 52. *Iustum est principem legibus obtemperare suis, tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet quando & ipse illis reuerentiam præbet.* Item; *Non conuenit Principes in se frustrare iura, quæ in subiectis constituunt. Iusta est enim vocis eorum auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.*

IVSTIN.

ISIDORVS.

Secundò, vt tolleret omnē scandali occasionem.

12. Secundò, voluit se Virgo subijcere legi purificationis, vt tolleret omnem scandali occasionem, quam dedisset omnibus qui ignorabant illam concepisse de Spiritu sancto, salua virginitate, nec enim hi aliter poterant iudicare, illam cernentes filium Iesum brachijs gestantem, quam eam more aliarum matrum, illius pariter esse matrem & per consequens obligatam etiam legi purificationis. Ideoque vel debebat Virgo mysterium incarnationis Dominicæ illis propalare, quod non expediebat, vel subire legem purificationis, nisi vellet dare occasionem scandali & haberi pro violatrice legis diuinæ, quod ne accideret, cùm esset à lege illa planè libera, liceitumque illi abstinere ab illa, nihilominus neglecta hac sua libertate illi se subiecit, ne scandali occasionem alicui daret. O vtinam omnes fideles hac in re Virginem imitarentur & etiam à licitis abstinerent, quando scirent infirmos inde scandalum accipere? Vide de vitando scandalo, ex vsu rei licitæ nobisque concessæ, prognato, D. Paulum 1. Cor. 8. & D. Chrysostomum hom. 20. in epist. 1. ad Cor. vbi eleganter explicat & fusiùs deducit quæ loco citato à Diuo Paulo dicuntur.

Tertiò, vt voluntariam suam erga Deum ostendat deuotionem.

13. Tertiò, subiecit se legi purificationis Maria, cùm illi tamen nullatenus esset obnoxia vt doceat quòd qui Deo placere appetunt non solùm debeant exequi, quæ obligatoria sunt, sed etiam quæ voluntaria sunt nec sub præcepto cadentia; neque enim meretur nomen boni serui qui non curaret nisi exequi illa in gratiam Domini, ad quæ sub comminatione pœnæ tenetur. In Dei domo qui sola seruant præcepta serui vocantur inutiles. *Cùm feceritis*, ait Christus Lucæ 17. *omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus. Quod debuimus facere fecimus.* Vis non esse seruus inutilis? Audi Origenem in cap. 3. epist. ad Rom. *Donec enim*, ait, *quis hoc facit tantum quod debet, id est, ea quæ præcepta sunt, inutilis seruus est. Si autē addas aliquid præceptis, tunc iam non inutilis seruus eris: sed dicetur ad te: Euge serue bone & fidelis*, &c. Optimè D. Bernard. tra. de præcept. & dispensat. *Si solis contenti estis præceptis & non sponte etiam perfectionis vos consilijs & suasionibus mancipatis, liberi quidem estis à debito, non tamen pro merito gloriosi. Euasistis pœnam, sed non acquisistis coronam.* In quibus Bernardi verbis notandum, non eum velle dicere illum non mereri præmium vel coronam qui sola seruat præcepta, nam certum est gloriam deberi illorum obseruantiæ; iuxta illud Christi Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, sed illud vult docere Bernardus, quod quantum ad rationem boni serui attinet, similis non habeat magnam gloriandi materiam, quodque nec magnam mereatur coronam, qui solùm illa quæ obligatoriā sunt peragit. Nam qui taliter se adstringit præceptis vt præter illa nihil aliud in gratiam Dei agat, videtur insinuare se neque præcepta seruaturum, nisi ad illa seruanda, sub comminatione pœnæ æternæ, teneretur, insuper aliqua ratione demonstrat se magis operari timore pœnæ, quæ respondet transgressioni, quàm amore Dei, cuius se seruum profitetur.

Qui sola seruāt præcepta serui inutiles.

ORIGEN.

BERNAR.

Apud Deū maximè gratiosus is est qui facit opera supererogationis.

14. Fælices illi qui præter Dei mandata quæ diligenter obseruant sollicitè intendunt alijs, ijsque varijs modis & inuentionibus, quibus Deo noua possint exhibere obsequia, illis videtur loqui Deus per Isaiam cap. 3. *Dicite iusto, quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet*, comedet, inquam, tam in hoc quàm in futuro sæculo, idque non paruum vel leuem, sed maximè eximium & honore plenum planè singulari, iuxta illud monitum Sapientis Prouerb. 1. filio suo datum: *Audi fili disciplinam patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ; vt addatur gratia capiti, & torques collo tuo.* In quæ verba D. Hieronymus: *Non sufficit, vt præceptis Dei obtemperare se dicat, nisi diuinam gratiam, (quæ nobis instar matris est) docentem sequatur.* Qui hanc sequitur matrem illiusque obedit inspirationibus, & deuotè exequitur illius consilia quamuis ad ea exequenda minimè obligetur, apud Deum maximè gratiosus & maximè honoratus existit.

HIERON.

Quartò, vt ostendat quanto in pretio debeat nobis esse spiritualis animarum purificatio.

15. Quartò, subijt purificationis legem Virgo vt doceat quanto in pretio nobis debeat esse quamque cordi spiritualis animarum nostrarum purificatio, vt benè obseruat Diuus Bernardus in paruis serm. 27. dicens: *Quid est quod dicimus beatam Mariam purificari? quid verò cùm ipsum Iesum dicimus circumcidi? Enimuero, tam non indiguit illa purificatione, quàm nec ille circumcisione. Nobis ergo & hic circumciditur, & illa purificatur: præbentes exemplum pœnitentibus, vt à vitijs continentes, primùm per ipsam continentiam circumcidantur:*

BERNAR.

Deinde

Deinde à commissu per pœnitentiam purificentur &c. *Maria*, ait Guarricus sermone 1. de purif. *non tam purificata fuit, quàm mysterium purificationis commendauit; implendo legalem, significando spiritualem*. Et paulò inferiùs. *Suscepit tamen mater totius puritatis, purgationis speciem, vt simul obedientissimæ humilitatis virtutem, & Euangelicæ purificationis insinuaret veritatem*. Virgo purissima erat, & tamen legem subiit purificationis, vt si fieri potuisset, purior redderetur. O Vtinam hanc imitemur Virginem, & maximo nobis sit in pretio animæ nostræ expurgatio non contenti quòd aliqualiter à grauioribus peccatis sit expurgata, sed insuper conantes, vt semper magis magisque expurgetur & ab omnibus imperfectionum næuis liberetur, clamantes cum Regio Vate Psalm. 50. *Ampliùs laua me ab iniquitatibus meis & à peccatis meis munda me*. De hac spirituali purificatione vide pulcherrimè disserentem Barradium tomo primo in Historia Euangelica libro decimo capite quarto, vbi inter alia sic scribit: Impleti sunt dies purificationis Virginis secundum legem Mosis, quæ nulla purificatione indigebat: impleantur etiam dies purificationis nostræ, secundum legem Christi, quâ maximè indigemus. Indigebat purificatione fœmina, quæ infantem pepererat, non indigebit vir vel fœmina, quæ horrendum monstrum peccatum peperit? O partum execrandum! ô conceptum detestandum! Psalm. 7. *Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*. Concipit impius dolorem, id est, peccatum, tartarei doloris causam: parturit iniustitiam, tandemque parit iniquitatem. Simile illud est Iacob. 1. *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem*. En partus impij sordidissimos, peccatum, mortemque semper æterno in igne vrientem. *Væ his pragnantibus & nutrientibus in illis diebus*. Matth. 24. hoc est in die iudicij. Lege Augustinum sermone 20. de verb. Dom. *Omnis*, inquit, *homo concipit, nec vllus potest esse sine conceptu: sed alij concipiunt de Christo, alij de diabolo. Sicut enim de illis, qui à diabolo concipiunt, dicitur concepit dolorem, & peperit iniquitatem: ita & de illis, qui à Spiritu sancto concipiunt, scriptum est Isa. cap. 26. A timore tuo in vtero concepimus & peperimus spiritum salutis tuæ* &c. Caueat quisquis diaboli partus fœdissimos edidit, ne priùs impleantur dies mortis eius quàm purificationis eius.

GVAR.

BARRAD.

Debent impleri dies purgationis nostræ.

Qui horrendum peperit peccatū eget quā maximè purificatione.

AVGVST.

Si impleantur dies mortis eius, antequam purificationis eius, nosti quid illi euenturum, & in quàm horrenda mala, ob partum illum fœdissimum peccati, sit casurus? Legimus apud Ioan. Villaneum libr. 8. cap. 35. Quod anno 1298. Rex Tartarorum Cassanus, cum ducentis equitum millibus Syriam cepit, & finitimas regiones: omnibus itaque formidandus, petiit sibi vxorem filiam regis Armeniæ, quòd audisset esse pulcherrimam. Rex Christianus, tanti Regis viribus territus dedit. Illa post aliquod tēpus è viro suo Cassano edidit in lucem, partum tantæ difformitatis, vt Rex maritus nullo modo, illum velut suum voluerit agnoscere; quod monstrum videretur. Vocat ergo ad consilium primarios & de ipsorum sententia vxorem veluti adulteram, & partum velut ex adulterio conceptum vltimo supplicio adiudicat, tametsi executio sententiæ miraculo impedita sit. Idipsum eueniet cuilibet peccatori tam enim deformem partum edit, peccatum scilicet mortiferum, vt propterea Deus adiudicet peccatorem, vnà cum sobole sua, æterno ignis supplicio: quodque amplius est, omnes illius proles, quas edidit priùs formosas & elegantes, comminuit & necat. Diceret fortè aliquis regem illum Cassanum minùs sapuisse, minusque rectè egisse: sed certè hoc de Deo dicere non potes: omni enim virtute, omni sapientia, omni pietate præditus est; & nihilominus peccatorem, sibi licet per baptismum desponsatum, ob fœtum illum peccati, quia nullo modo suum agnoscit, abiicit in infernum, nec eius commiseratione tangitur in æternum.

Caue ne impleantur dies mortis ante diem tuæ purificationis.

Quid acciderit peccatori qui secus fecerit.

16. Quintò, subiecit se legi purificationis Virgo, vt in obtegenda & adumbranda siue velanda puritate & dignitate sua, imitaretur dilectissimum filium. Hic enim suscipiendo circuncisionem, obumbrauit & texit propriam puritatem & dignitatem, cùm enim illa esset quasi peccati cauterium, non leuem dedit hominibus occasionem credendi ac diiudicandi quod & ipse esset de numero cæterorum peccatorum. Virgo ergo æmula tantæ filij humilitatis subiecit se legi purificationis, vt hac ratione tegeret suam puritatem, & diuinæ maternitatis summam celsitudinem; vnde sic Virginem alloquitur Diuus Bernardus sermone 3. de purif. *Verè, ô Maria! verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat circuncisione? est ergo inter mulieres tanquam vna earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum*. O vtinam etiam nos æmulemur Christi humilitatem, obedientiam, cæterasque illius virtutes!

Quintò, vt in velanda puritate imitaretur suum filium.

BERN.

17. Inter celebres sapientum Græciæ sententias, illa præ cæteris celebrata quæ his concepta verbis: *Sequere Deum*, vt testatur Diuus Ambrosius libr. 1. de Abrah. cap. 2. quâ significabatur hominem in eo omnes vires extendere debere, vt Deum imitetur. Et optimo quidem iure idipsum exigitur ab omni homine Christiano, nam

Deus ad imaginem suam creauit hominē vt imitator sui esset auctoris.

AMBROS.

Mm imprimis

imprimis ideo ad imaginem & similitudinem Dei creatus, vt sui esset imitator auctoris iuxta pulcherrimam doctrinam D. Leonis sermone 1. de ieiunio dec. mens. vbi sic scribit. *Si fideliter dilectissimi, si prudenter creationis nostræ, intelligamus exordium, inueniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset auctoris. Et hanc esse naturalem generis nostri dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat.*

Deus inuisibilis factus visibilis vt homo eum possit imitari.

AVGVST.

18. Deinde inter rationes, quibus permotus Deus vt homo factus se visibilem hominibus exhiberet, non vltima, vt hac ratione homo Deum antea inuisibilem sequi & imitari posset, vnde D. Augustinus sermone 25. de diuersis sic ait. *Deus sequendus erat, qui videri non poterat, homo sequendus non erat, qui videri poterat; vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Sic ille. Et Psal. 33. *Ne dedignaretur*, ait, *homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, vt vel sic superbia generis humani, non dedignaretur sequi vestigia Dei.* Et Greg. 29. moral. 1. *In natiuitate diuina Christus ab humano genere cognosci non poterat, proinde in humilitate venit, vt videretur videri voluit, vt imitaretur.*

BASILIVS.

19. Concinit præfatis Patribus D. Basil. libr. constitut. monast. cap. 2. dum ait: *Propter hoc enim etiam humanam naturam suscepit, vt in se velut in tabula quadam, veram nobis pietatem & virtutem depingeret: eamque omnibus nobis, maribus simul ac fœminis, ante oculos statutam vnicuique pro viribus imitandam ceu archetypum proponeret.* Et paulò inferiùs sic concludit: *Neque enim alia de causa, ille corpus nostrum quærit, nisi vt quoad fieri possit, nos ad imitandæ vitæ ipsius studia conformemus.*

Sicut Christus suscepit legem circumcisionis, sic Virgo suscepit legem purificationis.

20. Hæc cùm ita se habeant, studuit modis omnibus Maria, se similem exhibere Christo, & vitæ Christi, in sua propria tanquam in speculo, pulcherrimam exhibere imaginem, cumque cerneret Christum purissimum & alienissimum ab omni peccato suscepisse legem circumcisionis, voluit etiam ipsa licet purissima seruare legem purificationis. Itaque qui Virigini sunt addicti, persuadeant sibi dici à Virgine verba illa D. Pauli 1. Corinth. 4. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, magna securitas prorsus homini in Christi sequela, cùm ipse dicat Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*, & vt scribit Hieronymus in epist. ad Celantiam. *Nunquam errat qui sequitur veritatem. Semita iusti recta est*, ait Isaias cap. 26. *rectus callis iusti ad ambulandum.* In quæ verba sic Diuus Hieronym. *Huius ergo iusti semita recta recta est, quia in vna Christi semita, omnes iustitiæ reperiuntur: & propterea eam suo calcauit ac triuit pede, vt quicumque per eam voluerit ambulare cursu ambulet inoffenso.* Sic ille. Nónne ait Christus Ioan. 8. *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Non potest qui Christum sequitur non parem cum illo sortiri exitum atque terminum, vt meritò Christum in omnibus æmulata fuerit Maria, præsertim in insigni sua humilitate ad illius imitationem omnem suam puritatem & dignitatem tegens tanquam rudi ac subnigro quodam cortice, hac purificationis lege.

Fælices qui Christum imitantur.

HIER.

Non quia Virgo tegit puritatem ideo manet abscondita, sed potiùs fit manifesta.

21. Verùm quia Maria Christum imitata sic tegit puritatem & dignitatem, an ideo tecta manet & abscondita? absit. Quæ Virgo tegit, Dominus reuelat, & omnibus manifesta reddit. Et quanam hoc accidit ratione? nimirum Deo illam exteriùs tali decorantem, præsertim in facie, lumine & splendore, vt ex illis facilè colligeretur eam Dei esse genitricem. Ecce abscondit Virgo Iosepho incarnationis diuinæ in illa peractæ mysterium, & ipse Deus per Virginis glorificam faciem mox illi manifestat sponsam suam esse Deo grauidam. Legimus Matth. cap. 1. *Accepit Mariam coniugem suam & non cognoscebat eam.* In quæ verba sic Hilarius: *Propter sanctissimæ Mariæ glorificationem à Ioseph cognosci non poterat, donec peperit, Dominum enim gloriæ habens in vtero, quomodo cognosceretur? Si Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies vt non possent intendere in eum filij Israel, quantò magis Maria cognosci vel intueri non poterat, quæ Dominum potentiæ in vtero habebat.* Sic sanctus Hilarius apud Diuum Thomam.

Ex luminosa facie agnoscebatur à Iosepho, Virgo, quod mater esset Dei.

HILAR.

22 Legimus Lucæ 1. Elisabetham dixisse Virgini ad eam visitandam properanti: *Vnde hoc mihi quod veniat mater Domini ad me.* Vnde nouit Elizabeth Mariam matrem esse Dei? Audi Paulinum de S. Ioan. Bapt.

Ex fulgenti facie agnoscebat Virginē Christo grauidam.

ELISAB.

PLINIVS.

Illa vbi concepto fulgentem lumine longè
Conspexit Mariam, celeri procul incita gressu
Obuia progreditur, venerataq; brachia tendens
Salue, ô mater, ait, Domini, Salue pia virgo.

23. Legimus Lucæ 2. de Simeone. *Cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine* &c. Vnde cognouit Simeon Mariam matrem esse Domini? Timotheus presbyter Hierosolymitanus apud Lyppomanum 2. Februarij, agens de Virginis purificatione in templo, sic scribit: *Cùm fuisset in templo Simeon vidit quidem multas matres cum filiis suis in templum ingredientes ad peragendum sacrificium purificationis, iustus autem Simeon*

Simeon vidit inter alias mulieres Mariam diuino lumine circumdatam, & sic eam agnouit Christi matrem.

TIMOTH.

huc

huc & illuc oculos circumferens (responsum enim acceperat à spiritu Christum tunc offerendum in templo) postquam vidit multas matres in priuato habitu maternitatis, solam autem Virginem infinito & diuino lumine circumdatam separauit reliquas mulieres.

IGNATIVS. 24. Vnde S. Ignatius Martyr exardescens desiderio, coram intuendi virginem, & ea de causa S. Ioanni scribens, faceret ei copiam eam videndi, hanc adfert rationem. *Quòd intellexerit in humana eius facie elucere angelicam quandam puritatem, sicut nobis à fide dignis narratur; in Maria Iesu humana natura, natura sanctitatis angelica sociatur.* Sancta Birgitta in reuel. libr. 6. tenebatur maximo desiderio sciendi qualis fuisset, dum in terris ageret sua amantissima mater. Respondet autem Christus: *Caput quippe suum fuit aurum quasi fulgens, & capilli quasi radij solis.* Ecce qualiter luce illa externa Deus omnibus manifestam fecit matris dignitatem. Tu quoque, ô Christiane, si abscondas munera & dona tibi concessa à Deo, noli timere, non manebunt in tenebris sepulta, sed prædicare illa faciet Deus super tecta.

In Virginis humana facie, elucebat angelica.

BIRGITTA.

Sicut arbor fici humilis: Ita humillima Virgo.

§. IV.

1. QVartò, ficus arbor est humilis, ita virgo humillimam semper sese exhibuit, tam Deo quàm hominibus. De priori sic S. Bernardinus tomo 1. sermone 51. articulo 1. cap. 3. ait: *Sicut nulla post filium Dei creatura tantum ascendit in gratia dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profunda.* De posteriori sic Diuus Bernardus sermone de verb. Apost. expendens Actor. 1. post alias mulieres, vltimo loco Virginem poni. *Erant perseuerantes vnanimitèr in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, quod summopere miratus, ait, si fortè Maria affuit, nominetur prima, quæ super omnes est, tam filij prærogatiuâ quàm suæ priuilegio sanctitatis. Petrus & Andreas, ait, Iacobus & Ioannes, & cæteri qui sequuntur: Hi omnes perseuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Itáne & mulierum sese vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc discipuli, quibus necdum spiritus erat datus, quia Iesus necdum fuerat glorificatus, quando facta est inter illos contentio de primatu: cùm Maria quantò maior erat, humiliaret se non modò de omnibus, sed & præ omnibus.* Quid per humilitatem hanc suam assecuta fuerit Virgo, sic in sequentibus expendit idem Bernardus: *Meritò facta est nouissima prima, quæ cùm prima esset omnium sese nouissimam faciebat. Meritò facta est omnium Domina quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super Angelos exaltata est quæ & infrà viduas & pœnitentes, infrà eam de qua eiecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat.* Postremò, sic fideles omnes hortatur, ad æmulandam Virginis humilitatem: *Obsecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem: si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam eius, nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximeque monachum, nihil adeò decet.* Hæc Diuus Bernardus.

Ficus humilis: Virgo humillima imprimis Deo.

BERNARDINVS.

Dei hominibus.

BERN.

Maria ex nouissima facta prima.

Ficus exteriùs aspera & nodosa; ita etiam Maria.

§. V.

2. QVintò, ficus exteriùs est aspera & nodosa: ita & Virgo in externa sua conuersatione austera planè & mortificata. Primò per abstinentiam, quâ virginem excelluisse non est dubitandum, & colligitur ex illo eiusmodi verbo, quo nuptialibus conuiuis, non sibi vinum procurauit: non enim ait: Vinum non habemus, sed *vinum non habent*. Sanctus etiam Ambrosius de ea scribit libr. 2. de Virginibus. *Si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret.*

Ficus exteriùs aspera, sic Maria.

Primò, per abstinentiam.

AMBROS.

3. Secundò, per modestiam in vestitu, de quo Epiphanius presbyter Constantinop. in vita Deiparæ, & ex Epiphanio Nicephorus libr. 2. histor. cap. 32. scribit: *Vestimentis, quæ ipsa gestauit, coloris natiui contenta fuit, id quod etiam nunc sanctum capitis eius velamen ostendit,* & Cedrenus in compend. de eadem. *Vestes,* inquit, *amplexans, nullo colore tinctas.* Et Damascenus orat. 1. de Natiuit. *Honestum,* ait, *vestitus, mollitiem omnem & luxum fugiens.*

Secundò, per modestiam in vestitu.

EPIPHANIVS.

4. Tertiò, per solitudinis amorem, quam S. Ambrosius, ostendit ex eo, quòd Lucas ait, ingressum ad eam angelum. *Discant,* inquit libr. 2. in Lucam, *mulieres, propositum pudoris imitari, sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, sola sine comite, sola sine teste,* &c. Et libr. 2. de Virginit. *Prodire domo*

Tertiò, per solitudinis amorem.

AMBROS.

 nescia

nescia, nisi cùm ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus & propinquis.

Quartò, per silentij cultum. BERN.

5. Quartò per silentij cultum, de quo S. Bernardus serm. *Signum magnum*, loquens ait: *Pudibunda fuit Maria: ex Euangelio id probamus. Vbi enim aliquando loquax? vbi præsumptuosa fuisse videtur? foris stabat, quærens loqui filio: nec materna authoritate, aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua filius loquebatur, in omni denique textu Euangeliorum, non nisi quater Maria loquens auditur.*

Quintò, per rerum terrenarum penuriam Argumenta paupertatis in virgine. RICHAR. VICTOR.

6. Quinto, per rerum terrenarum penuriam & inopiam, cuius rei duo habemus in scripturis argumenta. Primum est quod virgo in sua purificatione, non dicitur obtulisse agnum, sed duos turtures vel duos pullos columbarum, de quo sic Richard. à S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virg. *Permaximum paupertatis eius extitit argumentum, quòd filium suum ad templum deferens, vnde solum vnum agniculum emeret, non habebat, cùm tamen in terra sancta multi agniculi inueniantur, & pro modico pretio habeantur: quis enim dubitat, si agnum habere potuisset iuxta præceptum legis, Leuit. 12. quin ipsum cum filio deuotissimè obtulisset? Imò certè si lex præciperet, & eos habere posset, vel mille agnos: legitur enim ibi sic: Cùm expleti fuerint dies purgationis, deferet agnum anniculum in holocaustum: compatiens autem Deus paupertati matris suæ, & eam præuidens, subiunxit post: quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbæ:* Aliud eiusdem paupertatis argumentum habemus ex eo quòd refert Lucas cap. 8. Sanctas mulieres de suis facultatibus domini Christo ministrasse: quod scilicet mater præ sua paupertate non poterat: præstitura, si illi facultas adfuisset, quod idem Richardus eodem loco his verbis confirmat. *Cùm aliæ sanctæ mulieres sequentes Dominum ministrarent ei de facultatibus suis vt dicitur Lucæ 8. patet, quòd mater non habebat vnde ministraret ei, quæ & ei libentiùs impenderet, & ille ampliùs ministerium eius acceptaret.* Hæc ille.

IDEM.

Sextò, per continuam corporis afflictionem. GREGOR. TVRON.

7. Sextò, per summum vitæ rigorem, eximiam austeritatem & continuam corporis diu noctuque afflictionem. De quibus sic Gregorius Turonensis in manuscriptis relatis à Patriarcha Hierosolymitano Francisco Ximenio l. 2. de vita Christi ca. 47. iis verbis: *S. Gregorius Turonensis in libello de salutatione Angelica scripsit se diuino oraculo monitum, agnouisse Deiparam, ex quo templum ingressa est, sine cilicio beatam illam carnem pungente, vixisse nunquam, illius vestes è vilissima lana, nullo infecta colore. Somnus ipsius semper humo nuda, vel duris tabulis adhærebat, nullo instructus lecto. Famem cælitus allato pane fugabat. Quæ verò à ministris templi in alimentum accipiebat, ea quotidie pauperibus erogabat.* Hæc ille.

Virgo cilicio induta &c.

8. Quid virgini opus tanta vitæ austeritate, in qua fomes omnis peccati extinctus atque deletus, in qua tanta, tamque fortia gratiæ præsidia, vt facilè omni posset præualere peccato, etiam minimo? Nimirum, vt doceat & instruat nos, quod si castitatem illabatam, sartam, tectamque conseruare velimus, opus nobis esse carnis maceratione. Si enim illam foueris, illique arriseris, molliter dulciterque tractaueris, iam arma potentissima illi præbes ad oppugnandam, imò expugnandam castitatem, iam auxiliarem illi manum commodas vt spiritum deuastet & opprimat. *Pascitur namque*, inquit Diuus Ambrosius lib. 1. de pœnitent. cap. 14. *libido conuiuiis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur, grauiora his sunt fomenta verborum quæ vino quodam sodomitana vitiis mentem inebriant.*

Vt castitatem tuearis, opus vitæ austeritate.

AMBROS.

9. Vnde sic opportunè monet Cyrillus Alexandrinus libr. 9. in Leuit. his verbis: *Nolite conqueri de infirmitate carnis: nolite dicere, quia volumus, & non possumus, volumus continenter viuere, sed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur stimulis eius: Tu das stimulos carni tuæ, cùm eam carnibus satias, vino nimis inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Sic Cyrillus. Preme illa: *Tu das stimulos carni tuæ*, tu illam armas.

CYRILL. ALEX.

10. Cui cogitationi opportunissimè locutus videtur Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 210. incautum & luxui deditum hominem sic monens. *Quandoquidem perinde quodammodo facis, vt qui ob deploratam valetudinem hanc potestatem accepit, vt nulli rei, cuius cupiditate teneatur, parcat, vtrum & & medicos valere iubeat, & iis epulis vtatur, quæ pestem & exitium excitant: propterea ibi reditus ad pudicitiam arduus esse videtur. At si tu luxui, qui ad venereos stimulos animum tanquam furore quodam adigit (nam hic libidinis radix, ac mater est) finem imposueris impudicitiæ quoque flamma extinguetur, detracta enim materia ignis quoque profectò, qui ex ea augetur & excrescit, opprimetur: quòd si tu materiam igni subministras, quonam tandem pacto desinet, ac conquiescet? Si conquiescentem feram excitas, quis eam sese agitantem, ac furentem cicurabit?* Hæc Isidorus.

ISIDOR. PELVS.

11. Huc etiam trahi possunt pulcherrima Senecæ epist. 116. verba, quibus docet nos superari à vitiis, non tanquam nobis fortioribus, sed quoniam nos illa amamus atque vires illis administrantes contra nos concitamus & armamus, eum loquentem accipe. *Occurres hoc loco mihi illa publica contra Stoicos voce, nimis magna promittitis, nimis dura præcipitis: Nos homunciones sumus, omnia nobis negare non possumus, dolebimus, sed parum: concupiscemus, sed temperatè: irascemur, sed placabimur: scis quare non possumus ista? quia nos non posse credimus: imò meher-*

SENEC.

mehercule: aliud est in re, vitia nostra quia amamus, defendimus: & malumus excusare illa, quàm excutere: satis natura homini dedit roboris si illa vtamur: si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certè non contra nos concitemus. Sic ille.

Carnis afflictione vires adimuntur carni.

12. Corporis afflictione & maceratione vires illi adimuntur, & arma, quibus spiritum oppugnabat & arietabat, spiritui verò robur non exiguum confertur & gratia ad carnem edomandam, & ceteros omnes superandos hostes, nam carnis afflictio est nobis instar cuiusdam aquæ ductus siue canalis, quibus mediantibus gratiarum fluenta in animam descendunt. Hinc apud D. Bonauenturam in vita Christi cap. 3. Deipara S. Elizabethæ dixisse fertur: *Pro certo habeas, quod nulla gratia descendit in animam nisi per orationem & corporis afflictionem.*

BONAV.

Ficus alterius speciei arbori non inseritur; ita Maria soli Deo non alicui creaturæ per amorem inserta.

§. VI.

Ficus in alterius speciei arborem non inseritur, ita Virgo soli Deo inhærebat per amorem.

THAVL.

13. SExtò, ficus alterius speciei arbori non inseritur propter eximiã dulcedinem: similiter virgo per amorem, nonnisi Deo inserta, vt patet ex iis quæ de illius vita & moribus scribit Thaulerus ser. in Nat. Virg. hisce verbis: *Cælestis huius ac beatissimæ Virginis cella, fuit cælum, in quo cum vniuersis desideriis suis; tota inclusa fuit. Schola illius fuit æternitas, enimuero à rebus temporalibus prorsus remota ac libera erat. Pædagogus eius diuina veritas fuit, cuncta namque ipsius vita, iuxta hanc scholam dirigebatur, liber eius conscientiæ ipsius fuit puritas, in qua nunquam non inueniebat, vnde delectaretur in Domino, speculum illius diuinitas fuit, nullas namque imagines nisi in Deum transformatas & indutas Deum, in se recepit. Ornatus eius, deuotio illius fuit, soli quippe interiori vacabat homini. Quies eius vnitas ipsius cum Deo fuit, quandoquidem cordis illius locus & thesaurus solus Deus erat.* Hæc ille.

Qualiter Virgo in Deo cor fixum habuerit.

AMAD.

14. Qualiter in solo Deo ac Christo cor fixerit & inseruerit Virgo venari possumus ex iis quæ de illa scribit S. Amadeus homil. 4. de laudibus B. Virg. in hæc verba: *Sæpe vt credimus, oblita esus ac potus, spretaq; carnali necessitate, noctes insomnes agebat vt Christum mente cogitaret, Christum carne videret, cuius ardebat desiderio, cuius flagrabat obsequio.* Pergit de eius somno. *Sæpe etiam agebat, quod in Canticis Canticorum scriptum est cap. 5. Ego dormio & cor meum vigilat: Carne quippe dormiens, animo vigilabat, nocturna quiete somnians quæ per singulos dies cogitabat, & vigilans in eisdem se inueniebat, & artus sopori concedens in pace in idipsum dormiens quiescebat.*

Ficus calidæ naturæ, ita Virgo calore Charitatis & fidei.

§. VII.

Ficus calidæ naturæ, Virgo plena charitate.

ILDEPH.

Virgo planè incensa diuino amore.

AVGVST.

15. SEptimò, ficus calidæ naturæ, ita Virgo planè incensa diuino amore, vnde sic de Virgine Ildephonsus serm. 1. de Assumpt. *Beatam Mariam velut ignis ferrum Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit & igniuit, ita vt in ea Spiritus sanctus flamma videatur, nec sentiatur nisi tantum ignis amoris Dei. Quis,* ait Diuus Augustinus apud D. Bonauent. in speculo cap. 14. *dubitare potest omnino charitatis affectionem transiisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ Deus est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit.* Ita vt amoris illius flamma etiam in admirationem rapiat Angelicos spiritus. Hinc Diuus Bernardus sermone 2. de Assumpt. Virg. postquam commemorasset verba illa Prouerb. 31. *Non extinguetur in nocte lucerna eius,* atque Deiparæ applicuisset, hæc protinus adscribit: *In sugillationem hoc dicitur fatuarum, quæ veniente media nocte sponso, conqueruntur serò, & dicunt, quia lampades nostræ extinguuntur. Processit igitur gloriosa Virgo, cuius lampas ardentissima, ipsis quoque Angelis lucis miraculo fuit, vt dicerent: Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? Clarius enim cæteris rutilabat, quam repleuit oleo gratiæ præ participibus suis Christus Iesus filius eius dominus noster.* Hæc Diuus Bernardus.

BERN.

Ardentissima virginis charitas causa quòd nunquam peccauerit.

26. Et hæc quidem eius ardentissima charitas, amorque Dei continuus adæquata fuit causa cur non peccarit vnquam Maria, nam hæc repellebat ab ea omne frigus niuis, id est, peccati cuiuslibet. Sicut enim ardor continuus opponitur niui, eamque excludit: sic amor continuus opponitur peccato, illudque excludit. Dico, continuus, quia si intermittatur ardor & amor, remittetur calor & feruor fietque tepor, ac subeunte frigore fiet nix, imò gelu & glacies frigidissima. Docet id Cornelius commentans illa verba Prouerb. cap. 31. *Stragulatam vestem fecit sibi,* ex

CORNEL.

 Alberto

ALBERT. MAGNVS. Alberto Magno, qui explicans illa verba: *Non timebit domui suæ, à frigoribus niuis*, assignat causam physicam cur nix sit frigidissima, eiusque generationis modum ex Aristotele lib. 2. meteor. sic ait: *Nix generatur ex vapore calido in media regione aëris vehementer eleuato, cuius significatio est, quia cadit latè ad modum lanæ carminatæ, hoc enim contigit ei, quia calor niuis tantus est, quod frigus non vincit nisi partem & partem, & non totum per partes magnas, ita vt totum indurare possit. Similiter quantum ad qualitatem est frigida vehementer, quia regula est, quòd quantò aliquid calidius fuerit, tantò efficitur frigidius cùm calor expellitur. Calor enim qui ante infuit, aperit poros, ita vt abundanter & vbique frigus ingrediatur, & ita multum capit frigoris. Huius signum est, quod calida aqua profundiùs constringitur & congelatur quàm in toto frigida. Quantum verò ad colorem est alba, eò quòd fit ex humido puro, disgregato primum per calorem nubis, & postea congelato per frigus. Albedo enim causatur à frigore ipsius, & humidi perspicuitate & luciditate.* Quæ singula mysticè peccato & peccatoribus accommodat Albertus. Cornelius verò ex citatis illius verbis, hanc elicit doctrinam. *Simili modo et hîc videmus eos, qui in religione zelo, cæterisque virtutibus ferventes, & flagrantissimi fuere, si hunc feruorem intermittant, fieri tepidos ac tandem maximè torpidos, frigidos & rigidos: perinde atque ij qui incaluerunt in hypocausto, si in aërem frigidum exeant, in poros calore apertos subintrante frigore, fiunt frigidissimi, imò in grauissima scelera prolabuntur, vti Lucifer, ex ardentissimo Seraphino factus est teterrimus cacodæmon: sic Iudas ex Apostolo, factus est Christi proditor: Lutherus ex monacho Doctore & concionatore factus est hæresiarcha. Vnde sanctus Augustinus ait se non inuenisse meliores iis qui profecerunt in monasteriis, nec peiores iis qui defecerunt in monasteriis. Verùm Beata Virgo quia Seraphicis amoris æstibus iugiter ardebat nullum dedit locum frigori aut tepori, sed in iis assiduè magis exarsit. Quare procul ab ea fugit omne peccatum, etiam tenuissimum, omnisque tentatio, sicut muscæ fugiunt ab olla feruente & bulliente, vt ait quidam sanctorum.* Hactenus Cornelius.

Cur nix sit frigidissima.

CORNEL. Feruentissimi, si tepescant fiunt frigidissimi.

Maria nullum dedit locum frigori.

17. Ex hoc Virginis amore erga Deum accidebat eam continuo Dei flagrasse desiderio iuxta illud Damasceni orat. 1. de Natiuit. Virg. *Cor putum ac labis expers, Deum spurcitie omni carentem cernens, ipsiusque cupiditate semper flagrans.* Et eodem loco sic affatur Virginem: *O diuinum ac viuum simulachrum, ad quod opifex Deus inuentus est, mentem quidem diuinitus gubernatam habens ac Deo soli operam dantem, cupiditatem autem omnem ad id quod solum expetendum atque amandum est intentam, iram verò aduersus peccatum dumtaxat ipsiusq; parentem.*

Ex amore Virginis nascebatur continuum Dei desiderium.

18. Quia verò vbi amor & desiderium, ibi trahuntur & oculi, sicut tota voluntate totoque amore ferebatur in Deum Virgo: sic etiam continuò intellectus oculos in eodem habebat defixos. Hinc illud Ioannis Damasceni loco cit. *Oculi tui semper ad Dominum, perenne atque inaccessum lumen intuentes.*

19. Vbi tam impensus in Deum amor, non potest non adesse magna diuinæ legis dilectio & custodia, nam vt ait ipse Dominus Ioan. 14. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit.* Et eodem cap. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui habet in memoria*, inquit D. Augustinus tract. 79. in Ioan. *& seruat in vita.* Hinc accidit Mariam maximè Dei legem dilexisse, iuxta illud Ambrosij in Ps. 118. *Qui diligit Deum, legem eius diligat, sicut Maria diligens filium omnia verba eius in corde suo, materno conferebat affectu.*

Ex Virginis amore nascebatur magna diuinæ legis custodia.

AVGVST.

20. Ardore fidei etiam planè incensa Virgo, tam ardens namque illius fides vt ne quidem in aquis & vndis frigidissimis maximarum & grauissimarum tentationum defecerit: De illius fide sic eruditè Beatus Albertus Magnus in cap. 1. Lucæ scribit: *Fidem habuit in excellentissimo gradu qua tam immensa rei sibi promissæ fidem adhibuit; quæ etiam discipulis dubitantibus non dubitauit, quæ omnia possibilia esse credenti certissima fuit: De primo horum dicitur Lucæ cap. 1. Beata quæ credidisti, perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. De secundo dicitur Iob cap 19. Pelli mea, consumptis carnibus, adhæsit os meum, consumptis enim carnibus, hoc est, mollibus discipulorum cordibus per dubitationem adhæsit os, solidum cor Virginis gloriosæ pelli extensæ in cruce per fidem.* Hæc & alia B. Albertus.

Virgo etiam incensa ardore fidei.

ALBERT. MAGNVS.

21. Tam fœcundæ fuit fidei, vt ne quidem in Christi Domini obitu ac passione, cùm ferè discipulorum & Apostolorum fides ac spes extincta est, Deiparæ fides inextincta magis ac magis enituit. Sic Bernardus de lamentatione Virg. *Non desperabat, sed piè ac iustè dolebat, sperans firmiter fortiterque tenens ipsum secundum promissum suum tertia die resurrecturum, in ipsa enim sola in triduo illo fides Ecclesiæ stabat, & dum vnusquisque hæsitabat, hæc quæ fide concepit, fidem quam ab eo suscepit semel, numquam perdidit, spéque certissima Domini resurgentis gloriam expectauit.* Quapropter quibusdam persuasum est, id sibi velle Ecclesiam cùm per tres hebdomadæ maioris dies ad matutinas horas cereos duodecim extinguit, vno tantùm reseruato, qui ritus, teste Amalario innuit Christo obeunte & patiente fidem ac spem in reliquis defecisse, sed in vna virgine viuam atque splendidam perseuerasse.

Virginis fides vel spes, non extincta in morte Christi.

BERN.

Octauò, ficus aquis immersa, quantumuis eam humectent non tamen mergitur

Ficus aquis iniecta, non mergitur, sic virgo

aquis tribulationũ immersa, non illis obruitur.

tur sed contra naturam aliarum arborum in aquæ fluitat superficie: Sic Virgo præsertim tempore passionis Christi immersa & repleta tot tribulationum aquis non in iis mergitur, non illam obruunt, non eius charitatem extinguunt, sed omnibus illis superior, stat iuxta Crucem, & aliis fugientibus Christo constanter adhæret. *Tanta virtute Christum dilexit*, ait Guilhelmus in cap. 1. Cantic. *vt ad titulum suæ laudis sufficiat, quod mentem eius tanta vis amoris occupauerat, vt fugientibus discipulis, oblita sexus fragilis ipsa cum lachrimis adstans Cruci & condolens morienti animam suam pro filio suo, etsi minimè posuit, patiendo, tamen exposuit compatiendo.* Hæc ille. Sanè verissimè Virgini competit quod Canticorum 8. vers. 7. dicitur. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Aquæ multæ, tribulationes multæ fuerunt, quas cum filio & propter filium passa est; Sed flumina fuerunt tres illæ horæ iuxta crucem: quæ tum charitatem eius non modò non extinxerunt, sed potiùs accenderunt.

GVILHEL.

fuit Maria, quam totam possedit gratia: quia nullum in eu locum habuit peccatum, habuit quoque virtutes sine perturbatione vel passionibus vitiorum. Sic ille.

O quàm à cæteris hominibus præsertim peccatoribus discrepabat Maria! ô quot in animis experiuntur bella & tempestates plurimi homines! quàm verè de illis Isaias cap. 57. *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius, in conculcationem & lutum: non est pax impiis dicit Dominus*, id est, inter impios nulla pax, sed perpetuis, implacabilibusque vitiorum ac passionum fluctibus agitantur & exæstuant. Præsertim verò hosce fluctus & tempestates patitur irati animus, quem proinde comparat Chrysostomus, sermone de mansuetudine, naui fluctibus impulsæ, sic scribens. *Qui furore ac irâ vincuntur similes sunt naui, quæ in media tempestate à gubernatore destituta, submergitur, vndequaque in eam procellis ingressu.* Et paulò inferiùs. *Ira quasi tempestas in animam irruit, seruientemque sibi stupidam reddit.*

Homines plerumque pleni interno bello.

Ficus symbolum pacis; sic Virgo in seipsa planè pacifica.

§. VIII.

Ficus symbolum pacis, Maria pacifica.

22. NOnò, ficus ob fructuum suauitatem pacis & securitatis, quæ hominibus suauissima sunt, symbolum est. Vnde scriptura exprimere volens pacem quæ tempore vigebat Salomonis, sic ait 3. Reg. 4. *Habitabat Israel & Iuda absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua & sub ficu sua à Dan vsque Bersabee cunctis diebus Salomonis* &c. Et summam pacem volens insinuare Zachar. cap. 3. vers. 10. sic ait: *Vocabit vir amicum suum subter vineam & subter ficum suam.* Quia verò ficus ob suauitatem symbolum pacis, hinc ex siccatio subita trium ficuum fructiferarum, quas Alexandrinas cognominabant, & quibus imperatoria tentoria connectebantur, Alexandri Seueri mortem præsignauit, quo sublato, sublatam quoque à populo Romano suauitatem circumferebant: Similiter sacra Virgo planè pacifica est, quæ pacis sunt vbique prosequitur, ac præsertim in seipsa. Vnde Richardus à S. Victor. illa verba Psalm. 45. *Auferens bella vsque ad extremum terræ, arcum conteret & confringet, arma & scuta comburet igni. Vacate & videte quoniam ego sum Deus*, sic accommodat Virgini: *Tota pulchra*

Pacifica in seipsa.

RICHAR. VICTOR.

Ficus dulcissima & plena deliciis; ita & in seipsa Maria.

§. IX.

Ficus dulcis plena deliciis, ita Maria.

1. DEcimò, ficus dulcissima, præsertim ob fructum quem edit, omnis fructus aliarum arborum, habet aliquid aquosi, crudi & incocti, sola ficus ob calorem nihil habet crudi, sed omne maturum, & percoctum, nec lapillos aut nucleos habet vllos, sed merum succum, edulem & sacchareum, siue melleum. Vnde ille ficum aiebat, bursam mellis: Ita & sacratissima Virgo maximè dulcis. De quo sic Diuus Bernardus sermone de Annuntiat: *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est. Reuolue totam scripturæ seriem, & si quid in Maria austerum inueneris, de cætero eam suspectam habeas, & ad ipsam accedere verearis. Maria*, ait Trithemus libr. 1. de miracul. B. Virg. *est pomum granatum odoriferum, totum sua dulcedine reficit mundum.* Tanta est Virginis dulcedo vt Diuus Ambrosius Psalm. 21. eam assimilet mannæ cælitus venienti, & cibum melle dulciorem, nempe Christum defluenti. *Quin potius*, ait, *istam Mariam Manna dixerim, quæ est subtilis & splendida, suauis & Virgo, quæ velut cælitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis*

BERN. Virgo tota suauis, in illa nil austerum.

AMBROS. Mannæ similis.

populis cibum dulciorem melle desfluxit: quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: nisi quis manducaverit carnem meam &c.

Maria esca dulcissima quâ Christus capit homines.

2. Tanta est Virginis dulcedo, vt à Christo electa, parata & posita tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, præcipuè præsertim animas peccatorum, vt ipse Christus reuelauit sanctæ Catherinæ Senensi.

Maria præ cunctis accepit gratiæ suauitatem. HVGO VICTOR.

3. Singulariter verò est in Virgine dulcedo gratiæ sicut in Christo est gratiæ multitudo: Vnde Hugo de S. Victor. in Concione Virginis sic ait virgini sanctissimæ: *Nullus in gratia tibi similis esse potuit, per quam gratia super omnes hominum filios venit, Spiritus Sanctus in tua singulariter humilitate venit, quia in tua virginitate miraculum, nulli comparabile fecit. Idcircò odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Filius tuus vnctus, tu quoque es vncta; ille quidem super te, & præ cunctis participibus tuis, accepit vnguenti plenitudinem, tu verò post ipsum præ cunctis accepisti suauitatem.*

Dulciora Dei dona per Virginem collata.

4. Tanta est gratiæ dulcedo in Virgine, vt dulciora sint etiam ipsius Dei dona nobis collata, dum per Mariæ manus transeunt, nimirum ad aquarum similitudinem, quæ contrahunt colorem, odorem, & suauitatem terræ per quam defluunt. Dei dona, ait Diuus Bernardus sermone de Beata Maria, *dulciùs sapiunt per manum Mariæ collata, & si mihi à Deo daretur, an vellem dona ab ipso fonte sic immediatè haurire, vt non per preces & manus Mariæ ad me descenderent, sed soli Deo debitor fierem: vel potiùs vellem eadem dona per hunc cælestem aquaductum accipere, & Virgini debere id quod gratia Dei essem? Ego fateor, genibus flexis, instantissimè à Deo peterem vt per hoc cæleste collum diuina influentia ad me descenderent, vt per eam possem ascendere ad Deum, per quam Deus descendit ad me.* Sic Bern.

BERN.

Est in Virgine singularis dulcedo misericordiæ. BERN.

5. Est etiam singulariter in Virgine dulcedo misericordiæ, de quo sic Diuus Bernardus sermone super Missus est, sic eam inuocans, *Laudamus ô Virgo, virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulciùs, hanc amplectimur chariùs, recordamur sapius, crebriùs inuocamus.*

In virgine dulcedo contemplationis. RICHAR. A S. LAVR.

6. Fuit etiam in virgine singulariter dulcedo contemplationis. *Hæc est ficus*, ait Richardus à sancto Laurentio libr. 12. de laud. Virg. *de qua legitur Iud. 9. quæ noluit relinquere dulcedinem suam & fructus suauissimos, id est morum suauitatem & contemplationis dulcedinem vt promoueretur inter ligna, id est, pro Domino temporali vel sublimitate transitoria, mater & imitatrix illius: qui fugit in montem nolens fieri rex in terra Ioan. 6. & qui dixit in passione Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo.*

Internæ Virginis dulcedini respondebat exterior. BONAV. ANSELM. EPIPHAN.

Internæ Virginis dulcedini respondebat exterior, nam, vt ait Diuus Bonauent. *Omnis sermo eius ita erat gratiâ plenus, vt Deus cognosceretur in lingua eius.* Et Diuus Anselmus de laudibus Virg. Eloquentiam eius homines mirabantur. Et Epiphanius presb. Hierosol. Erat Maria, in rebus omnibus honesta, grauis, pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem suum ac venerationem omnibus tribuens, & vt paucis dicam in rebus eius omnibus, multa diuinitus inerat gratia.

Virgo non solùm dulcis, sed etiam plena deliciis. CLEM. ALEX. CHASSANEVS.

7. Vndecimò, ficus non solùm dulcis, sed etiam plena deliciis, tam delicatæ sunt caricæ chelidoniæ, vt Clemens Alexandr. pædag. libr. 2. cap. 1. affirmet propter eam in Græciam, cum quinquies mille millibus infælicem Persam esse profectum. Et ficum siccam occasionem fuisse quod Galli intrauerint Italiam scribit Chassaneus in Catalogo gloriæ mundi part. 12. conf 87. sic etiam plena deliciis cælestibus Maria. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens*, aiunt Angeli Cantic. cap. 8. *Multi*, ait Guilhelmus in hunc locum, *electione gratiæ & Christianæ professionibus pietatis, ascendunt de deserto humani generis, sed nullus eorum ascendit deliciis affluens, ascendunt ad delicias, non autem in deliciis: Euntes autem eunt cum fletu, portantes manipulos suos, & quidem cum aliquantula delectatione, id est, quadam modica cælestis gaudij prægustatione, vel potiùs quadam odoratione ascendunt, non tamen ascendentes deliciis affluunt, sed postquam ascendunt perueniuntque quò tenderunt. Quòd ergo Dei genitrix ascendit de deserto, commune illi cum multis est, quòd autem in deliciis ascenderit, singulare illi est. Si quæris de deliciis istis, dicimus, in magnis deliciis fuit, ex quo Deum verbum concepit. Nam Spiritus sanctus in illam superueniens, dum ex eius carne hostiam reconciliationis humanæ formaret, placido illapsu mentem eius illustrauit, atque inenarrabili suauitate interiora eius inebriauit. Denique ex vicinitate illius ineffabilis Sacramenti, quod in eius vtero celebrabatur, cor eius mirè tangebatur, & suauissimè afficiebatur. Tunc ergo deliciis affluere cœpit, cum Dominum suauitatis de Spiritu sancto fœta, concepit. Nullus vnquam virorum, nulla fœminarum has in se delicias potuit experiri, quia singulares sunt matri verbi. Nec in eius pectore perfunctoria esse potuit illa suauitas, sed postquam mentem eius semel imbiberat, nunquam postea vel leui sui diminutione remissior extitit. Itaque ex quo genuit Saluatorem, ascendebat pia Virgo de deserto deliciis affluens.* Hactenus Guilhelmus.

GVILHEL.

Deliciæ in Virginis vterum fluxerunt dum Deum concepit.

IDEM.

8. Idem sic pulchrè de Virginis deliciis scribens

scribens illud Canticor. 7. *Quàm pulchra es & quàm decora charissima in delicijs. Si quæris de istis delicijs, quales? dico quòd maternæ quædam deliciæ erant, sed Virgini matri singulares, nulli Virgini vel matri ante eam, nulli post eam datum est experiri delicias istas, maternæ deliciæ erant, matris super prole gaudentis. Quantis putes illa maternæ suauitatis affluebat delicijs, cùm ei ad conceptum virtus Altissimi obumbrauit, dum corporatum Deum in vtero gestaret, dum nouo partu æternum lumen in luce sæculi funderet. Mulier, ait veritas, cùm parit, tristitiam habet, at non ita ista mulier, quæ sine dolore peperit quia intacta concepit. In quantis agebat sanctæ iucunditatis delicijs, cùm Deum verbum maternis amplexibus stringeret, & sacra illi oscula materni oris imprimeret; cùm illum qui in cælo de se pascebat Angelos, maternis vberibus aleret, & cætera maternæ pietatis officia pro tempore ministraret. Denique in his omnibus diuini mysterij & sui priuilegij non ignara, optimè nouerat se esse matrem maiestatis & hoc nosse singulares & iuges illi deliciæ erant.* Sic ille. Pulchra autem & decora erat in hisce delicijs Maria, quia in tanta abundantia gratiæ, mansuetudinem summamque humilitatem cordis habebat ait Rupertus.

Quantas ex prole traxerit delicias Virgo.

RVPERT.

BERNAR.

9. *Quidni delicias dixerim* (ait D. Bernardus sermon. 4. in Cant. postquam adduxisset locum citatum Cant. 8.) *Virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogatiuam gloriæ singularis.*

Humilitas & charitas Virgini in delicijs.

10. Expende in præcitatis D. Bernardi verbis qualiter humilitas & charitas inter alias virtutes Mariæ magis arriserint, & in delicijs habitæ. Vocat eam Ioannes mulierem amictam sole Apocal. cap. 12. Cur non matrem vocat, non Reginam, sed mulierem? Quærunt Doctores cur in nuptijs, Christus matrem vocet mulierem; cur similiter in cruce pendens eam mulierem vocet? Rationem assignat Author Glossæ. Ibidem. Matrem cuius humilitatem, maximè cognoscebat, mulierem vocat, quod est nomen commune cuilibet mulieri, non autem matrem, quod maximam dignitatem includit. Quia ergo nouerat Mariam humilibus delectari eam mulierem vocat. Eadē mente & Ioannes eam mulierem vocat; dum autem Ioannes mulierem eam vocat conformat sese Virginis loquendi modo: Illa enim dum agit gratias, ob conceptum Dei filium, coram Elizabetha sic canticum suum incipit: *Magnificat anima mea Dominum*: In quæ verba sic S. Antoninus parte 4. tit. 1. cap. 28. §. 3. *Non dicit sponsum, non patrem, non filium, quamuis quodlibet eorum dicere potuerit verè; sed tantùm dicit Dominum, vt omni via proprias laudes fugeret. Si dixisset sponsum in multum se laudaret, si dixisset Patrem vel filium æqua laudis esset, sed dicit Dominum, quod est relatiuum ad seruum & ancillam.* Sic ille. Et hac de causa Ioannes ait: *Mulier amicta Sole.*

ANTONINVS.

11. In humilitate delicias suas habet collocatas Maria, quantumque illam delectat humilitas, tantum displicet superbia & vanitas: iuxta illud Damasceni orat. de dormitione Mariæ apud Metaphrast. *Maria aduersatur vanam gloriam, quæ pro studium in rebus inanibus; ampullis superbiæ hostiliter aduersatur*, &c. charitatem & misericordiam & humilitatem in honore habet tanquam suas nutrices.

Mariæ summè displicet superbia.

DAMASC.

12. Non solùm persona Virginis refugit alta & superba, sed & Virginis nomen, Maria, cuius nominis vis videtur alta refugere, & non nouit sese nisi ad humilia declinare, humilibusque consentire. Dum Iesus Bethaniæ esset post suscitatum Lazarum & eius mensæ accumberet, ait Ioan. c. 12. *Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu.* Cuius facti memoriam faciens Matthæus 26. ait: *Accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius*, &c. Eadem fuit fœmina quæ à Matthæo & Ioanne describitur vt ex D. Augustino probat Toletus in Ioan. Eius tamen nomen Matthæus reticuit, quod explicatè posuit Ioannes, dicens: *Maria ergo*, &c. Et cur Matthæus reticuit Mariæ nomen, quod Ioannes manifestè explicuit? Duo fecerat illa, & pedes, & caput Iesu vnguento vnxerat, Matthæus autem intentus ad capitis vnctionem Mariæ nomen prætermisit; non enim adeò Marianum est, alta fouere & sublimia. Ioannes autem, vt qui pedum lotionem notabat, non potuit non meminisse Mariam, ad eiusque nomen euolare, cuius est fauere humilibus & imis. Ex quo D. Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. 7. ait: *Ipsa Maria, mittit vnguentum in pedes Iesu. Ideo fortè in pedes, quia vnus de infimis ereptus est morti. Omnes enim Christi corpus sumus, sed alij fortè superiora membra sunt. Os erat Christi Apostolus, qui dixit, exprimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Vtinam ego pes eius esse merear, & mittat in me Maria vnguentum suum pretiosum & vngat, & peccata mea extergat.* Expēde, qualiter Ambr. amet fieri pes Iesu, hoc est, vnus è minimis & infimis, vt sic fruatur fauore Mariæ, cuius nominis virtus, non nisi in humilia inclinatur & cum humilibus sympathiam maximè habet. Qualiter Maria delectetur humilitate vide apud Salazar in Prou. cap. 8. v. 13. de Deipara Virgine.

Etiam Virginis nomē refugit superbia.

AMBROS.

SALAZ.

Ficus lactea & mellea; ita etiam in seipsa Maria.

§. X.

Ficus lactea: ita & Maria.

13. DVODECIMO ficus plena est lacte, si vel vnum decerpas folium lacteus defluit humor, ita & Virgo planè lactea non solùm in corde sed etiã in lingua, iuxta illud sponsi cap. 4 *Mel & lac sub lingua tua.* Quid mirum dulcem fuisse Virginis sermonem, qui ab ipso dulcidinis fonte scatebat: Sponsæ mel opinor, ac lac, erat sponsus ipse qui dulcidinem suam matri communicabat, & eius labia quantum capere poterat, supera suauitate melleaque dulcedine perfundebat. B. Rupertus verba hæc expendens sic loquentem Christum adducit lib. 3. *Fauus tuus ego sum, mel tuum, & lac tuum ego sum: quia Deus tuus ego sum. Hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labia: aliud loqui non potes, quàm id quod in pectore habes: Ex abundantia cordis labia tua loquuntur.* Sic ille. Vtinam ad Virginis imitationem, verba nostra etiam sint lactea & dulcedine plena, quâ etiam amaritudinem maledicentis dulcoremus, quod monuit etiam S. Petrus Damianus opusc. 13. cap. 20. *Illatis*, inquit, *contumelys, non vox contumeliosa respondeat, sed aut conuitiantis amaritudinem modestia respondentis obdulcet:* Quod si responsio mollis ac dulcis nil profutura putatur, silentij remedio vtendum est, quod ventorum, & nauis metaphorâ elegantissimè idem S. Pater explicat dum pergit: *Aut si hoc facilè obtineri non potest, ne iurgium feraliter effluat, irati linguam silentij saltem censura compescat. Furentibus nempe ventis nauis sæpe velificata submergitur. Si autem antenna deponitur, omnis mox flatuum impetus necesse est inaniter effundatur. Ictum quippe conuitij sagitta non inuenit cùm conuitiati mens sese in humilitate velut inclinata deponit.*

Virgo lactea in sermone.

RVPERT.

PETRVS DAM. Verba nostra tam lactea esse debent vt eis amaritudinem maledicẽtis dulcoremus.

14. Decimòtertiò, ficus non solùm lactea sed etiam mellea. Vnde Passeratius in ficu.

Ficus habet lactis niuei, rutiliq; saporem
Mellis, & Ambrosiæ similes cum nectare succos.

Similiter Virgo non solùm lactea, sed & mellea Cant. 4. *mel & lac sub lingua eius:* In quæ verba sic D. Bonauent. in Specul. lect. 11. *In ore*, inquit, *Mariæ non fuit fel & venenum diaboli, sed mel & lac Spiritus sancti, iuxta illud Cant. Fauus distillans labia tua Sponsa, mel & lac sub lingua tua: Nónne Maria mundissimum lac habuit sub lingua, quando castissimum illud verbum ait: Quomodo fiet istud? Nónne Maria etiam dulcissimum mel, sub lingua habuit, quando illud mellifluum verbum dixit, ecce ancilla Domini?*

Virgo mellea.

In ore Virginis fuit mel.

BONAV.

15. Huc spectat & illud Sponsi Cant. 4. *Fauus distillans labia tua:* in quæ verba sic Richard. lib. 4. de laudib. Virg. *Mariæ verba dicuntur fauus melleus, quia sicut in fauo est cera, luminis instrumentum, & dulcedo mellis reficiens gustum, sic in verbis eius est veritas illuminans intellectum & omnimoda bonitas, reficiẽs affectum.* Non solam dulcedinem mellis habebant verba Mariæ, sed etiam instar faui lumen exhibebant, tenebras discutiẽtia, & animos inflammantia. Imò & vitalia erant Mariæ verba, ita vt de illis dici potuerit, quod Christo dictum Ioan. 6. *verba vitæ æternæ habes: Omnia*, (inquit De Bustis, ser. 5. de Natiuit. Mar.) *Mariæ verba fuerunt sancta, & ædificatoria, vnde eam loqui audiẽtes, poterant ei dicere illud Ioan. 6. scilicet, verba vitæ æternæ habes.* An non verba illa Virginis vitalia, & vitam toti mundo dantia: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuũ?* Hinc sanè illud Richard. lib. 4. *Fauus distillans labia tua, hoc dicitur, habito respectu, ad illud responsum, quo saluatus est mundus, scilicet: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.*

RICHAR. A S. LAV.

Fauus distillans labia eius.

BVSTVS. Verba Virginis etiam vitalia.

16. Melle quoque humilitatis Virgo plenissima quo condita omnia Mariæ bona, sine quo melle, nec bona essent, nec Deo suauia vel sapida, de hoc melle sic Hugo Victor. de claustro animæ cap. 8. *Sicut*, ait, *mel concordat in confectionibus medicinæ, cum diuersitatibus specierum: sic & humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum.*

Melle humilitatis plena Virgo.

RICHAR. VICTOR.

17. Melle quoque sacræ Scripturæ Virgo plenissima. Quis enim in illa perscrutanda diligentior, quis in illa intelligenda illuminatior, quis illam in corde abscondendo vigilantior? Hoc melle, quâ cautelâ venter animæ implendus docet Sapiens Prou. 25. dum ait: *Mel inuenisti, comede quod sufficit, ne fortè satiatus euomas illud:* In quæ verba sic Hugo Card. *mel inuenisti, id est sacram scripturã. Comede quod sufficit tibi, vtilia secundum capacitatem intellectus tui inquirendo, ne fortè satiatus, id est, inflatus per elationem, euomas illud per iactantiam.* Hæc ille.

Melle S. scripturæ plena Virgo.

HVGO CARDIN.

18. Vis scire cur mellea scripturarum & verbi Dei dulcedo, nõ sapiat cordis palato? nimirum, quia diuitijs & delicijs huius sæculi præoccupatum habes animum, iuxta illud Prou. c. 27. *Anima saturata calcabit fauum. Anima*, inquit Hug. Card. *saturata diuitijs & delicijs sæculi, quæ sunt siliqua porcorum, quæ potiùs inflant, quàm satiant, calcabit fauũ, id est, dulcedinem sacræ Scripturæ, sicut porcus conculcat margaritas & stercoribus delectatur.*

Cur nobis non sapiat dulcedo verbi Dei.

HVGO CARDIN.

19. Relinquendæ omnes etiam terrenæ voluptates, omnisque vitæ mollities, orationibus & ieiunijs incumbendum, vt hoc mel diuini verbi palato mentis sapiat, vt pulchrè docet Petrus Damian. opuscul. 49. cap. 8. hisce verbis: *Totus esto semper in Prophetis: occupa cor tuum vndique diuersis sacræ scripturæ sentẽtijs, vt nulla eius pars vacet admittendis cogitationum inanium phantasijs: Quod si sermo fortasse horret incultus, & mel Dei in cordis tui fauce non sapit (quàm dulcia enim ait Propheta faucibus meis eloquia tua, Domine super mel & fauum) ora, ieiuna, atque omnes*

Ieiunijs & orationibus incumbendum vt hoc mel nobis sapiat.

PETRVS DAMIAN.

à te

à te illecebras terrenæ delectationis abscinde, vt quod non ex se, sed ex te videtur insipidum, in tuo possit ore dulcescere. Pueri namque illi qui se Regis decreuerant epulis abstinere, omnium librorũ sapientiam & scientiam grata meruerunt talione recipere. Danieli quoque quia censuræ huius auctor extiterat, hoc est insuper additum, vt visionum omnium atque somniorum interpretationẽ perciperet. Digno videlicet retributionis diuinæ cõmercio, vt qui se à carnalis edulij voluptate reprimeret, ad spirituales intelligentiæ dapes, mentis ora laxarent. Arescat igitur caro, vt mens saginata pinguescat. Sic Damiani.

Non sapit hoc mel quia amaritudine peccati infecti sumus.

Ambros.

20. Ideò etiam sacræ Scripturæ, siue diuini verbi mel tibi amarescit, quia peccati amaritudine es infectus. Verè B. Ambrosius in Ps. 118. octon. 13. *Quomodo possunt*, ait, *verba Dei dulcia esse faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ?* Quomodo mel & & lac sub lingua tua, cùm dolum lingua tua componat? *Dulcia*, ait, *Dauid* Ps. 118. *faucibus meis eloquia tua*, faucibus, inquam, meis bene dispositis & nulla peccati amaritudine infectis.

Maria plena melle legis diuinæ.

21. Plena quoque Maria melle legis diuinæ, de iudicijs Dei siue diuinæ legis decretis atque præceptis fatus Dauid ait Ps. 18. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Vis scire cur hoc mel diuinæ legis tibi non dulce sed amarum videtur? Quia prorsus infirmo & non sano es animo. Vnde Dauid præfatis verbis adnectit: *Etenim seruus tuus custodit ea.* Quæ verba premens Diuus Chrysostomus in prologo in Euangel. Ioan. sic ait: *Dulciora super mel & fauum, sed bene valentibus tantùm. Quamobrem subdidit: Etenim seruus tuus custodit ea. Et alio in loco cùm suauia dixisset, addidit, faucibus meis: Quàm suauis inquit, faucibus meis eloquia tua: & iterum, vt significaret eorum excellentiam; Super mel, inquit, & fauum ori meo, cùm in bona esset valetudine.* Sic ille. *Dulcissima sunt*, ait Hugo Cardin. in hunc locum, *non cuilibet, sed cordi & palato benè disposito; qui enim res mundi diligit, ista non desiderat, cui carnalia sapiunt, non videntur hæc dulcia sed amara:* Et ante eum sic D. Augustinus in eundem locum: *Dulciora super mel & fauum: Dulciora, inquit, super mel & fauum, sed hoc aduersum est erranti, mel amarum est febrienti, dulce tamen & acceptabile sanato, quia charum est sanitati.* Ex mellis natura eandem veritatem sic colligit Chrysostomus homil. 8. de pœnitent. *Mel naturâ dulcedinem habet atque eandem iucundissimam, sed ægrotis amarum quid atque illibitum est, non propria sed illorum ægritudinis natura, sic & lex tametsi videatur onerosa non suâ naturâ, sed nostrâ fit pigritiâ.*

Hoc mel nobis non dulce, sed amarum videtur, quia infirmo sumus animo.

Chrysos.

Hugo Card.

Avgvst.

Chrysos.

Amor reddit leuem diuinam legem.

22. Adsit diuinus amor, & leuia erunt quæ sine illo aspera putantur & dura. Quærit Oleaster cur Dauid sexcenta & tredecim Dei præcepta non leges, sed tanquam vna esset, legem, illis verbis dexerit: *Quomodo dilexi legem tuam Domine*, Psalmo 118.? Respondet amanti & parua & pauca videri quæ iubentur, hæc eius verba in cap. 3. Gen. *Et Dauid, quomodo dilexi legem tuam Domine, nunquid non sexcentæ tredecim leges erant quas seruare tenebaris bone Rex? cur ergo legem vocas sexcenta tredecim præcepta? quoniam dilexi legem tuam Domine.*

Maria plena melle cælestium gaudiorum.

Gregor.

23. Plena Maria melle cælestium gaudiorum, mel illud non solùm in lingua, vt multi concionatores, sed etiam sub lingua habens eadem amando, de quo sic eleganter Gregorius cap. 4. in Cant. dum illa verba premeret: *Mel & lac sub lingua tua. Nimirum, inquit, falsi prædicatores mel in lingua portant, quod sub lingua non habent, quia cælestia gaudia aliquando prædicant tanquam veri sint, cùm ipsi terrestria bona, totis desiderijs appetunt. Sancta verò mens mel in lingua prætendit quia sapientiæ dulcedine loquendo ostendit quàm veraciter prædicans audientes tanquam mellis dulcedine reficit.* Hæc S. Gregor.

Quòd Virgo instar fici, humano generi maximè fructuosa.

§. XI.

Maria ficulneæ cõparatur.

VIDIMVS in superioribus qualiter Virgo considerata in seipsa, habeat rationem ficus, videndum & examinandum nunc, qualiter & hominibus, eiusdem fici exhibeat proprietates.

Ficus fœcundissima.

1. Primò, ficus dicitur à fœcunditate, quia fœcundior est cæteris arboribus, nam septies in anno dicitur ferre fructum, & altero maturescente, alter oboritur, ideo dicuntur fructus, caricæ, à copia. Ideo autem tam fœcunda ficus, quia etiam succum & humorem illum dulcem quem aliæ arbores impendunt ad formandos flores, quibus exornentur, ficus neglecto proprio ornatu atque decore, & intenta solummodò hominum vtilitati, impendit in efformandis grossis & fructibus. Narrat Plinius lib. 12. cap. 6. quòd in India crescit ficus, mirabili modo fructificans, & in fructibus ita onusta, quòd præ pondere rami deprimuntur in terram, & rursus de terra recrescunt; ista ficus speculum est Virginis benedictæ. Rami in homine sunt potentiæ animæ: memoria, intelligentia, & voluntas, cum potentijs sensitiuis. Isti rami erant pleni fructibus in Maria, memoria, deuotione: intelligentia, contemplatione, voluntas dilectione, sensus compassione. In tantum fuerunt onusti rami isti virtutibus, gratijs & meritis, quòd

Plinivs.

vsque ad terram se inclinauerunt per humilitatem quando dicit Lucæ cap. 1. *Ecce ancilla Domini*, &c. *Fœcundissima est Maria* (ait Richardus à S. Laur. lib. 12. de laudibus B. Mariæ) *quia in omni virtute & bona operatione, cæteris sanctis fœcundior, qui sunt arbores paradisi, fœcundissima etiam partu, quia etsi carnaliter non genuit nisi vnicum filium, in eo tamen mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum ipse est primogenitus. Sicut Sara in Isaac mater effecta est populi Iudaici, sic & Maria in Christo totius populi Christiani.* Sic ille. Quos autem Virgo profert fructus, non tam sibi quàm in hominum communem profert vtilitatem, nónne Angelus Virginem salutando ait: *Aue gratiâ plena?* quid est ergo quòd post pauca timorem, turbationemve eius depellens ait: *Inuenisti gratiam apud Deum?* Si gratiâ plena, quomodo adhuc gratiam dicitur inuenisse? Quærebat gratiam non suam sed communem hominum saluti. Audi D. Bernardum, serm. in Natiuit. Mariæ. *Plena est gratiâ, & gratiam adhuc inuenit? digna prorsus inuenire, quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono, sed petit supereffluentiam ad salutem vniuersitatis.* Sic ille.

Richar. à S. Lav. Fœcundissima est Maria.

Inuenit, nō sibi, sed nobis gratiam Maria. Bernar.

Folia fici clypei referunt imaginem: ita Maria tota est in protegendis, & defendendis suo patrocinio hominibus.

§. XII.

2. Secundò, ficus Indica teste Plin. loco citato folia habet ita lata quod extenduntur in modum peltæ. Vnde sub his foliis latitant homines & iumenta sub vmbra iucundissima. Imò ista ficus habet foliorum amplitudinem tantam quòd ad modum peltæ protegere potest hominem, etiam vnū folium. *Ita Virgo ista*, ait Holcot in Sap. c. 3. lect. 41. *tantam habet verborum potentiam & gratiam in curia summi Regis quòd tam hominem viuentem rationabiliter, quàm iumentum, id est, hominem viuentem bestialiter, protegit & defendit, si ad eius patrocinium velit habere refugium. Michææ c. 4. Sedebit vir subtus ficum suam.*

Plinivs. Ficus plena foliis scuti figuram gerentibus, Maria tota est in protegēdis hominibus. Holcot.

3. Ficus plena est foliis clypei, siue peltæ amazonicæ, siue lunatæ figuram referentibus: ita Virgo plena est scutis spiritualibus, quibus protegit & obumbrat mortales. Vnde Virginis collum Cant. 4. comparatur turri Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, *mille clypei pendent ex ea.* Ad quid tot clypei in vno collo? an non vnus clypeus sufficiens vel toto corpori? Collum hoc Ecclesiæ virginem designat, qua mediante vnimur Christo, sicut mediante collo corpus capiti. Quoniam verò Virgini cura est de omnibus, cùm aliis Sanctis vnus sufficiat clypeus, quo vnam defendant prouinciam, Virgini multi necessarii, quoniam regnorum omnium est patrona. *Ceteri sancti*, (ait Idiota contemplat. de Virgine Maria in prologo) *iure quodam patrocinii, pro sibi specialiter commissis, plus possunt prodesse in curia altissimi, quàm pro alienis, beatissima verò Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic est omnium patrona & aduocata.* Sic ille. Mille quoque clypei pendent ex ea, quia in Virgine, eiusque intercessione variа inueniuntur protectionum genera, quibus humanum protegat genus aduersus diuinæ iustitiæ gladium. *Nemo Domina*, ait D. Bernard. *tam idonea est vt gladio Domini manum pro nobis obiiciat, vt tu Dei amantissima.* Vnde etiam de seipsa sic Virgo Cant. cap. 8. *Ego murus & vbera mea sicut turris.* Sicut enim muri & turres facti, pro defensione ciuitatis, sic Virginis vbera deseruiunt pro defensione populi Christiani: vnde dicit S. Germanus: *Mammas Deiparæ salutare lætitiæ poculum, & tutelare ac conseruatorium totius generis mortalium, irascenti enim Deo, & gladium eleuanti, ostendit pectus & vbera.*

Virgo comparatur turri ex qua mille depēdent clypei.

Idiota.

In Virgine varia protectionum genera.

Bernar.

Eleuanti Deo gladium ostēdit pectus & vbera. Germa.

4. Qua mente etiam S. Spiritus fatus de Virginis collo sic ait, *collum tuum sicut turris eburnea.* Cur quæso collum vocat turrim eburneam? non auream, non ex margaritis & gemmis compositam, cùm hæc sint ebore multò præstantiora? Respondet Philippus abbas, ebur tam admirabilis virtutis est, vt si pannus lineus super ipsum ebur mittatur, & ipso panno lineo carbo viuus desuper imponatur, sua virtute ebur pannum, qui illi adhæret, illæsum custodit, ne à supposito carbone viuo, consummi aut cremari possit. Comparatur ergo collum, id est, intercessio Virginis turris eburneæ, vt signetur, quòd si Deo ad iracundiam peccatis nostris prouocato, illud Ps. 17. cōtingat: *Ascēdit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo*, illa nos defendente, prorsus securi & immunes simus: nam Virgini coniuncti, nobis idem accidit quod panno lineo, iunctum ebori, qui suppositum non timet ignem.

Turris eburnea Virgo, quia impedit ne iræ Diuinæ ignis nos exurat.

5. Isaias cap. 66. ait: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* S. Anastasius Sinaita per calculum, siue carbonem ignitum intelligit Christum, & per forcipem quâ tenetur hic carbo, intelligit Beatam Virginem. *Forceps Christi, ait per duas pinnulas eum tenens, est intemerata eius mater.* Quo respectu etiam Andreas Cretensis apud Lippom. Martii 25. eam sic nominat, *Seraphica mystici carbonis*

Maria forceps, quâ tenetur calculus, siue carbo ignitus, Christus Dominus. Anastas. Andreas Cret.

bonis ardentis forceps. Sicut enim ardens carbo nō potest teneri, nisi forcipe, similiter Deus, instar carbonis ardentis, irâ excandescens non potest teneri, quo minus sese impendat ad consumendum hominem, nisi per sacratissimam Virginem, quæ facilè impedit, ne suam Deus exerceat iracundiam.

Maria assimulanda sinui vel portui marino.

6. Legimus de Virginis collo Cant 1. *Collum tuum sicut monilia*. Nyssenus legit: *Collum tuum sicut torques*. Torques apud Græcos deriuatur à vocabulo, quo significatur, sinus quispiam maris efformatus in littore maris, in modum semicirculi, & instar cuiusdam portus, ad quem sese naues recipiunt, ne tempestate obruantur. Talis est Mariæ intercessio: *Non est eis*, ait Nyssenus, *naufragij metus, neque in mari latentium cautium suspicio, nec periculum prædonum, nec à flatibus perturbatio, neque à profundo per ventum intumescit mare, sed remoti sunt ab omnibus huiusmodi periculis*. Hinc sic Virginem salutat S. Ephrem apud Lippom. Nouemb. 1. *Aue portus optime huius vitæ nautarum*.

NYSSEN.

EPHREM.

7. Nox illa, in qua ab Angelo percussa Ægyptiorum primogenita, Pascha, id est transitus fuit nominata, eò quòd Angelus, cùm domus Hæbræorum & Ægyptiorum essent permixtæ & mutuis hærerent, & iungerentur lateribus, illorum relictis & prætermissis, in horum domibus occiderunt primogenita. Cur Hebræorum domus à percussione liberæ? quia postes earum aspersæ agni sanguine. Exod. cap. 12. *Erit autem vobis sanguis in signum, in ædibus in quibus eritis, & videbo sanguinem & transibo vos, nec erit in vobis plaga dispergens, quando percussero terram Ægypti*. Si domus Hebræorum liberæ à percussione, quia illitæ sanguine agni, iuxta illud Arnoldi Abbatis de septem verbis Domini: *Hinc est, quod exterminator Angelus primogenita quoque Ægyptiorum percutiens, ipso hoc signo à limitibus sanguine illitis quasi increpatus se cohibet*: Quid censendum de domo virginea ex cuius purissimo sanguine ipse Deus sibi corpus aptauit? qualiter in illa habitantes non erunt liberi à percussione.

Virgo assimilatur domui aspersæ sanguine Christi, vnde nō mirum, si in illa habitātes liberi à percussione.
ARNOLD.

8. Folia ficus non solùm sunt longa & lata & clypei figuram referentia, sed etiam cæteris arborum folijs sunt duriora & fortiora, sic etiam validissima & fortissima est Virginis protectio. D. Anselmus lib. de laudib. Virg. cap. 12. agens cum Virgine: *Te, inquit, sic Deus exaltauit, vt secum omnia possibilia esse donauerit. Tu velis, & nequaquam fieri non poterit*. Et D. Bonauent. in Spec. Virg. exponens illud. Ps. 41. *Abyssus abyssum inuocat*, de matre apud filium pro nobis intercedente dixit cap. 5. & 8. *Quia Dominus potentissimus tecum est, ideo & tu es potentissima secum, potentissima es per ipsum, potentissima es apud ipsum, ita vt verè dicere possis illud Eccli.* 24. *in Hierusalem potestas mea*. Et paulò inferiùs refert ex D. Anselmo dicente: *exaudi pia, adesto propitia, adiuua potentissima*. Et Germanus Constantin. in serm. de zona Virg. sic eam alloquitur: *O honestissima, omnia tua, admirabilia sunt. O Deipara! omnia ingentia, & aliorum vires superantia; propterea & patrocinium tuum maius est, quàm intelligentiâ apprehendi possit. Potens ergo est tuum auxilium, ô Deipara, ad salutem, & non indiget aliquo alio ad Deum intercessore*. Quibus vltimis verbis vt commonet Pater Suarez tom. 2. in 3. p. q. 37. à 4. dispu. 23. sect. non excludit grauissimus auctor, Christum quem nomine Dei meritò complectitur, nec aliorum sanctorum intercessionem excludit: sed solùm docet Virginem non vti alijs sanctis, vt intercessoribus, ad Deum: sed alios potiùs ad Virginis intercessionem confugere. Quo loco similiter docet B. Virginem in nostra intercessione, maiorem efficaciam habere, quàm omnes sancti simul: In hæc verba: *Vltimò colligitur ex dictis non solùm intercedere pro nobis B. Virginem, sed etiam eius intercessionem esse omnium efficacissimam: quin potiùs existimo à B. Virgine in hac potestatē & efficacia non solùm sanctos singulos sed omnem etiam cælestem curiam superari. Itaque si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totamque curiam cælestem: illi resistere (sicut apud Danielem c. 10. vnus Angelus alteri resistebat) potentior esset, maiorisq́; efficaciæ & valoris apud Deum Virginis, quàm reliquorum Sanctorum omnium oratio, & ideo Ecclesia frequentiùs, & altiori quodam modo orat ad Virginem, quàm ad reliquos sanctos*. Sic ille.

Folia ficus longa, lata, & cæteris arborum folijs duriora, sic Virginis protectio validissima.
ANSELM.
BONAV.

GERMA. CONST.

SVAREZ.

9. Ficus quemlibet fructum obarmat peculiari folio, ita vt præ omnibus arboribus diligentior dicenda in tuendo & protegendo fructu. Similiter B. Virgo, non solùm est pientissima & potentissima in protegendis & tuendis hominibus, verùm & diligentissima. *Sicut apud Deum est B. Virgo potentior* (ait D. Augustinus serm. de Assump.) *ita & præ omnibus sanctis est pro nobis sollicitior*. Et Petrus Dam. sic eam alloquitur serm. 1. de Natiuit. *Occasionem quæris saluandi miseros, & misericordiam effundendi* &c. non solùm omnibus venientibus, sinum aperit, sed etiam ad veniendum prouocat. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me*. Eccli. 24.

Ficus quelibet fructū obarmat peculiari folio, sic Virgo diligentissima in protegēdis hominibus.
AVGVST.
PETRVS DAM.

10. Non solùm Virginis intercessio est validissima, & diligentissima, sed etiam facillima & minimè illi laboriosa: quare putas illius intercessionem, sub imagine foliorum fici, nobis proponi? Nónne quòd sicut fici folia, res sunt exiguæ, & nullius ponderis, ita & Maria paruis, & exiguis rebus, nos protegat, obumbret, & defendat? Quò referri potest illud Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs*. In granis triticeis omnes intelliguntur fideles, quos omnes in ventre portat Virgo ob protectionem, omnes miseros in ventre

Virginis protectio etiam facillima, paruis & exiguis rebus nos protegit Maria.

tre suo portat, ait Hugo Card. Cur quæso pro suorum munimine vtitur præsidio tam infirmo quale liliorum? Cur non vallatur scutis, lanceis &c.? Rabbi Salomon quamuis ad hunc non respiciens sensum, tamen dissoluit hunc nodum: *Septus lilijs, munitus & septus liliorum sepe, sufficit ei sepes tenuis, nec vnus ex vobis est qui eam perrumpat ingressus causâ*. Vallatur lilijs Virgo, quia cùm potentissima sit sufficit ei sepes tenuis. Elucidari hæc possunt ex loco illo Ezechielis 27. vbi fatus de superbia & potentia ciuitatis Tyri, ait: *Sed & pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspēderunt in muris tuis.* In quæ verba sic Liran. Tales fuerunt positi in turribus Tyri ad ostentationem fortitudinis loci, sic dum dicitur venter Virginis lilijs vallatus significatur eam tam potentem, quòd ad repellendum aduersarium non indigeat vel hominum, vel armorum, vel Angelorum præsidio, sed solùm fragilibus quibusdam lilijs.

Rabbi Salo. **Liran.**

Meritò D. Virginem spē nostram vocamus. **Bernar.** **Damasc.**

11. Vnde meritò Beatam Virginem spem nostram vocamus, dum illam sic salutamus, *& spes nostra Salue. Hæc mea maxima fiducia est*, ait D. Bernard. serm. de Aquæductu, *hæc tota ratio spei meæ.* S. Damascenus sic ad hanc rem pulcherrimè orat. 1. de dormit. *Tibi*, inquit, *nos quoque hodierna die assidemus. O Domina, Domina, atque iterum dicam Domina, Dei genitrix & Virgo: Animus nostras ad spem tuam, non secus atque ad fortissimam quandam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes ac consecrantes, psalmis & hymnis spiritualibus quantum possumus honorantes.* Germanus Patriarcha Constantinop. orat. de oblatione Deiparæ in fine. *Certè*, inquit, *Domina Dei parens, certè meum refugium, vita & defensio, arma, & gloriatio, spes & robur meum. Concede mihi, vt & ego quoque fruar inenarrabilibus, & quæ comprehendi non possunt, tuis bonis, in cælesti perseuerantia. Habes enim, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, vt quæ sis mater Altissimi, & propterea audeo. Ne ergo priuer mea expectatione, ô Domina intemerata, quæ vniuersorum expectationem supra rationem peperisti, Dominum nostrum Iesum Christum.* Hæc ille.

Germa.

Ephrem. Virginem sic alloquitur S. Ephrem in sermon. de laud. Virgin. respiciens ad tutissimum refugium Virginis & eam quam ingerit spem hominibus: *Spes desperantium, per te reconciliati sumus Christo meo, filio tuo, tu peccatorum & auxilio destitutorum vnica aduocata es atque adiutrix: tu portus naufragantium tutissimus, solatium mundi carcere clausorum liberatrix celeberrima: Tu orphanorum susceptio: Tu captiuorum redemptio: Tu ægrotantium exultatio & omnium salus: Tu monachorum & solitariorum stabilimentum & spes secularium: Tu Virginum gloria, corona, & gaudium: Tu mundi lætitia.* Et iterum: *Tu enim noster es portus & præses pia auxiliatrix.* Et infrà: *Aue periclitantium auxiliatrix: Iucunda libertas: fons gratiæ & consolationis: Aue peccatorum refugium atque diuersorium: Aue laborantium propitiatorium: Aue spes omnium proborum aduersis casibus afflictorum; Dulce conuersorum solamen atque præsidium: Aue virorum pariter atque mulierum regina & Patrona: Aue nostra consolatrix, quæ mœrores sedasti & oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti: Aue claues regni cælestis: Aue portus tutissime in hac vita nauigantium: Aue firma salus vniuersorum Christianorum ad te sincerè ac verè recurrentium: Aue nostra omnium protectio insignis & gloria.* Sic Ephrem. *Est Maria*, ait, Diuus Anselmus de concept. Virg. *singulare totius sæculi propiatorium & filij Dei vnicum reclinatorium.* Itē in orat. *O Beata* (inquit) *ô fiducia! tutum refugium! Mater Dei est Mater nostra: Iudex noster est frater. Qua igitur certitudine debemus sperare? quorum siue salus, siue damnatio de boni fratris & de bonæ Matris arbitrio pendet.* Idem cap. 26. de Concept. *Ecce* (inquit *Dominus*) *Mater tua: O Peccator homo, gaude & exulta. Non est vnde formides. Id quod iudicabitur de te, totum dependet ex sententia fratris tui & Matris tuæ. Factus est per illam Dominus, frater noster.*

Anselm.

Sicut ficus omnem admittit insitionem ita Maria omnibus sinum aperit.

§. XIII.

12. Tertiò ficus omnem admittit insitionem, sic Maria omnes excipit, omnibus etiam peccatoribus sinum aperit, sibique inserit per sinceram dilectionem, compassionem & variarum suarum gratiarum exhibitionem, vt pulchrè docet D. Bonauentura in Spec. Virg. cap. 5. sub figura S. Ruth, quæ spicas à messoribus Booz dimissas colligebat, sic inquiens, *Gratia enim Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat vniuersos. Colligit à culpa, impinguat gratiâ, liberat à morte æterna. Dico ergo quòd gratia Mariæ colligit ad misericordiam, colligit ad Ecclesiam malos, hoc bene signatum est in gratia, quam in colligendis spicis à messoribus derelictis Ruth inuenerat quando dicit ad Booz, Inueni gratiam in oculis Domini mei &c.* Ruth. 2. *Ruth interpretatur videns, vel festinans, & significat Beatam Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & bene festinans fuit in actione. Videns etiam nostram miseriam est, & festinans ad impendendam suam misericordiam. Booz interpretatur virtus, & significat illum de quo in Psal. 146. dicitur: Magnus Dominus & magna virtus eius. Ruth ergo in oculis Booz, Maria in oculis Domini hanc gratiam inuenit vt ipsas spicas, id est animas à messoribus derelictas*

Ficus omnem admittit insitionem; Maria omnibus sinū aperit. **Bonav.** **Virgo in Ruth adūbrata.**

ctas, colligere ad veniam possit. Qui sunt messores nisi Doctores, & rectores: O verè magna Mariæ gratia, qua multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus & rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur? Et ideo bene D. Bernardus ait: Maria tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foues nec deseris, quousque horrendo iudici, miserum reconcilies. Sic ille.

IGNAT. 13. *Maria*, ait B. Ignatius ad Ioannem Euang. *miseris & afflictis condolebat coafflicta, nec segniter subueniebat, humilibus deuota, quæ & deuotis deuotius humiliaretur, omnium quidem operum pietatis, apud fideles ministra. Beata Maria* (ait D. Vincentius serm. 2. de Natiuit. Virg.) *bona Angelis, quia per eam reparantur eorum cathedræ, bona hominibus quia per ipsam habent redemptionem, bona peccatoribus, quia per ipsam consequuntur veniam, bona iustis, quia per eam consequuntur perseuerantiam in bonis operibus & augmentum gratiæ in meritis, & gloriæ introductionem, bona SS. Patribus, quia per eam adepti sunt liberationem, bona existentibus in purgatorio, quia per eam habent suffragium: bona nauigantibus, quia per eam perueniunt ad portum salutis: bona laborantibus in terra, quia per ipsam consequuntur requiem.* VINCEN.

BERNAR. 14. *Omnibus*, inquit D. Bernardus serm. in visit. *omnia facta est S. Maria sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius.* Sic D. Bernardus.

[illegible] etiam [illegible] um personam induit. RICHAR. A S. LAV. 15. Quin etiam Virginem peccatorum personam induere sic docet Richardus lib. 6. de laud. Virg. in hæc verba: *Maria est mulier Chananæa quæ clamat ad Deum pro filia, id est, peccatrice anima, cuius etiam personam misericorditer in se transformat dicens: Miserere mei fili Dauid, & cui misericorditer respondet filius: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*

Virgo etiã creaturis ratione carentibus, sinum suum aperit. BVSTVS. 16. Qualiter etiam creaturis ratione carentibus Virgo sinum aperiat sic narrat de Bustis part. 12. de coronat. Mariæ: Legitur quod quædam deuota iuuencula docuit quandam auiculam dicere: *Aue Maria*, ita quod garriendo, ait, aliud non proferebat. Quadam autem die volucris rapax ipsam arripuit & asportauit. Quæ cùm clamaret *Aue Maria*, statim illic auis rapax mortua cecidit, & auicula ad gremium iuuenculæ est reuersa. Vides opinor, qualiter Virgo sacratissima instar optimæ ficus omnium susscipiat insitionem, omnibus sinum aperiat, omnes foueat, nutriat & neminem repellat.

Soli cõparatur Virgo, quia omnibus fouendis parata est. 17. Hinc Virgo Soli comparatur Cant. 6. vbi legimus, *Electa vt Sol*, nimirũ, quia omnibus excipiendis & fouendis semper parata, imò ne indignos quidem repellens, ad solis imitationem, de quo legimus Mat. 6. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Sed hæc expendentem accipe D. Bernardum serm. *Signum magnum*, in hæc verba: *Ea est quæ velut alterum solem induit sibi, quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita: sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.* BERNAR.

18. Dum Angeli Virgineam considerant gloriam sic fantur Cant. 6. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, & electa vt Sol.* Si hunc expendas locum, intelliges Virginem comparatam astris nobilibus & erraticis, non immobilibus, in firmamento fixis, ecce qualis differentia inter Virginem & alios sanctos, hi quidem astra, sed ad vnius regni, gentis siue populi protectionem: Maria instar solis & lunæ totum percurrit mundum, omnes illuminat, visitat, &c. omnes excipit, omnes sibi inserit. Maria instar solis & Lunæ totũ percurrit orbem.

19. Cant. 2. *Ego flos campi, nec sulcatus vomere*, ait Bernardus serm. 47. in Cant. *nec defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis seminatus*, deinde addit: *In horto flos clauditur, in campo exponitur.* Qua mente etiam Maria vocatur *oliua in campis*. Eccli. 24. *Ad oliuam speciosam in campis* (ait S. Antonin. p. 3. tit. 31. cap. 4. §. 3. *homines possunt accedere & accipere fructum eius: sic ad Mariam & iusti & peccatores possunt accedere, vt inde misericordiam accipiant.* Maria est flos campi. BERNAR. est oliua speciosa in campis. ANTONINVS.

20. Maria, idem est Latinè atque *stella maris*, quod nomen conuenit Mariæ, non solùm quòd nauigantes in huius mundi salo dirigat ad portum cælestis gloriæ, sed etiam sicut totus mundus circa hanc voluitur stellam vt polo maximè vicinam: ita & circa Mariam tanquam omnium aduocatam, tanquam omnes sinu suo excipientem, voluitur omnium spes mortalium. *Nulli puræ creaturæ* (ait Albertus Magnus super missus est) *videtur potiùs conuenire mundum circa ipsam versari, quàm gloriosæ reginæ cæli & mundi.* Circa Mariam tanquã stellam polarem vertitur spes omnium mortalium. ALBERT. MAGNVS.

21. Prouerb. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum, & misit ancillas suas vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis.* Si domus, quomodo ciuitas, si ciuitas, quomodo domus? Domus fuit Christo, in qua solus habitauit, quoniam verò sinum omnibus aperit, omnes sibi per charitatem inserit, illique cura de omnibus, omnes receptura, ciuitas est amplissima, quicumque autem in hac recipiuntur ciuitate, ob cumulum bonorum, quo gaudent & maximè lætantur, & toti sunt in buccinanda Virginis misericordia. Vnde Regius Vates in Virginem tanquam in pulcherrimam ciuitatem oculos coijciẽs exclamat Ps. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Sed quænam hæc gloriosa? Primò, quòd omnes excipiat & admittat. Vnde Maria est instar ciuitatis.

Gloria ciuitatis huius in eo sita, quòd omnes recipiat, receptos repleat lætitiâ &c.

de sequitur: *Memor ero Raab, & Babylonis, ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*, per quas gentes omnes generis peccatores possunt intelligi, quos hæc recipit ciuitas. Secundò, quòd omnes quos excipit hæc ciuitas, eosdem repleat summâ lætitiâ ob acceptas gratias & diuina charismata. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Tertiò, quòd toti sint in enarrandis & buccinandis Virginis beneficijs. Vnde pro citatis verbis alij legunt: *Sicut tibicinum omnium habitatio est in te.* Quotquot hac ciuitate excipiuntur non possunt non pleno ore promulgare & omnibus contestari virgineam misericordiam. *Sileat*, ait D. Bernardus serm. de Assumpt. *misericordiam tuam beata Virgo, si quis est, qui inuocatam te, in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse.*

Maria similis vxori Regis Artaxerxis. CAELIVS RHODIG.

22. Similis planè est Virgo, vxori regis Artaxerxis, qui volebat hanc per plateas vehi rhedâ vndique apertâ. *Quo indigentibus promptior fieret, & paratior aditus*, ait Cælius Rhodig. lib. 2. c. 5. Sic Maria non conclusa est cubiculo, non latens in Angulo &c. sed in propatulo versatur, prior occurrens illis, qui se quærunt & concupiscunt. Quid ergo restat quàm vt omnes ad Virginem accedamus, vt sinu suo nos excipiat, nos foueat, materno suo cordi, per charitatem & compassionem nos inserat, ad quod peragendum sic eleganter fœminas monentem accipe D. Fulgentium in serm. de Laudibus Mariæ. *Venite*, inquit, *virgines ad Virginem: venite concipientes, ad concipientem: venite matres, ad matrem: venite lactantes, ad lactantem: venite iuuenculæ, ad iuuenculam: coniugatæ, ad coniugatam: Ideo enim istos omnes naturæ cursus, Virgo Maria in Domino nostro suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum.*

FVLGENT.

Ficus magna cum suauitate se omnibus fruendam exhibet. Ita & Maria.

§. XIV.

Ficus se omnibus fruendam exhibet: ita etiam Virgo. BERNAR.

1. QVARTO, ficus magna cum suauitate sese omnibus fruēdam exhibet, vnde D. Bernardus insinuans quisnam hominum ficui assimiletur, sic ait: *Ficus est qui multa cum suauitate fruendum se omnibus præbet, in omni officio charitatis.* Nónne idem de Virgine potest affirmari? Audi D. Bernardum homil. 2. super missus est: *Ad beatam Virginem tanquam ad medium, sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam, respiciunt, & qui in cælo sunt, & qui in terra, & qui in inferno habitant, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis: Illi qui in cælo sunt, vt restaurentur, & qui in inferno, vt eripiantur, & qui nos præcesserunt, vt prophetæ fideles inueniantur, & qui sequuntur vt glorificentur*, &c. Sciunt enim & optimè norunt Mariam esse spiritualem quandam ficum, qui multa cum suauitate fruendam se omnibus præbet. Quod autem dicit Bernardus, eos qui in inferno sunt ad Virginem respicere, vt eripiantur, cùm in inferno nulla sit redemptio, intelligendum de animabus in purgatorio existentibus, quas non leuiter refrigerat Virgo, sic attestante Christo apud S. Birgittam lib. 1. reuel. cap. 6. dum Virginem sic alloquitur: *Tu es Mater mea, tu mater misericordiæ, tu consolatio eorum, qui sunt in purgatorio, tu lætitia eorum qui peregrinantur in mundo. Maria*, ait Vincent. Ferrer. serm. 2. de Natiuit. *bona existentibus in purgatorio, quia per eam habent suffragium. Audiuit S. Birgitta*, ait Blosius in mon. spirit. cap. 13. *ipsam beatam Dei genitricem dicentem: Ego sum mater Dei, & mater omnium, qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis ipsorum, per preces meas, qualibet horâ, aliquo modo, mitigantur.* Sic Blosius. In singulis Virginis festiuitatibus ipsius suffragio maximum animarum numerum, è purgatorij pœnis ad cœlum euolare exemplis probat Nouarinus lib. 4. Sacr. elect. siue in vmbra Virginea excursu 86. num. marg. 787. & seq. Nihilominus sacratissimam Virginem sese etiam fruendam exhibere, his, qui in inferno degunt affirmat S. Idelphonsus serm. 5. de Assumpt. sic fatus de gloriosa die Assumptionis B. Virginis. *Totus mundus hodie condigna iubilatione lætatur: Tartarus tantummodo vlulat, fremit & submurmurat, quoniam gaudium huius diei, claustris infernalibus inclusis, aliquod remedium & refrigerium præstet. Non audent (vt opinor) ministri tartarei hodie attingere suos captiuos, quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute, est dignatus nasci de Virgine.* Sic Idelphonsus, cuius dicta si quis minùs probabilia iudicet, saltem probabile apparet quod docet Rutilius Benzonius in Ps. 86. cap. 32. & Iacobus Corenus lib. 1. cap. 13. Beneficium punitionis in inferno, citra condignum intercessioni beatissimæ Virginis deberi, vide plura hac de re apud Nouarinum lib. 4. sacr. elect. siue in vmbra Virginea, numero Marg. 798. & seq.

Ad Virginem omnia respiciunt. BERNAR.

Quo sensu dicat S. Bernardus, eos qui in inferno sunt ad Mariam respicere.

Maria in purgatorio existentes non leuiter refrigerat. BIRGIT. VINCEN. BLOSIVS.

In singulis Virginis festiuitatibus multæ animæ liberantur è purgatorio. NOVAR.

ILDEPH.

Maria ad fruendum se dat ijs qui sunt in inferno.

BENZON.

NOVAR.

Qualiter fruendam dum in terris esset se exhibuerit Virgo nouiter conuersis. CANISIVS.

2. Qualiter fruendam sese, summa cum suauitate, exhibuerit Virgo dum in terris ageret præsertim recenter ad Ecclesiam conuersis ex alijs tradit Canisius lib. 5. de Virgine cap. 1. dicens: *Facta est igitur Maria tanquam oliua fructifera in domo Domini, & velut communis mater nouæ, sanctæque familiæ, vt omnes lucrifaceret, omnibus ex animo sese accomodauit, aliquando verbis & scriptis, non-*

nunquam

nunquam per Apostolos labentes erexit, stantes confirmauit, humi iacentes sustulit; contritos curauit, torpentes animauit, ægrotis opem tulit, velut & ipsa diceret: Quotidie morior propter gloriam vestram, fratres, quam habeo in Christo Iesu.

Inuitat Virgo omnes ad suam deuotioné vt ingentibus suis donis repleat. Et quidem Deipara mater pijssima pro sua benignitate vt ingentibus nos donis repleat ad suam deuotionem omnes inuitat illis verbis Ecclesiast. 24. *Trãsite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini, spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.* Quæ ex

DIONYS. CARTH. Carthusiano in illum locum de Beata Virgine paraphrasticos sic reddere possumus. *O vos omnes qui peculiariter me concupiscitis, & mihi placere, meis virtutibus conformari, meque in cælo videre concupiscitis, accedite ad me per mearum virtutum considerationem & imitationem, per amorem & meam inuocationem: Et à generationibus meis, hoc est à filio meo, quem genui, implemini. Christus enim in sinu matris per eius preces faciliùs inuenitur, spiritus enim meus dulcis, & hæreditas mea quam ego possideo, & quam meis deuotis procuro est super mel & fauum, nam etiam si ad peccata delabaris, per Virginis preces si eius deuotionem retinueris, iterum Dei misericordiam facilè impetrare poteris.* Hæc ex Carthusiano.

3. Si talis Virgo mortalibus in hac degens vitâ, qualis putas nunc in hac vita degentibus, dum cum filio regnat exaltata

BONAV. Mariæ misericordia dum viueret in terris similis lunæ, iam dũ in cælo agit similis Sole. super choros Angelorum. Audi D. Bonauent. in Speculo Virg. cap. 8. *Magna erga miseros fuit misericordia Mariæ, adhuc exulantis in mundo, sed multò maior erga miseros est misericordia eius iam regnantis in cælo, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam. Vnde pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra vt luna, pro splendore verò posterioris misericordiæ est electa vt sol. Nam quemadmodum sol lunam superat magnitudine, sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris. Quis est super quem sol non luceat? Quis est, super quem Mariæ misericordia non resplendeat? Nam quemadmodum sol oritur super bonos & malos indifferenter, sic Maria præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet,* &c.

Ficus medicinalis, ita medicinalis Maria.

§. XV.

Medicinalis Maria. Sanat vulnera peccatorum si illi detegantur. 4. QVintò ficus maximè medicinalis vt supra insinuatum hac en. §. 26. §. 11. num. 1. ita & B. Virgo egregiè nouit sanare vulnera peccatorum nostrorum si illi detegantur. Vnde Damascenus serm.

DAMASC. de dormit. Virginis sic Deiparam salutat: *Aue vnicum molestiarum leuamen, atque omnium dolorum cordium medicamentum.* Cui Virginem ipsam hoc pacto respondentem repræsentat: *Ego enasi officina medicinæ ægrotantibus: Ego fons perennis curationum: Ego remedium aduersus dæmones: Ego ciuitas refugij ad me confugientibus.* Ingemiscit enim infirmus vbi non fuerit hæc sanctissima mulier. Eccli. 30.

5. Idem Damascenus orat. 2. de Virg. Assumpt. Mariam iam morituram sic loquentem repræsentat: IDEM. *Quicumque morborum sanationem, vitiosarum animi affectionum depulsionem, peccatorum; obliterationem, & in vniuersum quicumque bonum aliquod sitit, cum fide ad me veniat & ex ea gratia quâ plena sum hauriat. Quemadmodum enim aqua terræ, aeris, ac splendidissimus solis actio simplex licet, atque vna sit: variè tamen, atque accommodatè ad earum rerum, quæ ipsius participes siũt natura immutatur, fitque in vinea vinum, in olea oleum &c. Ad eundem modum, gratia quoque quæ in me est, quamuis vna sit, variè tamen atque congruenter ad vniuscuiusque vtilitatem, eos à quibus excipitur, beneficio afficit: Nec verò ex natura mea hanc gratiam habeo.*

6. Vnde D. Anselmus in tract. de inuocatione matris Virginis sic eam inuocat: ANSELM. *Sancta & inter sanctos post Deum singulariter sancta Maria, quæ filium altissimi genuisti; quæ perdito humano generi Saluatorem peperisti; O mater salutis! O templum pietatis & misericordiæ tibi se conatur præsentare anima mea, morbis vitiorum languida & vlceribus flagitiorum putrida; tibi, inquam, nititur, quantum moribunda valet supplicare, vt potentibus tuis meritis & pijs tuis digneris eam precibus sanare. O tu benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate & sanctos superas pietate, anhelat moribundus spiritus meus ad tanta benignitatis respectum, sed erubescit ad tanti nitoris conspectum: Eadem enim peccata mea, O Domina, cognosci à te cupiunt propter curationem: apparere fugiunt propter execrationem: Non sanantur sine confessione, nec produntur sine confusione: Si celantur sunt insanabilia, si videntur sunt detestabilia; O tu illa piè potens, & potenter pia Maria, de qua fons est ortus misericordiæ, ne contineas, precor, tam veram misericordiam, vbi tam veram agnoscis miseriam. Ille bonus filius hominis venit perditum sponte saluare, & mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Fugiat ergo reus iusti ad piam matrem misericordiæ Dei. Pie Domine, parce seruo matris tuæ: pia Domina parce seruo filij tui. Qui me conijcio inter duas tam immensas pietates, non incidam inter duas tam immensas seueritates.* Hæc Diuus Anselmus. Qualiter Virgo morborum sit spiritualium medicina vide apud Nouarin. lib. 4. sacrar. elect. siue in vmbra Virginea excursu 70. & 71. num. marg. 738. & seq. NOVAR.

Ficus pacis symbolũ, similiter Maria hominibus maximè pacifica.

§. XVI.

7. SExtò, ficus ob fructuum suauitatem pacis & securitatis quæ hominibus suauissima sunt, symbolum, vt superiùs, à nobis insinuatũ hac sect. §. 8. n. 22. Similiter S. Virgo planè pacifica est, quæ pacis sunt vbique prosequitur. Illam loquentem accipe Cant. 7. *Ego murus & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*: id est, ait Hailgrimus, *verè pacem reperiens & faciens inter Deum & hominem. Vt essem pacifica, tamquã mater veri pacifici, mediatrix mater mediatoris.* Hac pace reperta quãtam præstet securitatẽ hominibus, illis exprimit verbis: *Ego murus* &c. Quasi dicat, ait Guilhel.: *Ego murus ad protegendum, murus inexpugnabilis, circumcingens eos, qui ad me confugiunt; planè qui hoc muro circumdatur, tutus est ab his qui in circuitu ambulant impij, & à capite eorum, qui tanquam Leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret. Et vbera mea sicut turris. Ego murus simul & mater, murus ad protegendum, mater ad nutriendum: murus infirmis, mater paruulis. Propter insufficientiam virium campum times? murus sum, intra me abscondere à facie inimici. De paruitate tua confunderis, & crescere vis? mater sum, meo lacte nutrire: murus sum per fortitudinem, & mater per pietatem. Ego murus inexpugnabilis, & excelsa habens propugnacula: Ego mater amabilis, & grandia habens vbera, quàm grandia? Sicut turris. Vbera mea non tantùm sunt vbera, sed etiam turris: non tantùm nutriendi, sed & protegendi vim habent. Nullus me putet habere quo nutriam, & non habere quo muniam: materna pietas mea, quos nutrit, etiam munit: quos nutrit vt discant, atque grandescant, munit à facie inimici, donec tam grandes effecti contra eum in campum fiducialiter exeant.* Sic ille.

Maria pacifica. *Quæ pacis sunt prosequitur.* *Pacem reperit inter Deum & homines.* HAILO. GVILHEL. *Virgo vbera habet sicut turris, nutrit & protegit.*

8. *Beata Virgo*, ait Hailgrimus, *murus est nostræ defensionis & super eam ædificauit tota Trinitas propugnacula argentea vt precibus suis bene sonantibus inimicum repellat, & hoc signatur in argento, quod cæteris metallis dulciùs sonat.* Subiunxit: *& vbera mea sicut turris, q. d. misericordia mea & pietas mea, quibus quasi vberibus suffragiorum dulcedine lacto filios Ecclesiæ, sunt turris, munimentum scilicet, refugium & securitas peccatorum.*

HAILO.

9. Qualiter à Maria pax & concordia. Vide apud Didacum de Celada in Iudith capite 8. versiculo 34. §. 9. Vide etiam Salazar in Prouerb. cap. 8. versiculo 26. numero 334. & sequent.

DID. DE CELADA.

Ficus optimi ominis atque præsagij, ita etiam Maria.

§. XVII.

10. SEptimò, ficus optimi ominis est, atque felicis præsagij. Coniectores ait Pier. lib. 53. cap. 29. inspectam in somnis ficum, albam præcipuè, asserunt multorum bonorum præsagium habere. Quid hæc nostra vita nónne somnium? Fælices qui durante huius vitæ somno vident & colunt hanc felicissimam ficum; Virginem, inquam, sacratissimam, multorum bonorum repositorum certissimum est præsagium.

Maria optimi præsagij. PIERIVS.

11. Refert Pier. lib. 53. cap. 34. fici folium quod Thrion appellatur, progressionis olim signum fuisse. *Nam Veteres aliquò profecturis, ficulna folia suspendebant, progressionis cæremoniã, atque ita sibi auspicatum iter fore augurebantur. Ea autem de causa Thrion, dicitur huius arboris folium, vt interpretes Theocritiani, volunt, quod in tres partes diuisum est, visendo inter vtrasque partes interuallo.* Vis introitum tuum, & exitũ tuum, ô Christiane, fore auspicata? nunquam progrediaris ad peragendum aliquod opus, quin priùs suspendas ficulna folia, id est, deuotè recitaueris & dixeris *Aue Maria.* Folio ficulneo non incommodè assimilatur hæc salutatio, sicut enim folium ficulneum in tres partes diuisum, ita & hæc salutatio. Partem vnam constituit Angelus, dum Virginem salutans dixit: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum.* Secundam S. Elisabeth, dum sic Virginem salutat: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui:* Tertiam Ecclesia dum sic orat: *Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ.* Amen.

Fici folium symbolum progressionis. PIERIVS. *Vt omnia succedant fæliciter salutanda Maria.* *Fici folio similis salutatio angelica.*

12. Scribit Pierius libro 53. cap. 35. antiquitus ex fici folijs fieri solitum gestamen foliceum, quod capiti superponeretur, gestandis hydrijs aut calathis idoneum. Cogitas, ô Christiane, rem quãdam aggredi arduam & difficilem, cuius ferendo oneri sis impar? gestamen tibi confice foliceum ex fici folijs, id est, Angelicis salutationibus, Virginis opem sedulò implorans, & videbis quanta cum facilitate, & fœlicitate, omnia exequeris & ad optatum deduces finem.

Ex salutationibus angelicis gestamen conficiendum. PIERIVS.

13. Ex Cassiodoro refert Richardus à S. Laurent lib. 2. de laudib. Virgin. folia fici

RICHAR. A S. LAV.

Folia fici valent contra morsum canis, sic Virginis patrocinium, &c.

RICHAR. A S. LAV.

fici valere, contra morsum canis, cum aceto. Canis est diabolus, cui quoniam per consensum nimis appropinquamus, mordet nos. Vis curare morsum? adhibe folia ficus cum aceto, adhibe Virgineas salutationes, adhibe Virginis patrocinium, cum veræ contritionis aceto, & mox sanitati restitueris.

Folio fici comparatur angelica salutatio.

14. Folium fici crassum est, viride & humore redundans: sic angelica salutatio, plena protectione, iucunditate, & deuotionis humore. Folia fici, vna ex parte lenia ex altera aspera, ita salutatio angelica, recitanti iucunda est, diabolo verò maximè aspera est, & dura.

Ficus exsiccatio malum præsagium, similiter si Virgo à nobis auertat vultum.

BERNAR.

15. Sicut autem ficus exsiccatio præsagium futuri interitus vt suprà diximus hac sect. §. 8. n. 22. Ita sic dulcissima Virgo, quasi nobis exsiccata, vultum suum benignissimum à nobis auertat nosque despiciat signum est instantis ruinæ & perditionis: Audi D. Bernardum in serm. super missus est: *Sicut, ait, à te despectus, & auersus, necesse est quod pereat: sic ad te reuersus, & à te respectus, impossibile est quod pereat.* Et D. Bonauent. opusc. de Psalt. B. Virg. *Qui dignè coluerit istam iustificabitur, qui autem neglexerit illam morietur in peccatis suis.* Ficus antiquitas, quia symbolum liberalitatis & beneficentiæ sacra erat, & si quispiam illam læsisset, decorticasset, extruncasset graui erat obnoxius pœnæ, nónne idem de Virgine potest affirmari, nónne Ecclesia id insinuare videtur dum illi accomodat verba illa Prouerb. 28. ab ipsa sapientia in medium adducta: *Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino, qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt diligunt mortem.* Vide sup. hac enar. sect. 26. §. 15. num. 9. & sect. 28. §. 8. num. 22.

BONAV.

Ficum decorticare magno dignum erat supplicio, similiter in Virginem peccare magnæ obnoxium pœnæ.

Angeli de eximia Virginis gloria non concipiunt inuidiam, sed lætitiam.

AVGVST.

Non de sacratissimæ Virginis gloria, cælites concipiunt inuidiam, absit, absit; sed summam lætitiam. *In cælo*, ait D. August. lib. de Virg. cap. 29. *Nulla est inuidentia, concors est differentia.* Et beatas in cœlo Virgines alloquens, adiungit: *Videbit vos cætera multitudo fidelium; quæ agnum ad hoc sequi non potest; videbit, nec inuidebit: & collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis.* Hanc vniuscuiusque beatorum de alterius sublimiore fœlicitate lætitiam, maximè omnes beatæ animæ de incompatabili gloria beatissimæ Virginis matris Dei festiuissimè applaudentes ostendunt. Cùm enim Virgo mater referat Canticor. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua*, scilicet in promptuarium omnium gratiarum, ex quo exiui gratiâ plena, in thesauros ipsos diuinitatis, vnde prodij mater Dei. *Qui enim* (vt declarat hoc loco Rupertus) *verbum suum, quod erat, & est in corde suo, mihi totum infudit: quomodo non etiam cum illo omnia donauit.* Hanc Virginis Deiparæ supereminentẽ dignitatem contẽplantes animæ, non modò non inuiderunt, sed mirum in modum Virgini congratulantes, præ lætitia triumpharunt, Cant. 1. *Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum.* Legunt apud Theodor. Græci Patres. *Exultemus & lætemur in te, amabimus vbera tua: Rectitudo dilexit te*, hoc ipsum Virgini matri applaudentes dicunt omnes animæ iustæ: *Exultabimus & lætabimur in te*, inquit Rupertus, *& cantabimus dicentes, quia Eua nos fecit plorare, Maria nos fecit exultare.*

RVPERT.

Ficus quamuis calida, calorem refrigerat: ita & Maria.

§. XVIII.

Maria refrigerat.

RICHAR. A S. LAV.

16. Octauò, de ficu Indica refert Richar. à S. Laur. l. 12. de laud. Virg. *Calorem dicitur refrigerare licet sit calidæ naturæ*, quæ sic Virgini accomodat: *Natura est calidissima, per vehementiam charitatis calorem tamen, id est, feruorem libidinis, exemplo Virginitatis, refrigerat.*

Instar eboris refrigerat Virgo.

17. Quid talem habet vim, refrigerandi atque ebur; in tantum refrigerat ebur, vt si carboni viuo, iungas lineum pannum, ab igne mox exurendum, ab omni ignis vstione & iniuria præseruas pannum, si illi superposueris eboris aliquod fragmentum, idem in nobis operatur Virginis intercessio, nostra quoque erga Virginem deuotio, quòd homo instar linei panni facillimè ab igne prauæ concupiscentiæ, exuratur, planè manifestum, si tamen Virgini seruiat, si Virgini deuotum se exhibeat mirum ab ea accipiet refrigerium, erit illi instar domus, instar turris eburneæ, ita vt transeas per ignem, non noceat tibi, & odor ignis non inueniatur in te.

Quanta in Virgine pulchritudo corporalis.

BERNAR.

18. An magis in nobis aliquid excitat concupiscentiæ ignem atque mulierum fallax gratia & vana pulchritudo, numquid ex ea magnus in nobis exardescit ignis? Ita planè res se habet. Vis scire quanta fuerit Virginis pulchritudo corporalis? Expendit D. Bernardus serm. 41. in Cant. comparationem monilium quam vsurpat S. Spiritus, vt laudet collum sacratissimæ Virginis Cant. 1. *Collum tuũ sicut monilia*, & mouet hanc difficultatem: *Solet collum ornari monilibus, non ipsis comparari, cur ergo dicit, Collum tuum sicut monilia?* Respondet autem. *Nam sponsæ collum, ita in seipso formosum, & tam decenter quasi natura formatum est, vt extrinsecus non requirat ornatum. Quid enim opus est peregrinorum fucos adhibere colorum, cui propria & tanquam innata sufficit pulchritudo? In tantum vt ipsorum quoque, quæ ad ornandum*

quæruntur monilia, possit adæquare nitorem.

ALBERT. MAGNVS. DIONYS. CARTH. 19. *Quemadmodum*, (inquit Albertus Magnus apud Dionysium Carth. lib. 1. de laudibus Virginis art 3.) *corpus Christi, quod Deus supernaturaliter, per seipsum formauit, est perfectissimum, atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit secundum statum viæ: sic corpus Virginis ad hoc immediatè præparatum, & ordinatum, fuit pulcherrimum secundum statum viæ, quod natura per se operans facere potest. Ideo dicimus: Quòd sicut Christus fuit speciosus formâ præ filijs hominum, sic Virgo pulcherrima fuit inter filias hominum, & quod ipsa habuit summum & perfectissimum quod potuit esse in mortali corpore fœmineo, secundum statum viæ, operante natura.* Hæc Albertus.

DIONYS. CARTH. 20. *A planta pedis* (inquit Dionys. Carth. lib. 1. de laud. Virg. art. 35. *vsque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima indecens, reprehensibile, indecorum, imò totum fuit diuinæ sapientiæ circino formatum, pulcherrimè circumcisum, ab omni superfluitate plenissimè ac speciosissimè operatum, nempe, sicut Christi humanitatem, propter eius personalem cum Deo vnionem decuit omni perfectione naturæ, & gratiæ, in termino excellentiæ præfulgere, ita ipsius genitricis personam post vnigeniti sui humanitatem oportebat in omnibus sic ornari, quoniam post hypostaticam in Deo coniunctionem, non est alia tam vicina vt vnio matris Dei, cum Deo filio suo.* Hæc Dionysius. Georgius Nicom. orat. de oblatione, Deiparam sic affatur. *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! O Dei genitrix pulchrorum omnium, summum ornamentum!*

Visa Virginis pulchritudo nullũ excitabat concupiscentiæ ignem. 21. Hæc tanta Virginis pulchritudo ab aliquo visa siue conspecta an in illo aliquem excitauit prauæ concupiscentiæ ignem? Absit. Germanus Episcopus Constantinop. apud Lippom. 23. Nouemb. de Virgine fatus, ait: *Ardoris qui in me est, ros diuinus.* Nimirum vt insinuet, stupendam & planè miraculosam proprietatem Virgineæ pulchritudinis, quam, vt ait Gerson, si conspexisset homo quispiam luxuriosus, nequaquam tamen id facere potuisse luxuriosis atque lasciuis oculis. *Quasi*, ait, *frigidus quidam ex oculis ros Virgineus spiraret, vel afflueret à mente sua castissima.* GERMA. GERSON.

Vnde comparatur auroræ. 22. Hinc etiam Salomon Cant. 6. illam comparat auroræ: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens.* Primò, hac similitudine indicatur summa Virginis pulchritudo, aurora enim est pulcherrima rerum omnium, quæ in orbe reperiuntur. Vnde vir quidam litteratus loquens Philippo secundo Hispaniarum regi, dicebat: Quod quamuis tãtus esset Monarcha, nullâ tamen tangeretur inuidiâ, eò quòd ipse tribus pulcherrimis frueretur rebus, quibus ipse Philippus esset priuatus, quarum prima erat, totius mundi res pretiosissima nempe quod regi deesset bonus amicus, cùm latus suum stiparent, non nisi adulatores. Secunda erat similiter maximè pretiosa, nempe veritas quæ semper longè exultat à regum aulis & eorum auribus. Tertia erat ipsa aurora, quæ rerum omnium pulcherrima, cuius priuantur visione reges cùm in longum soleãt stertere diem, & nõ nisi tardè è lecto surgere. Volens ergo Salomon nobis specimen aliquod exhibere, virgineæ pulchritudinis eam auroræ assimilat, rei totius mundi pulcherrimæ: *Quasi aurora consurgens.* Auroræ præterea assimilatur Virgo, quia aurora dum mane celeriter pertransit, emittit atque diffundit quoddam frigus, & paruas roris stillas, quibus terram, solaribus radijs diei præcedentis, percussam & quodammodo exsiccatam, refrigerat. Vnde sic canit Poeta: Quia aurora pulcherrima. Quia aurora emittit frigus & paruas roris stillas, quibus terra refrigeratur.

Expulerat cœlo, gelidas aurora tenebras
Rorantes excussa comas.

Simile quid accidit in Virgine. Si enim contigisset eam pro parua mora, proque re aliqua necessaria, exire domo, & paruisse aliorum oculis, si quis in eam oculos coniecisset, à Virgineis oculis, quasi frigidus quidam ros spirabat, omnem refrigerans & reprimens concupiscentiæ flammam.

23. Hac etiam de causa Sapiens lunæ eam cõparat Cant. 6. *Pulchra vt luna*, nimirum, cùm plena est, tunc enim, vt affirmat Cælius Rhodig. lib. 26. c. 20. iactat rorem. Vnde de Virgine sic Innocentius. 3. *Frigiditas ergo & humiditas lunæ, Virginis est Mariæ, quæ frigida fuit contra æstum luxuriæ.* Similis Maria lunæ quæ pulcherrima & iactat rorem. CÆLIVS. INNOC.

24. S. Ambrosius scribens super illud Ps. 118. *Qui timent te videbunt me, & lætabuntur*, dicit auiculam quandam, cui nomen icterus, talem habere proprietatem, vt si oculos conuertat & conijciat in infimum aliquem laborãtem morbo icterico, mox eum sanitati restituere, vnde concludit. *Si est tanta vis in naturalibus, vt animalis visus prosit ictericis dubitare possumus, quod iusti sanet aspectus?* Sanè de multis refertur Sanctis, quòd visu contulerint sanitatem, præsertim de S. Basilio, qui oculorum suorum visu sanauit filium Valentis Imperatoris, vt legitur in breuiario. Hoc supposito ex dictis S. Ambrosij, & alia potest formari consequentia, nimirum si oculus auiculæ, si oculus serui Dei tantam habeant vim, an dubitamus Virgineos oculos vim habuisse, vt in hominibus refrigerarent, vel extinguerent concupiscentiæ & luxuriæ febres? AMBROS. Nõ mirum oculos Virginis extinxisse in videntibus eam concupiscẽtiæ ignem.

25. Philo Hebræus de mundi opificio, scribit, oculis Adæ omnia mansuefacta fera animalia, *Vt propterea illa omnia animalia, cùm eum contemplarentur, mansuefierent.* Si Adamo constituto in innocentia originali, tanta vis, quid de purissima Virgine sentiendum? PHILO IVDÆVS. Quanta vis in oculis Adami.

26. De S. Antonio refert S. Athanasius in eius vita: *Multa quoque desponsata, ad eius conspectum, ab ipso penè thalamo recedentes in Ecclesia matris gremio consederunt.* Quanta vis in oculis S. Antonij.

runt. Si tanta vis oculis Antonij, si taliter in desponsatis extinxerit ardorem libidinis, vt desponsatæ sponsis relictis se receperint in virginum monasteria & collegia, quid mirum si Virginis Mariæ oculi refrigerent in hominibus ardorem libidinis? Nunquid oculi carnei tibi sunt, ô Virgo præclara? absit, absit, absit, sed prorsus miraculosi, præter eximiam pulchritudinem, etiam distillabant refrigerantem rorem. *Mariæ tanta gratia*, ait Ambrosius de institut. Virginis cap. 7. *vt non solùm in se virginitatis gratiam conseruaret, sed etiam ijs, quos viseret, integritatis insigne conferret.*

AMBROS.

Ficus plena dulcedine: ita & Virgo.

§. XIX.

Virgo plena dulcedine.

1. NOnò plena est dulcedine ficus, & quidem mellea, quàm dulcem, & melleam non se hominibus exhibet Maria. Vide quàm dulcem se exhibeat in nuptijs Cana Galileæ, *vinum non habent* dicit filio suo. Cur non rogata sic loquitur? *Quia ipsa*, (ait Vincent. Ferrer. serm. 1. Dom. 1. Ephip.) *habuit cor pium & dulce. Neque patiebatur*, ait Dionys. Carthus. *à se quidquam peti, sed pro necessitate cuiusquã omnia faciebat.* Præfata verba Virginis expendens S. Bernardinus to. 3. ser. 9. art. 3. c. 2. sic ait: *Omnium hominum aduocatam se sentiens, officium aduocationis & piæ auxiliatricis assumpsit, cùm videret inopiam, ac si opus non sit eam precibus excitare, quæ omnem oculum pietatis suæ in nos direxit, ac præsciens indigentiam nostram, ac se cunctorum hominum, matrem pietatis agnoscens, sollicita pro filijs, irrequisita etiam ad Dei filium intercessit, dicens: Vinum non habent.* Notat Iansenius verba illa Euangelistæ: *Deficiente vino dicit mater Iesu ad eum*, id est, cùm iam inciperet deficere vinum, neque adhuc defecisset. Cur quæso non rogauit Virgo, cùm iam defecisset vinum. *Sollicita pietas*, ait Iansen. *& misericordia, quæ aliorum defectus subleuare studebat, hoc fecit: idque adeo sollicitè, vt vsque ad extremam necessitatem, non distulerit, sed deficiente vino, id est, dum iam inciperet deficere, & nondum defecisset.*

Dulcem se exhibet in nuptijs Galileæ.

VINCEN. FERRER.

DIONYS. CARTH.

BERNARDINVS.

IANSEN.

2. Fortassis se dulcem & piam taliter exhibet Virgo iustis, non autem peccatoribus? Absit. In Cruce dum pendebat filius stabat ad illius sinistram, quod inde colligit S. Bernardinus, quod Propheta loquens in persona Christi dicat Ps. 141. *Considerabam ad dexteram & videbam & non erat qui cognosceret me.* Si enim ad sinistram respexisset, Virginem vidisset, & sic locutus non fuisset. Sed quid est quòd Virgo ad sinistram se sistere voluerit. Audi Bernardinum, serm. de nomine Mariæ, ser. 1. art. 3. c. 2. *Beata Virgo, pingi debet ad sinistram Christi, qui stans in Cruce faciem tenebat ad orientem, & sic ad sinistram, id est, ad Aquilonem stabat beata Virgo, vt oraret pro peccatoribus.* An tunc, ô Virgo, tempus orandi pro peccatoribus? an non potiùs tempus plangendi filium, deplorandi miseram tuam viduitatem &c.? Nihilominus hæc omnia non potuerunt impedire, quin oraret pro peccatoribus. O quàm dulce & pium est cor Virgineum!

Etiam peccatoribus se dulcem exhibet Maria.

BERNARDINVS

BERNARDINVS.

Iuxta crucem stat à parte sinistra vt oret pro peccatoribus.

3. Legimus Ioannis 19. *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius.* Cur necesse fuit vt Maria staret iuxta crucem filij? vt testetur quàm pium, quàm dulce cor gerat, erga peccatores, in parte aquilonari peccati, & frigoris regione, ex qua panditur omne malum, constitutos, & qualiter tota in eo, vt virtus & meritum passionis Christi illis communicetur, vtque deperditam gratiam eis recuperare possit: Audi Dionysium Carthusianum libro 2. de laudibus Mariæ cap. 23. *Amantissima Dei Virgo, dici potest mundi saluatrix, propter eminentiam, virtuositatem, & meritum suæ compassionis, quâ patienti filio fidelissimè ac acerbissimè condolendo, excellenter promeruit, vt per ipsam, hoc est, per preces eius, ac merita, virtus, ac meritum passionis Christi, communicetur hominibus. Ipsa quoq; eis qui à gratia Christi prolapsi sunt rursus procurat eandem, & regnũ misericordiæ ei commissum est.*

DIONYS. CARTH.

4. Deinde quam dulcedinem non ingerit Virgo vel deuotè eam salutantibus, & orationem Angelicam recitantibus? Melleam sanè dulcedinem. Ob id enim fauo distillanti comparatur Cant. 4. & Gedeonis velleri Iud. 6. Audiendus hic Richard. à S. Laur. qui lib. 1. c. 8. ita scribit, de Virgine loquens. *Ipsa fauus mellis est, cui dicitur Cant. 4. Fauus distillans labia tua, qui si benè compressus fuerit, tactu labiorum deuotè orantis, dulcedinem melleam facilè distillabit, ipsa vellus Gedeonis madefactum rore gratiarum, quod compressione leuissima, deuotæ salutionis & orationis, larga distillabit stillicidia super terram cordis humani.*

Dulcedinẽ Virgo ingerit deuotè illam salutantibus.

RICHAR. A S. LAV.

5. Sola Virginis memoria quàm plena dulcedine sic melliflué expressit D. Bernardus super Salue Regina, expendens illa verba: *Vita, dulcedo*, &c. *O dulcis*, ait, *Domina, cuius sola memoria affectum dulcorat, cuius magnitudinis meditatio mentem eleuat, cuius pulchritudo oculum interiorem exhilarat: cuius amœnitatis immensitas, cor meditantis inebriat. O Domina, quæ rapis corda hominum dulcore, nónne cor meum Domina rapuisti? vbi quæso, posuisti illud, vt ipsum valeam inuenire? O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? Quare sic corda simplicium rapis? quare violentias facis amicis?* Et paulò pòst: *Cùm illud postulo mihi arrides, & statim tua dulcedine consopitus, quiesco. Cùm in me reuersus iterum illud postulo, me complecteris dulcissimè & statim inebrior tui amore: Tunc cor meum non discerno à tuo, nec aliud scio petere quàm tuum.* Hactenus D. Bernardus.

Sola Virginis memoria plena dulcedine.

BERNAR.

6. Cæterum, tam omnibus se dulcem exhibet

Omnibus ſe dulcé exhibet Virgo, vt omnes ad ſe trahat. BASIL. CONCIL.

hibet Virgo vt omnes ad ſe trahat, id mihi colligere, vel aucupari videor ex Baſileenſi Concilio ſeſſ. 45. vbi ſic ait: *Inter omnes qui cæleſtem Regem pro nobis interpellant, præcipuè ad glorioſiſſimam illam, & omni laude digniſſimam Virginem Mariam eſt recurrendum: quæ quantò altior exiſtit, tantò humiliùs ad nos reſpicit omnes ad ſe trahere cupiens, pro quibus in vtero geſtauit Saluatorem.*

Ficus lactea, ita & Maria hominibus.

§. XX.

Maria lactea. Virgini vbera ſicut turris. AMBROS. Magna habet vbera, quia etiam hominum mater.

7. Decimò, ficus tota lactea eſt, ita & Maria hominibus: de vberibus Virginis legimus Cant. 8. *Vbera tua ſicut turru.* Pag. legit: *Vbera tua ſicut turres.* Quibus verbis vult Ambroſius ſignificari & vberum magnitudinem, & quam continebant lactis abundantiam. Vnde citata verba premens D. Ambroſius in Pſal. 118. octon. 22. ſic ſcribit. *Non parua vbera habeo, ſed vt turres vbera mea ſunt in quibus eſt abundantia.* Quid opus Virgini tam magna vbera cùm filiolus eius Ieſu non niſi paruo paſtus eſt lacte? Si ſolùm hunc haberet Virgo filium, non opus illi magnis vberibus, ſed quoniam vult eam hominum quoque eſſe matrem, opus illi lactis copiâ, & conſequenter neceſſe eſt vt magna ſint eius vbera.

ANGELVS POLIT. Diana vocata multimammia.

8. Angelus Politian. miſcell. c. 51. refert quòd cœca gentilitas Epheſi, in argenteo templo toto orbe celeberrimo colebant Dianam quodque illius ſimulachrum, vocabatur Multimammia, id eſt multarum mammarum effigies, nam vndique erat ſtatua hæc circumdata mammis, cauſam verò ſubiungit idem auctor, cur tot mammis eſſet circumdata: *Quia cultores eius decepti, putabant eam omnium viuentium nutricem.* Vt autem ſignificaretur eam pro omnibus lacte abundare, eam pingebant mammis plenam. Similiter cùm Maria omnium hominum mater ſit conſtituta, vt ſignificaretur eam lactis abundare copiâ, quâ illos foueat, enutriat & alat dicit: *Vbera mea ſicut turres*, ita vt omnes qui ad eam confugiunt in illa reperiant lactis abundantiam.

Maria plena lacte ſpirituali. Lacte miſericordiæ. RICHAR. VICTOR.

8. Quæris, cuius lactis? non ſanè corporalis, hoc enim ſolus Ieſus paſtus eſt, ſed ſpiritualis, idque varij & multiformis. Imprimis lacte miſericordiæ. Iuxta illud Richardi à S. Victor. ad illa verba: *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli, &c. Adeò, inquit, pietate replentur vbera tua, vt alicuius miſeriæ notitia tacta, lac fundant miſericordiæ, nec poſſis miſerias ſcire & non ſubuenire.*

Lacte ſanctitatis. BONAV.

10. Secundò, lacte ſanctitatis, quo mirum in modum nutrit iuſtos, hinc Diuus Bonauentura in Pſalmo, vocat Mariam *Nutricem ſanctitatis, cuius lacte omnes qui vnquam fuerunt, eruntq́; iuſti & ſancti aluntur.* Fælix qui hoc lacte nutritur, & Mariam nutricem habet.

11. Tertiò, lacte doctrinæ. Factus ſum, ait Diuus Paulus 1. Theſſal. 2. in medio veſtri ſicut nutrix, ſedens & nutriens filios ſuos. Ecce quos pepererat Chriſto Paulus, ſtatim ſe illorum nutricem exhibuit, & ſe totum pro illis alendis vbera fecit. Vnde cum à Nerone decollaretur, totum eius collum, non ſanguinem emittebat, ſed copioſiſſimas lactis vndas vt pulchrè expendit Guarricus Abbas ſerm. 2. de SS. Petro & Paulo dum ait: *Quàm plenus autem lacte redundauerit ſpirituali, pulchrè ſignificatum eſt, vnda illius lactis viſibilis, quod de corpore illius exiſſe loco ſanguinis, cùm decollatus pro illis, quibus dabat mamillam, dedit & animam. Planè nihil in illo ſanguineum, ſed totum lacteum, qui nihil carnale, nihil ſuum cogitabat, ſed tantùm quod alijs vtile erat, nec tam habebat vbera, quàm ipſe totus vber erat qui ita miſericordia vberi affluebat, vt non modò ſpiritum ſuum deſideraret totum filijs immulgere, ſed & corpus impendere.* Sic ille. S. Paulus ſe nutricem eorum exhibuit quos Chriſto pepererat, an minùs præſtabit Virgo omnibus hominibus, quorum mater facta eſt ſpiritualis, dum Chriſti mater facta eſt corporalis? Quare putas eam diutiùs ſuperuixiſſe Chriſto, nónne vt hoc lacte foueret Apoſtolos? Hinc illud S. Birgittæ orat. 1. reuelat. *Lætare Virgo Maria, & de ſua lætitia totus mundus lætetur, quia poſt Aſcenſionem tuam, ad amicorum ſuorum conſolationem, & fidei roborationem, vt indigentium auxilium, & Apoſtolorum ſanum conſilium, in hoc mundo filius tuus, multis te permanere permiſit.* Apud eamdem Birgittam in ſermon. Angeli. cap. 19. Hæc quoque habentur in hanc rem: *Aſcendente ſuo benedicto filio ad ſuum regnũ glorioſum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum conformationem, & errantium correctionem remanere permiſſa eſt. Erat enim Magiſtra Apoſtolorum: Apoſtolis namque ad ſe venientibus, omnia quæ de ſuo filio perfectè non nouerant, reuelabat, & rationabiliter declarabat.*

Lacte doctrinæ. GVARRIC. Maria Chriſto ſuperuixit vt lacte doctrinæ foueret Apoſtolos. BIRGIT.

12. Quartò, lacte conſolationis, iuxta illud Sponſi Cant. 7. *Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ.* In quæ verba ſic Guilhelmus: *Maria cotidie materna ſolicitudine parturiens membra Chriſti, donec plenius Chriſtus informetur in eis, neminem à ſuæ pietatis ſinu repellit, ſed potius inuitat & attrahit vniuerſos. Omnes, ait, puſillanimes venite ad vbera mea, & ſugite abſque argento, & abſque vlla commutatione, vinum & lac, vt non tantum refocillemini, ſed etiam vſque ad ſobriam iucunditatem inebriemini. Et primum quidem de vberibus eius, ſugite lac conſolationis, deinde vbera eius aſſimilantur botris, vt bibatur ex eis etiam vinum inebrians ſanctæ exultationis. Multi ſiquidem de peccatis grauioribus emergentes, & adhuc pro*

Lacte conſolationis. GVILHEL.

recentibus

recentibus plagis, ægram habentes conscientiam, ad vbera piæ matris, opem eius flagitando confugiunt: ac primo quidem ne abundantiori tristitia absorbeantur, pia interuentione consolationis munus suscipientes: de vberibus pietatis eius, quasi lac sugant, & nondum vbera eius assimilantur botris. Postea verò sanatâ paullatim conscientiâ, per fructus dignos pœnitentiæ, meritu & intercessione eius, de certitudine veniæ exhilarantur, & tunc de vberibus piæ matris, vsque ad obliuionem veterum delictorum sanctæ consolationis vino inebriantur, sicque facta sunt vbera eius quasi botri vineæ. Item plurimi pressuris tribulationum laborantes, ad vbera piæ matris properant, id est, opem genitricis Dei & Domini nostri implorant, & primo quidem interuentione eius, refocillantur, ne malis frangantur: postea verò ab ipsis tribulationibus, illa eripiente, fœliciter emergentes, sancta iucunditate inebriantur. Primò, itaque de vberibus eius lac sugunt necessariæ consolationis, deinde & vinum sanctæ congratulationis, & sic vbera eius assimilantur botris. Hæc omnia Guilhelmus.

Etiam lacte corporali fouit Maria sibi addictos.

13. Quamuis autem hoc lacte spirituali foueat & nutriat Virgo suos filios, nihilominus interdum accidit vt sibi insigniter addictos & deuotos fouerit lacte etiam corporali, sic legitur lactasse S. Bernard. Narrat S. Petrus Damian. lib. 6. epist. 29. quòd: *Clericus quidam Neuernensis Ecclesiæ morbo depressus elanguit, iam iamque crescente molestia, moribundus ad extrema peruenit: hic regulam sibi sanctæ seruitutis indixerat, vt beatæ Dei Genitrici, quotidiana per singulas horas laudum vota persolueret; cumque velut egressurus in eius pectore spiritus anxiè palpitaret, ecce gloriosa mater Dei sibi visibiliter astitit, & sacri vberis papillâ, lac exprimens, eius labijs instillauit, & diuinæ virtutis antidoto, protinus ille resumptis viribus, ex infirmitate conualuit, & mox clericalibus ornamentis indutus, Ecclesiam adijt, seque choro psallentium fratrum, lætus interserens, mirum videntibus spectaculum præbuit. Dicitur etiam quòd adhuc tunc in labijs eius, quadam lactis videbantur vestigia.* Sic Petrus Damianus. De S. Fulberto Episcopo Carnotensi scribit Cardinalis Baronius tomo 11. ad anno 1028. num. 5. in hæc verba: *In Fulberto præter scientiam & vitæ integritatem maximè commendatur, quòd erga sanctissimam Dei Genitricem Mariam addictissimus seruus, & promptissimus eius amator fuerit, in cuius laudem librum conscripserit, basilicamque construxerit, laudesque cecinerit; ab ea autem singulari remuneratum dono, dum ipsi ægrotanti per visum apparens, sugenda aperuerit sacra vbera.*

PETRVS DAM.

BARON.

Qui spirituali Virginis lacte fouentur, illius induunt mores.

14. Quamuis autem nemo se dignum reputare debeat vt hoc corporali lacte à Virgine foueatur, nihilominus maximè laudabile si spirituali illius lacte cupiat nutriri, vtinam quilibet Christianus votis omnibus exoptet lacte misericordiæ, lacte sanctitatis, lacte doctrinæ, lacte consolationis à Virgine refici & enutriri, hinc enim quid accidere potest quàm vt conformes reddamur Virgini, vtque illius induamus mores atque virtutes. Nutrices enim mores suos cum lacte in filios transmittere, indubitatum: vnde Saluianus lib. 5. de prouid. *Nutrices*, inquit, *mores suos, vel bonos vel malos, in pueros, quos alunt, cum lacte transmittunt.* Quod monuit etiam Auicenna lib. 1. Fen. 3. Doct. 1. cap. 2. Hinc Græcorum omnium fortissimum, Achillem, nominarunt, ideo enim dictus est Achilles, id est sine lacte, quia non fœminarum suxit, sed ferarum lacte enutritus est, vt ex eis robur & vires traxisse dicatur. Quò respiciens Tertull. de Pallio cap. 4. agens de Achille sic ait: *Ille ferarum medullis educatus, vnde & nominis consilium*, Achillem etiam, ceruarum vberibus, admouisse labra, referunt, vt inde exciperet cursus velocitatem, vnde de illo sic scribit Nazianz. orat. 2. *Fabulosis leonum ac ceruorum medullis enutritus*, Vnde quicumque hoc spirituali Virginis lacte reficitur, Virgineos mores induat, necesse planè est, nempe Virgineam puritatem, obedientiam, &c.

SALVIA.

AVICEN.

NAZIAN.

15. Vtinam Virgini, ad sua vbera vocanti obaudiamus, vtinam illi nos imitanti & dicenti: Venite ad vbera mea, & fugite, absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac, morem geramus, vtinam agniculos imitemur. Sæpe ex his in magno grege agniculus per tota ouilia vagatus errat à matre, & cum eam reperire non possit balatu frequenti absentem excitat, quo ab eius sono errabunda replicet vestigia: multis licet versetur in millibus ouium, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem. Lactis quoque materni sibi notos fontes requirit, quamuis, cibi desiderio detineatur & potus, transcurrit tamen aliena vbera grauida, licet humore lactis exundent, solam matrem requirit, solius sibi materni vberis pauperes succos significat abundare. Qualiter ab vberibus mundi & diaboli sese ablactare debeat qui Virgineis vberibus, quive Virgineo eoque spirituali lacte vult frui vide apud Nouar. lib. 4. Sacror. electorum, siue in vmbra Virginea excursu 41. cap. 12. num. 407. & seq.

Virginis vbera nobis inquirenda instar agniculi.

Qui virgineis volunt foueri vberibus, debent ablactari à mundi vberibus.

NOVAR.

Ficus

Ficus lætitiæ symbolum; ita Virgo lætitiæ causa hominibus.

§. XXI.

Virgo lætitiæ causa hominibus.

16. VNDECIMÒ, ficus symbolum est lætitiæ, sub illius vmbra enim solebant homines vacare mutuis colloquijs, confabulationibus, cantionibus, conuiuijs, epulis, lusibus &c. Quam lætitiæ causam non præstat Virgo hominibus? Tantam vtique vt eam vocitent causam suæ lætitiæ. Ioan. 2. Legimus eam dixisse filio: *Vinum non habent*. Rupertus ibidem existimat Mariam à filio suo hoc miraculum petijsse, *ne hilaritatem præsenti rei competentem, importuna penuria contristaret*. Non patitur Virgo se præsente locum esse tristitiæ, vt meritò de seipsa dicat, quod de se affirmare solebat Adrianus, teste Ælio Spart. In Adriano. *Se grauiter ferre, vt multi ab eo tristes recederent.*

Non patitur Virgo se præsente locum esse tristitiæ vnde dixit: *vinum non habent*. RVPERT.

17. Inter alias Deas etiam Angaronam colebant Romani, sic vocata teste Pier. lib. 36. quod *Angorum atque animorum sollicitudines propitiata depelleret*. Vera Angarona est Maria, vnde etiam *consolatrix afflictorum* nominatur.

Maria vera Angarona, depellens angores animorum. PIERIVS.

18. Legimus Eccli. 26. *Sicut sol oriens in mundo, in altissimis Dei, sic mulieres bonæ species in ornamentum domus suæ.* Mulierem bonam vnam intelligit B. Virginem Hugo Card. Sed quæ Mariæ domus propria? Audi Carthus. lib. 4. de laud. Mar. cap. 4. *Domus bonæ mulieris est Sancta Ecclesia, tam militans Virgini gloriosæ commissa, quàm triumphans ex Angelis & hominibus constituta. Itaque sicut sol materialis suo splendore totum illuminat & præornat hemisphærium nostrum, sic fælicissima Virgo, omnium optima mulierum, vniuersam decorat, illustrat, lætificat, militantem, triumphantemque Ecclesiam.*

In Ecclesiæ domo Maria instar exorientis solis, omnia lætificatis. HVGO CARDIN. CARTH.

19. Vis scire qualiter Maria lætificet Ecclesiam triumphantem? Angelorum vox est in Cant. 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te,* postquam Virgo in cælum est assumpta, vt vult Petrus Damianus. Ideo enim eam Sunamitem vocant, id est, mortificatam, quia per mortem taliter exaltata. Sed quid hoc sibi vult, *vt intueamur te?* Et quomodo potest Virgo beare cælestes spiritus, cùm solus Deus sit obiectum suæ beatitudinis? Quamuis principale obiectum beatitudinis suæ sit Deus, visio tamen faciei & vultus Virginei talis est vt possit beare Angelos & Sanctos. Dicit quidem Sanctus Thom. 2. 2. q. 2. ar. 8. *Non est bonum vniuersale quietans perfectè appetitum hominis, sed solus Deus qui est omne bonum.* Nihilominus post Deum quasi secundarium obiectum suæ beatitudinis desiderant tam Angeli quàm Sancti intueri beatam Virginem; nam vt ait S. Bernardin. de Assumpt. Virg. to. 3. ser. 11. art. 1. cap. 2. *Quilibet cælicus ordo lætatur, quia in beata Virgine reperit aliquid gloriæ speciale. Mariæ præsentiâ*, inquit D. Bernardus ser. 1. de Assumpt. *totus illustratur orbis, adeò vt & ipsa iam cælestis patria, clariùs rutilet, Virgineæ lampadis irridiata fulgore* &c. Vt meritò dicatur Virgo dedisse cælis gloriam. De lætitia quam causat Virgo hominibus vide Nouarinum Sacr. elect. lib. 4. exc. 142. cap. 38. quam causat cœlicolis vide Anton. Spinellum de Deipara cap. 31. num. 4. & sequent.

Qualiter Maria lætificat Ecclesiã triumphantem.

Virgo secundarium obiectum beatitudinis.

D. THOM.

BERNARDINVS.

NOVAR.

Ficus magna & patula habet ad tegendum folia, ita etiam Maria.

§. XXII.

Ficus apta tegumento.

20. DVodecimò, ficus cum latissima & longissima habeat folia ad velandum & tegẽdum aptissima. Quàm bene id conuenit Virgini sacratissimæ. Quid est, quod cũ Deus antiquitus tã grauiter puniret peccata, iã non videatur illa ad puniendum videre? Non ab Angelis, nec ab alia creatura, sed ab vna Maria venit velamen illud, quo & humanæ culpæ operirentur, & absconderentur prorsus Deo, ne illas videret ad pœnam. Quò spectans D. Epiphanius in Assumpt. Mariæ, ait: *Aue gratiâ plena, quæ habes radium de cælo, lucidis facibus coruscantem, vtpote solem Christum. Virgo plurium nominum & multoculæ effecta es, Seraphim incomprehensæ visionis, quæ inuenta es velamentum quoddam intellectuale corporis vniuersalis.* Expende illud: *Inuenta es velamentum quoddam corporalis vniuersalis.* Quippe totum Christianum corpus per Mariam, velamentum habuit, quo perfectissimè operiri, & velari posset, ne eius maculæ, in pœnam videantur.

Virgo operit peccata ne illa Deus ad puniendum videat. EPIPHANIVS.

Nónne Maria vellus istud Gedeonis in quod Princeps Pacis, Dominus Iesus descendit sicut pluuia in vellus, ex quo vèllere egressus est tanquam mansuetissimus agnus, cuius lana tegit & operit omnium peccatorum nostrorum vulnera? Hæc diffinientem accipe Ambrosium serm. 13. Quid enim tam silenter & sine

Maria vellus Gedeonis ex qua egressus agnus, cuius lana operit omnium peccatorum vulnera. AMBROS.

& sine strepitu fit quàm cùm imber in lanæ vellus infunditur? nullius aures sono verberat: nullius corpus humore repercussionis aspergit: sed sine inquietudine hominum totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit vnius meatum scissuram nesciens, solida mollicie plures prabens meatus; & quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum vt toto eum hauriret corpore nec eius discissuram corporis pateretur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Rectè, inquam, Maria velleri comparatur de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu eius agnus egressus est, qui & ipse matris lanicium, id est, carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lanâ suffunditur, Christi fouetur sanguine, & vt sanitatem recipiat Christi indumento vestitur. Sic Ambros. Quò etiam respiciens Ioannes Damascenus sic Virginem alloquitur, *Tu ô Virgo beata deleuisti pœnas nostræ transgressionis, tuo ex vtero nobis profers indumentum incorruptionis.* DAMASC.

Maria, tanquam terrâ benedicta germinauit operculum peccatorũ.

21. Legimus Psalm. 80. *Benedixisti, Domine, terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob, operuisti omnia peccata eorum.* Quomodo tot tantaque hominum peccata operta sunt? Non quælibet terra, sed terra benedicta & virginea, nempe Maria germinat nobis operculum peccatorum. Rem pulchrè elucidat Richardus à S. Laur. libr. 8. de laud. Mariæ, inquiens: *Operuisti omnia peccata eorum, ne videret ea homo ad imitandum, vel ne videret ea ipse peccator in iudicio ad erubescendum, diabolus ad deridendum, & accusandum, ipse Deus ad puniendum. Operuisti, inquam, pallio carnis, quâ Maria te vestiuit, extenso in Cruce, de quo prædixeras animæ peccatrici Ezec. 16. expandi amictum meum super te.* RICHAR. A S. LAVR.

Maria instar nebulæ nos protegit.

Similiter qualiter nos regat & protegat Virgo, ipsa insinuat Eccli. 24. vbi se nebulæ comparat. *Et sicut nebula texi omnem carnem.* In quę verba sic Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laudibus Virginis part. 1. *Ipsa* (virgo) *dicit Eccli. 24. sicut nebula texi omnem carnem*, ab irâ scilicet Dei quasi ab ardore solis. Ideo etiam dicit de filio Cantic. 4. *Tenui eum*, ne scilicet percuteret, nec dimittam, sed continuâ precum instantiâ furorem ipsius retinebo. Ipsa est Abigail cuius prudentia retinuit furorem Dauid ne vindicaret se de Nabal stulto 1. Reg. 25. *Tegit omnem carnem Virgo, quia nullus tam perdita vita, qui si ad eius patrocinium currat auxilium non inueniat.* RICHAR. A S. LAVR.

Ob protectionem platano se comparat Virgo.

22. Qualiter Virgo tegat & protegat omnes sua protectione, ipsa etiam insinuat dum platano sese comparat. Eccli. 24. *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis.* Quæ verba expendens & Virgini accomodans Richard. à Laur. lib. 12. de laud. Virg. sic pulcherrimè scribit: *Maria platanus, patulam se exhibet peccatoribus, omnes, quantum in se est, parata recipere sub sua protectione, & omnes refrigerare male igne exustos: & nota quòd vbi sunt folia lata, ibi est vmbra magna, & magna est vmbra protectionis eius, nam protegit & contegit contra carnalem concupiscentiam, quia Virgo: contra ventum mundana vanitatis, quia humillima: contra tentamenta diuitiarum, quia pauperrima: contra feruorem solis, quia mater solis iustitiæ.* Sic ille. RICHAR. A S. LAVR.

Benedictus Fernand. tom. 1. in Genesim cap. 3. serm. 19. premens citata verba sic ea conuenienter ad rem, de qua agimus, accommodat. *Virgo Dei Mater quasi platanus exaltata est iuxta aquas Eccles. 24. Aquæ multa, (vt legitur Apocal. 17.) populi multi: molles quidem, lubrici, inconstantes, aquei, imò ipsa aqua sumus. Sed exaltata est Virgo super aquas, eiusdem quidem natura nobiscum, sed virtutum & gratiæ, donis euecta supra omnem creaturam. Exaltata est vti platanus aquas obumbrans, protegens, fouens, atque animans. Adamus foliis ficus malè se ac filios suos operit. At Virgo parens patulos diffundit ramos, expandit folia platani, peltas (inquam) & scuta, quibus obtecti & vitiorum ictus propulsemus, & mortis acerbitatem ac pericula repellamus. Ad hanc igitur benedictam arborem confugiamus.* BENED. FERNAN.

Tegit etiam virgo filiorum suorum nuditatem virtutum vestibus, nimirum ad imitationem Rebeccæ, qui filium suum amantissimum Iacob induit vestibus Esau valde bonis quas apud se habebat. *Vestes Esau*) ait S. Bernard. in sentent.) *honestas vita & maturitas disciplinæ.* Has Rebecca (vt loquitur Rupertus) hoc est mater gratiæ apud se repositas tribuit filio charissimo: Nimirum Virgo mater gratiæ, immò & gratia ipsa, ac venustas nostræ naturæ (vt cum S. Damascen. dicamus) cùm omnia bonis suis fidelibus seruis elargitur tum maximè duo hæc illorum mentibus imprimit; honestatem scilicet vitæ, & maturitatem disciplinæ, quos ab omni lasciuia castos & in vera sapientia maturos ad suum ipsius obsequium & filij esse requirit. Tegit Virgo ad imitationem Rebeccæ filiorum suorum nuditatem. BERN.

Vtinam discamus à Virgine vt sicut illa hominum, ita & nos proximorum peccata tegamus obaudientes pulcherrima monita D. Chrysostomi expendentis verba illa Gen. 9. *At verò Sem & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis & incedentes retrorsum operuerunt verenda Patris sui. Precor, inquit, ne detegamus proximorũ lapsus; & si ab aliis eos didicerimus, ne satagamus vt nuditas videatur, sed sicuti grati illi pueri obtegamus, adumbremus, admonitione & consiliis lapsam animam erigere studeamus, misericordia Dei magnitudinem docentes & bonitatis eius excellentiam, charitatis immensitatem: vt maiorem quàm illi benedictionem à Domino consequamur.* Vt Virgo hominum, sic nos tegamus proximorum peccata. CHRYSOS.

Pp De

militatem, quæ flatu auræ tenuis, & humilis salutationis, vel orationis facilè poterit inclinari, inclinata verò secum afferet fructum suum.

In ficu omnia vtilia, in virgine nihil non proficuum.

31. Vigesimoprimò, in ficu omnia vtilia & proficua, nihil reiiciendum, nam ipsa etiam folia abscissa & secata manant lac, imò fici folia plantata crescunt, quod ampliùs, cineribus fici apes mortuæ reuocantur ad vitam. Simile quid videmus in sacratissima Virgine, nihil in ea non proficuum & vitale. Vtinam imitemur ficedulas, nimirum quasdam auiculas, sic nominatas, quia ficuum dulcedine maximè delectantur, & quàm libentissimè vescuntur, fælix illa anima, quæ instar spiritualis ficedulæ dulcedine Virginis reficitur, refocillatur ac vegetatur.

Quòd etiam respectu Dei Virgo se ficum exhibeat.

SECTIO XXIX.

Ficus lactea est, similiter & Virgo, insuper lacte suo, filium suum lacteum, id est, mitem, & dulcem reddens.

§. I.

Maria lacte suo filium suum lacteum, id est, mitem & dulcem reddidit.

IN præcedentibus vidimus qualiter Virgo meritò ficui comparetur si consideres, non solùm qualis in seipsa sit, sed etiam qualis nobis sit: nunc restat probandum quòd respectu etiam ipsius Dei ficus habeat rationem atque proprietatem.

1. Imprimis, ficus plena lacte, ita etiam Virgo pauit & lactauit vbere de cælo pleno Dominum Iesum, & quod amplius est, eum planè lacteum, id est dulcem, mitem, suauem, ac misericordem, nobis reddit. Cantic. 8. *Quis mihi det te fratrem meum* (ait sponsa Christi Ecclesia) *sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te.* Quænam est ista mater nostra ad cuius pendentem vbera videre optat sponsum suum Iesum Christum, vt lacte eius, è duro & formidabili & mansuetum & propitium factum, posset deosculari? Est Virgo Maria, cùm enim Christus sit frater Ecclesiæ adoptiuus, & Maria sit mater illius naturalis, hæc consequenter etiam est mater Ecclesiæ adoptiua. Audi Rupertum libr. 7. in Cantic. RVPERT. *Sponsa virginem alloquens, ait: An non mater nostra quæ vitam & salutem peperisti? Si Abraham Pater Gentium & Sara mater gentium dicitur propter fidem, quantò magis tu ô fidelissima fidelium, Mater es omnium nostrûm? Quis mihi det fratrem meum sugentem vbera matris meæ, cuius matris meæ nisi Virginis Mariæ? Propterea de Patre nihil dixit. Totum quod frater noster est, de matre est: matris vbera suxit, sed non de Patris radice fluxit.* Hæc & plura dulciter Rupertus. Quod ergo Ecclesiæ, præcipuè in votis, illud est, vt videat fratrem suum Dominum Iesum foris, id est, per incarnationem prodeuntem è sinu patris, & sugentem vbera sacratissimæ Virginis. Quam quæso ob causam? Vt sic Christum Dominum post pressa Virginea vbera iam ex duro & immiti, redditum planè dulcem, mansuetum, misericordem, illi dulcia possit figere oscula, & suaui illius frui præsentia. Miraris lacte Virgineo taliter immutatum Christum? mirari desine, si sanguis è præciso Diui Pauli capite, sub lactis specie profluens, & in tunicam percutientis profluens eum sibi in martyrio socium reddiderit, quid iudicandum de lacte virgineo? *Quisnam locus,* ait Chrysostomus apud Metaphrast. *tuum sanguinem excepit lactis specie in eius qui te percussit tunica apparentem? qui animam illius barbari supra modùm dulciorem reddens fidelem effecit cum sociis.*

Pauli sanguis sub specie lactis profluens animam barbari mollem & dulcem reddidit. CHRYSOS.

2. Qua mente etiam Virgo vbera sua assimilat turri Cantic. 8. *Ego murus & vbera mea sicut turris.* Vis scire cuinam turri sint comparanda vbera Virginis? Est Venetiis turris, de qua sic Sabellicus apud Maiolum colloq. 13. *Summus apex adeò sublimis, vt fulgor auri, quo illitus est, ad ducenta stadia, ex alto nauigantibus, velut saluberrimum quoddam occurrat sydus.* Addit Bordonius apud eundem. *Sedentemque in summo vertice Angelum habebat versatilem.* Sic Virgo lactans Dei filium in altissimam meritorum omnium turrim eleuata est, inseruiens mortalibus pro pharo, vel maris quadam stella, quâ ad cælestem diriguntur patriam. Gestat autem hæc turris in summitate Angelum testamenti noui nimirum Deum humanatum. Dilectus meus inter vbera mea commorabitur. Verùm quod ad rem magis spectat de qua agitur illud est, quod Angelum versatilem gestet Maria, quodque eum pro voluntate sua verset in quamlibet partem.

Vbera Virginis cuinam turri comparanda. SABELL.

Maria Christum versat in quamlibet partem.

fuerat, manum suam mittit, sic scribit libr. 2. Delectabitur ineffabiliter infans, id est, Christus, ab vbere matris ei repræsentato; Sequitur: super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Christus enim delectatus ab vbere matris, tendit manum gratis ad malos, qui prius fuerant foramina aspidis & cauerna reguli.

Lac libentiùs porrexit Virgo filio quòd sciret illud in carnem & sanguinē illum vertēdum quibus fideles nutriendi.

8. Eò autem libentiùs lac porrexit Virgo filio, quòd sciret illud in carnem & sanguinem illius vertendum, quibus fideles nutriendi essent. Vnde sic exclamat sanctus Petrus Damianus. O beata vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, angelorum cibum & hominum pascunt: Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris. Pergit & colligit quantum Mariæ debeamus, & quàm ingentes sunt nobis Dei matri agendæ gratiæ: Hic, inquit, rogo perpendite, quàm debitores simus huic beatissimæ Dei genitrici quantasq; illi post Deum gratias agere debeamus: Illud siquidem corpus Christi, quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod fasciis cinxit, quod materna cura nutriuit, illud, inquam, absque vlla dubietate, non aliud nunc de sacro altari, percipimus, & eius sanguinem in Sacramentum nostræ redemptionis haurimus. Addit S. Pater: Impar est ergo illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ, visceribus cibum nobis protulit animarum, illum videlicet, qui de semetipso perhibet, dicens: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis ex hoc pane manducauerit viuet in æternum. Hactenus Petr. Dam.

Petrus Dam.

Bonav.

Huc etiam respiciens Diuus Bonauent. in stimulo amoris cap. 1. exclamat. O salutarem! ô summe amabilem & lactis & sanguinis coniunctionem! Miscebo lac matris cum sanguine filij, & inde faciam mihi vnam salutiferam & dulcissimam potionem. O sacratissima, amantissima & dulcissima vulnera Iesu Christi.

Ficus mansuefacit taurum; sic Virgo mansuefacit Deum.

§. II.

Virgo Christum mansuefecit.

Antoninus.

9. Secundò de ficu scribit Isidorus lib. etymol. cap. 8. Si ferocissimus Taurus ad ficum ligatur, continuò mansuescit. Quàm bene idipsum conuenit Virgini? Sicut taurus, ait Antoninus part. 3. titul. 32. cap. 2. quantumcumque ferus si alligetur ficui mansuescit: ita Dei filius alligatus Virgini dulcissimo vinculo charitatis, ex qua incarnatus, effectus est mansuetus. Deuter. 33. sic Deum iratum describit Moses: Quasi primogeniti tauri pulchritudo illius, cornua rhinocerotis, cornua illius, in ipsis ventilabit gentes. Quis mansuefaciet hunc taurum; quis dulcem & benignum reddet? Amoris vinculo alligetur dulcissimæ ficui, id est Virgini, nil nisi mel & omnem dulcedinem stillanti in hominum genus & efficietur planè mansuetus, ita vt non recuset humeros supponere crucis grauissimo iugo, Christus per mansuetissimam Mariam mansuescit, ait D. Bonauentura in spec. cap. 13. & placatur, ne se de peccatore per mortem æternam vlciscatur. Sic Bernardinus.

Christus primogenitus taurū Maria mā suefacius.

Christus in lege terribilis, inter vbera Virginis factus est mitis.

10. Legimus Cantic. 1. illa verba Mariæ. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi. Quomodo ô sacratissima Virgo hæc inter se conueniunt, fasciculus myrrhæ & botrus Cypri, cum myrrhæ fasciculus nihil nisi amaritudinem, botrus verò Cypri nil nisi suauitatem & delicias spiret? An filius ergo tuus simul amarus est & suauis, durus & blandus? Audi Richardum à Sanct. Laurent. libr. 4. Fasciculus fuit Christus in veteri lege, sed inter Mariæ vbera factus est dilectus, ac suauis & mitis. Pergit: Sicut enim sanguis in se horribilis in vberibus efficitur lac quod dulce est, & delectabile ad bibendum, sic filius qui in lege erat terribilis, inter vbera Mariæ factus est mitis.

Richar. a S. Laur.

11. Isaiæ 11. Egredietur virga de radice Iesse. Quid virgam dicit loquens de Virginis natiuitate & non potiùs oliuam vel palmam, cedrum vel cypressum? Nónne ipsa ait Ecclesiast. 24. Quasi cedrus exaltata sum in libano & quasi cypressus in monte Sion? Licet hæ arbores insinuent Virginis excellentiam & altitudinem, nihilominus quia firmæ sunt & difficulter flexibiles, hinc propheta respiciens ad pietatem Virginis erga homines, & qualiter illis facilè inclinatur, eam comparat virgæ, rei maximè flexibili, quæ non solùm seipsam, sed & florem suum, Christum Dominum nobis inclinat. Vnde D. Bonauentura in spec. Virg. super Dominus tecum. Si hunc florem habere desideras, virgam floris, precibus flectas, si flos est nimis altus diuinitate, virga tamen est flexibilis pietate. Quasi dicat: Si quis consideret Deum alto Deitatis suæ solio residentem, non desperet se illo posse frui, accedat ad virgam, ad Mariam, quæ cùm maximè sit flexibilis per pietatem, simul etiam inclinat nobis Deum.

Maria virga quæ florem suum, id est, Christum nobis inclinat.

Bonav.

12. Vnde etiam meritò violæ se comparat Virgo Cantic. 2. Ego flos campi, pro quo alij legunt: Ego viola campi. Sicut viola, ait Hugo de S. Vict. sermone 46. naturaliter caput inclinat, id est, flosculum suum: ita Virgo vt medelam adferat humanæ miseriæ inclinat Deum ad pietatem, postquam illum virgineo susce-

Virgo viola quæ flosculum suum inclinat.

suscepit vtero, cùm antea durus fuisset & quasi inexorabilis.

Virgo nubecula illa quæ traxit aquam salsam, sed mox eam dulcem reddidit.

13. Huius rei pulcherrimam habemus figuram in nubecula illa de qua 4. Reg. 18. *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Nubecula hæc vmbra quædam est virginis. Sicut autem nubes quam traxit è mari aquam amaram, post aliquod tempus eam planè mutatam, imò dulcem planè, immittit in terram: ita Deus ante incarnationem ex Virgine cùm esset instar maris cuiusdam salsi & tempestatibus ac fluctibus pleni, semper enim, ait Iob cap. 31. quasi tumentes super me fluctus, timui Deum. Postquam delituit nouem mensibus in virgineo vtero, instar suauissimi roris & pluuiæ in terris nascitur, atque de illo iam dicitur: *Suauis Dominus vniuersis & miserationes eius super omnia opera eius.*

Soli comparatur Christus, Virgo cælesti signo, cui nomen virgo, in quam intrans sol iustitiæ mitior factus est. ANTONINVS.

14. Similitudine, siue imagine solis, veritatem hanc sic illustrat Diuus Antoninus part. 4. titul. 15. cap. 22. *Sol materia, ait, per mundum discurrens ex signo Leonis, quando est perfectissimus calor eius super terram, intrat in signum Virginis, ad innuendum quod Sol iustitiæ Christus Deus noster, ex tempore veteris testamenti, quando Deus vt leo rugiens, erat Deus vltionum, puniens terribiliter peccata ex feruentissimo amoris calore, intrans in vterum virgineum totus factus est benignus, suauis & humanus. Vnde & fructus tunc* (nimirum in Iulio, & sub initium Augusti, *crudi* sunt & agrestes) *maturescunt & dulcescunt.*

Maria concha, Christus margarita, quæ in concha mollis est non dura. DAMASC.

15. Sub imagine conchæ & vnionis, eandem rem sic venustè declarat Ioannes Damasc. orat. 1. in Natiuit. Virg. *Hodie concha gignitur,* quæ cælitus diuinitatis fulgetra in vtero concipiet & Christum ingentis pretij vnionem pariet. Virgo concha, filius vnio siue margarita. Aliter se habet vnio in concha & aqua, aliter extra easdem. *In aqua,* ait Plinius lib. 9. cap. 35. *mollis vnio, exemptus protinus durescit.* Christus quamdiu sine Maria inuentus, hominibus durus; at iam Virginis residens gremio & illius trahens vbera, iam mollis est, iam puerulus est. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius.*

Maria cisterna in quam delapsa pluuia ex austera fit dulcis.

16. Potest idipsum elucidari similitudine aquæ pluuialis, quæ in cisternam aliquam delapsa, ibidem amissa gustus insuauitate & acrimoniâ dulcoratur, & ad bibendum aptissima redditur, aqua enim nubibus recenter delapsa aspera esse solet, ac stomacho parum apta, sicut & ad ciborum decoctionem vt medicorum doctrina & ipsa experentia docet: At si per aliquod tempus intra cisternam commoretur, amittit acerbitatem, & gustui atque stomacho melior effecta, sanitati corporis magis accommodata est. Deus noster in sacris litteris, sicut aliquando ignis, ita & pluuia appellatur Psalm. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus,* & Psalm. 48. *nubes pluant iustum.* Erat Deus noster, aspera olim aqua, atque ita vehemens vt eius impetu & exundatione fuerit obrutus terrarum orbis, ruptis cæli cataractis. Erat tunc aqua minùs grata bibentibus, at postquam è cælo lapsa in cisternam sanctissimam, hoc est, in Mariæ viscera defluxit, & ibi consedit, insuauis & aspera esse desiit, redditaque est grata & salutifera, quam propheta bibere cupiebat cum diceret 2. Reg. 23. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem iuxta portam. Quod hic transfigebatur,* (ait Sophronius Episcopus Hierosf. in homil. de Natiuit.) *figura de Christo erat, qui est aqua viua, omnibus vitam infundens, cisterna sanctissimam Virginem designabat, quæ Deum paritura erat. Sitiebat Dauid,* ait Ambrosius libr. de Apolog Dauid cap. 17. *non aquam de lacu quæ est in Bethlehem, sed oriundum ex Virgine Christum spiritu prævidebat: Non bibit oblatam aquam, sed Domino profudit, significans se Christi sitire sacrificium non naturæ fluentum illud, sitire se fontem æternum, non qui periculu quæreretur alienis, sed pericula aliena depelleret.* SOPHR.

Coriolani, & Veturiæ exemplo elucidatur qualiter Maria Christum flexerit & emollierit. VALER. MAX.

27. Quanta Virginis potentia, ad mitigandum & emolliendum Christum, humano iratum generi ob offensas in illum commissas adstrui potest Coriolani & Veturiæ exemplo, de quo apud Valerium Maximum hæc extant verba lib. 5. cap. 4. Coriolanus maximi vir animi & altissimi consilij optimeque de republica meritus, iniquissimæ damnationis ruinâ prostratus ad Volscos infestos tunc Romanis confugit, vnde euenit, quò latebras quæsitum venerat ibi breuissimè summum adeptus est imperium; & quem pro se salutarem imperatorem ciues habere noluerant, penè pestiferum aduersus se ducem experirentur. Frequenter enim fusis exercitibus Romanis victoriarum suarum gradibus aditum iuxta mœnia vrbis Volsco militi struxit. Quapropter fastidiosus ille in æstimandis bonis suis populus, qui domestico non pepercerat, exuli coactus est supplicare. Missi ad eum deprecandum legati, nihil profecerunt. Missi deinde sacerdotes cum infulis, æquè sine effectu redierunt. Stupebat senatus, trepidabat populus, viri pariter & mulieres exitium imminens lamentabantur. Tunc Veturia Coriolani mater castra Volscorum petiit. Cuius vbera vbi filius aspexit, properè vt amens, matris complexum petiit. Illa autem ex precibus in iram conuersa ad eum ait: Sine, vt priusquam complexum accipiam, sciam, an ad hostem, an ad filium venerim: Captiuáne, an mater in castris tuis sim? in

in hoc me longa vita, & infælix senecta traxit, vt exulem, deinde te hostem viderem? Potuisti populari hanc terram quæ te genuit atque aluit? Nisi te peperissem, Roma non oppugnaretur. Multaque insuper addidit complorando. *Quibus & vxoris, ac paruulorum fletibus motus, matrem complexus: expugnasti, inquit, & vicisti iram meam, patria, quamuis meritò mihi inuisa, precibus huius admonitus, cuius & vtero conceptus, & vberibus lactatus sum, te dono.* Continuoque agrum Romanum hostilibus armis liberauit, atque vnius parentis aspectu bellum atrox, in salutarem pacem, mutauit. Ecce quanta potentia Veturiæ ad emolliendum filij animum. An putas minorem esse vim & potentiam Virginis ad emolliendum Christi pectus summâ erga homines, ob illorum in eum demerita, indignatione commotum? absit. Christus enim eius filius diuini vir animi & altissimæ sapientiæ, optimè de genere humano meritus ab illis ingratis iniquissimæ & turpissimæ damnationis atque proscriptionis ruinâ prostratus, ad cælestes ciues tunc generi humano, aliquanto infensos, confugit, vbi factus totius orbis imperator contra genus humanum vitiis commaculatum exercitum collegit, vt tandem vindicaret se de hostibus suis. Ad quem supplicandum & ad misericordiam inflectendum miserant primo legatos, illos scilicet sanctissimos patriarchas & prophetas, qui ingeminabant illud Psalm. 78. *Vsquequo, Domine, irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus?* Et illud Psalm. 79. *Cibabis nos pane lachrimarum & potum dabis nobis in lachrimis in mensura.* Et illud 78. *Effunde iram tuam in gentes quæ nomen tuum non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ.* Et illud Psalm. 79. *Domine Deus virtutum conuerte nos & ostende faciem tuam & salui erimus.* Miserant deinde ad eum summos sacerdotes cum infulis pontificalibus indutos, qui inter vestibulum & altare plorabant, dicentes: *Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium.* Sine effectu tamen redibant, vniuerso populo misericordiam impetrare non poterant, nihil profecerunt, quia sine desiderato effectu, redierunt, Deus enim sæpius testabatur illud Ierem. 15. *Si steterint Moyses, si Iob, & Samuel & Daniel coram me venerint, non est anima mea ad populum istum, eiice eos à facie mea, & egrediantur, qui ad mortem ad mortem, & qui ad gladium ad gladium, & qui ad famem ad famem, & qui ad captiuitatem ad captiuitatem. Abominatus fuerat Deus hæreditatem suam.* vt legimus Psalm. 27. Quando autem accessit ad eum Mater ipsius, quando illi monstrauit vbera, quibus eum lactauerat, putatis, quòd continebit in ira sua misericordias suas? Existimatis, quòd amore feruentissimo in illam extra seipsum elatus, illis pro quibus supplicauerit non miserebitur? Exempla fortè ab humanis ad diuina non valebunt? Sed & permaximè. Ille enim qui in visceribus humanis pietatem & immensum quendam amorem erga parentes indidit illum in suo pectore non extinxit, sed infinitis partibus auxit, & matris suæ dulcissimæ voluntatem adimplere & deprecationem exaudire solet. Quod si tantum potuerunt verba Veturiæ, vt eorum aspectu atrox bellum paci commutaretur, multò magis poterunt beatissimæ Virginis quæ dicebat Cantic. 8. *Ego murus & vbera mea quasi turris.*

18. Hæc omnia bona nobis à Virgine profutura in spiritu præuidens Regius Vates ait Psalm. 94. *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum, mitigasti omnem iram tuam.* Quibus verbis quamuis respiciat ad Christi futuram ex Virgine incarnationem, nihilominus tanquam de re iam præterita, propter prophetiæ certitudinem, de illa tanquam iam præterita loquitur: *Benedixisti Domine terram tuam.* Quænam hæc terra, nónne sacratissima Virgo, & quando hæc à Domino benedicta, nónne quando benedictus fructus Dominus Iesus ex illa natus est? & quid inde secutum? quis effectus diuinæ ex Virgine incarnationis? *Auertisti*, ait, *captiuitatem Iacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum* (pallio tuæ misericordiæ, vel pallio humanitatis tuæ, in cruce extensæ) *mitigasti omnem iram tuam.* Diuus Hieronymus transtulit: *Continuisti*, sed Hebraicè ad verbum est, *Collegisti*, hoc est, retraxisti, eo sensu quo dictum est Ioëlis 2. vbi habetur eadem vox Hebræa: *Stellæ collegerunt lucem suam*, id est, retraxerunt. Indicat verò verbum illud *mitigasti omnem iram tuam*, Deum olim instar leonis rugientem, & iratum hominibus, tandem per mysterium incarnationis perfectum in Virgine mansuefactum, & tractabilem peccatoribus effectum.

Maria terrâ illa cui benedixit Deus, quam postquã ingressus est, mitigauit iram suam.

Hier.

19. Ad eandem ex Virgine incarnationem respiciens idem Vates ait Psalm. cit. *Veritas de terra orta est & iustitia de cælo prospexit.* Ad quæ verba sic conuenienter scribit Blasius Viegas in Apocal. cap. 12. de Beat. Virg. comment. 1. sectione 4. num. 4. Pro dictorum verborum intelligentia, aduertendum est, diuinam stateram duabus lancibus constare, vnâ misericordiæ, iustitiæ alterâ: sed ante incarnationem lanx iustitiæ magis ponderabat, & alteram misericordiæ lancem in cælũ vsque eleuabat: Ibi enim misericordia in Angelis præcipuè splende-

Per virginem factũ vt præponderet lanx misericordiæ.

Blasius Viegas.

splendebat. At per Virginem factum est, vt præponderaret lanx misericordiæ, ad terrasque vsque descendens iustitiam in sublime ferret. Quare hunc sensum recipiunt verba citata: Veritas de terra orta est, id est, vt interpretatur D. August. Christus ortus est de Virgine: Simulque cum illo apparuit in terra veritas completæ promissionis de misericordia largienda hominibus. Itaque altera misericordiæ lanx beneficiorum pondere pressa, ad terras vsque descendit & iustitia de cælo prospexit, id est, altera iustitiæ lanx, quæ antea in terris videbatur, iam in altum euecta in cælo apparuit, præponderante nimirum lance misericordiæ.

Maxima vis attrahendi humorem ficui; maxima vis attrahendi Deum Virgini.

§. III.

Mariæ maxima vis attrahendi Deum.

1. Tertiò, ficus maximam vim habet ad se attrahendi omnem terræ humorem, sic Virgini maxima vis attrahendi non solùm homines, sed etiam ipsum Deum.

OSORIVS. Maria tota in eo, vt Deum in terram traheret atque deduceret.

Osorius in festo Præsentationis tom. 3. docet Virginem totam in eo, dum ageret in templo, fuisse vt cum Deo pugnaret, eum in terram traheret, atque deduceret. Loquentem accipe. *Venit in templum Maria vt pugnam cum Deo ineat, & Deum superet, ac in terram deiiciat. Templum verò locus est huius certaminis, stadium, in quo curritur, quia in eo agone nobis cum Deo contendendum est. Quod licet Deus purâ & merâ gratiâ decreuit in mundum venire, factus homo; voluit tamen mundum disponi ad eum dignè suscipiendum, & vt mundus id mereretur, non quidem de condigno, & iustitiâ, sed de congruo, vt D. Thomas & alij dicunt. Quia sancti Patres meritis & oratione obtinuerunt, vt Deus descenderet, non quidem iustitia id exigente, sed quia conueniens fuit, vt Deus homo fieret, id exigentibus ac postulantibus tot sanctorum meritis & orationibus; Sed hoc meritum de congruo impletum non fuit, donec Maria in mundum veniret & suis meritis ac oratione Deum è cælis in terram deduceret, illa vltimam lineam ac manum huic operi imposuit, omnes sancti conati sunt, sed nullus id perficere valuit, donec illa venit de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

Traxit è paterno sinu Christum illis verbis: *Ecce ancilla.*

2. Qualiter humilibus illis verbis, *Ecce ancilla Domini*, Maria traxerit Christum è sinu paterno in Virgineum vterum, nonobstantibus tot fortissimis peccatorum remoris, præsertim autem prima hominis præuaricatione, sic eleganter exprimit Richard. à S. Laurent. lib. 2. expendens citata Virginis verba. RICHAR. A S. LAVR. *Eructauit*, ait, *illud verbum bonum, mellifluum & suave: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; in hoc, autem verbo nectares in tantum exhilarauit de de salute nostra solicitum Regem cæli, quod quasi factus immemor iniuriæ primorum parentum à sede regali statim descenderet; velut deposito diademate gloriæ, & cælos disrumpens exiliret eodem momento de sinu paterno in vterum virginalem vociferans illud Prouerb. 8. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

Cùm esset Rex in requie sua, Maria eum in terram traxit. ANTONINVS.

3. Hanc veritatem declarat ipsamet Virgo Cantic. 1. dum ait: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Hunc enim locum sic explicat S. Antoninus part. 4. tit. 25. cap. 21. *Dum esset Rex in accubitu suo, id est. in requie sua, quasi dormire videretur, & non curare de salute humana, omnes enim ad inferos descendebant, nardus mea dedit odorem suum, herba parua est & significat beatam Virginem humilem quæ maximè dedit odorem suæ humilitatis, quando se totam Deo committens & subiiciens, ait: Ecce ancilla Domini. Qui odor vsque ad cælum ascendit, & in cælo accumbentem, quasi euigilare fecit & in vtero suo quiescere.* Clamabant quidem multi sancti pro Christi incarnatione, & quidem tantas emittebant voces, vt vnus eorum dicat Psalm. 68. *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, nihilominus dormientem Dei filium non poterant excitare, reclamantibus nempe maioribus vocibus peccatis hominum, sed postquam sonuit vox Virginis: surrexit è somno Dominus, vt certum sit nos vnicè Virgini acceptam ferre debere misericordiam, quam Deus per incarnationem suam exhibuit generi humano.

Pulchritudo Virginis maximam habuit vim attrahendi Christum.

4. Quantam vim habeat mulieris pulchritudo ad attrahendum mariti desiderium sic explicat Eccli cap. 36. *Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis, superducit desiderium. Si est lingua curationis, est & mitigationis, & misericordiæ: non est vir illius secundum filios hominum.* Quasi dicat, forma, & pulchritudo fœminæ, tum externa, tum interna, quæ sita est in virtutibus & morum compositione, exhilarat faciem mariti, vt eà contentus lætè viuat, nec aliam quærat: Hæc enim forma viri concupiscentiam & desiderium incitat & ad se rapit præ omnibus rebus. *& super omnem concupiscentiam*, id præ omni obiecto concupiscibili, quod hominis concupiscentiam in sui amorem allicit & irritat. Nónne longè aptiùs & quasi propriè hæc conueniunt beatæ Virgini, cuius pulchritudinis, virtutum & gratiarum decor exhilarauit faciem viri, id est, Christi sui, quem concepit non vt infantem

fantem, sed vt virum omni sapientia & virtute perfectum, iuxta illud Ierem. c. 31. *Creauit Dominus nouum super terram: Fœmina circumdabit virum.* Vnde illa sua specie rapuit ad se desiderium omnium hominum, & Angelorum, quin & ipsius verbi diuini, vt in vterum ipsius descenderet, & ex ea carnem humanam assumeret. Ita Cardinalis Hailgrinus in Cantic. hæc verba Sapientis sic explicat: *Species quidem mulieris*, inquit, *virum potentem humiliat; seuerum & austerum emollit: Virginis autem speciem sic concupiuit Dominus, & ipsa eius desiderium in tantum superduxit, hoc est, ad tantum accessum perduxit, vt ad nostram infirmitatem humiliatus sit omnipotens, & qui est vita vitæ viuentium emollitus sit ad mortem.* De Virgine enim hæc mysticè accipi, patet ex eo quod sequitur: *Non est vir illius secundum filios hominum.* Nam non est purus homo, sed homo Deus.

HAILGRINVS.

5. Quàm vim attrahendi masculum habeat fœmina, sic exprimit Basilius de vera Virginitate. *Blandimentum cupidineæ voluptatis est fœmina, & masculo ad se lasciuioribus oculis inspiciendam illecebram naturaliter suggerit; ac liquidiore voce ad oblectamentum auris, organi instar effecta est, membrorumq; insinuatâ mollitie, ac toto corporis habitu, & motu, ad seductionem formata voluptatis. Non modò enim loquens mulier, & intuens, verùm sedens quoque & incedens, ob insitam sibi naturaliter aduersus masculum vim, hunc ad se eminus trahit, non secus ac magnes lapis ferrum.* Hæc Basilius. Nónne paucis mutatis illa omnia etiam de Virgine possunt affirmari? Quòd blandimentum diuinæ voluptatis sit Maria, quodque Deo ad eam inspiciendam sacratissimis oculis, illecebram suggerat &c. Quodque Deum non secus ad se trahat ac magnes lapis ferrum?

Virgo ad se trahit Deũ, vt magnes ferrum. BASILIVS.

6. Thronorum diuinorum, quibus Deus perpetuò insidet munus & rationẽ, quâ Deum ad se trahunt, explicans D. Dionys. Areopag. De cælesti Hierarch. c. 7. sic scribit: *Porrò altissimarum, & eleuatarum sedium nomine, illas ab omni terreni affectus humilitate longissimè remotas esse, sursumque ad ardua inuiolabili studio ferri edocemur. Dum illæ ab infimis omnibus iugi intentione disiunctæ, ac circa illum qui verè excelsus est, totis viribus inconcussò stabiliterque locatæ, diuinum aduentum, absque vllius perturbationis, ac materiæ impedimento suscipiunt, Deumque ferentes, obsequij deuotione, ad ipsius percipiendos fulgores semper patent, &c.* Vide quâ ratione in se residentem habeant throni Deum, & qualiter illum ad se trahant, nónne similiter Maria ab omni terreni affectus humilitate, longissimè remota fuit? Nónne semper sursum ad ardua ineffabili studio mentem sustulit? nónne semper circa illum qui verè excelsus inconcussè stabiliterque fuit occupata? Nónne semper parata & patula ad suscipiendum Deum? Non mirum ergo si Deum ad animum, imò in Virgineum vterum trahat. Vide quantum Virgo ex se pateat. Ecce quàm promptum animum, & ab omni impedimento liberum habeat. Expende illa verba: *Ecce ancilla Domini. Illud nimirum palàm dicens* (ait Andreas Cretensis serm. de Annunt.) *præsto sum. Hoc dicere, sic suam deuotionem offerre, istud planè est Domino pectus aperire, istud est, & os aperire, & spiritum attrahere.* Vis & tu Deum ad animum trahere, ibique commorantem habere à corde remoue omnia impedimenta, te promptum & paratum Deo exhibe, & sedes thronusque eris Dei, ad quem occupandum, vtpote tractus festinabit. Vt natura nequaquam fert vacuum, ita nec Deus potest videre animum hominis affectibus terrenis, alijsque impedimentis minimè occupatum, quin trahatur & festinet vt suâ præsentiâ eum repleat.

Sicut throni ad se trahunt Deum, ita etiam Maria. DIONYS.

ANDREAS CRETENS.

7. Quis nescit, quam vim cuncta ad se trahendi habeat terræ centrum? Cur putas lapides, & grauiora quæque quò magis accedunt terræ centro, tantò velociùs ad illud tendant, atque descendant? nónne quia quò propiùs terræ centro accedunt, eò efficaciùs trahuntur? Quid Maria, nónne quoddam terræ centrum? Centrum in terræ medio est, & nónne de Maria legimus quòd Deus operatus sit salutem in medio terræ? In quæ verba sic D. Bernardus serm. 2. in Pentec. *Tunc iam operabatur salutem in medio terræ, in vterò videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur.* Accedit Bernardo antiquior Anastasius Sinaita Anagogicarũ Contemplationum in hexam. lib. 2. vbi ait: *Fecit salutem in medio terræ, vtpote qui habitauerit in medio terreni vteri Virginis Mariæ.* Itaque Maria non ineptè medium terræ, id est, illius centrum nuncupatur, præsertim propter humilitatem, quia sicut centrum infima est mundi, & totius terræ pars, ita nullus homo ab humo dictus Virgine humilior extitit. Sicut ergo centrum terræ ad se rapit & trahit omnia; ita sacratissima Virgo centrum quoddam spirituale ad se rapuit & traxit sua humilitate Deum. Vnde in Psalm. 138. ipsemet Christus ait: *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.* Hebræi autem exponunt: *In vtero matris meæ.* Hunc enim vocat inferiora terræ. Hinc Bonauent. in Psalter. *Quid ergo*, inquit, *Domina humillima fuisti, verbum increatum ex te carnem sumere coëgisti*, eo scilicet modo, quo centrum grauia corpora ad se deuenire cogit. Vis & tu, ô Christiane, ad animam trahere Deum? esto quoddam centrum terræ, & quàm potest fieri maximè, humilitatem colito.

Maximam vim attrahendi habet terræ centrum, ita & Maria.

BERN.

ANASTAS. SINAITA.

Velut aquilam trahit eſca concupita ſic Deū traxit Maria.

Quis neſcit quam vim habeat ad attrahendum eſca concupita? De Aquila dicitur quòd licet in ſublime habitet, tamen ad eſcę concupitæ conſpectum in terram ſe dimittit. Hinc illud apud Iob c.39. *Numquid ad præceptum eleuabitur Aquila? in petris manet, atque inacceſſis rupibus commoratur. Inde contemplatur eſcam, & vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt.* Quæ vilia & contemptibilia alioquin ſunt, trahunt & alliciunt in ſublime ſiſtentem Aquilam. Idem in Virgine, in Deo cogita. Excelſus Deus in excelſis habitabat, ſed vbi Mariæ humilitatem veluti prædam vidit, ſtatim aduolat & ad modum Aquilæ ad eſcam deſideratiſſimam cucurrit. Feſtiuè Richardus à S. Laurentio lib.1. de laudibus Virginis cap.5. *Humilitas*, inquit, *Mariæ regem cœli attraxit ad terram, & velut Aquilam odor prædæ concupitæ illectam carni immaculatiſſimæ copulauit.* Offer & oſtende hanc tu quoque prædam Chriſto & citiùs accurret, inque tui cordis ſinum ſe recipiet.

Richardus a S. Laur.

Nihil in Virgine quod non trahat, quod non vim inferat.

Nihil in Virgine quod non trahat, quod non vim inferat. Legimus Cantic.1. ſic ipſum Sponſum dum eius admiratur pulchritudinem exclamare: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Non ſatis habet Deus omnipotens vel ſemel Virginem matrem ſuam admirari & prędicare, ſæpiùs miratur & prædicat, quia ſoli Deo comprehenſibilis eſt gratia, ſanctitas, dignitaſque matris Dei. Legunt aliqui *proxima mea*, quia nihil Deo vicinius quàm Virgo beatiſſima & propter ſanctitatem, & propter maternitatem. Adiungit ampliùs, *oculi tui columbarum*, Hebraicè *oculi tui rapientes, deprædantes, vim inferentes.* Enimuerò ita Virginis beatiſſimæ ſpeciem Deus concupiuit, ita illius oculi humillimi ac modeſtiſſimi Deum tenuerunt, vt ſuauiſſimâ quadam violentiâ, non modò diuinos theſauros diripuerit, ſed ipſummet Dei Patris verbum ac filium vnigenitum, in vterum ſuum, atque in materna vbera ac brachia ſua, hominem & infantulum natum, pulcherrima Virgo attraxerit. Rapiunt etiam ac deprædantur Deum oculi Matris Virginis, dum illa cæleſtes gratias, miſericordiam, veniam, præſidia, innumeraque alia dona ab ipſo Dei filio ſuo conſtanter & ſuauiter impetrat atq; magnificè, peramanterque impertit hominibus: vim Deo inferunt cùm illum ſceleribus hominum iratum placant, emolliunt & ad clementiam pietatemque conuertunt. Nulla enim tanta, contra nos, ob noſtra ſcelera, Deum concitat (vt more noſtro loquar) iracundia, vt eam non deponat & omnem induat manſuetudinem, ſi Virgo Mater accedat, faciem ſuam Virgineam oſtentet & oculos virginali pudore & materno amore armatos violentos ac deprædantes in oculis & in corde filij ſui defigat. Vim denique inferunt hominibus, rapiunt mentes cordaque deprædantur, vt in eius honorem pariter atque amorem feſtiua pietate omnes acclamemus cum S. Epiphan. de laudib. Virg. *Aue gratia plena quæ es vrna aurea continens manna cæleſte; Quid dico? & quid proloquar? quo pacto prædicabo gloriæ radicem? ſolo enim Deo excepto cunctis ſuperior exiſtit.* Sic Epiphanius.

Rapiunt Deum oculi Virginis.

De quibuſdam alijs analogijs Deum reſpicientibus inter ficulneam & Virginem Mariam.

§. IV.

1\. QVartò. Ficus plenam delicijs, ita Virgo Deo in delicijs. Quâ ratione Deus ſpretis alijs creaturis, ne dicam pertæſus illarum in vnâ Mariâ delicias ſuas atque voluptates poſuerit: ſic elucidat Petrus Damian. ſerm. de Annunt. ad illa verba Cantic.8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Numquid*, ait, *in Angelis voluptatem habet altiſſimus, in quibus ipſe reperit prauitatem? Numquid in conſtellatione, ſeu ſcintillatione ſtellarum, quare aliæ conuertuntur in ſanguinem, aliæ cadunt de cœlo, aliæ tenebris obſcurantur? Numquid in aëre vel in igne, vel in ventis? nequaquam quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in ſpiritu Dominus. Si verax eſt ille qui curru igneo, & equis igneis eſt aſſumptus in cælum. Numquid in aquis, vbi furens & tortuoſus Leuiathan moratur, aut in terrâ, quæ ſub maledicto Adæ ſpinas emittit & tribulos? Non eſt locus voluptatis, niſi vterus Virginis.* Itaque ſola Virgo in delicijs ei eſt, nimirum quia ſola omnibus caret vitijs, quorum maculis aliæ creaturæ inſimulantur. In illâ Deus nullam vnquam reperit prauitatem, ipſa eſt ſtella omnibus ſyderibus candidior, & ſplendidior, cuius fulgorem nullæ vnquam tenebræ hebetare potuerunt: In ipſa & cum ipſa Dominus, ſic enim Angelus ad illam: *Dominus tecum.* Numquam ſerpenti locum fecit, ipſum potiùs, obtrito capite ſuperauit: Nulli obnoxia fuit maledicto, ſed potiùs inter mulieres benedicta. Cùm igitur, non ſolum omnes creaturarum perfectiones in Virgine concluſerit Deus, ſed etiam omnia eorum vitia longiſſimè abhac Domina noſtra abeſſe voluerit, meritò illi in delitijs eſt.

Virgo Deo in delicijs.

Petrus Dam.

Virgo locus voluptatis Dei.

2\. Quintò. Ficus calidæ eſt naturæ, Maria quoque ſummo prædita charitatis ardore. Vis ſcire quanta Virginis charitas? Audi Caniſium li.1. de Virg. c.13. *Vincat interim noſtram Virginem fortis illa Iudith cruenta victoria de obtruncato Holoferne, laude, ac gloria.*

Maria prædita ſummo charitatis ardore.

Caniſius.

gloria. Vincat illam Anna religiosa Phanuelis filia, ieiuniorum asperitate. Vincat Zachariæ filius Ioannes perpetuâ victus & vestitus austeritate: Cæterùm charitate, nullus mortalium illam aut vicit, aut æquauit: In quâ charitate, & non in vitæ rigore, sanctitas & meritum hominis præcipuè consistit. Vis scire hoc suæ charitatis feruore quid assecuta fuerit Virgo? Deum ob peccatorum nostrorum gelu quasi frigore constrictum, fouet & calefacit. Præfigurata est Virgo in Abisag Sunamite, speciosa Virgine, quæ Deum ipsum ob peccatorum nostrorum gelu quodammodo frigescentem precibus & orationibus fouit, & amore suo ac charitate nobis placabilem reddidit, quem iratum nobis sceleribus reddideramus. Vnde sic Virginem alloquitur S. Andreas Mediolanensis in M.S. codice agens de excellenti Virginis dignitate. *Abisag Sunamitis suo sinu Dauid senescentem calefecit. Tu Virgo amore tuo, Deum nobis irascentem refouisti.* Idem habet Richardus lib. 5. de laudib. Virg. qui rem Mariæ orationibus tribuens, ait: *Abisag Sunamitis fouebat pedes Dauid frigescentes. Sic Maria calefacit affectus filij ad amorem nostrum orationibus suis, quando sentit eos frigescere quoad nos propter peccata nostra.* Abisag illa Sunamitis à Dauidis seruis quæritur, vt senescentem foueret regem, vt legimus 3. Reg. c. 1. Maria non tam quæritur, vt foueat Deum & orationibus placet, quàm ipsa se offert, & potiùs Dei seruos sanctosque ipsos ad orandum pro nobis inuitat, vt ita iram Dei leniant. Hinc illud S. Anselmi lib. orat. Eccles. *Te Domina tacente nullus orabit, te autem orante omnes iuuabunt & orabunt.* Iure primo mobili Virgo comparatur. Sicut enim illud suo motu inferiores orbe trahit & mouet, ita & Maria orans pro nobis secum alios sanctos trahat.

Deum calefecit Virgo præfigurata in Abisag Sunamite.

ANDREAS MEDIOL.

RICHAR. A S. LAVR.

ANSELM.

3. Sextò. Ficus ad insitionem aptissima, imò vt suprà indicauimus, omnem admittit insitionem. Cogitabat cælestis Pater, vnicum filium ad salutem hominum inserere humanæ cuipiam arbori, at nullam inuenit vel digniorem, vel aptiorem, ad id peragendum, quàm arborem suam. Et quænam Dei Patris arbor, nónne Maria? Bene Ephrem de margarita pretiosa: *Fuit Maria Patri arbor, filio mater, hominibus fons spiritus æterni.* Vis scire quando huic arbori filium suum inseruit, nimirum quando eum concepit per obumbrationem Spiritus sancti. Vnde Rupertus lib. in Cantic. animum & calamum conuertens ad Virginem, sic eam alloquitur: *Anima tua liquefacta est, cùm Deus Pater cum illo amore suo Spiritu sancto substantiam verbi sui, tuæ menti, tuo ventri penitus insereret.*

Cælestis Pater vnicũ filium inseruit Mariæ.

Maria Patri arbor.

EPHREM.

RVPERT.

4. De hac insitione & qualiter peracta, sic conuenienter scribit Ephrem loco cit. *Inseruit naturæ diuinitatem, ac tamquam in rimam quandam & scissuram suam inclusit filium: vt qualitatem participans, naturam redderet communem, in assumptione hominis.* Pergit: *Habet porrò pro vinculis hæc insitio, Prophetarum testimonia, & oculus siue rimula pro spatio habet naturã distinctionẽ.* Prosequitur: *Agricola falcem habet, qua mundat & expolit, Virginis animo priùs & corpore præparato: at virtutem in se continet Spiritus sancti: arborque ad melioris naturæ susceptionem facta, sanctæ mulieris fidem habet.* Sic ille.

Qualiter peracta hæc insitio.

EPHREM.

Quales fructus proferat Virgo, instar fœcundissimæ ficus, suis cultoribus.

SECTIO XXX.

VIDIMVS in antecedentibus qualiter meritò Virgo ficui comparetur. Quis iam explicet quales referat hæc mystica ficus fructus, si quis eam seruauerit, iuxta illud Prouerb. c. 27. *Qui seruat ficum comedet fructus eius. Et qui custos est Domini sui glorificabitur.* Id est, qui custodit, curat & colit ficum, comedet fructus eius, & quidem bis (est enim ficus bifera) scilicet temporaneos in Autumno, puta in Septembri, quãdo etiam aliæ arbores fructum dant suum, & præcoces in æstate, puta in Iunio, & Iulio. Similiter qui custos est Domini sui, id est, seruus, qui fideliter seruit suo hero ab eodem glorificabitur, & multiplicem ab eo accipiet mercedem. De Virgine enim hæc verba interpretatur Richardus à S. Laurent. lib. 12. de laud. Mariæ. *Hæc est ficus, ait, de qua dicitur* Prouerb. cap. 27. *Qui seruat ficum, id est, Mariam, quæ propter dulcedinem fructus sui ficui comparatur, comedet fructus eius, fructibus huius ficus illi pascentur, qui sibi Mariam seruauerint, & se illi, id est, ad honorem illius.* Quorum verborum occasione, vt efficaciùs moueamur ad seruiendum Virgini libet in medium adferre, tum fructus præcoces ficus Marianæ, nimirum qui ab ipsa in hac vitâ recipiuntur, tum serotinos, id est, illos qui in alterâ vitâ percipiuntur, à sacratissima Virgine, & primos quidem, quia multiplices sunt & varij, proponemus seruato ordine alphabetico, vt meliùs mandari possint & imprimi memoriæ.

Virgo fructuosa suis cultoribus.

Qui seruat ficum, id est, Mariam, fructibus eius pascetur.

RICHARDVS A S. LAVR.

Aduocata est Virgo cultoribus suis, ambulatque cum illis in fluctibus tentationum ne mergantur.

§. I.

Virgo cultoribus suis est aduocata.

1. IN primis, Virgo cultoribus suis est aduocata & aduocati in morem litem nostram tuetur ac defendit. Accipe verba Idiotæ de Contempl. Mariæ in prologo. *Ipsa est aduocata nostra apud filium, sicut filius apud patrem, imò apud patrem & filium procurat negotia & petitiones nostras.* Et D. Bernard. in serm. 1. de Assumpt. *Aduocatam,* inquit, *præmisit peregrinatio nostra, quæ tamquam mater misericorditer & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.* IDIOTA. BERN.

Qualiter accedat ad Christi tribunal. PETRVS DAM.

2. Qualiter autem accedat ad filij tribunal innuit, & venustissima oratione complexus est Petrus Damianus his fermè verbis. *Accedis ad aureum illud diuinæ seueritatis tribunal, non rogans, sed imperans: Domina, non ancilla: Quomodo enim potestati tuæ obuiare poterit potestas illa quæ de tuis visceribus traxit originem?* Id est potestati illi, quam materno iure in illum obtinet haud resistet ille qui parentibus deferendum esse rectè nouit.

Christo pectus ostēdit & vbera. BERN.

3. Insuper vt efficaciùs quæ postulat, obtineat, Christo pectus & vbera ostentat. Iuxta illud D. Bernardi. *Habet,* ait, *homo mediatorem causæ suæ ante patrem ipsum filium, & ante filium matrem. Christus patri ostendit latus & vulnera; Maria Christo pectus & vbera, nec potest omninò esse repulsa, vbi concurrunt & orant omni lingua disertius hæc clementiæ monumenta.* Filius verò vitæ suæ gratiam Mariæ & vberibus eius referens libentissimè postulata concedit, quoties pro cultoribus suis aliquid postulat. Vnde sic monet D. Bernardus serm. de Natiuitate Virgin. *Quæramus gratiam & per Mariam quæramus, quia quod quærit inuenit & frustrari non potest. Exaudiet vtique matrem filius, exaudietur ipsa pro sua reuerentia.* IDEM.

Facillimam se præbet Virgo vt suorū apud Deum agat negotia. BERN.

4. Sed fortassis Virgo quamuis sit ad obtinendum potentissima, difficilem & inexorabilem se præbet, vt agat suorum apud Deum negotia? Absit. Rectè D. Bernardus relatus à Dionys. Carthus. in opusculo de laude vitæ solit. artic. 29. sic ad nostrum propositum, Virginem alloquitur. *Tu mater misericordiæ, pro miseris filium tuum rogabis: quoniam Deus Pater, qui filium suum inter Deum, & homines posuit mediatorem, te quoque inter eos & Christum iudicem posuit mediatricem. Et sicut tu iudicem numquam inuenis difficilem; sic te reus numquam inuenit inexorabilem,* &c.

5. Quid ni, se facilem, & exorabilem præbeat hominibus Virgo? An quid magis à muliere alienum, quàm duram, difficilem, & immisericordem se exhibere? quæ talis, non sanè mulier, cui à mollitie nomen, sed monstrum quoddam potiùs, nominanda. Quatenus ergo Virgo muliebris sexus est & inter omnes mulieres maximè mulier non potest se, non omnibus mitem & exorabilem exhibere.

6. Deinde quomodo non exorabilis Virgo, quomodo non plena charitate & misericordia in cuius visceribus ipse Christus nouem mensibus requieuit. Vnde D. Bernardus serm. 1. de nuptijs Galilææ. *Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas? quid mirum, si pietatem exhibent, viscera pietatis. Nónne qui pomum in manu tenuerit, dimidia die, reliqua diei parte, pomi seruabit odorem? quanto igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit.* Virgo plena charitate cum in suis visceribus Christus nouem mēsibus requieuerit. BERN.

7. Et cur se præbeat difficilem cur inexorabilem Virgo? Nónne omne quod est, hominibus & quidem peccatoribus acceptum ferre debet? Vnde D. Augustinus super Ioannem obligationem nobis patrocinandi sacratissimæ Virgini proponit, dicens: *O Maria, multum gaudeo, multum audeo, multúmque gaudium, multáque mihi audacia est: nos enim tibi, teque nobis, mira vicissitudo confœderat, vt scilicet, pro nobis habeas id esse, quod es: nos verò per te id esse, quod sumus: si enim nulla præcessisset nostra transgressio, non esset secuta nostra redemptio. Et si necessarium non esset redimi peccatorem, non esset necessarium parere Redemptorem. Vt quid enim fieres mater Saluatoris, si nulla esset indigentia salutis.* Meritò Virgo non se difficilē præbet cūm omne bonum suum peccatoribus acceptū ferre debeat. AVGVST.

8. Secundò, ambulat in fluctibus maris Maria, non solùm vt cultores sui sicco vestigio diuisum mare transeant, sed quod maius est, fluctus ipsius vndasque calcare possint, quòd fecit Petrus. In fluctibus maris ambulat, qui tentationibus non mergitur, idque Mariæ ope, cuius sunt illa verba Ecclesiastici cap. 24. *In fluctibus maris ambulaui,* vt scilicet mortales à submersione eriperet, & super vndas ad portum duceret. Scitè Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virginis: *Dulcis Maria incessu:* Vnde dicit Eccles. 24. *In fluctibus maris ambulaui scilicet cum familiaribus meis: vt ipsos eriperem à naufragio peccatorum. Fluctus maris sunt tentationes sibi iugiter inuicem* Maria in fluctibus maris, id est, tentationibus, cum cultoribus suis ambulat, ne mergantur. RICHARDVS A S. LAVR.

uicem succedentes quas patimur, quamdiu versamur in mari huius sæculi. Et licet in cælum Virgo ascenderit, nos tamen in hoc mari non deserit, manum fluctuantibus porrigit vt ad Patriæ littus tandem ducat. Quin ad hoc, cælesti gloria induta videtur, vt opportuniùs maris elationes comprimat cùm eas magis distinctè videat. Propheta Regius de Domino loquens, ait: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Psalm. 92. Sed quid secutum postquam decorem induit, gloriam ac fortitudinem, in cælumque gloriosus introiuit? Addit: *Eleuauerunt flumina fluctus suos. Mirabiles elationes maris mirabilis in altis Dominus.* De Virgine hoc idem asserere possumus, decorem induit, in gloriam assumpta est, & licet cùm abierit, turbulenti maris æstus efferantur, mundus vndique vndas euomat & absorbeat, mirabilis in Cælo Virgo est, quæ solo nutu fluctus coërceat, comprimatque vndas. Huc spectauit S. Amedeus homil. 8. de laudibus B. Virginis, dum infit. *Ex quo Cælos, cum filio suo regnatura, conscendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit se: mirabiles elationes maris solo nutu compescitura. Mare quippe præsentis sæculi nauigantes, seque plena fide inuocantes ab impetu procellæ & ventorum rabie eruit eosque secum ouantes ad littus fœlicissimæ patriæ perduxit.* Pende illud (*solo nutu compescitura.*) Compescuit & Christus sæuientis maris procellas dum Apostolorum nauicula fluctibus operiretur Matth. cap. 8. Sed iussu & imperio hoc præstitisse videtur: vnde dixerunt: *Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Virgo sæculi huius fluctus non verbis & iussu, sed solo nutu compescit atque coërcet. Iure & hîc quis exclamet: *Quæ est ista, cui venti & mare obediunt?* cuius nutui fluctus quoque parent.

Bonis spiritualibus & temporalibus ditat cultores suos Virgo.

§. II.

9. TErtiò bonis spiritualibus & temporalibus ditat cultores suos Maria. Ad bona quod attinet spiritualia, eorum thesaurariam eam nominat S. Epiphanius de laudibus Virginis sic de illa scribens: *Virgo est vniuersum Trinitatis complementum quandoquidem & Spiritus sanctus adueniebat & hospitabatur. Spiritus sanctus superueniet in te: Pater obumbrabat, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: & filius in vtero gestatus inhabitabat. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & sic Sponsa Trinitatis, quam Pater dilexit, Filius inhabitauit, & Spiritus sanctus perconcupiuit. Et tandem tota Trinitas vniformi & voluntate concordi hanc inæstimabilem Virginem ostendit esse suam Sponsam incommutabilis charitatis, cæli Reginam inattingibilis dignitatis: Mundi Dominam impartic pabilis potestatis, Electorum omnium Genitricem piam inexsiccabilis pietatis, omnium cælestium thesaurorum dispensatricem largissimam pro suæ complacentiâ voluntatis.* Sic Epiphanius thesaurariam gratiarum etiam Virginem nominat. Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virginis. *Maria*, inquit, *thesaurus, in eâ vt in gazophylacio posuit Dominus omnia dona gratiarum, meritorum, virtutum & prærogatiuarum, donorum, & charismatum, & de thesauro largitur ipsa larga stipendia suis militibus & operarijs.* Mariam tamquam cælestium bonorum thesaurariam sic alloquitur Idiota de Virgine Maria cap. 1. *Peccatoribus impetras gratiam quia aduocata es miserorum, & honorantibus promittis gloriam, quia thesauraria gratiarum existis.* Vide latiùs hac de re Nouarrinum lib. 4. sacror. elect. siue in vmbra Virg. Excursu 147. n. marg. 1384. & sequent.

Maria ditat bonis spiritualibus cultores suos. Epiphanius. Maria thesaurorum cælestium dispesatrix. Est thesauraria gratiarum. Richar. a S. Laur. Idiota.

10. Ad bona quod attinet temporalia accipe verba Anonymi scriptoris cuiusdam relati à Salazar in Prouerb. cap. 8. vers. 18. ad illa verba: *Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Solent quidam viri generosi & vxorum amantes eisdem plurimum fidentes, pecuniæ claues, & tutelam ipsis committere, & quidquid domesticarum expensarum est illis tradere: ipsi verò alijs grauioribus muneribus vacant. Ergò ad eundem modum Deus Optimus Maximus Sanctissimæ Sponsæ suæ Mariæ tantundem tribuit ac fidit, vt ipsi temporalium bonorum tutelam & claues dederit: adeò vt quidquid horum bonorum in hac magna mundi domo expenditur, id per Mariæ manus recensitum transeat & illius arbitrio distribuatur. Ita vt iure dicere possit, mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ, & iustitia: id est, in mea potestate: mihi enim tamquam Sponsæ suæ charissimæ hæc omnia subiecit Deus.* D. Bonauentura in speculo cap. 8. ad illa Lucæ: *Dominus tecum.* Vtraque bona temporalia & spiritualia complexus, quæ Virgo non sibi soli obtinet, sed etiam ex arbitrio expendit, sic scribit: *Domini huius omnia sunt propria, cælum & terra, corporalia & spiritualia & omnis creatura, omnis gratia & omnis cælestis gloria, omnia sunt Domini propria:*

Maria cumulat cultores suos bonis temporalibus. Salazar. Bona temporalia & spiritualia quæ Virgo etiam ex arbitrio cultoribus suis expendit. Bonav.

pria: Ecce Maria, quantus Dominus est, quàm opulentissimus est qui tecum est. Et quia Dominus opulentissimus, opulentissimè tecum est: ideò tu es ditissima & opulentissima secum in his omnibus in quibus ille opulentissimus est. Itaque postquam Angelus ad Mariam dixit, *Dominus tecum*: licet etiam illi dicere: *mecum sunt diuitiæ & gloria*, &c. Mecum, quia non solùm ego metmihi obtineo, sed etiam ex arbitrio expendo. Vnde sic Virginem alloquitur S. Athanasius in Euangel. de sancta Deipara. *Igitur ô Virgo Deipara, decet te matrem regeneratricem Dominam atque heram cognominari, eò quòd ex te prodijt Rex Dominus ac Deus noster assistentem illi nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemq; gratiam largienti. Quâ de causâ factũ est vt gratiâ plena appellata sis, vtpote quæ omni gratia abundares ideóque vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Ps. 44. ditari scilicet istiusmodi bonis & spiritualibus contẽplationibus.* Hęc S. Athanasius. Humilitas Virginis Mariæ quæ se Ancillam Domini nominat, tantoperè placuit Deo, taliterque eam Deus est reueritus, vt ad illam ipso momento descenderit, & in illam thesaurum suarum gratiarum & donorum infuderit, atque ex illa, in cultores præsertim suos perenniter effunduntur, nam de plenitudine Matris Dei omnes accipiunt. Sed fortassis Virgo in expendendis gratijs sibi commissis parca est, & parum liberalis? Absit. Similis Virgo Rebeccæ, à qua cùm aquam ad bibendum Abrahæ seruus petijsset, statim illa hausit, & libenti animo obtulit, & adiecit: *Quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant.* Genes. cap. 24. ex qua liberalitate nouit seruus ipsam à Deo electam: quæ vxor Abrahæ filio esset. Etiam Virgo nostra, cuius Rebecca figura extitit, petentium vota non modò muneribus exæquat, sed etiam superat, & plura quàm petatur, tribuit, in signum Dei Matrem eam futuram. Iure his eam alloquitur verbis S. Bernardus serm. 7. de B. Virgine: *Ciba hodie pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abrahæ tantùm, sed & camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua, quia tu verè puella es prælecta, & præparata Altissimi Filio.*

ATHANASIVS.

Non est Virgo parca in expẽdendis gratijs sibi cõmissis, sed liberalis similis Rebeccæ.

BERN.

11. Largitate Christum imitari studet Maria, præsertim quando cum illo in Cælis regnat. Nobis in omni hac re succinit Richardus lib. 5. dum ait: *Largitas Mariæ imitatur & assimilat largitatem filij sui, qui dat ampliùs quàm petatur.* Vnde Luc. cap. 23. *Cùm peteret latro dexter vt haberet sui memoriam.* Respondit ei Iesus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso: Similiter & Rebecca quæ interpretatur multum accepit., in figurâ Mariæ Heliezer petenti aquam ad bibendum sibi*, respondit Genes. cap. 24. *Bibe Domine mi, quin etiam camelis tuis potum tribuam.*

Largitate Christum imitari studet Maria.

12. Ob effusam Virginis, etiam in camelos, id est, peccatores, liberalitatem, solet comparari Abigail, quæ se profitebatur ancillam seruorum Dauid vt lauaret eorum pedes. Audi Bonauenturam in speculo Virginis cap. 8. *O verè admiranda humilitas: Ecce Maria non solùm Domini ancilla, sed etiam seruorum Domini ancilla, quodammodo esse dignatur: ipsa namque signata est per illam Abigail, pro qua adducenda, cùm Dauid nuntios misisset; respondit: Ecce famula tua, fit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Per benedictam ancillam Mariam, quasi tot serui Domini loti sunt, quot fideles eius suffragijs, à peccatis mundati sunt: Ipsa enim quasi tot seruorum Domini pedibus aquam obtulit, quòd pœnitentibus lachrymas compunctionis obtinuit.* Hæc Bonauentura.

Etiam effusa Virgo in camelos, id est, peccatores.

Columna nubis consolatrix, cogitationum moderatrix est Virgo cultoribus suis, hos etiam ducit & diligit.

§. III.

13. QVartò, columna nubis, & ignis est Virgo cultoribus suis. *Maria est nubes*, ait Bonauentura in Specul. cap. 3. *columna nubis iuxta illud Psalmi 77. Deduxit eos in nube, quia tamquam nubes protegit, ab æstu diuinæ indignationis, & ab æstu diabolicæ tentationis, sicut dicitur in Psalmo. Expandit nubem &c. Maria quoque est columna nubis in nocte sæculi huius illuminans mundum.* Hæc D. Bonauentura.

Columna nubis & ignis, est Virgo cultoribus suis.

BONAV.

14. Qualiter per mundi desertum hæc columna nos ducat ad cælestem Ierusalem, sic docet Andreas Cret. orat. 2. de Deipara. *O columna, ait, viuifica, non carnalem per lucem deducens Israelem, qui fugatur: sed spiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, diuinis illuminans facibus. O nubes tota lucida, & mons vmbrosus, non adumbrans ingratum populum Iudæorum, sed delectum Dei populum, gentem sanctam, maternis tuis tædis illustratam.*

Qualiter per mundi desertum nos ducat ad beatitudinem.

ANDREAS CRETENS.

15. Columnam hanc sic adaptat Virgini S. Bernardinus tom. 3. ser. 11. art. 1. c. 3. *Et aliquando, ait, præcedebat, aliquando sequebatur, aliquando superferebatur, vt mysticè, patrocinia multiplicia beatæ Virginis indicentur erga populum electorũ, & omnium Christianorum.* Sic ille. Virginem præfiguratam, in columna nubis & ignis, fusè demonstrabitur tom. 4. vbi agendum, de Virginis stantis iuxta crucem formitate, fortitudine, & constantia.

Columna Virgini adaptata.

BERNARDINVS.

16. Quintò,

Consolatrix suorũ Virgo.

16. Quintò; consolatrix suorum est Virgo, in tribulationibus, & huius vitæ laboribus adumbrata in virgâ illâ, de quâ Dauid Psalm. 22. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Quæ sic ad allegoriam allicit Petrus Dam. serm. de Assumpt. *Hæc est virga illa, quâ retunduntur impetus aduersantium dæmoniorum, virga Aaron, per quam fiunt signa, & mirabilia. Baculum autem Crucis intellige, quo non solùm verberatus est, sed & occisus ille insanabilis homicida, qui mortibus hominum pascitur & nutritur. In Virgine virga, & baculo Cruce, miserorum spes & consolatio continetur. Sicut sublimis Propheta declarat: Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Sic ille.

Virga quâ cõsolamur. PETRUS DAM.

Cogitationibus eruditis familiarium sibi, interest Virgo. SALAZAR.

17. Sextò, cogitationibus eruditis, familiarium sibi, Virgo interest, siue præest: Iuxta illud Sapientiæ Prouerb. 28. *Et eruditis intersum* (id est præsum) *cogitationibus.* Qualiter illis præsit, sic explicat Salazar; Virgo enim eorum, quorum animos tenet, cogitationes moderatur. Nam primò, illud doctissimorum virorum experimento compertum est, maximas scientiarum difficultates, & nodos, inuocatâ Deiparâ, superari, ob quam vnam causam meritò eruditis cogitationibus præesse dicitur: adeò vt pro falsa illa scientiarum præside Minerua à doctis omnibus colendam, & appellandam doceat Isidorus. Secundò explorata quoque res est, animos turpium cogitationum inquieto motu perturbatos, sola Mariæ recordatione sedari, inque pias & vtiles meditationes traduci. Tertiò, sanctas illas, & congruas cogitationes, quibus ad piè, sanctèque viuendum ex Dei gratia permouemur, atque suis precibus nobis impetrat. Sic accipio verbum illud, *Intersum*, id est, me intercedente donantur. Meritò ergo Deipara eorum, quorum animos per studium, atque deuotionem tenuit, cogitationibus interesse, imò præesse dicitur, illaque ex arbitrio moderari.

Dux Maria cultoribus suis.

BERN.

18. Septimò, Dux est Maria, cultoribus suis, quam cùm sequuntur, non deuiant, non errant, non fatigantur, iuxta illud D. Bernardi hom. 3. super missus est: Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, ipsam sequens, non deuias, ipsam cogitans, non erras, ipsa duce, non fatigaris, ipsa propitia peruenis. Vnde Virgini accommodari solent verba illa Sapientiæ Prouerb. cap. 8. *Et in medijs semitis stans*, id est, biuijs ac triuijs, quando se plures in vnum concurrentes semitæ, viatorem ancipitem reddunt. In quæ verba sic Salazar. Hinc Virgo Deipara media stat inter hasce semitas, vt in optimam dirigat, inferatque. Satis imprudenter, ne dicam temerariè, agit, qui statum, seu rationem agendæ vitæ electurus, inter multas vitæ conditiones, quasi inter plures vias transuersas constitutus, non statim Mariam inuocat; & ab ea discit, quamnam ingrediatur, cui se potissimùm committat. Nam quemadmodum veteres in triuijs Dianæ, seu Hecatis simulacrum erigere solebant, vt iter agentes, regeret, atque illis vias denunciaret, ad eundem modum Deus Opt. Max. in intellectualibus illis dissimilium vitæ rationum triuijs, Mariam statuit, vt cuique eam denunciet, ostendatque viam, quæ illum in patriam suam, hoc est cęlum inferat. Quia hæc omnia prętat viatoribus Maria meritò dici potest, *In medijs semitis stans*, ad viatores scilicet dirigendos.

Virgo in medijs stat semitis. SALAZAR.

Virgo diligit diligentes se. IDIOTA.

Seruientibus se seruit. BONAV.

ANSELM.

19. Octauò, diligit se diligentes Virgo iuxta illud Prouerb. cap. 8. *Ego diligentes me diligo. Inuenta Maria Virgine* (ait Idiota in procemio contemplat. de B. Virg.) *inuenitur omne bonum, ipsa namque diligentes se, imò sibi seruientibus, seruit. Virgo* (inquit D. Bonau. in 3. dist. 3. artic. 1. q. 1. ad 4.) *auxiliatrix & amatrix est omnium fidelium suorum laudatorum; sicut illi qui tales sunt, experimento multiplici cognouerunt. Qui autem*, ait D. Anselmus de excell. Virginis cap. 4. *in dilectionis erga Mariam, suauitatem transit, non diffidendum, quin in retributionis eius participium transiturus sit.* Quibus verbis ostendit Anselmus Mariam præstantissimam amicitiæ legem cum his seruare qui se amant, illam scilicet quæ tradit: *Amicorum bona communia esse*, asserit enim amatores suos in bonorum omnium societatem & communicationem ab ea asfcisci.

Maria omnia sua cõmunicat cum amicis, quos cùm ardenter amet nõ potest ea non liberaliter in eos profundere. BONAV.

20. Erga omnes Virgo magnò exardescit amore, & nihil nisi ardentem spirat charitatem, quod inde rimatur D. Augustinus apud D. Bonauent. in spec. cap. 4. quòd Deus charitas in illius vtero nouem mensibus requieuerit. *Quis, ait, dubitare poterit omninò in charitatis affectionem transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ Deus est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit:* Hanc Virginis charitatem erga homines aliunde deducit D. Ildephonsus oratione 1. de Assumpt. scilicet ex eo, quod Spiritus sanctus, qui personali sua proprietate amor est, in ipsam superuenit. Ait enim: *Vnde quæso vos filij, imitamini signaculum fidei vestræ, Beatam Mariam, quam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit, ita vt in eâ Spiritus sancti flamma, tantùm videatur, nec sentiatur, nisi tantùm ignis amoris Dei & hominum.* Si tanto amore omnes homines prosequitur Virgo, quali feretur erga illos amore, qui illam singulari diligunt modo, non amorem tantùm illis amore compensat, sed immenso interuallo superat, & qualecumque studium erga se, amore ardentissimo reciprocat.

ILDEPHONSUS.

Ægro-

Ægrotantibus, & exspirantibus, cultoribus suis, assistit Virgo, eorum animas suscipiens.

§. IV.

Ægrotantibus cultoribus suis succurrit DAMASCENVS.

21. NOnò, ægrotantibus succurrit Virgo. Vnde Damascenus serm. de Dormitione Virginis sic Deiparam salutat, *Aue vnicum molestiarum leuamentum, atque omnium dolorum cordium medicamentum.* Cui Virginem ipsam hoc pacto respondentem repræsentat: *ego eusi officina medicinæ ægrotantibus, ego fons perennis curationum.* Eadem Deipara à Damasceno oratione 2. de Dormit. *Abyssus gratiæ & Pelagus dicitur curationũ.* Et orat. 1. de Natiuit. *eam miraculorũ abyssum & fontem nominat.* Quam vim habeat Virgo ad conferẽdam hominibus sanitatem sic deducit Basilius Seleuciæ Episcopus ex miraculis in hominũ gratiã peractis ad tactũ vmbræ D. Petri. *Quis*, inquit, *magnam Dei genitricis virtutem non veneretur? Quis quanto eos omnes interuallo post se relinquat, quos Diuorum loco habemus non miretur? Si enim Christus seruis tantam gratiam contulit vt solo contactu, imò verò solâ corporis vmbrâ ægris præsidium afferre possent (nam vt Actorum liber exponit infirmi in plateas eiecti, vmbrâ tantùm Petri contacti, liberi à morbis euadebant. Non deerant quoque qui linteo, quo Apostolus Paulus corporis sudorem exterserat accepto, infestos dæmones profligarent) qualem vim aduersus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est? An non multò maiorem quàm cæteris Christi imperio subiectis? Omninò res clara est. Ecquid mirum si Sancti cùm in viuis etiamnum degebant, præpotenter operabantur, cum terra quoque non omnem vita hac mortali iam perfunctorum vim & energiam vnà cum ipsis prorsus obruere potuerit? constat namque saxa, illorum corpora ita tegere, vt si interim (si eo tamen quo par est modo adeantur) sibi addictos tueri ac conseruare non desinant. Nam si talibus tantam miracula patrandi virtutem contulit Deus, qualem educationis mercedem parenti donasse, quantisque charismatis & donis illam exornasse existimandus est?* Hæc Basilius Seleuciæ.

BASILIVS SELEVCVS.

Ipsa Virginis imago pollet vi curationis. GERMAN.

22. Ipsa Virginis imago non caret vi curationis. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in epistolâ ad Thomam Episcopum Claudiopoleos recitata in Synodo Nycæna 2. Act. 4. agens de sacris Imaginibus. *Extra omnem*, inquit, *controuersiam est sanctorũ Imagines mirifica designare miracula, vt & debilibus valetudo bona per eos concilietur.* Idque confirmat exemplo cuiusdam imaginis Deiparæ: *Extra omnem, inquit, controuersiam est in Sozopoli Pisidiæ Ciuitate imago Virginis intemeratæ, quæ expicta etiam manu sua vnguentorum scaturiginem effundit, cuius sanè miraculi plures testes sunt.* Ita Germanus. Et sanè longè ante Germanum huius olei miraculis celebrati, meminit Eustachius in vitâ Euthychij Episcopi Constantinopolitani apud Surium die 6. Aprilis, cùm enim Euthychius extremis Iuliani temporibus circa annum Domini 564. Amaseæ pro fide Catholica exularet, Androgius quidam, eiusque vxor grauida ad eum accedunt, orantes vt suis precibus impetret, ne infantes sibi in lucem editi statim moriantur, quemadmodum eis aliquoties contigerat. Quæ cum pro illis precatus esset, ambos vnxit oleo sancto, tum eo quod è pretiosa cruce, tum illo quod ex sanctæ Dei genitricis veneranda Imagine scaturire solet Sozopoli dicens, in nomine Domini nostri IESV Christi, adiecitque, Nascituro filio nomen imponetis Petri, & viuet, & ita factum est, alteri verò filio, Ioannis nomen imponi iussit. Hæc Eustachius, qui hæc omnia præsens spectauit & litteris mandauit.

EVSTACHI.

Succurrit Virgo expirantibus. In extremo vitæ diabolus omnes intendit neruos vt perdat, Maria vt seruet.

23. Non solùm ægrotantibus succurrit Virgo, sed etiam expirantibus & extremum diem agentibus. In exitu enim vitæ singulorum, vehementiùs omnes suæ nequitiæ neruos ad bonos perdendos intendit diabolus, vt habet sacrum Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. de extrema vnctione. Et quoniam Virginis præsidium eo tempore cultoribus suis magis est necessarium, non deest muneri suo Virgo, sed eosdem tunc insigniter tuetur aduersus insidias diaboli. Vnde sic Virginem precatur S. Ephrem in orat. ad Virg. *Adesto mihi nunc, & semper, ô Virgo Dei genitrix, Mater misericordiæ, benigna, & clemens, in præsenti quidem vitæ cursu feruens protectrix atque auxiliatrix, hostiles quoscumque impetus à me auertens, & in viâ salutis me constituens, ac in extremo vitæ articulo miseram meam animam conseruans, & tenebrosos atque horrendos pessimorum dæmonum aspectus ab ea procul repellens. In tremendo autem die iudicij, ab æterna me damnatione liberans, & postremò in numerum iustorum me referens, atque inaccesse tui filij Domini & Dei gloriæ me hæredem efficias.* Accipe etiam dulcissima D. Bonauenturæ verba ex Psalterio Virginis, *in die mortis meæ, ô Domina conforta animam meam, deduc me ad portum salutis, & spiritum meum redde factori suo.* Et infrà: *Ne proijcias nos in tempore mortis nostræ, sed succurre animæ nostræ, cùm deseruerit corpus suum.* Et breui interstitio. *Gratiosus vultus tuus mihi appareat, in extremis, formositas faciei tuæ lætificet spiritum meum egredientem.*

EPHREM.

BONAV.

24. In vltimo vitæ articulo quàm expediat ad Virginis recurrere præsidium suo exemplo

In extremo vitæ periculo recurrendum ad Virginis præsidium.

exemplo docuit Christus, dum ab æterno Patre, subeundæ mortis opem implorans, vt in conspectu Domini possit esse pretiosa, merita matris adducit,, dicens Ps. 115. *O Domine quia ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ*. Verba enim hæc esse Christi Domini ad æternum Patrem dicta censet Dionysius Carthusianus quemadmodum & totum intelligit de Christo Psalmum. Per ancillam verò Dei beatissimam Virginem Christi Domini matrem accipiunt Liranus, Hugo, & alij, hoc enim sibi peculiare nomen indidit, sanctissima Virgo, cùm se verbo incarnando matrem, admirabili quadam humilitate, simul & pietate obtulit Lucæ 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Rabbi Salomon cum Hebræis, & plurimis nostrorum arbitratur, Dauidem pro matris suæ, cuius fuit insignis in Deum pietas, meritis ac virtutibus, bonam illam & pretiosam, in conspectu Domini mortem ab ipsomet deprecari, antea enim dixerat: *Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius*, sed planè typus Christi extitit. At illud est summæ admirationis, quod Dei filius Deus homo, ab æterno patre subeundæ morti opem implorans, matris suæ merita fretus, adducat. Ne quæso, ô Pater, me in tot tantisque doloribus, atque vituperijs, peracerbæ atque inhonestæ in cruce mortis derelinquas, tuam quippe mereor opem, vtpote verus & vnicus filius Mariæ Virginis, quam mihi vnam inter omnes mulieres matrem elegisti. O eximiam beatissimæ Virginis Deiparæ laudem! O gloriam incomparabilem! Tanta est Mariæ gratia, tanta potentia, vt etiam ipsemet Deus homo, quod illius sit filius, sua in morte Dei Patris promeritum imploret, impetretque præsidium. Profectò huiusmodi obsecrationem, *O Domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, Christus Dominus idcirco pronuntiat, vt palam doceat fideles, quantam vim habeat in morte, beatissimæ Dei matris inuocatio: quàm salutare validumque sit præsidium in ipso suauissimo nomine Mariæ.

DIONYS. CARTH.

Exemplo suo nos docuit Christus in cruce, quàm salutare sit Virginis in morte præsidium.

Richardus in extremo vitæ semper Mariæ recordari voluit.

25. Legimus de S. Richardo Episcopo Cistercienſi, quòd cùm morbo esset prægrauatus, & confectus, illam Psalmistæ vocem: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, crebrò iterabat. Ad beatissimam quoque Christi matrem semperque Virginem Mariam subinde corde simul, & voce se conuertens aiebat, *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe*. Mandauitque suis capellanis, vt ea verba ad eius aures, pronunciare non cessarent. Atque ita inter suspiria piæ deuotionis, & verba sacræ orationis, adstantibus religiosis presbyteris ac clericis, laicis quoque fidelibus B. Richardus animam deinceps in illa beatissima ciuium supernorum victuram societate reddidit creatori. Hæc in eius vita apud Surium tom. secundo die 2. Aprilis.

SVRIVS.

26. Seruis & cultoribus Virginis, mors planè dulcis est & suauis, morte enim sua Virgo mortem illorum suauem ac dulcem reddidit. Vnde sic Virginem affatur Damascenus orat. 1. de Assumpt. *Non te mors reddidit, sed ipsa mortem exornasti, vt quæ eius mæstitiam sustuleris, ac mortem gaudium esse plenum feceris*. Vis videre mortem cuiusdam Virginei cultoris atque serui dulcem planè & iucundam? Audi quid de Gerardo scribit Diuus Bernardus serm. 28. in Cant. *Videre exultantem in morte hominem insultantem morti. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Iam non stimulus, sed iubilus, iam cantando moritur homo, & moriendo cantat*.

Maria morte sua suauem reddit cultoribus suis mortem.

DAMASC.

BERNAR.

27. Adsistit seruis suis morientibus Virgo, non solùm vt eos protegat, sed insuper, vt animas eorum suscipiat & in cælum deducat. Id habet Idiota contemplat. de Virgine Maria cap. 6. vbi eam sic alloquitur: *Adiuuas in morte, ab insidijs diaboli protegendo, Adiuuas etiam post mortem animas suscipiendo & eas in cælum deducendo*. Vnde sic eam precatur D. Bonauentura in Psalt. *In exitu animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina, & suscipe eam. Consolare eam vultu sancto tuo, aspectus dæmonis non conturbet illam; Esto illi scala, & ad regnum cælorum, & iter rectum ad paradisum Dei; Sustine deuotos ante tribunal Christi, suscipe causam eorum in manibus tuis*.

Animas cultorum suorum ad cælum deducit Virgo easque suscipit.

IDIOTA.

BONAV.

28. Apparere Virginem cultoribus suis in morte, vt animas eorum suscipiat, multorum exempla docent. Inter alia de B. Paulo conuerso Ordinis Cisterſienſis legitur in Menologio Cisterſienſi sexto idus Februa. *Beatus Paulus conuersus, cùm lethali morbo correptus, vltimum iam ageret spiritum, ridere suauissimè cœpit, & circumstantibus, qui eius insolitam, in moribundo exultationem, mirabantur, dixit. Cur non riderem, cur non exultarem? Ecce Domina nostra præsens est, & iam animam meam suscipiet, & inter loquendum animam exhalauit, & à pijssima matre benigniter susceptus, ad gaudia æterna perductus fuit*.

Virgo apparet suis in morte.

MENOL. CISTERS.

29. Suscipit Virgo per seipsam suos cultores, suscipit & per Angelos, qui eius nutui obsequentes, fidelium animas de corpore exeuntes suscipiunt, & inter alios Michael cælestis militiæ Dux promptus Virgini paret, in nostri tuitione & patrocinio; id quod habet S. Augustinus apud S. Bonauenturam in Spec. Virg. lect. 1. in hæc verba: *Michael dux & Princeps militiæ cælestis, cum omnibus spiritibus administratorijs, tuis Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium specialiter tibi, Domina, die ac nocte, se tibi commendantium*.

Suscepit cultores suos Virgo per seipsam & per Angelos.

AVGVST.

30. Quid timendum, quid verendum illis, qui ita per Mariam vel per Angelos iussu

Nihil cultoribus Virginis timendum.

iussu Mariæ suscipiuntur? *Protegit*, ait Richardus l. 2. p. 1. *Maria. Quis enim apud filium illum accusare audeat, cui matrem viderit patrocinantem? Et si Maria pro nobis, quis contra nos? & si ipsa est quæ iustificat, quis est qui condemnet?*

RICHAR. A S. LAV.

31. Tantum est à Virgine suscipi in hora mortis, vt vel hæc vnica consideratio, sufficiens sit ad leniendos omnes huius vitæ labores. Vnde Diuus Hieronymus ad omnes vitæ præsentis labores, libenti & alacri animo perferendos, sic Virginem Eustochium hortabatur, de custodia virginitatis epist. 32. in fine. *Egredere, quæso, paulisper de carcere, & præsentis laboris ante oculos tuos tibi pone mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Qualis erit illa dies, cùm tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis?*

Suscipi à Virgine in hora mortis efficacissimum ad leniendos omnes huius vitæ labores.

HIERON.

Fons est Virgo cultoribus suis, & familiaritas Virginis quanta progignat bona.

§. V.

32. DEcimò, fontem se exhibet Virgo cultoribus suis. Vnde illam sic salutat S. Ephrem de laud. Virg. *Aue fons gratiæ & totius consolationis*, & S. Chrysostomus, *Aue, quæ es puteus semper viuentis aquæ.* Et S. Epiphanius orat. de Deipar. *Aue gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias.*

Fontē se exhibet Virgo cultoribus suis.

EPHREM. CHRYSOS. EPIPHA.

33. Quàm copiosè ex hoc fonte profluat misericordia & vita sic suauissimè & melliflué exprimit D. Bernar. ser. 4. de Annunt. *Quis misericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem, & latitudinem, sublimitatem & profundum queat inuestigare: nam longitudo eius vsque in diem nouissimum inuocantibus eam, subuenit vniuersis: latitudo eius replet orbem terrarum: vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius, ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris & in vmbra mortis, obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletū, infernus euacuatus est, instaurata ruina cælestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita, data, ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra, ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat.* Hæc ille.

Quàm copiosè ex hoc fonte profluit misericordia

BERNAR.

34. Singulari autem quodam modo Virgo fons est cultoribus suis ex quo in illos effundit riuulos sanctitatis & sanitatis. Vnde Cantic. cap. 4. dicitur: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* In quæ verba sic Guilhelmus: *Est fons hortorum rigando eos, puteus aquarum viuentium continendo eas. Continet sibi abyssos vitæ, & immortalium gaudiorum: sed non ita continet sibi, vt non effundat & alijs. Effundit Angelis & hominibus participationem pro captu singulorum riuulos sanctitatis & sanitatis; donec & ipsi ciues effecti inebrientur ab vbertate domus eius, & torrente voluptatis eius potentur. Sic tamen effundit, vt non minùs contineat.* Hæc ille.

Virgo suis cultoribus effudit riuulos sanctitatis.

GVILHEL.

34. Fons signatus quidem nominatur Virgo, sed non ideo quòd aquas gratiarum sibi soli reseruet, sed quod eas habeat imperturbatas prorsus, claras, & vitreas, vtpote ad quam nullæ inimicorum insidiæ possint irrumpere, cæterùm tales vt illas in cultores suos copiosè defluere faciat, adeoque per illas, eosdem immortales reddat. Vnde Erasmus quamuis multa de Virgine malè, illud tamen rectè scribit, quod ex ipso hîc ad aliorum hæreticorum confusionem transponimus. *Hæc*, ait, *fons signatus, cuius nitidissimas lymphas, nulla ferina vnquam libauit affectio, in quo sponsi refulgentem imaginem, nulla terrena turbauit cupiditas, quæ medicatas aquas suas, deriuat in capita omnium viarum, quæ potæ, nos non vocales quidem, vt illæ castaliæ sed immortales reddunt.*

Fons signatus Virgo, non quia aquas retinet, sed quod eas habeat claras.

ERASMVS.

36. Fonti, siue fluuio sabbatico, sic nominato, quod in Sabbato non fluat, sed aquæ illius quiescant & quodammodo sabbatizent, comparat Cornelius sacratissimam Virginem scribens in Cantic. cap. 4. ad versic. 15. Transpono illius verba: *Fluuius sabbaticus rectè congruit Beatæ Virgini: Ipsi enim ab Ecclesia cultus in officio Ecclesiastico, & sacrificio Missæ religiosè tribuitur in Sabbatho, quòd ipsa mortuo Christo, Ecclesiam quasi columnam sustentauit, firmiter credens & sperans, Christum die Dominica sequenti, resurrecturum. Hinc maiora beneficia confert ipsa die Sabbathi: vnde & multi fideles Sabbato in honorem Beatæ Virginis ieiunant, aliaque pietatis & pœnitentiæ officia obeunt, vt Sabbatum, id est, quietem in tentationibus & tribulationibus ab ea consequantur, & ad Sabbatum æternæ pacis, in cælo, perducantur.*

Maria similis fluuio sabbatico.

CORNEL.

37. Hoc fonte Mariano, tam fæliciter rigantur Virginis cultores, tantosque suscipiunt gratiarum cælestium latices, vt in eo totus sit diabolus, nihilque aliud tanto studio contendat, quàm à nobis auertere Virginis deuotionem & affectionem, vt consequenter à nobis hunc fontem auertat, & saluberrima eius irrigatione & refrigeratione priuet, atque animam nostram viribus destitutam, in suam facilè redigat potestatem, Vt olim Assyriorum dux, vt legimus Iudith 7. Holofernes expugnationem Bethuliæ aggressurus, primùm omnium, aquæ ductus, vnde in vrbem aqua decurrebat subuertere contendit. Sic enim scribitur: *Reperit, quod fons, qui influebat aquæ ductum illorum extra*

Totus in eo est diabolus vt nos auertat à Virginis deuotione.

Imitatur Holofernē.

extra ciuitatem dirigeret, & incidi præcepit aquæ ductum illorum. Quisnam iste fons & quidem aquæ viuæ, nisi beatissima Virgo Dei Mater, quæ mundo Deum peperit, in cuius inuocatione refrigerium, vitamque habemus. Hunc nobis incidi aquæ ductum, hunc fontem adimi, hac nos aquâ priuari, omni ope nititur aduersarius, quippe cùm probè nouerit, nec absque nostro in Virginem matrem obsequio, & pietate, salutem à Deo comparari solitam, nec vbi debita interueniunt officia pietatis erga Deiparam, posse illam prorsus perire.

Familiaritas cum Virgine inita maxima causat bona, vt patet in Ioanne Baptista.

38. Vndecimò, familiaritas cum Virgine inita per piam erga illam deuotionem cum cultoribus suis, potentissima est, ad conferendum illis bona omnia, quod nuncupatim videre fuit in tribus illis mésibus, quibus Dei mater mansit in contubernio Elisabethæ; hac enim ex consuetudine, nondum etiam natus ille puer, tantam est super omnes mortales gratiam adeptus, vt postea magnus coram Deo haberetur, Deique ipsius testimonium audiremus: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Sed præstat in mediũ proferre commentarium D. Ambrosij lib. 2. in Lucam. AMBROS. 1. *Mansit*, inquit, *Maria cum illa mensibus tribus. Bene inducitur S. Maria, & exhibuisse officium, & mysticum numerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est causa, quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus, nam si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis; quantum putamus vsu tanti temporis Sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Vngebatur itaque, & quasi bonus Athleta exercebatur in vtero matris Propheta, amplissimo enim virtus eius certamini parabatur.* Hæc Ambr. Bonorum omnium quibus illo in statu fælicissimo fruebantur, parentes primi iacturam fecerunt, & infinitam malorum colluuiem, sibi suisque posteris inuexerunt, ex illo consortio, sermoneque serpentis. Sed ô pulcherrima rerum commutatio; vna Dei mater, Virgo beatissima, suis, qui ad eam confugiunt, qui familiariùs eam colunt, illi adhærent, & veluti cum matre filij colloquuntur, ita omnia reddit tranquilla & fœlicia, vt malis omnibus expediti, ad bona omnia consequenda, subuehantur, quam ad rem mirabilis est Diui Bernardi exhortatio BERNAR. sermone secundo de Aduent. Dom. quæ sic habet: *Studeamus ad Deum per Virginem ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te igitur accessum habeamus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.*

Ex Mariæ familiaritate varia bona collata Elisabethæ.

36. Sic ex Mariæ familiaritate non solùm varia bona promanarunt in Ioannem, verùm & in ipsam Elisabetham. Mox enim vt audiuit salutationem Mariæ, ait: *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei, ad me?* Sed vnde scis adesse tibi Dei matrem? Puellam integerrimam vides, Iosephi cernis sponsam, cur ex hac ad te diuinæ maternitatis opinio dimanauit? Conceptus grauedinem sensit amitti, vteri fastidia videt reuelari, & puerperium gaudijs perfundi, & præsentiæ diuinæ matris. Etenim eleganter Hesychius HESYCH. homilia 1. ait: *Cùm prima Virgo, concluderetur molestijs ob transgressionem inflictis, & ab ea gemitus plurimi prodirent, omnisque mulier illius causa in dolore esset constituta, & partus omnis propter eam acerbitatem pateretur, Secunda Virgo Maria, miseriam omnem fœminei sexus repulit: omnemque tristitiæ fontem, qui inter pariendum adesse solet, constrinxit, & nubem desperationis, quâ premuntur mulieres in partu, dissipauit: Et lumina lætitiæ, apud contribules coruscare fecit.* O quàm expedit mulieres conceptus grauedine & partus timore coangustatas, deuotas se exhibere Virgini matri, illiusque consortio & familiaritati se modis omnibus insinuare: Certè ex illius consortio non exiguum sentient, tam in prolis gestatione quàm parturitione leuamen. Vnde sic matres hortatus Diuus Augustinus sermone 11. AVGVST. de Natiuitate. *Venite matres, ad matrem, ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Ideo enim omnes istos cursus natura Virgo Maria suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret.*

Mulieres grauidæ meritò deuotas se debent exhibere Virgini.

Gratiam vberem confert Virgo cultoribus suis, eisque se maximè gratam, ostendit.

§. VI.

Gratiam vberem confert Virgo cultoribus suis.

40. Dvodecimò, gratiam, & quidem vberem ac abundantem procurat Virgo in hac vita cultoribus suis iuxta pulcherrima Diui Bernardi verba super *Salue Regina. Data est ei,* ait, *potestas in cœlo & in terra; Et in manibus eius vita, & spiritus nostri & oculi omnium Christianorum in eam sperant, & ipsa dat escam gratiæ (qua plenâ est) in tempore opportuno. Leuemus ergo cor nostrum cum manibus ad eam, & appropinquemus ei passibus amoris, immolantes ei hostiam laudis, reddentes ei vota de die in diem, de hora in horam, dicentes assiduè: Salue Regina misericordiæ, non aspernatur illa affectum prædulcem, ingens desiderium, inundationem lachrymarum, assiduitatem precum quorumlibet, quamuis peccatorum.* BERNAR.

RICHAR. A S. LAV. Hæc Bernard. Hinc illud Richardi lib. 2. de laudibus Virg. cap. 2. *Deuota inuocatio, & recordatio nominis huius, ducit ad virorem gratiæ in præsenti, & ad virorem cælestium in futuro.* Ergo qui gratiam in terris quærit, futuramque gloriam in cœlis sperat, Mariæ se deuotum exhibeat. Nunquam autem potest Mariæ deesse gratia quam largiatur cultoribus suis eam desiderantibus, est enim in Rebecca adumbrata, de qua legimus Gen. 21. *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro descenderat ad fontem, & impleuerat hydriam, & reuertebatur:* Impleuit autem hydriam non vt sibi retineret sed sitientibus sitim extingueret. Similiter inter omnes mortales *sola Virgo descendit*, ait D. Ambrosius, *hæc sola agnouit fontem verum vitæ æternæ, ideoque habuit quod daret sitientibus.*

Est Maria Rebeccæ similis, implet hydriã, vt det sitientibus.

AMBROS.

41. Bibunt ex Mariæ hydria non solùm Angeli, sed & homines, imò ipse Deus, vnde sub historiæ illius cortice sic de Virgine scribit Diuus Bernardus serm. 2. de paruis. *Quærit Angelus puellam quam parauit Dominus filio Domini sui, bibit ipse de hydria tua, ô Virgo, cognata sibi virtute delectatus; sed numquid non & iumentis potum tribuis? Bibit Angelus, quod verum non cognoscis, bibent iumenta, quod de humilitate singulariter gloriens: Sed fortè ne in his quidem duabus metretis, plena est hydria tua, rapax est etiam tertia, vt non modò Angelus & iumenta: sed ipse iam bibat Architriclinus, Patrem loquor, qui principium Trinitatis Architriclinus iure vocatur. Ait sanè Angelus fœcunditatem Mariæ commendans, quæ tertia est metreta: Quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei, ac si dicat, cum eo solo tibi est generatio ista communis.* Hæc ille. Eleganter expendens plenitudinem Marianam, ex qua lacteo candore pudicitiæ, potantur Angeli; humilitatis decus imbibunt homines, gaudet Dominus Pater sibi socio splendore Virginitatis, vt sic nemo sit è diuinis, vel è creatis qui Mariæ plenitudinem non capiat. Vnde planè consultum vt nulla dies abeat, quin à Virgine peculiarem aliquam petamus gratiam, iuxta pulcherrimam doctrinam Salazar, scribentis in Prouerb. cap. 8. ad vers. 34.

Bibunt ex Mariæ hydria non solùm Angeli, sed etiam homines

BERNAR.

Nulla dies abeunda quin à Virgine petamus aliquã gratiam.

SALAZ.

42. Decimotertiò, gratam maximè & accepti obsequij memorem se exhibet Virgo cultoribus suis. Qualiter Deipara non solùm quæ necessaria, vel etiam vtilia sunt, sedulitate ac materna quadam in suos sollicitudine abundè suppeditat, sed muneribus quoque, & quibusdam quasi officijs subinde eos cohonestare dignatur, huiusmodi fuit crux aurea ab eadem Deipara dono missa Gualthero de Birbach: huiusmodi fuit vestis ad sacrificandum S. Idelphonso post egregiam nauatam operam in perpetua Deiparæ Virginitate contra hæreticos verbo & scriptis tuenda, dono ab eadem data. Simile etiam vestis sacræ donum consecutus est S. Bonitus Episcopus Aluernensis. Rem gestam, quæ in vita S. Boniti apud Surium mense Ianuario habetur nos ex Vincentio lib. 7. Speculi Histor. cap. 97. ijsdem planè verbis hoc in loco narrabimus. S. Præsul Bonitus Aluernensis, cùm cor suum perfectè dedisset vt perfectè Iesum & eius matrem diligeret, quadam die templum B. Michaelis cum turba intrauit, & in angulo Basilicæ, licet inter multos, solitudinem cordis sibi fecit: Consummatis mysterijs, quique in sua redierunt, & ipse solus in latibulo suo remansit. Et custodes quidem ne quis remansisset perscrutati sunt Ecclesiam: sed Dei nutu Sancti viri non potuerunt inuenire latebram, qui obseratis iam Ecclesiæ foribus, eò securiùs quò secretiùs effudit in se animam suam, factusque in agnonia prolixiùs & enixiùs orans vidit huiusmodi visionem: Ecce repente de cælo sonuit quasi vox dulcis cantilenæ & micantibus luminaribus lumen templi cœpit tremere, tanquam intrante multitudine: Aspiciebat vir sanctus, & ecce Virgo Maria intrabat cum candidato sanctorum Angelorum & animarum cœtu, sicut Regina circumstante exercitu, chorus ille cœlestis decantabat Dominæ, eiusque filio, ipsa quoque vocem suam exeruit in Christi præconium: Per medium facta est illa processio. Cumque ventum fuisset ante altare, quæsitum est à quibusdam Sanctorum: Quis haberet missam celebrare? En, inquit, Beata Virgo, adest Bonitus, præsul verè bonus, & satis dignus, cui hoc officium debeat committi. Audiens hoc ille pauebat, & retrahebat se, cuius rei lapis, qui ei cessit adhuc seruat indicium, tandem quæsitus & inuentus est, deductus & repræsentatus illi beatæ congregationi, & ministrantibus sanctis, veste nuptiali ornatus est, ac diuino altari applicitus, & postquam dedit in celebratione sancti operis operam, ac decenter consummauit B. Virgo valefaciens dilecto suo, pro munere cælestem vestem ei dedit. Res est nota satis, & apud Aluernenses admodum celebris, maximè autem in ciuitate Aluerniæ qui dicitur Mons clarus, & vsque hodie monstratur populo vestimentum illud cæleste, cuius materies & contexturæ modus à nullo hominum dignosci potest, & est eximij candoris, miræque leuitatis ac lenitatis. Hæc Vincentius.

Accepti beneficij maximè memor Maria.

Crux aurea donata à Virgine Gualther.

SVRIVS.

Huma-

Humanam ac beneuolam adeò se exhibet Virgo cultoribus, vt salutantes se, resalutet.

§. VII.

Virgo salutantes se resalutat.

43. DEcimò tertio, humanitate & beneuolentiâ summâ vtitur Virgo erga cultores suos, non solùm diligentes se diligit, seruientibus seruit; sed etiam se salutantibus, resalutat. Hoc ipsum S. Bonauentura in Spec. B. Virg. cap. 4. insinuat. *O quàm dulciter*, inquit, *Maria salutare nouit. O Maria digneris nos per gratiam tuam salutare, & certè ipsa nos libenter salutat beneficio, & consolatione, si nos eam frequenter salutamus seruitio & oratione, libenter nos salutat cum gratia, si libenter eam salutemus cum Aue Maria.*

Bonav.

44. Nouit insuper Virgo salutantes se resalutare propriè dictâ salutatione. Libet huius salutationis pulcherrimum referre exemplum quod legitur in Chronicis Ordinis Prædicatorum, & refertur tam à B. Iordane, quàm à Flaminio, cuius hæc sunt verba. Prædicatorum crescebat ordo, numero virorum sanctitate ac famâ illustris. Quod cernens hostis antiquus, & satis intelligens, quantum Ecclesia lucrum, ipse iacturam passus esset, ad suas conuersus artes, labefactare, atque diruere totis viribus surgens ædificium conatus est, Bononiæ præsertim, atque Parisijs, quibus in locis variè quidem, & grauiter admodum, ab eo vexati sunt cœnobitæ, dum alios terret ignea forma super caput ardescente, alios dum flammiuomos illis dracones obijcit, aut asinos terribiliter cornibus armatos, alios alijs diris vexat imaginibus, nec finit quiescere, vt necesse fuerit nocturnas adhibere per vices quiescentibus excubias. Sed & quidam obsessi ab eo sunt Parisijs, inter quos fuit, qui & ipse factus erat cænobita, regis filius. Alij sunt atrâ bile correpti, & facti similes insanientibus. Quam pestem vbi viderunt Patres diffundi, ac latè grassari, Deiparæ Virginis opem implorarunt, ne suis deesset; ac instituerunt, vt quotidie post officium Completorij processionali more. *Salue Regina* caneretur. Quod vbi fieri cœptū est, omnes illæ diabolicæ ludificationes, discussæ atque dispulsæ sunt, & fugati ab obsessis dæmones, & restituta mens desipientibus, ita omnibus quotidie magis properè omnia cessere. Dumque sæpius canunt *Salue Regina*, inspexere quibus hoc datum est, cælo delapsam Angelorum Dominam, vultu admodum placido astitisse canentibus, & ad illa verba: *O dulcis Maria*, leniter caput submisisse, quomodo solent, qui reuerenter quempiam salutant. Recedentibus verò illis de loco in cælum remigrasse.

Iordan.

45. In ijsdem Chronicis legimus quòd Massiliæ, mulier fuit Lombarda nomine, quæ ob vitæ sanctitatem Deo admodum grata erat, quæ cùm die quadam in æde Prædicatorum adesset, *Salue Regina* ex more canentibus, corporeis ablata sensibus, mira quatuor vidit, quæ nec tacenda sunt, neque obliuioni tradenda: quorum illud fuit primum. Dum canerent, *Spes nostra salue*, vidit delapsam continuò Dei matrem cœlo, vultu admodum blando canentes illos resalutantem. Alterum vero, dum ad illa peruenissent verba, *Eia ergo aduocata nostra*, flectentem ante filium genua suppliciter, & pro canentibus orantem. Tertium, dum dicerent, *Illos tuos misericordes oculos*, mitissimis eos oculis intuentem; quartum verò, vbi canerent, *Et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende*, illam tanquam puellaribus restitutam annis, atque lactantem paruulum Iesum, velut recenter natum singulis ostendentem.

In chronicis Prædicatorum.

46. Cùm ergo salutantes se taliter resalutet Virgo, quis in illa salutanda defatigabitur? Cùm Virgo obseruet illud antiqui prouerbij, *Saluta, libenter, resaluta libentiùs*, quis non totus erit in illa salutanda? *Salutate Mariam quæ multum laborauit in vobis*, ait Diuus Paulus Rom. 16. loquens de alia quapiam Maria. Si hæc eo nomine salutatur à Paulo quia pro Ecclesia multum laborauit, qualiter pro Dei Ecclesia non laborauit V. Maria? Per hanc enim humana natura gaudii non præludia tantùm, sed finem percipit. Per hanc diuini consortii initium, ab omni peccato purgata, cum immensarum diuitiarum sponso nuptias celebrauit. Per hanc prioris hominis effigies, nouam figuram consequitur, ac senio quasi confectus mundus, peccatorum senectam exuit: Per hanc rorarunt cœli iustitiam & nubes pluerunt iustum. Per hanc stillarunt montes dulcedinem & colles iustitiam. Per hanc misertus est Deus populi sui. Per hanc mysterium ante sæcula absconditum, reuelatur: Per hanc vniuersi opifex summâ potentiâ conceptum apud se iam dudum de recreatione nostra consilium ad finem perduxit. Per hanc misericordiæ largitor, viscerum suorum abyssum reuelauit filium suum vnicum misit; per hanc Deus Princeps pacis atque per portam clausam mundum ingressus est, circa cuius educationem, lactationem, quos non pertulit labores, quas non pertulit molestias, dum in vtero gestauit? Dum in vili stabulo, hyeme media, & hoc in

Virgo obseruat illud antiqui prouerbij, saluta libenter, resaluta libentiùs.

Motiua ad salutandam Virginem.

nocte media, sine alleuatrice obsequente genuit, dum in gremio fouit, dum fascijs cinxit, dum in Ægyptum longinquam regionem exulauit, dum puerum dolens triduo inter affines & cognatos quærit, &c. Cur ergo hanc non salutabimus indesinenter Virginem Mariam? Vtinam omnes illi congratulentur eamque salutent, cum Cyrillo Alexandrino in Ephesina Synodo, dicentes: *Salue Dei genitrix Maria, eximium vniuersi terrarum orbis decus & ornamentum. Tu lampas inextinguibilis, Tu virginitatis corona, tu rectæ fidei sceptrum ac norma. Tu templum inuiolatum. Tu illius sedes qui nullo capitur loco. Tu Virgo & mater, per te benedictus qui venit in nomine Domini in Euangelijs appellatur. Salue quæ incomprehensibilem in sancto virginali vtero comprehendisti. Salue, per quam & Sancta Trinitas, sanctificatur & veneranda crux colitur, & in vniuerso terrarum orbe salutatur. Per te cælum exultat, per te Angeli & Archangeli lætantur. Per te dæmones fugantur. Per te diabolus tentator è cælo decidit. Per te prolapsum plasma siue figmentum in cælum recipitur. Per te vniuersa creatura idololatriæ vanitate occupata, ad veritatis cognitionem deducta est. Per te sacrum baptisma, & oleum exultationis obtingunt credentibus. Per te in vniuerso mundo fundantur Ecclesiæ: Per te gentes & infideles ad pœnitentiam adducuntur, & quid multis moror? Per te vnigenitus Dei Filius ijs qui in tenebris & vmbra mortis sedebant tanquam lux vera resplenduit. Per te Prophetæ futura prædixerunt: per te Apostoli salutem gentibus prædicarunt. Per te mortui suscitantur*, &c.

Qualiter salutanda Virgo. CYRILL. ALEX.

47. Legimus Ecclesiast. cap. 22. *Amicum salutare non confundar, à facie illius non me abscondam.* Alij legunt: *Amicum salutare non confundaris, à facie illius non absconderis*, Quasi dicat, Amicum, quamuis in paupertatem, tribulationem, periculum, fortuna eum deiecerit salutare & officiis amici prosequi non verecundabor, nec ab eo me abscondam si salutandus amicus etiam ad paupertatem redactus. Quid sentiendum de Virgine humani generis amica fidelissima, non iam inops & indigna, sed super omnes Angelorum choros ditata & exaltata? Nónne Maria humani generis amica, quæ mater est viuentium, Mater gentium, spes Christianorum sanctissima, studiosorum lumen, clausorum liberatrix saluberrima, orphanorum susceptrix, adiutrix destitutorum, vexatorum portus, subsidium oppressorum, omnium cordis dolorum medicamentum, remedium aduersus dæmones, consolatio infirmorum, dulcedo animarum credentium &c. *Nolite cessare à laudibus eius*, ait Diuus Bonauentura in Psalterio, *& per singula momenta recogitate illam*, addo, *& salutate Mariam.*

Maria tanquam amica à nobis salutanda

BONAV.

48. Verùm si salutare Virginem conuenienter velitis, videte qualiter dispositi esse debeatis. Certè Angeli conditionem debet referre qui Virginem dignè vult salutare. Pulchrè Richardus à Sancto Laurentio libro 1. de laudib. Virgin. cap. 8. *Quòd dignè salutare tantam Virginem non sit quilibet dignus, ostendit Dominus cùm ad eam salutandam non nisi Angelum misit: Per hoc euidenter ostendens, quòd qui salutationem suam ab ea desiderat acceptari, Angelicam vitam debet imitari.* Laudari à malè viuentibus nolo, abhorreo, detestor, aiebat Sanctus Augustinus homil. 25. ex 50. iustiùs id Virgo dicere potest, quæ sanctiorem laudem, tanquam omnium sanctissima, meretur.

Angeli conditiones habere debet qui Virginem conuenienter vult salutare.

RICHAR. A S. LAV.

49. *Si vis ad Virginem ingredi*, ait Hugo Cardin. in cap. 1. Lucæ, *& eam salutare, oportet te esse Angelum: Angelum autem te faciunt potissimè, puritas, charitas, humilitas.*

HVGO CARDIN.

Puritate sit Angelus, nam vt scribit Dionysius Carthusianus sermo. 5. de Conceptione B. Mariæ, vt purissimæ Virgini complaceamus, omni carnalitati, fœditati, impuritati renunciemus, atque quotidie magis ac magis mundi, casti, ac spirituales esse condignè nitamur, similitudo namque est causa amoris & ratio complacendi.

Puritate sit angelus qui Virginem salutat. DIONYS. CARTH.

50. Refert Albertus Castellanus libro de rosario, quod fuerit quidam adolescens cui beata Virgo apparuit vt potionem illi suauissimam calice immundissimo bibendam offerre videretur. Admiratur adolescens, quid hoc rei sit. At Virgo cui gratior puritas animæque munditia quàm quod ab illo quotidie soluebatur precum & orationum pensum ac rosarium. Vide, inquit, fili preces rosarij tui sunt mihi gratissimæ, sed calix quo porrigis, eò quòd tu minùs puriter viuas, auersioni mihi atque horrori est. Quibus verbis permotus ita est adolescens, vt continuò nouam melioremque viuendi rationem inierit, & puriùs sanctiusque, purissimæ ac sanctissimæ Dei matri seruire inceperit.

Huius rei exempla ALBERT. CASTELL.

51. Seuerus, vt ait Lampridius à mulieribus famosis matrem & vxorem suam salutari vetuit ac si illa salutatione infici posset quæ ab impuro impurarum mulierum ore proficiscitur; non inhibet Christus matrem à famosis & impuris mulieribus salutari, sed tamen à bonis & puris, laudari potiùs vellet.

LAMP.

52. Secundò, sit Angelus charitate, qui Virginem dignè salutare desiderat. Præclarè Richard. à Sancto Laurentio libro 1. de laudibus Virgin. cap. 8. *Quod dignè salutare tantam Virginem non sit quilibet dignus ostendit Dominus cùm ad eam salutandam non nisi Angelum misit, per hoc euidenter ostendens quod qui salutationem suam ab ea desiderat acceptari, Angelicam vitam debet imitari, vt sit videlicet pacificus, quia inter Angelos maior non opprimit minorem, sed omnes in summa pace & quiete consistunt.* Ergo nec An-

Charitate sit angelus. RICHAR. A S. LAV.

Angelus est qui pacem non habet & concordiam scindit, nec idoneus est qui Mariam salutet.

Sit Angelus humilitate. RICHAR. A S. LAV.

52. Tertiò, sit Angelus humilitate, qui dignè salutare Virginem desiderat. Nam vt ait Richardus à S. Laurentio lib. 2. parte 6. *Cùm sit mater pietatis fœtet ei impius & auarus, cùm sit exemplar humilitatis plus displicet ei superbus.*

Ianua & lucerna est Virgo cultoribus suis, matrem se illi exhibet necessitatibus eorum nunquam deest.

§. VIII.

Ianua est Virgo cultoribus suis.

1. DECIMOQVARTÒ ianua est Virgo cultoribus suis per quam ad cælestia transeant regna. Vnde sic salutatur ab Ecclesia. *Tu Regis alti ianua.* Quod si grammaticus ille, nomine donatus ausus fuit arroganter de se dicere & canere:

Ianua sum rudibus, primam cupientibus artem,
Nec sine me quisquam ritè beatus erit.

Quantò meliùs, quantò præstantiùs & veriùs humillima nostra Virgo dicere & affirmare poterit:

Ianua sum cunctis, superam cupientibus vrbem.
Nec sine me quisquam ritè beatus erit

Humilis hæc ianua non admittit obesos non gibbosos.

Ianua hæc arcta est & humilis, ita non admittit crassos & obesos, per ciborum ingluuiem, sed tenues per abstinentiam, non admittit altos per superbiam, sed paruos per humilitatem; non gibbosos per auaritiam, sed graciles & flexibiles per pietatem & misericordiam. Nullus etiam pedibus lutulentis nitatur per Virginem intrare, nam vt ait Ioannes Damascenus oratione 2. de dormitione Virginis *Verba impudica, choreas turpes, cogitationes vanas, vt lethifera à se abijcit Maria.* Solue calceamenta de pedibus tuis dicitur Moysi accedenti ad rubum Exodi 3.

Nullus nitatur lutulentis pedibus hanc transire ianuam.

Ianua quæ impedit ingressum malorum spirituum. HAILGR.

Accedenti ad Virginem in rubo adumbratam soluenda etiam calceamenta, id est, deponenda omnia quæ lutea, quæ sordida, quæ carnalia. Præterea vt ait Hailgrimus ad illa verba Cantic. 8. *Si ostium est, Virgo ostium est in Ecclesia, quæ malignis obsistit spiritibus, ne ad deuotos suos intrent, & accedant sicut volunt, &c.*

Lucerna est Virgo. BERNARDINVS.

2. Decimoquintò. Lucerna est Virgo cultoribus suis: *Est lucerna*, ait Bernardinus Senensis serm. de Assumpt. Virginis, *qua contra omnes mundi tenebras illuminatur mundi machina; est lumen, quo Deus mundum illuminat, & tenebras animarum nostrarum fugat, est ignis corda hominum inflammans, & suis innumeris beneficijs mundum clarificans.*

Matrem suauissimã se exhibet Virgo cultoribus suis.

3. Decimo sexto, matrem suauissimam, se exhibet Virgo cultoribus suis iuxta illud Eccl. c. 15. *Obuiabit illi quasi mater honorificata.* Quasi dicat: Nihil differt Virgo ab honorabili matre, quæ dilectissimum filium suum paruulum ad se venientem, non expectat, sed moræ impatiens, ipsi lætabunda occurrit, atque illum excipit gratissimè ac delitiosissimè. Pari ratione Virgo gloriosa seu mater amantissima cultores suos ad se venire iamiam meditantes non expectat, sed moras omnes abrumpens eisdem sese obuiam offert, conatus videlicet eorum adiuuans, atque illos tunc demum iucundissimè & gratissimè recipit. *Sicut mater honorificata* nimirum, ab ipsis, id est, quasi mater, ex qua vltra naturalem affectum, ipsorum filiorum, obsequium, & honor ab illa eum amorem extorquet. Cultores suos Virgo matris instar Virgineo lacte nutrit velut infantes, & ad æternam vitam alacres, lætosqu, & fore nullo labore gestientes in brachijs perducit.

Qualiter Virgo matris officiũ peragat. BRIGIT.

4. Qualiter matris officium erga cultores & sibi deuotos peragat Virgo sic ipsa testatur apud Sanctam Brigittam in reuelationib. libro 4. cap. 138. *Sicut materna manus semper parata est, ad opponendum se periculis, in cordis filij sui defensionem, si aliquis niteretur in sui læsionem; ita ego sum parata ingiter iustos qui sunt in mundo defendere, & de omni spirituali periculo liberare. Ego etiam quasi sum mater omnium peccatorũ se volentium emendare, & habentium voluntatem in Deum ampliùs non peccare, & sum voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem accipere, sicut charitatiua mater dum videret filium nudum ab inimicis acutos habentibus gladios sibi occurrentem; nónne ipsa opponeret se tunc periculis viriliter vt filium suum de manibus inimicorum suorum liberaret & eriperet, & in sinu suo gaudenter conseruaret? Ita facio, & faciam ego omnibus peccatoribus misericordiam meam à filio meo petentibus, sub mera contritione & diuina dilectione.* Hactenus ex reuelationibus S. Birgittæ.

5. Vnde conuenienter sic monet Gregorius Septimus Mathildim mulierem integerrimam & de Romana Ecclesia optimè meritam. *De matre Domini, hoc procul dubio teneas, quia quantò altior & melior ac sanctior est omni matre, tantò clementior & dulcior circa conuersos peccatores & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa ex corde contrito & humiliato lachry-*

lachrymas effunde: Inuenies illam indubitanter, promitto, promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione.

Virgo nunquam deest necessitatibus suorũ.

6. Decimoseptimò, necessitatibus cultorum suorum nunquam deest Virgo. *Ille solus*, ait Diuus Bernardus sermone de Assumptione, *ò Beata Virgo tuas laudes sileat, qui te fideliter inuocatam senserit vnquam in suis necessitatibus sibi defuisse.* *Citius*, ait Blosius in specul. spiritual. cap. 12. *cælum cum terra perierit, quàm ipsa Beata Virgo, aliquem seriò se implorantem, sua ope destituat. Gratias age Domino, qui illam tibi dedit in matrem & adiutricem.*

BERNAR.

BLOSIVS

Maria nebula tegens omnem terram soluit gelu nostrarum miseriarũ.

7. Vnde verba illa Sapientiæ, Ecclesiastici 24. *Et sicut nebula texi omnem terram*, meritò adoptantur Virgini ab Ecclesia. Nam sicut nebula soluit glaciem & rigorem ab Aquilone inductum iuxta illud Ecclesiastici 43. *Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua, super omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut loricâ induet se aquis, & deuorabit montes, & exuret desertum, & extinguet viride, sicut igne. Medicina omnium in festinatione nebula.* Ita Virgo sua intercessione soluit omne frigus, soluet omne gelu nostrarum angustiarum & necessitatum, quæ vndique nos instar gelu constringebant & cor vndique quasi frigore & glacie obdurabant, omnem eliminantem virorem gaudij & lætitiæ. Vnde Diuus Bernardinus tomo 3. sermone 11. verba illa Ecclesiastici 43. *Medicina omnium in festinatione nebulæ*, adaptat Beatæ Virgini, ait enim, *Medicinam omnium esse in festiua Assumptione Virginis, quia omnes, inquit, qui volunt, participes fiunt gratiæ suæ.*

BERNARDINVS.

8. Vnde sic pulcherrimè monet Sanctus Ambrosius sermone in Natiuitate Beatæ Mariæ. *Oportet Christianos inter fluctus huius sæculi hanc Mariam, quæ supremo rerum cardine, Deo proxima est, intueri, & respectu exempli eius, cursum vitæ dirigere, quod qui fecerit non iactabitur vana gloriæ vento, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur voragine voluptatum; sed prosperè veniet ad quietis æternæ portum.* Vnde etiam Virginem sic precatur Diuus Anselmus: *O Virgo Dei Mater, tuâ me visitatione illustrare digneris, vt meorum scelerum per te misericordiam consequar: & per te, quam in periculoso huius vitæ pelago in auxilio aduocaui, sine naufragio ad optatum perennis requiei litus perducar.*

AMBROS.

ANSELM.

Oleum est Virgo cultoribus suis, oratione sua eos iuuat, & protegit insigniter.

§. IX.

Oleum est Virgo cultoribus suis.

1. **D**Ecimooctauò, oleum est Virgo cultoribus suis, iuxta illud Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* In quæ verba sic Alanus, existimans illa à Filio ad Matrem dici. *Oleum*, inquit, *esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit, sic & in laude Virginis reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina inuitamur, aduersitatibus fessi eius patientiâ recreamur, vitæ eius formâ illustramur:* adde, & abundantiâ misericordiarum & gratiarum illius, suauissimè perfundimur & sustentamur. Pulchrè quoque Richard. lib. 1. c. 2. Mariæ nomen oleo comparans, ait, *Corroborat oleum ossa & neruos indurat & medullas confirmat: Vnde & Antiqui luctatores suos toto corpore oleo perungebant. Et Domini Pugiles vncti hoc oleo per dilectionem & crebram huius nominis recordationem vel capi nequeunt, vel diu teneri non possunt à diabolo aduersario.*

ALANVS.

RICHAR. A S. LAV.

Orationibus suis cultores suos adiuuat Virgo.

10. Decimononò, orationibus suis cultores suos maximè adiuuat Virgo: de ea quidem dicere possumus illud Eccli. 43. *In sermone eius siluit ventus, & in cogitatione sua placuit abyssus*: Hoc est, ipsa orante cessat ventus diabolicæ tentationis, & quando de ea deuotè cogitamus placat abyssũ cordis humani, quod est profundum instar abyssi ac tenebrosum, cuius rei exemplum sit sanctissima illa martyr & Virgo Iustina, quæ vt refert Nazianzenus homil. de sanctis Cypriano & Iustina, libidinis facibus agitata à dæmone (quem magicis artibus Cyprianus ad oppugnandum Virginis, quam iuuenis quidam vehementer deperibat, propositum miserat) ad Deum recurrit, simulque Virginem Mariam, supplex obsecrauit vt sibi Virgini, periclitanti auxilium ferret: Interim corpus ieiunio & humi cubatione, quæ sunt castitatis arma, exercens tandem ex dæmone victrix, Deiparæ patrocinio euasit, ipsumque Cyprianum ad fidem hac occasione conuersum nobilis martyrij inclytum collegam habuit, quorum festum Ecclesia anniuersario ritu 26. Septembris celebrat. Quis referat quantæ potentiæ sit Virginis pro amicis suis oratio? Docet Suarez tomo secundo, in tertiam partem disp.

NAZIAN.

Magnæ est potentiæ Virginis oratio pro amicis suis.

SVAREZ.

disputat. 23. sectione 2. beatam Virginem in hac precum efficacia, non solùm sanctos singulos, sed omnem etiam cælestem curiam superare: Itaque, inquit, ipse; *Si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totamq; cælestem curiam illi resistere, (sicut apud Danielem vnus Angelus alteri resistebat) potentior esset, maiorisq; efficaciæ & valoris apud Deum Virginis, quàm reliquorum omnium sanctorum oratio, quod dignitati matris est maximè consentaneum & perfectissimè gratiæ & charitati B. Virginis quodammodo debitum, & ideo Ecclesia & frequentius, & altiori quodam modo orat ad Virginem quàm ad reliquos sanctos.* Hæc Suarez, quod auctoritate Patrum confirmat. Qualiter Virgo pro peccatoribus Deum orat, sic insinuat Anselmus. *Hac est, inquit, figurata in illa prudentissima muliere Thecuite, quæ ita sapienter aduocauit apud Regem Dauid in causa Absalonis vani, superbi, fratricidæ, exulis facti, propter tantum scelus à Ierusalem, quod induxit patrem Dauid, ad misericordiam erga filium & ab exilio reuocandum: Sic ergo Virgo Maria pro mundo rebelli ipsi Deo & occisore fratris sui, id est, animi sui, propter quod exul constituitur à suprema Ierusalem, ita aduocat & interpellat; vt Deum Patrem placet & conuersum ad pœnitentiam ad gloriam inducat.* Si taliter pro mundo rebelli, quid factura pro seruo fideli & filio obedienti?

Qualiter Virgo pro peccatoribus Deum oret.
ANSELM.

11. Vigesimò, protegit sibi deuotos Virgo ab hoste, iuxta illud Ecclesiæ:

Virgo protegit sibi deuotos.

Maria mater gratiæ,
Mater misericordiæ;
Tu nos ab hoste protege,
Et in hora mortis suscipe.

Nimirum vti expendit Idiota de contemplat. Virg. cap. 6. *Maria mater gratiæ, bonos in gratia conseruando, mater misericordiæ, malos ad misericordiam reducendo: adiuuat tribulatos dando illis patientiam: tentatos dando eis victoriam: protegit ab hoste & adiuuat quoque post mortem animas suscipiendo, & eas in cælum deducendo.*

IDIOTA.

12. Legimus de Sapientia apud Eccli. 14. *Beatus vir qui in sapientia morabitur.* Et paulò pòst: *Et sub ramis eius morabitur, protegetur sub tegmine illius à feruore, & in gloria eius requiescet.* Vmbram suam in eos Sapientia iactat, qui sub illam se recipiunt, nullum reiicit, neminem excludit. Eadem verba ad Virginem flectit Richardus à S. Laurentio libr. 12. de laudibus Virginis. *De hac Virginis obumbratione dicitur Eccles. 14. Protegetur (scilicet seruus Mariæ) sub tegmine illius à feruore, & in gloria illius requiescet: gloria Mariæ misericordia est.*

Vmbram præstat Maria, nullum reiicit.
RICHAR. A S. LAV.

13. Quàm facilè protegat, quàm facilè sternat hostes Virgo, sic exprimit S. Amædeus homil. 8. de laudibus Virginis. *Omnium de quacumque tribulatione clamantium illa libens preces suscipit, & nato supplicans, omne malum ab eis miseratrix auertit. Enimverò sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore solis defluit glacies, sic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaq; iubente nihil aduersi subsistit.*

Quàm facilè protegat, quàm facilè sternat hostes Virgo.
AMÆD.

14. Vnde sic meritò Virginem alloquitur Cosmas Hierosolymitanus in hymno quinto. *Insuperabilem Deiparæ spem tuam habens seruabor: defensionem tuam possidens non timebo: persequar inimicos meos & in fugam vertam solam habens vt thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum.*

COSMAS HIEROS.

15. Ob eam quam præstat Virgo contra omnes hostes protectionem, meritò Debboræ comparanda. Prudenter Baruch ausus non est inire prælium contra Sisaram nisi Debboram Prophetissam in prælio haberet commilitonem. *Si venis, inquit, mecum vadam: Si nolueris venire mecum non pergam; quæ dixit ibo quidem tecum.* Iudicum 4. Profectò audacter quis & fæliciter bellum cum hostibus animæ præsertim cum impuris iuxta & importunis tentationibus carnis non aggreditur, si Virginem Dei matrem non inuocet adiutricem, ducemque habeat & sociam. Si venis nobiscum ô Virgo, parens, ibimus: Si nolueris venire non pergemus. Debbora Hebraicè interpretatur apis; vtique Virgo benedicta illa est apis, cuius in vtero conceptus est Iesus omnis dulcedinis fauus, meliusque de Virgine matre, quàm de vidua Debbora scribit S. Ambr. l. de viduis. *Fœmina indicauit, fœmina disposuit, fœmina prophetauit, fœmina triumphauit, & præliantibus intermixta copijs imperio viros docuit militare fœmineo.*

Debboræ comparatur ob protectionem quam præstat.
AMBROS.

16. Vt sic protegamur à Virgine, paruos nos & humiles esse conuenit, sub protectionis enim suæ pallio non recipit superbiæ spiritu plenos, sed humiles, pudicos, misericordes. Rectè proinde monet Richard. à S. Laur. l. 12. de laudibus Virg. *Necesse est tibi ad hoc quod possis abscondi sub pallio, id est sub latitudine misericordiæ eius, vt sis paruus in oculis tuis per humilitatem, non turgidus per elationem, vt sis mundus per castitatẽ, quia cum fætore luxuriæ non posses ad eam propinquare vt sis misericors, alioquin apud misericordiæ matrem refugium non haberes.*

Vt protegamur à Virgine paruos nos esse conuenit.
RICHAR. A S. LAV.

17. Non solùm cultores, sibique deuotos Virgo protegit, verùm & ipsos peccatores, si præcedentis malæ vitæ pertæsi ad eam confugiãt. Quod Deus Pater, Catharinæ Senensi, dixisse scribitur apud Blosium his verbis: *Mariæ vnigeniti filij mei gloriosæ Genetrici, à bonitate mea concessum est, propter incarnati verbi reuerentiam, vt quicumque etiã peccator ad eam cum deuotã veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali.* Cui consonat illud quod habet S. Birgitta l. 1. reuel. c. 9. vbi Deipara hæc de suo nomine eidem reuelauit. *Omnes etiã dæmones verentur hoc nomẽ & timent, qui audientes hoc nomen, Maria, statim relinquunt animam de vnguibus, quibus tenebant eam. Sicut enim auis quæ in prædam vngues & rostrum habet, si audierit sonitum aliquem relinquit*

Peccatores præcedentis malæ vitæ pertæsi etiam protegit Virgo.
BLOSIVS.
BIRGIT.

prædam & cum nihil operis sequi videt statim reuertitur ad eandem, sic dæmones audito nomine meo statim relinquunt quasi territi, sed iterū aduolant & reuertuntur ad eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur; Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei est nisi sit damnatus si inuocauerit hoc nomen hac intentione vt nunquam reuerti velit ad opus solitum, quod non discebat ab eo statim diabolus, & nunquam ampliùs reuertitur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter.

Nullum maius præsidium nobis reliquit Christus quàm virginem.

18. Meritò autem Maria, sic iuuat & fouet, suo præsidio mortales; sunt enim quasi Virginis quædam hæreditas, quam à Deo suscepit colendam, mundandam, & ditandam, cur ergo hanc fastidiat vel auersetur? Pulchrè siquidem dixit Euthymius de Zona Virgin. apud Lyppom. *Tua sumus hæreditas, ô Virgo, Dei mater.*

19. Præterea abiens in cælum Dominus Iesus, qui promiserat fidelibus suis Ioan. 14. *Non vos relinquam orphanos*, nullum nobis maius (post suum corpus in sacrosancta Eucharistia) patrocinium, & præsidium reliquit, quàm semper Virginis matris suæ, cui nos commisit, tutelam, ac maternam pietatem. Hoc est illud pallium, quod in altum auolans, discipulo suo Helias demisit, cum quo simul accepit Eliseus, duplicem spiritum 4. Reg. 2. Et quidem apposité Virginis Deiparæ virtutem, pallio Heliæ, significatam accipio: quippe vt Theodoretus tradit quæst. 8. in 4. Reg.) erat pellis, ouina scilicet; scilicet ex pelle, velleréque ouis, amiculum instar pallij. O egregium, ô pulchrum, ô pretiosum pallium, quod ex illa candidissima, & mitissima oue, quæ agnum Dei peperit, nobis è cælo demissum est, simul cum duplici spiritu, hoc est, duplicato præsidio matris Dei, ad bona tum corporis, tum animæ, & tam in vita quàm in morte.

Virginis Deiparæ virtus pallio Heliæ significata.

Prædestinationis magnum est signum, si quis Virginem colat, illique deuotus existat.

§. X.

Prædestinationis signum, Virginis cultus.

20. Vigesimoprimò, prædestinationis suæ, magnum signum & testimonium est cultoribus Virginis, singularis eorum erga eam deuotio & sedulum obsequium. Quamquam sine speciali reuelatione nemo vt habet sacrum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 12. scire potest, quos Deus sibi elegerit; multa tamen à Doctoribus, diuinæ prædestinationis signa, enumerantur; & quidem inter præcipua collocatur, intima erga Virginem Deiparam, quæ mater est electorum atque viuentium, deuotio.

Nemo certus de sua prædestinatione.

21. Priuilegium hoc Virgini ab ipso Christo concessum existimat Laurent. Iustin. libr. de triumphali Agone cap. 18. dum in cruce pendens iam morti vicinus, dixit: *Ecce filius tuus, ecce mater tua.* Quibus verbis hunc vult subesse sensum: *Faciam prorsus vt omnes concurrant ad te, eritq; nomen tuum honorabile in omni generatione & progenie. Nemo tui inuocatione spernetur, nullusque deuotus tibi à me efficietur alienus.*

22. Sapientiam sic loquentem inducit Ecclesiasticus cap. 24. *Qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me* (id est, qui mihi nauant operam) *non peccabunt*. Tigurina. *Qui me audit, in nullam prorsus ignominiam incidet, & qui nauant operam, non peccabunt*. Syrus: *Qui audit me, non cadet, & omnia opera eius corruptelam non patientur*. Duplicem hic fructum promittit sapientia suis studiosis; scilicet quod duplex euadent malum, nimirum, confusionem & peccatum. Qui, inquit, audit me, id est, qui mihi auscultat, qui mihi obedit, nunquam pudore suffundetur, quia nihil aget cuius eum pudere posset, sed omnia perficiet sapienter, vt de iis lætari & gloriari queat: quare æternam reproborum confusionem euadet, nec spe sua, potiendi gloria cælesti, frustrabitur, sed eam certò assequetur, *& qui operantur in me*, id est, ait Iansenius, qui sua per me obeunt negotia, *non peccabunt* in eis, sed sua omnia vti prudenter, ita & fæliciter peragent. In priori ergo membro, fœlicitatem promittit: in secundo, bonam operationem. Nónne idem cultoribus suis præstat B. Virgo? Audi Cornelium hæc Virgini sic adaptantem. Vtrumque suis cultoribus, sibique deuotis præstat B. Virgo, vti ex omni sæculorum omnium historia liquet: quare si quis à peccato & pudore immunis viuere velit, si quis gratiam & salutem sibi assecurare, si quis magnum perseuerantiæ donum nancisci cupiat, illud identidem à Deo per intercessionem B. Virginis efflagitet. Perire enim & damnari nequit, qui tantam apud Deum patronam habet: nisi quis vltro se in scelera & gehennam præcipet, vti faciunt nonnulli stolidi, qui impunè in suas cupiditates ruunt, præsumptuosè præfisi de ope B. Virginis, eò quòd in eius honorem Sabbatho ieiunent, rosarium recitent, vel similem ei cultum exhibeant. Qui sanè in B. Virginem iniurij sunt, tum quòd de eius misericordia impiè præsumant, tum quòd cultum eius tot criminibus inquinent, dedecorent & infament, ideoque duplici damnatione digni sunt.

Cultores Virginis duplex euadunt malū, nimirum confusionem & peccatum.

Cornel.

Perire nequit si quis tantam patronam habeat.

23. Insuper ab Ecclesia adaptantur Virgini illa verba, Prouerb. 8. *Qui me inuenerit,*

Virgine inuenta vita inuenta.

rit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino, qui sunt æterna prædestinationis effectus.

Figuris hæc confirmatur veritas.

Virgo Dei tabernaculum.

24. Eadem veritas quibusdam potest illustrari figuris. Legimus Leuit. cap. 26. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiiciet vos anima mea.* Si tanta est huius tabernaculi prærogatiua, quid sentiendum, quid iudicandum de sacratissima Virgine, viuo Dei omnipotentis tabernaculo? Quomodo qui in illo habitat tabernaculo, id est, qui Virginem ardenter diligit, sanctè colit, iugiter inuocat; corde atque ore veneratur, qui post Deum, omnem spem in illa repositam habet, qui denique suauissimam Dominam habet pro præsidio siue tabernaculo quo protegatur, abiicietur à Domino ac filio Mariæ amantissimo?

Homo mortis reus si erga Virginem habeat deuotionem, vitam consequitur æternam.

25. Esto, sit homo peccator & reus mortis, nihilominus si erga Virginem habeat singularem pietatem & deuotionem, ipsius intercessione & patrocinio; vitam consequetur sempiternam. Nam aliquando tandem è peccatore iustus fiet, & vitâ dignus sempiternâ, quia beatissimæ Virginis obsequio se deuouit. In cuius rei symbolum dixit Salomon Abiathari 3. Reg. 2. *Equidem vir mortis es; sed non te interficiam, quia portasti arcam Domini Dei.* Si arca illa tam salutaris habita, vt vel reum capitali morte dignum absoluerit, eò quòd aliquando eam humeris deportasset. Quid mirum semper Virginem Dei matrem, tantâ gratiâ valere, apud Deum, vt ille nunquam reiiciat, nunquam condemnet hominem, in quo videat matris suæ nomen, ac notam, affectum ac pietatem residere? Certè perbeatus ille censendus qui Virginis portet obsequia, in seruum se Reginæ cœli addixerit: Etenim in suæ matris gratiam, clementissimus iudex peccatorem conuertet, absoluet, ac sempiternâ gratiâ, & gloriâ donabit.

OSORIVS.

Multi, (ait Osorius) *in inferno iam essent trusi nisi hanc portassent arcam in corde suo, nisi in hunc locum sacrum se reciperent, qui eis est immunitatis causa, vt olim Ciuitas refugij, & hodie templum.*

Est virgo adumbrata in illa aurea Assueri virga.

26. Est B. Virgo adumbrata in Virga illa Assueri aurea, quam cùm contra aliquem extendisset, signum erat clementiæ & vitæ, vt legimus Esther cap. 5. *Cumque vidisset reginam Esther stantem placuit oculis eius, & extendens contra eam virgam auream, quam tenebat manu.* Et cap. 4. *Absque omni cunctatione statim interficiatur, nisi fortè Rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit viuere.* Virga hæc B. Virginem, virgam vigilantem & virgam de radice Iesse, Regiæ prolis Dauid egressam designabat. De qua Isaiæ 11. *Egredietur Virga de radice Iesse* &c. & Ierem. 1. & sic de ea dicitur Prouerbiorum 23. *Si percusseris eum virgâ non morietur.* Idque Christus se facturum promittit Isa. 11. *Percutiet terram virgâ oris sui*, id est, virginis deuotione. Prætores Romani in signum liberationis à seruitute, Virga caput serui tangebant, qui statim efficiebatur liber, vt habetur in libr. 2. cap. *Si aduersus libertatem*; sic etiam mediâ Virginis deuotione, à Christo Domino peccator à dæmonis seruitute liberabitur. Quid enim Christus matri negabit, quandoquidem Rex Salomon matri suæ dixit 3. Reg. 2. *Pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem meam à te.*

Mediâ Virginis deuotione peccator à seruitute diaboli liberatur.

27. Adstipulantur passim huic doctrinæ Sancti Patres. *Quomodo*, ait Germanus Constantinopolit. de Zona Virginis, *corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita etiam sanctissimum tuum nomen, ô Virgo, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij, non solùm est signum, sed ea etiam procurat, & conciliat.*

Probatur SS. Patrum dictis.

GERMANVS.

ANSELM.

28. *Impossibile est*, (ait Diuus Anselmus, apud Diuum Antoninum 4. part. tit. 15. c. 14. §. 7.) *quòd illi à quibus Beata Maria oculos misericordiæ suæ auertit, saluentur; ita necessarium quòd hi, ad quos conuertit oculos suos pro eis aduocans iustificentur, & glorificentur.* Non potest autem Virgo non conuertere oculos suos, ad suos cultores, & sibi bene affectos. Et Diuus Bernardus super missus est: *Sicut à te despectus & auersus necesse est vt pereat; sic ad te reuersus, & à te respectus, impossibile est quod pereat.* Respicit autem Virgo omnes amatores suos.

BERN.

29. In nostro erga Virginem affectu, pietate, obsequio, insigne quoddam diuinæ prædestinationis testimonium posuit etiam S. Bonauentura in suo speculo, dum sic scribit: *Qui acquirit gratiam Mariæ agnoscetur à ciuibus paradisi, & qui habuerit characterem eius, annotabitur in libro vitæ.* Quasi dicat. Qui Virginem Dei matrem in vita, & debitis obsequiis coluit, & dulci memoriâ, sanctisque vocibus, atque illius (quod caput est) virtutum imitatione percelebrauit, sempiternæ fœlicitatis vinum cum Christo in regno patris bibet, cælestis exultationis oleo perfundetur. Sicut enim Baptismum ritè suscipientibus, illa nota indelebilis inuritur, (character dicitur,) quo verè fideles Christi dignoscuntur; ita præter alia, illud velut stigma salutis æternæ gerunt impressum prædestinati; dulcem quemdam affectum erga Virginem Dei matrem, sedulumque ac pium obsequium illi per totam vitam, quam sine dubio in gratia Dei finali (vt de diuina pietate credere par est) ille fœliciter terminabit, qui prærogatiuam

Prædestinationis testimonium in nostra erga Virginem deuotione posuit etiam Bonau.

gatiuam deuotionis erga Virginem à Deo meruit obtinere. Idem Bonauentura in Spec. sic ad hanc scribit: *Qui dignè coluerit eam iustificabitur, qui autem neglexerit eam, morietur in peccatis suis.*

BONAV.

Adstipulantur huic veritati etiam dæmones.

BARON.

30. Adstipulantur huic veritati & ipsi dæmones. Scribit Cardin. Baronius ad an. Dom. 1213. num. 12. ex scriptoribus variis vitæ S. Dominici, quòd eodem sancto concionante & persuadente populo recitationem Rosarij, quidam sectæ Albigensis Hæreticus, non solùm hoc deuotum exercitium condemnauit, verùm & S. Dominicum variis impetiit calumniis, vnde factum est, vt nonnullos hæreticos, qui & hæresim abiurare & sacro beatæ Virginis seruitio, cultuique, se dedere cogitauerant, à sancto proposito retraxerit. Quamobrem Beata Virgo mater, quibusdam signis manifestare cupiés, quàm grata ista salutatio sibi esset, impetrauit vt iusto Dei iudicio, in multorũ dęmonum potestatem vir ille hęreticus veniret. Ab his, verum in modum obsessus fuit adeò, vt vestes suas omnes dentibus discerperet, aliisve modis insolitis rabiem suam ostenderet. Istud parentes eius & amici perspicientes, eum ad seruum Dei B. Dominicum deferre decreuerunt, deprecantes, vt quemadmodum à pluribus iam eiecerat dæmonia, ita eius quoque misereri dignaretur. Res admiratione dignissima. Nam in dæmoniaco isto corpore, voces quasi plurium personarum, inter se colloquentium audiebantur, misertus illius S. Dominicus, toto audiente populo, inquit: In nomine Sanctissimæ Trinitatis, atque beatissimæ Virginis Mariæ, cultusque ipsius, de quo iam verba feci, vobis, ô maligni Spiritus præcipio, vt quæstionibus à me vobis proponendis, corã omni populo dilucidè respondeatis. Inter alia verò ab iis quæsiuit: Quis esset sanctus in cęlo quẽ ipsi magis formidarent, & quẽ homines maximè glorificare, diligere & colere deberent? Cùm autem dæmones nulla ratione huic vellent respondere quæstioni, finita S. Dominici oratione, subitò apparuerunt plusquam centum Angeli, armis aureis succincti, inque eorum medio gloriosissima Virgo Mater, quæ virga aurea, quam manibus ferebat, Dæmoniacum percussit, iussitque vt vera enuntiaret, quæcumque Dominicus inquireret. Ibi dæmones exclamare cæperunt: O inimica nostra! ô nostra damnatrix! ô confusio nostra! Quare de cælo descendisti vt nos hîc torqueres? Nunc per te, quæ infernum euacuas, & pro peccatoribus tamquam potens aduocata intercedis, ô via cæli certissima & securissima, cogimur sine mora totam rei annuntiare veritatem. Nunc declarandum nobis est, simulque publicandum, ipsum medium, & modus, quo nosmetipsi confundemur. Vnde væ, & maledictio in æternum nostris tenebrarum principibus. Audite igitur vos Christiani. Hæc Christi mater potens est nimis in præseruandis suis seruis, quo minùs præcipites in barathrum inferni ruant. Illa est quæ dissipat vt sol tenebras, omnes nostras fallacias. Illa eneruat & ad nihilum redigit omnia nostra machinamenta. Fatemur coacti, neminem nobiscum damnari, qui in eius sancto cultu & pio obsequio deuotus perseuerat. Vnicum eius suspirium ab ipsa & per ipsam sanctissimæ Trinitati oblatum, superat & excedit omnium sanctorum preces; magisque eam reformidamus quàm omnes paradisi ciues, neque contra fideles eius seruos quidquam possumus præualere. Notum sit etiam vobis, plurimos Christianos, in hora mortis ipsam inuocantes contra iura saluari, nisique marietta ista obstitisset, nostrosque conatus repressisset, à longo iam tempore Ecclesiam exterminassemus. Nam sæpissimè vniuersæ Ecclesiæ status & ordines à fide seduxissemus, ampliùs etiam necessitate compulsi renuntiamus; nullum in sancto exercitio SS. Rosarij perseuerantem æternos inferni subire cruciatus. Ipsa enim deuotis seruis suis veram impetrat contritionem; qua ratione fit, vt & peccata sua confiteantur, & eorumdem indulgentiam à Domino consequantur. Dixerant ista dæmones. D. autem Dominicus singulos de populo hortatus est, vt clara voce & tractim rosarium beatissimæ Virginis recitarent. Recitabat & ipse maxima cum deuotione; & tunc, ô miraculum ingens, ad singulas salutationes angelicas multitudo copiosa dæmonum è corpore hæretici, in specie carbonum ardentium erumpebat. His ad eum modum transactis, Virgo & mater sanctissima suam populo impertiuit benedictionem, eaque disparente, homo ille à dæmonio liberatus occasionem hæreticis dedit, vt multi ex ipsis ad fidem conuersi hæresim abiurarint, studioseque sanctissimum rosarium recitantes, totos se cultui beatissimæ Deiparentis deuouerint.

Virgo defunctis cum reatu peccati mortis, procurat, pœnitentiam & animæ salutionem. Exemplum ex Antonio Boffin.

31. Quod amplius, etiam sibi deuotis Maria postquam è viuis discesserunt, cum reatu peccati mortalis atque adeò obnoxiis æternæ damnationi procurat, & pœnitentiam & animæ saluationem. Nam vt scribit Antonius Boffin. libr. 3. Hungar. decade 3. Anno 1415. Anno Domini circiter 1415. & tertio circiter post cladem ad Nicopolim Sigismundo Imperatore à Turcis acceptam, cum multi in eum campum descenderent, emissam inter ossa subinde vocem audierunt, Iesu Christi Saluatoris & Mariæ Virginis nomina intonantem; loquaxque inter cadauera caput inuentum; Quod vbi homines sibi adesse nouit, quid tam, inquit, stupidi hîc statis viri?

viri? Christianus ego sum & magnæ matri Diuæ Mariæ semper addictus inexpiatus,inconfessusque occubui. Maria mater me æterni supplicij reum esse non patitur. Hic me adhuc linguæ compotem seruauit, vt & delicta fateri, & animam sacris ritè apostolicis lustrare queam, proinde sacerdotem,qui confessionem exaudiat,& me expiatum reddat accersite quæso. Rogatus cur tantum à Virgine beneficium promeruisset? respondit sibi peculiarem in eam fuisse in vita deuotionem, & septena eius festa quotannis reuerendissimè celebrasse,religiosisque ieiuniis,pane dumtaxat & aquâ decorasse. Quare accersito è pago proximo sacerdote; confessionem ritè transegit. Et impetrata erratorum omnium remissione,acceptaque nouissima lustratione repente conticuit, perpetuoque quieuit. Præcedens miraculum cum duobus aliis eodem spectantibus refert etiam Antonius Spinellus de Virg. Deipara c.34. num.24.&c.

Quænam insignia conueniant Mariæ.

32. Vt meritò possint Virgini appropriari insignia de quibus Russell. libro primo. Aquila grandis, generosa, ad sui custodiam niduli, ad suorum protectionem pullorum vnguibus fulgur, & palmam gestans cum hoc titulo: *In opportunitate vtrumque*. Quæ optimo morali modo, validum gloriosissimæ Virginis Mariæ præsidium super nos indicare dicuntur. Eam piè perpendamus fulgur & palmam pro nobis etiam deferentem. Fulgur ad eiiciendum hostem antiquum & omnem malorum incursionem è nobis, atque præcipuè in extremo vitæ, prout ipsa B. Metildæ reuelarat dicens. *Ego omnibus qui mihi piè ac sanctè deseruiunt volo in morte fidelissimè tanquam mater adesse eosq; consolari ac protegere.* Palmam verò vt eosdem à Deo cælesti victoriâ decorari gloriosoque triumpho donari generosè faciat.

Post Christum spes salutis in Virgine collocanda, nobisque persuadere debemus quòd illius ope omnia euademus mundi pericula.

33. Quid iam restat quàm vt quilibet Christianus deuotè & piè Virginem colat, & in illam spem omnem salutis post Christum coniiciat, sibi persuadens quod Virginis ope cuncta euadet mundi pericula, & ipsa duce perueniet ad regna cælestia? Lucas Contilis, inter Acadæmicorum Affinatorum insignia, ea quoque descripsit:Labyrinthus summopere implicatus super quem erat magnum & perlucidum Astrum, his appositis verbis. *Hac duce egrediar*. Cuius quippe intellectus, non adiudicatur difficilis. At nostro in proposito dicatur: Labyrinthus, ad tutè egrediendum, difficillimus, est hoc sæculum. Sed intueamur, deprecemur supra stantem limpidissimam Maris, ac Labyrinthi huius stellam Virginem beatissimã, cuius ope,auxilio, luce, prosperus atque fælix erit nobis hinc exitus,dummodo piis ac deuotis eius. O verè fulgida & micans vbique locorum Stella,tantò super nos fulgore,splendore tuæ serenitatis & potentiæ fulgeas, vt hinc demum egrediamur tutè, eleuemur illæsi.

Magnum beneficium Virgini esse deuotum.

34. Ex superioribus facilè discis, quantum sit Dei beneficium Virgini esse addictum & deuotum: meritò omnis Virginis cultor exultans de beneficio isto & gratias agens Deo, vsurpare potest illa verba Dauidis Psalm. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Vbi Glossa: *Id est, inter sanctos, de quibus funibus dicitur Ioan. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Magnum certè magnique faciendum, & super aurum & lapidem pretiosum æstimandum est, quod sors,funis aut mansio in vera cuiusque sancti cum Christo regnantis alicui deuotione contingat. Dicere enim poterit alacriter: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Sed quantò maius & excellentius illi, qui Deiparæ, fæliciori sorte, deuotione affecti sunt,donum à Deo accipiunt incomparabile. Quid enim reliqui Sancti ad Virginem comparati? Non solùm Virginis cultores canere possunt. *Funes ceciderunt mihi in præclaris,* sed grato adiicere animo: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi, benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum, insuper & vsque ad noctem.* Psalm. 15. vbi Glossa interlinearis & ordina. *Id est vsque ad mortem, & mundi finem benedicam.*

Signum reprobationis erga Virginem nulla deuotio.

§. XI.

Signum reprobationis erga Virginem nulla deuotio.

35. Sicut autem erga Virginem deuotio,signum est prædestinationis,ita etiam erga Virginem,nulla deuotio, nulla affectio, signum est non leue reprobationis.

36. Legimus Prouerb. cap. 8. *Audite disciplinam,& estote sapientes, & nolite abiicere eam.* Quæ hoc capite dicuntur in genere de sapientia, adaptari solent ab Ecclesia, sacratissimæ Virgini; quasi dicat: Doctrinam quam ego virtutum omnium exemplo, vobis trado, hanc accipite si sapere vultis, nullum enim fidelius, & certius exemplar post Christum hominibus propositum est,ad omnem disciplinam, quàm Virgo sanctissima. *Et nolite abiicere eam.* Septuaginta legunt: *Ne obturemini.* Quasi dicat Virgo: Me colite, mihi studete, aliter enim omnino obturabimini. Sanè, ait Salazar in hunc locum, natura corpora viuentium poris constare iussit, hoc est, exiguis, per omnem partem, meatibus, qui multiplicem habent vsum. Nam primò

Qui non colit Virginem planè obturatur.

Quid beneficij pori corporibus conferant.

per exiguos illos meatus corpora exsudant & exspirant, si quid nociui humoris contraxerunt intus. Secundò, pori deseruiunt corpori ad nutritionem, vt alimentum singulis partibus applicetur: vnde vegetari, & innutriri possunt. Tertiò, vt spiritus à capite per omne corpus regantur, quibus interruptis accidunt apoplectici morbi. Quartò, vt si quid salubre exteriùs accedit, vtpote medicamenta & alia huiusmodi ad internas partes peruadere possint. Quintò denique auctore Galeno ideo natura corpora nostra tot meatibus peruia effinxit, vt sanguis ventilaretur, atque moueretur in venis, ne si stagnaret, atque immotus hæreret, citiùs corrumperetur. Vis iam scire quid accidat illis qui non colunt Virginem, qui Virginis non sunt studiosi? Non est illis copia exspirandi, & exsudandi vitia, & prauos affectus, qui velut graui humores necem animi moliuntur. Secundò, spirituale alimentum haud poterit per singulas partes, id est, potentias distribui: per intellectum, memoriam, voluntatem, & cæteras animi facultates. Tertiò, interruptis vel obstructis spiritibus vitalibus, id est, sanctis inspirationibus, sine quibus spiritalis vita duci non potest, accidit apoplexis mystica, animo intermoriente per culpam, sine vlla spe futuræ resipiscentiæ: sicut euenit apoplecticis. Quartò, Conciones, monita salubria, correptiones, & si quod est aliud medicamentum spirituale ex his, quæ exteriùs adhibentur, ad intimum animum vim suam nequaquam inducant. Denique sanguis, qui cum in iecore & corde elaberetur, honestos affectus, & æqui bonique desideria significat, non ventilatur, non cietur, atque mouetur, vnde fit vt stagnans quodammodo, & immotus citiùs corrumpatur. Hinc malignæ febres, hinc immedicabiles, morbi, quos corruptis, aut deficientibus voluntatis promptæ studiis, atque bonis animi propositis euenire necesse est. Ecce in quot mala ruunt qui Virginis non sunt studiosi, & quot priuentur bonis, qui illi minimè sunt addicti. Sanè corpori sunt similes, cuius omnes pori & meatus sunt obstructi.

Galeno.

Quid accidat illis qui non colunt Virginem.

37. Legimus Prouerbior. cap. 8. de Sapientia. *Qui autem in me peccauerit lædet animam suam.* Hebraicè. *Et peccans in me iniurius est animæ suæ.* Pagninus. *Spoliat animam suam.* Caietanus. *Torquebit animam suam.* Chaldæus. *Disperdet animam suam.* Septuaginta, *impiè agunt in suas ipsorum animas.* Quæ verba quamuis de sapientia dicantur, nihilominus etiam virgini rectè accommodantur. Quæ & ipsa, sapientia, imò & speculum sapientiæ dici potest. Quem putas peccare in Virginem? an eum dumtaxat qui hæreticorum more Virginem blasphemat, & prauis dogmatibus de illius gloria & honore aliquid detrahit? Absit. Sed etiam illi qui ipsius opem assiduò non implorant. Verba sunt Diui Bonauenturæ in spec. *Non solùm in te peccant, ô Domina, qui tibi iniuriam irrogant, sed etiam qui te non rogant.* In hos accomodatè cadit illud, ait Salazar in hunc locum: *Qui autem in me peccauerit lædet animam suam.* Quia illud mihi exploratum est, illum qui Virginis opem & auxilium sibi adesse non petit, haud posse longo tempore lethalis culpæ vulnus effugere. Ratio est in promptu, quia inermis procedit, atque adeò animum gerit vulneribus expositum, ita docuit D. Bonauentura loco suprà citato. *Is qui te non implorat*, inquit, *inermis cunctis hostium suorum vulneribus patet.* Sed quid mirum, cùm ipsa sit turris illa Dauidica, ex qua pendet omnis armatura fortium? omnis, inquam, armatura, quia alibi arma contra vitia, & tentationes induere non licet, nisi in hac turri, id est, in virginis suffragio: atque fortissimi illi quotquot longo tempore, aut etiam tota vita læthale vulnus non acceperunt hinc obarmati & catafracti prodierunt. Deinde qui Virginem Mariam, supplex non orat, *Torquebit animam suam*, id est, conscientiam, vt exponit Caietanus. Quasi dicat: non effugiet conscientiæ quæstiones & tormenta. Cùm enim ex defectu virgineæ opis quam non implorat, necesse sit eum in multa cadere peccata; sic consequenter cadat necesse est, in varia conscientiæ tormenta.

Qui peccat in Virginem lædit animam suam.

Bonav. Peccat in Virginem qui illius opem continuò non implorat.

Salaz.

38. Quod amplius. Qui in Virginem peccat, illius non exposcens opem etiam, *spoliat animam suam.* Imprimis, quantum ex se est bonis illis omnibus gratiæ quæ Virgo cultoribus suis solet conferre tanquam post Christum, (qui primum principium,) secundarium principium gratiæ. Est enim beatissima Deipara Maria, quæ à primo principio, Christo Domino, habet gratiam communicatam tanquam thesauraria ad omnes effectus gratiæ, qui in præsenti vita producuntur. Christus Dominus caput est, Maria collum. Christus Dominus fons est, Maria aquæductus, vt docet Diuus Bernardus super Missus est, & sermone de Natiuit. Mariæ, in hæc verba: *Virgo Maria data est mundo, quasi aquaductus, per quem gratiæ à Deo descendant, iuxta Eccli. 24. Sicut aquæductus exiui è paradiso, & propterea tanto tempore fluenta gratiæ defuerunt, quia nondum intercesserat aquaductus. Ipsa est collum, caput Ecclesiæ Christum corpori eius coniungens. Qui ipsi collo per amorem non adhæret, non adhærebit capiti, sicut nec corpus adhæret capiti, collo amoto. Collum tuum sicut turris eburnea*, Cantic. 6. *Est ergo Beata*

Qui Virginis non exposcit opē spoliat animam suam.

Bern.

Virgo collum caput Ecclesiæ Christum corpori coniungens.

go Beata Maria collum quantum ad mediationem, & turris quantum ad defensionem. Et Diuus Bernardinus Senensis sermone de Natiuit. Mariæ: *Christus in Ecclesia est tanquam fons gratia; Beata autem Virgo vt aquaductus, reliqui verò sancti vt riuili, ergo in Christo, vt in fonte congregantur omnes gradus gratia, qui tam ad aquaductum, quàm ad riuulos fluunt. In Virgine verò vt in aquaductu congregantur omnes, qui ad riuulos deriuantur. Hoc enim modo & in toto corpore Ecclesia est optima proportio, & inter Christum & Virginem, conueniens similitudo & coniunctio.* Et idem Diuus Bernardinus Senensis fusiùs sermone 3. de glorioso nomine Mariæ articulo 3. cap. 2. col. 1. titulo 3. ait in hæc verba: *Nulla gratia venit de cælo ad terram, nisi transeat per manus Maria, hinc Diuus Hieronymus sermone de Assumptione ait: Cateris virginibus per partes præstatur gratia, Maria verò se totam infudit gratia plenitudo, qua fuit in Christo, quamquam aliter & aliter, quia in Christo fuit plenitudo gratia tanquam in homine personaliter definito, in Maria verò vt in templo singulariter consecrato. Vel aliter in Christo fuit plenitudo gratia sicut in capite fluente, in Maria verò sicut in collo transfundente. Et ideo Salomon de Virgine ad Christum, inquit, Canticorum 7. Collum tuum sicut turris eburnea. Nam sicut per collum spiritus vitales à capite diffunduntur per corpus, sic per Virginem à capite Christo vitales gratia in eius mysticum corpus continuè transfunduntur.* Et statim subinfert. *Vnde iste est Hierarchicus ordo & defluxus cælestium gratiarum, vt priùs à Deo defluat in Christi animam benedictam, quia vt dicitur Iacob. 1. Omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum; deinde defluat in animam Virginis, deinde in Seraphim, deinde in Cherubim, & sic successiuè in alios ordines Angelorum atque sanctorum; demum in Ecclesiam militantem, & maximè in amicos Dei & Virginis gloriosa.* Sic ille. Vides quot bonis gratiæ spoliet animam suam, qui Virgineam non implorat opem, qui in illius cultu torpentem se & frigidum exhibet.

Christus fons, Maria aquæductus.

Bernardinus Sen.

39. O vtinam Christiani perpendant illa Diui Germani Constantinopol. verba in encomio de Virginis Zona. *Nullus est qui saluus fiat nisi per te. Nullus est qui liberetur à malis nisi per te, ô piissima! ô purissima. Nemo est cui donum concedatur, nisi per te, ô castissima. Non dubium quin Virgini essent deuoti, quin sedulò illius implorarent opem.*

Nullus fit saluus nisi per Mariã. Germanus.

40. Deinde etiam ipsis iam acquisitis & habitis bonis, se spoliat qui Virginis opem nequaquam implorat, quia sine Virginis ope illa nequaquam tueri potest.

Habitis bonis se spoliat, qui Virginem nequaquam implorat.

41. Postremò, qui in virginem peccat non inuocans illam, *iniurius est anima sua*, id est, dehonestat illam, & velut rationis expertem quodammodo ad belluinam conditionem demittit. Nihil hominem degenerem magis reddit & brutis parem, quàm libido & intemperantia. Existimo autem nullum prorsus castum & temperatum esse posse nisi Mariæ patrocinio vtatur, atque illam cultu siue obsequio sibi diuinciat. Vnde D. Bonauentura in speculo, cùm meminisset illius sententiæ apud Ecclesiastem: *Cognoui quòd nemo possit esse continens, nisi Deus det,* sic ad Virginem inuertit: *Cognoui, quòd nemo possit esse pudicus, nisi dante Deo, & Maria interueniente. Denique iniurius est anima sua,* sic accipi potest, vt significet eum qui Virginis opem non obsecrat, iniustitiam animæ suæ præstare, adeò vt si fieri possit, anima illum coram Deo in ius vocaret ac litem intenderet, quòd ipsam innumeris bonis orbasset, quæ perciperet, si Virginem assiduò implorando sibi beneuolam reddidisset.

Qui Virginem non inuocat iniurius est animæ suæ.

Bonav.

42. Qui Virginis caret patrocinio, quàm facilè in peccatum, & postea in gehennam labatur, vel inde patet, quòd Virgo passim terræ comparetur. Cur quæso? Quia Maria peccatores sustentat, ne in infernum cadant, quòd si terra hæc peccatoribus sese subtrahat, & nisi Maria peccatores suo patrocinio iuuet, labuntur in peccatum, labuntur in infernum, & quod factum est in Core, Dathan & Abyron, idem illis accidit. Audi Richardum libro octauo de laudibus Virginis in hæc verba. *Maria terra: quia nobis interponitur & abysso, quâ subtractâ, sicut Core, Dathan, & Abyron, statim descendimus in infernum viuentes: sic subtracto nobis adiutorio Maria, statim labimur in peccatum & inde in infernum.*

Qui Virginis caret patrocinio facilè in peccatum labitur & in gehennam.

Maria terra peccatores sustentans.

43. Quamdiu puluis hæret terræ, non proiicit eum ventus à facie terræ, dum verò à terra separatur, mox à vento abripitur, & dispergitur, similiter benedictæ illi terræ, de qua vates Psalm. 84. *Benedixisti Domine terram tuam*, quicumque non inhærent, instabiles omnino sunt, vt miseri à vento reprobationis in gehennam abripiantur, prius, tanquam puluis, à facie huius terræ benedictæ proiiciuntur. Certè vnum ex quotidianis & clarissimis reprobationis æternæ indiciis est, alienari à Virgine Dei matre; illius nomen, & studium, & honorem & pietatem de ore, de corde, penitus abolere. O miseri qui puluis estis terræ; Terræ isti benedictæ inhærete, vt in lapidum firmitatem, de quibus sit construendum cæleste sanctuarium, commutemini: Nec iste puluis, proiiciatur in gehennam, dum terræ isti adhæret; Priùs à facie terræ proiectus

Vt puluis dispersus à facie terræ, talis peccator qui non sustentatur à virgine.

iectus, subinde tandem deuoluitur in gehennam. Tota quidem post Christi Domini merita, iustorum firmitas & fortitudo, in matre Dei Virgine sita est. *Opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Canit regius vates Psalm. 18. & Genes. 1. *dixit Deus: fiat firmamentum.* Ad quæ verba sic Diuus Bernardus sermone tertio super Salue Regina. *Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina* &c.

In magnis degit tenebris qui Virginem non colit. BERN.

44. Quis referat in quantis degant tenebris qui Virginem non colunt, quibusque se subtraxerit Virgo? *Sine Maria*, ait Bernard. sermone in Natiuit. *quid nisi caligo inuoluens & vmbra mortis est vita nostra*, & proinde de tenebris huius vitæ, facilè ruunt in tenebras inferni.

Quietem confert Virgo cultoribus suis, eos refrigerat, seruientibus sibi seruit, turrem illis exhibet seipsam.

§. XII.

Quiete maxima cumulat cultores suos Virgo.

Habet cultores eius Virginem pro centro. SALAZ.

45. Vigesimosecundò, quiete maximâ cumulat sibi deuotos Virgo Maria, ita vt non inconuenienter dici possit centrum, sicut enim in centro res quiescunt, conseruantur, & vniuntur. Ita qui Virginem diligunt impensiùs, Virginem pro centro habent, atque adeò erga illos, seruat omnes centri conditiones vt hisce verbis demonstrat Salazar Prouerbiorum cap. 8. vers. 26. m. 337. Nam primò illos maximâ quadam animi quiete donat. Est enim valde proprius beneuolentiæ & studij erga Virginem effectus, sedare animam & pacatam reddere conscientiam. Vnde non immeritò, *pacis fontem*, eam appellandam duxit Anselmus & de semetipsa Cantic. 8. ait: *facta sum coram ipso quasi pacem reperiens.* scilicet mihi & aliis. Secundò, conseruat illos centri in morem. Ita enim experiuntur quotquot Virgini student se in gratia Dei, & honesta vita diutiùs perseuerare. Tertiò denique colligit atque vnit arctiùs. Hinc manarunt tot congregationes & sodalitates virgini sanctissimæ, vbique consecratæ. Nam cùm Virgo centrum sit animarum, illis, qui sese speciali beneuolentia manciparunt statim illos vnit ac fœdere arctissimo sociat.

46. Vigesimotertiò, refrigerat Maria cultores suos. Imprimis, laborantium est refrigerium, vnde sic monet, imò vrget omnes D. Bonauentura in Psalterio, vt ad Virginem accurrant pro laborum refrigerio. *Venite ad eam* (Virginem) *qui laboratis & tribulati estis, & dabit refrigerium animabus vestris.* Nullus tam magnus labor, qui per Virginem leuis non fiat, nullus tam vehemens operanti æstus, qui in Maria solamen non inueniat ac refrigerium. Vide latiùs hac de re Nouarrinum lib. 4. sacrorum elect. siue in vmbra virginea excursu 76. num. 718. & seq. Secundo instar nubis, refrigerat æstum concupiscentiæ cultoribus suis Virgo. *Nubes est* (de qua loquitur Propheta Isaias c. 18.) *roris in die messis*, de Christo Domino imprimis intelligit S. Hieronymus. *Quomodo nubes roris in die messis & in feruenti æstate gratissima est, sic Dominus habitatores Ecclesiæ suæ refrigerat, quo præsente cuncta florescunt.* Quod quidem de filio imprimis dictum, iure optimo de Matre quoque Virgine intelligitur. Cùm enim diuina iustitia mortalium genus, infinitis propemodum & grauissimis offensa criminibus, ardere quodammodo, suæque vindictæ ignita fulmina, quibus peccatores conflagrarent, comminari videatur, opponit se hæc nubes roris, ardentiaque Dei tela suo rore temperat: roremque deinde suum superesfundens, æstuantem in membris nostris vitiosarum illecebrarum concupiscentiam extinguit. Vnde sic Virginem alloquitur Ioannes Damascenus oratione de Assumpt. *Igitur tu, bona Domina boniq; verbi parens, vtinam nos inspicias ac res nostras arbitrio tuo regas ac modereris, fœdissimarumq; nostrarum affectionum impetum comprimas fluctusq; compescas, atque ad tranquillum diuinæ voluntatis portum dirigas.* Sanè nihil aptius est ad externorum membrorum æstum refrigerandum & libidinem extinguendam, quàm Mariæ inuocatio & suffragia: Vnde Bonauent. in Psalt. sic Virginem deprecatur: *Cingulo castitatis præcinge renes meos, & extingue ardorem membrorum meorum:* Et infrà: *Illuminationem Spiritus sancti per te suscipiam, & refrigerium contra cupiditatis æstum.* De Virginis refrigerio vide Nauarrinum loco citat. excursu 77. Refrigerat & obumbrat cultores suos aduersus diuinæ iracundiæ & iustitiæ æstum. Hinc illud S. Bonauenturæ in Psalt. *Domina ne in furore Dei finas corripi me, neque in ira eius iudicari.* Et illud Richardi lib. 12. *Sicut pia mater abscondit filium suum sub pallio quando Pater vult verberare, sic Maria refugientes ad se, Christi iustitiam formidantes.*

Refrigerat Virgo cultores suos.

In laboribus.

NOVAR.

Refrigerat instar nubis æstum concupiscentiæ.

DAMASC.

Mariæ inuocatio aptissima ad æstum membrorum refrigerandum.

BONAV.

47. Vigesimoquartò, seruientibus sibi, seruit. Pulchrum huius rei exemplum reperimus apud Baronium tomo 13. ad annum Domini 1213. numer. 10. vbi sic scribit.

Virgo seruientibus sibi seruit. Probatur exemplo ex Baronio.

bit. *Matrona quædam Lucia nomine, cùm genere ştum pietate nobilis, patria suæ Hispaniæ erepta ab infidelibus, in Africam trahebatur. Hic indignis ministerijs (nullâ habita iam fœcundi vteri ratione) obruebatur, ita vt inter iumentorum stercora, squallens parturiret. Quid faceret? ad Rosarium Virginis, iam olim sibi familiare confugit, & ecce, quæ numquam suis deest adiutrix, etiam huic prægnanti obstetrix adesse dignata est, excepit puerum, fouit, Christus sacrâ indutus infulâ eundem baptizauit. Post dierum pauxillum Angelus eam ad debitam mundationem inuitauit: ad Ecclesiam ignotam deduxit comitibus D. Anna & Magdalena, ipsa etiam Deipara præsente, vbi Christum Missæ officium peragentem ipsum illum qui se porrigit suscepit, & paulò pòst se & sibi & patriæ restitutam vidit.*

Turrem se exhibet Virgo cultoribus suis.

48. Vigesimoquintò. Turrem se exhibet Virgo cultoribus suis præfigurata namque est in turre: illa Dauidica, quæ ædificata est cum propugnaculis ex quâ pendent mille clypei, & omnis armatura fortium, & in turri illa Dauidica, de qua Cantic. 7. quæ respicit contra Damascum. De Dei nomine ait Salomon Prouerb. 18. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur*, vel vt alia lectio habet, *ad ipsum currit iustus & saluabitur*, id est, nomen Dei, ad instar est turris fortissimæ, ac quoties inuocatur, hominem munit, tegit, ac obumbrat. Quod de Dei nomine dicitur, idem suo modo, & de Mariæ nomine, dici potest. Domini nomen in Dominam verte, & idem de Maria cense, nam turris fortissima Mariæ nomen est, ad ipsam si currat iustus saluabitur, & exaltabitur. Parum istuc, non iustus tantùm accurrat, sed peccator quoque, & iniustus, peccati relinquendi desiderium secum deferat, & salutem robur ac munimen apud Mariam inueniet. Nobis in hac re succinit Richard. à S. Laurent. qui lib. 11. de laudibus Virg. ita scribit: *Turris fortissima nomen Dominæ, ad ipsam fugiet peccator & liberabitur, hæc defendit quoslibet & quantumlibet peccatores.* Fusiùs hoc idem habet lib. 2. cap. 2. in hæc verba: *Recordare, quod turris fortissima nomen Dominæ nostræ, ad ipsam confugiet peccator in tentatione & etiam qui peccauit, & saluabitur. Dicit etiam Salomon qui parum nouerat de Maria Prouerb. cap. 18. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus & saluabitur. Nobis autem dicendum est: Turris fortissima nomen Dominæ? ad ipsam confugiet peccator & saluabitur.* Turris fortissima est nomen Domini, est & nomen Dominæ, quò propiùs accedis, eò sublimiùs, excelsiusque tibi videbitur sicut in turri accidit.

Turris fortissima nomen Mariæ.

Voluptates seruis suis amaras reddit Virgo, vitam eis confert, & zelo, id est, amore ardenti eos prosequitur.

§. XIII.

Virgo amaras reddit voluptates seruis suis.

49. VIgesimosextò. Voluptates in abominationes vertit Virgo cultoribus suis, quo nomine Virgæ Mosaicæ meritò comparatur. Nam sicut Mosis virgâ, aquæ fluminis in sanguinem versæ sunt Exod. c. 7. ita & Virgo mundanarum illecebrarum, aquas suis precibus in sanguinem vertit, & omnia luxus flumina in abominationem. Audiendus hîc Richardus à S. Laur. qui lib. 12. de laud. Virg. ita scribit: *Maria est virga Moysis. Virgâ percussit Moyses aquam fluminis; coram Pharaone & seruis eius, & versa est aqua in sanguinem; & pisces qui erant in flumine mortui sunt. Similiter & Maria precibus suis, meritis, & exemplis, conuersis peccatoribus, & maximè dilectoribus suis, mundanas & carnales delectationes, quæ citò præterfluunt, vt aqua, conuertit in abominationem & amaritudinem.* Nulla terrena voluptas tam suauis, quæ Mariæ cultori amara non videatur; nulla tam mellea, quæ per Virginem fellea non sentiatur.

RICHAR. A S. LAVR.

Vitam confert Virgo cultoribus suis.

50. Vigesimoseptimò. Vitam confert Virgo cultoribus, tam vitam animæ, quàm corporis, iuxta illud Prouerb. cap. 8. *Qui me inueneris, inueniet vitam.* Pro vita animæ obtinenda vult D. Bonauentura in speculo, eodem modo nos ipsam affari, sicut Abraham Saram vxorem suam allocutus est Genes. 12. *Dic obsecro quod soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. Virgo Maria* (ait Bonauentura) *ô Sara nostra, dic obsecro, quòd soror nostra sis, vt propter te, bene nobis sit à Deo, & ob gratiam tui viuant animæ nostræ in Deo. Dic, inquam, charissima Sara nostra, quòd sis soror nostra, vt propter talem sororem, Ægyptij, id est, dæmones, nos revereantur, vt etiam propter talem sororem Angeli nobis coniungantur, vt insuper propter talem sororem, Pater & Filius & Spiritus sanctus nostri misereantur.*

BONAV.

Virgo in se considerata nihil nisi vita.

51. Deinde ipsa Virgo in se considerata, quid nisi vita, quæ simul inuenta Virgine, inuenitur. Quâ mẽte sic Virginem alloquitur D. Bernardus in meditatione deuotissima super Salue. *O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis! ô vita quæ nutris tuos cælestibus alimentis! qui vult te habere se affligat, delitias respuat, delicata quæque contemnat,*

BERN.

& qui amplius mortificatus fuerit, te amplius possidebat. Non enim habitat Virgo in terrâ suauiter viuentium.

Vitam tribuit corporalem. BVSTVS.

52. Vitam etiam tribuit corporalem, vt affirmat D. Anselmus apud Busto part. 1. serm. 8. hisce verbis: *Quia Virgo gloriosa in suâ conceptione est singulariter à Deo honorata, ideò eiusdem Conceptionis suæ deuotos cultores ipsa honorat.* iuxta illud 1. Reg. 2. *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum. Celebratoribus huius festiuitatis datur à filio Virginis Domino nostro Iesu Christo pax & longa salus.* Naturalis vitæ diuturnitatem à Virgine precibus impetrandam esse docet S. Bonauentura in Psalt. Virg. qui talem ad Virginem fudit orationem. *Vitam, & naturalia bona conserua in nobis, & bona spiritualia per te multiplicentur.*

Zelo magno prosequitur Virgo cultores suos. PETRVS DAM.

53. Vigesimo-octauò. Zelo, id est, amore magno prosequitur Virgo suos cultores. De quo eleganter Petrus Dam. in serm. 1. de Natiu. *Scio*, inquit, *Domina, quia benignissima, & amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te filius tuus summa dilectione dilexit.* Et hactenus dicta sufficiant, de fructibus præcocibus huius vitæ, quos Virgo profert cultoribus suis, tanquam fœcundissima ficus.

De quibusdam fructibus quos Virgo cultoribus in alia vita confert.

§. XIV.

Præseruat Virgo in altera vita cultores suos à purgatorio.

54. PRofert etiam Virgo fructus temporaneos, cultoribus suis in alterâ vitâ, imprimis, Animas deuotorum sibi facit in cælum rectà euolare, & immunes eas reddit à purgatorij flammis. De beato Godefrido legitur in libro de gestis virorum illustrium solitudinis Villaciensis, quendam monachum illi dixisse: *Recordare quòd olim, cùm esses iunior, gloriosa Virgo Maria, per me tibi nunciabat, dicens: Frater abundè dic fratri Godefrido, vt proficiat de virtute in virtutem, sic erit filij mei & meus monachus, & cùm migrauerit anima eius à corpore non dimittam eam ire in purgatorium, sed suscipiam eam & offeram filio meo.*

Sic contingat eos tradi purgatorio, insigniter illis subuenit & cum illis ambulat in fluctibus maris.

55. Si autem contingat cultores Virginis tradi flammis purgatorij, eos visitat, atque insigniter subuenit illorum necessitatibus. Vnde S. Bernardinus accommodans Virgini verba illa Eccli. c. 24. *In fluctibus maris ambulaui*, sic scribit serm. 3. de glorioso nomine Mariæ: *Beata Virgo in regno purgatorij dominium tenet, propterea*, inquit, *in fluctibus maris ambulaui. Pœna siquidem purgatorij ideò dicitur fluctus, quia transitoria est: sed additur, maris, quia nimirum est amara. Ab his tormentis liberat beata Virgo, maximè deuotos suos, & hoc est quod ait: & in fluctibus maris ambulaui, scilicet visitans & subueniens necessitatibus & tormentis deuotorum suorum. Imò & omnium qui ibi existunt, quia filij sunt, cùm sint filij gratiæ.* Vide hac de re pulcherrimum exemplum apud S. Birgittam lib. 6. reuel. c. 39. quod etiam refertur à P. Elia tom. 2. de purgat. l. 3. cap. 4. in fine. P. ELIAS.

Cultores suos post mortem afficit Virgo magno honore.

56. Quâ ratione Virgo sibi in vitâ addictos, post mortem honore afficiat, & membra eorum quæ impenderunt illius cultui, præsertim ora quibus vel Mariæ nomen deuotè pronunciarunt, vel prolata Angelica salutatione, eam honorarunt, varia testantur exempla, de quibus vide Antonium Spinellum de B. Virgine c. 4. nu. 14. Et Nouarinum lib. 4. sacr. elect. siue in vmbra Virginea nu. marg. 281. & num. marg. 1338. & seq.

57. Si ante communem resurrectionem membra seruorum suorum tali cumulat honore ob leue præstitum obsequium, quid sentiendum de gloria quâ donantur animæ in cælis ob cultum & honorem exhibitum Virgini? certè eximia illa prorsus est & singularis. Vnde legimus apud S. Gertrudem in Reuelat. lib. 4. c. 49. quòd illa rogante Christum & inquirente, quem profectum haberet S. Ioannes Euangelista ex obsequijs Virgini in hac vitâ præstitis? Responderit Christus. *Quasi tot gradibus affectuum cor meum, ipsi est dulcius acclinatum, quot obsequijs matris meæ virtutibus ipsius solicitudinem sensi affuisse.*

Eximia gloria donabuntur in futurâ vitâ. GERTRVDIS.

Qualiter quispiam dignè & laudabiliter Virginem colat.

SECTIO XXXI.

IN præcedentibus, vidimus, quàm multiplices fructus Virgo tanquam fructuosissima ficus, proferat cultoribus suis. Examinandum restat antequam huic materiæ, finem imponamus, quâ ratione quibusque officijs quispiam comprobet, se legitimum Virginis esse cultorem, se Virgini verè esse deuotum & addictum.

Virginem laudabiliter colit qui eam sæpè deuotè salutat & ad prolationem nominis eius se inclinat. NOVAR.

1. Imprimis id agit, si sæpiùs sacratissimam Virginem salutet, quàm potest fieri, maxima cum deuotione, & reuerentia, recitans, & illi offerens Angelicam salutationem, ad prolationem Nominis Mariæ sese humiliter inclinans, de quo vide Nouar. in vmbra Virginea lib. 4. c. 31. nu. marg. 1122. & seq. Quemadmodum & ad illa verba, *Dominus tecum.* Qua de re accipe nobilem, & piam historiam, quæ hisce verbis refertur in Pomerio B. Virginis

parte

parte 4.art.3.c.4. Serua quædam pia beatæ Virginis, vehementer optabat scire quodnam in salutatione Angelica verbum, eidem Virgini, gratius ac dulcius esset. Apparens aliquando deprecanti seruæ, Regina mundi, respondit, gratissima omnium, ac suauissima verba sibi esse ista (*Dominus tecum.*) Commendauit insuper, inquiens, ô charissima famula, mando tibi vt quotiescumque recitabis, *Aue Maria*, cùm perueneris ad illa verba (*Dominus tecum*) planè & morosè ista verba proferas; & ibi cordis & corporis genua ac ceruicem flectere studeas, sciens quòd tantum gaudium meo cordi sic facies pro tua deuotione accumulans per verba præmissa, quòd quasi iteratò conciperem filium meum Iesum.

Illa verba: *Dominus tecum*, morosè pronuntianda.

2. Illa verba: *Benedicta tu in mulieribus*, proferri debent, per modum cõgratulationis Virgini factæ, ob eam quam super omnes mulieres & homines & Angelos consecuta est, à Deo exaltationem. Quæ congratulatio quàm Virgini grata patet ex eo quòd contigit ea de causa animæ Caroli filij B. Birgittæ vt in ipsius legimus reuelationibus lib.7.cap.13. Quo loco sic Virgo loquitur: *Dum hæc anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, reuoluens hoc sæpiùs in corde suo, quòd me Deus suam matrem dignatus fuit facere, & quòd super omnia creata me sublimiter voluit exaltare, & ex hoc tantâ charitate cœpit Deum diligere, quòd in corde suo dicebat in tantum ego gaudeo quòd Deus Virginem Mariam matrem suam habet super omnia charissimam, quòd nulla creatura vel corporalis delectatio est in mundo, quam ego in permutationem illius gaudij reciperem, immò illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem: & si possibile esset quòd ipsa in vno puncto minimo à dignitate in quâ est, à Deo remotior fieri posset: ego magis mihi in permutationem eligerem in profundo inferni æternaliter cruciari: & idcircò sit ipsi Deo pro benedicta gratia illa & immensa gloria, quam dedit suæ matri dignissimæ, infinita gratiarum actio & gloria sempiterna. Ergo ô diabole vide modò cum quali voluntate iste obijt: Quid itaque tibi videtur: vtrum magis iustum erat quòd anima eius in meam veniret defensionem ante iudicium Dei, an in tuas manus impiè crucianda? Resp. Diabolus, non est mei iuris, quod illa anima in meas manus veniret quæ te diligit plusquam se antequam iudicium factum sit.* Hæc ibi. Vides ob hanc congratulationem, & erga Virginem deuotionem animam Caroli è Dæmonum manibus ereptam fuisse. Quàm Angelica salutatio hæc Virgini accepta, patet ex miraculis suprà indicatis hac enarr. sect.30.§.13.num.56.

Illa verba: *Benedicta tu*, debent proferri per modũ congratulationis.

Birgitta.

3. Secundò, Id præstat si summo honore, deuotione ac benedictione prosequatur quæcumq; ad Virginem spectãt & ad eam aliquo modo referuntur. Benedicendus à nobis venter Virginis & vbera Virginis, illius piæ mulieris exemplo Lucæ 11. *Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti*, nec ventrem dumtaxat & vbera Virginis benedicere debemus, sed & singula eius membra quod gratissimum Virgini erit obsequium. Religio hîc esset Richardi verba præterire, quæ lib.2.de laud. Virg.p.5.rem his verbis habet: *Benedicenda sunt quotidie singula membra eius, vt in singulis membris nostris benedictionem reportemus ab ea. Item benedicendi sunt pedes, quibus Dominum portauit; venter in quo portauit; cor vnde in eum fortiter credidit & feruenter eum dilexit; vbera quibus lactauit; manus quibus nutriuit, os & lingua quibus ei dedit fœlicia oscula nostræ redemptionis; nares quibus sensit suaueolentem fragrantiam humanitatis eius; aures quibus dulcia eius eloquia delectabiliter auscultauit; Oculi quibus ipsum deuotè respexit. Nullus hoc Mariæ obsequium non deferat vt eius gratiam ineat.* Sed istud adhuc explicatiùs idem Auctor habet; docetque quid ad singulas membrorum salutationes præstandum sit; eius verba subijciam vt pius cultor habeat, vnde Virginis membra ritè salutet & benedicat: Sic igitur ille pergit: *Salutanda sunt & benedicenda, cum omni deuotione hæc sanctissima eius membra, ita vt singulis dicantur singulæ salutationes, scilicet Aue Maria, duæ ad pedes, vna ad vterum, vna ad cor, duæ ad vbera, duæ ad manus, duæ ad os & linguam, duæ ad labia, duæ ad nares, duæ ad aures, duæ ad oculos, duæ ad animam & corpus. Et sic in vniuerso sunt viginti salutationes, quæ in modum petionis quotidianæ cum singulis, & totidem genu flexionibus, si fieri potest, coram imagine sua vel Altari persoluendæ sunt Virgini gloriosæ. Præiuit nos in hac Virginea laude & benedictione ipse Christus, septem sunt quæ in Virgine summa laude prosequitur, capillos, dentes, labia, genas, oculos, collum & vbera.*

Benedictione prosequenda omnia quæ ad Virginem spectant.

4. Tertiò, Si Virginem vnicè diligat. Si in omnibus occurrentibus difficultatibus, post Christum, spem & fiduciam in Virgine collocatam habeat, sese totaliter resignans Virgineæ dispositioni, siue annuat, siue abnuat petitioni ac desiderio nostro, illi adscribendo fœlicem nostrarum rerum successum dicens quod (vt tradit Surius tomo 7.) dictitabat D. Bernardinus: *Captus sum amore beatissimæ Virginis & Matris Dei Mariæ, quam semper amaui, in quâ post Deum omnes meæ spes collocatæ sunt, illam vnicè diligo, illam inquiro, illam videre concupisco, hæc est amica illa mea, & spes mea piissima Virgo.* Legimus de S. Ioanne Ioan.cap.19. quod vbi à Christo è cruce pendente, audiuit: *Ecce mater tua*, charitate filij erga tantam parentem accensus, *ex illa hora*, hoc est, omni cunctatione abiecta continuò, *accepit illam in suã*, id est, in propriã, hoc enim sonat Græca vox. Ita & nos amorem Virgini, qualem filios decet erga talem Matrem exhibentes, eam in propria cordis penetralia sancti Ioannis exemplo admoniti, illicò nulla interposita mora, per intimam erga eam pietatem ac deuotionẽ, recipere nitamur. Immò pietas, deuotio, honor & erga Virginem

Virgo vnicè diligenda.

Surius.

Virgo in propria cordis penetralia suscipienda.

do ergo; non ab omni alienum ratione, si quis ambiat Virginis Reginæ cæli familiaritatem ac famulatum, indutus adhuc puluerulento & sordido sacco vitiorum? De Muliere illa forti Virginem adumbrante legimus Prouerb. cap. 31. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* In quæ verba sic Hugo Cardinalis: *Duplex vestis est hyemalis & æstiualis; vestem hyemalem dico virtutes, quibus protegimur contra pluuiam & grandinem tentationum & persecutionum: Huiusmodi sunt patientia, mansuetudo, humilitas, & alia id genus. Æstiualem dico virtutes, quibus tempore pacis & tranquillitatis vacatur bonis operibus & contemplationi, qualis est charitas, pietas, deuotio, sapientia* &c. Hebræi pro citatis verbis habent. *Omnes domestici eius vestiti sunt coccinis; ac bis tinctis*, in cocco, bis tincto, vult D. Gregorius significari duplicem charitatem, nimirum tum Dei, tum proximi.

HVGO CARD.

10. Quàm Virgo exosos habeat sordidos saccos & lutulentos pannos vitiorum, quamque ambiat in cultoribus suis, splendida virtutum vestimenta, sic exprimit Damascenus orat. de Dormitione. *Curremus vt mentem memoriamque nostram Genitricis Dei promptuarium efficiamus: quo autem modo id assequemur? Et Virgo ipsa est & Virginum amans, pura est & purorum amans, quocirca si & corporis & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur: siquidem lutum omne fugit, ac cœnosas affectiones aduersatur: ingluuiem execratur, fœdissimæ fornicationis vitijs infesta est: huius impuras & scelestas cogitationes non secus ac viperarum fœtus fugit. Sermones fœdos ac scurriles propellit: cantusque ac meretricia vnguenta submouet: iræ tumorem odio habet: inhumanitatem & inuidiam ac simultates non admittit: inanem gloriam vanis laboribus se frangentem reijcit: superbiæ fastui animo hostili resistit: Iniuriarum memoriam tamquam salutis: hostem odio insectatur. Vitium denique omne tanquam lethale venenum execratione habet. Horum autem contrarijs delectatur: Contraria enim contrariorum medicamenta sunt. Ieiunio & parsimonia, psalmorumque cantibus gaudet: cum puritate & virginitate ac pudicitia pulchrè illi conuenit, sempiternamque cum illis pacem colit, easque humaniter & comiter exosculatur: pacem animique lenitatem complectitur: Charitatem & misericordiam atque humilitatem tamquam alumnas suas, vlnis fouet: Atque vt rem breuiter perstringam, quolibet vitio offenditur ac discruciatur; quâlibet autem virtute vt peculiari sua notâ lætatur & exultat. Quamobrem si vitia prompto atque alacri animo vitemus, virtutes autem omni studio atque amore complectemur, easque socias adhibeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, ac secum bonorum omnium agmen trahet, Christumque filium suum, omniumque Regem ac Dominum in cordibus nostris habitantem afferet.* Hactenus Damascenus.

11. Nonò. Si studeat Virginis imitationi: nam vt ait Bonauentura in Psalt. *Mariam induite (id est imitamini)* iuxta illud D. Pauli Roman. cap. 13. *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum, quotquot diligitis eam, hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus.*

Studendum Virginis imitationi. BONAV.

12. Id ipsum idem Sanctus Bonauentura in Stimulo diuini amoris cap. 7. his verbis docet: *Ipsam Matrem Dei & peccatorum, tamquam bonus & deuotus filius in omnibus pro posse studeas imitari, tunc enim proculdubio te sibi tamquam matri veraciter exhibebis, & ipsa te tamquam suum filium veraciter adiuuabit, & quæ dignè ab ea petieris tibi dabit: & in omnibus tibi necessarijs ad salutem simpliciter ministrabit, & tandem in cælesti gloria te apud se feliciter collocabit.* Hæc Bonauentura. Et Sophronius inter opera Hieronymi serm. de Assumptione. *Igitur*, inquit, *dilectissimi, amate Mariam quam colitis, colite quam amatis, quia tunc verè colitis & amatis si imitari velitis ex toto corde quam amatis.* Bernardus homilia 2. super missus est: *Vt impetres, inquit, eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Si ad consortium sanctorum Martyrum*, ait D. Augustinus sermone 30. de Sanctis, *peruenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus, debent enim in nobis de suis virtutibus aliquid recognoscere vt pro nobis dignentur Domino supplicare.* Idem August. ser. 47. de Sanctis. *Ab eis, inquit, sanctorum Martyrum festiua gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur: solemnitates enim Martyrum, exhortationes martyriorum sunt, vt imitari non pigeat, quos celebrare delectat.* Si hanc imitationem requirat cultus & deuotio aliorum Sanctorum cur eandem imitationem non exigit amor & deuotio Virginis? *cùm talis sit Maria*, vt ait D. Ambrosius lib. 2. de Virgine; vt eius vnius vita sit omnium disciplina.

SOPHRONIVS. BERN. AVGVST. IDEM.

13. Sed, inquies, in quibus Virginem imitabor, an in eo quod velim gaudere prærogatiuis illorum donorum, quibus decoratur; vt quòd Mater Dei naturalis, quòd primogenita omnis creaturæ, quòd Regina cæli &c.? Non horum imitationem à cultoribus suis exigit Virgo, sed suarum virtutum. Vnde sic D. Bernardus sermone in *Signum magnum*: *Numquid enim si defuerit nobis etiam mansuetudo pudoris, si humilitas ardoris, si magnanimitas fidei, si compassio mentis negligentiam nostram, donorum singularitas excusabit?* Sic ille. Non negandum tamen, quin Virgini summoperè placeat, si desideres Mater Christi fieri spiritualis, sicut illa illius existit mater naturalis, de quo sic Hieronymus epistola 2. ad Eustochium. *Nos, inquit, meliorum exempla sectemur, propone tibi beatam Mariam quæ tãta extitit puritatis vt mater Domini esse mereretur.* Et mox: *Potes & tu mater esse Domini, nimirum spiritualiter.* Ita Hieronymus. Talis Christi mater erat D. Paulus sic de seipso scribens Galat. 4.

In quibus Virgo imitanda. BERN.

viuebat; vt iure Ambrosius lib. 2. comment. in Lucam expendens, eam solam Angelo Gabriele nuntium ferente repertam. *Discant*, inquit, *mulieres propositum pudoris imitari, sola in penetralibus quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, sola sine comite, sola sine teste.* Ita Ambrosius. Neque verò extra domum vagabatur, nisi sponso comitante causâ pietatis & officij, vt cùm ad S. Ioannis Baptistæ sanctificationem in montana Iudææ abijt cum festinatione, Elisabeth cognatæ ministratura: aut gratiâ obtemperandi edicto Augusti, cùm Bethlehem proficisceretur: aut legis implendæ studio, tum cùm templum adiuit, & legi purificationis se sponte subiecit: tum etiam cùm singulis annis templum inuisebat, aut declinandæ Herodianæ persecutionis causâ cùm in Ægyptum perrexit.

Septimò, in insigni sua patientia.

20. Septimò, in insigni sua patientia, præcipuè in perferendis opprobrijs & contumelijs. Diuina prole donata, quot eo nomine non sustinuit opprobria & maledicta, maledicebant Iudæi in filio matrem & in matre filium, vt iure dixerit Cantic. 5. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*: nimirum quando Iudæi Apostolis restiterunt prædicantibus filium Virginis, Deum esse, & negantes eam esse Dei Matrem vt innuit B. Rupertus libro 1. explicans hæc verba: aut pugnauerunt contra eam, quia negabant eam Virginem concepisse, peperisse Virginem; quod voluit Richardus lib. 5. de laudibus Virginis vbi sic loquentem Virginem facit: *Filij matris meæ Synagoga, id est, Iudæi infideles, non credentes quòd Virgo conceperim, pugnauerunt contra me detractionibus & maledictis & contemptui habuerunt me.* Plerique Virginem maledicebant, quòd Christum peperisset tanquam seductorem; maledicebant eius ventrem, qui eum portauit, vbera, quæ lactauerunt. Audiendus Guilielmus qui explicans illa verba: *Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me & vulnerauerunt me*, Cant. 5. Ita de filij & matris maledictionibus, quæ à Iudæis sustinuerunt scribit: *Scribæ, qui multam in populo, vtpote doctores legis, auctoritatem habebant, cœperunt de gloria noui doctoris grauiter anxiari & fortiter malignari multamque inuidiam conflantes & disseminantes in populo, quia in nomine Beelzebub principis dæmoniorum operaretur, multique eorum sententiam secuti iam malè sentiebant de eo & irreuerenter blasphemabant eum. Quod audiens pia mater (neque ipsam latere id poterat) ob impiam filij dulcissimi sugillationem pijs exulcerabatur angoribus. Nam & in ipsam calumnia & maledicta redundabant dicentibus non paucis: Maledictus venter, qui seductorem illum portauit, & vbera quæ illum lactauerunt.* Hæc & alia multa audiuit Maria; sed patientiæ exemplar omnia sustinuit, quia non suam, sed Dei quærebat laudem ac gloriam; vbi probè exemplo sui ad omnium contumeliarum patientiam omnes inhortatur Virgo apud S. Birgittam, ad quam in hunc modum loquitur lib. 2. c. 23. *Sicut aër impetuosus & fortis ab omni parte impellit hominem & infrigidat, sic hominem impatientem opprobria facillimè deijciunt, & animum à charitate remittunt. Sed quicumque ad humilitatem meam sedulè attendit, cogitet qualiter ego Domina omnium audiui, quærat laudem meam, non suam. Consideret quòd verba non sunt nisi aër, & mox habebit refrigerium, vt quid enim mundiales tam impatientes sunt ad verba & opprobria, nisi quia plus quærunt laudem suam, quàm Dei; & humilitas in eis nulla est, quia obturatum habent oculum à peccatis.* O vtinam hæc illorum mentibus insideant, qui vel vnico verbulo tacti statim efferuntur, maledicta euomunt, & contumelijs duriusculè locutum obruunt. Abeunt à Virginis exemplo, quæ cùm malediceretur non maledicebat, sed pro calumniantibus orabat, vt ob id meruerit ab omnibus generationibus benedici.

Quanta sustinuit Maria opprobria.

Virginis virtutes sũt defluentia eius vestimenta quæ quilibet Virginis cultor debet sustentare.

21. Supra relatæ Virginis virtutes, cùm plurimis alijs, defluentia sunt illius vestimenta, quæ quilibet Virginis cultor debet imitari. De sacra illa Regina Hester dicitur cap. 15. *Assumpsit duas famulas & super vnam innitebatur, altera autem famularum sequebatur Dominam, defluentia in solum indumenta sustentans.* Hanc typum Mariæ fuisse affirmat Bonauentura in speculo Virginis cap. 3. vbi eam Dominam vocat cælestium, terrestrium & infernorum, dum ait: *Duæ famulæ quarum Domina est & Regina Maria sunt Angelica & humana natura, intelligentia Angelica est famula supra quam Domina innititur in cælo, natura verò humana est famula quæ Dominam suam sequitur in hoc mundo, colligens vestimenta Dominæ suæ, scilicet colligens virtutes & exempla Mariæ.* Sic Bonauentura. Obsequium ergo quod à seruis suis præcipuè postulat, est vt defluentia in humum eius vestimenta, id est, virtutum exempla, quæ hominibus in terrâ nota sunt, colligamus atque imitemur. Fœmina quæ tetigit fimbriam vestimenti Christi, corporis sanitatem est consecuta: sic quæ fimbriam Matris collegerit, animæ salutem consequetur.

Bonav.

Iucundissima Virgini sua imitatio.

22. Quàm grata & iucunda sit Virgini hæc virtutum suarum imitatio & per imitationis lineas, virtutum suarum in animâ nostrâ, tanquam in tabulâ, expressa imago, colligere licet ex eo quòd de quodam Pictore refert Vincentius Belluacensis in Speculo hist. lib. 7. c. 104. *Pictor*, ait, *quidam imaginem Virginis accuratè depingebat, & serpentem iuxta illam, cuius caput contriuerat, tum placuit hoc Virgini quàm displicuit dæmoni, qui quàm grauatè id ferret, reipsa ostendit dum in pictorem sæuientis excitato turbine machinam quibus innitebatur, dum depingeret, disiecit, casuriusque pictor erat, sed*

Vincent. Bellvac.

Virginis

Virginis imago manum porrexit tenuitq, artificem donec aduenirent, qui subuenirent. A tanto periculo Virginis ope eximitur, qui penicillo Virginis imaginem depingebat; gratius Virgini erit, si eius vita à nobis non penicillis, sed moribus exprimatur.

Colendus Iosephus Virginis Sponsus.

23. Decimò. Si colat Iosephum Virginis Sponsum, cùm enim Virgo Iosephum ex toto cordis affectu dilexerit, & totum cordis thesaurum illi exhibuerit, non dubium quin illi sit gratissimus Iosephi cultus. De amore Virginis erga Iosephum, audi Bernardinum sermone de hoc Sancto. *Quia reuera Virgo quanta erat vnitas matrimonij in spirituali amore, agnoscebat, & sciebat Iosephum sibi à Spiritu sancto donatum in Sponsum, & in suæ Virginitatis fidum custodem & ad participandum secum in charitatis amore & obsequiosa sollicitudine diuinissimam prolem Dei. Ideò credo quod totius ex cordis affectu eum sincerissimè diligebat. Ampliùs, cùm omnia quæ sunt vxoris sint viri, credo quòd Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei exhibebat.*

QVOD GALLINA SIT SPECVLVM CHRISTI CHARITATIS, Misericordiæ, ac beneuolentiæ erga homines.

ENARRATIO III.

Vt amorem suum erga homines insinuet, gallinæ se comparat Christus.

SECTIO I.

Gallinæ se comparat Christus.

1. ARIAS assumit Deus formas, à rebus visibilibus, mutuatas, vt inuisibilia ipsius, à creatura mundi, id est, ab homine, intellecta, conspiciantur. Debemus quidem rerum naturas contemplari, non vt (quemadmodum incredulæ gentes) quiescamus in eis, sed vt per eas Dominum nostrum, & voluntatem eius erga nos, cognoscamus. Inuisibile sanè est, quòd Deus erga homines, materno ducatur affectu, quòd eos ad se vocitet, & trahere conetur, quòd in periculis præstò adsit nobis, nosque defendat, quòd eos foueat, dorso ac sinu excipiat, quòd se totum in eorum vtilitatem quasi profundat &c. Sed hoc inuisibile Dei, efficitur nobis aliquatenus visibile, & quasi in quodam speculo aspiciendum exhibetur in progenitoribus siue parentibus hominum.

Visibilibus se comparat Christus, vt per hæc ad inuisibilia eius ascendamus.

De matris namque erga filios ac natos affectu, ac materna propensione & amore, vt suum erga mortales maiorem & vehementiorem insinuet siue ostendat Deus, sic loquitur per Isaiam cap. 49. *Numquid potest mater obliuisci infantis sui, ac filij vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar.* *Quis ex vobis* (ait Christus volens suum erga homines amorem patefacere) *habens filium, & ouum petat, numquid pro ouo scorpionem porriget? & si panem, numquid pro pane lapidem dabit? Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data, dare filijs vestris, quantò magis Pater vester cælestis, dabit spiritum bonum petentibus se.*

Matri se comparat, & hac similitudine amorem suũ insinuat.

2. Verùm hæc Dei inuisibilia, tamquam in speculo clariùs nobis spectanda exhibentur, in parentibus brutorum animalium. Bruta enim animantia, cùm vi naturæ impulsa, & non ex electione operentur, in hoc inter cætera à ratione præditis valdè discrepant, quod hæc numquam totam quam possunt dilectionem, impendunt; etenim ardentiùs quam diligere possunt. Illa verò suam virtutem & actiuitatem penitus profun-

Brutorum ardentior in proles affectus quàm hominum.

profundunt, dicente Philosopho: Agens naturale agit quantum potest, vnde fit vt quando vel amant vel odiunt, totam sui appetitus vim & conatum in amore vel odio impendunt.

Vnde vt amorem suum insinuet aquilæ se comparat.

3. Dum ergo Deus in sola forma Dei esset, vt amorem visceraque materna, curam & protectionem suam testetur hominibus, ac præsertim Iudæis, in veteri testamento aquilæ se comparat: *Sicut aquila* (ait Deuter. 32.) *prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, & portauit in humeris suis.* Narrant naturales, tunc aquilam amorem erga filios ostendere, cùm illos incommodè in nido iacere animaduertens, regia quadam magnanimitate, alium apertiorem atque commodiorem construit, cumque eos ex veteri nido in alterum transfert, nequaquam vngues admouet, ne fortè quidquam illos lædat, sed super alas assumit, & in humeris, ac dorso incolumes ducit. Vnde si in itenere contingat, vt venatores iacula in illam mittant, priùs matrem telo confodiendam, quàm pullos percutiendos, omnino necessum est. Ægypto veluti nido angusto & maximè incommodo implumes Hebræi continebantur, sine vllis ad volandum viribus; At Deus vt aquila misso Moyse, nuntio, prodigiis ad volandum eos prouocauit, expandit alas protectionis suæ, assumpsit eos ex Ægypto, & veluti humeris per solitudinem portauit: inimicis ipsorum se opposuit, pro illis pugnauit, ac tandem in terram fluentem lacte & melle, tanquam nidum longè commodiorem, transtulit ac collocauit. Magna ergo ratione Dominus, se olim cùm tantùm Deus esset, diuini amoris propalandi gratiâ, aquilæ reginæ auium comparauit.

In nouo testamento gallinæ se comparat.

4. Quia verò amor in homines noui testamenti, multò luculentiùs apparuit, quatenus Deus homo fieri voluit, & per terram nostram dignatus est ingredi, meritò se non aquilæ, sed cum gallina per terram ambulante contulit Matth. 23. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, *Quoties volui*, & olim per Prophetas, & nunc per me, & Apostolos, congregare, in sinum meum & ad vnum Deum, vnamque eius fidem & cultum reducere, *filios tuos*, id est, ciues tuos in varios errores dispersos, & in gehennæ pericula sese præcipitantes. *Nihil enim adeò dispergit vt peccatum, & nihil ita ad Deum aggregat, sicut virtus*, ait Theophylac. *Quemadmodum gallina congregat pullos suos*, in diuersa vagantes, *sub alis*, vt eos foueat, calefaciat, & à miluis defendat.

Aquilæ & gallinæ amor non adæquat Christi erga homines amorem.

5. Tam aquilæ autem, quàm gallinæ se comparat, non quòd harum auium amor eò pertingat, vt diuinum amorem æqua lance mensurare valeat, nimis enim breuis est, angustaque mensura, ad diuinum circumscribendum amorem & affectum. Quamuis enim tanta sit aquilæ erga pullos suos dilectio, tamen sicut annotant varij auctores, tot defatigata pullis, illos ad solis radios examinat, vidensque eorum nonnullos solis claritatem atque fulgorem, intenta in eum oculorum acie, ferre non posse, tanquam adulterinos, atque à regio aquilarum sanguine degeneres à se abiicit. Verùm Christi amor adeò in diuino ac humano eius pectore efferuet, vt in via nullum vnquam filium, ita abhorreat, vt à se penitus illum proiiciat, quin potiùs sibi pergratum esset, nos omnes in domum suam recipere.

Quàntus gallinæ in pullos amor.

6. Ad gallinam quod attinet, vehemens est adeò huius auis erga pullos suos dilectio, vt præterquam in confouendis ouis, valde laboret, insudet postquam in lucem ediderit, in eis alendis atque educandis, informetur, ac vires absumat, infirma & debilis, pristinisque viribus destituta, si fortè miluum filios inuadentem animaduertit, quasi effera tygris in eum excandescit, vt filiorum incolumitati consulat. Hunc tamen etiam amorem Christi dilectione inferiorem, ex eo apertè liquet, quod præterquam ille pullos, suos assiduæ suæ protectionis alis foueat, illisque seipsum, ad eorum defensionem, tanquam inexpugnabile exhibeat scutum, atrocissimisque passionis doloribus affectus, vires omnes consumpserit membrorum: ex duplici alio, vel triplici capite, Christi amor, auis huius dilectionem superat.

Gallinæ amor multum inferior Christi amore ob varias rationes.

Prima.

7. Primò. Quia eductis iam in lucem pullis, grandioribusque nunc effectis, gallina nequaquam in posterum curam illorum gerit, aut vitæ necessaria subministrat, sed singuli ab ea derelicti, victum quæritantes, sibiipsis consulunt. Cæterùm Christus ne per momentum quidem temporis à filiorum tutela se abstinet, semperque illis prospicit vsque ad senectam. Vnde inquit Isa. 49. *Ego ipse feram, vsque ad canos ego portabo.* Ne autem eorum obliuisceretur, propriis manibus eos insculpsit: *In manibus meis scripsi te*, & vtriusque manus vulneribus, tanquam annulis ad reminiscendum stimulantibus vtitur, ne vnquam à memoria excidant.

Secunda.

8. Deinde, accipitris audita voce à gallina, dum ouis incubat, vitiantur oua, prout affirmat Vincentius Belluac. in spec. Natural. libr. 16. cap. 81. quòd etiam dicit accidere dum subitò tonat, timore enim

nimio correpta per secretam naturæ simpathiam, quam habet cum ouis & pullis inclusis, tam oua quàm pulli vitiantur. Longè sanè aliter cum Christo actum, in crucis enim nido decumbens, & fideles omnes tanquam pullos, ex amoroso eius apertoque corde, tanquam ex ouo excludens, licet audiret tot blasphemiarum, irrisionum & opprobriorum tonitrua, licet audiret horribiles illas Iudæorum & Principum sacerdotum, tanquam tot rapacium accipitrum voces: *Si filius est Dei, descendat de cruce, & Vah, qui destruis templum Dei* &c. regio tamen animo, hæc omnia perferens, nidum crucis non deseruit, nec ideo calor materni, vel potiùs paterni sui pectoris, desiit cooperari, ad formandos, & regenerandos, tanquam tot spirituales pullos, frigidos, duros, & difformes hominum animos.

Tertia. 9. In eo etiam Christi amor, amorem gallinæ superat, quòd illa vt filios tutetur, neutiquam se vitâ priuari patitur. Imò si contra eam virgam extendas, aufugit, & filios prædæ expositos, derelinquit, propriæ potiùs quàm filiorum incolumitati prospiciens. Christus autem diuinæ iustitiæ flagella, quibus nos vapulari merebamur, in seipso pertulit, cumque natura impellat, membris potiùs caput protegere quàm è contra, dilectio Christi adeò naturam superauit, vt cùm ipse triumphantis, militantisque Ecclesiæ caput existeret, diuinæ iracundiæ iacula sustinens, velut clypeum seipsum illis exposuerit, vt nos qui sui mystici corporis membra sumus, incolumes seruaret atque defenderet. Longè ergo gallinæ amor inferior est, & superatur à Christi amore. Nihilominus vt tanquam in speculo, licet subobscuro, Christus amorem & maternum affectum erga nos insinuet, gallinæ se comparat. *Ab imagine*, ait Chrysostomus homil. 75. *amorem Domini significauit.* Imago verò amoris gallina est, de qua Diuus Augustinus libro 44. quæstionum Euangelicarum quæstione 36. *Hoc*, inquit, *genus animantis, magnum affectum in filios habet.* Qualiter autem gallina, sit Christi erga homines amoris siue charitatis pulcherrima imago, siue viuacissimum speculum, in sequentibus fusiùs exponendum.

CHRYSOS. Gallina imago amoris, in qua tanquã in speculo subobscuro, refulget Christi in homines amor. AVGVST.

Quòd gallina calore suo, excludens ex ouo mortuo pullum viuum, speculum sit Christi peccatorem ad vitam gratiæ reuocantis.

SECTIO II.

1. PRimum, quod in gallina expendendum, quamuis illud & reliquis auibus sit commune, est, quod pullum viuum, ossibus constantem, & pennatum, atque in aëra sese eleuantem, ex ouo excludat. Quam enim habet ouum illud, quod solum crustam teneram habet, cum albumine & vitello, cum gallina, quæ carnem, ossa & pennas habet, similitudinem? nullam omnino profectò. Verùm si illud gallina sub alis suis suscipit, & fouet, calorem suum atque substantiam illis communicans, paucis diebus videbis, ex ouo illo, pullum oriri, cùm carnibus, ossibus, & pennis. Ita vt nullam iam cum ouo, à quo prodiit, videatur habere similitudinem: Hæc eadem munia obit Christus, vt enim auis ex frigido ouo pullum educit, vitâ præditum, quâ fauente alatus redditur atque mouetur: Sic etiam Christus instar gallinæ gratia mentibus nostris, & animabus nostris, frigidissimis, mortuis atque tenerrimis infusa, eas incendit, inflammat, illuminat, fouet &c. Ita vt deposito veteri homine, nouum induant hominem, lucis reddantur filij & libero peruolent cælo. Sanctus Augustinus in Psal. 90. expendit illa verba: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis; si scapulis & alis obumbrabit: ergo in pectore quiescent, & sub pennis eius sperabunt. Et quid sperat ouum à pennis matris suæ? vt sicut naturam sui inchoatam accepit, perfectum esse, ab eadem accipiat.* Homines ergo sub alis Dei resurgunt, si non dij, saltem Dei filij, non aliter quàm pullus excluditur, sub pectore cubantis auis, ex demortuo ouo. Qui peccatorem veteris Adæ perizomatibus indutum considerat, antequam à Christo in nouum hominem regeneratur nunquid existimaret, quòd tantam ad dignitatem posset ascendere,

Gallina speculum Christi, peccatorem mortuum ad vitam gratiæ reuocantis.

Vt gallina ouum fouendo ex ouo pullum educit: Sic Christus &c.

AVGVST.

vt

vt filius dicatur Dei, hæres regni cælestis, & quòd caro illa & sanguis imbellis, quasi in spiritum conuerterentur, & quòd alas & pennas assumere deberent, non gallinæ, sed aquilæ, vt volent, & non deficiant, neque laborent? Quam tunc cum Deo similitudinem homo habebat? prorsus nullam, vel saltem minorem, quàm ouum cum gallina, si Dei puritatem cum eius impuritate & miseriis conferas. Cæterùm postquam illum Christus, in nido crucis sub alas suas accepit, incubuitque super eum tribus horis, quibus pependit in cruce, fouendo illum, atque calorem suæ gratiæ, atque doctrinæ illi communicando, seipsum euiscerando atque esanguinando, vt vitam & gratiam homini conferret, postquam se in stabulo quodam, tanquam in gallinario posuit, & super præsepe, tanquam super nidum, fœno & paleis compositum, occubuit, taliter seipsum homini communicauit, vt homo similis Deo fiat & dicatur filius Dei.

Ouum quid fragile, sed fotum in duritiam ossiũ transit, sic homo &c.

2. Item ouum tenuis quædam res est, facileque frangibilis, verùm à calore gallinæ fotum, in duritiem ossium transit. Sic homo imbecillis, qui cuilibet occasioni succumbit, quis putaret ipsum, mortem, bestias, gladiosque ferre valere? tamen quia Christus sub alis eum assumpsit, imbecillitatem eius in se suscipiens, & fortitudinem suam illi communicans, iam superior his omnibus euadit. Quis existimare potuisset quòd sanctus Stephanus ex imbecilli carnis massa conditus, qui velut ouum, in tenui testa inclusus erat, cum lapidum turbine posset decertare? Sed quoniam è cælo gallina hæc fouebat eum, durior ac fortior lapibus, quibus premebatur euasit.

Ouum deorsum vergit, sed fotum leue redditur.

3. Item ouum, res est quædam grauis & ponderosa, deorsum & ad ima semper tendens, verùm à calore gallinæ fotum, iam leue efficitur, pennas assumit, & alis in sublime fertur: Sic peccator arenâ & plumbo grauior, cor eius instar lactis vel oui coagulatum pondere suo ad ima demergitur: si tamen alis Christi subditur, atque illius calore fouetur, haud dubium quin inde tam subtilis, tam leuis renascatur, vt alite pennatior, huius mundi fluctibus superferatur. Quò respiciens sanctus Hilarius ait: *Huius familiaris ac penè terrenæ auis more congregare intra se voluit, vt qui conditione nascendi, editi iam fuissent, nunc alterius generationis ortu, & calore confouentis renati, in caleste regnum, tanquam pennatis corporibus euolarent.*

Christus meritò cõparatur illi

4. Verùm cùm se gallinæ dignetur comparare Christus, nullam ei fecerimus iniuriam, si illum comparemus illi gallinæ, quæ cecidit in sinum Drusillæ, vt refert Baptista Pi. sill. 39. hisce verbis, Liuia Drusilla cùm esset desponsata, & in coniugem data Augusto Cæsari, aquila volans in sinum eius demisit gallinam albam, rostro tenentem laureum ramum. Diuini consulti præceperunt, vt auis illa summâ curâ nutriretur, & ramus aureus plantaretur, tanquam fælicia omina & præsagia longissimi imperij. Ramus aureus plantatus fuit viâ Flamineâ, quæ vocabatur ad gallinas, & in tantum creuit & germinauit, vt triumphantibus imperatoribus, inde coronæ triumphales necterentur, prout ipsi accidit Augusto Cæsari, gallina autem multos alios, ex ouis exclusit pullos omnes albi & candidi coloris. Quàm pulchra imago Christi! Cùm iam esset tempus celebrandarum nuptiarum inter Deum atque humanam naturam, Aquila illa cælestis, nimirum, Sanctus Spiritus, obumbrans beatissimam Virginem in virgineo suo vtero formauit, & quasi descendere fecit Christum Saluatorem nostrum, gallinæ se comparantem, ac secum ferentem miseris mortalibus laureum ramum, id est, spem atque fiduciam ingerentem illis, de pace composita inter Deum & homines, quodque in posterum essent protegendi sub Christi alis, tanquam sub sacra lauro, à fulminibus diuinæ indignationis. Hinc illæ angelorum voces in Christi Natiuitate: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

gallinæ quę cecidit in sinum Drusillę.

Bapt. Pi.

Gallina hęc non exclusit nisi pullos albos sic etiam Christus.

5. Sed aduerte hanc gallinam, non nisi pullos candidi coloris exclusisse, Christus etiam in nido crucis, expandens alas suas, super peccatorem tanquam ouum frigidum & durum non excludit pullos albos, id est homines mundatos lauacro aquæ in verbo vitæ, mundatos, inquam, ab omni iniquitate, & super niuem dealbatos, aspersione hyssopi sanguinis sui. Dum verò Christianus hanc albedinem gratiæ amittit & instar corui niger efficitur, pullus Christi esse desinit, nec à Christo vt filius agnoscitur. Tradunt coruos, dum ex ouis pullos excludunt eosdem deserere, nec aliquâ ipsorum teneri curâ, & hoc ideo, quia pulli coruini simul atque in lucem prodeunt, albicent, atque ideo parentibus dissimiles existant, pulli verò à parentibus derelicti, flebili voce crocitare incipiunt, & implorare diuinam prouidentiam, quæ dat escam omni carni, ac proinde etiam pullis coruorum inuocantibus eam. Circa nidum enim incipiunt volitare quædam muscæ, quas rostro venantur, rapiunt & comedunt pulli, alij censent circa nidum, & extimas eius partes gigni copiam vermium, quibus à diuina prouidentia, sibi in escam assignatis,

tis, aluntur. Paulatim tamen ille albus pullorum color, in nigredinem mutatur, vnde naturæ quodam instinctu cùm parentes oculos interdum coniiciant in pullos derelictos, videntes iam eos nigrescere, & sibi assimilari, tanquam legitimos & proprios pullos eorum curam denuo suscipiunt, eos fouent & nutriunt. Simili ratione Christus cùm gallina sit candidi coloris, ac speculum sine macula, nigri coloris Christianos contemnit, vult eos esse candidos, & seruare candorem innocentiæ baptismalis, quo tamen amisso & neglecto, non planè eos deserit, sed pro paterno suo amore, oculos misericordiæ in peccatorem deflectit, & de recuperanda innocentia, ac candore vitæ cogitantem denuo fouet & amplectitur.

Christus nigri coloris Christianos cōtemnit.

Quod sicut gallina, dum ferit, & frangit rostro testam, prodest pullo: ita Christus, dum ferit tribulatione aliqua, frangitque testam externorum bonorum, multum nobis prosit.

SECTIO III.

Quod tribulatio reddat hominem fœcundum multis virtutibus.

§. I.

Christus dum ferit & frangit testam externorum bonorum, multum prodest. Tribulatio reddit hominem fœcundum virtutibus.

1. SEcundum, quod in gallina considerandum sese offert, & aliis auibus est commune, illud est, quod interdum pullus vitâ fruatur, & nihilominus quasi captiuus detinetur, sub tenera illa oui crusta & testa, ita vt nec lucem videat, nec communi fruatur aurâ. Quid tunc agit gallina? rostro, testam illam frangit, & curat, vt pullus extendat alas, lucem videat, deglutiat etiam aliquid, vt prodeat vita illa, quæ quodammodo inuoluta & consepulta erat, & quasi mortua. Sic sæpe euenit nos gratia viuos esse, verùm pietas cælestis illius gallinæ videns nos adhuc imbecilles & inuolutos multis malis habitibus & desideriis, & quibusdam peccatorum reliquiis, quæ impediunt, quò minùs in vita spirituali proficiamus & diuina luce abundantiùs illustremur, vtpote nimis occupati rebus externis & temporalibus sub quibus tanquam sub quibusdam ouorum crustis, vita illa gratiæ quasi sepulta detinetur, quid agit? quid molitur? Afflictione aliqua nobis immissa, tanquam rostro aliquo frangit, & aufert corporis sanitatem, tollit vel maritum vel vxorem, vel amantissimos filios, turbat pacem & tranquillitatem nostram externam variis litibus, minuit per varia aduersa & infortunia, substantiam nostram temporalem, priuat dignitatibus, & adeptis honoribus, permittit nos cædi flagello linguæ, & famam nostram grauiter periclitari &c. atque ita liberati & exuti harum rerum temporalium testis, nos vegetos & alacres reddit, in virtutum omnium exercitio, efficitque vt alas desideriorum ad Deum & cælestia extendamus, & non solùm spirituales & cælestes, sed quodammodo & diuini reddamur, vt planè clarum & manifestum euadat, quòd sicut testæ illa contractio, quam rostro perficit gallina cedit in maximum bonum & emolumentum pulli: ita omnis aduersitas & tribulatio à Christo nobis immissa, quibus tanquam acuto aliquo rostro frangit bonorum nostrorum temporalium testas, quibus inuoluti, & sub quibus quasi sepulti iacemus, planè cedat in bonum nostrum.

Gallina dum ferit rostro testam multum prodest pullo. Primò.

2. In testa vnde viuit pullus, nisi ex leui aliquo & putido humore, testæ incluso? confringit ergo, & ferit gallina rostro testam, vt pullus puriori & solidiori nutriatur alimento. Similiter Christus frangit testam bonorum nostrorum temporalium, sub qua constituti animam satiare & replere contendimus, vanis huius mundi, carnisque oblectamentis, vt illis repulsis atque neglectis, solidioribus cibis, animas nostras reficiamus & nutriamus in vitam æternam. Sanè nisi gallina rostro frangeret testam, sub illa pullus suffocaretur & moreretur. Similiter nisi Christus aduersa inferendo frangeret testam bonorum nostrorum temporalium, & nos retraheret à vanis eorum oblectamentis, grauissimum periculum incurreret anima, recidendi, & redeundi ad antiquam peccati mortem, à qua per Christi gratiam iam erat liberata.

Secundò.

3. Quem precor laudabilem fructum pro-

Tertiò.

profert pullus, dum sub testa continetur, quid ab eo sperandum vtilitatis, nisi testam rostro frangeret gallina? Similiter quem fructum virtutum bonorumque opertum peculiarem, vel egregium profert Christianus, nisi Deus tribulatione immissa, tanquam rostro quodam percutiat & frangat testam rerum suarum temporalium, sub qua consepulti quasi iacemus & vix differimus à mortuis? Sunt arbores nonnullæ, quæ fructus non facilè dare solent, vt amygdala, quercus &c. Si enim blandè & suauiter ramos earum excusseris, nihil ex arboribus illis cadit, ne folium quidem, adeò tenaces sunt arbores istæ, quare qui ex illis fructum capere vult, virgâ seu fuste aliquo eas cedit, & quæ suaui contactu fructum reddere noluerunt, ita percussæ exhibent abundanter. Arbores sumus, quarum fructus, bona sunt opera, præsertim eximia & præclara, Deus, autem ab omnibus Christianis & vitâ gratiæ iam donatis, & in Christo iustificatis, hunc exigit & postulat sibi offerri fructum, sed non vi, & seuerè, sed blandè & suauiter id facit, summaque cum suauitate & benignitate. Sed quia nos illi fructum ita reddere recusamus, ille, ne tanto bono priuemur; tribulationum fustibus nos cedere solet, vt vel sic hunc fructum exhibeamus, & qui antea diuinis inspirationibus & concionatorum monitis respondere nolebant, cæsi respondent. Quinimò tunc feruentiùs oramus, acuimus fidem, spem, & charitatem in Deum.

Nonnisi percussi à Deo fructum reddimus.

4. Vnde cùm Deus iustam animam palmæ comparasset Cantic. 7. *Ascendam* inquit, *in palmam & apprehendam fructus eius.* Quid opus est Deo in palmam ascendere, ad fructus palmæ colligendos, cùm possit brachio suo magno & sublimi supremam palmæ attingere summitatem? Audi, sunt in arbore fructus inferiores, & fructus superiores, & cùm fructus inferiores hortulanus colligere vult, è terra manum eleuans, ramos inferiores inclinans, colligit fructus huiusmodi. At cùm fructus ramorum superiorum colligere optat, arborem ipsam ascendit, ascendendo ramos arborum pedibus premit, & interdum frangit, & sic superiores illos fructus carpit. Est quidem homo arbor fructifera & fructus eius opera bona sunt, quorum alia superiora, alia verò inferiora sunt opera. Superiora sunt opera perfecta, & consummata virtutum, hæc vt à nobis obtineat Deus, velut ascendens ad alta, premit nos & velut pedibus conculcat, & ramos frangit dum à nobis partem aliquam, seu diuitiarum, seu honorum &c. tollit, tunc feruentiores reddimur &c. *Sanè sicut pluuia in terram cadens, erigit semina* (ait Chrysostomus homil. 14. ex variis in Matth. locis) *sic tribulatio animum ingressa, erigit desiderium. Nam sicut granum tritici, inclusum in palea foras non ingreditur, nisi fuerit trituratum, sic & homo impedimentis mundialibus & rebus carnalibus, quasi in palea inuolutus difficilè egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus.*

Opera perfecta vt à nobis obtineat fructus, opus est vt premat nos pedibus, conculcet, &c.

Chrysos.

5. Et sicut gallina non ferit & frangit rostro testam, nisi in signum amicitiæ, & maternæ erga pullos affectionis, pari modo, non ferit, non flagellat nos Deus, nisi in signum amicitiæ, & paternæ erga nos affectionis. Antiquitus labores & dolores signa erant Dei irati. Peccant primi parentes, mox accurrit Deus non sine iracundia, ad eos castigandos. Adamo dicit: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Terra es, & in terram reuerteris.* Mulieri verò dicit: *multiplicabo ærumnas, & conceptus tuos*: Caino dixit: *Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Vagus & profugus eris super terram.* Peccant filij Israel: *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est*, tanta autem fuit iracundia, vt dicat: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, foris vastabit eos gladius & intus pauor* &c. Quid istæ maledictiones, sudores, labores, ærumnæ, gladij atque ignes, quàm signa diuinæ iracundiæ? hoc nomine videbatur Dominus nominari, *Deus vltionum*, atque eo titulo gloriari. Verùm quantum iam mutatus ab illo. Hæc enim omnia iam in lege gratiæ, signa sunt amoris & dilectionis, & nihil aliud hisce intendit, quàm suam gloriam & nostram vtilitatem: iam audimus Christum dicentem Ioan. 11. de Lazari amici sui infirmitate: *Non est infirmitas hæc ad mortem, sed vt manifestetur gloria Dei. Si exceptus es,* ait Augustinus, *à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. Noli,* inquit D. uus Gregorius, *esse iniquo sensu & puerili, vt dicas: plus amat Pater meus fratrem meum, cui permittit facere quidquid vult, quàm me, quia si me mouero contra eius iussionem, flagella inuenio: potiùs gaude sub flagellis, quia tibi seruatur hæreditas. Illis ad tempus parcit, quos in æternum damnauit* &c. Ecce qualiter flagella & ærumnæ signa sunt Dei erga nos dilectionis, quibus testatur nos esse de numero filiorum suorum, & eorum quibus reseruat æternam hæreditatem.

Gallina ex amore erga pullum frangit testam, sic Deus.

Labores & dolores in lege gratiæ signa sunt amoris, & hisce nihil intendit nisi suam gloriam & nostram vtilitatem.

Avgvst.

Gregor.

Variis similitudinibus, à rebus naturalibus desumptis ostenditur, tribulationem, quæ obesse videtur, plurimùm prodesse.

§. II.

Tribulatio, quæ obesse videtur, multùm prodest.

9. VIdetur quidem gallina dum rostro testam frangit velle nocere pullo incluso, sed nihil minus agit, ingens enim illi præstat beneficium: sic nobiscum agitur dum Deus nos ferit, nos flagellat, dum aufert diuitias, sanitatem, dignitatem, amantissimos quosque, videtur nobis obesse, sed si rem diligentiùs inspicias, nunquam magis prodesse inuenies, plus enim accipimus lucri ex vnico flagelli ictu, quàm ex decem Dei beneficiis. Ordine planè retrogrado, procedit Deus & natura quàm communis hominum agendi ratio. Psalm. 147. dicit Dauid loquens de diuina prouidentia: *Qui dat niuem sicut lanam.* Quid niue frigidius? & qua ratione inseruiet terræ instar lanæ vt eam calefaciat? nimirum dum terræ innatum calorem, in superficie dispersum, & sic minus aptum, ad roborandas radices frumenti & plantarum, coercet, & ad interiores terræ partes sese recipere cogit, vbi virtute caloris iam vnita, facit vt radices multipliciùs germinent, & si quæ in terræ superficie existunt gramina, præseruat eadem à gelu, & vento vrente, ne pereant, non secus ac laneo vestimento conseruatur corpus humanum. Ecce, quæ obesse videbatur nix, est terræ loco lanei vestimenti. Idem dicendum est de niue tribulationis & frigore aduersitatis, videntur obesse sed maximè prosunt, & calorem amoremque nostrum, ad Deum reuerti cogunt, à quo maximè erant alieni, efficiuntque vt radices virtutum omnium in corde germinent.

Probatur similitudine niuis, quæ terræ obesse videtur, & interim maximè prodest.

Frigus videtur arboribus obesse, & tamē summopere prodest. HIER.

10. Quis non diceret frigus diuturnum arboribus obesse? & tamen res longè aliter se habet, nam vt scribit Hieronym. in epist. ad Virginem quandam in exilium missam, tom. 4. *Quòd arbores ipsæ, tantò numerosiore grauantur fructu, quantò acerbioris frigoris violentiâ reprimuntur, cùm præcoces flores, opportuna castigatio, refrænando, ad periculum festinare non patitur, & vtile impedimentum pruinæ quod reprimit, non obfocat, sed includit* &c. Idem iudicium vult fieri S. Hieronymus de longis ac diuturnis afflictionibus & calamitatibus.

11. Quis non diceret conculcationem obesse herbis & floribus? & tamen plurimi sunt, qui conculcando magis crescunt. Philo Carp. comment. in Cantic. ca. 4 describēs naturam & proprietatem Croci, inquit, *Crocus notissima herba est, cuius probatissimus in medicina vsus, præsertim qui ex Cilicia promontorio, nomine Corycius, maximi est odoris* &c. *Gaudet autem crocus calcari, & atteri pede, pereundoq; felicius prouenit. Ideoq; iuxta fontes, & viarum semitas lætissimus est, vnde exercitati patientia, & factis charitatis illustres, croco comparantur, quia terrenis rebus angusti, castigati, & afflicti corpore, tamen animo vegeti, lætissimi & immortales sunt.*

Conculcatio videtur obesse herbis & tamē crocus conculcando meliùs crescit.

12. Quis non diceret purgationem siue putationem obesse viti? & tamen vinea putatione ad vbertatem prouocatur. De palmite, iusti hominis symbolo, in vite manente, & fructum ferente, ait Christus Ioan. 15. *Purgabit eum, vt fructum plus afferat.* Non dicit: Abscindet eum, sed in vite, id est, Christo, fide & charitate manentem purgabit & putabit eum, id est, flagellabit, & variis percutiet aduersitatibus, non ad destructionem sed vt fructum plus afferat, vel vt interpretatur D. Cyrillus: *Omnes,* inquit, *qui quàm maximè possunt, virtuti student, per Spiritus gratiam, quasi per falcem, modò voluptates, modò alias turbationes animi, quibus mens à statu suo deiicitur, Deus incidens est, atque amputans. Hæc est illa Pauli ad Rom. 2. non manu, sed spiritu intellecta conuersio.* Sic ille.

Putatio videtur obesse viti, & tamen putatione ad vbertatem prouocatur.

CYRILL.

13. Quis expilatione non diceret fœdari arborem? & tamen mirthus expilatione fit amœnior & pulchrior. Idem etiam per tribulationem tanquam quandam expilationem accidit iustis, vt non obscurè indicat visio Zach. cap. 1. cui apparuit Dominus insidens equo rufo & stans intra pulchra myrtheta: *Vidi, ait, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrtheta, quæ erant in profundo.* Sicut enim myrthi expilantur, vt pulchræ fiant, & gratiam hortis addant: ita animæ perfectæ instar myrthorum decoræ & odoriferæ, in hac valle lachrymarum constitutæ, assidua mortificatione expilantur, & tribulationibus affliguntur, vt quotidie pulchriores euadant, & sanctæ Ecclesiæ horto, gratiam & decorem adiiciant.

Expilatio videtur fœdare arborem, & tamen ea myrthus fit pulchrior.

14. Quis diceret abscissione ramorum arborem fieri fructiferam? & tamen agricola qui arbori syluestri surculum vult inserere fructiferum, agrestes rescindit ramos: ita Deus, vt gratiæ, maximè fructiferum surculū homini inserat syluestri ac flagitioso, ramos, id est, sanitatem, opes, similiaq; resecat. Audi quomodo syluestris arboris ramos præscindat Dan. 4. *Succidite arborem, & præcidite ramos, verumtamen germen radicis eius in terra sinite.* Significat arbor syluestrem ac superbum Regem Nabuchodonosor, cuius ramos id est, regnum, hono-

Abscissione ramorum redditur arbor frugifera.

honorem, diuitias ac potestatem, Deus succidit germenque radicum reliquit, vt humilitatis, religionisque surculum illi insereret. Etenim è regno eiectus, & in belluinam vitam abiectus, de Deo vero cœpit religiosè sentire & magnificè loqui: lege Dan. cap. 4. Si agricolam arborem ramis denudantē cernens, roges, cur arboris præcidat ramos, roganti respondebitur: Non resecat, vt obsit, sed vt prosit, ex sterili sic facit fructuosam. Eundem in modum, si petas: Cur Deus flagellat homines, cur caducis bonis veluti ramis spoliat? Respōsum hoc accipies: Non vt noceat, sed vt proficiat, caduca bona aufert Dominus sic hominem nihil bonæ frugis ferentem, reddit fructuosum. Misericordia vtitur, non solū cùm prosperadonat, verumetiam cùm aduersis hominem vexat, vt ad bonam frugem redeat. Aug. ep. 87. *Quid, ait, non misericorditer præstatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est, nam res prospera donum est consolantis, res autem aduersa donum est admonentis Dei.* Pulchrè Chrysost. hom. 4. de pœnit. *Sicut in arboribus accidit, est qui fructum cum foliis auferat, & ramos omnes amputet radice manente, & cum maiori conatu arbor resurgit: sic quidem & nobis si pietatis radix remaneat, etsi diuitiæ auferantur, & corpus corrumpatur, omnia rursum cum maiori gloria redeunt.*

AVGVST.

CHRYSOS.

Ramusculi impediunt ne ascendat arbor, ita affectiones terrenæ impediunt ne ascendat amor.

15. Quemadmodum ramusculi impediunt arborem ne ascēdat, & fructum proferat, quibus abscissis ascendit & fructificat: ita si vis vt amor ascendat ad Deum, præscinde inordinatas & mundiales affectiones ad terrena, & nepotes, & huiusmodi quæ veri amoris ascensum impediunt. *Tanto*, ait D. Gregorius *quisque à superno amore disiungitur, quantò inferius delectatur,* &c. *Multi amores* (ait D. Aug. super Ioan.) *de corde egredientes sunt quasi multi riuuli egredientes de vno fonte, cuius fontis si vis quod riuulus vnus abundet, obtura alios inordinatos riuulos.* Sic obturauit amoris riuulos inordinatos Magdalena, quia teste D. Greg. os, oculos, crines, vnguenta, & omnia quæ solebat ad inordinatos conuertere amores, conuertit ad Domini amorem, & ideo riuus ille abundabat, quia teste Christo, *dilexit multum*, nec mirum quia riuulus reflectebatur ad suum principium. Vnde Bernardus sup. Cantic. serm. 30. *Magna res est amor, sed ad suum recurrat principium, si sua origini reddatur, si refusus suo fonti, semper exsinuat, vnde iugiter fluat* &c. Subtractio ergo inordinatè amatorum est quasi præcisio ramusculorum, vel obturationis riuulorum, & maior ad diuinum amorem dispositio.

AVGVST.

BERN.

Suber decorticatione melius crescit, sic &c.

16. Quis diceret decorticatione arborem melius crescere, & impetitam ictibus gladij vel securis, nihil pati detrimenti? & tamen hæc dicitur natura suberis esse, decorticatione dicitur non damnum incurrere, sed inde augmentum sumere, cùm tamen aliis arboribus commune sit decorticatione emori & extingui. Quod amplius nisi suber decorticaretur, paulatim deficeret, & omnis eius vis, quasi suffocata, periret. Huc referri potest illud emblema desumptum à tribus ramusculis, suberis, vndis innatantibus cum inscriptione: *Nixu maiore resurgo.* quo non alius quàm vir fortis designatur, qui licet decorticetur, ac priuetur bonis, dignitate, honore &c. instar suberis inde vires acquirit, & licet immergatur variis tribulationum aquis, nixu tamen maiori resurgit.

17. Quis diceret ventorum flatus prodesse arbori, vt magis radicem figat, & si inclinata in vnam partem fuerit, ad alteram iterum reflectetur, & stabilis perseueret? De primo sic Senec. lib. de prouident. *Non est fortis arbor, nisi in quam frequens ventus incurrat, ipsa enim vexatione radices celsiùs figit.* De posteriori sic D. Greg. in moral. *Sic*, inquit, *est profectus hominum, sicut incrementa prospicimus arborum, quò enim arbor altiùs surrexerit, eò ventorum vim vehementiùs sentit; quia quò plus quisque in bona operatione, eò ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur: sed ne immoderatis laudibus eruamur, plerumque rectoris nostri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittimur, vox adulantis eleuat, lingua detrahentis humiliat. Quia & sæpe arbor, quæ nimio venti impulsu ita impellitur, vt penè iam erui posse videatur, alterius è diuerso venientis flatu erigitur, & quæ ex hac parte inflectionem pertulit, ab alia ad flatum redit: hinc & arbor illa in alto radicata, quasi inter aduersantes ventos inflexibilis stetit. Sicut Apostolus cùm dicebat: Per gloriam & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam. Sic etiam fuit radicata arbor illa, de qua dixit mulier sapiens 2. Reg. 14. Sicut, ait, Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.*

Ventorum flatus prodest arbori vt profundiùs radicem figat.

GREGOR.

18. Adde, sicut existentes circa arborem, mediante ventorum impulsu cognoscunt, qualem faciunt fructum: ita aduersitas cognoscere facit, qualis fructus sit in homine, patientiæ, vel impatientiæ, &c. Vnde D. Greg. in dialogis: *Qualis se quisque lateat, illata contumelia probat*, &c.

GREGOR.

19. Quis diceret ventorum flatus, præsertim venti aquilonaris, qui natura frigidus est, prodesse floribus, vt odor eorū suauiùs fluat, & flagret? Et tamē illa erat mens sponsæ dum ait Cant. 4. *Surge aquila, & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Quò maiores insurgunt aduersitatum venti, eò flores virtutum nostrarum maiorem dant odorem: imò concussi homines aduersitatum ventis, illis idem accidit, quod Plutarchus in vita Scyllę tanquā prodigium refert de Romanorum exercitu, cui ventus è propinquo prato frequentissimos flores incutiens, & sua sponte madentes inspersit, & adeò super scuta, & galeas

Venti aquilonaris flatus, prodest floribus.

leas intulit, vt hostes coronatos milites existimarent Romanos: sic venti afflictionum milites Christi non norunt nisi floribus & coronis aspergere.

20. Hinc non immeritò Christus, postquam dixerat sponsa, eum ad requiem & pacem inuitans: *Lectulus noster floridus*, infert: *Ego flos campi.* Quasi dicat, ait Gisletius: *Quaris ô sponsa pacem & requiem, sed scias hanc pacem in mundo non quatendam esse, teipsam exhibe, qualem meipsum, vt me imitares exhibui. Ego flos campi, quasi dicat, quid pacem in campo proponis: ego instar floris tabesco in lectulo quietis, ad persecutiones & iniurias, ad passiones in campo huius mundi ego praclarè florui; instar floris qui in campo perseuerat, ad solem, ad nubes,* &c. *Tibi etiam eadem ferenda persecutiones, vt mihi vniaris, & in vita huius floreas campo.* Sic ille.

GISLER.

21. Quis diceret torcular prodesse vuæ, & prælum oliuæ? Et tamen antequam subiit torcular vua, vinum non est, nec oliua antequam prælum subiit oleum est. Audi D. Augustinum in Ps. 83. *Vua pendet in vitibus, & oliua in arboribus; his enim duobus solent torcularia praparari, & quamdiu pendent in frutetis suis, tanquam libero aëre perfruuntur, & nec vua vinum est, nec oliua oleum ante pressuram: sic sunt homines quos pradestinat Deus ante secula conformes fieri imaginis filij sui, qui pracipuè in passione magnus botrus expressus est. Eiusmodi ergo homines antequam accedant ad seruitutem Dei, fruuntur in hoc saculo tanquam delitiosa libertate, velut vua, aut oliua pendentes: sed quoniam dictum est, fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in timore & prapara animam tuam ad tentationem, accedens quisque ad seruitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat, contribulabitur, conteretur, comprimetur, non vt in hoc saculo pereat, sed vt in apothecas Dei defluat, exuitur carnalium desideriorum integumentis, quasi vinacijs, hoc enim contigit in desiderijs carnalibus. In istis torcularibus positi sumus filij Core, id est, calui (hoc enim sequitur in titulo Psalmi) id est, Domini nostri Iesu Christi.* Sic Aug.

Torcular prodest vuæ & prælum oliuæ.

AVGVST.

22. Quis diceret percussionem prodesse grano? & tamen certum est quòd absque percussione, non exuatur paleis. Audi Chrysost. in c. 3. Matt. *Sicut plenum granum mox vt leuiter percussum fuerit, de palea sua exilit foras, si autem subtile fuerit tardiùs egreditur, si vacuum egreditur nunquam, sed illic conteritur in palea sua, & ita cum paleis foras iactatur: sic omnes homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in palea: Sed qui fidelis est & boni cordis, habet medelam; mox vt leuiter tribulatus fuerit, negligens, qua sunt carnalia, currit ad Deum, si autem modicè infidelis fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit, & vadit ad Deum: qui autem infidelis est & vacuus quantumuis contritus fuerit, sicut granum vacuum de palea non egreditur, sic nec ille de carnalibus rebus, & impedimentis mundialibus vnquam egreditur, nec transit ad eum: sed illic in inanibus constitutus conteritur, & cum infidelibus, quasi paleis foras eijcitur.*

Percussio prodest grano.

CHRYSOS.

Quòd tribulatio illuminet, & exornet hominem.

§. III.

27. PVllus quamdiu est testæ inclusus, non videt claritatem solis, postquàm verò gallina rostro feriendo fregit testam, iam fruitur solari luce: sic peccator quamdiu inter testas temporalium bonorum conclusus latet, quamdiu peccatis tanquam crustis obductus latitat, nulla fruitur spirituali luce, nec videt, quæ per peccatũ, & euanidas voluptates amisit bona: sed postquam ferit illum Dominus tribulatione, iam in se reuersus, videt amissa bona. Hinc Ioannes Geminian. tribulationem assimilat chelidoniæ, quæ est herba, cuius succo oculi hirundinum, stercore læsi, ad statum pristinum reuertuntur vt Isidorus, & Plinius dicunt. Similiter, (vt dicit Gregorius) *oculos quos culpa claudit, pœna aperit.* Item assimilat tribulationis flagellum lactucæ (quæ à quibusdã herarchea dicitur) huiusmodi enim lactucæ folia sunt breuia, & rotunda, cuius succum accipitres, herbã scalpendo, extrahunt, & tangentes eo oculos, cæcitatem discutiunt cùm senescunt.

Gallina frangendo testam, efficit vt pullus fruatur solari luce.

Tribulatio similis herbæ chelidoniæ.

IOAN. GEMINIANVS.

28. Succus ergo talis lactucæ, est acerbitas tribulationis, quæ scilicet cæcitatem accipitrum, id est, hominum peccatorum, & præcipuè tyrannorum fugat. Vnde tribulatio figurata est in illo pisce Tob. cuius fel, id est, amaritudo valet ad inungendos oculos. Proinde meritò tribulatio assimilatur etiam collirio, quod quidẽ mordacis & pungitiuæ naturæ est, sed oculorum medetur humoribus, & pristinam restituit visus claritatem. Exemplum habes in filio prodigo, quàm ille cęcus dum omnibus abundabat; sed ad paupertatem redactus, quàm collirium hoc tribulationis oculos eius aperuit: *In se reuersus, dixit; Quanti mercenarij in domo patris abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*

Tribulatio figurata in illo pisce, cuius fel valet ad inungendos oculos.

29. Quamdiu Adam erat in paradiso, vbi copiam habebat manducãdi ex omni fructu paradisi, hac copia non contentus, mãducauit ex vetito fructu, qui vnicus tantùm illi erat interdictus; oculis planè carebat ad cognoscendas delicias paradisi; expellitur è voluptatis loco, & collocatur è regione paradisi. *Iussit autem*, ait Theod. *Deus Adã è regione paradisi agere, vt pristinam vitam dolore carentem reuocans ad memoriam, detestaretur peccatum.* Dum ergo in paradiso morabatur, illum nequaquam videbat, an videbit iam ab illo elongatus? videbit quàm clarissimè, nã dabuntur ei perspicilia optimi ac longissimi visus, adeoque remotus videbat,

Eiectus è paradiso vidit quàm clarissimè Adam qui antea cæcus extiterat.

videbat, quod coram nō videbat. Quænam erunt hæc perspicilia? nimirum fames & inedia: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ipsa quoque è paradiso expulsio, atque è regione illius habitatio, ipsi inseruiebant pro perspicillis, quibus iam considerans paradisum, maioris adhuc fœlicitatis & delectationis illi esse videbatur, quàm reuera erat, prout ordinariè solet accidere vtentibus perspicillijs, nimirum vt ipsis obiecta appareant maiora quàm sint in veritate. Heu, quàm torquebatur iam Adam, è regione paradisi constitutus, plenus sudore, & cum fame colluctans. Quam iam arbor illa vitæ pretiosa & speciosa videbatur. quàm tamen antea despexerat, quàm fructus arborum reliquarū iam videbatur pulchri, maturi & optimi saporis, à quibus carpendis arcebatur à Cherubim, & flammeo gladio; quàm iam arbor interdicta illi mala videbatur, quàm fructus eius vilis & insipidus: O inquiebat, quàm fui cæcus! quid precor comparationis, inter veritam illam arborem cuius fructus tantopere concupiui, & reliquarum arborum fructus quos contempsi. Iam considerabat cristallinos fontes, suauissimum auium cantum & garritum, dulcissimam illam cum Angelis conuersationem, & hæc omnia perpendens, cum præsenti rerum statu pleno miseriarum ex imo cordis alta trahebat suspiria, clamans, quid amisi? quid perdidi? quæ mala non inueni? heu purpura conuersa est in tunicam pelliceam; sceptrum regale in ligonem; abundantia in paupertiem, honos in abiectionem; imperium in seruitutem; vnde tibi, ô Adam, tam bonus visus? vnde oculi tam clari? totum acceptum ferre debet perspicilijs famis & inediæ, quæ internos considerationis illi aperuerunt oculos, vt certissimū sit, quascumque tribulationes, nobis esse tanquam tot perspicilia quibus ea videmus, quæ antea minimè videbamus, & à consideratione nostra, quàm longissimè aberant, & distabant.

41. Denique si rem bene perpendas, quidquid decoris est pullo, id totum referendum gallinæ, rostro testam frangenti: Similiter vix aliquis decor homini iusto, qui non causetur à tribulatione & flagello. Per Zachariam cap. 11. dicit Deus: *Assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, & paui gregem.* Quid virgæ homine nisi tribulatio significatur iuxta illud 1. Cor. 4. *Vultis in virga veniā ad vos?* Id est, vultis vt me vobis seuerum, & castigantem exhibeam. Duplici ergo tribulationis virgâ Deus mundum gubernat. Iustis autem & pijs & præordinatis ad vitam æternam, tribulatio, afflictio, persecutio est virga decoris, quoniam illâ mediante pulchriores & clariores euadunt. Hinc dicebat Dauid Ps. 22. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*, nimirum ob variam vtilitatem mihi collatam. Malis autem est instar funiculi ac flagelli, quibus torquentur quidem sed nihilo meliores euadunt, quin etiam peiores fiunt. Cainum Deus reprehendit, & in desperationem labitur. Pharaonem decem percutit plagis, & magis obduratur, huic immittit Deus infirmitatem & paupertatem, vel persecutionem aliquam vt ad pœnitētiam se conuertat, & indignatur, vociferatur, Deumque magis auersatur. Malorum conditionem bene Dauid expressit Psalm. 34. *Dissipati sunt, nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me, frenduerunt super me dentibus suis.*

Quidquid decoris in pullo id acceptum ferre debet gallinæ rostro testam frangenti.

Quòd tribulatio habenda pro maximo beneficio.

§. IV.

43. Sicut pullus si ratione polleret, pro singulari duceret beneficio quod gallina rostro suo, testam frangat, hac enim ratione conciperet spem exeundi, & hac aurâ fruendi. Ita peccator pro singulari habeat beneficio necesse est, dum hic punitur, hac enim ratione ingeritur illi spes vitæ æternæ, bonorumque omnium. Proinde hac ratione Dominus Hierusalem consolatur Is. 40. *Consolamini, consolamini popule meus dicit Deus vester, loquimini ad cor Hierusalem, & aduocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia pro peccatis suis.* Quo loco recipere duplicia pro peccatis est propter peccata multis pœnis affici quemadmodum interpretatur D. Amb. ser. 19. in Ps. 118. super illa. *Praeueni in maturitate*, seu *in immaturitate*, vt constat ex textu Græco. *Quàm citò*, inquit Ambros. *dixit plenitudinem deiectionis* (est enim apud Septuag. *Completa est humilitas, siue deiectio eius*) *solutionem esse peccati, & repetiuit causam consolationis*, videlicet eò magis reconciliationis esse insigne, quò numerosior fuerit pœna, quàm culpa. Id quod euidentius expressit idem Propheta cap. 28. cùm dixit: *Tribulationem super tribulationem, spem super spem*, sic enim Septuag. reddiderunt quod vulgatus transtulit: *Manda, remanda, expecta reexpecta.* Itaque cernis iuxta translationem Septuaginta, eo ipso, quòd tribulatio ad tribulationem adiungitur, spem supra spem iniici, & tunc demum posse peccatorem, spem gloriæ concipere, cùm à Deo, propter scelera castigatur.

Peccator pro singulari beneficio ducere debet, si hic tribuletur.

44. Quod beneficij genus agnoscens Iob, sic dicebat cap. 6. *Qui cœpit, ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me.* In quem locum D. Gregorius 7. mor. 7. *Cùm condi-* GREGOR.

conditor amorem suum erga nos per verbera non exercet, quasi ad ferienda nostra vitia, manum ligatam tenet: an non affectus sui manum ligauerat, cùm peccanti populo dicebat: iam non irascar tibi, & zelus meus recessit à te, Ezech. 16. Soluere ergo manum suam dicitur, cùm exercet affectum. Idcirco regius Vates postulat Ps. 150. Proba me Domine & tenta me, & alio in loco: Ego in flagella paratus sum. Quia enim sancti viri corruptionis suæ vulnus, sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici, ad sectiones parant, vt aperto vulnere, virus peccati exeat. Id quod idem Iob luculentiùs significauit subiungens. Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat. Electi quippe cùm perpetrasse se illicita nouerunt, & tamen perscrutantes inueniunt, quod nulla pro illis aduersa perpessi sunt in immensa formidinis terrore tabescunt, ne in æternum se gratia deseruerit, quos in præsenti vita mali sui retributio, nulla castigat, & propterea feriri paterna correctione desiderant, & dolorem vulneris medicamẽta salutis putant. Rectè igitur ait Iob: Hæc mihi sit consolatio, vt affligẽs me dolore non parcat, ac si apertiùs diceret, qui ideo hîc quibusdam parcit vt eos in æternum feriat, ideo me hîc feriat vt non parcendo in perpetuum parcat. Hactenus D. Greg.

Pro summo supplicio ducere debet peccator si hic non flagellet.

45. Sicut quoque pullus testâ conclusus, si ratione polleret, pro summo duceret supplicio, nisi gallina rostro suo, testam frangeret, sub qua captiuus & quasi sepultus detinetur: ita homo peccator debet ducere maximi supplicij loco, si in hac vita non vapulet, non flagelletur, non percutiatur à Deo varijs tribulationibus, vt hac ratione liberetur à vitijs, quæ eum ligatum & captiuum detinent. Inter supplicia, quæ Deus Hierosolymæ comminatur, vnum illud est præcipuum, quod eam vrbem statuat non punire, vt habes Ezech. 16. *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar ampliùs.* In quem locum D. Hieronymus sic ait: *Ex quo perspicimus grandem offensam esse, nequaquam cura haberi à Deo, sed permitti hominem sceleribus suis.* Eundemque locum expendens Origenes hom. 8. super Exod. *Vide*, ait, *misericordiam & patientiam boni Dei, quando vult misereri indignari se dicit & irasci; sicut per Ieremiam cap. 6. ait: Dolore & flagello castigaberis Hierusalem, vt ne abscedat anima ab te. Hæc si intelligis miserantis Dei vox est, vbi irascitur & zelatur, vbi adhibet dolores & verbera, flagellat enim omnem filium quem recipit, Hebræo. 12.* Vis audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Oseam cap. 4. cùm enim enumerasset multa nefanda, quæ Hierusalem commiserat, addit: *Non visitabo super filias vestras, cùm fornicantur, neque super nurus vestras cùm mœchantur.* Hæc Origen. In hanc eandem sententiam interpretatur D. Augustinus illud Ps. 98. *Domine Deus noster, tu exaudisti nos, Deus tu propitius fuisti eis, vt vlciscens in omnes adinuentiones*, seu vt alij legunt, *affectiones eorum. Etiam*, ait Augustinus, *vindicans propitius fuisti.* Sed multò elegantiùs serm. 37. de verbis Dom. *Magna*, inquit, *misericordia est, malitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modò flagello dignatur castigare: vis nosse nulla pœna, quanta sit pœna? Dauidem interroga, qui ait: Irritauit Dominum peccator, quare, quid vidisti? Vidi peccatorem impunè luxuriantem, & exclamaui, irritauit Dominum peccator? Quare hoc dixisti? Vide quod sequitur: Secundùm magnitudinem iræ suæ non quæret; ideo nempe non exquirit, quia multum irascitur, parcendo cadit, sed iustè cadit. Vnde apud Isaiam cap. 26. magni supplicij loco dicitur: Misereamur impio, & non discet iustitiam.*

Hieron.

Origen.

August.

Psal. 9.

Pro immissa tribulatione agendæ peccatori maximæ gratiæ.

46. Et sicut pullus testâ inclusus, si ratione polleret, gallinæ, rostro testam frangenti, maximas ageret gratias: ita decet etiam nos Christo gratias agere, dum flagellis nos ferit, dum tribulationibus, tamquam pungente rostro, frangit testam sanitatis corporalis, diuitiarum, honoris, atque mũdanæ prosperitatis, vt pulchriores & clariores euadamus. Sic faciebat Iob, quoties Deus partem aliquam testæ, partem, inquam, aliquam bonorum temporalium auferebat. De quo vide pulcherrimè exaggerantem hæc Origenem ad illa verba libri Iob cap. 1. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Vide etiam hac de re D. Chrysostomum in illa verba Pauli ad Ephes. 5. *Gratias agentes semper in omnibus.* Idem elucidans verba illa D. Pauli Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & grati sitis.* Dicit summam esse bonorum in aduersis gratias agere, ac Christianum hac ratione filium fieri Abrahæ, qui in morte filij gratias agit, ac pro martyrio id homini imputari. Idem homil. 1. ad popul. docet multò esse melius pro amissis bonis Deo gratias agere, quàm retenta in pauperum vsus expendere. D. Hieronymus expendens illa verba D. Pauli ad Thessal. 1. Thess. 5. *In omnibus gratias agite, hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu.* docet Christianorum propriam esse virtutem, in aduersis gratias agere. Quibus rationibus adduci poterimus, vt in quibuscumque aduersis Deo gratias agamus, docet præclarè & latè D. Basil. conc. de gratiarum actione. Qualiter in tribulationibus positi, Deo gratias agere poterimus, docet etiam D. Chrysost. hom. 64. ad pop. & hom. 25. ad pop. docet hanc gratiarum actionem in aduersis non tam verbis, quàm operibus peragendam.

Origen.

Chrysost.

Hieron.

Basilius.

Inuitus punit Deus.

47. Postremò, sicut gallina non ferit rostro testam, nisi quodammodo inuita & coacta; sed exigente vtilitate, & necessitate pulli, feriendo autem condolet & compatitur: ita Christus cùm ferit, cùm flagellat, non nisi inuitus id facit, nobis condolendo & compatiendo. De quo vide Mendoza tomo 3. in lib. 1. Reg. cap. 15. numero 1. in exposit. litteræ Num. 6.

Mendoza.

Quod

Quod gallina pullos excludens etiam alienos, eosque fouēs speculū sit Christi homines redimētis.

SECTIO IV.

Gallina etiam alienos fouet pullos: Idem agit Christus.

1. Tertium, quod gallinæ amorem magis testatur illud est, quòd gallina ex ouis alienis suppositis, pullos excludat; & interdum accidit, quod etiam horum causâ vitam amittat. Nam si excluderit anseres, vel anates, & secundum naturalem inclinationem, in aquas ferantur, in easdem & illa se præcipitat, cum vitæ periculo. Quæ omnia, quàm bellè in Christum quadrant. Et quid quæso est homo, nisi pullus alienus, quem Deus educandum & fouendum suscepit? Creauit Deus Angelos, quos Scriptura sacra filios Dei nominat. *Vbi eras, quando me laudabant astra matutina & iubilabant omnes filij Dei?* Qui cùm sint naturæ prorsus spiritualis, propriè magis quàm homines, qui sunt naturę differētis, filij Dei dici possunt: horum tamen & Pater dici vult: *Nónne ipse est Pater tuus, qui fecit & creauit te?* Verùm postquam eos in lucem ediderat, & ex limo terræ, tanquam ouo (vt sic loquar) excluserat, mox se præcipitarunt in aquas tribulationum, laborum, augustiarum, & multarum calamitatum, dum per peccatum inobedientiæ, à Deo auersi, amiserunt originalem iustitiam, quâ contra prædicta mala muniebatur: verùm Christus instar gallinæ in easdem aquas etiam se præcipitauit, factus homo. Quid putas sunt illi panniculi, fasciæ, cunæ, &c. Quibus indiget homo post natiuitatem? Aquæ sunt, in quas se præcipitabit homo; in easdem, vt liberaret hominem, se præcipitauit & Christus; *Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* Quid illæ lachrymæ, quid ploratus, cum quibus nascitur homo? Aquæ sunt, in quas se præcipitauit homo, in easdem & se Christus coniecit; *Similem vocem emisit plorans.* Quid illa aspera circumcisio, sanguinisque qui in ea fiebat effusio, nisi aquæ, ob quas in peccati remedium, homo coniectus est? In easdem & se Christus coniecit: *Postquam consummati sunt dies octo, vt circūcideretur puer,* &c. Et quidem successu temporis, & crescente ætate, illis aquis crescentibus, illis se penitus immerget, adeò quòd eum vndique obruentes, vitam in dolorum & ærumnarum aquis amittet, vt meritò dicat Ps. 68. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.*

Christus in easdē aquas se præcipitat, in quas se præcipitauerat homo.

2. Sed libet Christum in cruce pendentem intueri, tamquam gallinam glocitantem & gementem præ doloribus, alasque extendentem, vt nos pullos suos congreget sub illis. Considera qualiter ibidem gallinæ exprimat conditiones: gallina pijssima est erga pullos, consouet eos sub alis, contra miluum protegit, præ amore filiorum ægrotat, plus pullos, quàm seipsam curat; magis eos, quàm seipsam pascit & satiat; escâ inuentâ, eos vocat, pro illorum defensione homini etiam fortissimo se opponit, quod acutè notat Synes. ex hoc capite pungens Ptolemaides muliebres animos: *Mulieres quidem*, ait, *vociferari, ac pectus plangere, & comam vellere, visis aut nuntiatis hostibus, tolerabilius videri potest. Quamquam ne tolerandum quidem existimat Plato, quod instar gallinarum ad pullos tegendos cuicumque etiam validissimo sese noluit opponere.* Pullorum amore raucescit; & vocem mutat; plumas deponit, & tota hispida euadit: demissis alis incedit, & sic illorum amore exhauritur, vt Aristotele scribente, sanguinem propemodum omnem amittat. An non omnia in Christo cruci affixo, completa esse videtis? Admirabili pietatis affectu pullos complectitur; sub alis diuinæ protectionis suæ, in vna fide, & Ecclesia vna, eos congregauit, sese validissimo hosti, id est, mundo sæuienti opposuit; & vsque ad sanguinis effusionem in arena pugnauit; pro amore nostro in cruce totus languidus apparuit, maiorem nostri, quam sui curam gessit: non tantùm pane materiali, sed & spirituali verbi sui, imò corpore & sanguine suo, in Eucharistiæ epulo, nos refecit: escâ illâ inuentâ, nos peramanter ad se collocauit: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Nostræ deuotionis causâ, diabolum animosè aggressus est, prostrauit, expugnauit: in cruce nimio nostri amore languens & marcescens, raucedinem contraxit: *Raucæ*, inquiens, *factæ sunt fauces meæ.* In cruce plumas pulchritudinis, & vestimenta depoluit, totoque corpore flagellis & spinis laceratus apparuit; & hispidus ac horridus instar leprosi æstimatus: ac tandem diuinitatis suæ potentiam abscondens, alis demissis, viribus omnibus exhaustis, omnique profuso sanguine, in Cruce expirauit. O singularem & eximiam charitatem! ô inexplicabilem in homines affectum! ô amantissimam gallinam Christum! ô vtinam hęc gallina numquam mentibus nostris excidat! vtinam de illa semper cogitemus, & tanto amori amorem rependamus. Cogita, ô Christiane, quod de te dici potest, quod Iuuenalis satyr. 13. *Quia tu gallinæ filius albæ.* Memento cuius gallinæ sis pullus, ne sis immemor tantę dignitatis. Apud prophanos legimus, Liuiæ Augustæ in somnis gallinam albam visam, quæ in eius sinum deuolaret, responsum, hoc somno imperium protendi, vt Dion. lib. 48.

Christus in cruce pendens comparandus gallinę glocitanti, gementi, alas extendenti vt nos pullos suos sub alis congreget.

SYNESIVS.

SVETON. Suetonius in Galba cap. 1. Plinius lib. 5. cap. vlt. testantur. Vis scire an cum Christo sis regnaturus? Indica mihi somnium tuum quid caduca hæc vita, nisi continuus quidam somnus? Quid in somnis vides? An gallinam albam, Christum Dominum? An eius recordaris, illum præ oculis habes, illum imitaris? O quàm bonum omen! portendit hæc in somnis visa gallina, regnum cœleste, eiusque possessionem.

3. Sed heu, sanguineis lachrymis detestanda est nostra in Christum ingratitudo, meritò dicere potest: *Frustra laboraui, in vanum fortitudinem meam consumpsi.* Quòd si contingeret pullos iam à matre exclusos, & tanta curâ & charitate educatos, super ipsam irruere gallinam eamque dilacerare, an aliquid crudelius excogitari posset? Vtinam ô Christiane, id de te dici nequeat. Numquid dum peccas, rursus tibi ipsi crucifigis filium Dei? An non sanguinem testamenti pollutum ducis? An non decerpis atque dilaceras, gallinam illam suauissimam, benignissimum illum saluatorem? Heu, quot nominibus de te conqueri potest Christus! Non solùm noluisti sub alis eius congregari, sed eum tibi crucifixisti, dilacerasti, & vnguibus crudeliter membratim discerpsisti, vtpote tanquam siluestris quidam pullus sanguinarij milui, vulturis, aut accipitris, vel, vt clarius dicam, & quod res est, cacodæmonis.

Qualis Christianorum in Christum ingratitudo.

4. Quàm pulchrè in Christum quadrat Apologus ille de gallina serpentis ouis incubante, quem refert Aldrouandus, Ornitol. tom. 2. lib. 24. *Cùm enim gallina*, ait *serpentis oua inuenisset, diligenter in sinum recepta & calefacta excludit: Illam autem hirundo cùm vidisset: O demens, ait, quid hac nutris, qua cùm excreuerint, à te primum iniuriam auspicabuntur: Quo inuento significare voluerunt, non quemlibet in intimum amicitiæ sinum admittendum, multos enim, quos nescimus, introductis dum fouemus, serpentes experimur.* Fouit te in sinu, ô Christiane, Christus instar amantissimæ gallinæ, & iam serpentem experitur? Excreuisti & ab illo iniuriam auspicaris? O detestandum scelus! O summam barbariem! O Christe, dicam tibi illud Isaiæ 59. *Oua aspidum ruperunt:* sperabas bonos & legitimos excludere pullos, amantissimos procreare filios, sed experientiâ reperis non bona fuisse oua, sed oua aspidum atque serpentium, quæ dum fouentur, serpentem excludunt. *Et quod confotum fuerit erumpet in regulum.*

Quadrat Christo apologus de gallina, serpentis ouis incubante. ALDROV.

Christus instar gallinæ suos protegit.

SECTIO. V.

1. QVartò, gallina solet maiori, quàm cæteræ aues, curâ & solicitudine alas suas expandere, atque pullos sub eis fouere & protegere, quod certè eximia ratione Christo competit, tum secundum diuinitatem, tum secundum humanitatem.

Secundum diuinitatem quidem, quia Deo maximè proprium est suos præsertim protegere quocumque locorum. Vnde antiquitas illa superstitiosa per ductum luminis naturalis, Deum gallinæ comparauit, alasque gallinæ adaptauit. Refert Liranus Babylonios construxisse tabernaculum aliquod, quod appellabant Sochot beuot, id est, tabernaculum alarum. Rabbi Salomon dicit in eo fuisse statuam ex metallo pretioso, in similitudinem gallinæ pullos sub alas habentis, pulchrè efformatum, sub hac similitudine Deum repræsentantes, vt indicarent eius ad protegendum propensionem, atque homines sub alarum suarum protectione vitam reperire. Hæc, vt opinor, ex sacra mutuarunt Scriptura, quæ Deo solet tribuere alas defensionis & protectionis: *Sub vmbra alarum tuarum protege me*, ait Dauid Ps. 16. &, *Sub vmbra alarum tuarum sperabo.* Ps. 56.

Christus suos protegit secundum diuinitatem. LIRAN. RABBI SALOM.

2. Huc referenda videtur illa solicitudo Dei præcipientis Exod. 26. & 27. alijsque locis, ornamenta templi, vt fierent opere plumario: *Decem cortinas variatas opere plumario facies.* Nimirum vt essent sparsæ alatis Cherubinis, siue imaginibus, significare volens, Deum qui inuocabatur in eo templo, semper alas habere expansas, vt reciperet & protegeret confugientes ad se.

Sicut aues volantes sic suos protegit Deus. HIERON.

3. Huc alludit Isaias cap. 31. dum ait: *Sicut aues volantes, sic proteget Dominus exercituum Hierusalem, protegens & liberans, transiens & saluans.* In quę verba sic D. Hieronymus lib. 10. in Is. prop. circa cap. 31. *Sicut aues naturali filiorum amore instigante, vt eas à rapacibus auibus tueantur, circumuolitant, propriaque fragilitatis, ac infirmitatis oblita rostro ac vnguibus alisque pugnant, totaque hispida, signis varijs ostendunt dilectionem quam habent in pullos mirabilem, sic Dominus proteget Hierusalem, & qui infirmus videbatur robustissimus apparebit, vt nos ab hostibus tueatur, secundum quod scriptum habetur Mat. 23. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas &c quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina &c. & noluisti.* Sic ille. *Neque enim sine causa*, ait D. Aug. in Ps. 90. *Comparata est gallina ipsa sapientia Dei, est enim nobis quasi gallina protegens pullos suos.* Nisi enim pulli à parentibus protegantur, nihil illis miserabilius, præda sunt rapa-

rapacibus auibus: ita nos nisi alis scapulisque Dei obumbremur, & sub pennis illius speremus, nihil nobis infælicius.

4. Sennacherib videns Israelitas hac alarum Dei protectione spoliatos & destitutos, sumit animos ad eos inuadendos & opprimendos. *Et inuenit*, ait Is. 10. *quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, & sicut colliguntur oua, quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam & aperiret os, & ganniret.* Sub alis autem Dei protegimur quamdiu ad illas confugimus, & sub illis latemus, nec ille nos derelinquit, nisi illum nos primò derelinquamus.

Non Deus similis struthioni pullos deserenti.

Elianus.

5. Non enim Deus similis struthioni, qui tanta licet fœcunditate vigeat, vt plusquam octoginta oua in lucem edat, vt scribit Elian. lib. 14. cap. 19. & seq. nullum tamen eorum protegit, vel fouet, sed in puluere relinquit, nihil curans si à transeuntibus bestijs conculcentur: Imò licet oua, & filios ex eis productos, magno pepererit dolore, quasi sæua nouerca, omni cura destituta relinquit, beato Iob dicente cap. 39. *Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laborauit, nullo labore cogente.* Et vt Pagninus vertit: *Crudelis fuit pullis suis, ac si non essent sui:* seu vt transferunt Regia: *Duriter tractat filios suos, non sibi.* Etenim licet struthio filios suos diligere videatur, vt indicat Micheas cap. 1. quia illorum visu valde delectatur; ita tamen efferato & crudeli animo erga eos se gerit, vt nec eos foueat, nec pascat, neque eorum amissionem timeat. Ad quod alludens Ieremias Thren. 4. dixit: *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto.*

Pagnin.

Neque similis columbæ, non defendẽti pullos contra raptorem.

6. Neque etiam Deus similis columbæ, cuius stultitiam insinuat Deus per Oseam cap. 7. cùm dixit: *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor*, vel, vt originale Hebræum habet, *Sicut columba stulta & stolida.* In cuius loci commentario Hieronymus obseruat propterea columbam stultam & vecordem nominari, quòd cùm illa frequenter varios fœtus producat, illos tamen non custodit, neque à raptore defendit, imò columba quasi corde careret, nullo tristitiæ affectu, propter pullorum amissionem excitatur. Imò è contra quasi lætari videtur cùm editos pullos, raptos videns, statim sese conuertit quasi ad hoc tantùm eos peperisset, vt sic raperentur, non sic Deus.

Similis Deus gallinæ, quæ pro pullis pugnat alis & vnguibus.

Bernar.

7. Certè gallina, quamuis alioquin imbecillitatis & pusillanimitatis symbolum sit, rostro tamen, alis & vnguibus, pro pullis defendendis, rapaci miluo se opponit, pullos sub alis fouet, alis defendit & protegit. Sic Deus, & ideo gallinæ comparatur. Hinc illud D. Bernardi in Ps. 90. ad illa verba, *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis*, sic ait: *Sub his scapulis abscondimur, sub his in incursu accipitrum & miluorum protegimur, sub his vmbraculum salutare nos refrigerat, sub his alimur & fouemur &c. Si gallina*, ait Diuus Augustinus eodem Psalmo, *protegit pullos suos sub alis, quantò magis tu sub alis Dei tutus eris, & aduersus diabolum & Angelos eius: quæ aëriæ potestates, tanquam accipitres circumuolitant, vt infirmum pullum auferant.* Et Diuus Augustinus Psal. 60. *Ecce*, inquit, *quare securi sumus, donec veniat finis sæculi, quia operimur in velamento alarum Dei, æstus est sæculi, sed magna vmbra sub alis Dei* &c. & Ps. 62. *Si non me protegas, quia pullus sum, miluus me rapiet* &c.

August.

8. Iam verò secundum humanitatem, quàm pulchrè conuenit Christo alarum expansio ad protegendum! Attolle in crucem oculos, ô Christiane, & cernes in crucis ligno, expansas Christi alas, atque brachia ad protegendum te ab ira Patris sui, qui brachia habet extensa & eleuata, vt te feriat, & perimat ob tua demerita; hisce etiam alis protegit fideles animas, qui sub vmbra illarum per seriosam considerationem sedent atque quiescunt ab incursu & dæmonio meridiano, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, id est, ab omni tam aperta quàm tecta ac latente tentatione, quà hostis animam posset superare.

Quid vtilius nobis esse potest, quàm sub hisce alis Christi per meditationem requiescere & vitam agere! ô fœlicem illum, qui sub tantis alis tenetur congregatus! ô infœlicem illum, qui extra illas vagatur per caducas res dispersus! Multi nos circumvolant milui, multi tartarei accipitres, tutissimus locus est sub alis Christi. Quemadmodum miluus aberrantem ab alis, & matre, pullum, sic cacodæmon aberrantem à Christi alis hominem, facilè accipit & superat. Ad alas ergo Christi in cruce expansas confugiamus, ne nos tartareus capiat miluus, non clausas illas inueniemus, sed semper apertas: *Sicut* (ait Bernard. in Ps. 90) *videns venientem accipitrem mater expandit alas suas, vt pulli subeant & habeant tutum refugium, sic nobis parata & quodamodo dilatato sinu extensa est summa & ineffabilis pietas Domini.* Bernar.

9. O quanta securitas, quanta dulcedo, quanta exultatio animæ sub vmbra alarum sanctissimæ crucis per meditationem sedenti! Hæ namque alæ non solùm protegunt, sed etiam alunt, confouent, calefaciunt ac delectant, quemadmodum alæ gallinæ pullos, confouent, inquam, & charitate in Deum & proximum. Qui sub alis Christi sunt, charitate in Deum calefiunt, charitate in proximum cõgregati sunt velut pulli, odio minimè dispersi. Qui extra alas vagantur, charitatis calore priuati pereunt. *Hoc* (ait Bernard. loco cit.) *sub scapulis Christi nobis præstatur, vt tanquam pulli in calore materni corporis foueamur, ne foris vagantes moriamur*, refrigescente nimirum charitate. Et quid suauius, quàm sub Christi alis foueri? Bernar.

ueri? meritò talis anima dicere potest illud Dauidis Ps. 62. *In velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.* Exultat iustus ac deuotus, in velamento alarum Christi, charitatis ardore calefactus, adhæret amore anima illius post Dominum, à quo in tentationibus rebusque aduersis, potentissima dextera suscipitur. Quàm rectè ergo Sponsa: *Sub umbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis fuit gutturi meo.*

Christus instar gallinæ aberrantes ad se homines, reuocat.

SECTIO VI.

Christus semper alas habet expansas ad nos recipiendum. BERNAR.

1. TAntopere autem hæc illi protectio cordi est, vt semper expansas habeat alas ad nos recipiendum, vt benè expendit D. Bern. ser. 4. in Ps. 90. *Sicut*, ait, *videns accipitrem, mater expandit alas suas, vt pulli subeant & habeant tutum refugium, sic nobis parata, & quodammodo dilatato sinu, extensa est summa illa, & ineffabilis pietas Domini nostri*, &c. Insuper tantâ curâ nostri tangitur, vt instar gallinæ, non solùm expandat alas sed etiam fugientes pullos reuocat, querula voce, & flebili cantu. Vis querulas audire voces, vis flebilem audire cantum? *Filios enutriui*, ait per Is. c. 1. *& exaltaui, ipsi autem spreuerunt me*, &c. *Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, populus autem meus non me cognouit.* Et iterum Is. 5. *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci, expectaui vt faceret vuas & fecit labruscas.* Sed adhuc flebiliùs & acerbiùs per Ierem. cap. 2. *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & abierunt post vanitatem, & vani facti sunt*, &c. *Populus meus mutauit gloriam suam in idolum.* Et Ierem. c. 3. *Nunquid vidisti quæ fecit auersatrix Israel?* Et paulò pòst clamat per Prophetam: *Conuertimini filij reuertentes, quia ego vir vester & assumam vos.* Et pòst multa huiusmodi grauiter conquirendo subiungit. *Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contemnit me domus Israel ait Dominus.* Similis prorsus vox est illa apud Ierem. c. 3. vbi in persona Dei populum Israeliticum ita alloquitur Vates: *Vulgo dicitur si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alienum, nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus.* Et rursus cap. 31. etiam in persona Dei congruenter ait: *Dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti. Reuertere Virgo Israel, reuertere, vsquequo delicijs dissolueris, filia vaga* &c. huc etiam spectant illa Sponsi verba Cantic. 5. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.* Quid vox toties repetita indicat, nisi quandam perpetuitatem & vehementiam affectus, & adhortationem quandam vehementem atque efficacem Dei, ad animam, præsertim errantem & peccatricem, vt vel serò tandem conuertatur, seu reuertatur ad Deum, pœnitentiamque agat salutarem. Quantopere autem Deus conuersionem nostram desiderat, satis hoc expressit diuina scriptura vno illo loco qui est apud Ezech. c. 18. vbi domum Israel, id est, quamlibet animam trāsfugam ita alloquitur, *Quare moriemini domus Israel, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, reuertimini, & viuite.*

Instar gallinæ fugientes pullos reuocat.

Dei querulæ voces vt homines reuocet.

DIONYS.

2. Cōsentanea sunt quæ de hac Dei erga animam peccatricem, vagantem per creaturas, deserto creatore, bonitate, benignitate, & clementia, dum eam tolerat, expectat, & reuocat, instar gallinæ, habent Sancti Patres. D. Dionys. epist. 8. ad Titum loquens de eximia Dei bonitate seu humanitate atque indulgentia erga animam peccatricem, quæ scilicet à regula diuina & pietate ante declinauit, tanquam ouis errabunda ita per amplificationem ait: *Quid quod aduersos ac resilientes ipse Deus amatoriè sequitur, intenditq; ac deprecatur ne se deserant hi quos tanta vi amoris inquirit? quid quod delicijs quoque resolutos & redire ad eum differentes benignè tolerat?* & cætera, quæ prosequitur in eandem sententiam.

CLEMENS ALEXAN.

Similia sunt quæ scribit Clemens Alexandrinus orat. exhort. ad gentes, vbi inter cætera sic ait: *Deus enim ex multa benignitate & clementia hominem retinet, & complectitur, sicut cùm pullus è nido excidit, mater auis è nido aduolat. Si quando autem serpens pullos deuoraturus inhiet, mater circumuolat, natos charissimos pignora deflens: Deus autem pater & suum quærit figmentum, & ei quod lapsum est, medetur, & feram persequitur, & pullum rursus in nidum recipit vt rursus aduolet incitans. Quid ergo Dominus? Iniuriæ acceptæ obliuiscitur, adhuc miseretur, adhuc postulat pœnitentiam* &c.

AVGVST.

Vnde & D. Augustinus in lib. medit. cap. 2. *Si pœniteo, parcis, si reuertor, suscipis, insuper dum differo præstolaris: reuocas errantem, inuitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem.* Idemque Augustinus in libro 4. Cōfess. cap. 11. ita ait: *Noli esse vana anima mea, & obsurdescere in aure cordis tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu, verbum ipsum clamat, vt redeas & vbi est locus quietis imperturbabilis, vbi non deseritur amor, si ipse non deserat. Ibi fige mansionem tuam, ibi commenda quidquid inde habes, saltem fatigata fallacijs.* Et cap. 12. eiusdem libri ait: *Intimus cordi Deus est, sed cor errauit ab eo. Redite præuaricatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos, state cum eo, & stabitis, requiescite cum eo & quieti eritis. Quò itis in aspera, quò itis, quò vobis adhuc, & adhuc ambulare vias difficiles & laboriosas? non est requies vbi quæritis eam, beatam vitam quæritis in regione umbræ mortis.*

tis, & descendit huc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram, clamans vt redeamus hinc ad eum, clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans vt redeamus ad eum. &c.

Gallina certâ propositâ pullos reuocare conatur, sic Christus propositis bonis conatur ad se trahere homines.

3. Sed numquid considerasti, qualiter gallina vagantes pullos reuocare nititur? In fimi tumulis scalpit, cùm verò granum aliquod vel vermiculum inuenerit; suos conuocat pullos maxima cum celeritate, & certo quodam ac peculiari clamore; quem pulli capiunt & intelligunt; illis indicat se reperisse escam delicatiorem, vt pulli allecti spe escæ delicatioris accurrant & aduolent. Quàm bene gallina, congregans hac ratione sub alis pullos, exprimit ingenium Dei! Deus vt trahat & reuocet ad se homines per varia diuagantes, modò eos populum suum vocat, *Popule meus quid feci tibi.* Peculium suum vocat, Exod. 15. *Eritis in peculium mihi de cunctis populis:* Partem suam vocat Deut. 32. *Pars autem Domini, populus eius:* Vineam suam vocat & germen delectabile Is. 5. *Vinea Domini exercituum domus Israel est & vir Iuda, germen eius delectabile.* Vocat filium, eumque primogenitum, sic enim ad Pharaonem Moses loqui iubetur Exod. 14. *Filius meus primogenitus Israel, dimitte filium meum vt seruiat mihi.* Quid quod etiam honorabilem filium, & tenerrimè dilectum vocat? Sic enim apud Isaiam loquitur cap. 43. *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus, ego dilexi te.* Sed quale istud est, quod hunc populum, ipsam animam suam dilectam vocat. Sic enim apud Ieremiam loquitur cap. 12. *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius.* Nihil hisce præmijs addi potest. O mortales, qui lucro & gloriæ inhiatis, quid vagamini per multa, congregamini sub alis huius gallinæ, & bonis omnibus replebimini.

Gallina reuertentibus pullis non dedignatur sed illorum aduentu gaudet. Ita etiam Christus. PLVTARC.

4. Et sicut gallina aufugientes à se pullos semper expansis alis recipit, & reuertentibus non dedignatur, nec ferit rostro, nec pede conculcat, nec alis verberat, sed illorum aduentu gaudet & delectatur, prout Plutarchus animaduertit, de natiua in progeniem suam charitate. *Gallinas, inquit, quotidie ante oculos habemus, quomodo foueant pullos, cùm his aperiunt alas, illos dorsa scandentes, atque vndique accurrentes cum gratulatione, & blanda voce recipiunt.* Similiter Deus segerit erga animam peccatricem, ad vocem eius pœnitentem, & sese conuertentem, vt indicat ipse Christus parabolâ illâ pastoris, qui inuentam ouem in humeros tollit, & summo, illius inuentione & reditu, afficitur gaudio. Quin etiam Oseæ cap. 2 de Ecclesia Israelitica, ad Deum sponsum iam reuertente, seu reuerti cogitante, ita Deus ipse loquitur. *Ego lactabo eam & loquar ad cor eius.* &c. Quasi dicat: ego fouebo eam & demulcebo eam, quasi mater & nutrix infantem solet, & loquar ei verba mollia,

Deus fouet reuertentes & lactat.

blanda, & consolatoria; vt exponit etiam D. Hieronymus. Pulchrè idipsum expendit Chrysostomus Epist. 5. quæ est ad Theodorum lapsum. *Nemo enim, ait, amator formæ, quamlibet insaniâ aduersus adamatam tanto conflagrat igne, quanto studio Deus nostram appetit salutem. Obserua in præfationibus Hieremiæ, & passim apud Prophetas, contemptum fastiditumque Dominum, iterum tamen aduolantem, & instaurantem amicitiam; erga desertorem, secundum quod scriptum est: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas,* &c. *quoties volui congregare* &c. HIERON.

5. Sed quoniam hæ gallinæ conditiones ac præsertim illa, quòd vocet ad se pullos, eos alliciens spe escæ delicatioris, nusquam in Christo meliùs & luculentiùs apparent, quàm dum Matth. 11. illis vtitur verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris,* quæ pro Euangelio proponit Ecclesia in festo S. Matthiæ. Hinc est, quòd libeat illa sequente sectione cumulatiùs in rem concionatoriam examinare & illustrare.

Qualiter Christus, gallinæ, pullos suos vocantis, & spe delicatioris escæ allicientis, similitudinem gerat, dum ea profert verba, Matthæi. 11. Venite ad me omnes &c.

SECTIO. VII.

Quod omnes vocet Christus.

§. I.

1. PRoprium est, summi pulchri & boni, id est, Dei, vt eleganter ostendit D. Dionys. lib. de diuin. nom. c. 4. parte 1. Vt ad se omnia vocet & colligat. Vnde etiam ipsa pulchritudo Græco vocabulo, καλὸν à vocando dicitur. Cùm autem Christus summa sit pulchritudo, summumque bonum, quid mirum, quod ad se omnes vocet & colligat: *Venite ad me omnes,* Venite ad me magnetem suauiter trahentem, ad me thesaurum absconditum, ad me Omnes vocat Christus.

defide-

desideratum cunctis gentibus. Venite ad me tanquam ad vmbram salutarem, non cuiuslibet arboris, sed arboris vitæ, vbi nec suauissimus deest pastus, non est vmbra mea, similis vmbræ arborum siluestrium, montium, atque vallium, quæ licet refrigerent, tamen nullum præbent pastum, refrigerium aliquod possunt adferre creaturæ ad quas confugitis, sed non pastum. Venite ergo ad me, tanquam ad saluberrimam vmbram.

2. *Venite ad me omnes.* Dixerat omnia sibi tradita à Patre, vocat iam omnes tam Iudæos quàm gentiles, ad se mediatorem Deum & hominem, omnes promiscuè inuitat ad salutem, & omnibus absque personarum acceptione, sua offert dona. *Homines*, ait Philo Iud. lib. de Abraham, *quando sentiunt prætextu amicitiæ quosdam ad se accedere, lucri captatores, suspectos auersantur adulationem veriti, & fucatam mansuetudinem & valdè damnosam: At Deus vt tutus ab iniuria, omnes quocumque modo volentes eum colere, libenter admittit, neminem omnino repellens, quasi coram appellans animam, aures habentem, hoc modo: Prima præmia ferent, qui me colunt propter meipsum, secunda, qui sic sperant consequuturos bona, mala euasuros. Quamuis enim istorum mercenaria sit religio & insincera, tamen intra diuini templi sacra septa versatur, non foris oberrat: Proinde me, propter me colentibus, propono quæ amicis debentur præmia, cæteris propter vsus proprios, nequaquam vt amicis, nec alienis tamen. Nam eos quoque accipio, qui potentia mea beneficiis frui cupiunt. Imò & vos qui metu Regiæ potestatis placant eam, vt pœnas effugiant.* Sic Philo.

Omnes admittit Deus. PHILO IVDAEVS.

3. Verissimum est enim illud quod ait Apostol. Paulus 1. Tim. 2. de Saluatore nostro Deo: *Qui omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quemadmodum Sol iste*, ait Dionys. loc. cit. *non cognitione, aut electione, sed eo ipso quod est, illuminat omnia quæ pro modo suæ lucis participationem admittunt: ita & summum illud bonum solem superans (non aliter atque obtusam aliquam imaginem primitiua excellensq; forma) ipsa sua substătia, omnibus quæ sunt pro captu cuiusq; totius bonitatis inijcit radios*, &c. Et paulò inferiùs subiungit: *Quod si quid est, quod non hauriat, id non imbecillitati aut breuitati luminosæ istius distributionis imputandum est, sed ijs potiùs, quæ præcipiendæ lucis minus idonea sunt, neque se ad consortium lucis extendunt*, &c.

Deus instar solis omnia illuminat. DIONYS.

Atque ob hanc etiam causam Christus oleum effusum, siue euacuatum à sponsa vocatur Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum*, (nomen enim pro persona accipitur apud Hebr.) vt testatur Euseb. Cæsar, lib. 5. demonst. Euan. c. 1. Vbi ait sponsum cæleste vnguentum euacuatum esse dictum, idcirco quòd euacuatione, id est, eximiam fragrantiam, suauitatem, & bonitatem suam, cum omnibus, tam visibilibus quàm inuisibilibus, tam corporeis, quàm incorporeis, tam rationabilibus quàm brutis, communicauerit, secundum proportionem & captum cuiusque &c. O dulcem aduentus Domini gratiam, conuersationisque ipsius cum hominibus communionem blandissimam, qua fiebat, vt passim cum omnibus loqueretur, & omnes ad se clementer euocaret, prouidens sollicitè vt ne cùm ipse pergeret saluans, remaneret quispiam à tergo derelictus.

Meritò cõparatur oleo effuso.

4. *Venite ad me omnes.* Ecce quàm liberaliter omnibus sua offert dona, ecce anima peccatrix quàm instet animis nostris Christus excitans, vocans, & deprecans ad salutem. *Venite ad me omnes.* Ecce quo affectu aberrantes ad se animas vocat, nihil magis optans, quàm earum pœnitentiam. Neminem spernit rex clementissimus Christus omnes vocat, omnes admittit, etiam inopes, mendicos, sordidos, omnes vultu mansuetissimo aspicit & recipit. Rex Assuerus terribili aspectu describitur in lib. Ester, in solio residens, ardentibusque oculis furorē indicans peccatoris, adeò vt Reginā ipsam conspectu suo terruerit. Esther c. 15. *Erat Assuerus terribilis aspectu, cùmque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit: & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulā reclinauit caput*, &c. Lōgè alius Rex noster est, non terribilis, sed mitis aspectu, non furorem ardentibus indicat oculis, sed mansuetudinem modestis demonstrat luminibus; non terret miseros peccatores, non Magdalenam, non Samaritanam, sed miti colloquio excipit. Audi mitissimum Regem Matthæi 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiā vos: tollite iugū meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Accede quicumque es, non Assuerum terribilem, sed Regem Messiam inuenies mitem & humilem, abiectissimis etiam hominibus attendas præbentem aures, liberalem, opesque suas ipsis etiam Samaritanis exponentem, ad expedienda animorum negotia paratū, quorum salutem cibū suum esse profitetur. *Accede ergo cum fiducia* (vt cum Paulo loquar ad Heb. 4.) *ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequaris, & gratiam inuenias in auxilio opportuno.*

Omnes admittit Christus, etiam inopes, mendicos &c.

Quàm pauci Christū inuitantem audiāt.

§. II.

5. Sed quàm sunt pauci, quos hæc trahunt dulcissima Christi verba, dulcissimum, inquam, hoc Christi inuitatoriū; *Venite ad me omnes*, &c. Holcot in c. 2. Sap. lect. 20. de quadruplici loquitur inuitatorio: Quadruplex, ait, inuenio in Scriptura sacra inuitatorium, à quatuor generibus cantorum cantatum. Primū cantant voluptuosi; secundū malitiosi: tertiū ambitiosi: &

Paucos trahunt dulcissima Christi inuitatoria. HOLCOT. De quadruplici inuitatorio.

& quartum sancti Religiosi. Et tres primi cantant in choro diaboli: & quarti solummodò in choro Christi. Inuitatorium voluptuosorum ponitur ibi: *Venite fruamur* &c. quando sic est, quòd homo intrat Ecclesiam Cathedralem vt audiat matutinas de aliquo Sancto, statim per inuitatorium potest discernere, in quanta veneratione Sanctus ille habetur. Ibidem: Quia in ferialibus diebus sufficit tantùm vnus, & quantò festum celebratur solemnius, tantò plures inuitatorio deputantur. Moraliter: Inter nos in vitâ præsenti, dij multi coluntur, ad Corinth. cap. 8. *Siquidem dij multi, & Domini multi*: mundus, caro, dæmonia, Deus. Videamus ergo quis istorum habeat in choro plures ad cantandum inuitatorium, & inueniemus quòd Deus habet pauciores. Omnes alij habent inuitatores in magna copia. Si loquamur de mundo; nónne senes & iuuenes, & pueri à cunabulis suis extracti, statim alliciuntur, statim inuitantur & animantur ad colendum mundum: iste vt fiat mercator; iste vt fiat miles, alius vt fiat diues; alius vt fiat rector, & sic de alijs, qui omnes vna voce dicunt: *Venite & fruamur bonis, quæ sunt*: Et sicut illi qui sunt magis vicini cantoribus, magis excitantur ad càntandum; ita hominibus accidit, qui familiariter magis tractant cum mundialibus, vel carnalibus, quod nullo modo possunt euadere, quin eis in moribus conformentur. Vnde Isidorus 3. de summo bono: *Rarum est*, inquit, *vt quisquis inter seculi voluptates positus, à vitijs maneat illibatus. In quibus etsi non citò implicetur, aliquando tamen attrahitur, nec diu potest esse securus, qui periculo fuerit proximus.* Quot sunt qui his diebus inuitant homines ad mundi contemptum, ad propria reliquendum, ac se pro suis peccatis totaliter contemnendum? Certè vel nulli, vel pauci, imò tantus strepitus est cantorum mundi, quòd illi, qui dicunt inuitatorium, vix in aliquo possint audiri.

Inuitatorium voluptuosorū.

6. Secundum inuitatorium cantant malitiosi, vt scribit Ierem. cap. 18. *Venite cogitemus contra Ieremiam cogitationes: non enim peribit lex à Sacerdote: neque consilium à Sapiente, neque sermo de Propheta.* Et notate quales homines malitiosi, ponunt pro parte sua, videlicet Sacerdotes, Sapientes, & Prophetas: Sacerdotes sunt magni Prælati; moraliter Sapientes iustitiarij, Prophetæ sunt Religiosi: & numquam videbitis in republicâ magnam iniustitiam seu malitiam fieri, nisi vel ab omnibus istis, nisi ab aliquo istorum procedat, vnde isti tres perfectè cantant inuitatoriū malitiosorum, & isti sciunt facere conspirationem contra optimum hominem, dicentes illud Ierem. 18. *Venite percutiamus eum linguâ, & non attendamus ad vniuersos sermones eius.* Percutere hominem linguâ, est præcludere illi viam respondendi, vt nihil possit dicere pro seipso: vel percutere hominem linguâ, est falsum conspirare, falsum testimonium contra hominem perhibere. Et nota quòd isti malitiosi triplex habeant inuitatorium, scilicet proprium, quo se inuicem ad malitiam animant, & instigant. Primò enim se colligunt ad conspirandum subtiliter, dicentes illud Ierem. 18. *Venite cogitemus contra Ieremiam cogitationes.* Secundò, recolligunt se ad accusandum ciuiliter, & sub iuris colore, dicentes illud Ierem. c. 18. consequenter: *Venite percutiamus eum linguâ, & non attendamus ad vniuersos sermones eius.* Tertiò, recolligunt se ad occidendum hostiliter, dicentes illud Matth. 21. *Venite & occidamus eum, & nostra erit hæreditas.* Et hæc est conclusio malitiæ vltima.

Inuitatorium malitiosorum.

7. Tertium inuitatorium quod ponitur in Scriptura, cantant isti ambitiosi, & scribitur Genes. 11. *Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum.*

Inuitatorium ambitiosorum.

8. Et notandum, quòd omnes ambitiosi exponant se maximis periculis atque laboribus, pro honoribus consequendis, intantum, quòd si tertiam partem laborum facerent propter Deum, maximi meriti essent: vnde isti ad ædificandum, ad fodiendum & construendum se applicant & exponunt. Quantam æstimatis vexationem sustinent, qui curijs Papæ & Episcoporum se mancipant? Dant munera, dissimulant, adulantur, mentiuntur, & se nequiter humiliant quibuscumque. Vnde Innocentius de vtilitate humanæ conditionis, sic dicit: *Ambitiosus semper est pauidus, semper attentus ne dicat quod displiceat, & humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur & obsequitur, cunctos honorat, vniuersis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit & amplexatur, applaudit & adulatur, & benè nou it illud poëticum Ouidij* de arte 1.

Etsi nullus erit puluis, tamen excute illum.

Hæc ille. Et ideò talibus curialibus, qui castra Regum sequuntur, dixit quidam:

Sunt, non dicuntur miseri, qui castra sequuntur.

9. Quartum inuitatorium quod ponitur in sacra Scriptura, cantant boni Christiani & Religiosi, & ponitur in Psalm. *Venite exultemus Domino, iubilemus* &c. & istud inuitatorium cantant valdè serialiter his diebus, imò tantus est strepitus in in choro mundi, quod istud inuitatorium non auditur in choro Christi, quod dolendum est. Hactenus Holcot.

Inuitatorium bonorum Christianorum.

10. Addamus quintum inuitatorium, nimirum quod est Christi, & ponitur Matth. cap. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis* &c. Et quot sunt inter mortales, qui hoc audiunt inuitatorium licet dulcissimum? Scitote in die iudicij, neminem auditurum inuitatorium illud

longè suauissimum de quo quo Matth. c. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite*, &c. nisi priùs audierit in hoc mundo inuitatorium hoc Christi, ad se vocantis & inuitantis homines per veram pœnitentiam.

Quibus pœnis sint digni qui has Christi inuitantes voces non audiunt. BERN.

Vis scire quanto digni supplicio, qui dulces hasce voces respuunt, qui surdas præbent aures hisce inuitatorijs? Audi D. Bernardum serm. de septem Spirit. postquam enim dixit; *Felix & beata est anima, quæ ventum susurri diuini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis; Loquere Domine, quia audit seruus tuus*, subiungit: *Quantæ temeritatis, imò quantæ insaniæ est, si fortè, ait, dum alloquitur nos Dominus maiestatis, nos insensati auertamus aurem, & ad nescio quas ineptias conuertamur? Quàm est hæc iniuria, & quàm grauiter vindicanda, cùm vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur creatorem vniuersitatis.* Post hæc in diuinæ assurgit admirationem bonitatis, dum etsi non auditus, nihilominus clamare non cessat. Sequitur: *Quanta verò, & quàm ineffabilis diuinæ dignatio bonitatis, quæ quotidie conspicit nos infœlices auertentes aures, obdurantes corda, & nihilominus clamat ad nos, & iugiter clamitat in plateis, & verè in plateis, quia in latitudine charitatis.*

Quòd Christus propositâ dulcissimâ escâ, aberrantes reuocet.

§. III.

Propositâ escâ ad se nos reuocat Christus.

1. NOn solùm instar gallinæ vocat & inuitat Christus peccatores à se aberrantes, sed propositâ etiam dulcissimâ escâ, vocat & inuitat, vt huius dulcedine allecti, celeriùs veniant & accurrant. *Ego*, ait, *reficiam vos, ne ampliùs laboretis*. Iuxta illud Ierem. cap. 17. *Et ego non sum turbatus te pastorem sequens*; vel, *ego non laboraui te pastorem sequens*. Laboratis, ô miseri mortales, errantes scilicet per aspera, & deuia huius mundi, redite, fatigati saltem fallacijs, non alibi requiem habituri. *Væ animæ audaci*, ait D. Augustinus lib. 7. Conf. cap. 16. *quæ sperauit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram, versa, & reuersa, in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies*, &c. Nusquam inuenit columba extra arcam, vbi requiesceret pes eius, nisi cùm ad arcam est reuersa, portans ramum oliuæ virentibus folijs: ita & anima nusquam inuenit in creaturis, vbi requiescat pes affectionis & amoris. Vt requiescat, necesse est ad Deum se conuertat cum ramo oliuæ, reconciliationis & misericordiæ symbolo. *Non enim*, vt ait D. Gregorius lib. 20. Moral. 16. *sine grauibus curarum molestijs, possunt homines temporalia quæ appetunt, vel non habita quærere, vel quæsita seruare*, &c. Vnde Sophonias considerans mundanorum hominum laborem, inquietudinem, molestiasque in acquirendis mundi rebus, inducere eos volens ad laboris sui, suarumque molestiarum deplorationem, sic eos admonet cap. 1. *Vlulate habitatores pilæ.* Quænam hæc pila & quinam pilæ habitatores? Per pilam intelligit hîc Rupertus, mortarium pharmacopoli, in quo in puluerem rediguntur aromaticæ species, & dicit per eam significari hunc mundum: ita vt habitatores pilæ sint huius mundi amatores, in mundo tamquam in pilâ tunduntur, & grauissima patiuntur incommoda, quæ tam animi, quàm corporis vires frangunt & extenuant, ossaque eorum omnia, vires, inquam, tam internas quàm externas quasi comminuunt, & in puluerem redigunt. Hos vocat Christus, vt à tam grauibus molestijs, laboribusque eos vendicet; *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, veram dabo mentis requiem.

AVGVST.

Pilæ meritò comparatur mundus.

Mundani, pilæ inhabitatores. RVPERT.

Laborantes vocat.

Christus vocat etiam oneratos.

Quinam onerati.

Grauissimũ peccati onus. CHRYSOS.

2. Non solùm laborantes Christus vocat vt reficiat, sed etiam oneratos. Quinam sunt hi onerati? Peccatores sunt. O quantum onus humeris impositum habent peccatores; etenim grauissimum est peccati onus. *Nullo pondere grauiùs premitur anima*, ait D. Chrysostomus homil. 40. in Matthæum, *nihil tam vehementer mentis perstringit oculos, nihil magis deijcit atque prosternit, quàm malè acta vita & peccatorum conscientia & recordatio*, &c. Et Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* D. Augustinus in comment. eiusdem Psal. legit: *Sicut fascis grauis grauatæ sunt super me.* Fasces nos ex peccatis efficimur graues, illorum pondus, etsi fortè dum viuimus, non percipimus, paulò pòst cùm ad tribunal Christi venerimus, sentiemus. Si alicui vt in mari abijciatur, ad collum alligatur lapis, pondus illius non experitur, quousque in mare præcipitetur; at mox vt præcipitatur, in profundum pelagi pondere trahitur: eundem in modum qui mortiferum crimen, veluti ponderosum lapidem fert, cui alligatur, in profundum tartari pelagus est deturbandus, illius onus pondus, etsi modò non sentiat, tandem magno cum luctu experietur. Threnor. c. 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manu eius (in manu Dei) conuolutæ sunt, & impositæ collo meo, dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere*, &c. Dormire videntur hominis iniquitates, cùm neque cogitantur, neque ponderan-

Peccati pondus quàm graue, in alterâ vitâ experiemur.

Iugum iniquitatum nostrarum vigilat in manu Domini.

ponderantur: at vigilat aliquando hoc grauissimum iniquitatis iugum, omnesque à Deo conuoluuntur, atque in vnum fascem redactæ, miseri hominis collo imponuntur, tunc onere oppressus, in sempiternos ruit cruciatus, & ait: *Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.* Non enim poterit ex orco vmquam liber euadere. Grauissimum est peccatum, sed eius pondus multi non sentiunt, quia non sentiunt pondus culpæ, pondere obruuntur pœnæ: qui verò pondus sentiunt culpæ, ad Christum vocantem veniunt onerati, vt ab eo exonerentur. Exonerantur autem ab ipso quàm festinanter; nihil enim Christo suauius, quàm ab onere peccati homines exonerare: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* O suauissimi gutturis melleam vocem!

Solus Christus potest reficere. AVGVST.

3. *Ego reficiam vos.* Quasi dicat: Solus vos reficere possum. Vnde Diuus Augustinus lib. 4. Conf. cap. 10. inter cætera sic ait, vel potiùs exclamat: *Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. Nam quaquauersum se extenderit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te, tametsi figitur in pulchris, extra te, & extra se. Laudet igitur te ex illis anima mea Deus, Creator omnium, sed non infigatur in eis glutino amoris per sensus corporis. Eunt enim quò ibant, & festinant, vt non sint, & conscindunt eam desiderijs pestilentiosis, quoniam ipsa esse vult, & requiescere in eis quæ amat: in illis autem non est vbi, quia non stant, sed fugiunt, neque aliquis ea comprehendit, vel cùm præsto sunt. Nolo itaque esse vana anima mea, & obsurdescere,* &c. Et lib. 3.

IDEM.

Conf. c. 8. ait: *En amo, etsi parum est, amem validius. Non possum metiri, vt sciam quantum mihi desit amoris, ad id quod satis est, vt currat vita mea in amplexus tuos. Hoc tantùm scio, quia malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed etiam in meipso; & omnis mihi copia quæ Deus meus non est, egestas est.* Et cap. 9. *Requies nostra, locus noster. Corpus pondere nititur ad locum suum, amor meus, pondus meum,* &c. Optimè ergo Christus; *Venite ad me, & ego reficiam vos*, qui solus possum vos reficere.

Reficit Christus vt blanda mater.

4. *Et ego reficiam vos.* Nimirum vt blanda mater, vbera offerens doctrinæ & consolationis plena, vt cùm sponsa dicere valeas: Meliora sunt vbera tua vino. Cor tuum, ô sponse, diuinis sensibus, consilijs, & consolationibus fœcundum, plenumque est, quæ superant omnes huius mundi, purissimique vini delicias, & suauitatem.

Reficit Christus sicut prouidus Imperator AMBROS.

5. *Et ego reficiam vos.* Nimirum sicut Rex prouidus, & Imperator reficit milites suos. Vnde pulchrè D. Ambrosius scribens in illud Cantic. cap. 2. *In vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*, sic ait: *Meritò quærit eum, meritò desiderat, quia hæc omnia in occursu atque itinere disposuit Imperator noster. Si qua est enim nobis aspera, & arida & prærupta mansio: Imperator tamen iste turbata discernit, arida irrigat, deserta fœcundat. Si quid amaritudinis, si quid tentationis, si quid infirmitatis est, ductor noster & amara temperat, dura dissoluit, & inualida confirmat. Sicubi vult requiescere Rex terræ exercitum suum non ignobilem vicum, non commeatibus indigentem, non arenosa & nuda gignentium, sed vrbem ædificijs nobilem, refertum & vberem copiarum, aut agrum amœnum & virentem pascuis, aut nemorosa & campestria statiuis opportuna decernit. Ergo si reges terræ norunt commoda prouidere sequentibus se, quantò magis Deus, qui bonus est, nouit quemadmodum profutura disponat, diligentibus se. Ac primum, si incognitum carpendum est iter, duces eliguntur viarum, qui præcurrant agmini. Sed hoc Imperatores isti ignominiosum sibi arbitrentur. Deus præibat cùm Hebræi facerent iter. Denique in columna nubis loquebatur ad eos, die quidem in columna nubis ostendens eis viam, noctu autem in columna ignis* &c. Hactenus Ambros.

6. *Et ego reficiam vos*, nimirum sicut pastor oues suas reficit, & quidem ita abundanter & suauiter, vt nemo suprà. Quis vnquam pastor ouibus suis lilia collegit? hoc facit Christus vt oues suas reficiat, descendens propterea in hortum Ecclesiæ. *Dilectus meus*, ait Sponsa Cantic. cap. 6. *descendit in hortum suum, ad areolam aromatum vt pascatur in hortis & lilia colligat.* Quasi dicat: Dilectus meus, descendit in hortum suum, vt pascat ibi oues suas, vel gregem suum, id est, in locis cultis & delicatis, virentibus & florentibus, cuiusmodi sunt horti, gregem suum pascat. Vnde D. Gregorius Nyssen. orat. 15. in Cantic. horum verborum allegoriam in hunc modum congruenter exponit, dicens sponsam his verbis indicare, cuiusmodi pascuis, oues præclari illius pastoris, id est, dilecti sui pinguescant. Non enim ille deserta quædam ad loca, spinosaque abigit oues, vt gramen decerpant, sed cibi loco, eis hortorum aromata proponit, & pro gramine lilia, quod quidem ipsum ait à pastore, ad alendas oues colligi. Nam lilia quidem splendoris & puritatis in mente quoddam ænigma sunt, aromatum verò fragrantia, significat affectionem à fœtore peccatorum abhorrentem. In his ergo dicit versari sponsa eum, qui ratione præditis ouibus præest, pascentem in hortis, & lilia decerpentem, colligentemque in vsum ouium. Nam lilia putari debent quæcumque vera sunt, quæcumque honesta, quæcumque iusta, quæcumque pura, quæcumque amabilia, quæcumque boni nominis, si qua virtus, si qua laus, vt inquit Paulus. Hæc sunt lilia quibus ab illo præclaro pastore ac magistro nutriuntur oues. Sic exponit horum verborum allegoriam Gregorius Nyssen.

Reficit Christus sicut pastor oues.

GREGOR. NYSSEN.

In lilijs pascit Christus gregé.

Similia habet Ambros. commentario in Psal. 118. serm. 14. vbi inter cætera exponit allegoriam illorum sponsæ verborum. *Qui pascitur*, id est, qui pascit oues suas, *inter lilia*, id est, qui gregem suum pascit in lilijs, id est, in locis fœcundis, pulcherrimis, & suaueolentibus. *Quæ sunt pascua, ait, nisi Christus? In cuius pascuis se locatum Propheta lætatus est, dicens: In loco pascuæ ibi me collocauit, ipse enim nos pascit & reficit. Bona pascua, diuina Sacramenta sunt. Carpis ibi nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium in quo sit splendor æternitatis. Carpis rosam, id est, diuini corporis sanguinem. Bona etiam pascua libri sunt Scripturarum cælestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur, ac cum ea, quæ scripta sunt, degustamus, vel summo ore libata frequentiùs ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur. Bona enim Christi pascua, qui pascit in lilijs, hoc est in splendore Sanctorum.* Similiter allegoriam horum verborum interpretatur etiam Psellus, ait enim pulcherrimum hunc sponsum oues suas, quæ ratione & mente sunt præditæ, varijs virtutibus & donis quasi lilijs & floribus quibusdam subinde pascere, id est, reficere, recreare, ac oblectare.

Bona pascua, diuina Sacramenta.

PSELLVS.

Verba Dei insigniter pascunt.

In superioribus autem D. Ambrosij verbis notandum, nec leuiter pertranseundum, quòd inter Christi pascua & lilia, quibus pascit oues, referat Sacrarum litterarum libros, nihil enim tam insigniter pascit oues ratione præditas atque Dei ipsius verba. Cyrillus Isai. cap. 42. loquens de Christo: *Qui non vt falsi pastores sua pecora inducit in spinas & tribulos, sed pascit in lilijs. Fragrantissima enim sunt diuina & sacra, & propria eius oracula.*

CYRILL.

Est enim Dei verbum pabulum saluberrimum ac suauissimum, quo animæ nostræ vt oues Dominicæ. *Et nos populus* (ait Dauid Psalm. 94.) *pascuæ eius, & oues manus eius*, aluntur, atque pinguescunt. Origenes in c. 16. Leuit. homil. 9. *Si ad Ecclesiam frequenter venias, aurem litteris diuinis admoueas, explanationem mandatorum cælestium capias, sicut cibis & delicijs caro, ita spiritus verbis diuinis conualescet, ac sensibus: & robustior effectus carnem suis legibus parere coget, & sibi obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt, diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his conualescit, his victor efficitur. Quòd quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere, quia volumus, sed non possumus,* &c. Itaque Origenes robur ouium Christi, tribuit pabulo verbi diuini, & infirmitatem inediæ eiusdem.

ORIGEN.

Idem Origenes homil. 8. in Ierem. in expositione illius sententiæ: *Venite mittamus lignum in panem eius*, de more ad allegoriam se transferens ait: *Panis Iesu, quo nutrimur, sermo eius interpretatur. Quia igitur docente eo, voluerunt quidam scandalum ponere doctrinæ eius, crucifigentes eum dixerunt: Venite, mittamus lignum in panem eius. Cùm enim verbo Iesu, & disciplinæ eius coniungitur magistri crucifixio, in panem lignum mittitur.* Ex quo hoc iterim infero, cibum animæ esse Christi doctrinam: & hanc eandem simul esse potum, & aquam salutarem, de qua Eccli. c. 15. *Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aquâ sapientiæ salutaris potabit illum.* Quia docet hoc idem eleganter ipsemet Auctor in Exod. hom. 11. vbi attigit c. 17. *Sitiuit ibi populus aquam, & murmurabant apud Moysem;* sic enim ille legit, non grauabor verba transferre: *Videatur fortasse ex superfluo dictum, quòd populus sitierit aquam; suffecerat enim dicere, sitijt, quid opus fuit addere aquam? Non est superflua dictio. Sunt enim diuersæ sites. Qui beati sunt, vt ait Dominus, sitiunt, & esuriunt iustitiam. Qui verò peccatores sunt, patiuntur non sitim aquæ, neque famem panis, sed sitim audiendi verbum Dei. Idcirco & hîc addit: quia populus sitijt aquam, quia debuit sitire Deum, quia debuit sitire iustitiam.*

Nec mirum si pastor iste bonus oues suas tam delicato cibo, id est, lilijs & alijs huiusmodi floribus pascat, quandoquidem non est dedignatus etiam sanguine suo proprio eas pascere, quemadmodum ponderauit D. Chrysostomus hom. 60. ad pop. vbi ita inquit: *Quis pastor oues pascit proprio cruore, & quid dico pastor? Matres multæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus, hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio suo sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Sic Chrysostomus. Quis recuset ad hunc benignissimum pastorem venire, vt reficiatur ab ipso? Væ recusanti, nam, vt ait D. Augustinus: *Reficieris, si accesseris, deficies, si recesseris*, &c. Recedes enim à vitæ bonorumque omnium fonte.

7. Tanta tamen est voluntatis nostræ deprauatæ durities & rebellio, quòd ad hunc Pastorem, Regem, blandissimamque matrem venire recusemus. Trahit ille nos instar magnetis, cor tamen nostrum, ob nimiam suam duritiem trahi se non patitur. Magnetis vis est admirabilis ad ferrum attrahendum, & tamen adamas dissidet cum magnete in tantum, vt iuxta positum ferrum attrahi non patiatur, vt asserit August. lib. 21. de ciuit. cap. 4. Sic etiam Christi vis maxima est ad corda nostra ferrea attrahenda, sed tamen adamantina durities voluntatis nostræ impedit quo minùs trahantur. O peccatores quis vos fascinauit? Clamat Christus, venite & reficiam, clamat mundus, venite & interficiam, & relicto Christo recurrimus ad mundum, carnem atque diabolum. Cùm ab omnibus trahi sinamus nos ad perditionem, soli Christo ad salutem & vitam trahenti resistimus.

Hominis tam rebellis voluntas, quòd ad Christum venire recuset.

Magnes nō trahit ferrū, si iuxta illum ponatur adamas.

8. Vos quoque ô iusti & amici Dei, quorum vita militia est super terram, & peregrinatio quædam à Domino, si interdum ad defatigationem vsque desudetis in superandis vitijs, & sustinendis varijs laboribus,

Reficit & iustos in suis laboribus Christus.

bus, accedite ad Christum, & reficiet vos, iuxta illud D. Pauli Hebr. 12. *Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris, deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis. Nihil tam ad mortem amarum, quod Christi morte non dulcescat,* ait D. August. Accedite ergo ad Christum gressu considerationis & amoris.

Christus instar ligni illius Mosaici reddit dulces laborũ amaras aquas.

9. Si lignum illud Mosaicum in aquas Marath missũ, quæ amarissimæ erant, tantæ virtutis & efficaciæ fuisse creditur quòd aquas illas amaras & insipidas in dulcedinem conuerterit, quid de Iesu Christo, qui lignum vitæ in scripturis appellatur, existimandum erit? Sunt quidem amarissimæ huius vitæ aquæ, iter exilij & peregrinationis nostræ laboribus abundat, amaritudinibus est repletum, verùm efficacissimum nobis præ manibus adest remedium. Lignum illud scilicet viride, quod iuxta decursus aquarum plantatum est, lignum illud vitæ, quod fructum attulit immortalitatis, Christus verus mundi Saluator, cuius consideratione & memoriâ omnia in dulcedinem conuertuntur, & in consolationem maximam permutantur.

Christus instar vnicornij, cornu crucis dulces reddit laborũ huius vitæ aquas.

10. Eam ob causam, vt existimo, Christus redemptor noster filius vnicornium à Dauide appellatus est Psalm. 28. Et dilectus quemadmodum filius vnicornium. Est enim huic animali proprium quòd aquarum venena cornu suo tollat. Accedunt animalia ad fontem, quem serpens veneno suo infecit, & licet maximam sitim patiantur, tamen nullatenus audent bibere, quousque vnicornis aduenienes, cornu suo omne venenum tollat, bibit ipse ex fonte & omnia animalia pariter bibunt. Verè Christus filius vnicornium fuit, quia cùm aqua tribulationum & dolorum, ante eius aduentum amara esset quasi absinthium, & mortifera, ipse tamen ex ea bibens, amaritudinem in dulcedinem, venenum in dulcem liquorem, & mortem in vitam conuertit, quia omnis nostra tribulatio tribulationibus Christi collata, vel illius tribulationibus commixta super mel & fauum dulcis reputabitur. O anima desolata atque in huius vitæ militia & peregrinatione laborans ad sponsum accurre clamantem: Venite ad me omnes qui laboratis. Nolite animis deficere, qui semel, renuntiantes sæculo, Christi militiæ nomen dedistis. Aspicite scalam illam Iacob, quam D. Hieronymus proficientium, deficientiumque formam esse docet. Videte quomodo è summitate lapsis manum porrigens, fessos ascendentium gradus sui contemplatione sustentat. Venite ergo in laboribus vestris ad Christum gressu considerationis & amoris. De duplici laborantium genere, vide Hugonem à S. Victor. in Eccles. homil. 1. ad vers. *Quid habet ampliùs homo, &c.* HVGO A S. VICT.

Quòd fide & obedientia mandatorum, tanquam duobus pedibus, veniamus ad Christum, & quòd cauendum à claudicatione.

§. IV.

11. AD vos quod attinet peccatores, infectos, nudos, sordidos, extenuatos, vulneratos, imò mortuos, accedite ad Christum tanquam ad amantissimam gallinam gressibus veræ fidei & obedientiæ, & nullatenus vobis alarum suarum patrocinium denegabit. Neque enim similis est hæc nostra gallina, pauoni masculo, qui pullos macilentos, sordidos, difformes, si ad ipsum accedant rostro percutit & repellit, sed verè gallina Christus est, sic venientibus pullis sinum & alas aperit, vt ex difformibus formosos, ex macilentis pingues, ex sordidis pulchros reddat. Esto fueris hactenus, non pullus gallinaceus, sed coruinus, non tamen à Christo, si ita veneris patiere repulsam, quodcumque à Christo, tanquam à cælesti quadam gallina, effotum est, erumpit in filium Dei adoptiuum, & cælestis regni hæredem nobilissimum. Si gallina incubet ouis aspidum, id quod effotum est, erumpit in aspidem, si incubet ouis gallinaceis, id quod effotum est, erumpit in pullum gallinaceum. Non sic cum Christo agitur, quidquid scapulis suis obumbratur, & sub pennis eius sperat, quidquid ad hanc cælestem gallinam venit, licet illi supposita fuerint aspidum oua quidquid ab ea effotum fuerit, erumpit & nascitur formosissimum, nobilissimum, dignissimum, prout esse decet eum qui ex Deo natus est. Venite ergo ad præclarissimam hanc gallinam, sed pedibus fidei & obedientiæ.

Accedẽdum ad Christũ gressibus veræ fidei, & obedientiæ.

Non Christus similis pauoni, sed gallinæ.

Quidquid effotum à cælesti gallina Christo erumpit in filium Dei.

12. Vt fide veniamus, imprimis humilitas necessaria est, humiliando nos sub potenti manu Dei, nec altiora nobis scrutando, iudiciumque omne nostrum, sanctæ Ecclesiæ, tanquam sapientissimæ matri, subdendo. Vnde ait Christus: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, quasi dicat: Sicut humanitas mea semper quàm humil-

Vt fide veniamus humilitas necessaria.

limè, patris voluntati & ordinationi, se subiecit, in operanda hominum salute, per media humanæ rationi & prudentiæ repugnantia: sic & vos captiuate intellectum vestrum in obsequium fidei, cogitantes, quia multa supra sensum hominis monstrata sint vobis.

Vt obedientiâ veniamus, mandatorũ Dei obseruantia est necessaria.

13. Vt autem obedientiâ veniamus, mandatorum Dei legisque diuinæ obseruatio est necessaria, vnde subdit: *Iugum enim meum suaue est & onus meum leue. Tollite iugum meum super vos.* Per iugum enim hoc atque onus metaphoricè legem Christi intelligimus, quia qui per peccatum diuisi eramus à Deo, medio hoc iugo illi coniungimur, & homines dispersi, sub vna fide & charitatis lege, congregamur, & simul iugum Christi ferimus, & vt ait Sophonias c.3. seruimus ei humero vno. Et non solùm iungit nos inuicem, vt ciues vnius ciuitatis, vt domesticos sub vno patrefamilias, verùm quod arctius est vt membra vnius & eiusdem corporis sub vno capite Christo. *Et iugum meum*, ait, *suaue est*, id est, postquam sine lege nemo viuere potest, etiam barbarus, tollite meum, quod suaue est iugum, & non ferreum illud mundi & diaboli.

Præter pedem fidei, necesse est, vt habeas etiã pedem obedientiæ, alioquin claudus es.

14. Non sufficit, ô Christiane, pes fidei vt ad Christum venias, necessarius est etiam pes obedientiæ & obseruantiæ mandatorum, legisque diuinæ, absque hoc pede claudus planè es & inhabilis vt ad Christum venias & ab illo tanquam gallina foucaris in filium Dei & hæredem regni cælestis. Rupertus scribens in illud Micheæ cap.4. *Congregabo claudicantem, & eam quam eieceram, colligam*, vbi per claudicantem Synagoga Iudæorum intelligitur, notat Iacob Patriarcham in figuram Iudaici populi, altero pede claudicasse, id quod etiam in eandem sententiam exposuit D. Gregor. 19. moral. 21. super illa verba Iob cap.29. *Oculus fui cæco, & pes claudo. Rectè*, ait, *potest cæco gentilis populus, claudo autem Iudaicus comparari, gentilis quippe quasi oculos non habuit, quia non recepta lege, non vidit, quò ire debuisset: at contra Iudaicus habens oculos claudus fuit, quia legem quidem tenuit, sed in eâ gressum recti operis non tetendit: aliàs enim voce Domini dictum non fuisset Psalm.17. Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis* &c. Ita similiter & tu, ô Christiane, planè claudus es si careas pede obedientiæ, & mandata præceptaque ac iugum Christi negligas.

Claudus est qui caret recti operis pede. GREGOR.

15. Eusebius Gallicanus hom.2. expendens illa verba Ps. 104. *Et eduxit eos de Ægypto in argento & auro*, eaque ad tropologiam alliciens, sic scribit: *In auro & argento de Ægypto educitur, qui assumi de hoc sæculo cum fidei, institiæque & charitatis thesauris promeruit, vt dum quasi viatores, velut geminorum pedum adminiculo fide hîc & operibus ambulamus, labor itineris ad requiem proficiat mansionis.*

Gemini pedes, fides & opera.

16. D. Gregorius part.1. pastor. curæ cap.11. Exponens illa verba Leuit.21. *Loquere ad Aaron; homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.* Vbi & repentè subiungitur: *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede*; &c. *Cæcus*, ait, *est, qui supernæ contemplationis lumen ignorat: qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quò gressus operis porrigat, nescit.* Hinc etiam prophetante Anna dicitur: *Pedes seruorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent. Claudus verò est, qui quidem, quò pergere debeat, aspicit, sed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfectæ non valet tenere, quam videt: quia ad virtutis statum, dum fluxa consuetudine non erigitur, quò per desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur.* Hinc etiam Paulus dicit; *Remissas manus, & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris: vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur*, &c. Et paulò pòst: *Fracto autem pede vel manu est, qui viam Dei pergere omninò non valet, atque à bonis actibus funditus excors manet: quatenus hæc non vt claudus, saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnibus alienus existat.* Hactenus Gregorius. Ecce qualiter qui verbis Christum confitentur, factis autem negant: ecce qualiter qui auditores quidem legis, non autem factores, non solùm claudo assimilentur, sed etiam illi, qui fracto est pede, & quâ ratione talis ad Christum, & ad cæleste perueniet regnum?

GREGOR. Claudus est & fracto pede, qui audit verba legis, sed non implet.

1 Reg.2.

17. Hesychius, & Procopius, exponentes illa verba Leuit.21. *Nec accedet ad ministerium eius, si fuerit cæcus, si claudus*, &c. Per claudum tropologicè intelligunt eum, qui fractæ debilisque motionis est, & alacritatis circa res agendas, facitque opus Dei negligenter: hic etiam difficulter venit ad Christum regnumque æternum.

Claudus qui debilis est circa res cælestes. HESYCHIVS.

18. Claudicat etiam, qui, quod iustum est, non iustè exequitur, iuxta illud Deuter.16. *Iustè, quod iustum est persequeris, vt viuas, & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.*

Claudus qui quod iustum est, non iustè exequitur.

19. Claudicare etiam in Scripturâ, est duo opposita sequi, ait Tiro in Eccli.2. vers.14. exponens illud: *Væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Quò putat spectare Prophetam 3.Reg.18. *Vsquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Irenæus cap.6. *In ambobus suffraginibus.* Sunt autem suffragines, sinus curuaturarum, vt Plinius lib.8.c.43. & lib.30. c.6. Rhodiginus lib.4.cap.15. vertit autem Santes Pagninus: *In duas cogitationes*: quod est duabus vijs ingredi terram.

Claudicat etiam qui duo opposita sequitur. TIRO.

20. Viæ autem hæ duæ, Rabbono & Lirano sunt, qui facit mala, & sperat bona: vel qui carnis sectatur opera, spiritus

LIRANVS.

verò

Claudicat qui facit mala & sperat bona.

verò sanctificationem se arbitratur perficere, vel quod Dei est, opere exhibet, & quod mundi est, cogitatione quærit. Vgo. *Qui*, ait, *quoad exteriora, viâ paradisi; quoad interiora, graditur viâ inferni.* Dionysius Carthus. qui apparenti bono, & existenti malo, hoc est, in ficta iustitia, & duplicata intentione, qui duobus dominis vult seruire; eodem penè omnes recidunt. Benè vaccæ illæ itinere vno gradiebantur; quòd explicans D. Gregorius in 1. Reg. inquit: *Vno itinere graditur, qui virtutem quam prætendit in bono opere, in rectâ seruat intentione. E contra dicitur, væ peccatori terram, &c. Duabus quippe vijs peccator ingreditur, cùm Dei videtur esse quod agit: sed ex omni quod religiosum foris exhibetur, intus sæculi intentione tenetur.* Sic D. Gregor. ibi. Et lib. 1. Moral. cap. 11. *Duabus*, inquit, *vijs peccator terram ingreditur, quando & Dei est, quod opere exhibet; & mundi, quod per cogitationem.*

Menas piscis hyeme niger, verè albus.

21. Similes igitur videntur esse pisci illi, qui Menas dicitur: hic enim vt Plinius lib. 9. c. 26. hyeme niger, verè albus apparet: ipsi enim nunc albi per bona opera, nunc atri per malam intentionẽ videntur, diuerso modo, vt ver hyems ve fuerit. Quare non iniuria Habac. 1. habetur; *homines sicut pisces maris.* Benè autem, væ, illis inclamatur Sophon. 1. *Disperdam de hoc loco reliquias Baal, & nomina æditorum cum Sacerdotibus, & eos qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant, & iurant in Domino; & iurant in Melchon. Hi sunt*, inquit D. Hieronymus, *qui sæculo pariter, & Domino se putant posse seruire: disperguntur igitur, & vnà cum idololatris in vnum fascem coniunguntur.* Quicumque ita claudicant, qualiter ad Christum, & ad cæleste regnum sunt venturi?

Qui claudicat pede operis facilè claudicat pede fidei.

22. Verendum sanè, ne qui ita claudicat pede operis, tandem etiam pede fidei claudicare incipiat: vita etenim deprauata, & multis criminibus obnoxia, proxima est dispositio, ac primus ad amissionem fidei, & hæresim gradus: quâ extinctâ fide, vel integritate eius deperdita, quòd accidit, dum aliqua credit, aliqua non credit. Iam incipit homo claudicare in duas partes, iuxta illud 3. Reg. 18. *Vsquequo claudicatis in duas partes?* Quem locum ita Septuaginta transtulerunt: *vsquequo claudicatis in ambobus poplitibus vestris?* seu vtroque pede, fidei scilicet, & operum. Itaque pes recti operis, pedem fidei, siue doctrinæ, quasi fulsit, quia nimirum fides operibus nititur, ne omninò corruat. Quod eleganter dictum est à D. Paulo ad Hebr. cap. 10. illis verbis: *Iustus ex fide viuit. Quod si se subtraxerit, non placebit animæ meæ.*

TVRRIANVS.

Quem locum expendens Turrianus lib. 4. pro epistolis Pontificijs cap. 4. *Non dixit*, inquit, *si non crediderit, sed, si se subtraxerit, nimirum fidei; ille autem fidei se subtrahit, qui fidei, per opera non obedit, atque ita facit illam corruere, quòd Apostolus statim declarat, subiungens: Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed obedientiæ in acquisitionem animæ. Cerne non dixisse, sed fidei, quia non fidem, sed obedientiam opposuit subtractioni fidei.* Sic ille qualiter ex defectu operum pereat fides, vide pulchrè deductum apud Laurent. de à Ponte tom. 1. in Sap. homil. 28.

23. Claudicat etiam pede fidei ille, cuius fides deijcitur in aduersis, & qui infœlicem offendit, de quo sic Chrysostomus homil. *De eo, quod scriptum est in Psal. 25. Redime me Domine & miserere mei. Pes meus stetit in rectitudine. Pes noster stet non claudus, sed rectus. Quid est claudum habere pedem, nisi infœlicem offendere, de quibus dicebat Propheta; errauerunt & claudicauerunt à semitis suis. Claudicat qui sic Deo credit, vt scandalizetur quoties prosperitatem videt malorum, sanitates impiorum, diuitias paganorum, possibilitates gentium, & dicit non sano pede, id est, non sana fide. Effusi sunt paulò minùs gressus mei, quia in peccatoribus pacem peccatorum zelaui intuens, in laboribus hominum non sunt* &c. *Similiter si dicat: Quare via impiorum prosperantur? si apud seipsum ægra mente dicat, quia placent Deo facta malorum, aut Deus constituta non implet, aut non curat res humanas.* Tandem concludit: *Pes vester, id est, fides vestra non extollatur in prosperis, in aduersis non deijciatur, sed clamate cum Propheta dicentes: Pes meus stetit in rectitudine, in Ecclesijs benedicam te Domine. Si videtis malos potentes, à Deo alienos in hac vitâ florere, nolite moueri à fide vestra, sed tolerate voluntatem Dei, quia vita ista communis est bonis & malis, in areâ huius mundi non separatur palea à frumento, sed ille veniet cum ventilabro purgans aream suam, qui triticum congregabit in horreum, paleas autem tradet igni inextinguibili.* Hæc Chrysostomus. Qui taliter claudicat, qualiter perueniet ad Christum cælesteque ipsius regnum?

Claudicat pede fidei, cuius fides deijcitur in aduersis.

CHRYSOS.

Quæ claudicatio laudanda.

§. V.

24. SI libet claudicare non ea ratione & modo, vt iam dictum, claudicemus, sed alia prorsus ratione & modo, ita vt claudicatio nostra sit instar cursus velocissimi ad Christum & cæleste illius regnum. Aues scire quænam sit hæc claudicatio, & quo contingat pede? Nimirum si pes carnalis voluptatis in nobis omninò à terra suspenditur, & stemus in solo pede diuini amoris, iuxta allegoricam explicationem D. Gregorij claudicationis Iacob, de qua 4. Moral. 30. sic ait: *Iacob qui Angelum tenuit, vno pede claudicauit; quia qui vero amore sublimia respuit; iam in* hoc

Claudicamus laudabiliter, si pes carnalis voluptatis in nobis omninò suspẽdatur, & stemus in solo pede diuini amoris.

GREGOR.

hoc mundo duplicibus incedere desiderijs nescit. Vno enim pede innititur, qui solo amore Dei roboratur, & necesse est, vt illius fæmur marcescat: quia mentis virtute crescente, oportet procul dubio, vt carnis fortitudo torpescat. Vnde & Propheta cùm visionem Dei conspexisse se diceret, adiungit: Elangui, & ægrotaui per dies plurimos, quia cùm ad virtutem Dei mens stringitur, à fortitudine propria caro lassatur, &c. Eandem allegoriam magis diffusam vide apud eundem Gregor. hom. 14. in Ezech.

25. Rupertus lib. 8. cap. 9. per luctam cum Deo, intelligit amantis animæ, vt Deo adhæreat, eoque perfruatur, auiditatem & desiderium, cui Deus quasi reluctari videatur, cùm ait: *Auerte oculos tuos à me*; quod ideò facit, vt auiditatem eius magis ac magis excitet. In quâ quidem lucta anima triumphat, dicens: *Inueni quem diligit anima mea; tenui illum, nec dimittam.* Hinc accidit quod pede actionis solùm terræ innitatur, pede contemplationis ad superna erecto, vnde consequenter fœliciter claudicat: taliter enim claudicando, salit & ascendit vt ceruus, loquentem accipe Rupertum: *Iuxta anagogen claudicat Iacob, qui cum Deo luctatus est, & longo atque assiduo luctamine vsus, victoria palmam de illo fœliciter consecutus est. Luctatur enim cum Deo, quamdiu sacræ Scripturæ studijs accinctus incumbit, sensumque verbi Dei fugientem tenere contendit. Quare verbum Dei dilectam atque diligentem animam tenere se cupientem tantopere refugit? Cùm multas ob causas, tum & idcircò, vt auiditatem magis ac magis excitet inquirentis, vt eius desiderio, quem quærit, aduersantes intentioni suæ verberet, atque in seruitutem redigat sensus improba carnis. Itaque brachijs quasi ad luctandum protensis, quacumque talis anima dicit: Dilecte mi, apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis. Et contrà ille, more reluctantis penè obuersus: Auerte, inquit, oculos tuos, quoniam ipsi me auolare fecerunt. Dulcis colluctatio, & omni pace iucundior. Tandem victrix dicit conscientia Iacob: Inueni quem diligit anima: tenui illum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. At ille grandi quidem spiritus sui commodo, sed & magno carnis suæ vicit detrimento. Denique claudicat is, qui vicit, quia tetigit, qui victus est, neruum fæmoris eius, & emarcuit. Quomodo claudicat? videlicet vno pede terræ innitens; alterum à terra suspendens, id est, actiuam vitam pro cura subditorum non omninò relinquens; & contemplatiuæ pro eius dulcedine totis viribus inhærens. Iste claudus salit, vel ascendit sicut ceruus, terramq; vix tangere dignatur, nam conuersatio eius in cælis est. Verumtamen ex parte; vno enim tantùm pede nunc interim illuc suspensus est; donec veniat quod perfectum est.* Sic Rupertus.

Fœliciter claudicat qui pede actionis solùm terræ innititur pede contemplationis ad superna erecto. RVPERT.

Cant. 8.

26. Postquam autem homo pedibus fidei & obedientiæ ad Christum venit, vis scire quibus pedibus illi in posterum ambulandum & incedendum? Nimirum, pedibus Sanctorum, de quibus Anna 1. Reg. 2. *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Per hosce pedes D. Gregorius expositionis lib. 1. in 1. Reg. 2. intelligit in primis affectum mentis; secundò, fortitudinem & humilitatem: tertiò, fidem & amorem Redemptoris, qui pedes qualiter à Deo seruentur & confirmentur, ibidem pulchrè docet.

Qui iam ad Christum venit, posthac pedibus Sanctorum debet incedere. GREGOR.

27. Vt autem fide & obedientiâ veniamus, vt pedibus Sanctorum, postquam venerimus, ambulemus, rogandus Christus, vt destruat in nobis corpus peccati, comminuens illius corporis, tam pedes, partim ferreos, partim fictiles, quàm caput aureum, & reliquas omnes intermedias partes, siue membra. Est enim Christus lapis ille paruus, de quo Daniel. c. 12. qui auulsus est à monte sine manibus, maximam illam statuam Nabuchodonosor Regis, corporis peccati vmbram, & imaginem, penitus subuertit, atque comminuit, incipiens à pedibus, id est, operibus tenebrarum, vsque ad confractionem capitis aurei, id est, ablationem omnem saporis mali. De quibus omnibus vide D. Bernardum serm. in verba illa Sap. c. 7. *Sapientia vincit malitiam.*

Rogandus Christus vt destruat corpus peccati & pedes illos partim ferreos, partim fictiles.

Qualiter Christus instar gallinæ fuerit nobiscum infirmatus.

SECTIO VIII.

1. Tota in eo est gallina, vt pullis infirmis & egentibus succurrat, hinc in gallinâ notat Granatensis in introduct. ad symbolum lib. 1. cap. 17. gallinam, quæ semper hominem fugit, permittere, vt ad se appropinquet, cùm ouis incubat, ne ea deserendo, refrigescant. Et cap. 14. dicit, quòd gallina, dum suos educat pullos, in fimi tumulis pedibus scalpit, cum verò aliquid reperit, suos conuocat pullos maxima celeritate, & pia mater ieiunat, vt suos pullos enutriat. Ita Christus totus in eo fuit, vt hominibus infirmis & egentibus succurreret, etiam cum iactura proprij commodi atque emolumenti. Quinimò, non contenta est gallina, quòd pullis egentibus succurrat, sed nihil se fecisse putat, nisi cum ipsis infirmetur, & eorum infirmitates etiam in se sumat, vt eos fortes atque vegetos reddat, dum tota infirmatur, & fit hispida ac rauca. *Nullum animal*, ait D. Paschasius lib. 10. in

Gallina, tota in eo est vt pullis succurrat. LVDOV. GRANAT.

Cùm pullis infirmis infirmatur.

PASCHAS.

in Mat. *Eo infirmatur modo, quemadmodum gallina in fouendo & nutriendo pullos suos, siquidem tota infirmatur, totaq; fit hispida & rauca.* Quàm bellè hæc proprietas conueniat Christo, sic insinuat D. Bernard. tract. de pass. Domini ca. 5. *Dominus Iesus apud Matthæum magis se gallinæ, quàm alteri animali, voluit comparare, quod, vt à sanctis Patribus tenetur, ideo factum est, vt exprimatur incomparabilis affectus charitatis. Nullum enim animal circa pullos suos, tanta compassione mouetur, sicut gallina; fit enim toto corpore hispida, voce rauca, toto feruens animo, & omnibus membris infirma, & vsque ad supremum defectum perueniens. Si ergo in tantum pullis suis gallina, animal irrationale, compatitur, quantò putas optimum Iesum humano generi fuisse compassum, ad quantam putas eum debilitatem & infirmitatem peruenisse? Verè enim languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.*

BERN. Christus debilitatus & infirmatus pro hominibus.

2. Pulcherrimè quoque hac de re Diuus Augustinus scribens in Psalm. 90. *Neque enim,* ait, *sine causa comparata est gallina ipsa Dei sapientia: est enim nobis quasi gallina protegens pullos suos.* Postea subiungit: *Nō est enim iniuriosum nomen gallinæ. Attendite cæteras aues, fratres, multæ aues ante nos fœtant, calefaciunt pullos suos; nulla sic auis infirmatur cum pullis suis, quomodo gallina. Attendat charitas vestra hyrundines, passeres, & ciconias: videmus contra nidos suos, neque cognoscimus, vtrum fœtus habeant: at verò gallinarum cognoscimus in infirmitate vocis, & in relaxatione plumarum, tota mutatur affectu pullorum. Quia ergo & nos infirmi eramus, infirmam se fecit sapientia Dei, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Sic ille. Similia habet tract. 15. in Ioan.

AVGVST. Nulla auis sic infirmatur cum pullis, vt gallina.

Gallina ex infirmitate cognoscitur fœtus habere, quod ipsi præ cæteris, auibus peculiare.

3. Coniice oculos in Christum infantem, in præsepio iacentem, pannis inuolutum, frigore trementem, & videbis eum ob amorem pullorum, id est, animarum nostrarum prorsus mutatum, & infirmum. Cùm sit splendor Patris, immortalitatis ac beatitudinis fons, alienus ab omni miseria, videbis eum afflictum, & circumdatum nostris infirmitatibus, & oneratum pœnarum nostrarum solutione; & cùm sit sol iustitiæ, in quo nullæ possunt inesse tenebræ, speculum innocentiæ & puritatis, in quo nulla potest esse macula: hisce omnibus nonobstantibus, tantopere eum captiuauit animarum amor, quòd præterquam eis omnia sua communicaret bona etiam susceperit omnes nostras infirmitates, quinetiam omnia nostra peccata.

Qualiter Christus infirmatus in sua ex Virgine Natiuitate.

4. Virtus quidem Dei erat Christus, & D. Paulus dicit, quod portet omnia verbo virtutis suæ, & tamen Ioan. 4. legimus, eum fatigatum ex itinere: *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem; hora erat quasi sexta.* In quæ verba sic pulcherrimè D. Aug. tr. 15. in Ioan. *Tibi fatigatus est ab itinere Iesus. Inueniemus virtutem Iesum, & inueniemus infirmum Iesum, fortem & infirmū; fortem, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Vis videre quàm iste filius Dei fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & sine labore facta sunt. Quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse? Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Fortitudo Christi te creauit; infirmitas Christi te recreauit: fortitudo Christi fecit, vt quod non erat, esset: infirmitas Christi fecit, vt quod erat, non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsiuit nos infirmitate sua. Nutrit ergo ipse infirmus infirmos, tamquam gallina pullos suos, huic enim se similem fecit.* Deinde exponens, ex quo itinere sit fatigatus Iesus, sic ait: *Iter ipsius est caro pro nobis assumpta: quomodo enim iter habet, qui vbique est, qui nusquam deest? Quò it, aut vnde it, nisi quia non ad nos veniret, nisi formam visibilis carnis assumeret? Quia ergo venire ad nos eo modo dignatus est, vt in forma serui assumpta carne, appareret ipsa carnis assumptio, est iter ipsius; ideo, fatigatus ab itinere, quid est aliud, quàm fatigatus in carne: Infirmus in carne Iesus, sed noli tu infirmari: in illius infirmate tu fortis esto: quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Hæc Aug.

Iesus, fortis & infirmus.

AVGVST.

Fortitudo creauit, infirmitas recreauit.

Iter Christi, caro pro nobis assumpta.

5. Neque solùm nostras suscepit infirmitates, & pœnas, pro peccatis nostris, debitas, sed etiam nostra in se suscepit peccata: Hinc illæ raucæ voces, quas profert in nido crucis, Psalm. 21. *Longè à salute mea, verba delictorum meorum.* Et Psal. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Quænam hæc peccata Domine mi? Nunquid tu agnus ille Dei, qui tollis peccata mundi? Nunquid tu ille, de quo dicit Apostolus; *qui peccatum non fecit, & non est inuentus dolus in ore eius?* Nunquid tibi, tantopere tua placuit innocentia, quòd etiam inimicis, eam diiudicandam reliqueris, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quomodo iam in te tot reperis delicta? Quænā hæ iniquitates, quæ te comprehenderunt? Sed ô bone Iesu, rem capio, gallina es, pullos fouens & nutriens, mutasti vocem, & raucedinem contraxisti: non hæc vox tua naturalis, *Comprehenderunt me iniquitates meæ,* &c. Sunt peccata filiorum tuorum, & filiorum amantissimorum, & sic æstimas tua: sunt infirmitates membrorum tuorum, & tamquam caput, harum sustines curationem; has amor pullorum, tibi reddit proprias, & sic pro eis teneris exsoluere. Dum enim ais; *Longè à salute mea, verba delictorum meorum;* vis significare, & dicere; en opera peccatorum generis humani, ac populi mei, quæ tu Pater, in me posuisti, secundum illud: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm;* quæ ego in meipso libens suscepi, atque portaui; quæ ego non secus atque mea reputo, volens pro eis, tamquam, pro propriis peccatis satisfacere. Hæc, inquam, peccatorum opera sunt, quæ longè me faciunt

Christus non solùm nostras suscepit iniquitates, sed etiam nostra peccata.

Christo quoque, instar gallinę, vox rauca dum pro hominibus infirmatur.

Nostra delicta sua nominat Christus.

ciunt à salute mea; & in causa sunt, vt me non exaudias, nec liberes: nam sic à te decretum est, & ego sic acceptaui, vt hanc desolationem ad mortem vsque, pro humani generis peccatis expiandis, sustinerem. Nam vt ait Euthymius: *Subit Dominus, atque accipit in se totius humana natura personam, vt cognata. Et quare, inquit, me hominem, hoc est, vniuersam hanc humanam naturam dereliquisti, sinens eam opprimi à morte? Et causam infert: quia nimirum condemnationes meorum scelerum procul sunt à salute mea. Nam cum his pariter ego elongatus sum à te: quòd si apud te essem, seruarer sanè ab hac morte.* Diuus Augustinus in expositione 2. huius Psalm. *Quorum*, ait, *delictorum, de quo dictum est: Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius? quomodo ergo dicit, delictorum meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua delicta fecit, vt iustitiam suam nostram iustitiam faceret.* Ambrosius libr. de incarn. Dom. sacra cap. 5. idem dicit: *Longè à salute mea verba delictorum meorum, hoc est, non capiatur qui audit, quare me dereliquisti, sed intelligat quòd secundum carnem ista dicantur, qua longè à plenitudine diuinitatis aliena sunt. Aliena sunt enim à Deo verba delictorum, quia aliena sunt & delicta verborum, sed quoniam delicta aliena suscepi, etiam delictorum alienorum verba suscepi, vt delictum me à Patre Deo esse dicam, qui apud Deum semper sum.* Hæc ille satis apposite.

EVTHIM.

AVGVST.

AMBROS.

Audi etiam aliam Christi vocem maximè raucam Matth. 27. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quæ verba expendens D. Aug. in Psalm. 49. sic scribit: *Cùm esset fortis in se, infirmus in carne apparuit, & voces edebat magis ex compassione nostra, quàm ex maiestate sua. Vnde enim illa voces, nisi ex nobis assumpta: Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quando autem Pater filium dereliquit, aut filius Patrem? Nónne vnus Deus, filius & Pater? Nónne verissimum: Ego & Pater vnum sumus? Vnde ergo Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? nisi quia in carne infirmitatis agnoscebatur vox peccatoris? Qui enim suscepit similitudinem carnis peccati, cur non susciperet similitudinem vocis peccati?*

AVGVST.

Possumus etiam dicere, Christum, dum hæc loqueretur, assumpsisse personam Iudæorum, & cum illis taliter infirmatum fuisse, vt eorum ruinam, quasi propria fuisset, defleuerit. Expendit enim Origenes Christum, non nisi hæc locutum, cùm tenebræ factæ essent super vniuersam terram, vsque ad horam nonam, *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Deus, &c. Postquam*, ait Origenes, *vidit super omnem terram Iudaam vsque ad horam nonam tenebras factas, dixit magna voce: Quare me dereliquisti?* Cur quæso visis hisce tenebris, clamat se derelictum? Rectè D. Bonauentura cap. 23. in Luc. *Attendendum quòd in illa Solis obscuratione intelligitur obcacatio Iudaorum.* Cùm ergo Christus amaret reprobum Iudæorum populum, & alter ipse amicus sit, dum dicit: *Quare me dereliquisti:* idem fuit atque si dixisset: *Quare dereliquisti populum Hebraicum*, vt exponit Incognitus.

BONAV.

7. Christus autem (ait Salmeron tom. 10. tract. 8.) singulari charitate peccata nostra multis modis, sua esse fecit. Primò, quatenus aduocatus est, nam culpam clientis, solet vt suam, agnoscere aduocatus. Deinde vt pontifex siue sacerdos, cuius est offerre pro peccatis populi sui, & pro illis, ac si propria essent, sacrificare. Et hinc peccata populi dicebantur comedere. quia sacrificia, pro peccatis expiandis, manducabant, quæ manducata, ipsi precibus suis, digerere debebant. Tertiò, tanquam caput pro membris, cuius est influere in reliqua membra, vitam, sensum, motum, & directionem. Vt eius est dicere, dolet mihi manus, aut dolet pes. Et, si peccatum Adæ cum morte potuit ad nos transfundi, iustitia Dei exigente, quid ni potuerit filius Dei, peccata nostra, charitate imperante, in se transfundere, & pro illis satisfacere. Quartò, quia erat vas & fideiussor in causa capitali cùm pro nobis patri spopondisset, & non essemus soluendo, in ipso sumptum est supplicium peccatorum nostrorum, quasi propriorum nosque liberos demisit, nam vades ob id dicuntur, quod potestatem faciant ei, cuius nomine spondent, vadendi quo velit. His atque aliis rationibus Christus aliorum peccata, agnoscit quasi sua. Sic ille.

Multis modis peccata nostra, sua esse fecit Christus.

SALMER.

Christus instar gallinæ, in gratiam & vtilitatem hominum infirmorum, præ maxima, erga eos charitate, infirmatur.

SECTIO IX.

1. Item, gallina, quando enutrit pullos suos, debilis ac macilenta est, nam non comedit, vt pullos suos cibet, substantiam suam atque calorem illis communicet, vnde sic debilitata incedit, vt sola ossa & plumas habeat. Quare si tunc eam emere velles, nullum, aut modicum pretium inuenires pro ea. Et tamen si quis diceret tunc tibi: Cur istam fers gallinam, sic debilem ac macilentam? responderes

vtique

vtique illi. Quoniam hæc mihi pullos generat, ac enutrit. Nónne vides illam pullis comitatam quamplurimis? plus ego illam ob hoc facio, & æstimo sic macilentam, quàm alias quatuor pinguiores illâ, quoniam plus vtilitatis, quàm illę, mihi adfert. Sic Christo Domino, dum in hoc mundo ageret, contigit. Qui cum debilem ac macilentum vidisset, opprobrium hominum factum, non hominem, sed vermem æstimatum, super præsepe proiectum, trementem frigore, pro lacte eiulantem, in cruce mortuum pendentem, ita quod nec manus, nec pedes moueret, diceres illum miserum, ac prorsus maximè inutilem omnium mortalium. Sed seduceris homo, seduceris, nec enim intelligis fortitudinem eius, quæ ibi abscondita est. Crux illa nidus est, in quo suos procreat filiolos, in sinu, lanceâ aperto, illos colligens, & enutriens. Illaque infirmitas, quæ ibi oculis tuis apparet, omnium martyrum fortitudinem genuit. Pueritia illa puerulos homines facit, mors illa vitam omnibus tribuit. Vide pullos, quos post se trahit, vide quot martyres, quot confessores &c. illius exemplo animati, sanguinem suum fuderunt, vitæ huius deliciis nuntium remiserunt, mortificationi studuerunt, vt meritò dixerit Dauid in persona Christi Psalm. 140. *Singulariter sum ego, donec transeam*, pro quibus legens D. Augustinus, *singularis sum ego*, sic scribit: *Hac vox ex persona capitis est, quid est singularis? In passione tu solus patieris, tu solus occideris ab inimicis: singularis ergo. Sed quid est, donec transeam, nisi de hoc mundo ad patrem? Tunc enim confirmaui columnas eius, id est, columnas terra, quando in me didicerunt mortem, non esse timendam. Donec ergo transeam, singularis sum, cùm transiero multiplicabor, multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo.* Et vnde quæso illi trahent & sugent hanc fortitudinem? nimirum ab amantissima gallina Christo, qui ideo, cum magno fructu & vtilitate hominum infirmatur vt eius infirmitas, cædat in eximiam & maximam pullorum fortitudinem.

Christus dum infirmatur pro hominibus videtur planè inutilis, verùm in nido crucis constitutus multam parit sobolē.

Ex quo in nido crucis infirmatus Christus, multos filios, eosque fortissimos post se trahit.

AVGVST.

2. Quàm infirmatus in horto Christus, dum pauet, dum dolet, dum contristatur, dum mœstus est. Quis animus, inquies, erit martyribus, ad tormenta, & mortem perferenda, si dux eorum, dum ea solummodo apprehendit, pauet, timet, tremit, & trepidat? S. Ambrosius in Lucæ cap. 22. affirmat hanc Christi infirmitatem, præcipuam esse Ecclesiæ fortitudinem, viribus enim & virtute se exuit, vt ea martyribus & tenellis virginibus conferret, quorum infirmitatem in se suscipit, vt sua fortitudine induantur. *Minus*, ait Ambros. *contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum: ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quo doleret.* Et paulò pòst dicit. *Et vestigiis nostris descendit vsque ad mortis arumnam, vt nos suis vestigiis reuocaret ad vitam.* Quasi dicat, Christum tempore passionis, gressus vestigiaque sua vigorosa ac triumphantia, & talia quidem, qualia decebant Deum omnipotentem, commutasse, cum infirmis, debilibus, & trementibus Ecclesiæ suæ vestigiis, nimirum ne cederent tormentis, martyres, ac persecutionibus terga verterent.

Christi infirmitas præcipua Ecclesiæ fortitudo.

AMBROS.

3. Diuus Bernardus considerans Christi in horto pauorem & tristitiam, nimirum vt nos suo pauore & trepidatione firmaret, inter alia sic ait serm. 1. de S. Andrea. *Agnosco planè in duce belli, pusillanimorum trepidationem: agnosco infirmitatem gallina cum pullis: considero charitatem: stupeo miserationem. Quid magnum fuerat, Domine Iesu, si accedente hora, propter quem veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habebas, ponendi animam, & nemo eam tollebat à te? An non longè gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, vt non modò passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret: & quos viuificat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robustos, & mæstitia latos; tadium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos* &c.

BERNAR. Suo pauore & trepidatione Christus nos firmat.

4. Antequam infirmaretur, instar gallinæ, Deus, leonis præ se ferebat fortitudinem, nos verò eramus instar timidissimi cerui. Ceruus enim teste Pier. libr. 7. de ceruo, & Erasmo in cheliad. pauoris atque formidinis symbolum est. Et olim Græci formidolosum hominem dixerant virum ceruum, seu ceruinum. Et Achilles apud Homerum Iliad. 1. Agamemnonis obiurgans ignauiam, eum ceruino corde præditum vocat. & seruos etiam fugitiuos, suapte conditione meticulosos, vnius litteræ mutatione, ceruos olim dictos tradit Pompeius. Naturalis autem in ceruis formidinis causam Lucretius sic reddidit.

Ceruus pauoris symbolum, & quare.
PIER.
ERASMVS.

At ventosa magis ceruorum frigida mens est
Et gelidas citiùs per viscera concitat auras
Qua tremulis faciunt membris existere motum.

Dixerat autem de iisdem superiùs.

Est & frigida multa comes formidinis aura,
Qua ciet horrorem membris, & concitat artus.

Quid accidit? vt leonis fortitudinem, nobis communicaret Christus, factus est quasi ceruus, factus est timidus, imbellis, & infirmus ac trepidatione plenus. Neque enim cerui vel ceruæ appellatio à Christo aliena est. Nam vbi pro titulo Psalmi 21. nos in Vulgata legimus, *Pro susceptione matutina*: Alia translatio habet: *Pro cerua aurora*. Certissimum autem est Psalmum hunc Christum respicere.

Christus suscipiens nostram infirmitatem, contulit nobis suam fortitudinem, ipse ceruı pauorem assumpsit & leonis fortitudinem nobis cōtulit.

5. Huc Patres reuocant illud Genes. 2. Quòd formatâ ex osse, seu costa viri, muliere, *repleuit Dominus*, seu iuxta Septuag. *infarsit carnem pro ea*, quod, Paulo teste, magnum in Christo & Ecclesia sacramentum fuit. De quo inter alios Diuus Augustinus tract. 15. in Ioan. *De costa Adæ dormientis facta est ei vxor, quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat Ecclesia; & de latere in cruce pendentis, lancea percusso, Ecclesiæ sacramenta profluxerunt. Sed quare hoc? Quia infirmitas Christi nos facit fortes. Potuit Deus carnem detrahere homini, vnde faceret fœminam; & magis videtur quasi congruè potuisse: fiebat enim sexus infirmior: non detraxit tamen carnem sed os. Poterat pro osse os reddere, sed in locum ossis, caro adimpleta est. Quid igitur significauit? Facta est mulier in costa, tanquam fortis, factus est Adam in carne, tanquam infirmus. Christus, & Ecclesia, illius infirmitas, nostra est fortitudo.* Sic ille.

Infirmitate Christi nos esse fortes adumbratū in Adamo & Eua, hæc ex osse Adæ m detracto, facta est, & pro osse caro infirmior Adamo collata est. AVGVST.

6. Quò spectans etiam D. Bernardus serm. 1. de S. Andrea dicit infirmitatem humanam significatam in illa asina, super quam Dominus sedit dum intraret Hierosolymam, morte sua nos redempturus. *Certè*, ait, *super asellum ascenderat, vt ne hic quidem hostibus relinqueretur.* Ingreditur Hierosolymam infirmis asinæ vestigiis, ne inimici nostri nostra infirmitate nos oppugnantes nobis in bello præualeant. Vnde paulò pòst subiungit Bernardus: *Agnosco planè in duce pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico.*

BERN. Infirmitas hæc adumbrata in asina in qua Dominus sedit.

Hic reponenda etiam pulcherrima verba D. Amb. 2. sup. Lucam, vbi sic scribit: *Nemo potest dicere illud 1. Cor. 9. infirmis infirmus factus sum, omnibus omnia factus sum, nisi Christus, qui solus vulneratus est propter iniquitates nostras & attritus est propter scelera nostra. Ille igitur paruulus, ille infantulus fuit vt tu possis esse vir perfectus; ille inuolutus pannis, vt tu sis mortis laqueis absolutus; ille in præsepibus, vt tu in altaribus; ille in terris, vt tu in cælis; ille locū in diuersorio nō habebat, vt tu plures in cælestibus haberes māsiones. Meum ergo paupertas illius, patrimonium est: & infirmitas Domini, mea virtus est. Maluit se egere, vt omnibus abundares. Me illius infantia vagientis abluunt fletus; mea lachryma illa delicta lauerunt. Plus igitur Domine Iesu, iniuriis tuis debeo, quòd redemptus sum, quàm operibus, quòd creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Sed nemo intra visum corporis, formam omnē diuinitatis includat. Alia natura carnis est, alia diuinitatis gloria. Propter te infirmitas, in se potentia; propter te inopia, in se opulentia. Noli hoc æstimare quod cernis, sed quod redimeris, agnosce. Quia in pannis est, vides; quia in cælis est, non vides. Infantis audis vagitus, non audis bouis Dominum agnoscentis mugitus. Agnouit enim bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Denique asinam rationalem populum gentilem, succo non deliciarum, sed naturalis alimoniæ præsepia sancta pauerunt.*

AMBROS.

Isa. 53.

8 Sicut autem gallina ex charitate & compassione erga pullos taliter infirmatur, ita etiam Christus ex charitate & erga homines compassione taliter infirmatus, vt docet D. Bernardus tract. de passione cap. 5. sectione præcedenti relatus num. 1. eandem veritatem eodem loco sic adstruit ducto argumento à minori ad maius. *Videamus*, ait, *quomodo affici solent homines, circa eos quos amant, vt per notum ad ignotum veniamus. Quis nesciat hominem, circa amicum suum periclitantem sæpe tanto affectu & dolore moueri, vt corporis sui detrimentum incurrat? Si hoc præstat homo homini, quantum Deum hominem Iesum putas homini præstitisse? Si tu pro vno homine, per compassionem periculum corporis incurris, quid putas Dominū Iesum pro omnibus tolerasse? Omnes enim sui erant, & omnes mortaliter infirmi erant. Certè nouimus Paulum Apostolum de se dixisse: Quis infirmatur & ego nō infirmor &c. Si Paulus cum infirmantibus infirmatur, quid benignus Iesus, cum esset conseruus, & frater cum conseruis & fratribus? Quid Dominus & pater pro creatura & filijs? Ardebat Apostolus quasi esset radio solis accensus, quantum ipsum solem putas exarsisse? Si vsque ad tantam infirmitatem per affectum compassionis descendit, qui scintillam charitatis habuit, quid sentiendum putas de ipsa charitate, de cuius plenitudine omnes accepervnt?* Hactenus Bernardus. De Christi erga hominem compassione, & qualiter per eam pro hominibus fuerit infirmatus vide fusè doctissimum Salmeronem tom. 10. tract. 6. de acerbissima Domini passione.

Sicut gallina ex charitate erga pullos sic infirmatur: Ita Christus ex charitate & compassione erga homines sic infirmatus. BERN.

Quòd Christus sit similis gallinæ, in ouando quidem laborantis, sed pòst partum cantantis.

SECTIO X.

GAllina in ouando multum laborat, & tamen post partum cantat: quantopere non laborauit, vt nos cælo, & Deo pareret Christus. Multum certè laborauit cælestis illa gallina, dum nido crucis insidebat, & dum singulos Christianos spiritualiter regeneratos, tanquam tot nitida oua, ex pectore, & cordis vulnere excludebat prout pluribus in locis prosequitur, & expendit D. Bernardus qui serm. 11. Cant. sic ait: *Opus nostræ redemptionis à memoria redemptorum aliquatenus non recedat, in quo opere duo potiss mùm, quæ nunc occurrunt, vestris studijs intimare curabo. Duo ergo illa sunt, modus,*

Multum laborauit Christus, vt nos cælo pareret. BERN.

modus, & fructus; & modus quidem Dei, exinanitio est; fructus verò nostra de illa repletio, non simplex autem & modica illa exinanitio fuit, sed semetipsum exinaniuit vsque ad carnem, ad mortem, ad crucem. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multa dilectionis, hominem debitorem teneret, commoueretq; gratiarum actionis; difficultas redemptionis, quem minus esse deuotum fecerat conditionis (id est, creationis) *facilitas* &c. Et serm. 20. in Cantic. *Super omnia*, ait, *reddit te amabilem mihi, bone Iesu, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facilè vendicat totum sibi, hoc, inquam, est, quod nostram deuotionem & blandiùs allicit, & iustiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs: multum quipppe laborauit in eo saluator, nec in omni mundi machina tantum fatigationis authoꝛ assumpsit, illa denique dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt: at verò hic, & in dictis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores; & in tormentis illusores, & in morte exprobratores.* Hæc ille.

IDEM. *Et*, in lib. de diligendo Deo exclamat: *non sum tam facilè refectus quàm factus; siquidem non solùm de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptum est: dixit & facta sunt: at verò qui me tantùm & semel dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantùm dura, sed etiam indigna*, &c. Quibus laboribus ritè perpensis à D. Bernardo loco citato, sic prorumpit in gratiarum actionem, & laudem eius, qui instar gallinæ tanto dolore, tantoque labore eum genuit, non mundo, sed cælo: *Quid*, ait, *retribuam Domino, pro omnibus quæ tribuit mihi, in primo opere me mihi dedit, in secundo dedit se, & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo, quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?*

Christus parturiens siue dolens vocatur ob dolores quos in pariendo homine suscepit.

2. Atque hinc est, quòd tum ob huius partus dolores, tum alias rationes, Christus, à sanctis Patribus parturiens, siue dolens vocetur. Nam titulum Psalm. 52. qui est, *pro Maeleth*, D. Augustinus & Hieronymus aliter legentes, nimirum, *pro Amalech*, dicunt in Amalec significari Christum, ducto imprimis argumento ab etymologia nominis, quia Amalec idem est quod parturiens, siue dolens. *Quis autem*, inquit D. Augustinus in titulum eiusdem Psalmi,

AVGVST. *in hoc seculo parturiat, & doleat, agnoscunt fideles, Christus hic parturit, Christus hic dolet. Neque enim non parturiens, neque dolens diceret, Saule, Saule, quid me persequeris*, Act. 9. *Sic enim Christus Dominus seruos suos qui erant in hoc sæculo diligebat vt cùm aliqua eos persecutio attingeret, ipsi dolores parturientis sentire videretur.* A materia autem Psalmi, quia in eo ingens morum declinatio, imò & corruptio deploratur. *Corrupti sunt*, inquit, *& abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum* &c. *Gemit*, inquit D. Augustinus, *& parturit, & dolet Christus Dominus, non solùm dum videt iustos persecutionum flammis cruciari; sed etiam iniustos, in profundas scelerum voragines, effundi.* Hieronymus etiam pro Amalec, id est, parturiente seu dolente, Christum Dominum interpretatus, *Dominus*, inquit, *doluit pro peccatis nostris, quia verum corpus fuit & parturiuit filios*, & rectè quidem dici potest Christus, Dominus parturiens, seu dolens, quem Isaias cap. 53. per antonomasiam, *Virum dolorum, & scientem infirmitatem*, appellauit: Dolorum, inquam, non solùm propter hominum culpas, quibus acriter torquebatur, sed etiam propter cruciatus, quos sustinuit, præsertim in doloroso illo partu, in crucis nido ab eo peracto. HIER.

Christus in ouando quidem laborauit, sed post partũ multum est gauisus atque lætatus.

3. Quamuis autem gallina multùm laboret, tamen intantum gaudet de ouis suis, vt illis iam positis, prorumpat in clamorem & cantum, inuitans quodammodo vicinas, vt illi congaudeant & congratulentur. Quàm bene hæc Christo conueniunt? gaudet summopere super peccatore, & veteri homine, ex ipso, per pœnitentiam spiritualiter renato, suum gaudium dignatur Christus explicare parabolâ illâ ouis, & drachmæ perditæ, & inuentæ, vt meritò Gregor. Nazianz. orat. in S. Lumina, in fine, sic dicat. *Nulla enim re Deus perinde delectatur, vt hominis* (propter quem omnis doctrina, atque omnia mysteria concessa sunt) *resipiscentiâ & salute.*

Gaudet Christus super peccatore, pœnitentiam agente.

NAZIAN.

Consentaneum est quod ait Orig. hom. 23. in lib. Num. *Est*, ait, *Deo magna festiuitas humana salus* &c. Idem: *Ego puto quòd per singulos quosque credentium, per singulos qui conuertuntur ad Deum, qui proficiunt in fide, festiuitas oritur Domini. Quomodo putas lætificat eum, cùm is qui fuerat impudicus, fit castus; & qui fuerat iniustus, iustitiam colat; & qui fuerat impius, efficiatur pius? Ista omnes singulorum conuersiones, festiuitates generant Deo.* ORIG.

4. *Celebritas bona & pulchra*, ait Ephrem de cruce & de gratia, *est pœnitentia cum lachrymis.* Regius Vates loquens, de peccatore ante constituto sub diaboli dominio, sed iam per veram pœnitentiam conuerso, sic ait Psalm. 75. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum, diem festum agent tibi.* Quasi dicat: Domine licet peccator, vitâ, moribus, & cogitationibus suis, dum in peccatis degebat, tibi aduersarius fuerit, per veram pœnitentiam, iam totus mutatur, dum deflet sua crimina, iam illius cogitationes diem festum agent tibi. *Si primitiuæ cogitationes*, ait Rupertus, *infestæ fuerint, reliquiæ eius per pœnitentiam & confessionem diem festum agent tibi.* EPHREM.

Cogitationes peccatoris iam conuersi diem festum agunt Christo.

RVPERT.

5. Cùm Matthæus à Christo vocatus fuit, ait Lucas cap. 5. *Fecit ei conuiuium magnum*

gnum Leui, in domo sua. Cur precor conuiuium hoc magnum vocatur, an quia multis ferculis instructum, an quia multis sumptibus peractum? non equidem puto, sed magnum vocatur, iuxta mentem Pauli de Palacio, quia vt ait Euangelista, *Et erat turba multa publicanorum & aliorum, qui cum illis erant discumbentes. Grande conuiuium fuit,* ait citatus auctor, *quia fuere publicani conuiua. Nullum cibum lautiorem Christo appones, quàm publicanos si conuertantur.*

PAVLVS DE PALACIO. Nullus cibus Christo lautior, peccatore conuerso.

Legimus Lucæ cap. 15. amantissimum illum patrem in filij reditu lætabundum dixisse: *Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur,* &c. Cui conuenientior cibus, an patri diuiti, & bonis abundanti; an filio nudo, pauperi, & famem patienti? *Epulantem tamen inducit Patrem,* ait D. Ambrosius in cat. *vt ostenderet, quoniam paternus est cibus salus nostra, & Patris gaudium nostrorum redemptio peccatorum.*

AMBROS.

6. Cantic. 3. sic inuitat sponsa filias Hierusalem: *Egredimini & videte filia Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Aponius hunc diem interpretatur de die illa, in qua Maria Magdalena sua planxit peccata: Zacchæus restituit fraudulenter ablata, Matthæus reliquit telonium: & latro bonus pœnitet scelerum, & hæres instituitur regni cælorum: Do illius verba. *Cordis vtique erat lætitia dies Domini Christi, quando meretrix lachrymas fundendo; fœnerator quadruplum restituendo malè directa; publicanus relicto telonio, præsentibus lucris contemptis Christum sequendo; latro vociferando, regnum cælorum, à se alienum, peruasisse monstratur.*

APONIVS. Dies conuersionis Magdalenæ Christo fuit dies lætitiæ cordis eius.

7. Ait in persona Christi regius Vates Psalm. 68. *Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni.* Sed quæ in orbe terrarum tam fortunata creatura, quæ consolari posset eum qui pater est totius consolationis, & à quo omnis animæ procedit consolatio? Audi Rupertum. *Consolantem me quæsiui, id est, bene operantem per pœnitentiam. Nihil,* ait Chrysost. hom. 2. in Genes. *quod Deum exhilaret, atque conuersio nostra.*

Deum exhilarat conuersio nostra.

RVPERT.

CHRYSOS.

8. Cantic. cap. 2. sic loquitur sponsus. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Quid hoc rei est, quod diuina Maiestas, cui assistunt tot Angeli, totque beati, donati pulcherrimis faciebus, & splendore suo solem multum superantibus, hisce minimè contenta, adhuc tenetur desiderio vt videat faciem, vt audiat vocem animæ? Quænam precor anima illa, quæ pulchritudine vultus sui, & dulcedine vocis suæ, taliter trahit diuinam illam maiestatem? Audi Vincentium Ferr. serm. 10. Dom. post Trinit. *Loquitur hic Christus persona pœnitenti, vt philocaptus philocapta sua. Iam videtis, qui plorat ex contritione peccatorum, qualem faciem facit, illam dicit Christus pulchram esse coram eo:* Deinde subiungit: *Magnus Rex Christus, habet ministros in regno suo, qui faciunt sibi sonum gratissimum; & isti sunt peccatores.*

VINC. FERR. Peccatoris contriti facies pulcherrima coram Deo.

9. Ecce quomodo loquatur Christus Lucæ 15. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Non dicit, ait Hugo Card. congratulamini oui, sed congratulamini mihi, mihi dicit, non oui, vt appareat quantum de hominum reparatione gaudeat. Sic ille. Sed ponderosius Diuus Thomas opusc. 63. cap. 7. *Notabile est, quòd etiam omnes Angelos conuocat ad gratulandum, non drachmæ, non homini, sed sibi. Quasi homo, Dei Deus esset, & tota salus diuina, in ipsius hominis inuentione dependeret: & quasi sine ipso beatus esse non posset.*

Summopere de hominum reparatione gaudet Christus.

D. THOM.

10. Non solùm lætatur Deus, sed etiam angeli de peccatoris conuersione, iuxta illud Christi. *Gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Quanta fælicitas vt de salute nostra exultent cælestia. Tertull. in libro de pœnitentia. *Lætantur,* inquit, *angeli pœnitentiâ hominis. Heus tu peccator, bono animo sis, vides vbi de te gaudeatur?* Dolet peccator, cælum gaudet, lachrymatur peccator, cælum exhilaratur: pœnitentiam agit peccator in terra, gaudium magnum est in cælo. *Agunt angeli,* ait Origenes hom. 23. in lib. Num. *diem festum lætantes super ijs, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum, angelicis se festinant sociare consortijs* &c. Vide Enar. 5. Sect. 7. §. 7. n. 12.

Lætantur angeli de hominum conuersione.

TERTVL.

ORIG.

11. Quid mirum Angelos lętari, cùm tutores sint hominum, vide En. 10. Sect. 3. num. 13. Vrgent homines vt saluti suæ consulant, eod. num. 16. An mirum quod de hominis conuersione gaudeant? Zelantur animarum salutem, eod. num. 17. An mirum quod de eorum obtenta salute lætentur? Summopere nos amant angeli Enar. 10. Sect. 4. num. 12. *Lachrymæ pœnitentium, vinum angelorum,* ait D. Bernardus. An mirum quòd gaudeant de nostro bono?

Non mirū quod angeli lætentur cùm sint tutores hominum.

BERN.

12. Omnis gaudet in conuersione peccatoris Ecclesia. Petrus Dam. respiciens ad illa verba Ioan. cap. 12. *Domus repleta est ex odore vnguenti.* In medium adfert varia vnguentorum spiritualium genera. *Primum,* dicit esse, *vnguentum contritionis, de recordatione peccatorum, de spiritu contrito, & contribulato descendens.* Et nonnullis interiectis, pergit. *Sanè pretiosum vnguentum, quo non solùm terrena domus, sed etiam cælestis aspergitur. Vilissimæ autem sunt species, de quibus conficitur, & magna earum copia intra nostros hortulos, poterit inueniri: Peccata, igitur nostra plantata in conscientiis nostris, quorum numerositas præ multitudine numerari non potest, species eius sunt. Ipsa igitur in morta-*

Tota Ecclesia gaudet de peccatoris cōuersione.

PETRVS DAM.

mortariolo pœnitentiæ, macerationis pistilio contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, & in aheno disciplinæ concocta, vnguentum exhibent pretiosum, & acceptum pedibus Saluatoris; compendiosè autem illud conferimus, sapienti, rerum occasionem penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior, interim tamen bonum est vnguentum illud, quod domum replet, penetrat calos, angelos lætificat & beatæ ciuitati lætitiam refundit, & gaudium. Hoc est sacrificium iustitiæ, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus. Hæc ille.

In conuersione peccatoris, omnes gaudent creaturæ.

13. Quod amplius in conuersione peccatoris omnes gaudent creaturæ. Isa. 44. *Laudate cæli, iubilate extrema terræ, resonate montes laudationem; saltus & omne lignum eius.* Quid est, quod Deus velit etiam res inanimatas agere diem festum? vide quid sequatur: *Quia redemit Dominus Iacob. Omnia vult Deus gaudere*, ait Oleaster, *cùm seruum suum recuperat amissum.*

OLEAST.

14. In eodem Propheta legimus cap. 30. *Et erit lux lunæ, sicut lux solis & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligauit Dominus vulnera populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit.* Quid est quod taliter velit accendi, taliter lumine repleri, solem & lunam, in die qua sanat percussuram plagæ populi sui: *Quia vult Deus*, ait Oleaster, *omnia gaudere & exultare in die salutis iustorum, & omnes seruos suos nouis indui, quemadmodum solem & lunam.*

OLEAST.

Christus instar gallinæ tam sollicitus pro singulis, ac pro omnibus hominibus.

SECTIO XI.

1. GAllina vnum pullum educans, æquè solicita est, ac si decem aut viginti exclusisset, tam sollicita est. & tenera mater, vnicum solum ducens pullum, ac si decem nutriret & educaret. Sic Christus, ita sollicitus est pro singulis, vt pro omnibus. *Ego*, ait Oseæ cap. 11. *quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quod curarem eos.* Et D. August. lib. 3. Conf. c. 11. *Deus qui sic vnumquemque curas, tamquam si solum cures, & sic omnes tamquam singulos.* Et idem in Soliloq. c. 54. *Cùm*, ait, *cunctis præsideas, singula implens, totus semper vbiq; præsens cunctorum curam agens quæ creasti, quia nihil odisti eorum quæ fecisti, sic gressus meos semitasq; consideras, & die nocteq; super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans; speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ, cæli & terræ oblitus, tantùm me solum consideres, & nihil sit tibi cura de alijs, neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantùm vnum aspicias, neque minuitur si innumera videas, & diuersa, quia sicut vnum totum simul perfectè condebas, sic singula qualibet, quamuis diuersa perfectè simul, totaq; totus conspicit vultus tuus; sed sicut omnia, sic vnum; & sicut vnum, sic singula totus simul sine diuisione, vel commutatione, vel diminutione, consideras. Itaque totus tu in toto tempore, totum me simul, semperq; consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis, semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum inuenis, quocunque iero, tu me Domine non deseris, nisi prior ego te deseram; vbicumq; fuero, non recedis, quoniam vbique es; & quocunque iero, inueniam te.* Sic Diuus August.

Christus ita sollicitus est, pro singulis, vt pro omnibus.

AVGVST.

Eandem Dei conditionem notat AMBROS.

2. Eandem Dei conditionem notat etiam D. Ambr. nam lib. 1. de Iacob & vita beata c. 6. expendens illud Rom. c. 8. *Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum*, sic ait: *Nihil excepit, quia omnium cessit auctorem, mirè addidit, pro nobis omnibus tradidit illum; vt ostenderet, quòd ita omnes diligat, vt dilectissimum sibi filium pro omnibus traderet.*

Amoris quædam effusio est; dum ait Deus: Ego sum Deus tuus. CHRYSOS.

3. Quam amoris effusionem significauit Deus ad Abrahamum dicens Gen. 17. *Ego Dominus omnipotens*, seu, vt habent Septuaginta: *Ego sum Deus tuus.* Vbi D. Chrysostomus hom. 39. *Vide*, inquit, *miram bonitatem! quomodo hoc etiam additamento amorem suum erga iustum declarauit; nam qui totius mundi Deus, & vniuersi opifex, creator cæli & terræ, dicit: Ego sum Deus tuus, ita & Prophetæ dicere consueuerunt: Deus, Deus meus, non concludentes eius dominium, sed amorem immensum declarantes.*

Similiter dum ait: Ego protector tuus sum. CHRYSOS.

4. Eandem amoris effusionem Abrahæ significauit Dominus Gen. c. 15. quando ei dixit: *Noli timere Abraham, quia ego protector tuus sum.* Emphasim habet illa verba, *Protector*, &, *tuus.* Prioris verbi emphasim sic exponit D. Chrysost. vt in glossa: *Ego scilicet, qui à Chaldæis te euocaui, ego qui te huc duxi, ego qui te è periculis Ægypti liberaui; ego qui semel atque iterum promisi tibi, atque semini tuo daturum terram hanc, qui in dies magis ac magis omnibus te clarum reddo, ego protego te, ego scuti vice tibi ero, ego pro te certo, propugnator sic curam gero; omnia difficilia, facilia tibi reddam, ego protego te.* Habet & emphasim vox illa, *tuus, noli timere quia ego protector tuus.* Ergo non omnium, omnium equidē, sed specialiùs Abrahę, qui Deum diligebat, amabat, & colebat. *Ecce ego cognoui quod Deus meus es tu*, aiebat Dauid Ps. 55. vbi D. Aug. *Magna scientia, non enim ait, quia Deus es, sed, Deus meus es: tuus est enim, cū tibi subuenit; tuus est, cùm tu ab illo alienus non es, vnde dicitur; Beatus populus, cuius est Dominus Deus*

AVGVST.

ipsius

ipsius, quare cuius est? Cuius enim non est? omnium quidem Deus est; sed eorum propriè dicitur Deus, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident, qui illum colunt.

5. Quò allusit Sapiens Eccli. 49. cùm dixit: *Deus, cui cognomen est, Deus Israel.* Quasi ille, qui sua potestate Deus est omnium populorum, sua charitate Deus, imò pater vnius populi cognominaretur.

Vnaquæque anima Christi sponsa.

6. Secundum quem eximium amorem, eximiamque charitatem, in vnamquamque animam, ait sponsus Cantic. 6. *Vna est columba mea, vna est perfecta mea.* An non multæ animæ quas Christus amat? Cur ergo vnicam appellat sponsam? Ideo vnicam appellat sponsam, quia cùm infinitus eius amor sit, qui neque exhauriri potest, aut remitti, tanto in illam amore fertur, quanto si sola esset, in qua incitatissimus ille amoris impetus acquiesceret; neque minora dedisset amoris signa cælestis sponsus aut pauciora, si vna esset anima, quæ ipsius beneficiis indigeret, quàm dedit, vt ornaret tot sponsas, quæ in albis secum in cælo æternùm cantabunt.

Pij viri sic æstimant Dei beneficia, non quasi aliis communia, sed tanquã sibi solis relicta.

7. Ex quo viri pij, gratique tot sponsi muneribus, in seipsos gratiarum pondus & retributionis assumunt, neque sibi cum aliis communem esse considerant Christi mortem, aut immortalia merita, sed tamquam sibi solis relicta & deputata. Ita D. Paulus ad Gal. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* quasi solum Paulum dilexisset Christus, & pro solo Paulo moreretur. De quo sensu Pauli D. Chrysost. Paulum interrogantem audite, sic enim ait hom. 35. in Gen. *Quid dicis, ô beate Paule? paulò ante dicebas, Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; & nunc dicis; Qui dilexit me, & vt proprium vsurpas commune beneficium. Profectò, inquit, nam licet pro omni hominum genere sacrificium oblatum sit, tamen propter amorem in eum, id quod factum est omnibus, proprium mihi facio. Ita & Prophetis mos est facere, & dicere. Deus, Deus meus, quamuis totius orbis sit Dominus. Sed peculiare hoc est amori, vt ex communibus propria faciat. Filij Dei, inquit, qui dilexit me. Quid dicis? Te solum dilexit? Omnium, inquit, hominum naturam dilexit, sed ego gratias ei debeo, quasi me solum dilexisset, & tradidisset semetipsum pro me solo. Quid igitur pro te solo crucifixus est? an non dicit; Quando exaltatus fuero traham ad me omnes? Nónne tu dixisti, quòd pro nobis omnibus tradidit semetipsum? Profectò, inquit, non loquor pugnantia, sed meum amorem ita solor.* Ita Chrysost.

Chrysos.

Rom. 8.

Idem.

8. Similia habet idem Chrysostomus exponens illud ad Galat. cap. 2. *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, deditq; seipsum pro me;* vbi sic ait: *Quid facis, ô Paule, dum communia propria tibi vindicas, quæq; pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti; qui dilexit nos, sed qui dilexit me. Atqui Euangelista dicit: Sic dilexit Deus mundum; quin & tu ipse dicis: Qui proprio filio suo non pepercit, sed tradidit eum pro nobis. Nõ igitur pro te, sed pro omnibus. Ac rursum; Acquireret sibi populum peculiarem. Quid est igitur quod hîc dicit? Cùm consideraret Apostolus infirmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem Dei solicitudinem, tum quibus ipsum malis liberasset, quæ bona largitus esset, inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur: Quandoquidem & Prophetæ non rarò Deum communem, sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes: Deus, Deus meus; ad te de luce vigilo. Præterea verò declarat, hoc quoque par esse, vt quisque nostrûm non minùs agat gratias Christo, quàm si ob ipsum solum aduenisset. Neque enim recusaturus erat, vel ob vnũ tantùm, exhibere dispensationem, adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuersum.* Hunc Christi affectum contemplata fidelis anima, quod Christus pro totius mundi salute suscepit, illud totum ad se vnam referebat, vnde cantat: *Dilectus meus mihi & ego illi*, id est, totus est meus. Quam iustorum proprietatem Chrysostomus libr. 2. de compunctione cordis, maximè commendauit, dum ait: *Hic est affectus serui fidelis, vt beneficia Domini sui quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi solum præstita reputet, & quasi sit ipse omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius.*

9. Quam eximiam charitatem dum expendit D. Chrysost. in Christo, nimirum, quod tantum erga singulos, quàm erga omnes habuerit affectum, sic ait hom. 34. in Genes. *Qualem igitur vicissim gratiarum actionem exhibere poterimus, tam diuitem erga nos charitatem declaranti? Etiamsi animam ipsam impendamus pro suis legibus, & obseruatione mandatorum, quæ ab ipso sunt datæ: neque sic ad charitatis modum pertingere poterimus, quàm erga nostrum declarauit genus. Ipse enim Deus existens, pro hominibus hoc subijt, & Dominus pro seruis; & non pro seruis simpliciter, sed pro ingratis, & perpetuis inimicis. Et ipse prior in indignos, & toties lapsos, tantam contulit beneficentiam. Nos autem, etiamsi nos facimus quæcunque facere poterimus, nihil magnum faciemus, vt ei, qui nos tantis beneficiis præuenit, aliquid rependamus. Nostra enim, si quæ sequuntur, retributio quidem sunt, & debitum: illius autem sunt gratia, & beneficia, & largitionis magnitudo. Hæc igitur omnia cogitantes, diligamus Christum, sicut Paulus ipsum dilexit, nullam præsentium rationem habeamus, sed perpetuum eius amorem animæ nostræ insidentem seruemus. Ita enim & omnia quæ in hac vita sunt, deridebimus, & terram quasi cælum inhabitabimus, neque fælici huius vitæ successu, remissiores erimus: neque aduerso & tristi consternabimur: sed omnibus præteritis, ad amabilem Dominum nostrum hinc festinabimus, neque præsentia conturbabunt, neque dilationem grauatim feremus, sed nunc & nos, sicut* beatus

Chrysos.

Quantam exigat gratiarum actionẽ quòd Christus tantum erga singulos quàm erga omnes habuerit affectum.

beatus ille, dicemus; quòd nunc viuimus in carne, in fide viuimus filij Dei, qui dilexit nos, & semetipsum tradidit pro nobis. Hæc D. Chrysostomus.

Quòd Christus, ad similitudinem gallinæ, aberrantes pullos, admoneat, & minis adhibitis, terreat, quodque Christus antequam homines feriat, primò comminetur.

SECTIO XII.

Christus more gallinæ aberrantes ad se reuocat.

1. Gallina dicitur glaucitare, & materna quadam voce, quam propriè & peculiariter, præter aliarum auium naturam, assumit, pullos ad alas, & ad pastum, & refectionem reuocare; & querula, & rauca voce pullos vagantes admonere, ne à miluis deuorentur. Ita Christus peccatores, per varia dispersos desideria, & aberrantes in vijs iniustitiæ, ad se, vitamque æternam conuocat, ne deuorentur à dæmonibus. Neque semel tantùm vocat, sed sæpiùs. *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, sicut congregat gallina pullos suos, sub alis.* Congregare volui, nimirum voluntate signi, nempe prædicando, monendo, præcipiendo, visitando, per Prophetas, per Prædicatores, per inspirationes, per afflictiones immissas, &c. filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis. Hoc est, congregare, non quomodocumque, sed materno affectu, more gallinæ, respectu pullorum. Et dicendo hic Dominus: *Quoties volui*, ostendit quòd sit Deus, quia omnibus præteritis laboribus id voluit. *Et noluistis:* Damnatur hoc loco stulta illa necessitas in negotio salutis, & ostenditur liberum arbitrium. Sed notandum ex Caietano hoc loco, quòd licet Deus non habeat nisi vnam voluntatem, & vnum velle, quòd est substantia eius: velle tamen diuinum relatum, ad præcepta, monita, consilia, prohibitiones, & similia, appellatur à Theologis voluntas signi, contra quam volumus, quoties peccamus, nō obediendo præceptis Dei. Et de hoc velle est sermo, cùm dicitur: *Quoties volui*, &c. *Et noluistis.* Dicitur enim, Deum velle id, ad quod vt faciat, tot adhibet media. Nisi enim vellet meam salutem, non me admoneret, non mihi cōsuleret, nec alia similia faceret. Signū ergo hæ res sunt, quòd Deus meam salutem velit. Cæterùm ipsum diuinum velle, si referatur ad illa, quæ ab æterno disposuit, executioni mandari, vocatur voluntas beneplaciti, de qua scriptum est Psalm. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Et illud: *Voluntati eius quis resistit.*

Probatur in homine liberum arbitrium.

Non semel vocat, sed sæpiùs.

2. Neque verò semel tantùm vocat, sed sæpiùs: *Quoties*, inquit, *volui congregare*, multoties Deus peccatorem vocat, ille verò diuinæ non vult assentiri inspirationi. Sępè vocauit Israelitas Deus, at illi semper restiterunt. Vnde illud Stephani Act. 7. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui sancto restitistis.* Ierem. 15. ait Dominus: *Laboraui rogans.* Laborauit Dominus rogans populum, ante incarnationem, per Prophetas; posteà per seipsum, congregare sub alas voluit, at ille noluit: laborat etiam nunc peccatorem, iteratis inspirationibus, concionibus, & admonitionibus rogans, at ille ad alas minimè festinat. Cùm autem supplicium graue mereantur illi, qui ad alas redire nolunt, Dominus supplicium differt, misericordiaq; plenam obiurgationem, & querelam adhibet: *Quoties volui congregare filios tuos, sub alis, & noluisti.* O querelam misericordiæ plenam; euertere mox potest populum, & grauissimè punire, & omisso nunc supplicio, querelam adhibet, quòd ad oblatas alas venire noluerit.

Laborat Deus in vocando.

Conqueritur quòd ad oblatas alas nolit venire homo.

3. Et quidem vt efficaciùs moueat eos, accurrere ad alas suas, querelis adhibet & minas: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Nota verbum, *vobis*. Summum enim bonum est, hominem relinqui Deo, quòd Dauid intellexit, dicens Psal. 9. *Tibi derelictus est pauper*, pullus videlicet matri suæ. Si magnum bonum, quale malum erit relinqui sibi hominem? Si tibi relinqueris (cùm sine Deo sis dæmone inferior) quid dæmon in te non faciet? Memor esto quid fecerit in corpore Iob iusti; quid autem fecisset in anima si potuisset? Vide quid sit, quando deserit pastor ouem: medicus, infirmum; vita, languentem; anima, corpus; infantulum, mater; pullum, gallina; hoc totum est; imò & in infinitum maius quid est, hominem relinqui sibi, & deseri à Deo.

Vt magis moueat querelis adhibet & minas.

Miserum est deseri à Deo.

4. Quid putas, si gallina fari posset, diceret pullis, ad se redire nolentibus? Diceret vtique, nisi reuertamini ad alas, miluum video, deuorabit vos; sic Iudæis Christus: nisi conuertamini, si renuitis congregari, à velamento, protectioneque alarum mearum deserti, velut pullus, extra matris alas vagans, rapiemini à miluo, vt posteà suo damno sunt experti; Deo tarditatem supplicij grauitate compensante. Nam vt ait Auctor Imperfecti homil. 46. *Sicut pulli frequenter à matre vocati, cùm non obaudierint, neque secuti fuerint matrem matre longiùs*

Quòd euenit pullo à matre aberrante: idem accidit peccatori renuenti ad Christi alas redire.

AVCTOR IMP.

longiùs abeunte, aut venit accipiter, & dispergit eos, aut longiùs euagantur vt pereant: sic & Domino frequenter Iudæos vocante, quoniam non audierunt, neque secuti sunt eum, ad gentes, illo recedente, venit quasi accipiter Rex Romanorum, & partem quidem eorum comedit fames & gladius, alij autem per singulas prouincias dispersi sunt, vt perirent. Sic ille.

Cùm mox posset punire Deus differt tamē pœnam.

5. Considera hic Dei benignitatem & misericordiam, mox potuisset punire Iudæorum gentem ob eorum contumaciam, & in Deum rebellionem, & statim pœnam infligere, differt tamen in annos quadraginta supplicium, patienter agens, solummodo minatur domum eorum fore deserendam, templumque prophanandum, ac ciuitatem dissipandam à Romanis, vt minis territi, agant pœnitentiam, & plagas euadant. Solet enim Deus minas intendere, sed non statim pœnas ingerere, vt homo, dato ad pœnitentiam interuallo, resipiscat.

Solet Deus minas intendere, sed non statim pœnas ingerere.

6. Ordinem hunc iudicij insinuant passim sacræ Scripturæ, & patet in ipso Genesis principio, vbi ita scribi à Moyse voluit: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Pro, *Deus*, habetur Hebraicè *Elohim*, id est, iudices; quæ vox parum videbatur ad mundi creationem explicandam, conducere. Cur enim non dixit; *Creauit Iehouah*, aut creauit omnipotens cælum & terram; Sed: *Creauit iudices?* Vt nimirum in ipsa mundi creatione admoneret, eundem esse mundi creatorem, & iudicem, qui eundem deberet iudicare, atque adeò ista comminatione, tantò ante iactata, homines à peccando deterreret, admoneretque non eis abutendum mundo, quem non solùm, tamquam omnipotens, sed etiam tamquam iudex fabricauerat; vt intelligerent iudicem futurum mundi, eundem mundi conditorem, vt sic ab omni creaturarum abusu, abstinerent, vel si abusi fuissent, præmaturè ad pœnitentiam recurrerent, antequam Dei ira in illos defæuiret.

In ipsa mūdi creatione admonetur homo, eundem esse mūdi creatorem & iudicem.

Minatus est Deus diluuium, sed in longū tempus distulit.

7. Patet in ipso diluuio, quod quidem Deus minatus est, sed in longius tempus distulit, Genes. 6. *Non permanebit* inquit, *spiritus meus in homine, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.* Vbi D. Hieronymus in quæst. Hebraicis: *Ne videretur,* inquit, *in eo esse crudelis, quòd peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adiecit; sed erunt dies eorum centum viginti anni, hoc est, habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam.* Imò diluuium iam exequuturus, nō repentinis imbribus, sed quadragesimalibus pluuijs, mundum obruit: *Facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Vbi D. Chrysostomus hom. 25. *Si voluisset, inquit, ac imperasset, potuisset omnia in vno momento perdere diluuio, sed pro sua misericordia tanta dierum productione vsus est,* &c.

Hieron.

Chrysos.

Minatur Deus se missurum grandinem multam nimis, vt Ægyptij possēt sub tecto sua congregare iumenta.

8. Eandem Dei misericordiam habes expressam Exodi cap. 9. vbi cùm Deus statuisset perdere grandine omnia Ægypti pecora, & cuncta quæ reperirentur in agris, monuit per Moysen Pharaonem, vt ea sub tecta colligeret. Vide incredibilem Dei clementiam, illis verbis expressam: *Et pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, à die quâ fundata est, vsque in præsens tempus. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim, & iumenta, & vniuersa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur.* Et statim subiungitur: *Qui timuit verbum Dei, de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos, & iumenta in domos, qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit seruos suos, & iumenta in agris.* In quem locum Dei misericordiam expendunt Theodor. dist. 9. quæst. 21. super Exod. & D. Augustinus lib. 4. super Exod. q. 33. *Quid est,* inquit, *quod mandauit Deus Pharaoni, cùm se facturum magnam grandinem minatur, vt festinet congregare pecora sua, & quæcumque essent in campo, ne grandine intereant? hoc enim non tam indignanter, quàm misericorditer videtur admonere.*

Theod.
Avgvst.

Non statim infligit pœnā Deus, sed comminando eam ad pœnitētiam studet homines adducere.

9. Patet & in Sacerdote Heli, ad quem vir Dei 1. Reg. cap. 2. *Ecce,* inquit, *veniunt dies, & præcidam brachium tuum.* Hoc est, instat tempus, quo de tua familia summum Sacerdotium auferatur: & tamen ablatum non fuit, nisi post octoginta annos, vt diuina misericordia commendetur, differens pœnas, & intermedio spatio, pœnitentia agatur. Patet insuper in Angelo Ephesi, ad quem Deus Apocal. 2. *Charitatem,* ait, *tuam primam reliquisti.* Sed non statim pœnam infligit, imò ad pœnitentiam priùs inuitat: *Memor,* inquit, *esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Vbi Rupertus lib. 2. in Apocal. cap. 2. *Sicut,* inquit, *multa sacræ Scripturæ testimonia, sic & locus iste docet nos, non debere præcipitare sententiam super Ecclesiarum Angelos, id est, Episcopos, & super quoscumque gradus Ecclesiasticos. Non enim dixit; Quia charitatem tuam primam reliquisti; idcirco venio tibi, &c. sed grande interuallum voci suæ, magnumque frænum posuit currenti sententiæ, dicendo: Memor esto vnde excideris, &c. Ordo iste iudicij Dei: latè splendet in Scripturis,* &c. Sic ille.

Rvpert.

Dat Deus metuentibus significationem vt fugiant à facie arcus.

10. Ordinem istum diuini iudicij pulchrè animaduertit & describit Dauid, cùm ait Psalm. 59. *Dedisti,* inquit, *metuentibus te significationem; vt fugiant à facie arcus.* Qui locus communiter, de huius vitæ flagellis exponitur, quæ Deus solet infligere, vt per ea peccatores eruditi, extremi iudicij seueritatem declinent. Cui quidem expositioni fauet versus præcedens: *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* Docet verò D. August. in comment.

Cur iudicium arcui comparetur. AVGVST.

comment. eiusdem loci, iudicium arcui comparari; quia quemadmodũ arcus, quò magis extenditur, eò sagittam iacit violentius: sic iudicij dies, quò magis differtur, eò erit acerbior. Verùm generaliùs accipere possumus eundem locũ, de quacumque significatione, siue per flagella, siue per comminationem, & prædictionem, aliaque huiusmodi signa, quibus veluti antegressis, monere solet peccatores Deus, vt sui furoris arcum subterfugiant, sanè non tantò antè prædicturus, si sibi cordi esset ipsa punitio.

11. Hunc Dei ordinem Patres animaduertunt in illo loco Psalm. 7. cùm dicitur: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, & parauit illum: & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Vbi omnia vides esse præparationes ad prælium, remque omnem in poliendo, & probando gladio, & in sagittis veneno imbuendis, versari, neminem ense percuti, in neminem sagittam iaci, quæ est elegans obseruatio D. Basilij in com. eiusdem Psalmi: *Comminatorius, ait, sermo est, non statim minatur vulnera, plagas, mortes; sed armorum vibrationem, veluti præparationem quandam ad vltionem intentat. Quemadmodum ergo qui arma abstergunt ac poliunt, pugnæ mox ineundæ acrem affectum & alacritatem significant; sic & sermo hic Dei, motum ad vltionem ostendere volens, gladium illum vibrare dixit.*

Totus est in poliendo gladio Deus, neminem verò percutit. BASILIVS.

Vibrat gladium vt splendor territus ad pœnam nõ peruenias. CHRYSOS.

12. Et etiam obseruatio D. Chrysostomi homil. 22. ad pop. *Vide*, inquit, *ne mollescas audita Dei bonitate. Deus enim, inquit, iustus, & fortis, & longanimis, & per singulos dies iram non inducens, vtpote scilicet clemens, quia pœnitentiam suscipit. Si verò non conuersi fueritis, gladium suum vibrabit. Interim non cædit, vibrat tantum, vt splendorem conspicatus & territus ad pœnam non peruenias. Non cædit gladius, sed terret, vt ipsius timor ad pœnitentiam te suscitet. Arcum suum tetendit, & parauit illum: tetendit, non immisit sagittam, vt te forma terreat. Congruus iudex, ne contemnas arcum: intentus enim est, ne mollescas: quoniam interim sagittam non cernis, ne negligas propter illius longanimitatem*, &c. Sic ille.

Similia habet D. Chrysostomus in illud Psal. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, sic fatus: Arcum suum tetendit, gladium suum vibrauit. Quòd si hæc essent furoris, & excandescentiæ, non prædixisset eis, quos est inuasurus. Ita enim non facit, sed contrarium, & maximè quando ad summum peruenit, & supplicio ac supplicijs apparatui militat. Hostes enim, & qui volunt supplicium infligere non modò id non dicunt, sed etiam id celantes inuadunt, ne qui sunt puniendi, si resciuerint, caueant. At non sic Deus, sed è contrario, & prædicit, & differt; & verbis terret, & nihil non facit, vt quæ minatur, non afferat, milites quidem ea de causa armantur, vt puniant: Deus autem non sic, sed vt cùm reddiderit metu modestiores, abstineat manum à supplicio. Ne ergo conturbemur: est enim terror verborum maximæ clementiæ, & quò dicit intolerabiliora, eò ea dicit ex maiori mansuetudine.* Sic Chrysost.

13. Idem ordo videtur insinuari illis verbis, quæ per Prophetam Amos cap. 2. loquitur Deus, dicens: *Ecce stridebo super eos, sicut stridet plaustrum.* O terribile supplicium, numquid in hoc supplicio inclusa est misericordia? Ita planè, ait enim se venturum esse, sicut plaustrum oneratum, quod sensim, & paulatim venit, & magnam moram facit, pergrandemque strepitum & rugitum emittit: in quo significat Deus, se expectare peccatores, & in ipsis puniendis moram facere, priusque vocibus, vel alijs rebus minari, vt illi à somno peccati, in quo existunt, suscitentur, atque ad sacram pœnitentiam confugiant. Cùm autem somno adeò sopiti fuerint, vt ab eo vigilare noluerint, ita vt de necessitate (vt aiunt) eos triturum sit plaustrum: ait Dominus se venturum esse ad illos, sicut plaustrum onustum fœno; onustum, inquit, & oneratum non ferro, aut arena, quæ ossa confringit eius, super quem transierit, sed fœno, quod nec tantum pondus habet, nec tantum damnum infert.

Quo sensu dicat Deus se venturũ sicut plaustrum oneratum fœno.

14. Sed nusquam hic ordo clariùs innotescit, quàm Apocal. cap. 1. vbi Ioannes dicit se vidisse *in medio candelabrorum similem filio hominis*, in quo Christus designatur; & quod, *ex ore eius exibat gladius vtraque parte acutus.* Quò loco notat Viegas, Christum triplici modo gestare gladium. Primò accinctum: secundò, in ore; tertiò, in manu. Accinctum quidem Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè.* In ore, hoc loco. Denique in manu Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum.* Quo significatur Dei in puniendo progressus; primum enim habet gladium accinctum, ostendendo potentiam, vt terreat; deinde gladium in ore ponit, comminando, vt deterreat; denique cùm neutrum sufficit, gladium vagina exuit, ac vibrat, vt percutiat, iuxta illud Exod. c. 15. *Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Et Ezechiel. cap. 5. *Gladium euaginabo post eos.* Vnde rectè dicitur, exibat, hoc est, procedens ab ore, scilicet ad manum, vt Dei in puniendo quidem quasi progressus indicetur; exibat enim gladius ab ore, quasi progrediens, vt inde eum manus ad vibrandum ac percutiendum arriperet; quamuis autem gladium habet in ore, in manu tamen stellas gestat, vt insinuet, comminationibus quidem se mortales perterrefacere; at non ita frequenter gladium ad manum transferre, nisi obdurati in peccatis maneant, & nullatenus resipiscant.

Triplici ratione gestat Christus gladiũ primò accinctum, secundò, in ore, tertiò in manu.

Quo significatur Dei in puniendo progressus.

15. Si

Deus tarditatem, supplicij grauitate compensat.

15. Si autem Deus suis comminationibus nihil proficit, plerumque desilit tandem in vindictam, vt loquitur, vel Ethnicus, *tarditatem, supplicij grauitate compensat*, vt patet in Iudæis, quorum pœnæ & supplicia tam fuere grauia, vt toti orbi sint notissima. Hinc illud Ieremiæ Thren. 3. de diuina iustitia: *Tetendit*, inquit, *arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Vbi rectè diuina punitio cum arcu comparatur. Nam vt bene D. Hieronymus ad eum locum: *In arcu*, inquit, *quantò longiùs trahitur chorda, tantò de eo districtior exit sagitta: sic extremi iudicij dies* (& idem est de quauis alia punitione) *quantò longiùs differtur vt veniat; tantò cùm venerit, de illo districtior sententia procedit.* Hinc est optimum illud Sapientis Eccli. 5. documentum: *Ne dixeris*, inquit, *peccaui: & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Quasi diceret: Ne ex tarditate supplicij impunitatem colligas, aut speres: sic enim Deus nostra scelera dissimulat, vt si à nobis nō reuocentur, seueriùs ab illo puniantur. Quod rectè expendens D. Laurentius Iustinian. in ligno vitæ, de timore cap. 4. *Lento*, ait, *gradu ad vindictam tui, diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat. Altissimus enim est patiens redditor; quia quos diu vt conuertantur tolerat, non conuersos duriùs damnat: & quantò diutiùs expectat, vt emendentur, tantò grauiùs iudicabit, si neglexerint.*

Diuina iustitia arcui comparatur.

Hieron.

Lavr. Ivstin.

Non sibi taliter debet quis blandiri de diuina misericordia, vt iustitiæ obliuiscatur.

16. Quare Dauid, nos ita erigit ad spem de misericordia diuina, vt pariter inijciat de diuina iustitia timorem: *Miserator*, inquit Psalm. 102. *& misericors Dominus, longanimus, & multum misericors.* Legit vlteriùs D. Augustinus immediatè post citata verba: *Et verax:* Quod desumpsit ex Psal. 85. num. 15. *Et tu Domine Deus, miserator, & misericors, patiens, & multa misericordia, & verax.* Quibus locis, quamuis pluribus vocabulis diuina misericordia significetur, vnico saltem diuina quoque iustitia indicatur; ne quis ita sibi de misericordia diuina blandiatur, vt diuinam iustitiam minimè recordetur. Quod D. Augustinus citatus diligenter expendens, ait: *Non sic tibi videatur Deus misericors, vt non videatur & iustus. Misericors & miserator Dominus, audio, & gaudeo, dicis; Audi, & gaude. Adhuc additur: Longanimis & multum misericors. Et in extremo; Et verax. Gaudes ad verba superiora? Ad vltimum treme. Sic misericors & longanimis est, vt sit & verax. Cùm tibi thesaurizaueris iram in die iræ, nónne experieris iustum, quem contempsisti benignum?*

Avgvst.

Inanis illa fiducia, quâ peccator de sola misericordia exultat.

17. Vnde vana prorsus est, & inanis illa fiducia, quâ ita peccator de sola misericordia exultat, vt nihil de iustitia cōtremiscat. *Ne dicas*, inquit Sapiens Eccli. 5. *miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim & ira, ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Fateor non esse de sola iustitia cogitandum, ne succumbat animus; sed nec de sola misericordia, ne præsumat. Quòd egregiè D. Bernardus serm. 6. in Cant. obseruat: nam in vtroque Christi pede, quem simul Magdalena non cessauit osculari, misericordiam & iustitiam recognoscens: *Alterum*, inquit, *sine altero osculari non expedit; quia & recordatio solius iudicij, in barathrum desperationis præcipitat; & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Et statim affirmans in seipso, hoc & succumbendi, & præsumendi experimentum habuisse, cùm alteram tantùm partem attentiùs contemplandam subdit: *Proinde magistrâ instructus experientiâ, non iudicium iam solùm, aut solam misericordiam; sed misericordiam pariter & iudicium cantabo tibi Domine.* Psalm. 100. Itaque hominum peccata, ita à diuina misericordia, longo tempore dissimulantur, vt tandem ad iudicium, imò & ad supplicium reuocentur.

Bern.

Misericordia & iudicium cantandū Deo.

Ita dissimulantur peccata hominum à Dei misericordia vt tandem ad iudicium & ad supplicium reuocentur, saltem in alterâ vitâ.

18. Ad supplicium, inquam, reuocentur, vel in hac, vel saltem in futurâ vitâ. Nam vt pulchrè docet D. Chrysostomus homil. 80. ad pop. *Deus longanimiter agit, vt & peccans ad pœnitentiam veniat, & ne ex eo nasciturus, salutem excludat. Nam etsi peccator incorrigibiliter peccet, parcit frequenter radici, vt fructus conseruet; frequenter tamen & ipsius expectans salutem: Et qualiter, audi: Tharam pater Abrahæ, fuit idolorum cultor, sed in hoc mundo impietatis pœnas non dedit: & meritò. Nam si Deus præueniens radicem præcidisset, vnde tantus iustitiæ fructus exortus fuisset? Quid Esau malignus? quid illâ impudentius nequitiâ? Nónne fornicator erat & immundus? Vt ait Paulus: Non patricida & matricida, non fratricida, quantum in ipsius fuit proposito? Nónne Deo fuit odio habitus, vt Scriptura testatur, Iacob dilexi, & Esau odio habui? Si fuit ergo fratricida, fornicator, & immundus & odio habitus, quare non perditur? quare non exciditur? quare non illicò congruam patitur vltionem? Quare? Bonum est verè dilectissimi causam dicere: Si succisus fuisset, maximum eleëmosynæ fructum, & iustitiæ, mundus amisisset, & qualem, audi: Esau genuit Raguel, Raguel Zara, Zara Iob. Vides quantus tolerantiæ fructus fuisset perditus, si præueniens Deus à radice pœnas exegisset.* Hæc Chrysostomus. Similia habet homil. 5. de pœnit. vbi Iobum nominat patientiæ florem. *Cernis*, ait, *quantus elanguisset patientiæ flos, si præueniens Deus à radice pœnas exegisset.* Et prosequitur: *Omnibus igitur in rebus initia speculatur & exitus Deus, eâ namque vtitur prouidentiâ, & super Ægyptios, qui vltra fidem blasphemi: patienter expectat, quousque ibi monasteria & Ecclesia, atque in illis florerent qui angelicam imitarentur vitam. Nam adstruunt, & qui de publicis legibus disputant, atque Romanorum mandant leges, prægnantem si quando contigerit, mortis peccato damnari, non priùs quàm pepererit necari, & probè quidem. Neque enim iustè legumlatores iudicassent, cum peccatrice innoxium simul fœtum tolli.*

Chrysos.

Peccatori, tamquam radici parcit hic Deus ob filios ab eo procreandos.

Gen. 11.
Hebr. 12.
Malach. 1.

Gen. 36.
1. Paral. 1.

Idem.

tolli. Quòd si humanæ leges, his parcunt, qui nequaquam peccarunt, nónne Deus decentiùs, accommodatiusq; radicem custodit, in fructibus pœnitentiæ beneficium reseruans. Sic ille.

Desertus à Christo, rapitur à miluis tartareis.

Quæ cùm ita se habeant, charissimi, vocanti & minitanti Christo, obtemperemus, alioquin si ad alas Domini venire recusatis, deserti à protectione alarum Domini, à miluis tartareis rapiemini. August. Psalm. 64. *Si me, ait, non protegas Domine, quia pullus sum, miluus me rapiet.* Accurrite ergo ad alas Christi. O homo peccator, aberras elongatus à Deo & salute, vocanti & inuitanti Christo non obaudis, insequitur te interim miluus tartareus, expectatque vitæ tuæ exitum, vt tunc tamquam leo rapiat & deuoret animam tuam, dum locus est fugæ, accurre ad Christum, accurre ad alas huius gallinæ per pœnitentiam.

De quibusdam alijs gallinæ conditionibus, Christo adaptatis.

SECTIO XIII.

Maximus gallinæ in pullos amor: ita & Christi in Christianos.

Chrysos.

1. SVnt & aliæ Christo cum gallina conuenientiæ, commemoratu dignissimæ.

2. Prima. Gallinæ, maximus est in pullos amor: maximus similiter Christi in homines amor. *Nemo amator formæ, quamlibet insanus, aduersus adamatam tanto conflagrat igne, quantò studio nostram Deus appetit salutem*, ait D. Chrysostomus epist. 5. ad Theodor. lapsi. *Plus nos Deus amat* (ait idem homil. 19. in epist. ad Ephes.) *quàm liberi soleant amari à parentibus; & quantum discriminis est inter malitiam & bonitatem, tantum dilectio Dei, dilectionem parentum nostrorum excellit.*

Gallina non aspernatur pullos aufugientes, ita nec Christus peccatores.

Chrysos.

3. Secunda. Gallina non aspernatur pullos licet aufugientes, licet voci suæ non obaudientes, & hinc inde vagantes vt veniantur paucula grana. Similem se exhibet etiam Christus peccatoribus. *Vocantem*, ait D. Chrysostomus homil. 48. ad popul. *auersati sumus, & vndique nos attrahentem, nec ita nos puniuit, sed occurrit ipse, & fugientes cohibuit, & excussi sumus, & ad diabolum resiliuimus, & nec ita reiecit, innumeros nobis misit consolantes, quorum legationem nos non suscepimus; ille verò nec posthac nos aspernatus est, sed sicut amatores ardentissimi, qui contemnuntur, circumibat omnibus occurrens, non vt grauaret, sed vt se spernentes, excusaret. Venit in mundum, factus homo est, occisus est, & nec amorem extinxit, sed magis accendit.*

4. Tertia. Gallina, quamuis videat pullos, à se vocatos, non reuocari, nec reuerti ad ipsam, sed pro libitu hinc inde, granis colligendis, illectos, diuagare, non tamen curam illorum deponit, non desinit pro illis esse sollicita, ad illos naturalem habens sympathiam, non desinit etiam benefacere. An non idem in Christo cernere licet? *Qui naturâ suâ* (ait Basilius Seleuc. orat. 1. de Incarn. *impatibilis est, animaduertit nos prorsus deploratos, omneq; præsidium, quod ex præclaris operibus peti solitum est, abesse; immò verò certum propter praua opera exitium adesse, totumq; quod reliquum erat, talis modi esse, quòd omnes in nihilum redigere poterat, quadam mox sympathiâ tactus, iram, quam iustè promeriti eramus, conuertit in amorem, quo prorsus indigni eramus.*

Gallina nō deponit curam pullorū; ita nec Deus peccatorū.

Basilivs.

Deus non deponit curam Adami, postquā in peccatū lapsus est.

5. Vis huius veritatis manifestissimum exemplum? In Adamum oculos conijce. Vocat illum Deus, & inuitat ad pœnitentiam, dicens: *Adam vbi es?* Hac voce minimè compungitur ad pœnitentiam: profert in illum Deus mortis sententiam. *Puluis*, ait, *es, & in puluerem reuerteris.* Quid tum ille? Sicut priùs Deo minanti, in quacumque horâ comederis, morieris, non credidit, sic nunc, & Deo interminanti, quia puluis es, & in puluerem reuerteris, nec credidit. Et quod amplius est, cùm debuisset Euam nominare, mortem, nominauit eam viuentium matrem. Refert enim Scriptura Genes. 3. *Adamum nomen imposuisse vxori Euam, eò quòd mater esset cunctorum viuentium.*

Rvpert.

Quàm vesaniam admiratus Rupertus, sic scribit: *Nec sententia terminata est tantæ calamitatis, quu hic locus, vt insereret, quia appellauit Adam nomen vxoris suæ Euam; quid enim insanius, quàm in tali articulo, Euam dicere eam, quæ non habet vitam? Et quidem si hoc dixisset superiùs vbi dixit, hæc vocabitur virago, nullam nobis admirationem fecisset, quia secundum sensum eius cunctorum viuentium mater est; nunc autem id mirabile est; quòd vbi mortis corporea sententia ferebatur, iam spirituali morte mortuus, illic vxorem Euam, id est, vitam appellauit.* Quid tum Deus, an miserum penitus dereliquit, an curam omnem deposuit? an in infernum detrusit? Absit: Nuditatem eius misertus, quia spoliauerat eum diabolus, nudumque inter inimicos constituerat, nil ad peruicaciam attendens, sed ad nuditatem: *Fecit quoque illis*, ait sequens Scriptura, *Dominus Deus Adæ, & vxori eius, tunicas pelliceas, & induit eos. Vide diuinam benignitatem*, ait Caietanus hic, *erga primos parentes, quamuis inobedientes ei, quod nec inter puniendum omittit prouidere singularissima cura, vt qui seipsos reddiderant indigentes veste, nec haberent vnde se vestirent, habeant vestes diuinitus factas. Non destitit à beneficijs misericordia Dei*, ait Lyppom. in Caten. *etiam peccatores induendo pelliceis tunicis, quas simpliciter intelligi arbitramur, non tam indignum beneficium creatori, sicut nec aliarum rerum productio, quasi*

Caietanvs.

 diceret,

diceret, imprudenter prouidistis vobis, opportuniorem vestitus rationem indicabo vobis. Quid mirum sic se gerere Deum? Gallina est, quadam sympathia tactus, & naturali in homines amore, iram, quàm iustè promeriti erant, conuertit in amorem, quo prorsus indigni erant. Talem etiam se quotidie exhibet peccatoribus Christus, illi reduplicant peccata, hic reduplicat misericordiam.

Gallina fœdos pullos si redeant non repellit: ita nec Christus Publicanum.

6. Quarta. Gallina pullos quantumuis fœdos & sordidos, si ad illam redeant, non repellit, non reijcit: ita neque Christus, non Publicanum, non Magdalenam, non latronem exhorruit, non repulit. *Si dimiserit vir vxorem suam*, ait Dominus Ierem. cap. 3. *& illa recedens duxerit virum alium: numquid reuertetur vltra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: & tamen reuertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Quæ verba postquam retulisset D. Bernard. serm. 84. in Cant. aduertit: *Verba Domini sunt, non est fas suspendere fidem.* Omnibus dicit: *Venite*, numquam procedit ex dulcissimo illius ore, quamdiu mortali fruitur aura homo, quantumuis etiam magnus & enormis peccator fuerit; *Ite*, vel, *abite*: asperum illud verbum reseruat extremo iudicio.

Nunquã ex ore Christi viuentis in hoc mundo processit nomen, *ite*.

Comminatur quidem Deus apud Isaiam c. 1. Israelitis grauissimas pœnas, *Væ*, (quod est non solùm temporalis vastationis, sed & æternæ damnationis nota) illis denuntiat. Conqueritur de illis, quòd blasphemauerint Sanctum Israel, quòd abalienati sint retrorsum, &c. Et videtur eosdem quasi à se repellere, dum ait: *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Nihilominus quasi dicti sui asperioris pœnitens, mutat vocem, & prorumpit in longè dulciora verba: *Lauamini*, ait, *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite benefacere: quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam*, &c. Quid tum ô Domine? *Venite, & arguite me, ait Dominus.* Quasi dicat; si hæc opera præstiteritis, ijsque, seriò veram contritionem, pœnitentiam, & emendationem vestram testemini, arguite me infidelitatis & inconstantiæ, nisi vos in gratiam recepero, nisi vobis benefecero. Notandum autem in citatis Dei verbis, quod licet maximè esset indignatus Iudæis, grauiterque ab illis exasperatus, non inueniatur verbum, *Ite*, vel, *abite*: verùm postquam insinuauit quæ illis peragenda, addit: *Venite.*

7. Verum est, quòd cùm Christus prædicare cœpisset, oportere se Hierosolymam ire, pati deinde plura à senioribus plebis, & à Scribis & Principibus Sacerdotum: occidi etiam, & post diem tertium resurgere. Apprehendens eum Petrus, ait Matth. cap. 16. *Absit à te Domine, non erit istud.* *At ipse conuersus*, Petro dixerit: *Vade retro post me Satana, scandalum mihi es.* Sed tantum abest, vt hisce verbis à se repulerit Christus Petrum, quin potiùs (sciebat enim Christus hæc verba non tam esse Petri, quàm diaboli) ad sequelam suam illum excitauerit, sic verba illa Christi interpretante D. Hilario, comment. ibid. in Matth. *Sciens Dominus Zabulicæ artis instinctum, Petro ait: Vade retro post me, id est, vt exemplo se passionis sequatur. In eum verò per quem opinio hæc suggerebatur conuersus, adiecit: Satana scandalum mihi es. Non enim conuenit existimare, Petro Satanæ nomen & offensionem scandali deputari, post illa indultæ & beatitudinis, & potestatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis diaboli opus est, Petri responsione Dominus offensus, cum opprobrio nominis infidelitatis istius est detestatus auctorem.* Sic Hilarius.

Quo sensu dixit Christus Petro; *Vade post me.*

HILAR.

8. Quinta. Gallina tota in eo est, vt congreget pullos suos, & hoc vnicè desiderans, vt vnum efficiantur cum ea: Sic Christo nihil tantoperè cordi, quàm vt omnes ad se congreget, omnesque cum eo vnum quid efficiantur. *Quæritur*, ait Abulens. in cap. 23 Matth. quæst. 270. *quare dicitur: Volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. Dicendum, quod posuit hoc ad significandam nimiam congregationem: non enim maior potest esse quàm illa, quà gallina congregat pullos suos, recipiendo eos sub alis, & quasi incorporando eos sibi, vt efficiantur vnum cum ea, & foueantur calore corporis eius. Et hoc Christus intendebat facere de Iudæis, scilicet congregare eos ad vnitatem fidei, quæ est vnitas Ecclesiæ, vel ouilis, vt dicitur Ioannis cap. 10.*

Gallina tota in eo vt congreget pullos, sic Christus omnes ad se congregare desiderat, vnumque cum omnibus fieri.

ABVLENS.

9. Gallina aperit alas suas, sub quas pullos admittat, & aperiret corpus, si liceret, vt eos intra se reciperet. Ita Dominus aperuit in cruce brachia sua vt nos susciperet. Et quia fas ei fuit corpus & cor aperire, idcircò latus aperuit, & cor, vt nos intrò ingrederemur. Nec eo contentus, sua nos membra esse voluit, vnumque sibi nos effecit. Sic etiam Ioan. 17. *Volo pater, vt vnum sint, sicut & ego & tu vnum sumus.* Adeoque voluit sui cordis penetralia omnibus patere, vt pullis suis dicat: *Intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. Sed in gaudium Dei planè nemo intrare potest, nisi ad vltima & intima cordis admissus.

Gallina aperiret corpus si liceret, vt intra se pullos recipiat, ita & Christus aperuit cor suum peccatoribus.

10. Quàm Christus quærat congregationem & collectionem, sic de Christo fatus, sub imagine gallinæ, docet D. Augustinus ser. in die Ascens. hisce vsus verbis: *Charitate plena est gallina illa propter pullos infirmata, cum pullis humilians vocem suam, extendens alas suas: Quotiens, inquit, volui colligere filios tuos? Colligere, non diuidere. Quia habeo, inquit, alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili: oportet me & ipsas adducere, vt sit vnus grex, & vnus pastor. Meritò non audiuit fratrem contra fratrem interpellantem, & dicentem: Domine, dic fratri diuidat*

Nihil tam quærit Christus quàm congregationem.

AVGVST.

Matth. 23.

Ioan. 10.

Luc. 12.

dat mecum hereditatem. Domine, inquit, dic fratri meo. Quid? Diuidat mecum hæreditatem. Et Dominus, dic homo. Quare enim vis diuidere, nisi quia homo? Cùm enim dicit alius. Ego sum Pauli, alius autem, ego Apollo: nónne homines estis? Dic homo, Quis constituit me diuisorem hæreditatis inter vos? Colligere veni, non diuidere. Ideò, inquit, dico vobis cauete ab omni cupiditate. Cupiditas enim cupit diuidere, sicut charitas colligere. Quid est autem, cauete ab omni cupiditate, nisi impleamini charitate? Nos charitatem pro captu nostro habentes interpellamus Dominum contra fratrem, sicut & ille contra fratrem: sed non hac voce, non hac postulatione. Ille enim dixit: Domine, dic fratri meo diuidat mecum hæreditatem. Nos dicimus: Dic fratri meo teneat mecum hæreditatem.

Gallina amore amicitiæ fertur in pullos: ita etiam Christus.

11. Sexta. Gallina amore amicitiæ, & in bonum non tam proprium, quàm pullorum illis incubat: ita & Christus planè amore amicitiæ hominem amat, & beneficijs cumulat, non in rem suam, qui bonorum nostrorum non indiget, sed in commodum & salutem hominum. Sicut enim gallina suum pullis calorem impartitur, & ab eis frigus recipit. Sic Christus factus est inops, vt nos diuites faceret, factus homo, vt nos Deos faceret. O quantum frigoris, laboris, & doloris nos illi communicauimus! *Verè languores nostros ipse suscepit.* Ipsius crucis tormenta frigora nostra sunt; gratiæ, & dona in Ecclesia, Christi calor est. Sed hæc pensitantem accipe D. Augustinum in Psalm.60. vbi sic loquitur: *De te sibi habebat carnem, de se tibi salutem: de te sibi mortem, de se tibi vitam: de te sibi contumelias, de te sibi honores: de te sibi tentationem, de se tibi victoriam.*

Gallus fouet pullos amore concupiscentiæ.

12. De gallo gallinaceo refertur, quod si sub ventre deplumetur, fouere pullos more gallinæ, sed agit id amore concupiscentiæ, nimirum cum frigido sit pectore, vt à pullis calefiat. Id quod gallina calidissimi pectoris facit naturaliter propter commodum pullorum, hoc gallus gallinaceus facit propter proprium emolumentum. Gallina Christus est, homines plerumque galli gallinacei, amicitias vtilitate probant, matres sunt non affectu, sed effectu.

Gallina omnia pullis, Christus omnia fidelibus communicat.

13. Septima. Nihil habet gallina quod non communicet pullis: ita omnia quæ sunt Christi, communicantur fidelibus, præsertim in Eucharistiâ, vbi nihil sibi retinet. De quo vide Baeza in com. Euang. tom.1. lib.3. c.8. §.14.

Gallina fingit quod granum deglutiat, sic Christus quasi fictè comedebat.

14. Octaua. Gallina granum accipit in ore, fingens illud velle deglutire; & tamen hoc facit ea intentione, vt pullos ad comedendum excitet, & instruat; at quando iam pulli nutriti sunt, ipsa comedit & saturatur. Sic Christus Dominus quasi fictè comedebat, hoc est, actiones aliquas exercebat, quæ sibi necessariæ non erant, nec reuera ob eius necessitatem ei conueniebant, sed potiùs vt nos instrueret, illas faciebat. Nam baptizatus est, non quia baptismo egebat; qui omnium sordes abluere veniebat, sed vt nos ad baptismum instrueret & hortaretur. Sic & opera pœnitentiæ exercebat, cùm tamen non pro se faceret, cùm peccatum non haberet, sed vt nos ad ea excitaret & instrueret: quare & tunc gloriam animæ detinebat, ne in corpus redundaret, vt daret locum passibili carni. Postquam verò in omnibus educauit & instruxit filios suos, dedit locum animæ, vt gloriam suam corpori, vsque ad satietatem, communicaret.

Gallina maximi est caloris omnia digerentis: ita etiã Christus.

15. Nona. Gallina peculiarem in stomacho habet calorem, cumque valde vehementem, quo varia & multiplicia, quæ reiecta sunt, vilia pariter, atque spurcissima, imò & ipsos lapillos, in optimas, & maximi pretij, carnes conuertat. Quid indignius, turpius, ac durius, quàm conuitia illa & opprobria, quæ Christo toto vitæ decursu, ac præsertim tempore passionis sunt illata? Vide qualiter illa omnia deuorarit ac digesserit, quàm pacato ac tranquillo animo omnia ea pertulerit; non auertit faciem suam ab increpantibus & conspuentibus, dat percutienti se maxillam, tam bene hęc omnia ei sapiunt, vt gaudeat se tandem semel saturari opprobrijs. Interim hæc omnia conuertit in immensam, tam proprij nominis exaltationem, quàm animarum nostrarum salutem & gloriam. Et quo tandem modo? Latebat namque in illius corde, ingens charitatis & amoris flamma, huius vi atque virtute, durissima quæque facilè digerebat. Quòd iniurias nobis illatas concoquere non valemus, quòd nobis conuitia & opprobria, tam duræ sunt digestionis, quòd in ventre memoriæ tanto tempore indigesta hæreant, accidit ob defectum amoris & charitatis. Si enim in corde vestro aliqua amoris Dei scintilla lateret, eius ardore, omne virus, amarulentiam ac iniuriarum memoriam, facilè concoqueres.

Ob defectum caloris est, quod conuitia non possimus digerere.

Non sunt, ô Christiani, huius mundi afflictiones, inimicorum contumeliæ, & conuitia, iam duræ, sed optimæ digestionis, sæpius enim à Christo, & à sanctis, sunt excocta. Numquid considerasti qualiter mater & nutrix, duriusculum cibum, vel panis frustulum emolliat proprio ore, proprijsque dentibus illum frangendo, masticando, & quodammodo illum excoquendo, quod ni faceret, non posset infantulus, paruo suo, atque edentulo ore, cibum illum sumere, multò minus stomacho excipere & concoquere, sic verò materno ore præparatum & excoctum, summa sumit auiditate & delectatione, & facillimè digeritur & concoquitur à paruuli stomacho. Pari ratione nobiscum egit Christus, tamquam paruulis, sciebat nobis graue admodum futurum atque molestum, si sumendæ & excoquendæ traderentur iniuriæ, conuitia, variæque afflictiones: quid molitur

Contumeliæ non iam duræ digestionis, postquam Christus eas digessit.

vt

vt hæc omnia, suauia, & tamquam semel excocta, optimæ, & facillimæ reddat digestionis? Saturatur ipse primò opprobrijs, & contumelijs, manducat panem doloris, aquâ sustentatur tribulationis, deuorat amaras colliquintidas. Omnia amoris igne excoquit, emollit, duritiam frangit, amaritudinem pellit, optimo succo permiscet, & sic eadem sumenda, toleranda, & excoquenda nobis tradit. Certè signum est stomachi frigidissimi, & omni calore & charitatis igne priuati, si semel digesta non possimus digerere, si toties à Christo & Sanctis excocta, non possimus excoquere. Numquid considerasti qualiter escam primò degustet, vt posteà pulli auidiùs eam sumant; in eundem finem, sciens Christus per multas tribulationes nobis perueniendum ad regna cælorum, eas primò degustare voluit, vt libentiùs eas degustemus.

Frigidissimi stomachi est semel digesta non posse digerere.

16. Decima. Gallina, vt refert Berchorius reduct. l. 7. c. 35. in parte dextra ventris gerit oua, ex quibus producuntur pulli masculi, & ista sunt oblonga; in parte verò sinistra gerit oua, ex quibus debent produci pulli fœminei, & ista parua sunt & rotunda, sicut dicitur in libro de natura rerum. Sic verè Christus, illa oua, id est, illos homines, quos videt pullos masculos, id est, bona opera producturos, gerit in dextra parte ventris, id est, in ventre, & abscondito prædestinationis suæ; ipsos enim iam constituit ad dextram prosperitatis æternæ. Illa verò oua, id est, illos homines, quos nouit pullos fœmellos, id est, mala & imperfecta opera facturos, gerit in sinistra, id est, præscit in prosperitatis mundanæ sinistra nutriendos, & ad sinistram aduersitatis æternæ cum dæmonibus separandos, Matth. cap. 25. Constituit oues quidem à dextris, hœdos verò à sinistris. Sic Berchor.

Gallina in parte dextra ventris gerit oua ex quibus producuntur pulli masculi, ita Christus maximè amet homines bona & eximia opera exercentes.
BERCHOR.

17. Vndecima. Gallina pullos suos, vt notat D. Augustinus homil. 24. quos fouet, calcat interdum pedis pondere, licet non toto, nec ideò desinit esse mater: ita & Christus, pullos suos, id est, amicos suos interdum tribulationibus, & leuibus ictibus premit, nō tamen ideò desinit esse nobis instar amantissimæ matris. *Mater*, ait Absolon Abbas ser. 8. in nat. Domini, *modò lactat, & nutrit, & fouet filium suum, modò flagellat & increpat eundem, magis tamen de pietate materni pectoris procedit nutrire & pascere, quàm flagellare & increpare. Hoc enim naturali pietate facit, illud à filio prouocata. Sic & filius Dei naturaliter nobis exhibet pietatem, prouocatus per scelera nostra infert vltionem. Vnde in Isaia cum planctu dicit se criminosis hominibus illaturum vltionem, vbi ait: Heu consolabor de hostibus meis, vindicabor de inimicis meis.*

Premit interdū gallina pedibus pullum: ita tribulatione premit Christus Christianū.
ABSOLON ABBAS.
Isa. 1.

18. Duodecima. Sicut gallina profert ouum, ita & Christus protulit Dei verbum. De hoc ouo Christus, dum ait Luc. 11. *Aut si petierit ouum nunquid porriget illi scorpionem?* Quem locum Chrysologus accommodat ad Iudæos, de quibus Isai. 1. dixerat olim Deus: *Filios genui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Consuetum est, & sollemne, semper paruulos ouum petere, & parentes, ouum pusillis petentibus non negare: sed quia Christus venerat congregare, sicut gallina pullos suos, ouum protulit verbi, per quod Ecclesiæ germina sancta nutrirentur: sed quia Iudæus per inuidiam effundere magis, quàm sumere ouum id volebat, reperit ibidem scorpionem: vt iuxta Apostolum Rom. 7. Mandatum quod erat illis in vitam, hoc illis esset ad mortem.* Sic ille. Quæ conuenire etiam possunt Christianis, & fidelibus non bonis: istis enim ouum hoc, cælestis illius gallinæ, hoc est, verbum eius, transit in scorpionem, qui eos pungat & interimat; idque ipsorum vitio non Christi. Ab hoc ouo omnes prognati fideles, ita vt de quolibet eorum dici possit, id veteris prouerbij: *Ouo prognatus eodem.* Aristoteles lib. 5. de gener. animal. docet iuxta naturam fieri, vt ex eodem ouo duo pulli nascantur, & quidem perfecti, si vitelli membrana diuidatur. Verùm longè aliter res se habet in ouo verbi Dei, ex vno illo, non duo, sed innumeri nascuntur fideles.

Vt gallina profert ouum, sic Christus profert Dei verbum.
CHRYSOL.
Qualiter ouum cælestis verbi malis Christianis transeat in scorpionē.
ARISTOT.

Quòd ouum spei, atque fiduciæ, sit soli supponendum Christo, gallinæ amantissimæ.

SECTIO XIV.

Quòd spes nostra ouo assimiletur.

§. I.

1. NVllus est qui non habeat ouum; sed non omnes norunt, cui supponant hoc ouum. Clarius dico: Non est hominum aliquis, qui non speret, qui non spe nutriatur & reficiatur, qui non bona aliqua expectet, qui non aliquando rebus magnis & præclaris frui desideret; sed non omnes norunt, cui ouum hoc spei suæ supponendum. Vis scire cui ouum hoc supponendum. Vis scire cui ouum hoc supponere debeas? Vis scire à quo speranda & expectanda sint vera, permanentia & æterna bona, quæ animam valeant implere & satiare? Ouum hoc, non mundo, qui scorpioni

Spes nostra ouo assimilatur.
Cui ouum spei nostræ, supponendum.

scorpioni comparatur, eò quòd hominem à Deo retrahat, & spem vult poni in caducis, & pertranseuntibus huius vitæ bonis; sed Christo, & cælestibus bonis; supponendum ouum spei nostræ. Qualiter spes & ouo signetur; & qualiter non mundo, sed Christo, gallinæ sese comparanti, supponenda, sic præclarè docet D. Augustinus sermon. 29. de verbis Domini, exponens verba illa Christi Lucæ 11. *Quis est vestrûm à quo petit filius suus ouum, nunquid porriget ei scorpionem? Spes quantum mihi videtur ouo comparatur. Spes enim nondum peruenit ad rem; & ouum est aliquid, sed nondum est pullus. Quadrupedes ergo pariunt filios, aues autem spem filiorum. Apostolus Paulus de hac spe ita loquitur: Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Ouum est. Est ouum, & nondum pullus est, & testudine tectum est: non videtur, quia operitur: cum patientia expectetur, ferueseat vt viuescat. Intende extendere in anteriora, obliuiscere præterita, noli retro aspicere. Ouo tuo scorpium time. Vide quia de cauda percutit, quam retro habet. Nō ergo scorpius perimat ouum tuum, mundus iste spem tuam, vt ita dicam, veneno ouo contrario, quo cōtrario? Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit, vt retro respicias, & vt in rebus præsentibus spem ponas. Nos ouum nostrum sub alis illius ponamus, Euangelicæ gallinæ, quæ clamat: Hierusalem, Hierusalem &c. Non nobis dicatur: Quoties volui, & noluisti: illa enim gallina, diuina sapientia est, sed assumpsit carnem vt pullos congregaret, &c.*

AVGVST.

Spei nostræ ouum Christo gallinæ amātissimæ supponendum.

Rom. 8.

Quòd spes nostra nequaquam inniti debeat diuitijs, vel viris Principibus.

§. II.

2. INfirma quæque indigent sustentaculo, tenera planta vt crescat, virgæ alligatur; hedera arbori, vel parieti, hæret; faba stipitis adminiculo, in altum se erigit; vinea, fulta ligno auxiliario è terra surgit; vt liberiore aëre & sole perfruatur; infans cui necdum consolidati pedes, paruo incedit curru: ægrotus cui ex longo morbo, exhaustæ vires, iam paulatim conualescens, baculo incedit, senex verò ætatis decrepitæ, ligneo vtitur fulcro: Nihil homine fragilius, infirmius, inermius. Hinc apud Plinium l. 7. c. 1 legimus, quòd Ethnici solebāt de natura conqueri, dicentes, quòd hominis magis esset nouerca, quā parens, eò quòd inter omnia animalia, nulli minùs esset addicta, quàm homini, quodque illi nequaquam tam bene prouidisset, atque cæteris animalibus: hæc enim dum iam in lucem prodeunt, vestis pilis, plumis, lana, squamis, testis, quinetiam & arbores corticibus suis vestiuntur; homo verò hunc mundum ingreditur planè nudus. Cætera animalia vix nata incedunt, gradiuntur, cibum capiunt, aquam degustant, sibi noxia fugiunt, sibique conuenientia quærunt. Nihil horum facit infans recenter natus. Cætera quoque animalia, à natura prodeunt in lucem armata, vt hostium repellant iniuriam, aliqua dentibus, aliqua cornibus, aliqua vnguibus, aliqua rostro, &c. Solus homo inermis planè nascitur. Cur igitur talis sit res hominis, cùm, inquam, tam sit infirmus opus habet sustentaculo, prorsus indiget baculo, cui innitatur.

Non sperādum in diuitijs vel principibus viris.

Infirma indigent sustentaculo.

Nihil homine fragilius & infirmius.

PLINIVS.

Videtur natura homini fuisse nouerca.

3. Sed quodnam erit hoc sustentaculum? Quisnam erit hic baculus? An erit aurum? an erunt agri? hisce innitebatur senex ille, de quo Lucæ 12. qui dicebat animæ suæ: *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Innitere bonis tuis? Sed baculus hic tam erat fragilis, vt eadem nocte deficeret, & frangeretur. Dixit enim illi Deus: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?*

Meritò D. Paulus 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe; non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Expende illud: *nec sperare in incerto diuitiarum.* Quis enim fidat rei ancipiti & fluxuæ? Vnde Diuus Chrysostomus ad ea verba: *Quid in eo speras, quod repente transfertur? Id quippe diuitiæ sunt: quid in illis spem ponis, quibus considere omnino non potes?* Similiter D. Anselmus: *Nam si incerta diuitiarum prudenter attenderet, nunquam superbiret, semper timeret, & tantò esset sollicitior etiam secundùm hanc vitam. Multi enim pauperes in istis sæculi perturbationibus securiores fuere. Multi autem propter suas diuitias quæsiti, & comprehensi, atque cruciati, vel interfecti sunt. Multi erant heri diuites, & venientibus latronibus, atque cuncta auferentibus euigilant pauperes.*

Quàm infirmum sustentaculum diuitiæ.

CHRYSOS.

ANSELM.

An mundus erit nobis pro baculo & sustentaculo? Absit. Bene D. Fulgen. ep. 6. ad Theodor. *Qui rebus huius sæculi inhæret, vento inhæret: formidinē & contumeliam captat. Mundi promissa,* ait D. Aug. ser. 23. de verb. Dom. *semper fallunt, Dei promissa nūquam fallunt: sed quia mundus quod pollicetur, hîc videtur daturus, id est, in hac terra morientium, in qua nunc sumus. Deus autem quod pollicetur, in terra viuentium daturus est; multi fatigantur spectare veracem, & non erubescunt amare mendacem.*

FVLGEN.

AVGVST.

4. Sed an hominibus innitetur homo, tanquam firmissimo baculo? absit, nam vt per Ierem. c. 14. dicitur: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnē brachiū suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit, cùm venerit bonū, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.* Ille ponit carnē brachium suum, qui recedens à Deo, in homine ex carne constante, fortitudinem suam collocat & fiduciam, nam brachium po-

Baculi maximè infirmi ad incumbēdum sunt ipsi homines.

 ten-

tentiam & fortitudinem significat. Similis is est miricæ sterili, & in deserto nascenti.

5. Pulchrè Dauid Ps. 145. *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum in quibus non est salus, exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Obserua Principem quidem esse, qui de Principibus, ista profert: *Nolite*, inquit, *confidere in Principibus.* Cur ita? quia filij hominum sunt, in quibus non est salus. Si super hominem infirmum, qui vix se continere valet, inniti velis, facilè cades cum illo, nolite ergo inniti super homines, quamuis principes sint, quia in illis non est salus, non est fortitudo. Homo est enim infirmitatis exemplum, ait Philosophus. Sed sit ille quantumuis fortis. *Exibit*, ait, *spiritus eius* (scilicet Principis) *& tunc peribunt omnes cogitationes eorum*, scilicet confidentium in eo, vt docet S. Hieronymus. HIERON.

Arbor Nabuchodonosor symbolum Regum & Principum huius mundi.

Quod in arbore illa sublimi, quam vidit Nabuchodonosor Dan. 4. optimè figuratum est: *Videbam*, ait, *& ecce arbor in medio terræ & altitudo eius nimia, magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cælum, aspectus illius erat vsq; ad terminos vniuersæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea, subter eam habitabãt animalia & bestiæ & in ramis eius conuersabantur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro.* Quid de arbore excelsiùs dici potest? quid igitur de tali arbore factum est? Audi: *Et ecce vigil & sanctus de cælo descendit, clamans fortiter: Succidite arborem & præcidite ramos eius: excutite folia eius & dispargite fructus eius, fugiant bestiæ quæ subter eam sunt & volucres de ramis eius:* Siccine succiditur tam fortis & altissima arbor? Sed quidnam hæc arbor adumbrat? explicauit Daniel: Monarcham illum orbis maximum, Nabuchodonosor. Quid altitudo illa & fortitudo ingens? Magnitudinem dominationis eius demonstrat, post Deum enim, nullus hominum, in terra sublimior, agnoscebatur, vnde cacumine ad cælos vsque protendebatur. Quid folia illa? pulcherrimam gloriam eius, quæ pulcherrima omnibus videbatur: Quid fructus? diuitias, & bona temporalia, honores & prouentus, quibus eius imperium abundabat: Quid volucres, quid bestiæ significabant? eos scilicet, qui ad eum confugiebant. Aues, proceres & magnates, qui adulationibus, velut cãtibus, eius aures demulcebant, hi tanquam excelsiores, in ramis altis degebant, reliqui bestiæ appellantur, quia inferioris ordinis sunt. Omnes ad vmbram & fructus huius arboris currebant. Sed cùm minus id cogitarent, succisa est arbor, & bestiæ fugerunt, & aues auolarunt, in illa die perierunt, omnes cogitationes, & conatus eorum. Nónne hoc quotidie sic euenire videtis? Sublimatur quis in Regem, accurrunt propinqui, accedunt familiares, cum filijs suis, sub vmbra eius viuere se desiderare aiunt, eique diligentissimè seruire ac parere. Vix vmbram eius attigerunt, cùm morte adueniente, fugere omnes, & aliunde remedium quærere, coguntur. *Nolite ergo confidere in Principibus.*

Quid accidat homini qui innititur Principi.

6. Consueuerunt astuti venatores, qui elephanti parant insidias, ad capiendum eum, arborem, cui innititur ad dormiendum, per medium secare, & quasi sanam & integram relinquere. Tunc Elephas cum ex more accubitum venit, & innititur, quæ tamen cùm nullam firmitatem habeat, sed succisa sit, simul cum bestia, magno impetu ruit, & statim illam apprehendunt. Sunt non pauci, qui totum suum studium, ad arborem aliquam inuestigandam, cui inniti possint, conuertunt: hic magnati, aut principi, inseruit; ille regalis curiæ præsidi placere studet, alius verò muneribus & pecunijs magni cuiusdam præsulis gratiam & amicitiam comparat, vt dignitatem Ecclesiasticam obtineat. Sed tandem Deus arborem illam procerissimam falce mortis rescindit, vt simul omnes eorum confidentiæ resecentur.

7. Qui innititur hominibus, quantumuis magnis, licet Principes sint & Reges, innititur baculo arundineo, à quo potiùs damnum, quàm lucrum sperare debet; frangetur enim baculus, manumque vulnerabit innitentis. Vnde Rapsaces 4. Regum 18. *An speras*, inquit, *in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, & comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam. Sic est Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in se.* Et Isaiæ c. 36. *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, &c. Sic Pharao Rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo.*

Symbolum spei in hominibus positæ.

8. Non abs re erit, picturam quandam spei referre ab antiquis traditam, quæ vanitate eorum, qui in hominibus confidunt, mirabiliter explicat. Depingebãt procerissimam arborem in margine alicuius fluuij positam, & versus ipsum fluuium inclinatam, qualis esse solet vlmus in littore plantata, quæ ex rapidissimo vndarum decursu, penè radicitus euulsa est, & inclinata. Ex ipsa arbore Virgo quædam pendebat, aureâ catenâ colligata, & præsentaneo periculo non mediocriter afflicta. Intelligemus huius picturæ rationem, si aduertamus, quod tam in diuinis, quàm humanis litteris, homo arbor solet appellari. Plato hominem arborem inuersam esse dixit: & in Scriptura sacra frequens est hæc metaphora. Depingitur spes in hominibus posita, virgo ex arbore malè radicata pendens, & versus ictum fluuij inclinata; quia spes & fiducia in homine posita, maximis periculis & discriminibus exposita est: *Maledictus homo qui pendet in ligno*, ait Moyses Deuteron. 21. Quem locum dum interpretaretur Origenes, inquit: *Existimo hanc eandem esse sententiam cum illa; Maledictus homo qui confidit in homine.* Idem nimirum ORIGEN.

est

est ex arbore dependere, quàm in homine confidere, & spem suam in illo collocare: nam in die mortis peribunt omnes cogitationes, & machinæ eorum, qui in illo confidebant.

Spes in hominibus collocata quàm vana & fragilis.

9. Audite, precor, quid dicat Sapientia, de stultis illis hominibus, qui in rebus vanis, transitorijs, ac mortalibus spem collocant, Sap. 5. *Spes impij quasi lanugo est, quæ à vento tollitur: & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur & tamquam fumus, qui à vento diffusus est; & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Et quid obsecro faciliùs cadit, quàm lanugo? Quid faciliùs dissoluitur, quàm spuma? Si opes fures diripiant, & vbi erit spes auari? Si propter aliquam, siue veram, siue falsam suspicionem, à gratia Principis aliquis excidat; vbi manebit spes ambitiosi? Ergo spes impij quasi lanugo est, & tamquam spuma quæ à procella dispergitur. Et quando nihil penitus horum accideret, nónne tandem aderit mors, & vno impetu luteos istos muros deijciet? Nam propterea Sapientia addit, atque ait: *Et tamquam fumus qui à vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Aspicite vestros caminos. nónne tantum fumus ascendit, quanta est longitudo camini? Ita sanè: nam simul atque caminus deficit, fumus à vento diffunditur, & in auras euanescit. Pari ratione spes impij, tamdiu durat, quamdiu vita ipsa durat: vitâ deficiente, spes omnis, quæ in opibus, & honoribus posita erat, continuò deficit, & parietes corruunt: ergo spes impii tamquam fumus est, qui à vento diffunditur: Quid amplius? *Et tamquam memoria*, inquit, *hospitis vnius diei prætereuntis.* Illustrissima sanè similitudo, & ipsâ Dei sapientiâ digna. Cùm amicus aliquis, quem multis annis non vidimus, iter faciens, ad nos diuertit, quo apparatu, quâ lætitiâ, quo studio illum excipimus? Nihil loquimur nisi de eo, nihil cogitamus nisi de eo; nihil agimus nisi pro eo: toti denique sumus in eo curando occupati. At postea quam die sequenti recessit, alia negotia occurrunt animo; & statim amici hospitis obliuiscimur. Ad eundem modum cùm in hunc mundum ingredimur, qui, vt sæpe vos admonui, non domicilium, sed hospitium est, continuò ab amicis, affinibus, opibus, honoribus voluptatibus, tamquam hospitio excipimur, omnia nos circumstant, omnia ad se capienda, & cumulanda inuitant. At vbi mors, quasi nox quædam, vitæ diem claudit, nosque de hospitio recedere cogimur, omnia nos deserunt, & domum æternæ obliuionis ingredimur: illi siquidem qui remanent in hospitio satis in ijs excipiendis, qui adueniunt, occupantur; nec eorum qui recedunt diutiùs recordari possunt. Quid igitur spes impij est, nisi memoria hospitis vnius diei prætereuntis?

Idem confirmatur exemplo duorum aulicorum, de quibus D. AVGVSTINVS.

10. Tandem aliquando hanc veritatem agnouerunt adolescentes illi, de quibus S. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 8. Hi enim dum Imperator interest festis, siue spectaculis, visitant monasterium quoddam optimorum Religiosorum, in quadam cellula reperiunt vitam S. Antonij, cuius partem aliquam postquam perlegerant, ecce vnus eorum totus intus mutabatur, & exuebatur mundo mens eius, atque alteri hunc in modum loquitur: *Dic, quæso, omnibus his laboribus nostris, quò ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei causâ militamus? Maiórne esse poterit in palatio spes nostra, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis, & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio.* Vide quædam huc spectantia apud Celada in Iudith cap. 10. versic. 4. §. 9. moral. Et in Benedict. Patriarch. Benedict. 6. §. 36.

Quòd spes nostra nequaquam inniti debeat amicis.

§. III.

Nequaquam innitendum amicis.

11. Forsasse existimabis, amicos, firma esse bacula & sustentacula, quibus potius inniti, atque conuenientissimas esse gallinas, quæ foueant ouum spei tuæ? Refert enim Bernar. de Bustis in suo Rosario, *BVSTVS.* quod olim Romani amorem siue amicitiã sic depingebant: Iuuenem pulcherrimum caput detectum habentem, veste abiecta & aspera indutũ, & in fimbria vestimenti eius habebat scriptum, *Vita & mors*; in frõte verò ipsius, *Æstas & hiems.* Habebat latus vsque ad cor apertum, & vulnus digito demonstrabat, & in corde ipsa hæc verba exarata habebat: *Longè & propè.*

Amicitiæ hieroglyphicum.

Primo depingebatur iuuenis amor, quia vera amicitia tempori subiecta non est, numquam enim senescit aut antiquatur.

Caput discoopertum, illud innuit, quòd vera amicitia manifesta sit, & non simulata, & quòd amicus non vereatur amicum suum publicè confiteri.

12. Littera illa, *Vita, & mors*, quid velit manifestè constat; scilicet quòd in vita & in morte amicus est diligendus: Semper enim diligit qui amicus est. Et ideò amici non citò parandi; citò enim nata, citò pereunt, diu elaborata ferunt ætatem: Beta citò nascitur, buxus paulatim, Erasmus lib. 6. Apoph.

13. Alia littera: *Æstas & hiems*, quòd tam in aduersitate quàm in prosperitate dilectio hæc ostendatur.

Latus

14. Latus vsque ad cor apertum habere, significat, quod ex corde & visceribus debet amor procedere, quodque hoc proprium sit amicitiæ secreta cordis amicô pandere, & aperire. Fallax Dalila sibi persuadere non poterat quòd amaretur à Sampsone, quamdiu cordis secreta, & in quo illius sita esset fortitudo, ei non reuelaret, *Quomodo dicis*, ait, *quod amas me, cùm animus tuus non est mecum.* Nam sicut malum punicum, egregiè tactum, solaribus radijs, mox scinditur & aperitur, & quasi viscera sua manifestat; simili ratione cor humanum, ardenti amoris passione, si tangatur, mox tanquam claue aurea, reseratur, & intima quæque secreta, amico panduntur, hinc bene Poëta: *Multa cæcus amor cogit secreta fateri.* Christus similiter vt suum testetur erga discipulos amorem dicebat: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

15. Quod vulnus digito ostendit, hoc innuit, quod amor, qui in corde est, operibus, quasi digito, ostendatur. Plin. lib. 14. c. 26. Hanc inter ficulneam, & alias arbores fructiferas, constituit differentiam, quòd aliæ arbores flores plurimos emittunt, quo plurimum fructum promittunt, cùm tamen nec decimam partem postea præstent: ficulnea verò flores non producit, quæ tamen postea vberem & copiosum fructum profert, & quidem non semel, sed bis. Falsus amicus multa promittit, pauca præstat, verus promissiones dissimulat, operibus verò beneuolentiam manifestat. Quemadmodum arbor non est eius fructus, & aqua non est ipsa frigiditas, ita amicitia non est ipsa officia siue bona opera, oriuntur tamen ab amicitia. *Exhibitio operũ est probatio dilectionis*, teste D. Gregorio. Et quemadmodum qui arborem habet, habet fructum eius, non contrà, qui habet fructum, habet etiam arborem: sic nonnulli exhibent amicitiæ opera, non tamen sunt amici. Qui verò habent arborem amicitiæ plantatam in corde, etiam fructus edunt officiorum, erga homines, quos diligunt.

16. Verba denique illa: *Longè & propè*, insinuant, quòd distantia loci, & absentia amici, non debet amicitiam impedire.

Quàm rarus sit verus amicus.

17. Tali amico, inquies, quidni innitar? quidni idoneus est, vt spei meæ ouum foueat? Vide ô homo, quid dicas. Imprimis quæro, vbinam talem inuenies amicum, legitimæ amicitiæ leges seruantem. Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo talis nascatur & reperiatur? Quàm verus amicus res rara sit & pretiosa, Darius significauit. Nam cùm malum granatum aperiés, numerosam granorum pulcherrimorum copiam ostendens, rogatus: *Cuius rei tantam vellet habere abundantiam?* respondit: *Zophirorum.* Erat autem Zophirus, vir probus & humilis, quem in multis sibi fidelissimum expertus fuerat. Sic autem respondendo, allusit ad lapidem quendam pretiosum, quem zaphirum vocamus, vnica solummodo litterâ mutatâ, nimirum a. in o, dixit zophiros. Indicãs quàm difficile sit sincerum reperire amicum, quàm sit res rara & pretiosa; quâ obtentâ, quâ curâ etiam & diligentiâ debeat conseruari: quò respiciens etiam Aristoteles dicebat: *Veram amicitiam inter homines interijsse.* ARISTOT.

Quales plerũque sint huius temporis amici.

§. IV.

18. Amici, hodierno tempore, de numero illorum sunt, de quibus Eccli. c. 6. *Est amicus secundum tempus, & non permanebit in die tribulationis.* Similes sunt amicis illis Iob, de quibus dicitur cap. 2. quòd cùm tres illi Reges Orientales, amici eius, qui de terris suis ad eum consolandum venerant, à longè eum vidissent, in tanta tribulatione constitutum, non cognoscebant eum. Sed quid mirum? Non enim erant veri amici, sed ficti, quales illi postea sese ostenderunt, & ideo amicum in tribulatione positum, non agnoscunt. Vnde de illis conqueritur ipse Iob c. 6. dicens: *Fratres mei præterierunt me, sicut torrẽs, qui raptim transit in conuallibus.* In Hebræo sic habetur: *Fratres mei fefellerunt fidem, vt qui vallem transeunt, torrentes qui turbidi sunt glacie, & niue.* Est elegantissima metaphora, quâ vtitur patientissimus vir, ad explicandam amicorum suorum perfidiam, & infidelitatem. Contingit enim quòd hyemis tempore, quamplurimi torrentes decurrant, ex pluuijs & niuibus cõgregati: viator autem, cùm aliquem torrentium istorum videt, & locum amœnum, arboribus consitum, valdeque delectabilem aduertit: quod si contingat, verno tempore, per eandem viam transire, ex siti, & ardore solis fatigatus, totam suam spem in torrente illo repositam habet, quia ibi existimat posse sitim suam extinguere. Cùm autem ad locum illum peruenit, torrentem siccum inuenit, & nec aquæ guttam per amnem decurrere; fefellit enim eum sua spes, & à desiderio suo frustratur, quod in maximam molestiam cedit. Ex hac similitudine iustam huius Prophetæ querelam, & litteræ intelligentiam habere possumus. Comparat Iob amicos suos, his torrentibus infidis, & mendacibus, qui necessitatis tempore deficiunt, quia amicitia eorum tempore aduersæ fortunæ, cùm magis esset necessaria, prorsus defecerat: Similis farinæ plerumque omnes amici sunt.

Amici similes plerumque amicis illis Iobi.

Similes torrentibus raptim pertranseuntibus.

19. Pulchrè Sapiens Prouerb. 9. de similibus: *Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super* Similes denti putrido & pedi lasso.

per infideli, in die angustiæ, & amittit pallium in die frigoris. Tribus rebus comparat Spiritus sanctus similes amicos infideles, denti putrido, pedi lasso ac fatigato, & pallio deperdito in die frigoris. Tunc dens magis necessarius videtur, cùm panis comedendus durior est, & siccior; pede verò tunc præsertim indiges, cùm è magno periculo fugiendi sese offert occasio, & necessitas: pallium verò nunquam magis vsui est, magisque necessarium, quàm frigidiori & asperiori tempore. Iam verò si dẽs putridus, pes lassus sit, pallium verò deperditum hyemali tempore, nónne hæc omnia deficiunt tempore maioris necessitatis: non potest enim dens putridus frangere panem, qui durior est; nec pes lassus veloci cursu fugam inire cùm vrget necessitas: nec pallium deperditum præmunire aduersus temporis inclementiam. Talis amicus infidelis, quo enim tempore magis illo tibi opus erit, deficiet; speras, quòd illius ope poteris comedere, & famem sedare dum premet annonę caritas, & tunc instar dẽtis putridi, frangitur: speras, quòd morbi tempore, vel dum carcere premeris, pro tuis excurret negotijs, & tunc instar pedis lassi vix quatuor facientis passus, supersedebit, & immotus consistet. Speras quòd instar pallij tua operiet delicta & crimina, alijs ea manifestantibus & publicantibus, & erit tibi instar pallij deficientis in die frigoris:

Dum fueris felix multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Prosperitas multos, aduersitas nullum habet amicũ.

Patuit hoc in Dauide, cui cùm prospera fortuna arridebat, & in gratiam Saulis Regis propter victoriam de gigante habitam, deuenerat, omnes Hierosolymitani, ciues cuncti, nobiles & potentes, comitabantur, neque de eius latere, per momentum, discedebant. Sed quamprimum, à gratia Saulis cecidit, & illum persequi cœpit, omnes deseruerunt eum: & cùm fugiens à facie Saulis, se confert in Nobe, tam solus incedebat, quòd Sacerdoti Achimelech, causa admirationis extiterit: *Dixit enim Dauidi*, vt legimus 1. Reg. 21 *Quare tu solus & nullus est tecum?* Ac si intra se diceret; hicne est ille dux strenuus, quem omnes comitabantur, de cuius amicitia gloriabantur, quem Rex tanto fauore & beneuolentia prosequebatur, cui omnis turba virginum acclamabat: *Saul percussit mille & Dauid decẽ millia?* Quomodo nunc, tam solus incedit? Sed quid mirum, quòd iam solus esset, cùm tempora tam essent nubila & calamitosa, cùm iam à gratia Saulis cecidisset? Plures enim Solem in ortu, quàm in occasu adorant; prosperitas multos, aduersitas nullum habet amicum; qui amici videbantur, hos tunc experimur dentes putridos, pedes lassos, pallia deficientia in die frigoris.

Plerumque amici muscis similes.

20. Vnde de huiusmodi amicis dixit Seneca: *Multi illum comitantur, vel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ; prædam, non hominem sequitur turba ista.* Videbis enim, quod quamdiu Apiarius aluearium, brachijs suis portat, apes illum sequuntur, dulcedine mellis attractæ: at si aluearium derelinquat, statim illum insequi desinunt. Sic nimirum contingit hodie, quamdiu dulcedinem prosperitatis, & diuitiarum in te viderint, quamplurimos amicos, seu potiùs assentatores te insequentes, numerare poteris; at diuitijs & prosperâ fortunâ deficientibus; statim omnes te deserunt, & tamquam ab homine, peste paupertatis infecto, fugient.

21. Sunt huiusmodi amici persimiles argento viuo, quod aurum semper insequitur, cum illoque magnam amicitiam videtur habere; at in tempore probationis, quando in fornace, vel igne proijcitur, statim illud deserit. Sic amici hi, tibi hærent, dum extra tribulationis ignem es; vbi flamma sæuire inceperit, statim abeunt & fugiunt. — Argento viuo.

22. Similes sunt Caladrino aui, qui oculos & faciem auertit à morituro, non autem ab illo qui ad salutem & conualescentiam est rediturus: sic hi amici, faciem ab afflicto auertunt, dum res benè se habent, eam ostentant, & quidem hilarem & iucundam. — Caladrino aui.

23. Similes sunt hirundinibus, quas vetabat Pythagoras, nè quis in domo sua sineret nidificare, æstate enim, & iucundo tempore remanent, hyemali superueniente, discedunt. — Hirundinibus.

24. Similes sunt illis animalibus, quæ mari tranquillo in illo natant, & delicianttur, suborta tempestate ad littus sese recipiunt.

25. Similes sunt Scythis Nomadibus, qui semper castrametantur, vbi florent & virent agri, sed hyeme superueniente, eas deserunt regiones.

26. Sed hæc omnia parua sunt, & parui momenti; sed quod in amicis præcipuè ponderandum, est illud, quod non solùm tempore aduersitatis deserant, ac faciem auertant, sed etiam multum nocumenti adferant. Similis locustis, de quibus Apoc. 9. qui è puteo ab. ssi procedebant, faciem habentes humanam, caudas scorpionum, sicut locusta adhærens spicæ, non amplexum amicabilem intendit, sed rodere illam & destruere. Sic hi amplexari hominem videntur, sed amplexus huiusmodi sunt, sicut amplexus locustæ, scilicet, vt diuitias, honorem, &c. corrodant, & perdant; humanitatem præ se ferunt, sub facie humana latent aculei, atque caudæ scorpionum.

Amici non solùm nos deserunt tempore aduersitatis, sed etiam multum nocumenti adferunt.

27. Aristophanes auctor Græcus in Damao, pro adagio recitat; *Vallum vitem decipit.* Vult dicere, quod sicut vinea quæ non habet stipitem satis firmum, vt sese in aëra eleuet, murum amplexatur, vel arbori adhæret; sed si murus inclinatus, & maceries

 depulsa,

depulsa, & arbor putrida, illis labentibus & cadentibus læditur, & conteritur vinea, quam antea videbantur subleuare, ac miserè eam decipiunt: sic illi, qui innituntur hisce amicis.

Pinus symbolum mali amici.

28. Antiqui volentes, depingere imaginē similiū amicorum, pinum pingebant, quæ vertice superabat auras, & quò non valebat attingere visus; sed si sub illius vmbra dormias, vel dolorē immittit capitis, vel pomū demittit, quod cerebrum lædat, & vulneret: sic ordinariè ab eo, à quo sperabas te collecturum dulces amicitiæ fructus, primus est, qui in te lapidem mittat.

Vis scire vnde in his amicis tanta inconstantia? Nimirum, quia non vera sed temporaria eorum est amicitia, vtpote planè sæcularis. Vnde ita scribebat Diuus Paulinus ad Pamach. Epist. 35. *Nec volo amicitiam nostram tempore metiaris: non enim hæc vt sæcularis est, quæ spe sæpius quàm fide paritur: sed spiritualis illa, quæ Deo authore generatur, & arcana spirituum germanitate coalescit. Quo fit, vt non diuturnitatis vsu crescat ad amorem, neque documenti expectatione pendeat, sed vt filia veritatis dignum est, statim firma, & magna nascatur, quia de pleno incipit orta per Christum.* Sic ille. Quæ sit temporaria amicitia, & quàm inconstans, sic pulchrè exponit Seneca Epst. 9. *Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, sic desinet. Putauit amicum aduersus vincula laturum opem, cùm primùm crepuerit catena, discedet. Hæ sunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat. Quæ causa vtilitatis assumpta est, tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. Hac re florentes, amicorum turba circumsidet: circa euersos ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, vbi probantur. Qui amicus esse cœpit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si vllum in illa placeat pretium præter ipsam.* Rarissima est inter homines rationis, siue spiritualis amicitia, de rationis amicitia sic D. Augustinus hom. 28. de amicitia: *Videte quid dicam; sunt amici ex certa amicitia, quæ nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia. Sunt enim homines qui pariter mala committunt, & ideo videntur sibi coniuncti.* Excepta illa, *est quædā amicitia carnalis per consuetudinem cohabitandi, colloquendi simul conuersandi, vt contristetur homo quando deseritur ab amico. Est amicitia consuetudinis, non rationis. Habent illā & pecora. Est & alia superior amicitia, non consuetudinis, sed rationis, quâ diligimus hominem propter fidem & mutuam beneuolentiā in ista via mortali, &c.* De spirituali dilectione sic Diuus Chrysostomus hom. 1. in Epist. ad Coloss. *Spiritualis dilectio omnes reliquas excellit tamquam regina quædam, suorum dominium habens, & splendido conspicua est habitu. Nihil enim terrenum hic est, vnde ista nascitur, sicut temporalis illa, non ex consuetudine nascitur, non ex beneficentia, non ex natura, non ex tempore, sed è supernis descendit, ex ipso cælo. De tali amico dicitur à Sapiente: Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna comparatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.*

Paulin.

Seneca.

August.

Chrysos.

Eccli. 6.

29. Sanè mirum, quòd cùm homines norint, tale esse ingenium amicorum huius vitæ, quòd illis multum deferant, illis fidant, illis sua negotia committant, illis adhæreant, & cum illis societatem ineant. Vultis causam vobis insinuem? Non alia subest ratio, quàm quòd & ipsi amicis suis tales sese exhibeant, quales sese amici ipsis exhibent; videlicet fallaces fallacibus; infideles infidelibus; duplices duplicibus: duo inter se conuenere pueri, vt comedant botrum, vuis singulis, alternis vicibus, detractis; vnus qui festinatior est, cùm vnam capere deberet, duas carpit & detrahit. Cur id socius permittit, cur tolerat, cur tacet? Nimirum, quia primò id fecit. Sic planè, nosti, te ab amico decipi, defraudari, & detrimentum pati, quid est quòd eum non relinquis? Quid ista toleras? Nimirum quia cernis te in eodem esse prædicamento, & quia ille te talia priùs fortasse agentem, tolerat, & patitur. Ecce quàm insipiens homo, qui confidit, & spem collocat in amicis.

Cur homines tam stulti vt innitātur hominibus.

30. Sed esto, sint fidelissimi nónne tamen homines, nónne mutationi obnoxij? Vnde scis illos in vera perseueraturos amicitia? *Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur*, ait Diuus Hieronymus in Mich. cap. 7. *Est amicus*, ait Sapiens Eccli. cap. 6. *qui conuertitur ad inimicitiam: & est amicus, qui odium, & rixam & conuitia denudabit.* Et taliter quidem interdum conuertitur ad inimicitiam, vt odium præcedenti amore maius sit. *Vt adamas*, ait Plinius lib. 37. cap. 4. *si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeò vt vix oculis cerni queant ita arctissima necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem, & maxima dissidia.*

Ne quidem in fideli amico spes ponenda, quia difficulter seruatur.

Hieron.

Plinius.

Maxima amicitia in maximum transit odium.

Exhortor itaque vos verbis Ierem. c. 9. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Et illis Micheæ. *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui, &c.*

Sed ponamus amicos tibi esse omni acceptione maiores, & tales, vt in illis reperiantur omnes veræ amicitiæ leges atque conditiones, an ideo sunt idonei vt illis innitaris? Absit: nam vt ait D. Chrysostomus homil. 56. in Genes. *Vel enim mors tollit humanum præsidium, & eos qui ad hoc confugiunt, solitarios & nudos relinquit.* Et paulò ante: *Ne confidamus in humanis præsidijs, memores etiam Prophetæ dicentis: Maledictus homo qui spem ponit in homine. Vides quod talis non solùm insipiens, sed etiam maledictus: vtpote qui relicto Domino omnium, ad conseruum currit, qui semetipsum iuuare nequit. Fugiamus igitur maledictio-*

Chrysos.

Ierem. 17.

ledictionem hanc, oro, & omnem spem in Deum transferamus? Ista enim solida est & immobilis, & nescia vicissitudinis, cuius plena est illa quam in hominibus habemus.

Quòd spes nostra inniti debeat soli Christo, & cùm Dauide, eidem soli adhærere debeamus.

§. V.

Christus debet esse vnicum nostrum sustentaculum.

31. CVi ergo innitendum, cui fidendum? cui spei nostræ ouum supponendum? non alteri quàm Deo, audi loquentem Ierem. Prophet. c. 17. *Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & erit quasi lignum quod transplantatur super aquas quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructus.* Audi Psalmist. *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt*, ac si diceret, qui potest, scilicet, præcipere terræ, vt tibi fructus & diuitias exhibeat, & cùm mare in te fluctus extulerit, præcipere potest fluctibus & mari, & fiet tranquillitas magna. *Denique qui custodit veritatem in sæculum*, qui scilicet non est, sicut cæteri Principes terræ, multa promittentes, pauca verò adimplentes. Et Is. cap. 50. *Quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei? Speret in nomine Domini & innitatur super Deum suum.* Sic agebat Dauid Psalm. 30. *Odisti obseruantes vanitates superuacuè. Ego* qui non obseruo vanitates) *autem in Domino speraui.* In quem locum sic D. Augustinus? *Speras, in pecunia? obseruas vanitatem. Speras in honore & sublimitate aliqua potestatis humanæ? obseruas vanitatem. Speras in aliquo amico potenti? obseruas vanitatem.* Fulcimenta hæc, & sustentacula omnia decipiunt & deficiunt, vt bene dixerit Dauid: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.*

AVGVST.

Ad similitudinem hederæ parieti adhærentis, adhærere debemus Christo.

32. Hederæ videtur Dauid proprietatem exprimere, quæ mediante sustẽtaculo, durat & perseuerat: si hedera adhæreat platano, succisa platano cadit hedera, si adhæreat vlmo vel alteri arbori; illis succisis idem illi accidit. Si adhæreat fortissimo muro, hedera enim ab hærendo dicitur, non deficiente, ob fortitudinem, muro, nec deficit hedera, sed conseruatur, & viuit. Hic innixus est diuitijs, ille potentissimis amicis vtraque ceciderunt, & ipsi pariter corruerunt. Mihi autem adhærere Deo bonum est, qui in æternum permanet, & cuius non deficiunt anni.

33. Omne bonum hederæ, consistit in sustentaculo, cui innititur, cui adhæret, pari enim passu cum eo ascendit, quinetiam superat, & folijs suis vestit, ita vt quale sit fulcimentum & sustentaculum, talis sit & hedera. Quid ergo vtilius hederæ, quàm firmum & stabile ac permanens quærere fulcimentum. Vis videre hederam hærentem stabili muro? In Magdalenam, Christi pedibus hærentem, oculos conijce, hedera antiquitus symbolum erat mulieris impudicæ, & quidem multis de causis: nam hædera quærit murum, & muro inuento, illi adhæret, vt sustentetur: sic illa adhæret viris diuitibus, vt illorum opibus sustentet vanitates & pompas suas. Deinde vt hedera exsugit succum arboris cui adhæret; ita illa diuitias, & substantiam virorum, cum quibus versatur. Præterea dum volebant antiquitus alicuius fœminæ notare lasciuiam, illo vtebatur dicto: *hederâ lasciuior*: Ethnici, hederam Baccho consecrabant, vt insinuarent quãta cognatio inter vinum vel ebrietatem, & lasciuiam. Romani autem inhibebant suis sacerdotibus, ne tangerent, imò ne nominarent quidem hederam, vt insinuarent, quàm deberent esse alieni ab omni lasciuia, iam verò si hedera symbolum meretricis, nónne poterit etiam esse animæ peccatricis, quæ fornicata est cum amatoribus multis? habet hedera folia quidem viridia, sed fructum nigrum; sic conuersatio animæ peccatricis, videtur quidem habere aliquid viriditatis, sed fructum habet nigerrimum, id est, plenum confusione & erubescentiâ, iuxta illud Pauli ad Rom. 6. *Quem fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis?* Cui adhærebit hæc hædera, cui adhærebit hęc anima peccatrix? Audi Prophetam: *Mihi adhærere Deo bonum*: Et quæ hactenus obseruauit vanitates, quæ hactenus adhæsit creaturis, iam cum Magdalena adhæreat creatori; iam cum Magdalena aduoluatur pedibus Christi, & à pedibus ascendat ad eius caput; & sicut illa discipulis discedẽtibus, non recedebat; ita nec hæc recedat à Christo, dicat cum spõsa: *Tenui eum, nec dimittam:* dicat cum Dauide: *Diligam te Dominè virtus mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Et Psal. 34. *Egenus & pauper ego sum, Deus adiuua me.* Dicat cum Ezechia Isa. 38. *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor vt columba.* Quasi dicat: Omnino sicut auicula illa recèns ex ouo exclusa, videns se nudam, implumem, infirmam, & rebus omnibus indigam, non aliud nouit, quàm clamoribus & gemitibus matrem aduocare, in illa omnem spem collocans, vt sibi de necessarijs prouideat. Ita ego videns me nudum, infirmum, atque in medio hostium constitutum, non aliud refugium, ac firmamentum habeo, nõ aliud sustentaculum, cui innitar, non

Magdalena instar hederæ adhæret Christo.

Hedera, symbolum mulieris impudicæ.

non aliam gallinam: cui ouum spei meæ supponam, & fouendum exhibeam, quàm te Deum creatorem tuum.

34. Qui sic cogitatum suum iactat in Domino, ab illo enutritur, qui sic sollicitudinem suam omnem in Christum proijcit, ab illo curatur, & vt inquit Sapiens c.3. *Qui confidit in illo, non minorabitur, sed abscondet eum in abscōdito faciei suæ.* Erit illi Christus instar illius piscis, qui vocatur galeus, de quo mira scribit Leuin. Lemnius lib.4. de occ. nat.

Christus sibi confidentibus, est instar piscis, qui vocatur galeus, qui miræ in fœtus prouidentiæ.

Iuua. c.19. *Galei, ait, paterna quadam indulgentia nulli animalium palmam cedunt; oua primum, mox animalia aquatilia, numeroso partu, non foris, vt cætera, sed in seipsis edunt, educantq́, & gestant in vtero, velut secundo quodam partu, ac vbi adoleuerint, euagari patiuntur, ac rursum per os recipiunt, incolendumque corpus præbent.* Talis etiā erit Christus his, qui ouum spei, ac fiduciæ suæ in illo collocant, non autem in amicis, plerumque, ac semper infidis, cùm necessitas, vel aduersitas ingruit: & licet fidelissimi nobis forent mortales, tamen homines sunt. Exibunt de corporibus spiritus eorum, & reuertentur in terram suam; & tunc necesse est perire omnem spem in illis collocatam.

Qui innititur amico quasi qui innitatur arbori, radices non habenti.

34. Quis tam stultus, vt innitatur arbori, radices non habenti, & facillimè casuræ? Tam stultus est, qui amico innititur, licet fidelissimus videatur. *Vidi impium*, ait Propheta Ps. 36. *superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & non est inuentus locus eius*; nimirum, quia eradicata, radicibus carebat hæc arbor, vnde nullum illius, in loco in quo plantata, est reperire vestigium. De omnibus hominibus dici potest, quod de malis affirmatur Sap. c.4. *Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Etsi in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita, à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum & ad nihilum apti.* De omnibus namque affirmat hominibus elephas, Iob c.4. quod habitent domos luteas, & terrenum habeant fundamentum. Vnde fit vt semper superesse non possint, vt spem nostram foueant, vt necesse sit in die obitus illorum, refrigescere omnia oua illis supposita, & omnem spem nostram exarescere, quam in illis collocatam habebamus. Dicēdum ergo nobis cum Propheta Michæa c. 7. *Ego autem ad Dominum aspiciam, & spectabo ad Deum Saluatorem meum.* In ipso tuto collocatur spes atque fiducia nostra, in ipso plantatæ, mittent radices altas, à vēto nunquam eradicandæ: Rom.15. *Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.* Iam ab æterno Deus firmissimas iecit radices; videntur quidem & homines habere radices, quibus fulciatur spes nostra, sed radices sunt non veræ; sed falsæ & apparentes, vt Iob c. 5. affirmat: *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.*

35. Denique de quolibet mortali in morte dici potest, quod de ficu, illa maledictione Christi percussā, refert Euangel. Matth. cap. 21. *Et continuò arefacta est ficulnea à radicibus.* Nō hisce ergo arboribus, sed soli Deo innitendum, tamquam arbori bene radicatæ, & per singulos mēses duodecim fructus referenti, in Deo inuenies, omni tempore fructus dulces & sapidos. *Deus autem spei* (id est, omnis spei, ait Apostolus Rom. 15.) *repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe.* Omni replere gaudio, solius Dei est, soli Deo omnis spei conuenit. A rege potest quis sperare diuitias, à duce defensionem, à medico sanitatem, ab aduocato consilium; à pane saturitatem; ab aqua refrigerationem; ab igne calorem: sed ab vna re hæc omnia simul sperare, præterquam à Deo, vanum & ridiculum est. Hic solus Deus omnis spei est arbor proferens per singulos menses fructus duodecim, tam firma & stabilis in protegendis amicis, vt nulli calamitatum venti eam possint euanidam reddere. Solus Christus spes viuorum est atque mortuorum; vnde Cant. c. 2. dicit de se: *Ego flos campi & lilium conuallium.* Spes tam eorum qui viuunt in campo huius mundi, quamdiu degunt apud inferos in conualle purgatorij, & ante Christi Incarnationem degebant in conualle ipsius limbi.

Quilibet mortalis comparari potest ficui arefactæ à radicibus. Christus arbor vitæ proferens fructus duodecim.

Vt spem nostram foueat, & fiduciam nobis ingerat Christus, cumulum bonorum operum, & inter cætera, remissionem nostrorum peccatorum, nos facilè ab illo consecuturos, nostram voluit assumere etiam carnem, iuxta illud Psal. 38. *Et nunc quæ est expectatio mea, nónne Dominus? Et substantia mea apud te: ab omnibus iniquitatibus meis erue me.* Quæ verba sic expendit Guarricus Abbas serm. de aduent. Dom. *Et nunc quæ est expectatio mea, inquit iustus, nónne Dominus? Et conuersus ad Dominum, scio, inquit, quia non confundes me ab expectatione mea, quia iam substantia mea apud te est, quia natura nostra de nobis sumpta, & pro nobis oblata, spem nobis tribuit, quia ad te omnis caro veniet: ex quo naturam nostram sibi assumpsit Dei filius, spem nostram, expectationemq́, irritam non futuram firmè credere possumus; iure adijcitur: ab omnibus iniquitatibus meis erue me.*

Guarric.

Quàm eximium & magnum nos Deo, non creaturæ fidere, sic explicat Philo lib. Quis rerum diuinarum hæres: *Quàm difficile*, inquit, *est soli Deo credere: res nimirum mortales, quibus circumdati sumus, suadent nobis, vt credamus gloriæ, potentiæ, amicis, sanitati, & corporis robori, nostræve in primis prudentiæ: has persuasiones penitus ex animo eluere, nulli creaturæ fidere, sed in solo Deo omnes suas & spes & opes habere collocatas, ex eoq́, totum mente, animoque pendere: res est animi magni, & cælestis, non inescati, captique rebus terrenis.*

Qua-

Qualiter turbæ Ouũ spei suæ, sub Christo ponentes, illique innitentes, reficiantur à Christo.

SECTIO XV.

Quòd Christus dum pascit turbas, sit instar paradisi fontis, vnde quatuor dimanant, præcipuarum eius virtutum, flumina.

§. I.

1. VIs videre qualiter reficiat Christus in se sperantes, eumque perseueranter sustinentes, ac ouũ spei suæ sub ipso ponentes? Considera turbas illas, siue quatuor illa millia hominum, triduo illum sequentia, & sustinentia, atque in eo spem suã proijcientia, & qualiter Christus eos septẽ reficiat panibus: quod quidem miraculum dum perpendo, simulque Euangelium quo refertur atque narratur, penitus inspicio, videtur mihi esse, instar alterius cuiusdã paradisi, continentis pulcherrimum fontem, vnde dimanant quatuor maxima flumina. Fõs nempe ipse Christus est, flumina verò quatuor eius præcipuæ sunt virtutes quas spectandas exhibet, in hac suaui refectione turbarum in se confidentiũ; quarum prima est, suauis quædam misericordia: Secunda, singularis potentia; tertia, insignis mansuetudo; quarta, specialis quædã prouidentia.

Christus fons, qui diuiditur in quatuor flumina, quæ illius sunt virtutes.

Misericordia Christi.

2. Misericordia relucet, dum miseretur turbę, quę plurima cũ eo erat, quia non haberet quod manducaret. *Misereor*, ait, *super turbam*. O viscera misericordiæ, miseriam vidit, misertus est corde; neque in corde stetit misericordia, sed foras in opus prodiit, sequentem turbam impleuit cibo. Iam verò vt conuiuium hisce hominibus exhiberet, quis orauit Christum? Nemo profectò, misericordia pectus commouit liberale: ita & nostrum commouere debet, & à corde transire ad manus. Vel ipsam terram debet diues imitari, ex qua fructus colligit, seminis, quod spargit, non est illa tenax, sed manum extendit, commissum cum fœnore reddit: eundem in modum, diuitiarũ, quas à Deo accipis, tenax esse noli, quin potiùs in pauperes diffunde; fluuio similis, aridos agros irriganti: non continet aquas fluuius sed extendit, tu quoque manum nõ contrahe, sed protrahe. *Optem*, ait B. Basil. hom. 1. *à me, vt persuadeamini, nempe vt portis omnibus promptuariorum patefactis, patentem transitum diuitiis latissimè exhibeatis, quasi latifundo fluuio frugiferam terram, per mille irriguos elices, riuosq́, clam ingredienti; itidem & ipsi per multas vias opibus aditum, ad pauperum domos dare*. Sic ille. *Basilivs.*

Auaritiæ frigus constringit cor in similitudinem lapidis.

3. Deut. 15. *Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem deuenerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi.* Aquæ suapte naturâ fluunt, frigore tamen lapidescunt, iuxta illud Iob 36. *In similitudinem lapidis durantur aquæ.* Ita hominis cor fluidum est, & erga hominem alterum misericors: at auaritiæ frigore sic constringitur, vt lapide fiat durius: durum autem cor & aridum, manum habet aridam; quemadmodum radix arida, aridos habet ramos. Ait ergo Dominus: *Non obdurabis cor tuum*; deinde: *Nec contrahes manum tuam*.

Potentia Christi.

4. Et quidem potentiam suam manifestauit, dum signum hoc edidit per subitam conuersionem alterius materiæ accrescentis, in panem. Non secus in manibus Domini, panum ac piscium fragmenta crescebant, quàm tritici grana in sulcis multiplicentur; nam sicut ex eo grana in sulcis multiplicantur, quod in frumenta terra conuertitur; sic etiam hodie panis crescebat, quia Domini nutu in panem, alia corpora vertebantur, sed quod natura longo tempore & multis conuersionibus facit, id in momento, & vnica mutatione, creatoris omnipotentia faciebat, vel sic.

5. Vt enim frumentum in terrâ aratâ & præparatâ seminatum, & sub terra putrefactum & beneficio pluuiæ irrigatũ, & solis, & stellarũ influxu adiutum, naturali virtute producit spicam plenam, ex qua panis, gratissimus homini cibus, efficitur: ad eandem rationem, idem Dominus, qui tot, ac tantas virtutes, per creaturas singulas spargit, vt vnaquæque suos fructus, & vtilitates adferat, voluit suis manibus, quas per assumptam humanitatem habuit, & benedictioni suo ore prolatæ, eam vim tribuere, vt confestim, ad verbi sui imperium, panis fieret multiplicatus, vt hac noua operandi ratione, præter consuetum naturæ ordinẽ, se, & summa potestate refertum ostenderet, verumque Deũ declararet, qui alia ratione per naturalia instrumenta & adiumenta tẽporis progressu, hæc eadẽ opera præstabat.

Mansuetudo Christi.

6. Domini mansuetudinem considerẽmus; audierat discipulos de potestate Domini sui quasi desperantes; Responderunt ei discipuli; *vnde istos poterit quis hîc saturare panibus in solitudine?* Poterat illos meritò reprehendere, & quemadmodũ cùm Deus

populo Israelitico, in solitudine, carnes polliceretur, & Moyses diceret: *Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis; dabo eis esum carnium mense integro?* Respondit Dominus: *Nunquid manus Domini inualida est?* Sic etiam nunc dicere potuisset: Nunquid, ô discipuli, manus mea inualida est? sed maluit eos reipsa, & beneficiis quã verbis coarguere. Id quod nobiscũ penè quotidie agit Deus; nos illum offendimus, de eo conquerimur, eius legem & præcepta frangimus, & ipse quid? Nos beneficiis obruit, solem suum super nos oriri facit, pluuias, certis temporibus ad nos mittit, fruges nostras, etiam omnes fructus ad maturitatem perducit. Discamus igitur, Auditores, discamus ex ipso Deo, ad quem modum iniurias vtiliter vlcisci possimus; de omnipotẽtia dubitant discipuli, ille omnipotentem se ostendit, mox dicit: *Facite homines discumbere*, &c. Idem & tu age, improbum, auarũ, ebriosum, irreligiosum te dicunt, quid ages? an stomachaberis? an dices eos mentitos? an ferro voles contrarium probare? O insignis dementia! quid maledicta, quid furor, quid ferrum commune habent cum probitate, liberalitate, sobrietate? Et si hostem occideris, an ideo probabis te nec auarum, nec improbum esse? Optimum vltionis ergo genus est, auarum te appellauit, exhibe te erga eum liberalem; intemperantem, sobriè viuito; irreligiosum, templa visitato, &c. Sic in bono malum vinces.

Qualem se gesserit erga contumeliosos Christus,

7. Matth. c. 12. legimus Pharisæos Christo dixisse: *In Belzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia.* Quid adhæc Christus? Quibusdam adductis rationibus, cum summa mansuetudine, confutat Christus hanc eorum calumniam: verùm cùm videret calumniatores suis non satisfactos rationibus, quid agit? Docet in synagoga, teste Matthæo, per castella deambulat, omnes sanans ægrotos, teste Luca. Quem ob finem? Audi D. Chrysost. hom. 33. *Dominus contrariũ diabolo facit, qui post conuitia & contumelias, non solùm non punit, sed etiam nec increpauit, quinimo beneficia præstitit. Vnde sequitur: Et circumiens Iesus omnes ciuitates, & castella,* &c. Vade Christiane, & tu fac similiter.

CHRYSOS.

Christi prouidentia.

8. Sed præ reliquis, relucet in hoc facto mira Dei prouidentia, præsertim erga eos, qui sequuntur, & adhærent illi. Obliti erant hi homines corporalis cibi, propter dulcedinem spiritualis, quem à Christo, percipiebant; triduum effluit, nec habent quod manducent; miseretur Christus, vt homo; & tanquã Deus necessitati prospicit, septẽ multiplicatis panibus. O summã Dei prouidentiam, quam continuat quotannis in toto terrarũ orbe! Qui enim hodie panem & pisces multiplicauit, idem omnino, annis singulis, de paucis granis, segetes (vt loquitur B. Aug. tr. 24. in Ioa.) creat, & in ipsis vitibus admirabili ratione & modo, aquam in vinum conuertit: neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Itaque sicut hodie singulari miraculo, quinque hominũ millia satiauit, sic etiam perpetuo prouidẽtiæ suæ miraculo, singulis annis alimenta procreat, quæ toti orbi sufficere possunt.

Vnde accidat quòd tot pauperes sint in mundo, cũ id videatur repugnare diuinæ prouidentiæ.

Sed si hæc ita se habeant, vnde tot pauperes, &c. qui vix sibi victum summis laboribus comparare possunt, quid extenuat, quid obscurat cõtinuum miraculum? Plurima sunt vitia, quæ id officiunt, vt ex ipso Euangelio cognosci potest, & enarrantur, & expenduntur à Cardin. Bellarm. in serm. 26. de Dominica Lætare, à nobis hîc transcripta, licet cum quorundam additione.

Quòd diffidentia nostra, multum obscuret Diuinam Prouidentiam.

§. II.

Primò id accidit ob hominum diffidentiã.

9. VNum est diffidentia: nam sicuti discipuli, statim ab impossibili argumentari cœperunt, ac dicere; *Vnde istos poterit quis saturare panibus?* sic & nos facimus. Vix enim credi potest, quàm humiliter, & abiectè de Dei prouidentia, in rebus difficilibus & arduis sentiamus, & plus sæpe in nostris artibus, & fraudibus, & mendaciis confidimus, quàm in Deo. Quare mirum non est, si nos interdum Deus deserit, & difficultatibus obrui sinit, non secus ac si diceret: In vestris dolis & fraudibus confiditis; ipsæ igitur fraudes, & doli vos liberent; sicut credidistis, fiet vobis. Hæc igitur diffidentia mirum in modũ huius miraculi splendorem obscurat; nam sicut propter incredulitatem Nazaræorum, non poterat Dominus in ea vrbe, multa signa facere: ita etiam propter diffidentiam nostrã, sæpe nobis non adfert eam opem, quam alioqui adferret. Dicam hoc planiùs, Auditores, si tibi Iudæus aliquis mille, vel duo millia coronatorum polliceatur, & syngrapham ab eo scriptam, & consignatam habeas, absque vlla sollicitudine dormis: & tamen quid aliud miser, quàm syngrapham vnius infidelis habes? At verò nõ vnam sed multas Dei syngraphas habemus, quibus nobis omnia, ad vitam istam sustentandã necessaria, pollicetur. Et tamen sollicitti ita sumus, vt vel mendacem quasi Deum, vel impotentem, vel deceptos nos esse crederemus. Nónne ipse Dominus ait Matt. 6. *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid edatis; aut corpori vestro, quid induamini: scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.* Quid apertius? Nónne rursum ait ibidem: *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Nónne Apostolus Petrus ait:

Homini fidimus, Deo diffidimus quamuis multas eius habeamus syngraphas.

Om-

Omnem sollicitudinem vestram projcientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis. Nónne Dauid clamat Ps. 54. *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Nónne rursùm clamat: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* O nos beatos si intelligeremus, quid sit Deum omnipotentem, habere Patrem? Et quid sibi illa verba velint Matt. 6. *Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* Quære ab aliquo paruo puero, quid facies, cũ ista vestis detrita, & consumpta fuerit? Tu paruulus es, pecunias non habes, artem faciẽdarum vestium non tenes: quid igitur ages? quò te vertes, nudus sis in posterum necesse est. Sed non terrebis eum, habet enim responsionem in promptu: Pater meus, dicet, solicitus erit de hoc, & nihil mihi deesse patietur. Cur igitur, Auditores, non tantum nos Deo confidimus, quantũ in suis parentibus confidunt pueri? Si pater noster est, si hæreditatem illam amplissimam nobis donare constituit, quomodo necessaria ad victum non suppeditabit? Certè suppeditabit, neque nobis deesset, si nos nobis non deessemus, neque manus eius, nostrâ diffidentiâ ligaremus. Sed nos vix egere incipimus, cùm iam animum ad furtum, vel ad vsurã & malas artes adiecimus. At, inquis, necessitas legem non habet? Sed Deum habet, caret lege, sed non Deo, cui Dauid clamabat Ps. 42. *De necessitatibus meis erue me.* Et omnia potiùs ferenda, & toleranda sunt, quàm offendendus Deus. Nullum enim est malum maius peccato, nec vlla iactura; cum æternæ salutis iactura comparari potest; Matth. 8. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur?*

Ad imitationem paruulorũ, Deo omnia committere debemus.

Et si quoslibet homines peculiari cura prosequatur, nec peccatores ab ea excludat, quam putas Deus tui curam geret, si iustus fueris, & in præceptis ac mandatis suis ambulaueris, si tanquam bonus filius illi placere studeas, te tuaque omnia suæ curæ committas? Si in regis palatium ingrediens, in aula eius, mensam, pretiosis mappis instratam, & delicatissimis cibis ornatam videres, in qua muliones, aliæque viles personæ accumberent, quibus etiam, postquam appositæ epulæ absumptæ essent, aliæ semper atque aliæ, de nouo apponerentur, magna in copia atque varietate, meritò multum mirareris, quæ tandem, & quàm splendida foret mensa, quãtus apparatus, quæ magnificentia epularũ, vbi Rex ipse cum filiis, & amicis suis, manducaret. Atqui in hoc mundo omnibus etiam impiis, & peccatoribus, apposuit Deus mensam, omni rerum genere instructâ, & adornatâ, multos agros omnium fructuum varietate vberrimos, prata multa herbarum & florum venustate florentia, innumera alia sapida gustui, grata aspectui, odorifera olfactui: carnium verò tantam copiam & abundantiam, vt pro vnaquaque anni tempestate aliæ atque aliæ inueniantur, & pro cuiusque palato singula suppeditentur; similiter & de piscibus. Quòd si talis est mensa quam Deus omnibus; etiam impiis apparauit; qualis erit illa; quam iustis, quam amicis suis adornabit, quomodo iustos derelinquet piissimus ille pater, imò quomodo quærentibus regnum Dei, & iustitiam eius, hæc omnia non adiiciet.

Si Deus etiam curã peccatorum habeat non habebit iustorum?

Quòd auaritia diuitum multùm obscuret diuinam prouidentiam.

§. III.

10. SEd ad secundum vitium veniamus; diuitum auaritia, auditores, alterum vitium est, quod hoc perpetuum Dei miraculum non parum obscurat. Quæro à vobis, si Rex noster singulis annis alicui magnam summam pecuniarum daret, vt inde omnes, huius vrbis pauperes alerẽtur; si is, cui hęc prouincia commissa est vel eas pecunias omnes; vel certè magnam illarum partẽ, in suis loculis poneret, ac pro se retineret, nónne miraremini, si pauperes fame, atque inopiâ laborarent, ac si principis liberalitas non appareret? Ad eundem modum diuites Deus instituit tanquam tot principes, & nutritores pauperum: nam idcirco illis tantam copiam opum, ac facultatum largitus est, quantum non illis solùm, sed & multis aliis sufficere posset. Sed cùm ipsi omnia recondant, & à tineis potiùs, quàm ab egenis consumi velint, quid miramur, si pauperes fame pereunt, atque Dei miraculum obscuratur? Poterat quidem Deus omnes homines diuites, vel omnes inopes facere: sed si omnes diuites, vbi tunc esset patientia? Si omnes inopes, vbi liberalitas? Quoniam igitur tempus hoc, ad regnum cælorum, præclaris operibus, & virtutum actionibus, promerendum, nobis tributum est, illud Deus sapienter instituit, vt alij diuites essent, & misericordiâ & liberalitate sibi gloriam æternam compararent; alij pauperes essent, & patientiâ ac laboribus, ad eundem fælicitatis portum peruenirent.

Auaritia diuitum in causa est quòd multi egestate pressi pereant.

11. Verùm, discipulos imitantes, semper dicunt auari: *Vnde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine?* Quis pauperum petitionibus satisfacere posset? & quid, si anno sequente, annonæ caritas inualesceret, & ego mihi, & meis, antè non prouidissem? Neque sum ita diues, vt homines putant: Imò verè si rectè cogito, ego etiam pauper sum. Ah miser, verè pauper es, pauper charitate, pauper misericordiâ, pauper gratiâ, pauper humanitate, pauper spe gloriæ sempi-

Auarorum frigida excusatio.

sempiternæ. Et quid ita de anno sequenti sollicitus es, quid si cælum rueret? quid si tunc non viueres? Communicent ergo, communicent ij qui diuites sunt opes suas cum indigentibus, & tum ea, quæ Deus producit, omnibus abundè sufficere & Dei miraculum splendere ac emitere videbis.

Eius ex Chrysostomo refutatio.

12. Accipe autem ex Chrysost. homil. 33. ad pop. frigidæ illius excusationis & obiectionis: Si tantùm decem essent pauperes, vel viginti, illis prouideri aliquatenus posset, sed pauperum non est numerus, & vnde istos quis poterit saturare panibus in solitudine, plenariam responsionem ac solutionem. *Indagemus, ait, si placet; vtri sint in ciuitate plures, pauperes, an diuites: & qui neque diuites, neque pauperes, sed medium habentes locum? Verbi gratiâ decima pars est diuitum, & decima pauperum nihil penitus habentium, reliqui verò mediocres sunt; Diuidamus igitur in egenos ciuitatis multitudinem, & quantum opprobrij sit videbitis. Vehementer enim diuites pauci, post eos verò multi, pauperes verò his multò pauciores. Verumtamen cùm tot sint qui pauperes alere possent: multi dormiunt esurientes, non quod habentes, eis facilè satisfacere nequeant: sed propter multam eorum duritiam, & inhumanitatem. Nam si diuites, & qui sunt sequentis sortis, panes & vestes indigentibus impertirent, quinquaginta, vel & centum viris, vix vnus forte contingeret.* Hæc ille, cum quibusdam aliis, lectu dignissimis, quibus ostendit quàm friuola & frigida sit diuitum illa excusatio: *Vnde istos poterit quis satiare panibus in solitudine?*

CHRYSOS. Eleëmosyna radix valde pinguis.

13. *Pecunia* (ait Chrysost. homil. in 1. Corinth. 11.) *quæ pauperibus erogantur, non vulgariter defossa sunt, quasi infructuosa, sed quasi radix in pingui solo plantata, quæ nobis singulis annis, tempestiuos fructus adfert: Sic & pecunia in manibus pauperum plantata non solùm in singulos annos, sed & in singulos dies spirituales nobis fructus affert, confidentiam scilicet in Deum, peccatorum abscessum, conscientiam bonam, lætitiam spiritualem, spem iucundam, & alia bona, quæ præparauit Deus diligentibus se?* &c. Et nos tam stolidi erimus vt dicamus: *Vnde istos poterit quis satiare panibus?*

Diuites, debent esse similes terræ & frugibus. BERCHORIVS.

14. Terræ & fluuio similes sint diuites, vt suprà tetigimus, similes sint fructiferis arboribus. Arbor habet, ait Berchorius, quodam loco, quasdam partes superfluas, quæ non sunt de essentia eiusdem, sicut sunt folia & fructus, & vernali tempore generaliter ista cadunt. Nam quia humor arboris non sufficit, tunc temporis intus & extra, intro retrahit eum natura, à partibus exterioribus, non necessariis, ne deficiat interioribus, & necessariis. Natura namque nititur magis seruare interiora quàm exteriora, & ideo humorem in necessitate & frigore, ab exterioribus ad interiora retrahit, & sic cessante humore, exteriùs, fructus & folia defluere permittuntur. Sic voce homo quoque habet partes superfluas, id est, diuitias, quæ quandoque in eo tantum abundant, quantum vltra necessitatem ei superfluere possint dici. Et ideo verè cùm venerit tempus hiemis, vbi est defectus fructuum & victualium, id est, tempus paupertatis & aduersitatis, vel caristiæ, tunc debent istas dimittere, & erogando pauperibus emittere, & exinde humoré affectionis & amoris retrahere, & per eleemosynas eas pauperibus erogare. Nam ab istis exterioribus, & téporalibus est humor affectionis retrahendus, sicut à superfluis & non necessariis, & ad interiora, scilicet ad conscientiam & animam principaliter conuertédus, quia scilicet ista magis debent diligi & seruari, iuxta illud: *Quo modo potueris, ita esto misericors, neque auertas faciem tuam viso paupere.* Tob. 4. Sed scitis quid est? Sunt quędã arbores, quæ habent humorem viscosum, qui à foliis exterioribus leuiter non retrahitur à natura, sicut patet in pino & similibus. Cumque etiam arbor est multum solida atque dura, & sic impedit humorem retrahi à foliis, & ita cadere non sinuntur, sicut patet in buxo & similibus. Sic verè homo quicumque habet humorem, id est, affectionem viscosam per carnalitatem, est etiam compactus & solidus per obstinatam voluntatem, durus per impietatem & crudelitatem, & tenax per auaritiæ parcitatem. Et sic verè impeditur ne humor suæ affectionis à foliis, id est, exterioribus diuitiis, retrahatur, & sic ipsa folia cadere per eleëmosynas non dimittit, dato, quod hiems, id est, tempus caristiæ & paupertatis instet, istud patet in malis diuitibus &c. Hactenus ille.

Quòd Pauperum luxus multùm obscuret diuinam prouidentiam.

§. IV.

15. TErtium vitium, pauperum superbia, luxuria, & ebriositas. Pauperes illi quos hodie tanto miraculo Dominus pauit, super terram sedebant: *& præcepit turba discumbere super terram*, & fortassis super viride fænum, vt aliàs sedebant. Quid terrâ, quid fœno significatur, nisi caro? *Omnis caro fænum*, ait Isaias cap. 40. Quid verò viriditas, nisi luxuriem & petulantiam designat? Itaque viride fænum nihil aliud, quàm lasciuiens, petulans, indomita, atque luxurians caro est. Quam omnes

Pauperum luxus in causa quòd egeant. Fæno carnis insidendum.

hes quidem comprimere, omnes coërcere, omnes super eam sedere debemus: sed pauperes imprimis, quibus ideo Deus abundantiam rerum negauit, vt temperantiam & sobrietatem meditentur. Verùm hodie nostri temporis, vestiri & epulari volunt, vt diuites, & mirantur postea, si eis pecuniæ deficiunt: Quàm multi reperiuntur qui diebus festis, cùm suis compotatoribus, ad tabernas pergunt, & ibi vnâ horâ potando consumunt, quod multis diebus, summo labore, acquisierant? vt illos interim omittam, qui ludendo, & amando, opes suas, ac si ditissimi essent effundunt.

Ebrietas etiam homini diuiti procurat inopiam.

16. Si ebrietas homini diuiti procurat inopiam, qualiter non pauperi, & labore manuum victum quærenti, eam ingeret? extra controuersiam est, quòd sicut magnus fūdus parsimonia, ita ebrietas ad paupertatem & mendicitatem via, ebrietas nempe, res temporales consumit, possessiones, & vineas, & agros depascit, & ad mendicitatem, compellit. De hoc Ouid. Metam. 5. fugit fabulam, dicens quòd mulieres quæ festum Bacchi celebrare contempserunt, & in eius contemptum telas, & pannos operatæ fuerunt, subitò illis telæ, & instrumenta textoria, mutata fuerunt in calices, & vites, ipsæ verò mulieres conuersæ fuerint in vespertiliones: Sic ad litteram quidam sunt, qui primò de Baccho & vino non curant, tamen successiuè se potationibus dant, & sic habitum inebriandi sese, procurant, & tunc telas & pannos, vestes, & possessiones suas, in vites & calices conuertunt, quia vino, quidquid habent euacuant. Tales vespertiliones fiunt, & per verecundiam quandoque quando omnia consumpserunt, de nocte occultè fugiunt, & recedunt, & more vespertilionum de die, id est, publicè, & apertè in præsentia vicinorum apparere non audent, & ideo dicit Sapiens Eccli. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur.*

Ebrietas hederæ similis exsugens internam & externam substantiam.

17. Est ebrietas instar hederæ, exsugens in homine, tam vires internas, quàm externam substantiam. Significasse inter alia hoc videntur veteres, dum Bacchum in naui sedentem pingebant, cuius prora similitudinem gerebat pantheræ, puppis verò, imaginem Tygris: vt indicarent, furorem ab ebrietate ortum & originem trahentem, furorem superare, duorum horum animalium. Vela rubicunda erant vel coccinea, vt signarent pudorem & erubescentiam, quæ hoc vitium semper comitantur, insuper cędes, homicidia, sanguinisque effusionem, hinc exorta. Non scutis, & clypeis, in circuitu, hæc nauis instructa erat, sed tympanis, & variis musicalibus instrumentis, pro sentina fons quidam saliebat in medio nauis, vini optimi, quem ambiebant palmites & vitis folia. Sed præ cæteris illud peculiare, quod teste Car. l. 3. de imag. Deor. malus vndique hederâ tegebatur & induebatur, quo imprimis docebant, quòd sicut hedera homines in ebrietatem inducit, & furorem, idem prorsus efficere Bacchum. Et Festus rogatus, cur hedera, Baccho esset consecrata? respondit, quòd sicut hedera, firmiter stringens, & amplectens arborem, omnem illi exsugit & extrahit succum vitalem, ita vt exsiccetur & deficiat: sic vinum, cerebrum, & templa, ebriosi hominis, occupans, taliter eum exsiccat, priuatque calore naturali atque vitali, vt illo suffocato atque extincto vitam facilè amittat, & quamuis instar muri fortissimæ esset complexionis, vires tamen illius exhaurit, & paulatim ad inferos deducit. Postremò non incongruè hoc symbolo significatum, quòd sicut hedera exsugit tam ab arbore quàm à muro omnem humorem & succum: sic vinum & ebrietatem, omnem consumere & absumere hominis substantiam, bona, atque diuitias.

Ebrietatis hieroglyphicum.

18. Certè nihil mali non causatur ab ebrietate. Quemadmodum enim totum, quod nascitur in cœnosis paludibus, nullum fructum profert, sed serpentes, sanguisugas, diuersaque genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quàm aliquid quod ad victum proficiat, exhibere. Nam & arbores & herbæ, quæ in ipsis paludibus, aut earum ripis nascuntur, nihil vtilitatis habent, sed singulis annis incendio comburuntur. Aquam etiam ipsam ob cæni fætorem & turbationem, bibere perhorrescimus. In eundem modum quid profert ebrietas, nisi mentis turbationem, mille monstra vitiorum, & peccata nefanda ob quæ tandem miser homo igni deputatur æterno.

Nihil mali non causatur ab ebrietate.

19. *An non videtis* (ait Chrysost. homil. 10. in c. 1. Genes.) *quotidie, & sumptuosis mensis, & immodica ingluuie infinita morborum genera deduci? Vnde podagra? vnde capitis dolores? vnde corruptorum humorum abundantia? vnde innumeri alij morbi? nónne ab intemperantia, & largiore vini ingurgitatione, quàm oportet? Nam sicut nauis quæ aquis ita impletur, vt exhauriri nequeat, statim submergitur ita & homo quando crapulæ & ebrietati seipsum exponit, in præceps vadit, & rationem suam submergit, deinde iacet quasi viuum cadauer, ad mala quidem operanda sæpe potens; ad bona autem omnia nihil se melius habens, quàm mortui* &c. Sic Chrysostomus quem si libet vide etiam homil. 1. in cap. 1. Genes. vbi habet multa huc spectantia.

Infirmitas ex ebrietate. CHRYSOS.

20. Phineas Cyri Persarum Regis legatus, vt refert Herodotus, ab eodem legationis causâ, ad Ægyptios missus, mox atque Ægyptiorum terminos accessit, vidissetque rem sibi hactenus inuisam, nimirum vites cum botris, arborum ramis sustentari, atque pulcherrimas vuas ex illis

HERODOTVS.

dependere, quod in Italia ac præsertim partibus Lombardiæ consuetum & ordinarium, dixit comitibus suis: Certè, gaudeo Ægyptios tantum iustitiæ deditos, vt etiam vites cum vuis suspendant, vinum suppeditantia, ex quo tot mala in orbem dimanant. Volebant insinuare, nullum penè esse malum, quod non ex hoc fonte procedat. Noë nónne ex largiore vini potu, quasi totus animo, & mente submersus qui diluuij aquis submergi non potuerat, in grauissimum incestus incidit crimen? An non vinum, veneris lac, & nectar quoddam, siue nutrimentum lubricitatis? Si vinum tam nociuum diuitibus, quid pauperibus? Fortassis Dominus prouidens nostri temporis ebriosos absque potu conuiuium instruxit, effecitque vt panis & piscis, sicut famem sedabant, ita & sitim extinguerent. Certè si tale conuiuium in his regionibus fieret, paucos omnino conuiuas haberet.

Vinum suspendio dignum ob ea quæ causat nocumenta.

Quòd inordinati sumptus nobilium, multùm obscurent diuinam prouidentiam.

§. V.

21. QVartum, & postremum vitium, est superbia, ac sumptus inordinati, & pompæ, nonnullorum illustrium virorum. Hic enim eorum splendor, splendorem obscurat prouidentiæ Dei. Cur quæso existimatis Ioa. 6. iussisse Christum, vt quod ex quinque panibus superfuerat, colligeretur, neque permittere voluisse, vt fragmenta illa perirent? Cur putas Marci 8. nos legere, sustulerint, quod superauerat, de fragmentis, septem sportas? Num quòd famem, aut penuriam, in posterum formidarent Christus & Apostoli? Non sanè, non hoc Dominus formidabat, aut discipuli, poterat enim Dominus facilè panes multiplicare, & de integro etiam creare, sed eos admonere voluit, quibus maximas opes largitus, vel largiturus erat, vt nō putarēt, quod sibi superesset, effundendum ac dissipandum esse, sed intelligerent diligenter colligendum, & in pauperum cophinis reponendum. Non dedit Deus Principibus, Antistitibus, & alijs nobilibus viris, tributa & vectigalia, vel Ecclesiastica beneficia, vel amplissima patrimonia, vt equos, canes, accipitres, mimos, amicas alerent, non vt mensas mille ciborum generibus refertas, atque instructas haberent, non vt sumptus inordinatos, in palatijs, in vestibus, famulis, hortis, vineis, cultu & ornatu corporis, facerent: non vt in assentatores atque adulatores largi & effusi, & in pauperes parci, atque auari essent. Cùm Deus soli copiosissimam illam lucem donaret, iussit, vt etiam eam, cum rebus cæteris communicaret. Et in corporibus nostris venæ maiores, ideo sanguine plenissimæ sunt, vt venas minores implere possint, & si hoc non faciunt, totum corpus in discrimen adducitur. Ita etiam cùm viri illustres, & diuites, qui venæ maiores sunt, non solùm venas minores, hoc est, pauperes non implent, sed etiam ab illis id parum sanguinis, quod habent, exugunt, dici nō potest quot mala oriantur & quàm vehementer Dei miraculū obscuretur. Pauperes, auditores, similes gallinarū sunt, quæ oua pariunt sed non sibi: atque vt arborum radices semper humo adhærēt, & sordidæ, & obrutæ terrâ sunt, vt succum ad ramos nutriendos, & augendos mittant, sic etiam pauperes circa terram, & sicut pecudes in stabulis, & agris versantur, vt nihil diuitibus desit. Quis hominum fodit? quis terram vertit? quis serit? quis metit? quis arbores plantat? quis putat? quis ouium, boum, equorum curam gerit? quis efficit vestes? quis cibos parat? quis domos ædificat? Nónne pauperes; itaque pauperes veluti pedes in corpore sunt, qui pro stomacho diuitum semper laborant, & tamen tanta est interdum diuitum inhumanitas, vt vix necessarium victum pauperibus largiantur, quorum sanguine & sudoribus in delitijs viuunt. Si hominem aliquem videretis, qui caput ornatissimo pileo tectum gereret, manus pulcherrimis chirotecis, totum corpus splendidissimis & superbissimis vestibus, cui nec torques nec monilia, nec annulli deessent, & tamen pedibus nudis incederet, nónne eum stultissimum esse diceretis? quis eum non irrideret? quis non contemneret? & si ex frigore illo pedum morbum aliquem contraheret & inde interiret, nónne omnes meritò hoc illi euenisse, censerent? tale monstrum sunt diuites inhumani, qui tantas opes & facultates habent, vt etiam equos & canes alere possint, qui ornatissimè vestiuntur, lautissimè comedunt, largissimè bibunt, splendidissimè habitant, & tamen non verentur pedes, qui semper pro ipsis laborant, hoc est pauperes, nudos relinquere. Et quid mirum, si ex pedum nuditate frigus concipiant & intereant, cùm erga pauperes charitatem non habeant: *Nam qui non diligit, manet in morte* 1. Ioan. 3.

Inordinati sumptus nobilium efficiunt vt pauperes inopiâ opprimantur.

Frugalitas Christi.

Quàm condemnanda diuitum in pauperes crudelitas, exemplo declaratur.

22. Vide si libet grauissimam D. Chrysostomi sententiā contra inhumanos illos diuites, qui fragmenta, & quod illis superest necessarijs vsibus, non colligunt in cophinis pauperum, sed inutiliter expendunt homil. 34. ad pop. Vbi inter cætera sic scribit: *Tuarum es, ô homo pecuniarum dispensator,* non

Inuectiua Chrysostomi in diuites auaros.

non minus quàm qui Ecclesiæ bona dispensat. Sicut igitur ille potestatem non habet, ea quæ propter pauperes à vobis erogantur temerè, & vt casu venit, dispergendi, quoniam in pauperum data sunt alimentum, ita neque tu tua. Et si namque paternam excepisti hæreditatem, & ita possides quæcumque tibi sunt; ita quoque tamen Dei sunt omnia. Postea verò tu quod erogasti quidem, tali vis dispensari diligentia: Deum verò sua non censes maiori nos repetiturum vehementia, sed ea simpliciter passurum pereuntia? Non ita est, nequaquam. Hæc enim propterea tibi concessit, vt dares illis escam in tempore opportuno, egenis esurientibus, sicut tu conseruò dispensanda dedisti, itidem & Deus te vult hæc in congrua abrogare. Et paulò inferiùs, tu verò, quæso, considera, quomodo per omnes parabolas, non suis congruè pecunijs vtentes, punit. Nec enim Virgines aliena rapuerant, sed propria non dederunt. Neque qui talentum in terram defodit, iniustum vsum sibi vendicauit, sed quia non geminauit: nec esurientem despicientes, quod aliena rapuerint puniuntur, sed quoniam sua non disperserunt, sicut & hic seruus.

23. Finem impono huic sectioni cum pulcherrima Cardinalis Bellarmini, loco citato, ad liberalitatem admonitione, quare, quicumque diuites si Dei prouidentiam illustrare, & ipsi valere, & viuere volunt, pedes suos operiant, egenorum rationem habeant. Cùm tam exiguo tempore hic in terris viuamus, cùm ad alium orbem maximis itineribus properemus, cùm iter difficile & periculosū teneamus, cùm in eo magnæ opes impedimento potiùs quàm adiumento sint, mirum est profectò sapientes homines, non vehementer lætari, cùm oneris deponendi, vel cum alijs communicandi occasionem habent. Si vi tempestatis in aliquem scopulum, cum multis socijs delatus esses, vnde ad terram euadere, nisi natando non posses, & magnā vim auri & pecuniarum haberes, nónne potiùs à socijs tuis peteres, vt te in eâ ferendâ iuuarent, quàm eam solus ferendo, & pecuniarum & vitæ periculum apertissimum subires? Omnes nos, nemine prorsus excepto impetu procellæ, primi parentis peccato, exortæ, in scopulum huius mundi delati sumus, ex quo ad portum beatitudinis peruenire, nisi natando, & manibus ac pedibus laborando, non possumus. Hoc à me sæpius audiuistis, & singulis concionibus repetendum esset, nempe iter quod ducit ad cœlum, neque in curru, neque in naui, neque in lectica, neque in equo vlla ratione confici posse. Iter arduum est, laboriosum est, periculis plenissimum est. Quocirca viatorem maximè liberum & expeditum requirit. *Ecce*, inquit Petrus, *nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Et nos putamus grauissimis diuitiarum sarcinis onusti hoc iter emetiri nos posse. Decipimur, fallimur, toto cœlo erramus. Consilium igitur sapientissimum capiamus, partem oneris nostri, super humeros pauperum imponamus, vt hac ratione, cum nostris diuitiis, salui, & incolumes, ad portum salutis perueniamus &c.

Persuadetur diuitibus in pauperes liberalitas.

Quòd spes beatitudinis obtinendæ à Christo vt firma sit, & certa, debeat oui referre similitudinem.

SECTIO XVI.

1. Vis scire, quale esse debeat, ouum spei nostræ, vt supponamus illud Christo, & ab illo, securi speremus vitam æternam?

Ouum symbolum spei.

2. Primò, in ouo quatuor inueniuntur; testa, quæ dura est, firmaque, quammaximè. *Firmitas putaminum*, inquit Plinius, *tanta est, vt recta, nec vi, nec pondere vllo, frangantur, nec nisi, paulùlum reflexa rotunditate.* Albumen, vitellus, & aër; vt spes nostra vera sit, hæc quatuor etiam necessariò reperiuntur. In primis, firmitas constantis patientiæ: secundò, albumen diuinæ gratiæ, spes enim primariò nititur, ope, & gratia Dei, secundariò verò etiam bonis operibus, ex gratia factis: tertiò vitellus charitatis: quarto, aër sancti Spiritus. Nam vt ait D. Bernardus serm. 37. in Cant. *Spes non confundit; quia infundit certitudinem, per hanc enim ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filij Dei?*

Quatuor in ouo reperiuntur, quæ symbola sunt quatuor conditionum in fide requisitarum.

Plinius.

Bern.

3. Secundò, ouum recens, & plenum, in aqua deorsum vergit, putidum & vacuum in superficie natat: ita vera spes cœlestis gloriæ, refugit quæ alta sunt huius mundi, humilia verò atque ima sectatur, sciens quòd humiliatio in hoc mundo, via sit securissima, ad exaltationem in altera vita.

Ouum ima petit, vera spes non quærit quæ alta sunt.

4. Tertiò, ouum est oblongum; sic spes nostra debet esse perseuerans, iuxta illud Iacobi 5. *Patientes igitur estote fratres vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola, expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum. Patientes estote & vos, & confirmate corda vestra, quia aduentus Domini propinquabit.* Est duplex terræ fructus, quem ab ea expectamus: quidam temporaneus, qui breuî colligitur; alter serotinus, qui magis indiget expectatione. Ita à Dei misericordia expectatur gratia temporanea, gloria serotina; gloria animæ temporanea, gloria corporis serotina: sic in aliis diuinis muneribus quædam statim concedit, temporanea sunt hæc,

Ouum oblongum sic spes nostra debet esse perseuerãs.

hæc, quædam in longum differt, serotina sunt ista, sed expectantur adhuc.

Ouum purum spes vera plena puritate.

5. Quartò. Ouum maximè purum est, nam testa clauditur alba, atque dura, non fumo, non fuligine tingitur: ita spes vera plena est puritate, plenâ sanctimoniâ, plena castimoniâ. *Omnis qui habet hanc spem*, ait Ioannes 1. Ioan. 3. *sanctificat se, sicut & ille sanctus.* Omnem immunditiam odit & execratur. Scit enim quòd omnis fornicator & immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Albumen oui glutinosum, sic vera spes facit hominem firmiter adhærere Deo.

6. Quintò. Albumen oui, permistum calci, tam est glutinosum, vt vitri fragmenta vniat, & associet: sic vera spes maxime glutinosa est, facitque hominem firmiter adhærere Deo, nimirum, sicut hedera muro. Vnde ait regius vates Psal. 27. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Vnde & spes anchoræ comparatur, non quæ in profundo iacitur, sed in cœlo, vel in Deo figitur, & quidem tam efficaciter, vt nulli turbines, nullæ tempestates possint eam auellere. Huius spei exempla vide apud Cornelium in cap. 6. Epist. ad Hebr. vers. 17. & 18.

Spei firmæ exempla. CORNEL.

Vt oua, sic etiam spes in Deo, integra conseruatur. PLINIVS.

7. Sextò. Scribit Plinius lib. 10. cap. 60. quòd *oua hyeme paleis, æstate furfuribus optimè seruantur.* Vis spem tuam in Deum sartam tectamque conseruare, tam tempore prosperitatis, quàm aduersitatis: Compone eam cum vanitate humanæ spei; quæ enim in homine, vel terrenis rebus figitur spes, nónne similis paleis ac furfuribus, nónne maximè fallax & pudefaciens? Sic faciebat regius vates, verè, ait Psal. 30. *Odisti obseruantes vanitates, superuacuè: Ego autem in Domino speraui.* In quæ verba sic D. Augustinus: *Ego*, inquit, *qui non obseruo vanitatem, in Domino speraui. Speras in pecunia, obseruas vanitatem; speras in honore & sublimitate aliqua potestatis humana, obseruas vanitatem; speras in aliquo amico potente, obseruas vanitatem; in his omnibus cum speras, aut tu expiras, & ea hîc dimittis, aut cum viuis, omnia pereunt, & in spe tua deficis. Istam vanitatem commemorat Isaias dicens: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit: verbum autem Domini manet in æternum. Ego autem, non quomodo illi qui sperant in vanitates & obseruant, sed in Domino speraui, qui non est vanitas, sed ipsa veritas & stabilitas.* Idem in illud Ps. 9. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum: Ne sperent*, inquit, *in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes, nisi erit, & fuit. Quoniam quod in illis futurum est, cùm venerit, fit statim præteritum, & quod expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliud, quasi nondum sit, aut fuit, quasi iam non sit; sed est tantum id, quod est, & ipsa est æternitas. Desinant igitur sperare & diligere temporalia, & se ad æternam spem conferant, qui cognoscunt nomen eius, qui dixit: Ego sum qui sum.*

8. Septimò. Ouum fundæ impositum, & rotatu circumactum, incalescit, & coquitur. ita & spes nostra vt vera, non debet rotatu, & circumactione variorum laborum, & calamitatum, refrigescere, vel deficere, sed magis incalescere & accendi; scientes quòd sicut in Christo abundat tribulatio nostra, ita & abundabit exaltatio nostra.

Vt ouum rotatu incalescit, ita spes tribulationibus.

9. Octauò. Oui præcipuum fomentum est calor, mediante enim calore facilè ouum mutatur in pullum: sic mediante charitate, spes nostra in rem ipsam, siue fruitionem cœlestis patriæ, facilè conuertitur. *Spes*, ait D. Augustinus mox citandus *dilectione tenetur.*

Oui fomentum calor, ita mediante charitate spes conuertitur in fruitionem. AVGVST.

10. Nonò. Ouum cibus est maximè nutritiuus, mirum in modum reficiens corpus, & fractas vires restaurans: similiter & spes mirum in modum confirmat & corroborat hominem Christianum, ne ob tentationes & persecutiones animo frangatur, langueat, atque deficiat. Nam vt ait D. Augustinus de cognitione veræ vitæ. *Fides animam quasi quidam circulus complectitur, fides spe nutritur.*

Ouum nutrit, ita spes confortat.

AVGVST.

Prouerb. 28 *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Ex Hebræo aliqui vertunt: *Fidens in Domino impinguabitur*: Tamquam si spes, ac fiducia sapidissimus cibus esset, quo aleretur, nutriretur, aut impinguaretur, qui Deo suo fidit. Non est autem insolens hæc metaphora cùm de spe, & fiducia est sermo. Synesius de insomnijs: *Spes hominum genus alit.* Symmachus Epist. 55. *Spes in aduersis alere animos solet.* Saluianus lib. 11. contra auaritiam: *Vita hac quoque ipsa temporaria non nisi spe alitur, ac sustinetur.* Plato lib. 1. de Republ. *Spem cor nutrire affirmat.* Pindarus senectutis nutricem eam vocat. Non mirum igitur si ex Salomonis mente impinguandus sit, qui spe diuina pascitur, nutritur: hæc cœlestis cibus est, quæ cœlestes reddit homines, quos alit.

11. Decimo. Ouum planè vitale est, ex illo enim, leui calore, educitur pullus: ita spes nostra debet esse viuida, vegeta, exultans; hæc enim facit, vt Christianus in quantauis tentatione & tribulatione, non nutet, non cedat, sed constans persistat, fortiterque, & generosè omnia aduersa superet & euincat, adeoque in ijsque lætetur & glorietur. Vnde D. Chrysostomus homil. 5. in 3. cap. Epist. ad Hebr. *Cum tanta*, ait, *animi alacritate proprium sanguinem pro Christo effundere debemus, cum quanta quis aquam effundit: etenim aqua est sanguis irrigans corpus.*

Ouum vitale, sic spes nostra debet esse viuida.

Manibus qui excluditur pullus est cæteris spectabilior, ita spes quæ fouetur manuũ nostrarum labore, insigniorẽ parit gloriam. PLINIVS.

12. Vndecimò. Manuum calore, qui excluditur pullus, solet cæteris esse spectabilior, & cristis insignior. De Liuia, vxore Augusti refert Plinius lib. 10. cap. 55. Quòd cùm prægnans esset, & explorare vellet præsagio, an marem esset paritura, ouum gallinæ incubanti subtractum, nunc sua,

sua, nunc ancillæ manu, tamdiu fouerit, donec pullus inde insigniter cristatus, exclusus fuit. Quo viso, marem se progenituram intellexit, (is Tiberius fuit) & ex cristis ad Imperium peruenturum sperauit, coniectura Scribonii Mathematici. Similiter ouum spei nostræ tunc producit pullum maximè præclarum atque regium, id est, fælicitatem & gloriam in cœlis eximiam, quæ fouetur non gremio, non ascellis, sed manuum & digitorum calore, id est, quæ post Deum nititur bonis, iisque præclaris & eximiis operibus.

Ouum purpureum præsagium imperij, sic spes sanguine purpurata signum est imperij in cælis obtinendi.

13. Duodecimò; Antonius Geta, quo momento Mediolani, natus est, gallina ouum in aula purpureum peperisse, nuntiatum est, Imperium illi portendens. Similiter Imperii in cœlis obtinendi signum est longè certius; si quis ouum spei suæ, proprio sanguine pro Christo effuso purpurauerit.

Ouum medicinale, sic spes alias virtutes instaurat.

14. Decimòtertiò, ouum maximè medicinale est, cum sanguine maximam habet affinitatem & leui mutatione in sanguinem vertitur, & ideo instar sanguinis vires maximè restaurat, similiter spes futuræ gloriæ, pro sanguine est fidei, & aliis virtutibus, eas roborat, restaurat, vegetat, vnde sic de fide Clemens Alexandrin. pædag. 1. *Sanguis fidei est spes.* Et sicut albumen munit faciem, ne à sole comburatur, ita spes gloriæ, munit mentis faciem, ne ab ardore solis, id est persecutionis, tentationis, ac laboris detrimentum aliquod patiatur. Vnde Nicetas in oratio Nazianzen. 16. spem vocat mœroris medicinam.

Ouum, simulachrum terreni huius mundi, spes simulachrum mundi supercęlestis. Macrob.

15. Decimòquarto. Scribit Macrobius Saturn. cap. 16. In Liberi Patris sacris, ouum coli, ita vt ex forma tereti ac penè sphærali, atque vndique versum clausa, & includente intra se vitam, mundi simulachrum vocetur. Quid ouum spei nostræ, nónne cælestis illius mundi simulachrum? sanè Paulus dicebat: *Spe enim salui facti sumus.* Et quid precor tam copiosè vitam in se continet quàm hoc spei nostræ ouum? Rectè Diuus Augustinus, *Spes vitæ immortalis, vita est vitæ mortalis.* Auferte, ex hac mortali vita, spem vitæ immortalis, quid residuum, quàm vmbra quædam mortis atque imago tristissima.

E templi lacunari suspensum ouum, sic ouum spei numquam abesse potest è templo animæ. Pausan.

16. Decimòquintò, scribit Pausanias in Laconicis, quod Spartæ delubrum est Ilaitæ & Phœbes, Apollinis filiarũ, quodque è templi lacunari pendeat ouum, tæniis religatum, quod Leda peperit. Consultum etiam Christiano vt è lacunari templi sui spiritualis, id est mentis, & animæ suæ, dependeat ouum hoc, cælestis gloriæ spei, semperque oculis obseruetur internis; peperit enim illud nobis cùm essemus maximè indigni, nunquam satis prædicanda Dei misericordia.

Ex ouo homines generati, fabulabantur antiqui, quos dixerunt maximæ fuisse altitudinis: ita spes insigniter nutrit atque insolitam causat spiritualem magnitudinem. Athæn.

17. Decimò sextò, ex ouis homines quosdam pregnatos, qui maximè essent staturæ fabulabantur antiqui. Scribit Neocles Crotoniata Selenitides mulieres, oua parere, indeque homines nascentes, quinquies decies, esse nobis ampliores. Caeterùm vetustum educationis morem, in pueris obseruari solitum, fabellæ occasionem dedisse scribit Athenęus libro secundo cap. 17. Ouorum enim edulium pueris erat familiarissimum, ex quo cùm insigniter nutrirentur, accidebat, vt in insolitam crescerent magnitudinem. Similiter consideratio cælestis gloriæ maximè vegetat Christiani hominis animum, atque in insolitam spiritualem magnitudinem eum facit excrescere.

Ouum facillimum digestionis, sic nihil magis innatum homini, quam sperare.

18. Decimoseptimò, Ouùm facillimæ est digestionis, nullatenus onerat stomachum; sic nihil facilius, nihil magis innatum homini, quàm sperare, hominem se negat, qui non sperat. Sed videat homo, & examinet, qua spe speret; etenim quædam spes vera & solida; quædam fallax & euanida. Prima est iustorum, secunda est peccatorum. Inter hasce, magna est, prima fronte, similitudo, adeò vt dici possit, non tam ouum ouo simile, atque spes falsa, si externam faciem consideres, similis est spei veræ. Quamuis autem ouum tam sit simile ouo, nihilominus scribit Erasmus in adag. cheliad. 1. cent. 5. adag. 10. Deli fuisse complures, qui gallinas alere, quæstus causà, solerent, qui cùm ouum inspexissent, quæ id gallina peperisset, dicere solebant. Similiter si vtramque illam spem examines, facilè inter vtramque discernes: iustorum enim tale est ouum spei, quale suprà delineauimus: peccatorum verò longè aliud, nempe putridum interius, in aquarum superficie natans, caret albumine, caret vitello, &c. intus nihil habet vitale, &c.

Quædam spes vera, quædam fallax, quæ facilè discernuntur.

Ouum facilè frangitur, ita spes nostra facilè moritur.

Ouum spei nostræ si fractum, facilè consolidatur, secus accidit in ouo corporali.

19. Decimo octauò. Oua facilè franguntur: idem spei nostræ accidit, facilè frangitur, id est, ex viua mortua redditur; quotiescumque mortale aliquod peccatum committitur; quo per pœnitentiam remisso, reuiuiscit, & ipsum ouum spei nostræ. Ridiculè laborat, qui fractum oui putamen glutino sarcire & coagmentare conatur; vnde in ridiculè laborantes, illud prouerbij dici solet: *Ouum adglutinas.* Verùm res longè aliter se habet in ouo nostro spirituali: esto, sit demortuum, sit fractum hoc ouum spei per peccati mortalis ictum; glutino pœnitentiæ & charitatis iterum sarciri & coagmentari potest.

Oua varias patiuntur insidias, ita etiam ouũ spei nostræ.

20. Decimo nonò. Oua varias patiuntur insidias, præcipuè oua aquilæ; ita & spes nostra varijs petitur insidijs, pręsertim verò aquilarum, id est, hominum, quorum in cœlis est conuersatio. Sicut autem scarabeus maximè insidiatur aquilæ ouis, ita & luxuriæ vitium, totum in eo est, vt ouum spei nostræ deturbet ex voluntatis nostræ nido, in quo fouetur

à nobis. Qualiter aquila, symbolum hominis, à terrenis eleuati, & ad cœlestia aspirantis, notissimum, minus autem notum, cur luxuriæ vitium scarabeo comparemus. Scarabeum sic describit Erasmus in adag. chel. 3. cent. 7. adag. 1. *Est animal aspectu tetrum, odore tetrius, sonitu teterrimum, alis, crustaceâ vaginâ, obtectis. Quem magis totus ipse scarabeus nihil est, nisi crustum. Nascitur in excrementis, hoc est, animantium stercoribus, in iisdem viuit, versatur, oblectatur, deliciatur. Præcipuum huic studium pilas, quàm maximè potest ingentes componere, ceu pastillos, non ex odoribus, sed stercore potissimùm caprino, nam id illi, prorsus amaricinum olet. Eas miro conamine voluit, auersus, pedibus posterioribus, quos habet longiores, supernè iniectis, capite in terram prono. Quod si quando contingat, vt aduersus collem aliquem onus protrudat, elapsis subinde pilis, ac deorsum recurrêtibus, putes te Sisyphum voluentem saxum videre, nec defatigantur, nec conquiescunt. Tantus operis ardor, donec in antrum suum deuexerint. In his pilis, vt ipsi nati sunt, ita fœtus etiam suos educant, & teneros adhuc aduersus hyemis rigorem indulantur, ac fouent. Verùm illud commune est omnibus, è stercore ortus, è stercore victus, in stercore vita delitiumque.* Sic ille. En quam bellè, sit scarabeus speculum luxuriæ; quid enim voluptates omnes carnales, quibus pascitur, nutritur, & delectatur, nisi fœdissima stercora: ex stercore carnis oritur, & stercore carnis viuit, in stercore carnis illi vita est delitiumque.

ERASMVS. Scarabeus speculum luxuriæ.

Caro instar scarabei, insidiatur ouo spei nostræ.

21. Quid agit scarabeus vt aquilæ oua perdat? Quamuis aquilæ nidus procul à terra semotus, in excelso præruptoque scopulo positus, multa sarmentorum & stipularum vi congestus, & communitus, huc tamen adrepit scarabeus: sunt qui dicunt, quod cum pennis aquilæ feriretur, adhærens clanculum, ab insciente aquila, in nidum deportetur. Quid tum ille? inter stipulas, in insidijs abdit sese, ac tempus nactus idoneum aquilæ oua protrudit è nido, aliud post aliud, donec nullum reliquum faceret. Ea delapsa, comminuta sunt, ipsi pulli informes adhuc miserabiliter in saxa elisi, priùs orbati vita sunt, quàm vitæ sensum accepissent: nec hac tam atroci pœna contentus scarabeus. Est gemma cum primis nobilis, quam ab aquilæ nomine Græci vocant, aetitem: non dissimilis est ouo, sexu quoque distinguitur, nam in fœmina fœtum inclusum inuenias, pulli propemodum specie. Mira vis, ad eliciendum partum. Quamobrem hodieque parturientibus admouetur, quo partum acceleret. Huius itaque generis par aquila solet in nido suo ponere, alioquin nunquam positura oua, aut certè non exclusura pullos. Tantum etiam thesaurum deijcit è nido scarabeus, quo pariendi facultatem in posterum eripiat, lapides acutis excepti saxis, minutatim dissiliere. Simili prorsus ratione, vilis & infirma caro insidiatur ouo, id est, spei hominis, etiam inter sydera caput condentis nouit miro modo, & vix perceptibili adrepere, & irripere in nidum voluntatis humanæ, & in illius flexuosis sinibus latens, humanam mentem ad assensum voluptatis pertrahens, è nido voluntatis protrudit viuidum illud atque vitale spei nostræ ouum, ac certam illam expectationem vitæ æternæ in illo pessundat & necat. Quod amplius est, cùm constet, absque gemma illa nobili Aetite, id est, diuina gratia, hominem nequaquam ouum hoc de nouo ponere posse, vel ex eo, tamquam pullum, excludere, æternam beatitudinem, quàm maximè etiam luxuria hominem priuat diuinâ gratiâ, atque ab ea quàm maximè alienum, & ad eam recipiendam indispositum reddit; vtpote, quem planè in bestiam & pecus quoddam conuertit atque transmutat, & cui taliter adhæret vt ab illius æstu difficillimè retrahatur, sic enim docet & testatur B. Ephrem in exhortat. spiritual. *Quandocumque concupiscentia, in animum se insinuauit, mox ipsum cogitatione circumdat & salutis ingressum præcludit.* Quod confirmat Philo Alexándr. libro de Abraham, qui sermonem habens de impudicis ait, *Effœminatum morbum, sibi conciliauerunt insanabilem.* Caue tibi, ô aquila, qui inter sydera nidum collocasse videris, ab hoc infirmo scarabeo, caue tibi ab infirma, debili & sordida carne, vide ne sese in animum tuum insinuet.

Luxuria maximè reddit incapacem hominem ad recipiendâ Dei gratiã. EPHRÆM. PHILO.

22. Vigesimò. Diuus Ambrosius libro quinto hexam. cap. 24. expendens illa verba Iob cap. 35. *Et non dixit, vbi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte.* Illum exponit de cantu diuersarum auium tempore nocturno, præsertim verò de Philomela. Hæc auis tunc dulce canit, cùm oua ponit, incubat & excludit, cùm tamen reliquum anni tempus sub silentio ducat, putat autem Ambrosius, non modò oua foueri, natiuo auiculæ calore, sed & canoro cantu: itaque etiam modulationes oua excludunt. Audi Ambrosium: *Quid autem de luscinia dicam, quæ peruigil custos, cùm oua quodam sinu, corporis, & gremio fouet, insomnem noctis laborem, cantilenæ suauitate solatur: vt mihi videatur, hæc summa eius esse intentio, quo possit non minùs dulcibus modulis, quàm fotu corporis, animare fœtus oua-que fouere.* Vis ô Christiane, ouum spei tuæ conuenienter fouere, vis excludere pulcherrimum illum æternæ beatitudinis fœtum? adhibe calorem & cantum canorum, id est, in eo tota tua sit intentio vt Deum diligas, & orationi, quæ dulcissima est musica, operam impendas.

AMBROS.

Philomela oua excludit modulatione, sic calore & cantu canoro excluditur pullus cælestis gloriæ.

23. Vigesimo primò, vt gallina, fœliciter ouis incubet, & excludat, tradunt scripto-

Clauus ferreus nido impositus

propulsat veneni, sic claui spirituales in corde positi propulsant ab ouo spei spiritualia venena.

Aldrovandvs. De varia clauorum efficacia & excellentia.

Cælivs Rhodig.

scriptores rerum naturalium, ad id maximè conducere si nido clavus imponatur ferreus, quòd is, vt ait Aldrouandus libr. 14. ornit. *indicetur vim habere, quoduis vitium propulsandi*. Idem clauus solet apponi fungis, vt eorum veneno sit pro antidoto. Plinius libro 17. cap. 17. docet Amygdalas ex amaris dulces fieri, si circumfosso stipite, ab ima parte clauus illi infigatur. Cælius Rhodig. libro 29. cap. 6. scribit venatores olim, sicubi in remotioribus suem deiecissent vel ceruum, ne computrescerent, clauum æneum infigere solitos, ad auertendam putrefactionem. Veteres Ægyptios, vt cadauera integra permanerent, à & putredine redderentur immunia, æratos clauos iisdem inclusisse legimus in Theatro vitæ humanæ verb. *Clauus*. Clauum quoque sublatum, è corpore crucifixi, si lanâ inuoluatur, & collo apponatur, maximè prodesse ad curandam quartanam, quidam, sed vt puto, superstitiosè, affirmant. Non deneganda tamen ea vis clauis, quibus confixa fuerũt martyrum corpora. Clauo quo confixus pes dexter, qui in parte posteriori equi Frisonis, si in annuli modum effingatur, & apponatur parti prodagræ laboranti, ex illo non paruum morbi leuamen suscipi, quorundam opinio, cui ipsa suffragari videtur experientia.

Theatrum vitæ hum.

24. Præter hunc vsum clauorum, quem naturalem dicere possumus repertus fuit & alius artificialis, ab humano ingenio. Sabell. scribit l. 3. En. 4. Volsinios in templo Nortiæ Deæ Hetruscæ, clauos annorũ indices figere solitos, quem morem imitati Romani, vt idem refert loco cit. hisce verbis: *Cùm perrarâ ea tempestate litteræ essent, lex scripta fuit, vt qui prætor maximus in vrbe esset, idibus Septembris clauum figeret, vt nota illa velut annorum esset. Lex ipsa idcirco in Mineruæ templo creditur dicata, quia numerus, ipsius sit Deæ inuentum. Fixus est clauus dextero lateri in æde Iouis, qua parte Mineruæ templum proximum illi fuit. Primum id Consules factitarunt, ad Dictatores inde id munus est translatum*. Fixus hic clauus quantam habuerit vim ad tollendos morbos pestilentiamque sedandam, sic insinuat Polyd. lib. 1. de rer. inuent. c. 19. *Romani annos numerabant, primum per lustrum quod quinto quoque anno claudebatur. Deinde per clauos, qui idcirco annales vocabantur. Claui enim in pariete ædis Iouis ea parte qua erat templum Mineruæ (numerorum inuentricis) in singulos annos figebantur, vt per eos numerus annorum colligeretur. Sanè lex priscis litteris ac verbis scripta erat, vt qui Prætor maximus esset, idibus Septembris clauum pangeret: nam quia raræ per ea tempora litteræ erant, nota numeri annorum claui fuêre. Volsinij quoque clauos numererorum indices habuêre fixos in templo Nortiæ Hetrusca Deæ. Postea Consules id officium fecêre. Et postremò solenne claui figendi ad Dictatores translatum. At more intermisso, cùm post longum tempus pestilentiâ laboraretur, & seniorum memoriâ repetitum foret, aliquando eum morbum sedatum fuisse ob clauum à Dictatore fixum, eius rei causa L. Manius Dictator dictus est*.

Sabell.

Claui annorum indices figere soliti.

25. Quia tanta in æstimatione claui apud Romanos, hinc assumpti, pro ornamento vestium, latum habebant clauum vestes Senatorum, quibus solis laticlaui ius erat, angustum verò vestes Equitum de quibus sic Fabius lib. 11. c. vltimo: *Clauorum nomine, dicebantur ornamenta vestium, purpurea, acu picta, & capita clauorum instar habentia: quibus intextu Equitum & Senatorũ tunicæ insigniri solebant. Vnde apud Festum clauata vestimenta dicuntur clauis intexta, cùm quidem clauorum alij lati essent, quibus Senatorum, alij angusti, quibus Equitum tunica decorabantur*. Sic ille. *Clauum autem purpureum*, (ait Hot. de verb. Iur.) *arbitror caput habuisse instar capitis eorum magnorum clauorum, qui foribus & valuis affigi solent*.

Claui, ornamenta vestium, antiquitus.

Fabivs.

26. Quod amplius, ad belli vsum etiam translati claui. Quis nescit Iahelem clauo transfixisse caput Sisaræ, & solo affixisse. *Non ignorandum*, ait Cælius Rhod. libr. 21. c. 8. *veteres clauis depugnare consueuisse*, respiciens fortassis ad clauas, in superiori parte variis clauis, obarmatas: neque solùm ad offendendum sed etiam ad defendendum seruiunt claui; vnde pastores ouium, solent colla canum suorum obarmare collario, clauis vndique repleto, hisce enim non solùm sauciant irruentes lupos dum gutturi dentes infigunt, sed etiam insigniter sese defendunt. Hactenus de clauorum virtute.

Ad belli vsum translati claui.

27. Vis, ô Christiane, feliciter fouere ouum spei tuæ & ex eo educere pullum æternæ fælicitatis? in nido cordis non desint tibi claui spirituales, quibus propulses varia mala, variaque venena.

28. Primò, claui spirituales sunt verba Sapientum, verba Sacræ Scripturæ, quæ per sapientes prolata sunt, iuxta istud Eccli. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum concilium data sunt à Pastore vno*. Sunt verba Scripturæ sicut stimuli, excitantia pigros ad Dei dilectionem, sunt quasi claui in altum defixi, atque profundè cor humanum penetrantia. Septuaginta legunt. *Sunt quasi claui igniti. Similia sunt*, ait Olympiod. *clauis ignitis atque candentibus, qui altius ac faciliùs lignis infiguntur, ita & sapientium verba Theologorum in penitissimos sinus intellectus nostri altiùs figuntur*.

Claui spirituales scripturę verba.

Septvag.

Olymp.

Sapientum monita etiam clauis comparantur quia iisdem quasi clauis configimur Christo crucifixo, dum per ea crucifigimus vitia, passiones, omnesque priuatarum affectionum & cupiditatum motus: *nam sicut clauus affixus retinet rem cui affigitur, ita doctrina hominem continet*, ait Vatab.

Sapientum monita, claui.

Gregor. 29. *Clauis*, inquit D. Gregorius homil. in Euang. *ac stimulis sapientum verba comparantur, quia delinquentium culpas nesciunt palpare sed pingere. Si cuius igitur sermo* (ait Hieronymus in hũc locum) *non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis.* Idem expendens verba illa Hierem. 25. *Nónne verba mea quasi ignis, dicit Dominus*, docet non talem esse doctrinam hæreticorum. *Quia omnes*, inquit, *auditores suos adulatione decipiunt.* Contrà verò fidelis prædicator: *Nuntiat*, inquit, *futura supplicia, vt deterreat hominem à peccato, & paleis peccatorum comminatur incendium.* Idem.

Humilitas clauo comparatur. 30. Secundò, claui quoque humilitatis, abundare debent, in nido cordis nostri, quia sine hisce, nulla virtutum, nulla bonorum operum structura consistit: quod in pariete, siue ædificio est bitumen quo coniunguntur, atque sibi inuicem conglutinantur lapides, ne ruat domus: Quod in nauibus claui, quibus tabulæ simul connectuntur, quibus sublatis, necesse planè vt omnia concidant, id in virtutibus humilitas, vt pulchrè docet Dorotheus Abbas Doctrina 14. hisce verbis: *Debet qui extruit, aut ædificat, lapidem cum bitumine adiicere: si enim lapidem lapidi, quis absque bitumine & calce superimponat, excutiuntur lapides & ruit domus. Bitumen humilitas est (est enim terra, quæ pedibus omnium atteritur) Omnis igitur virtus absque humilitate, non reputatur virtus à Patribus: Omnium enim fuit vna sententia, ita impossibile esse saluari animam absque humilitate, vt nauim sine clauis ædificari.* Sic ille. Dorotheus.

Clauus est Dei timor. 31. Tertiò, clauus est Dei timor, iuxta illud Dauidis Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Confirma me (explicat Hilarius) in timore, ac veluti trabalibus validissimis clauis, ita carnes, id est, carnales cupiditates confige, vt me ampliùs commouere non valeant, non insurgere, non recalcitrare. *Quemadmodum*, ait D. Basilius homil. in Psalm. 33. *qui corporis membra habent clauis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia illa retinent: sic ij quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstreperam occasionem, vitant.* Appetitiones nostræ, hoc clauo, non extinguuntur, sed configuntur: quia licet, recidere possimus, & non in eodem statu, sicut beati, permanere: at valde magnum fuit, si non extinguere, restinguere affectiones nostras. Maximi res momenti in bello, si quis clauo tormenta inimici figat: quamuis enim tormentum, puluisque tormentarius, integra maneant, suo nihilominus frustrantur effectu, vt vim suam exercere non valeant, ita res se habet in fomite, & concupiscentia, neque enim claui timoris extinguunt ea: at in occasione peccati, figunt illa, non secus ac tormenta clauis figuntur, impediuntque ne concipiant ignem, & omnia deiiciant: Hilar. Basil. Hoc clauo configuntur appetitiones sicut clauo figuntur tormenta bellica.

32. D. Ambros. in illa verba Psal. 118. *Confige timore tuo* &c. serm. 15. de clauo timoris illa interpretatus, tribuit timori duplicem effectum, clauis omnibus exterioribus communem, sicut enim hi pungunt & vulnerant, vnamque rem alteri configunt; idem etiam præstat Dei timor, pungit, excitatque desides, & configit affectus, ne prolabantur ad terrena & carnalia: Accipe illius verba: *Sicut sunt claui timoris, quibus compungimur, ita sunt claui timoris, quibus configimur; qui compungitur, excitatur: qui configitur, mortificatur, vt peccato deficiat.* Ambros. Clauus timoris habet duplicem effectum.

33. Quartò, clauus est amor Dei, siue timor Dei filialis ac charitati coniunctus. De quo etiam explicat D. Ambrosius citata Dauidis verba serm. 15. sic fatus: *Fortassis hanc imaginem* (nimirum Christi Crucifixi, corpori & cordi impressam, quâ efficitur vt opera nostra mortua sint peccato) *claui non solùm timoris, sed etiam charitatis affigunt: quia valida est vt mors charitas, durus sicut inferi, zelus. Non te ergo offendat duritia clauorum, quia est duritia charitatis: nec validus clauorum rigor, quia valida est etiam charitas sicut mors. Charitas enim culpam, & omnia peccata mortificat. Charitas, sicut mortis ictus interimit. Denique morimur flagitiis, & peccato. His clauis charitatis configatur anima nostra, & caro nostra, vt & ipsa dicat: Quia vulnerata charitate ego sum. Habet ergo clauum suum charitas, quo anima vulneratur. Felix qui hoc clauo meruerit vulnerari. Hæc sunt vulnera, quæ osculis præferuntur: Vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. His nos vulneribus offeramus, quibus quicumque mortuus fuerit, mortem gustare non poterit.* Sic Ambros. Hic clauus amoris, fortiùs & suauiùs multò, quàm ille timoris configit carnes, id est, affectiones carnales, est enim clauus aureus cùm ille sit ferreus. Sicut autem clauus ferreus facilè rubiginem contrahit, & corruptionem incurrit; idem accidit timori seruili: verùm aureus amoris clauus, nullam vnquam contrahit rubiginem nec corruptioni est obnoxius, quod etiam competit charitati, quæ proinde adumbrata in aureis illis clauis, quibus laminæ aureæ erant affixæ, in templo Salomonis. Clauus est amor Dei. Ambros. Prouerb. 27 Clauus amoris longè præstantior clauo timoris, hic ferreus, ille aureus.

34. Quintò, claui quibus confixus est Iesus, etiam reponendi in nido cordis nostri. Tradit Metaphrastes, B. Virginem, quæ filio patienti, summâ animi constantiâ, & pietate adfuerat, eos manibus pedibusque abstractos, in sinum reuoluisse, & conseruasse, vt ex eodem Metaphraste Baronius scribit to. 1. annal. ad an. Christi 34. Cæterùm impietate, cùm Iudæorum, qui Christo, omnem gloriam inuidebant; tum Ethnicorum etiam, sacra hæc Dominicæ Passionis instrumenta, in locum abstrusum, Claui quibus confixus Christus etiam reponendi in nido cordis. De clauis quibus confixus Christus. Baron.

strusum; ne vlla à Christianis impenderetur veneratio, reiecta fuerunt. Itaque Helena Constantini Mater, dum sacram crucem, quâ mundi salus pependit, reperisset, etiam ad clauos; quibus crucifixus fuerat Dominus quærendos, animum adiecit: *quæsiuit*, ait S. Ambr. orat. in fun. Theodosij, *& inuenit*. De vno clauo frænos fieri præcepit, alterum diademati intexuit: vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Misitque filio suo Constantino & diadema & frænum, qui vtroque vsus fuit, & fidem transmisit ad posteros reges. Vide de hac re pleraque curiosa apud Baronium tom. 3. Annal. anno 326. num. 51. Tertium clauum refert Gregorius Turonen. de gloria Martyr. cap. 6. fuisse iussu Helenæ Matris Constantini, proiectum in mare Hadriaticum, quod ante, vsque adeò extitit tempestuosum, vt vorago nauigantium diceretur: ob quotidiana naufragia: fuisse autem sæuas fluctuum commotiones compressas, postquam hic clauus iniectus fuit. Idem Turonen. affirmat. De quarto clauo tradit idem Gregor. (qui & quatuor fuisse probabili coniecturâ existimat, eamque opinionem confirmant antiquissimæ tabulæ & imagines crucifixi quæ varijs locis repræsentantur) ipsum in Galea statuę Constantini positum: quod & Zonaras tradit par. 3. Annal. Sed existimat Baronius loco allegato num. 53. non fuisse impositum statuæ diadema, sed coronam ad similitudinem veræ coronæ, cuius apex claui infixione ornabatur.

Ambros.

35. Horum clauorum meditatio, carnes nostras configit, & conficit salubri timore, atque animo obseruari facit. si sic in viridi ligno factum est, quid in arido fiet? quàmque terribilis, cum ligno crucis & fixuris clauorum iudex apparebit, qui tam horribiles & infames cruciatus tolerare dignatus est? *Videbunt* tunc infelicissimi præuaricatores, *in quem transfixerunt, & qui eum pupugerunt*, vt legimus Ioan. 19. Vt vidit Thomas, *fixuras clauorum & locum*, confixus est, inquit Ambrosius, ac præ summo quodam timore, sed casto & reuerentiali prorupit in eas voces: *Dominus meus & Deus meus*.

Claui hi passionis in animo collocati mirū in modum configunt carnes.

36. Quod vanè & superstitiosè superiùs dictum est de clauis annualibus, quòd arceant morbos, quòd fugiant pestilentiam, quàm id verè & religiosiùs dicere possumus de clauis, quibus confixus Dominus, si infixi fuerint in æde, atque animæ nostræ templo. Si claui antiquitus ad ornatum adhibiti, quis referat qualiter virtutum omnium vestimenta exornent hi claui seriò meditati? Si clauis inest vis repellendi omne infortunium, præseruandi à putredine carnes &c. claui Christi infixi, non minore gaudent vtilitate ac virtute. *Ecce clauus*, ait Ambr. orat. in fun. Theodosij, *in honore est & in remedium salutis*.

Quæ superiùs fabulosè dicta de clauis, verè de Christi clauis possunt affirmari.

Ambros.

37. Clauis crucifixi Christi, in mente habitis, mirum qualiter dæmones illis transfigantur & crucientur. Legimus de Henrico sexto Imperatore, quod cùm varij in mortem eius conspirassent, re detecta, primarium eorum cùm comprehendisset, volens eum, cùm pudendâ, tum crudeli morte vitam finire, fieri iussit coronam ferream cum quatuor foraminibus in parte interiori existentibus quam imposuit illius capiti, quatuor inductis clauis in ijsdem foraminibus, quibus caput illius, cùm esset transuerberatum, è sede in terram cecidit mortuus. De quodam Hungariæ præfecto nomine, Dracola, legimus quòd cùm ad eum venisset legatus Turcicus, qui nullatenus coram eo, honoris gratiâ, volebat deponere è capite Turcicum pileum, dicens illud esse contra gentis suæ morem, mox iusserit dictum pileum, vt firmiùs capiti imposterum hæreret, tribus clauis eidem affigi. Sic claui Christi, dum in nido mentis repositi & considerati, mirum qualiter torqueant dæmones, mentem inuadere conantes, & principatum in illa desiderantes, sicut lupi grauiter sauciantur, collari illo clauis obarmato, si tentent dentes collo infigere, similiter & dęmones hisce clauis Christi obarmatum Christianum si conentur inuadere, grauiter sese sauciant & vulnerant. Habes clauos in nido ponendos, vt feliciter excludas spei tuæ ouum.

Hi claui dæmones transfigunt.

38. Sunt claui, qui planè repellendi à nido cordis, quia ouo spei nostræ maximo sunt impedimento, ad excludendum cœlestis gloriæ pullum, tales claui sunt carnales voluptates, quia vt ait D. Ambr. l. 4. in Luc. cap. 4. *Quasi clauis quibusdam suffigitur anima corporis voluptatibus*. Tales sunt prauæ consuetudines, sunt enim, hæ claui quibus firmantur idola peccatorum, Isaiæ cap. 41. Tales sunt prauorum hominum consortia, qui quasi tot sunt in oculis nostris claui, qui sequaces suos faciunt amittere lumen veritatis, vnde de illis dici potest quod de hostibus Israelitarum dicitur Num. 33. *Et erunt quasi claui in oculis vestris*.

Clauus repellendus à nido cordis est voluptas.

Ambros.

39. Quilibet horum clauorum, alio clauo pellendus. Clauus voluptatis malæ consuetudinis, atque mali consortij, pellendus, clauo iudicij, & perpetuæ gehennæ. Pellendi hi mali claui, clauo adamantino.

Pellendus clauus malæ consuetudinis & mali consortij.

Antiquitus, Dea ipsa Necessitas, adamantino clauo, insignis pingebatur, vt significetur quod semel ab ipsa statutum defixumque est, nullatenus posse dimoueri. Alii eam pingebant, cum manu ahenea, & trabalibus clauis plena, vt liquet apud Pierium Hierog. lib. 48. cap. 53. Cùm diuinam considero iustitiam in die iudicij sæuientem in malos, & ex illius ore manantem

Hi claui pellendi clauo adamantino.

Clauus adamantinus, diuinum iudicium. nantem horrendam illam sententiam : *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, videre mihi videor, eum manu ahenea gestantem, adamantinum vel trabalem clauum, quo quisque figitur firmaturque in æternum. Dum autem eandem Dei iustitiam considero promentem dulcem illam sententiam: *Venite benedicti* &c. eam manu aurea adamantinum clauum gestare mihi videor, quo quidquid figitur, similiter fistitur, firmaturque in omnem æternitatem, ita vt saluandorum quilibet gaudeat munere perpetuæ incorruptionis. Olim ad significandam certam stabilemque fœlicitatem, pingebant fortunæ rotam, in cuius summitate cùm consisteret homo, pars illa rotæ, quæ terræ imminebat, eamque tangebat, fortissimo erat transfixa clauo, ita vt homini illi, nulla fælicissimi status mutatio erat timenda, in tali rotâ, vel si magis in tali sorte constituti sunt beati, non est quod vereantur à tanta fœlicitate occasum vel minimum, transfixa enim est firmataque clauo illo, in æternum duraturo, diuini decreti, diuinæque prædistinationis.

Felicitas sanctorum in cælis clauo transfixa.

Claui cælestis Hierusalem non transferendi in æternum. 40. Isaias cap. 33. describens cælestem Hierusalem, sic ait, *Respice, Sion, ciuitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Hierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.* Ecce cui rei comparet cælestem gloriam, nimirum tabernaculo, quod nequaquam transferri poterit. Quare? quia non auferentur claui eius in æternum: claui enim quibus firmatur hoc tabernaculum, sunt diuina decreta, quibus decreuit Deus gloriam illam futuram, stabilem, permanentem, & æternam. Mundus quidem tabernaculo solet comparari, sed cui tabernaculo? tabernaculo vnius diei, quod facillimè tranfertur, quia clauis nititur in leui & fragili terra, vel potiùs arenâ adactis, quæ facillimè vento deijciuntur, vel aliò per homines deferuntur, nituntur humana omnia rebus maximè fragilibus & vanis. Psal. 93. *Dominus scit cogitationes* (id est decreta, statuta, & desideria) *hominum, quoniam vana sunt.* Clauos, quibus cæleste figitur tabernaculum, cogita, & illis facilè pelles noxios clauos suprà relatos.

Claui mūdi facillimè transferuntur.

Qualiter Christiani, debeant gallinæ in seipsis conditiones exprimere.

SECTIO XVII.

Vt gallinæ suspecta accipitris vmbra, sic Christiano debet esse omnis peccandi occasio.

§. I.

1. GAllina & ipsius pulli, si vel vmbram ipsius accipitris vident, timent, & fugiunt: ita Christianus, quàm potest fieri maximè, non solùm timeat accipitrem infernalem, sed & vmbram eius, id est, minimam eius tentationem, minimam peccati occasionem: quod respondebat Esopica gallina feli, id respondeat Christianus accipitri infernali, dum se insinuat illius menti, ac familiaritati. *Esopica gallina*, vt refert Plutarchus de pietate ergà fratres, *feli officij specie, ex ipsa, morbo conflictata, quî valeret, roganti? rectè inquit, si tu hinc facessas.* Sic Christianus, putet secum tunc bene agi, dum quàm potest fieri maximè, remotus est à familiaritate accipitris infernalis.

Gallina fugit accipitris vmbrā, sic Christianus fugiat omnē peccati occasionem.

PLVTARC.

2. Vulpes etiam, maximè gallinis insidiatur; nam vt scribit Maiolus in diebus canicul. titulo, *quadrupedes*, vt pullos gallinarum voret, mortuam se fingit, linguâ exertâ, ad eam accedentes propiùs pulli, rapiuntur: qua arte in campis quoque vtitur auibus decipiendis. Sic etiam vulpes ille infernalis diabolus, mortuum se fingit, simulat animam omnibus superiorem esse tentationibus, neque vllatenus illi præualere posse; & hinc accidit, gallinam fieri audaciorem, nec veretur accedere propiùs ad leues aliquas peccati occasiones, & illecebras. Sed quid accidit? incautam vulpes inuadit, sicut accipitris, sic etiam huius vulpis fugienda vmbra. Gallina cùm timidissima sit, & sine audacia, si ad illius pullos accedis, statim crocitat, & te vnguibus petit: simili ratione, si accedat aduersariorum aliquis, vt tibi bonorum operum pullos eripiat, crocitare, & vnguibus petere necesses, clama instar hirundinis

Vulpes maximè gallinis insidiatur.

MAIOL.

Diabolus insidiatur, animabus.

Gallina timida, timidus sit Christianus.

ad

ad Deum, & quàm potes maximè, spiritualibus armis resiste.

Fide superamus tentationes diaboli. Fides similis gemmæ quæ dicitur Alectoria. BONAV.

3. Vt autem insidias omnes, & tentationes diaboli superemus, quanam ratione, id melius assequemur, quàm fide? *Fides*, ait D. Bonau. ser. 18. de sanctis in cõmuni. *assimilatur cuidam gemmæ, quæ dicitur Alectoria, quæ in ventriculo gallinaceorũ inuenitur, cuius maxima magnitudo est, ad quantitatem fabæ, cuius (secundum magistros) virtus est, hominem in certamine insuperabilem reddere; facit enim hominem constantem, & in bello victorem. Quid enim fortius, quàm mundum contemnere? Sed mundum fides contemnit, Genes. 15. sicut legitur de Abraham ad Hebr. cap. 11. quod fide patriam dereliquit. Et ibidem de Moyse dicitur, Fide Moyses se negauit filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis vitæ habere iucunditatem. Item, quid fortius diabolo? Non enim potestas super terram, quæ possit ei comparari: & tamen fide vincitur secundum illud Petri: Aduersarius vester diabolus tamquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; cui resistite fortes in fide. Et quantum ad hoc, fides est similis cuidam gemmæ, Chrysolithus appellatæ, quæ lucet vt aurum, & ad modum ignis scintillas emittit. Quæ gemma in auro posita, & in sinistro latere portata (vt aiunt) est dæmonum fugatiua, & omnis timoris nocturni expulsiua: sic fides verè tota est aurea, & ad modum ignis inflammatiua, & ideo portata, & omnibus sinistris rebus opposita; dæmonum omnium, ac periculorum est repulsiua. Item quid fortius, quàm subiugare seipsum? Sed nónne hoc facit fides? Nónne sancti, sicut dicitur ad Hebræos, in fide non solùm obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum; sed etiã alij extenti sunt, non suscipientes redemptionem; alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij occisi sunt, & cætera quæ ibi sequuntur? Nobilissima virtus, & amplexanda totis visceribus, aut affectibus, quæ sic intellectum illuminat, sic animam purgat, sic etiam affectum fortificat; dum mundum contemnit, diabolo resistit, & seipsum deuincit.* Hæc D. Bonau. Conemur ergo gallinaceorum more in mentis ventriculo gemmam hanc Alectoriam habere, vt omnibus inimici viriliter resistamus tentationibus.

Debet Christianus curare vt hanc gemmam in mentis ventriculo teneat, vt sic omnes superet tentationes.

Gallina humilis, humilem se exhibeat Christianus.

§. II.

Gallina humilis, sit etiam Christianus. PLINIVS.

4. SEcundò, gallinæ imitemur humilitatem, superbiam verò gallorum detestemur. Plinius lib. 2. Nat. histor. c. 21. sic de natura huius animantis philosophatur: *Proximè*, ait, *gloriã sentiunt, & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; somno natura genuit: Norunt sydera, & ternas distinguunt horas, interdiu, cantu. Cum sole eunt cubitũ, quartaq; castrensi vigilia ad curas, laboremq; reuocant. Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq; venientem nuntiant cantu, ipsum verò cantum plausu laterũ, imperitant suo generi, & regnum, in quacunque sunt domo, exercent. Dimicatione paritur hoc quoque inter ipsos, velut ideo tela agnata cruribus suis, intelligentes: nec finis sæpe commorientibus. Quod si palma contingit in victoria canunt, seq; ipsi principes testantur. Victus occultatur silens, ægreq; seruitium patitur. Et plebs tamen æquè superba graditur ardua ceruice, cristis celsa, cælumq; sola volucrum aspicit crebro; in sublime quoque caudam falcatam erigens. Itaque terrori sunt etiam leonibus, generosissimis ferarum.* Elianus verò lib. 4. de animalib. c. 29. ita inquit: *Matrice gallina extincta, is ipse incubat, & pullos ex ouis excludit: ac tum (res admiratione digna) silentio vtitur, quod sanè sibi conscius sit, se muliebre munus obire, & parum viriliter facere. Quod si cum altero pugnans vincatur, idcircò non canit, quod ex illa mala pugna spiritus fracti, illi vocem supprimant. Cum offensionis verecũdia confusus, in primam quamq; latebram sese occultat. At si ex certamine victoriam reportarit, tum oculorum eminentia, tum ceruice erecta simul, & cantus contentione insolenter effertur, & triumphanti similis est. Illud item in eo mirificum, cùm limen intrat, tametsi superum altissimum existit, is tamen sese inclinat: quod quidem ipsum superbiã inductus facere videtur, ne videlicet crista vspiam offendatur.* Ita illi. Non ergo illorum superbiam, contentionem de imperio, animosi atem & cantum, sed gallinæ imitemur humilitatem, mansuetudinem, taciturnitatem, & silentium.

Galli superbia.

5. In sterquilinio inuenit gallina selecta grana: nos quoque gallinarum more in sterquilinio, siue in fimo humilitatis & paupertatis, quæramus selectissima diuinarum gratiarum grana. Quærit gallina grana, reiectis & relictis paleis: sic in sterquilinio humilitatis & paupertatis, reiectis leuissimis paleis, humanæ laudis, atque inanis gloriolæ, nihil quæramus, nisi granum illud frumenti verissimum, quod solum potest exsaturare animas nostras, Christum videlicet redemptorem nostrũ. Etiamsi gallinæ, dum terram vnguibus fodit & scalpit, occurrant gemmæ & margaritæ, siue lapides pretiosi, illis neglectis, sola ambit grana & vermiculos: Sic nos, præ Christo, grano ac vermiculo verè cælesti, cætera omnia, licet splendidissima, arbitremur vt stercora. O si huius grani atque vermiculi sciremus substãtiam & dignitatem, in comparatione illius, omnes mundiales thesauri essent nobis quasi arena exigua, & quasi lutum pedibus conculcandum.

In sterquilinio inuenit gallina selecta grana, Christianus in in fimo humilitatis quærat selecta gratiarum dona.

Gallina delectatur vermiculis, delectetur Christianus vermiculo cælesti, qui Christus est.

Plinius

Plinius. Gallina auro inimica, sit etiam Christianus.

Plinius lib. 29. Affirmat: *Si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, consumunt illud in se, ita vt dici possit auri venenum gallinas esse.* Sic veri Christiani est aurum consumere, & illud pauperibus elargiri & in vsus miserorum expendere, cæterum post illud non abire, nec pecuniæ thesauris sperare.

Cinere & stercore delectatur gallina, puluere concipit. Clem.

6. Cinere & stercore fouetur & delectatur gallina; puluere eas concipere affirmat D. Clemens lib. 8. recognit. do illius verba: *Animalia*, ait, *per progeniem reparantur: & mira quadam dispensatione prouidentiæ, nascituro pecori lac præparatur in vberibus, ac statim vt natum fuerit, nullo docente scit vbi alimoniæ suæ horrea requirat. Gignuntur autem non solùm mares, sed & fœminæ, vt ex vtroque possit rursus constare posteritas. Sed ne, vt putant homines, viderentur, hæc natura quodam ordine, & non dispensatione fieri conditoris, pauca quadam ad iudicium & documentum prouidentiæ suæ, mutato ordine, genus seruare iussit in terris; verbi gratiâ, vt per os conciperet coruus, & per aurem mustela generaret; vt aues nonnullæ, sicut gallinæ, interdum oua vel vento, vel puluere concepta, parerẽt: alia quædam animalia marem vicibus alternis in fœminam verterent, & sexum per annos singulos commutarent, vt lepores, & hyæna, quas belluas, vocant. Alia etiam ex terra orirentur, atque inde sumerent carnem, vt talpæ; alia ex cinere, vt viperæ; alia ex putrefactis carnibus, vt vespæ quidem equinis; apes autẽ bubulis; alia ex fimo boum, vt scarabei: alia ex herbis, vt de ocimo scorpius; & rursus herbæ ex animalibus, vt ex cornu cerui, vel capræ, apij & asparagi.* Sic ille. Vincẽtius Burgund. loc. cit. ex Palladio docet, in gallinarum educatione fimo & puluere vtendum esse ac cinere, præcipuè quæ nigri & flaui coloris sunt. Affirmat etiam eodem loco c. 85. Quòd in Ægypto homines oua stercore inuoluunt, & sabulo cooperiunt; sicque debito tempore, sine fotura gallinæ complentur, & eis extractis, testæ finduntur, & pulli prodeunt. Quid puluis ac cinis, quàm symbolum abiectionis, humilitatis, ac pœnitentiæ? Hisce delectari debet Christianus. Similis sit gallinæ, non gallo, non falconi, si puluis & cinis hic aliquando displiceat, exitum consideret, & finem perpendat falconis, atque gallinæ.

Vicent. Burgundus.

Cinere humilitatis, pœnitentiæ &c. debet delectari Christianus.

Nobiles falconi, humiles gallinæ comparantur, quorum sors vt est diuersa in vita: ita etiam est in morte. Holcot.

7. Holcot, in Sapientiæ cap. 5. Lect. 65. Comparationem faciens inter nobiles deprauatos, & ignobiliter viuentes; & inter simplicem & humilem Christianum, illos falconi, hunc gallinę comparat: Portantur isti, inquit, super pugnum diaboli, quia constituũtur in officiis iniustè, vnde locus, status & gradus quem habent est per manũ diaboli: caueant sibi tamen, quia in duplici periculo sunt; quia habẽt oculos coopertos quodam velamine, ne circa se considerent; & habent pedes illaqueatos, quodã ligamine, ne à Domino suo auolent, nisi quando placeat Domino, pro solatio & lucro suo. Ita est de istis nobilibus; sedẽt super pugnũ diaboli, in magna reuerentia & dignitate; sunt tamen excæcati ad omne illud, quod ad veram perpetuã fœlicitatem pertinet, quæ non habetur in vita ista. 2. Cor. 4. *Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium.* Quando tamen placet diabolo quod isti venẽtur ista mundana, deponit coopertionem eorũ, vt videant prędam suam, & permittit eos quasi liberos ad tempus, & statim reclamat ad eos, quia sunt ita assuefacti ad manum suam, quòd nolunt auolare. Sed quid de eis accidet finaliter? Reuera iuxta antiquum exemplum: falco & gallina habent fata contraria. Nam falco dum viuit, & potest volare, ponitur super perticam in aula reuerenter, & habet vestes sub pedibus, ne lædat vngues. Gallina fugatur ab aula, viuit in curia, sculpit in terra, & colligit grana, quę potest, sed in morte mutatur hæc fortuna: quia falco mortuus, eiicitur de aula, & proiicitur ad fimarium: gallina inter scutellas argenteas affertur ad mensam, & ponitur ante Dominum; ita erit de diuite prædone, & paupere iusto. Lucæ 16. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur in sinum Abrahæ. Mortuus autem est diues, & sepultus est in inferno.* Et hoc est quod de eis prophetat Baruch 3. *Vbi sunt Principes gentium, qui dominãtur super bestias, quæ sunt super terram,* Id est, super pauperes, qui non reputantur ab eis nisi bestiæ: *Qui in auibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidũt homines, & non est finis acquisitionis eorum.* Et statim respondet v. 19. *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij in loco eorum surrexerunt.* Hæc Holcot.

8. Caueant sibi Christiani, qui gallinæ similitudinem ęmulantur, à dignitatibus, à prælaturis. Maiol. in dieb. Canicular. colloq. 20. de herbis: *Inest*, ait, *quoque fabæ suum malum, quod miremur: siliquæ enim fabarum; si ad radices arborum ponantur, quæ nuper sunt plantatæ (vt Theoph. l. de causis naturalibus scripsit) plantæ ipsæ exsiccantur: quin etiam gallinæ domesticæ, quæ eis assiduè vescuntur, efficiuntur steriles, quod etiam mulieribus accidere tradidit Clemens Alexand. strom. lib. 3.* O quàm sterilescunt in bonis operibus, & virtutibus, atque moribus, qui fabas edunt: sunt enim fabæ symbola dignitatum; sicut illæ sunt ventosæ & inflatiuæ, ita & dignitates: Et quondam aliquis, dum admoneret homines, à dignitatibus vt abstinerẽt, quæ, fabis missis in vrnam, conferebantur, dicebat: *A fabis abstineto. Quæ in aqua supernatãtia,* ait Berchor. loco citat. *nil valent ad fœtificãdum, sed illa quæ in fundum descendunt.* Sic illi, qui sursum in superficie, per superbiam remanent, ad producendum pullos bonorum operum non sunt apti, sed solùm illi, qui inferiùs ad fundum per humilitatem descendunt. Isa. 48. *Descende sed in puluere, &c.* Apologum habet, gallinæ per terram, licet alatæ, deambulantis, & inoffenso pede gradientis, & struthionis, cordis vigore præsumptuoso, in altum sese vibrantis, ac pondere

Fabæ nocent gallinis: ita dignitates Christianis. Maiol.

Clemens.

Berchorius.

dere suo corruentis, ac totum se confringentis D. Cyrillus lib. 3. Apolog. moral. cap. 4.

Gallinarum cantus, mali ominis ita etiā Christianorum.

9. Caueant etiam sibi à cantu, & gaudio mundanæ lætitiæ. *Gallinarum cantus nunquam exauditi, nisi quando dirum aliquid immineret,* ait Maiolus loco cit. colloq. de vaticinijs. Cùm video humilem Christianum, qui antè puluere & cinere delectabatur, delectari cantu, & huius sæculi gaudio atque lætitiâ, scias dirum aliquid illi imminere, nec procul esse à morte funesta peccati; boni ominis tamen cantus est gallinæ, qui post partum fit, & postquam in ouando multum laborauit; sic vnicus ille cantus, ac vnica lætitia Christiani, quæ boni ominis est, illa nimirum est, dum gaudet & cantat, ob labores sibi à Deo immissos, & ob partum illum salutarem, de quo Isaias cap. 26. *A facie tua Domine, concepimus, & quasi parturimus spiritum salutis.*

Gallina nō videt acuto visu, similiter in aliorum vitijs non cernat acutè Christianus. VINCEN. BVRG.

In eoque gallina humilitatis præ se fert symbolum, quod non videat acuto visu, sicut nec aliæ aues, in terra manentes, & non volantes, prout ex Aristotele docet Vincentius Burg. loco cit. c. 82. Sic humilis, quia totus est in aspicienda & contemplanda terra propriæ infirmitatis, in aliorum vita, ac vitijs non cernit acutum.

Gallina mansueta, mā-suetus sit Christia-nus.

§. III.

Christianus gallinæ mansuetudinem imitetur.

10. EST etiam gallina mansuetudinis symbolum, & animi ab omni vindictæ specie alieni: nam quotidie rapiuntur oua, nec propter hoc oua proferre desistūt; quinetiam postquam in abscondito posuerunt, clamando raptoribus produnt: è contra gallus symbolum est hominis in contentionibus maximè contumacis, & animi valdè pugnacis, vnde de gallinaceis affirmat Philo lib. *Quod omnis probus liber. Certè gallinacei, tam audacter certare solent, vt non animositate vincantur, sed viribus, quod intelligens Miltiades Imperator Atheniensium, quando Rex Persarum excito Asiæ robore, tam multa millia traiecit in Europam, quasi ad primum clamorem oppressurus Græciam, conuocatus in Panathenaicum conuentum socijs, pugnantes ostendit has alites, ratus hoc spectaculum maiorem vim habiturum, ad permouendos, quàm orationem, nec eum fefellit sua opinio, spectata enim in brutis patientia, pertinaciq; contentione, vsque ad necem pugnantibus, inuicto pectore, correptis armis, eam expeditionem susceperunt, quasi debellaturi cum ingenti strage hostium, contemptis mortibus & vulneribus, vt saltem insepelirentur libero solo patriæ. Nihil enim æquè ad rem grauiter gerendam excitat, ac deteriorum victoria maior quàm sperari poterat; caeterùm solemnis gallorum gallinaceorum certaminis etiam Ion Poëta Tragicus meminit his versibus.*

PHILO. Fugiat animositatē gallorum.

Nec iam corpore, vtroque & ocello
Ictibus obtuso ille fatiscit,
Robore sed labente gemiscit,
Et viuus seruire recusat. Hactenus Philo.

In quō sita gallinæ mansuetudo.

Non sic gallina, pollet mansuetudine; nam licet Domina ab illa oua tollat, & surripiat, non domicilium mutat, non fugam captat, imò molestiæ illatæ omnino oblita, iterum, atque iterum noua ponit oua. Hāc mansuetudinem imitari debent Christiani, nam eam illis quoque Christus commendat, dum ait Matth. 10. *Estote simplices sicut columbæ.* Hæc simplicitas intelligi potest, Euthymio & Theophylacto testibus, quod quamuis sæpius Dominus ab ea pullos surripiat, nec columbario eius aufugiat, nec domicilij nidum mutat, imò molestiæ illatæ omnino oblita, iterum atque iterum nouos suo Domino progenerat filios. Hanc simplicitatem imitari debent Christiani, hanc solo lumine naturæ, rationi consentaneam, adeò iudicauit Alexander, Plutarcho id referente, vt subditum quemdam perperam de eo loquentem, multis muneribus cumularet, quibus gratiam eius adeò conciliauit, vt qui antea eius fuerat obtrectator, postea in laudem eius fieret orator. Vnde Alexander id ignoscens, dicebat: *Hæc est gloria Alexandri, inimicos reddere amicos.* Idem Plutarch. in Apopthg. refert, quòd cùm quidam iuuenis irâ percitus, contra Lycurgum, ei oculum erueret, Senatus Lycurgo eum tradidit, vt ex propria sententia, & ad libitum, illatæ iniuriæ iustam de illo vindictam sumeret. At ipse in domum suam illum recipiens, aluit, bonis moribus imbuit, & postea in virum alterum mutatum, ad Senatum illum remisit, certiorem eum faciens, non aliam, quàm illam ab inimico desiderasse vindictam. Vnde in prouerbium abijt: *Vindicta Lycurgi.* Hęc gentilium hominum mansuetudo, & iniuriarum obliuio, apertè condemnat efferatos quosdam Christianorum hominum animos, inimici vindictam adeò sitientes, vt tenaciùs quàm lupus in ouem inimicitias conseruent. Refert Alciatus in suis Emblematibus, inter hæc duo animalia diuturnam ac perseuerantem adeò inimicitiam esse, vt etiam ipsis pereuntibus, ipsa non pereat, vt experientia compertum est. Nam insonante tympano ex lupi pelle confecto, reliqua ex ouina pelle contexta, raucescunt, & quasi sonitu priuantur.

Simplicitas columbæ imitanda à Christianis.

PLVTARC.

Quàm aliqui contra inimicos acerbi & exulcerati.

Cætera mutescunt, coriumq; silebit ouilum
Si confecta lupi, tympana pelle sonent.

11. Huius efferæ antipatiæ, heu, plures video inter nos participes, qui ad vocem inimicum laudantis, obmutescunt, imò, eò processit non semel inter hostes exorta inimicitia, quò inter lupum & ouem odium nūquam pertingit. Nam vt refert Sabellicus,

bellicus, cum Polynices & Eteocles se mutuo pugione confodissent, & in ardentem rogum postea coniecti fuissent, pristinæ inimicitiæ tenaces adeò extiterunt, vt flammæ, quibus eorum corpora comburebantur, ad inuicem diuisæ cernerentur, quasi odio, vnionem, symbolum amicitiæ habentes. S. Paulus tanquam veteranæ militię Christianus miles, Polynicis & Eteoclis æmulatoribus, vt de inimico triumphent, hoc præsentissimum exhibet remedium Rom. 12. *Vince in bono malum: si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Liranus explicans hunc locum, ait: *Congeres occasiones accendendi ignem dilectionis in eo.* Et additio ad Glossam eiusdem Lirani: *induces*, inquit, *ad pœnitentiam de malo, quod tibi facit, aut facere tentauit.* Vtraque expositio ad eundem tendit scopum, & ex fictione Plutarchi in Apoptheg. nonnihil videtur illustrari posse, ait enim, inter solem & ventum aquilonem, ortam fuisse contentionem, quis priùs altero, viatorem vestibus expoliare posset: cœpit ventus Aquilo pedestrem viatorem vehementer impetere, vt ferè galerus è capite, & pallium ex humeris decideret, quantò tamē ipse acriùs flabat, tantò viator diligentiùs galerum capiti, & pallium scapulis aptabat, & tenaciùs illud apprehendebat; vnde non ventus Aquilo de viatore, sed viator de Aquilone victor euasit. Sol autem potentiam suam ostentans, cœpit ardentes suos radios viatori immittere, quibus adeò incalescere cœpit, vt ad deponendum pallium cogeretur; deinde inualescente Solis ardore, & illum acriùs vexante, exteriori tunicâ, & thorace se expoliauit, atque hoc modo Phœbus de Aquilone victoriam reportauit. Narratio hæc tametsi mera fabula sit, Paulinæ doctrinæ veritatem confirmat, dum docet inimicum, non iræ, & vindictæ Aquilone flante, non iniurijs, & contumeliosis verbis, sed beneficiorum calore illum fouente, facilè vinci atque superari.

Beneficiorū igne facillimè superatur inimicus.

LIRAN.

23. Verum quidem est, quòd hęc omnia videantur infirmitatis esse, sed talis sunt infirmitatis, quæ omnem superat fortitudinem: gallina quidem symbolum est infirmitatis, leonis tamen præ se fert fortitudinem, in defendendis pullis, contra miluorum, & rapacium auium, & aliorum animalium incursum. *Et pennâ, & voce* tuetur. Tales decet omnes esse Christianos, infirmos quidem, si scientiam sæcularem, ac carnis sapientiam spectes, si huius sæculi fastum, si diuitiarum copiam, si iactantiam, si vindictæ cupiditatem attendas. Talis pullus gallinaceus Paulus, qui de se, & alijs dicebat Apostolis 1. Corinth. 4. *Nos infirmi, vos autem fortes; nos ignobiles, vos autem nobiles: vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & colaphis cedimur, & instabiles sumus,* &c. Si verò agatur de anima aduersus dæmones tuenda; si agatur de conseruandis pullis bonorum operum, quibus nos mundus, & caro priuare conantur, assumenda pellis & fortitudo leonis, cristæ erigendæ: quando agitur de asserendâ fide, & gloria Christi in discrimen vocatur. Sic cristas erigebat S. Stephanus; *Vos autem*, ait, *incircumcisis cordibus & auribus, Spiritui sancto resistitis*, &c. Cæterùm quàm infirmus, & alienus à vindicta, dum rogat pro lapidantibus, dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

Gallina symbolum infirmitatis sed leonis etiam præ se fert fortitudinē, ita mansuetus verè fortis.

Gallina insigniter tuetur pullos, sic tueatur animam Christianus.

Gallina charitatiua, sit & Christianus.

§. IV.

1. EST etiam gallina symbolum veræ charitatis: non contenta est hæc auis in eo, quòd pullis egentibus succurrat, sed nihil se fecisse putat, nisi eorum etiam infirmitates in se sumat, dum tota infirmatur, & fit hispida. Et quidem ille perfectæ charitatis culmen attingit erga fratres suos infirmantes, qui ita illis subuenit, vt etiam in se eorum infirmitatis notam exprimat. Ecclesiastes cap. 11. monebat: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas.* Non solùm petit, vt mittas panem tuum ad pauperes, sed quod mittas illum super transeuntes aquas. Sed scire cupis, quomodo mittas panem super transeūtes aquas? Rem explicat Catena Græca, legens: *Cum sympathia & lachrymis fac eleemosynam omni transeunti.* Inter quos sympathia, eisdem mouentur affectibus, eisdem afficiuntur pulsibus. Cùm ergo ad eleemosynam largiendam accedis, fac accedas cum sympathiâ, vt quas educit lachrymas in paupere indigentia, eas in te compassio & condolentia educat. Cùm infirmitati subuenis, subueni etiam cum sympathia, vt quos in illo efficit morbus dolores in te eosdem compassio efficiat. Notissima fuerunt apud antiquos lactarij montis gramina, quibus pastæ vaccæ, eo abundabant lacte, quo penè exhausta corpora hominum infirmorum, & pinguedinem simul ebibebant & salutem. Sed illud mirabile, quòd vaccæ ipsæ dum sic homines implebant pinguedine, ipsæ exiles erant, & penè excarnes, videbantur ossea moles, sola pelle circumamictæ. De quo pulchrè Cassiodorus libro 11. variar. 10. ait: *Hæc itaque armenta, in tam abundanti pabulo exhausta videre, miraculum est, vt humor ille lacteus, non præstet origini suæ, qui corpora mortalium probatur læsa reficere, miroque modo herbis animalia non proficiunt, vnde hominum membra pinguescunt. Exiles per dumeta discurrunt montium, tenues videntur, & instar eius, cui medentur, sustinent passiones.* Sic natura suos

Charitatem gallinæ imitetur Christianus.

Infirmatur cum pullis gallina: Infirmetur Christianus cum proximis.

Cum sympathia facienda eleemosyna, & subueniendum proximo.

Infirmitates in nobis exprimere debemus, quas in proximis curare volumus ad imitationē vaccarū pascentium in monte lactario.

CASSIOD.

suos medicos effinxit, vt, quæ exhaustis, exilibusque hominibus curandis, nutriebantur armenta, etiam inter pinguissimas herbas, ipsa apparerent exhausta & exilia. Accedebat pecus ad curanda exilia & exhausta hominis infirmi membra, & accedebat cum sympathia, instar eius, cui medebatur, maciem in se præmittens: vt discant inde homines infirmitates in se exprimere, quas in fratribus curare desiderant. Exodi cap. 4. proponitur Moyses à Deo vocatus in salutem populi sui, & post aliqua dicitur: *Dixitque Dominus rursus; Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Deus bone, cur leprâ afficitur is, qui in salutem populi Israelitici eligitur? De leprosis laturus erat Moyses leges, taxans eorum immunditiem, eorumque sanitati etiam prospiciens, ideo voluit Deus, vt priùs ipse in se etiam maciem lepræ præmitteret. Ait Theodor. in catena Græca: *Quia legem de leprosis positurus erat, eosque immundos appellaturus, legislatoris manus leprosam reddidit.* Nullus perfectiùs infirmanti subuenit, quàm qui cum sympathia subuenit, illius in se præostendens dolores & miserias. Hinc suam artem in sanandis proximis ostendit Paulus 1. Corinth. 9. *Et factus sum Iudæis, tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem; cùm ipse non essem sub lege, vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem: his qui sine lege erant, tamquam sine lege essem,* &c. Vide cum quanta sympathia accedebat Paulus, in se depingens omnes infirmantium morbos, pro similitudine absque peccato. Id quod expendens Diuus Anselmus ait; *Factus sum Iudæis tamquam Iudæus; id est, ita compassus sum eorum cæcitati & miseriæ, ac si Iudæus essem, & in eadem cæcitate & miseria cum eis detinerer.* Tanta cum sympathia curabat omnes, vt eisdem infirmitatum doloribus videretur tangi.

Moses leprâ affectus, quia de lepra leges erat laturus.

THEOD.

ANSELM.

2. Neque sufficit vt alijs subueniamus, & quidem cum compassione subueniamus, sed vt veræ charitatis signa demonstremus, debet id fieri, si opus sit, etiam cum proprio nostro incommodo, & detrimento, licet grauiori, prout exemplar in gallina habemus, quæ præ nimio in pullos affectu, & subueniendi cura, infirmatur, extenuatur, & proprio priuatur natiuo succo, carnemque consumit propriam, vt pullos foueat, & pinguescere faciat.

Exemplo gallinæ proximo subuenire debemus non solùm illi compatiendo, sed etiam cum nostro incommodo illum iuuando.

3. Talis charitas Christi, qui pro nobis maledictum fieri voluit. Talis charitas Ecclesiæ. Vnde Zacharias Episcopus Chrysopolitanus in vnum ex quatuor, lib. 3. cap. 142. exponens hæc verba. *Quoties* &c. de Ecclesia sic ait: *Amplius, gallinam assimilat Ecclesiæ: sicut enim pulli gallinarum pastum suum sequentes, per diuersa vagantur, & maternis vocibus congregantur: sic & populus Dei carnalem voluptatem, & mundialem concupiscentiam sequens, vagatur ab Ecclesia matre, & per Sacerdotes, modò increpationibus, modò blandimentis congregatur, & lactatur. Et quemadmodum gallina, non solùm suos pullos calefacit, sed etiam cuiuscumque volatilis, exclusos à se, diligit quasi suos. Ita Ecclesia, non solùm suos studet fouere, sed siue Gentiles, siue Iudæi fuerint illi impositi, omnes fidei suæ calore viuificat, & in baptismo generat, & in sermone nutricat, & maternâ diligit charitate. Hæc quæ de Iudæis dicuntur, etiam hæreticis coaptantur. Quoties enim leguntur in Ecclesijs verba Prophetarum, & Apostolorum, Prophetæ, & Apostoli missi loquuntur ad nos. Quos omnes hæretici, dum negligunt, & malè interpretantur, quasi occidunt & lapidant eos. Qui hæretici, quoties mouetur certamen inter fideles & eos, & Dominus vult congregare illos sub veritate pennarum suarum, id est, duorum testamentorum, non quasi domestici pulli, sed quasi syluestris & sanguinarij vulturis & accipitris, non solùm ad veritatem venire nolunt, sed etiam irruunt super gallinam, id est, Ecclesiam, & dispergunt pullos eius.* Hæc ille. Sic etiam charitas nostra, vt perfecta sit, extendat sese necesse est etiam ad alienos & inimicos.

Ad imitationem gallinæ diligit Ecclesia etiã sibi maximè aduersantes.

ZACHAR.

4. Talis erat charitas Moysis, volentis deleri de libro vitæ, nisi Deus peccata dimitteret populo ingrato, & sibi maximè rebelli. Exod. 32. *Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam; aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Præclarè Diuus Bernardus serm. 12. in Cant. qui est de pretioso vnguento pietatis: *Quid*, inquit, *de Moyse dicam, quanto adipe & pinguedine, & ipse repleuerat viscera sua? nec domus illa exasperans, in qua pro tempore versabatur, potuit vmquam in omni murmure & furore suo vnctionem Spiritus, qua semel imbutus fuerat, exterminare, quominus inter assiduas lites, & quotidiana iurgia, ipse in sua mansuetudine perduraret. Meritò testatus est Spiritus sanctus, de eo quòd esset mitissimus omnium hominum, qui morabantur super terram. Siquidem cum his qui oderunt pacem, erat pacificus, in tantum, vt populo ingrato & rebelli non modò non irasceretur, sed & irascentem Deum suo interuentu leniret, sicut scriptum est: Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram suam, ne disperderet eos. Denique si dimittis, ait, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo, quem scripsisti,* &c. Sic Bernardus. Vide infrà enarr. 4. sect. 3. §. 4. num. 4. 5. 6.

Talis erat charitas Moysis.

BERNAR.

Num. 12.

Psalm. 105.

5. Ponderans verò hunc affectum charitatis in Moyse loco cit. sic exclamat. *O verè hominem vnctum vnctione misericordiæ! Loquitur planè parentis affectu, quem nulla possit delectare fælicitas, exorbitus quos parturiit.* Tum egregia similitudine, quod dicit illustrat: *Verbi gratiâ*, inquit, *si diues quisquam mulieri pauperculæ dicat: Ingredere tu ad prandium meum, sed quem gestas infantulum relinque foris,*

Quantus affectus Moysis in Israelitas volentis deleri è libro vitæ vt illi saluentur.

BERNAR.

foras, quoniam plorat, & molestus est nobis. Nunquid faciet, nónne magis eliget ieiunare, quàm exposito pignore charo, sibi prandere cum diuite? Ita nec Moysi placet, solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet remanente populo: dolet viscera, sed tolerabiliorem, sibi indicat torsionem, quàm euulsionem: Sic ille. Qualiter amor noster debeat esse gallinaceus, id est, amor amicitiæ, non caninus, non asininus, id est, amor concupiscentiæ, vide apud Iudocum à Castro parte Æstiu. Dom. XII. post Pentec. conc. 1. §. 3.

6. Talis charitas D. Pauli erga Iudæos, dum vult Roman. 9. fieri anathema à Christo pro fratribus. De quo vide Cornelium in eundem locum.

De quibusdam alijs laudatis gallinæ cõditionibus.

SECTIO XVIII.

Gallina auro instar veneni, auersetur etiam aurum Christianus.

1. PRima est, membra gallinæ si immixta fuerint auro, dicuntur illud consumere: itaque quidam dixere, gallinas auro, instar veneni esse; Similiter cauere debet Christianus, ne auro prauo affectu adhæreat, ne, cum mundi huius bonis amicitiam ineat, absit, vt illis prauo & inordinato appetitu & affectu inhæreat, sed potiùs easdem honestè & piè expendat atque consumat. Nam vt ait Laurentius Iustianus libro de discipl. & perfect. monast. conuers. cap. 4. *Quis etenim enumerare sufficit, quanta exuberent peccata ex inordinato amore temporalium facultatum? Ex ipso namque odia, nedum inter extraneos, sed etiam inter propinquos generantur & affines. Nam quos vno amoris vinculo natura copulauit, hos cupiditas, & habendi amor ab inuicem segregauit, & fecit alienos. Hinc lites, iurgia, rixæ, furta, homicidia, rapinæ prodeunt. Hic affectus prauis animum machinationibus replet, & qualiter proximum fraudare valeat, consilia adinuenit. Hic humanitatis officium, & pietatis extinguit, & proximo misereri nullatenus permittit. Ignorat hic perniciosus affectus fratrem diligere; nescit aliena damna, quia proprio & singulari gratulatur bono. Hic præsentia amat, temporalia cumulat, spiritualia negligit, quia nec credit promissa, neque sperat futura: & cùm totus se spargat in imis, nil potest amare de summis.* Et cætera quæ ibidem prosequitur.

LAVREN. IVSTIN.

Gallina emundat se cinere & puluere. Puluere sepulchrali debet se emundare Christianus.

2. Secunda est; Gallina emundat se cinere & puluere. Vnde Columella lib. 8. c. 4. vult eo loco paratum esse puluerem & cinerem, quo nutriuntur aues, nimirum vt hisce se emundent: *Siccus*, inquit, *puluis & cinis, vbicumque cortem porticus, vel tectum protegit, iuxta parietes reponendus est, vt sit quo aues se perfundant. Nam his rebus plumas, pennasque emundant, si modò credimus Ephesio Heraclito, qui ait: Sues cœno, cortales aues puluere, vel cinere lauari*, &c. Eadem ratione & via debet se etiam emundare Christianus, puluere nimirum sepulchrali; hoc puluere nitidissimè lauantur à maculis homines, & super niuem dealbantur.

COLVM.

3. Tertia est, gallina maximè fœcunda. De illius fœcunditate sic Plinius lib. 10. c. 53. *Est autem tanta fœcunditas, vt aliquæ & sexaginta pariant, aliquæ quotidie, aliquæ bis die, aliquæ in tantum vt effetæ moriantur.* Et paulò pòst: *Quædam gallinæ omnia gemina oua pariunt, & geminos interdum excludunt, vt Cornelius Celsus autor est, alterum maiorem.* Similiter decet Christianos esse fœcundos, in bonis operibus & virtutibus. Licet autem non oua pariant absque interni doloris sensu, de illis sic scribente Columella lib. 8. cap. 5. *Parituras se gallinæ testantur crebris singultibus.* Nihilominus illo neglecto, adhibita sibi non leui violentia, illa pariunt. Similem se exhibeat Christianus, quamuis bonorum operum fœtus non possit parere absque magna naturæ repugnantia; nihilominus sibi vim inferre debet, & conari, ne postquam ad partum vsque venerũt bonorum operum oua, ipsi desit pariendi virtus: sicut autem gallina ouo parto gracillare, & cantando perstrepere solet, ita & Christianus, peracto bonorum operum difficili partu, non leuem habet lætandi, & Deum magnificandi materiam, dum spiritum, & opus salutis, quod à facie Domini concepit, post difficilem parturitionem, peperit. Caueant tamen Christiani, ne in hoc gallinam imitentur, quod sicut illa gracillat, etiam positis ouis subuentaneis, ita & ipsi gaudeãt ob oua subuentanea: subuentanea dixerim oua, omnia huius sæculi bona, diuitias, honores, gradus, voluptates, &c. Hactenus de præclaris & laudatis gallinæ conditionibus; restat expendendum: qualiter quilibet Christianus debeat pulli referre similitudinem.

Gallina maximè fœcunda, similem se exhibeat Christianus.

PLINIVS.

Postremò, vt gallina oua quæ genuit, magnâ curâ fouet, nec patitur ea refrigerari; sic Christianus quod concepit Verbum Dei, & in cordis sinu positum habet, cauere debet, ne frigore congelescat, vt docet D. Augustin. serm. 218. de temp. exemplo columbæ & turturis, quamuis & gallinæ id etiam maximè proprium sit, do illius verba: *Rogo vos*, ait, *charissimi, vt secundùm consuetudinem fidelium, cum silentio & quiete, ea quæ vobis prædicantur, accipiatis. Animus enim noster quando, donante Deo, aliquid potuerit de lectione sanctarum Scripturarum concipere, spiritualem nidum in cordibus vestris desiderat inuenire. Et ideo velut castissimi turtures diuina verba S. spiritus feruore in nidum cordis vestri fouere contendite, ne permittatis vt in vobis semen verbi Dei, peccatorum frigore congelescat, propter illud quod scriptum est; abundauit iniquitas, refrigescit charitas. Estote magis sicut dicit Apostolus, Spiritu feruentes. Quomodo enim columbæ,*

Gallina magnâ curâ fouet ouũ Christianus magnâ curâ, foueat verbum Dei.

AVGVST.

vel

vel turtures, postquam genuerint oua, si illa permiserint refrigerari, perdent fructum illorum: ita & vos, si conceptum verbum Dei per obliuionem refrigerari permittitis, desiderabilem fructum habere non potestis. Præstate in vobis nidum sermonibus sanctis, secundum quod scriptum est; Turtur inuenit sibi nidum, vbi reponat pullos suos, &c. Sic D. August.

Quantopere Deus delectetur hisce gallinæ conditionibus. ORIGEN.

5. Quantopere autem hisce gallinæ conditionibus delectetur Deus, si in nobis reperiantur, illud in primis indicat, quod Deus in mundatione leprosi voluit sibi offerri duas gallinas, iuxta lectionem Origen. Nam Leuit. c. 14. vbi nos legimus; *Præcipietq́; ei, qui purificatur, vt offerat duos passeres viuos*, Ipse legit: *Duas gallinas.* Quo autem fine id præceperit Deus, demonstrat, explicans tunc gallinarum harum, tum ligni Cedrini, cocci, hyssopi, & cæterorum ad emundationem leprosi pertinentium mysteria, hunc in modum: *Puto*, inquit, *quod & hic illius gallinæ intellectus latenter habeatur, per quam purificatio efficitur peccatoris, de qua scriptum est: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, sub alis suis, & noluisti. Indiget tamen vt per lignum cedrinum purificetur is, qui purificatur. Impossibile namque est, sine ligno crucis, peccati lepram posse purgari, nisi adhibeatur & lignum in quo Saluator, sicut Apostolus Paulus dicit, exuit Principatus & Potestates, triumphans eos in ligno; iungitur tamen ad emundationem lepræ huius, etiam coccum tortum, sociatur & hyssopum. Coccus tortus figuram sacri sanguinis continet, qui de eius latere per lanceæ vulnus exortus est; & hyssopum; hoc genus herbæ naturam habere, medici ferunt, vt diluat & expurget, si quæ illi pectori hominum sordes & corruptiones noxij humoris insederint. Vnde & necessariò in expurgatione peccatorũ, huiuscemodi graminis, figura suscepta est. Coccum verò quod sæpe sumptum sit ad salutis subsidia, in diuinis referri voluminibus inuenimus, sicut in partu Thamar; Cùm vnus, inquit, prior protulit manum, accipiens autem obstetrix coccum, alligauit in manu eius dicens: hic exibit prior. Sed & Raab meretrix, cùm exploratores suscepisset, & pactum ab eis salutis acciperet, & illi: pone, inquiunt, signum resticulam coccineam, & alligabis eam in fenestra ista per quam deposuisti nos,* &c. Sic Origenes. Et paulò pòst docet gallinam occidi in vase fictili, in quo vase aqua viua sit missa, *vt compleatur plenitudo mysterij in aqua & sanguine, quod dicitur exisse de latere Saluatoris.* Docent præterea Sancti Patres, & inter alios D. Augustinus & Diuus Thomas, Deum voluisse sibi offerre in sacrificijs similes aues, ijsque delectatum fuisse, quia docent nos quales esse debeamus, & docent ea quæ nobis sunt facienda.

Mystica explicatio sacrificij quo purificatur lepra.

Sicut pulli delectãtur materni corporis, alarumq; eius vmbrâ: Ita Christiani, delectari debent, Christi alarumque eius vitali vmbra.

SECTIO XIX.

1. PVlli nihil ita ambiunt, nulla re magis delectantur, nulla re magis proficiunt, quàm vmbra materni corporis, & alarum maternarum; Similiter Christianus, in eo debet referre pulli similitudinem, quod delectetur vmbrâ Christi, alarumque eius.

Pulli similitudinem debet referre Christianus.

2. Vis videre qualiter Christus meritò vmbræ comparetur? Audi Diuum August. in Psal. 67. *Constat vmbra lumine, & corpore: proinde illud, quod in principio erat Verbum, lumen illud verum, vt vmbraculum meridianum fieret nobis, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Deo scilicet homo, tanquam lumini corpus accessit: & in eum credentes vmbra protectionis operuit. Non enim de quali vmbra dicitur: Transierunt omnia tamquam vmbra; nec de quali vmbra dicit Apostolus: Nemo vos iudicet in parte diei Sabbatorum, quod est vmbra futurorum; sed de qua scriptum est: Sub vmbra alarum tuarum protege me.*

Pullus delectatur vmbrâ gallinæ, delectari debet Christianus vmbrâ Christi. Christus meritò vmbræ comparatur. AVGVST. Sap. 5. Col. 2. Psalm. 16.

3. De præclaris huius vmbræ effectibus, sic Diuus Ambrosius sermon. 19. in Psalmo 118. *Vmbra sua caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigerauit cupiditatum, quæ compescuit insolentiam vitiorum, quæ restinxit ignes libidinum, quæ auaritiæ, diuersarumq́; passionum, incendia temperauit.*

De præclaris huius vmbræ effectibus.

4. Sed quænam, inquies, huius gallinæ cælestis pennæ, siue alæ? Hugo Cardinal. explicans illa verba Malach. 4. *Et sanitas in pennis eius*, per pennas intelligit iustitiam & misericordiam, cui partim consonant quæ Christus Dominus reuelauit S. Birgittæ, his verbis: *Ego sum quasi gallina, qui currentes ad vocem meam pullos, id est, desiderantes obumbrationem alarum mearum, & potenter defendendo à diaboli laqueis, & sapienter inspirationibus meis prouoco ad salutem. Quid ergo est penna nisi misericordia mea, quam qui obtinuerit, ita securus esse potest, sicut pullus qui sub alis matris refouetur? Ergo estote sicut pulli currentes ad voluntatem meam, & in omni tentatione & contrarijs, dicite voce & operibus, fiat voluntas Dei; quia ego confidentes in me, defendo potentia mea, reficio*

Pennæ Christi, iustitia & misericordia. HVGO CARD. BIRGIT.

 mise-

misericordia mea, teneo patientia mea, visito consolatione mea, illumino sapientia, remunero in centuplum, charitate mea. Hæc ibi.

Pennæ Christi etiam eius brachia in cruce expansa.

5. Sed libet nunc, per has pennas, sanitatem deferentes, iuxta Prophetam Malachiam, intelligere brachia Christi in cruce extensa, quibus velut pennis expansis sanitatem & salutem humano generi, læthali morbo laboranti, misericorditer attulit, & de quibus rectè verificatur illud Deuteron. cap. 32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, super eos volitans, expandit alas suas* (scili-licet in cruce) *& assumpsit eum*, &c.

Sub his alis instar pulli quiescendũ Christiano per seriam considerationem.

6. Vis scire ô Christiane, quid tibi ex hisce alis boni eueniat, si sub illis, fide, spe, charitate, atque deuota meditatione requiescas? Primò, hisce alis Christi extensis, protegeris ab ira patris sui, qui brachia habet extensa atque eleuata, vt te feriat, & percutiat, ob tua demerita.

Hac ratione immunes sunt ab omni tentatione.

7. Secundò, hisce alis protegit fideles animas, quæ sub vmbra illarum, per seriam considerationem sedent, atque quiescunt, ab incursu & dæmonio meridiano, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, id est, ab omni tam aperta, quàm tecta, & latente tentatione, quâ hostis animam posset inuadere & superare. Quid vtilius nobis esse potest, quàm sub his alis Christi per meditationem quiescere, & vitam agere? ô fælicem illum, qui sub tantis alis, tenetur congregatus! O infælicem illum, qui extra illas vagatur, per caducas res dispersus? Multi nos circumuolant milui, multi tartarei accipitres, tutissimus locus, est sub alis Christi. Quemadmodum miluus aberrantem, ab alis, & matre, pullum; sic cacodæmon aberrantem à Christi alis hominem facilè capit, & superat. Ad alas ergo Christi in cruce expansas confugiamus, ne nos tartareus rapiat miluus, non clausas inueniemus, sed semper apertas.

Infælix qui extra hasce alas vagatur.

AVGVST.

8. *Quis*, ait D. Augustinus in Psalm. 62. *pertinens ad Christum, non varijs tentationibus agitatur, & quotidie cum illo agit diabolus & Angeli eius, vt peruertatur, qualibet cupiditate, qualibet suggestione, aut promissione lucri, vel terrore damni, vel promissione vitæ, vel terrore mortis, aut alicuius potentis inimicitijs? Omnibus modis instat diabolus, quemadmodum deijciat. Et in persecutionibus viuimus, & habemus perpetuos inimicos, diabolum, & Angelos eius: sed non timeamus. Sic sunt diabolus & Angeli eius, quasi milui. Sub illius gallinæ alis sumus, & non nos potest contingere, Gallina enim quæ nos protegit, fortis est. Infirma est propter nos: sed fortis est in se Dominus noster Iesus Christus, ipsa sapientia Dei.*

Diabolus miluus, Christus gallina nos protegens.

9. Vnde idem Augustinus loco citato, monet quemlibet Christianum, licet iam videatur, sibi multum in virtutibus profecisse, ne recedat ab hisce alis, vt illis semper protegatur: *Paruuli*, ait, *sumus, ergo protegat nos Deus sub vmbraculo alarum suarum. Quid maiores facti fuerimus? Bonum est nobis, vt & tunc protegat nos, vt sub illo maiore, semper nos pulli simus. Semper enim ille maior est, quantumcumque creuerimus. Nemo dicat, protegat me, cùm paruulus sum: quasi aliquando ad tantam magnitudinem possit peruenire, quæ sibi sufficiat. Sine protectione Dei nihil es, semper ab illo protegi velimus. Tunc semper in illo magni esse poterimus, si semper sub illo paruuli simus.*

Nulli recedendum ab hisce alis. AVGVST.

10. Tertiò, sub hisce alis protegimur à malignitate sæculi, & ab ardore carnis. *Nobis*, ait D. Ambrosius in psal. 118. octon. 3. *expandit manus suas Iesus, vt totum mundum obumbraret: quomodo non sumus in vmbra, qui crucis eius protegimur velamento? Quomodo non sumus in vmbra, quos crucifixus à malignitate sæculi, & corporis ardore defendit?*

Sub hisce alis protegimur ab ardore corporis. AMBROS.

11. Protegimur etiam sub hisce alis, ab æstu sæculi, iuxta illud D. August. in Psal. 60. ad illa verba: *Protegar in velamento alarum tuarum*, vel vt ipse legit, *Cooperiar in velamento alarum tuarum: Ecce, ait, quare securi sumus inter tantas tentationes, donec veniat finis sæculi, & suscipiant nos sæcula æterna: quia cooperimur in velamento alarum ipsius. Æstus est sæculi, sed magna vmbra est sub alis Dei. Cooperiar in velamento alarum tuarum.*

Protegimur ab æstu sæculi. AVGVST.

12. Quartò, sub vmbra alarum sanctissimæ crucis per meditationem sedentem, hæ alæ non solùm protegunt, sed vt notat Nyssenus homil. 15. in Cantic. si sub alis Dei recurramus, alas recuperamus, hoc est, potestatem, beatitudinem, statum expertem interitus, ita verò accipit verba sponsæ Cant. cap. 6. *Auerte oculos tuos à me, nam illi alas mihi reddiderunt.* Quod legimus, *quia ipsi me auolare fecerunt*, id est, simul, ac benignitatis me oculis aspexisti, gratiæ pristinæ alas recuperaui. Refert Pierius lib. 21. dixisse olim Zoroastrem, animum esse alatum, ac decidentibus alis, præcipitem in corpus fieri. Hoc animo, hoc cordi euenit, alæ si decidant, in carnem decidit, humique in cœno, & luto carnali, instar suis, se volutat, atque putrescit. Alæ cordis, sunt amor Dei, Christique gratia, quibus cor ad Deum volat, ferturque in cælum. His alis, cor dum priuatum est, fit cor bestiæ, fit cor porci, canis, leonis, vrsi, &c. Quid consilij vt alas hasce recuperemus? recurrendum per orationem & considerationem ad alas Dei, in cruce extensas: illic nouas recuperabimus alas; *nam sanitas in pennis eius.*

Sub hisce alis, alas recuperamus. NYSSEN.

PIERIVS.

Alæ cordis, amor Christi, his alis cor priuatũ fit bestia.

13. Quintò hæ alæ Christi, nutriunt, alunt, confouent, calefaciunt, ac delectant, quemadmodum alæ gallinæ pullos. Quare S. Gregorius expendens 32. moral. 6. illa verba Psal. 16. *Sub vmbra alarum tuarum protege me*, vim comparationis ab auibus desumit: *Quia Deus nos paruulos dum protegit, nutrit, & non graui atque onerosa, sed leui & blanda protectione nos refouet, dum suas*

Hæ alæ Christi nutriunt, alũt, &c. GREGOR.

in

in nos misericordias exerit, quasi more super nos auium, alas tendit.

Sub hisce alis calefit homo.

14. Sextò, qui sub alis Christi sunt, charitate in Deum calefiunt, charitate in proximum congregati sunt, velut pulli, odio minimè dispersi; qui extra alas vagantur, charitatis calore priuati, pereunt. *Hoc*, ait Bernardus in Psal. 90. *sub scapulis Christi nobis præstatur, vt tanquam pulli in calore materni corporis, foueamur: nec foris vagantes, moriamur, refrigescente nimirum charitate*, &c. Et quid suauius quàm sub alis Christi foueri? Meritò talis anima dicere potest illud Dauidis Psal. 62. *In velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.*

BERNAR.

Sub alis Christi, gaudent Christiani.

15. Septimò, pulli sub alis gallinæ gaudent, lætantur, hilarescunt: sic nos hilarescimus sub Christi alis in bonis operibus. Vnde ad illa verba Psalm. 62. *Et in velamētō alarum tuarum exultabo*, sic ait D. Augustin. *hilaresco in bonis operibus, quia super me est velamen pennarum tuarum.*

AVGVST.

Sub hisce alis resuscitamur ad vitam.

16. Octauò, sub hisce alis, licet mortui, ad vitam resuscitamur atque renascimur, vitam gratiæ facilè tuemur & cōseruamus. Vnde D. Ambros. in Psal. 118. octon. 3. expendens illud Thren. 4. *In vmbra tua viuemus: Christus*, inquit, *vita est, & qui in vmbra Christi viuit, in vmbra vitæ est.* Sunt aliquarum arborum vmbræ, quæ noxiæ, quæ enecant homines; Christus arbor est vitæ, vitalem proinde habet vmbram.

AMBROS.

Quę necessaria vt hosce fructus colligamus ex alis Christi: Timor Dei, & noster labor.

17. Vt hosce fructus colligamus ex hisce Christi alis, duo necessaria: Primum est timor Dei, secundum, labor noster, atque in salute procurāda, diligentia. Primum insinuat ipse Deus, dum ait Malach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius*, quas in cruce, scilicet, expandit, vt omnes obumbraret. Iure ait, *Timentibus nomen meum*, nam si non timeas, non ad sanitatem erunt pennæ, non erit ob tui defectum, salubris vmbra. Secundum docet S. Amedeus homil. 1. de laudib. Virg. *Laborantes*, ait, *sub vmbra sua protegit.* Non desides, non otiosos, non torpentes, alis suis obumbrat, & protegit Christus, sed diligētes, & laborantes. Vnde D. Augustinus in Psalm. 60. Christum turri assimilans, ad quam in tentatione nobis recurrendum, non vult nobis sufficere, quod hostis tela ad nos minimè perueniant, inimico consentientes: *tunc enim*, ait, *ad te peruenit oppugnantis iaculum inimici*, sed vult insuper nos esse maximè actuosos, loquentem accipe: *Non dico, sic esto in ista turri, vt vaces ibi, & sufficiat tibi, ad te hostis tela quòd non perueniant: age ibi aliquid, non cessent manus. Opera bona tua gladij sicut interficientes inimicum.* Et paulò antè: *Intrasti in turrim non consentiendo inimico. Si enim consenseris inimico, tunc ad te peruenit oppugnantis iaculum inimici. Tu potiùs in illum iaculare tela, quibus feriatur, quibus vincatur. Quæ sunt ista tela? Verba Dei, fides tua, spes tua, tua bona opera.*

AMED.

AVGVST. Turris Christus, ad quam confugiendum, & in qua aliquid agendum.

18. Qui fieri posset, vt desidiosos, obumbret brachijs suis, in cruce, instar arcus ærei, extensis, Christus; cùm ipsi desidiosâ vitâ suâ non aliud agunt, quàm dæmoni præstare vmbram & refrigerium? *Otiosi*, inquit S. Bonauentura tract. de peccatis cap. 7. *nullum faciunt fructum, sed solùm vmbram diabolo & refrigerium.* De Behemoth, ait Deus apud Iob c. 40. *In secreto calami dormit & in locis humentibus.* Vnde Gregorius in hunc locum: *Sunt enim similes mollissimo diaboli puluinari.*

Christus in cruce desidiosos non obumbrat brachijs suis.

BONAV.

GREGOR.

Quòd ad imitationem pullorū, Christianis succrescere debeant alæ spirituales.

SECTIO XX.

PVlli, calore gallinæ, quasi renati, ad illius similitudinem, pennati efficiuntur: sic etiam decet Christianos, qui Christi subduntur alis, atque illius calore fouentur, inde renasci subtiles, leues, atque spiritualibus pennis instructos, ita vt alitibus pennatiores, huius mundi terrenis rebus, & sæculi huius fluctibus superferantur, & in cæleste sese vibrent & efferant regnum, vt pulcherrimè docet D. Hilarius suprà sect. 2. circa finem relatus. Vis scire qualibus pennis spiritualibus debeat instructus esse verus Christianus? In sequentia oculos conijce, quæ omnia pennata erunt, & aligera.

Pennis spiritualibus debet esse instructus Christianus.

De sacris Animalibus eorumque mysticis alis.

§. I.

1. D. Ioannes Apocal. 4. dicit se vidisse quatuor animalia, quorum *primum simile leoni, secundum simile vitulo; & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal, simile aquilæ volanti, & quatuor animalia singula eorum habebant alas senas.* Cornel. scribens in Ezech. c. 1. & tropologicè exponens quatuor animalia ibidem descripta, referentia eandem formam, qualem illa Apocal. excepto quòd hæc sex, illa verò non nisi quatuor alas habuisse dicuntur, sic ait: *Religiosis, imò quilibet Christianus, quadrifacialis sit, scilicet habeat faciem aquilæ in tēplo, faciem hominis in domo, bouis in cella & officina, leonis in foro & castris: puta in orando sit aquila, in conuersando homo, in laborando bos, in dimicando leo,* vt

Quatuor animalia Ezechielis, symbola bonorum Christianorum.

Symbola religiosorū.

CORNEL.

vt tentationes, & aduersa arduaq; quaque generosè aggrediatur & super & tanquam leo. Ita quaquauersum erit Angelus, quaquauersum Cherub.

Symbola Christianorum. GREGOR. 2. Sed adducendus hac de re D. Gregor. qui explicans illa verba Ezech. 1. *Similitudo vultus eorũ, facies hominis, & facies leonis, à dextris eorum quatuor; facies autẽ bouis, à sinistris ipsorũ quatuor: & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*, inquit: *Omnis qui in ratione perfectus est, homo est. Et quoniã semetipsum ab huius mũdi voluptate mortificat, vitulus est. Quia verò ipsa sua spontanea mortificatione contra aduersa fortitudinẽ securitatis habet, vnde scriptũ est, Iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit, leo est. Quia verò sublimiter cõtemplatur ea quæ cælestia, & ea quæ terrena sunt, aquila est. Igitur quoniam iustus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suæ vitulus, per fortitudinem securitatis leo, per contemplationem verò efficitur aquila; rectè per hæc sancta animalia, signari vnusquisque perfectus potest.*

AMBROS. Accipe quoque D. Ambros. de quatuor virtutib. cardin. citata verba interpretãtem: *Nam, ait, in omni sapiente viro prudentes Græciæ esse memorauerunt prudentiã, fortitudinem, temperantiam, atque iustitiam. Prudẽtia enim rationis humanæ est. Fortitudo vim quandam ferociẽtis virtutis habet, mortisq; contemptum. Temperantia seruat vincula charitatis, mysteriorumq; contemplatione cælestium, negligit corporis voluptates. Iustitia verò in alto quodam suggesto collocata & videt, exploratq; omnia, quæ alijs potiùs nata, quàm sibi, non tam suas vtilitates, quàm publica emolumenta rimatur. Meritoque anima operata iustitiã formam aquilæ accipit, quod terrena effugiens, totaque cælestis, sublimis, & intenta mysterio, Resurrectionis gloriam, pretio æquitatis adipiscitur.*

Tropologica alarum quatuor animalium expositio. 4. Iam verò quod ad alas spectat animalium, quibus quilibet bonus Christianus instructus esse debet, de quibus Ezech. in hũc modum fatur: *Duæ pennæ singulorũ iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum*, sic easdem tropologicè exponit idem Greg. loco citat.

GREGOR. *Quærendũ est, ait, quæ sint quatuor alæ Sanctorũ, ex quibus duæ superiùs extensæ iungũtur, duæ verò eorum corpora contegunt. Si enim vigilanter aspicimus, quatuor esse virtutes inuenimus, quæ à terrenis actibus omne pennatũ animal leuant, in futuris videlicet amor, & spes, de præteritis autẽ timor, & pœnitentia. Pennæ ergo sibimet iunctæ, superiùs extenduntur, quia sanctorum mentẽ, amor, & spes ad æterna subleuant. Quæ aptè quoque coniunctæ nominãtur, quia electi proculdubio amant cælestia quæ sperant, & sperãt quæ amant. Duæ verò corpora contegunt, quia timor & pœnitẽtia, ab omnipotentis Dei oculis, eorum mala præterita, abscondunt. Duæ itaque pennæ iunguntur sursum, quando amor & spes electorum corda ad superiora eleuant, ad cælestia suspendunt. Duæ autem tegunt corpora, quando eorum mala præterita, à conspectu æterni iudicis timor & pœnitentia abscondunt. In eo enim quòd se peccasse meminerint, quia pertremiscunt, & deflent, quid aliud quàm corpus cooperiunt? Sicut scriptum est. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Videamus has quatuor alas in Paulo. Videamus quãtus hũc amor ad cælestia eleuet, mihi viuere Christus est & mori lucrum. Cognoscamus quanta spe ad superiora tollitur: nostra cõuersatio in cælis est. Vnde etiam Saluatorẽ expectamus Dominum nostrum. Videamus si & in tantis virtutibus positus, adhuc timet. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne dum alijs prædicauero ipse reprobus efficiar. Cognoscamus si hũc mala fecisse pœniteat: Ego sum minimus Apostolorũ, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Quatuor itaq; pennis, sancta animalia vtuntur, quia per amorem & spem ad cælestia euolant, & per timorem & pœnitentiam facta in se illicita, deplorant.*

5. Sed quid est, quod pennæ eorum, extentę, desuper describãtur? Pulchrè D. Gregor. loco cita. *Facies, ait, eorum, & pennæ eorum extentæ desuper scribuntur, quia omnis intentio, omnisq; contemplatio Sanctorum, super se tendit, vt illud possit adipisci, quod in cælestibus appetit. Qui enim per bona quæ facit terrenam gloriam concupiscit, pennas suas & faciem suam deorsum deprimit. Hinc enim per Prophetam de quibusdam dicitur. Victimas in profundum deferebant. Quia sunt nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, vt aut terrena commoda acquirant, aut hominibus Sancti esse videantur. Quid isti nisi victimas in profundum deferunt? Electi autem, quia & in bono opere omnipotenti Deo placere appetunt, & per contemplationis gratiam, æternam iam beatitudinem degustare concupiscunt, facies & pennas desuper extendunt.* Cur pennæ desuper extentæ describantur. GREGOR.

6. Neque caret mysterio quod ait Ezech. de dictis animalibus, nimirũ, *& manus hominis sub pẽnis eorum in quatuor partibus*, insinuare volens quemq; Cherubim habuisse quatuor manus, vti & quatuor alas, scilicet sub qualibet ala brachium atque manum, quo quidem symbolo significari arbitratur Blas. Vieg. scribens in Apoc. c. 1. conc. 1. sect. 4. fidem & cognitionem rerum diuinarum, qua veluti alis in altum efferimur, manu, id est, operatione & obseruatione mandatorum, niti & sustentari debere. D. Greg. hom. 3. in Ezech. In manibus, vitam actiuam, in alis, contemplatiuam; significari putans, ait: *Manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus. Quid, inquit, per manus nisi actiua vita? Quid per pennas nisi contemplatiua figuratur? Manus ergo hominis sub pennis eorum est, virtus operis sub volatu contẽplationis.* Ijsdem quoque verbis insinuari putat D. Greg. lib. 6. moral. c. 28. potiorem esse vitam contemplatiuam actiuâ, vnde expendens illa verba Luc. c. 10. *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, postquam dixit. *Quid enim per Mariam, quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplatiua vita exprimitur? Quid per Martham, exterioribus obsequijs occupatam, nisi actiua vita signatur? Sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ verò*

Quid significent manus, quæ sub pennis singulorũ.

BLASIVS VIEGAS.

GREGOR.

IDEM.

verò etiam laudatur : quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vmquam Mariæ pars dicitur : quia actiuæ vitæ opera, cum corpore transeunt, contemplatiuæ verò gaudia meliùs ex fine conualescunt. Id ipsum comprobans addit : *Quod bene & breuiter Ezechiel Propheta exprimit, cùm volantia animalia contemplatus*, ait : *Et similitudo manus hominis subtus pennas eorum erat. Quid enim per pennas animalium, nisi contemplationes possumus sentire sanctorum, quibus ad summa transuolant, & terrena deserentes, sese in cælestibus liberant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? Quia cum proximi amore se dilatant, bona quæ præualent, etiam corporaliter administrant. Sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suæ opera, virtute contemplationis vincunt.*

Manus sub pennis singulorum significant modum, quo viri spirituales exterioribus vacant.

7. Alfonsus Rodericius in exercitio perfectionis parte 1. tract. 3. c. 3. hoc symbolo significari putat modum, quo exterioribus occupationibus vacant viri spirituales, nimirum, ideo nullatenus mentem, animumque remittendo ab exercitio contemplationis, do illius verba : *Sancta illa Ezechielis animalia suam singula manum sub ala habebant: vt hinc discamus viros spirituales manum actionis, sub ala contemplationis continere, vnam ab alia non separando, quod inter operandum contemplentur, & contemplando operentur. Sic veteres illos Ægypti Monachos tradit Cassianus, quamuis manibus operarentur, mentem tamen semper in Dei contemplatione intentam habuisse; manibus quidem officiū Marthæ, corde verò Mariæ partes adimplendo. Præclarè hoc ostendit D. Bern. his verbis: hoc maximè curant spiritualibus exercitijs dediti, taliter se circa exteriora occupare, vt deuotionis spiritum non extinguant; vnde licet extrinsecus bonorum operum exercitiis fatigentur in corpore, intrinsecus tamen reficiuntur in mente. Adeò vt exterioribus occupationibus, interior recollectio & deuotio minimè impediatur, at potius adiuuetur; illæ enim intellectum penitus non occupant, sed ita liberum esse sinunt, vt interim nihilominus de Deo rebusq; diuinis cogitare possit. Vnde quidam de antiquis nostris Patribus, vir admodum spiritualis, dicere solebat, duobus hominum generibus se in hoc statu religioso inuidere : primo Nouitiis, quod nulli alij rei, quàm vni, suo in spiritu, profectui, vacent, & intendant : deinde fratribus domestica officia obeuntibus, quod liberam & exoneratam studijs & curis, hi mentem habeant, ad die tota orationi intendendum.* Hactenus ille.

Exempla eorum qui non separant alam contemplationis, à manu operationis. CLIMACVS.

8. Vis videre similia animantia, non separantia alam contemplationis, à manu operationis, quæque operando cōtemplantur, & contemplando operantur? bina in mediū adducit loco cit. Rodericius, primum ex Climaco, qui dicit, se in quendam cuiusdā Monasterij Coquum incidisse, qui licet magnis, multisque occupationibus, distineretur (erat enim ingens Monachorum, in eo Cænobio numerus, vtpote qui ad triginta, supra ducentos, facilè pertingeret, præter hospites peregrè indies aduentātes, animum tamē intùs mirè recollectum habebat, & in Deo defixum, insuper donum lachrymarum obtinuerat. Quem admirans Climacus, sciscitatus est quomodo tanta & assidua in occupatione & actione, tantam sibi mentis quietem, parare potuisset? qui primū tergiuersatus, tandem acriùs eo vrgente, respondit : Nunquam me credidi hominibus seruire, sed Deo, semperque me indignum censui, cui requies vlla & operis intermissio cōcederetur, insuper mihi ignis hic materialis quotidie ob oculos versans, assiduè mihi lachrymas excutit, deque ignis æterni acerbitate meditari cogit.

9. Secundum, ex auctore vitæ S. Catharinæ Senensis, quam cùm parentes importunioribus precibus ac minis vrgebant, vt matrimonium iniret: adeò verò hæcce eorum increuit persecutio, vt omnem ei locū secretum, & cubiculum, in quo mentē cum Deo coniungeret, ademerint, eamque domesticis ministerijs occuparint, seruam etiā quandam, quam habebant, à culina amouerint, inque eius locum filiam surrogarint, vt hoc pacto, illi ad orandum, & reliqua sua spiritualia exercitia obeunda, commodum, & tempus, & locum, eriperent. Sed ipsa, à Spiritu sancto edocta, secretum quoddam intra cor suum conclaue, & cellā sibi spiritualem construxit, secumque statuit, nunquam ea egredi, quod & præstitit: adeò quidem, vt, in primo, quod habebat, cubilo aliquando quidem intus ageret, aliquando tamen eo egredi cogeretur, hoc spirituali conclaui nunquam egrederetur; primum illud parentes illi abstulerunt, secundum hoc auferre nemo potuerit. Cogitatione quippe sibi fingebat, Patrem suum Domini nostri Iesu Christi, matrem, Deiparæ Virginis, Fratres, & reliquos domesticos, Apostolorum & discipulorum Domini, personam repræsentare. Itaque magna quadam cum humilitate & diligentia, ministerium iniunctum adimplebat in culina quippe famulans, hasce partes agens, semper sponso suo Iesu Christo cogitabat, ei se famulari existimans, Deique præsentia vbique fauebatur, cumque eo in sancto Sanctorum versabatur. Vnde & ipsa postmodum, sæpe confessario, multis temporalibus & occupationibus exterioribus, distenta, vel aliquo proficisci coacto, suadebat, vt cellam sibi quandam intra construeret, è qua nunquam exiret.

Talis Catharina Senensis.

10. Tale animal fuit & S. Bern. de quo in illius vita hæc scribuntur verba. *Laboris tempore & intus orabat absq; intermissione exterioris laboris, & exterius laborabat, absq; iactura interioris suauitatis.* De S. Ægidio legitur quod hirundini similis esset, quæ volando comedit, & comedendo volet, nimirum quod taliter, vacans exterioribus, esset animo recollectus, vt nullatenus

Talis Bernardus.

Talis Ægidius.

latenus iacturā pateretur internæ contemplationis Est etiam hirundinibus peculiare vt modò in aëra altiùs sese extollant, modò circa terram fluuiorumque faciem volitēt: Sic etiā S. Ægidius, modò alta diuinitatis petebat, modò ad terrā sacratissimæ humanitatis Christi, vulnerum sacratissima fluenta, descendebat, & meditatione volabat. Vt autem alis cōtemplationis, sic homo, etiam vacans rebus externis, feratur in Deum planè necessariū, rerum omnium externarum præscindere affectum, atque superfluā curam ac solicitudinem, quidquid denique mortale, abnegandum & præscindendum gladio mortificationis, nimirum exemplo Abrahæ, qui iussus litare Deo filium, surgit à lecto, montem scandit, afferens ipse gladium & ignem, de quibus pulchrè Philo lib. de Cherub. *An non vides, quid & sapiens ille Abraham, quando incepit iuxta Deum metiri omnia nihil creaturæ tribuens, accepit ad ignei gladij similitudinem* (alludit enim ad Cherubim, flammeo gladio, custodiente paradisum) *ignem & gladium, resecare cupiens quidquid mortale habebat, vt expedita cogitatione sublimiùs ad Deum euolaret.*

PHILO.

11. Homines qui eò deuenere perfectionis, vt vacātes rebus exterioribus, nihilominus nihil remittant, ab interna sua ad Deū attentione, libero volatu semper ad cęlestia suspensi, & eleuati, meritò cœlestes dicendi sunt, ac comparādi aui paradisi, quæ in Insulis Moluchis visitur & vernaculo sermone, *Monicidita*, vocatur, quasi dicas, auiculā Dei. Propterea, quòd illam, in paradiso tantùm nempe loco solius Dei, vti spargūt, proprio, nasci firmiter persuasum habeant. De hac aue scribunt miranda Authores citati à Maximiliano Sandæo in Theologia mystica exercit. 5. de suspens. myst. nimirū quòd corporis mole & forma Coturnicem referat, pennarum ambitu discolore, sed venusto admodum, & decoro, visuque iucundissimo, vndique exornata, quod in aëre semper absque nido, absque arbore, absque saxo, aut altero fulcimento nidificet; & oua pariat, in dorso sui comparis, ibique foueat & excludat, prouideque dorsum masculo ventremque fæminæ, cauum esse vbi pullos fouent & excludunt, quodque maris dorso gemina fila prodeant, quibus incubantem fæminam sibi alligat firmiùs, quòd pedibus careat, quòd vento & rore viuat, quòd omni careat excremento, habeatque omnia intestina adipe referta, quòd nunquam vllo loco considat, sed semper in aëre consistat, proinde quòd terram nunquam viua tangat, sed summo quandoque ex æthere exanimem in humum decidere, atque tunc casu repertam, sanctissimè ab incolis asseruari: quippe apud quos in tanta sit veneratione, vt etiam se illa reges ipsi tutos fore existiment in bello, quamuis, suo more, primi in acie collocati fuerint. Sunt tamen qui dicant, quòd cùm pedibus careat, cauda adunca ex arborum ramis dependeat iuxta illud Poëtæ:

Similes comparandi aui paradisi.

Natura huius auis.

MAXIMILIANVS SANDÆVS.

Tellurem pressisse pudet frondosa sub auris
Eligitur Dryas: hic tectum paruiq; penates:
Incumbit ramis, & cauda prensat obunca
Obsequio fugiente pedum.

Dum in mari nauigantibus sese ostendunt, læto pro omine, est signum, eos non multū distare à littore iuxta illud eiusdem Poëtę:

Læta laborantes impellant carbasa venti
Scilicet anteuolat puppes, & remige penna
Hospita venturo præsignat littora nautæ.

En veram imaginem viri, ad cœlestia semper suspensi, virtutum discoloribus exornatur pennis, nulli creaturarum hæret fulcimento, in solo Deo quiescens, affectuum pedibus lutulentis caret, vento S. Spiritus, & gratiæ rore vescitur, adipe & pinguedine diuinæ dulcedinis repletur. Illius interiora, vitiorum magnarumque imperfectionum carent excremento, similes in mari huius vitæ periclitantibus adsunt, & ad portum salutis iter illorum dirigunt, nihil aliud mortalibus inclamantes quàm vt pœnitentiam agant, vtpote regno cælorum iam vicino & appropinquante.

12. Quamuis autem, sic Deo mente adhærere, laboriosum sit, & operosum, nihilominus ob difficultatem, non intermittendus conatus; assiduitate, mirum, quantum profectum faciat, perfectionis amator, Aquilam imitetur, cuius cùm iam renouata iuuentus, non mox, celeri volatu, vibrat in in aëra fulgentes pennas; sed rudem meditatur volatum, iuxta consilium D. Maximi hom. 5. de resurrect. prementis illud Psalm. 102. *Renouabitur vt aquila iuuentus tua: Senectutem,* ait, *aquilæ non sentiunt, sed pluma. De nouo ergo se vestit, & pullulantibus pennis, vetusta mater iterum renouatur in pullum. Pullis ergo tunc comparanda est, quando redeuntibus plumis, necesse est illi, rudem meditari volatum.*

Conandum saltem vt inter laborandum ad Deum euolemus.

MAXIMVS.

13. Si non libet, perpetuo in cælum, & Deum, volatu imitari paradisi auem; conare saltem, ô Christiane, præsertim, qui religiosam profiteris vitam, imitari, & similem te exhibere auibus illis, quæ Apodes vocantur, qui licet tibias habeant, tamen illas valde breues habent & curtas, quod nunquam incedant super terram, imò si ad terram descenderint, nequaquam ampliùs inde surgunt. Et ideo istæ aues, continuò sunt volantes, & quando nidificant vel quiescunt, solent in rupibus quiescere, vbi scilicet facili impulsu, possunt inferiùs cadere, & in aërem se recipere, & volare, sicut experimentaliter in insula Maiorica reperitur, vbi sunt multimodæ tales aues, vt refert Berchorius in repertorio verbo *Affectio*. Similiter & tu habeas pedes tibiasque affectionum maximè breues & curtos, quantum ad temporalia mundi bona, dum actualiter non attendis cælestibus,

Si non possumus imitari paradisi aues, imitandæ sunt illæ quæ Apodes vocantur.

BERCHORIVS.

bus,& spirituali volatu in Deum mentem eleuas, requiesce in montanis, intende piis operationibus, intende lectioni sacrorum librorum, intende honesto manuum exercitio, intende ægrotorum visitationi, afflictorum consolationi & similibus, nimirum vnde facilè te recipere possis in aërem, ex quibus facilè assurgas ad cælestia, vtpote non extinguentia, sed fouentia spiritum deuotionis.

Similes saltem debemus esse locustis. GREGOR.

14. Similis esto locustis, in quibus Prædicatores intelligi vult D.Greg.l.31.Mor.c.21.expendens illud Iob cap. 39. *Nunquid suscitabis eum quasi locustas*, *quamquam & ad alios pietate insignes homines, transferri possit: quia*, inquit, *ille prædicator ad perfectionis culmē erigitur, qui non actiuâ solummodo, sed etiam contemplatiuâ vitâ solidatur: rectè ipsa prædicatorum perfectio locustis exprimitur, quæ quoties se in aera extollere conantur, primùm se cruribus impellentes subleuant, & postmodum alis volant. Ita nimirum sunt sancti viri, qui dum superna appetunt, primùm quidem actiuæ vitæ bonis operibus innituntur: & tunc demum se ad sublimia per contemplationis saltum volando, suspendunt. Crura figunt, & alas exerunt: quia rectè agendo stabiliuntur, & alta videndo subleuantur. Qui in hac vita positi, diu in diuina contemplatione manere non possunt: sed quasi locustarum more, à saltu quem dederant, in pedibus suis se excipiunt, dum post contemplationum sublimia, ad necessaria actiuæ vitæ opera, reuertuntur; nec tamen in eadem vita actiua remanere contenti sunt. Sed dum ad contemplationem desideranter exiliunt, quasi iterum aera, volantes, petunt, vitamque suam quasi locustæ ascendentes descendentesque peragunt: dum sine cessatione semper & summa videre appetunt, & ad semetipsos naturæ corruptibilis pondere, reuoluuntur.*

Conari ad minimum debet Christianus ne more piscium se demergat rebus temporalibus, vnde imitandæ coturnices. BERCHORIVS.

15. Quoniam verò Christiano in sæculo degenti, difficile fortassis videbitur, ad hanc aspirare perfectionem, illud saltem præstare tenetur, & conari, ne omnino piscium more se aquis immergat rerum temporalium, imitabitur ergo coturnices, de quibus refert Berchor.in repert.to.1.verbo *Ala*, quòd, quando transeunt mare, vt veniant ad calidas regiones, descendunt quādoque ad mare quādo sunt fatigatę volando, vt sc. aliqualiter super aquā quiescant, tunc autem ne à profectu sui itineris retardentur, miro vtuntur artificio, quia scilicet vnam alam tenent sursum erectam, vt venti beneficio semper vlteriùs transeant, cum alia autem ala, in maris fluctibus se gubernant, vt dicit Isidor. Quod ille ad mores sic applicat. *Sic verè, charissimi, debemus facere. Constat n. quod nos habemus duas alas scilicet rationē & affectionem in terra, constat quod omnes habemus transire vltra mare i. vltra amaritudinem huius vitæ, vsque ad regionem paradisi. Dico igitur, quòd si fatigati tentationibus & tribulationibus quandoque descendimus ad mare, id est, ad amaram mundi prosperitatem, vt habeamus consolationem aliquam temporalem, vtpote, quā necesse habemus, aliquod temporale negotium ministrare, tūc ne fortè impediamur à profectu virtutum, vnam alam, videlicet, affectionem debemus semper sursum erigere, ad æterna desideranda & affectanda. Et cum alia ala, id est, cum vsu debitæ rationis, prudentiæ & discretionis debemus nos in huius vitæ fluctibus gubernare.*

16. Isaias quoque cap.6. Dicit se vidisse *Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum*, atque duo Seraphim stetisse iuxta illud. *Sex*, ait, *alæ vni, & sex alteri: duabus velabant faciem eius: & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Cui visioni similis est illa quatuor animaliū, quod ad alas attinet, de qua Apoc.cap.4. *In medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro. Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem velut hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas.* Existimat enim Areth.in hunc locum Apocalyp. huiusmodi alas sic fuisse in animalibus dispositas, quēadmodum erant in Seraphim apud Isaiam, vt nimirum duabus pedes, duabus faciem velarent, & absconderent, alijsque duabus volarent. Vnde putans, in illis quatuor animalibus designari Euangelistas & concionatores, quamuis non incongruè extendatur etiam ad quoslibet perfectos, & veros Christianos, in sex illis alis vult designari sex virtutes quibus debent exornari, atque duas alas, quibus velant pedes, esse pœnitentiam & misericordiam, quibus confusio nuditatis nostræ, id est, peccatorum, contegitur, iuxta illud Psal.31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Nam de pœnitentia dixit Petrus Act.3. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* De misericordia autem Christus Matth.5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* Duas verò alas quibus facies tegitur, esse humilitatem & patientiam, quibus sancti viri solent iustitiam suam, quæ per faciem designatur, occultare, ne per arrogantiā efferantur. Denique duas, quibus volant esse fidem & spem, quibus sancta animalia in sublime feruntur.

In sex illis alis designantur etiam sex virtutes, quibus Christianus exornādus. ARETH.

17. S. Bonauentura scripsit librum, de sex alis Seraphim, quas habere debet tum quiuis fidelis, tum superior & prælatus: *Fidelis ergo fide & charitate Dei præditi, Prima ala, inquit, est confessio, secunda satisfactio, tertia carnis munditia, quarta puritas mentis, quinta dilectio proximi; sexta dilectio Dei. Superior verò alam Primò habeat zelum iustitiæ, secundò, pietatem & paternam compassionem: tertiò, patientiam & constantem longanimitatem; quartò vt sit exemplar omnis virtutis; quintò discretionem, & prudentiam, sextò familiaritatem & vnionem cum Deo: hisce alis se & suos ad perfectionem & ad Deum euolare faciet.*

BONAV. Qualiter hasce sex alas explicet.

18. In sex alis Seraphim, de quibus Isa.6. S.Dion.cęlest.hierarch. cap.4. & 13. significari

DIONYS. Hæ sex alæ in viris

perfectis significant summam eorum in Deum intentionem.

ficari dicit altissimā summamque in Deū intentionem. *Sex alarum*, inquit, *sacratissima fictio absolutissimam summamque in Deum intentionē in primis, medijs, & vltimis intelligentijs, signat.* Si verò hæc transferas ad Ecclesiasticam Monarchiam, virosque perfectos, in alis similiter denotari potest altissima summaque eorum in Deum intentio. D. Bern. ser. 4. de verbis Isa. *Vidi Dominum* &c. in alis Seraphim putat designari agnitionē & deuotionem. *Opinor*, inquit, *non incongruè pennas istas agnitionem & deuotionem intelligi posse, quibus in eum qui supra ipsos est, Seraphim rapiuntur. Leuat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit. Ruit citius qui vnâ tantùm alâ volare contendit: & quò magis attollitur, peius colliditur. Experti sunt hoc Philosophi gentium: qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Denique traditi in reprobum sensum, vsque in ipsas etiam passiones ignominiæ corruerunt. Adeò vera probatur illa sententia: scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. Sic & zelus absque scientia, quò vehementiùs irruit, eò grauiùs corruit, impingens nimirum atque resiliens. Vbi verò intelligentiam, charitas; agnitionem deuotio comitatur, volet securè, quisquis eiusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.*

Bern.

In alis illis signatur agnitio & deuotio.

De duabus alis datis mulieri, duplicem charitatem, adumbrantibus.

§. II.

Duæ alæ datę mulieri, duplicem adumbrant charitatem.

19. In duabus alis aquilæ datis mulieri Apoc. c. 12. in sensu litterali Ecclesiam, in morali animam piam designanti, geminam charitatem Dei & proximi intelligunt Primasius, Richard. Victorinus, Haymo & alij. Alas duas habet auis: duas quoque alas habet charitas, amorem videlicet, Dei & proximi. Augustinus fol. 121. *Anima*, inquit, *tanquam extensis pennis, & duabus alis, resolutis, ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis, Dei, & proximi, volat. Quò? nisi ad Deum ascendens volando; quia ascendit amando.* &c. Idem Augustin. expendens illud Ps. 103. *Qui ambulas super pennas ventorum*, in ventis animas intelligit, in pennis verò virtutes, operaque bona, ac præsertim duo præcepta charitatis, sed accipe illius commentarium. *Ventos quidem intelligimus in figura, non absurdè animas: non quia ventus est anima, sed quia inuisibilis est est ventus, quamuis res corporea, corpora impellens, tamen quia humani oculi aciem fugit. Est autem anima inuisibilis, propterea bene intelligimus animas ventos. Inde est quòd & Deus insufflasse dicitur spiritum vitæ formato homini, & factus est homo in animam viuentem. Ergo venti, animæ, in allegoria, non absurdè accipiuntur.* Et paulò pòst: *Pennæ ventorum, virtutes animarum: pennæ animarum quæ sunt, nisi à quibus sursum attolluntur? Pennæ ergo animarum, virtutes, bona opera, rectè facta, in duabus alis habent omnes pennas, omnia enim præcepta in duobus præceptis sunt. Quisquis dilexerit Deum & proximum animam habet pennatam liberis alis, sancto amore, volantem ad ad Dominum. Quicumque implicatur amore carnali, viscum habet in pennis, nam si anima, non habet alas, & pennas, vnde ille gemens, in tribulationibus, dicit. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Et sequitur, & volabo & requiescam. Ergo alas habent bonas & liberas, & nullo modo visco obligatas animæ, bene operantes præcepta Dei, habentes charitatem de conscientia pura, & fide non ficta. Sed quantumuis sint prædita virtutibus charitatis, quid ad illam dilectionem Dei, quâ sunt dilectæ, etiam cum visco essent implicatæ? Maior ergo nos in dilectio Dei, quàm nostra in illum. Nostra dilectio pennæ nostræ sunt, sed ille ambulat super pennas ventorum.*

Avgvst.

Nostra dilectio pennæ nostræ sunt.

20. Huc respiciens Christus dum loquitur de lege sua Matth. c. 11. ait: *Tollite iugum meum super vos* &c. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Non est iugum Christus simile iugo mundi, carnis, vel peccati, hæc iuga, premunt, conterunt & aggrauant hominem, vt sub onere deficiat, & fatiscat è contrario Christi iugum, alleuiat, attollit, & subleuat, atque alarū instar est, Aug. Ps. 59. *Alia sarcina premit & aggrauat te, Christi autem sarcina subleuat te. Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam & aui si pennas detrahas, quasi onus tollis, & quò magis onus abstuleris, eò magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, iacet, non volat, quia tulisti onus: redeat onus, & volat. Talis est Christi sarcina. Portent illam homines, non sint pigri, non attendantur illi, qui eam ferre nolunt: ferant illam, qui volunt, & inuenient quàm sit leuis, quàm suauis, quàm iucunda, quàm rapiens in cælum, & à terra eripiens.* Idem serm. 24. de verbis Apostoli, premens illa verba, *Iugum enim meum suaue est*, sic ait: *Quare dubitas hanc sarcinam ferre? Hæc sarcina grauis est, humilitas & pietas? Hæc sarcina grauis est fides, spes, charitas? Ista enim humilem ista mitem reddunt. Et vide quia oneratus non eris, si ipsum audieris. Iugum enim meum leue est, & sarcina mea leuis. Quid est leuis est? Quid si habet pondus, sed minus? Plus iubet auaritia, minùs iustitia. Nolo sic intelligas. Hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ volaturi. Habent enim aues & pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, & portantur. Portant illas in terra, portantur ab illis in cælo. Tu si misericordiam velis præbere aui, præsertim æstate & dicas, miseram istam auiculam onerant pennæ, & detrahas*

Iugum siue lex Christi onus alleuians.

Avgvst. Christi sarcina subleuat, pennas habet.

Idem.

Virtutes alæ volaturi.

Idem.

bus onus hoc, in terra manebit, cui subuenire voluisti. Porta ergo pennas pacis, alas accipe charitatis. Hæc est sarcina, sic implebitur lex Christi. Pulchrè D. Paulinus epist. 4. dicit: *Iugum Christi leue est, quia seruientes Christo operamur bona, quibus pennati in altum prouehimur.*

AVGVST. Et rursus Augustinus lib. de perfectione Iustitiæ circa medium in fine Tom. 7. *Laborant*, inquit, *in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere; sed perfecta charitas foras mittit timorem; & facit præcepti sarcinam leuem non solùm non prementem onere ponderum, verùm etiam subleuantem vice pennarum.* Vide etiam hæc omnia pulcherrimè

BERN. diffundentem S. Bernardum in epist. 72. ad Romualdum Abbatem, qui etiam in epist. 351. ad Hugonem ad probandam hanc veritatem in testem adducit nobilem adolescentem, & sæculi contemptorem: *Adolescens*, inquit, *nobilis, delicatus, vicit malignum, spreuit mundum, corpus exposuit, propinquorum renuntiauit affectibus, paratos diuitiarum laqueos transiliuit, quia pennatum animal erat.* Vbi eleganter vocat pennatum animal eum iuuenem qui diuinæ legis iugo, non deprimebatur ad ima, sed quædam veluti alarum remigio ad summa erigebatur. Deinde verò pergit eundem iuuenem adhortari ad Religionis onera alacriter subeunda: *Non*, inquit, *ætatem teneram Ordinis asperitas terreat. Memento quòd asperior cardo pannum faciat leuiorem, & conuersatio conscientiam. Aderit Christi suauitas; & Propheta farinula, pulmentum incomestibile condietur. Si tentationum sentis aculeos, exaltatum in ligno serpentem aneum intuere: & suge non tam vulnera quàm vbera crucifixi. Ipse erit tibi in matrem & tu eris ei in filium. Nec pariter crucifixum lædere aliquatenus poterunt claui, quin per manus eius & pedes ad tuos vsque perueniant.*

AMBROS. Charitas habet alas ignis. 21. D. Ambrosius in lib. de Isaac & anima cap, 8. *Alas*, inquit, *ignis habet charitas* &c. Igneis alis, in cœlum, omnia, quæ volatui obstant, comburens, volat. Curru igneo, in paradisum terrestrem raptus est Elias, 4. Reg. 2. Curru charitatis igneo rapitur anima in paradisum cælestem. *In Hercynio Germaniæ saltu*, ait Plin. lib. 10. cap. 47. *insitata genera auium accepimus, quarum plumæ, ignium modo, colluceant noctibus. Similes alas habet charitas.*

Pennæ ex quibus charitatis alæ componuntur. Vis scire quænam sint pennæ ex quibus hæ charitatis alæ componantur? De hisce pennis accipe perfloridè agentem D. Bonauenturam in libel. de sex alis Cherubim

BONAV. Prima. tomo 7. fol. 646. *Quinta ala dilectio proximi est. Huius penna prima est nulli nocere verbo vel opere, de qua scriptum est: quod non vis tibi fieri, ne facias alteri. Hanc pennam format virtus innocentiæ, innocens est qui etiam cùm possit nulli vult nocere. Quis ascendit, inquit, in montem Domini? Innocens manibus. Quis innocens manibus? Qui non fecit proximo suo malum. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. Quis est iste malignus nisi diabolus. Qui nulli vult nocere, tempore excluso motum sentit primum amoris.*

Penna secunda est omnibus prodesse verbo, vel opere. Frater fratrem adiuuans, ciuitas munita & fortis. Hanc pennam suscitat & prouehit in culmen perfectionis, quæ nulli nescit condescendere, virtus misericordiæ. Beati, inquit, misericordes Matth. 5. Qui omnibus studet prodesse, viuum colorem veri spirat amoris. Secunda.

Tertia penna est rerum propter amicum consumptarum, detrimenta, non tantùm non deflere, sed etiam libertatis fortitudine non sentire. De beneficiorum in vsus fratrum collatorum magnitudine semper gaudere in corde. Qui sentit, computator est, non largitor. Qui non gaudet, dolet, de hac penna scriptum est Prou. 12. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est, iter autem auari decipiet eum. Tertia.

Quarta penna est animam pro fratre ponere. Quid est animam ponere pro fratre? pro temporali etiam proximi salute propriam voluntatem deserere, & in articulo necessitatis pro æterna salute fratris, mortis discrimina libenter subire. De hac scriptum est Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Maior ebulliret feruor amoris. Quarta.

Quinta penna est in his perseuerare, hanc perficit virtus perseuerantiæ, finis, non pugna coronat, qui perseuerat, cessare nescit. Quinta.

Sexta ala, est dilectio Dei. Hæc, vt aliæ, quinque pennas habet. Primam harum habet, qui aliud quàm Deum non concupiscit. Hæc est mobile huius amoris. Secundam pennam habet, qui propter Deum sua distribuit, qui partem retinet, partem verò tribuit. Hæc est calidum huius amoris. Tertiam pennam habet qui propter Dei amorem nihil sibi reseruat, sed omnia relinquit. Hæc est acutum huius amoris. Quartam pennam habet qui propter Deum seipsum abnegat. Seipsum abnegat qui suam deserit vt Domini solam faciat voluntatem. Hæc est feruidum huius amoris. Quintam habet pennam qui in his perseuerat. Qui perseuerauerit, inquit, vsque in finem. Hic saluus erit. Matth. 10. Hæc D. Bonauent. Sexta. Dilectio Dei quinque pennas habet.

22. Omnibus virtutibus, operibus bonis, & rectè factis, pennæ charitatis necessariæ vt Deum attingant, & cælestem mercedem obtineant. Per charitatem ad Deum fides volat, volat spes, misericordia, castitas, patientia, & virtutes reliquæ sine charitate, humi repunt. Caueat Christianus ne hæ pennæ charitatis, visco cupiditatis implicentur, & luto amoris proprij vsque ad contemptum Dei & proximi, fœdentur. Omnibus virtutibus charitatis pennæ necessariæ vt ad Deû euolent.

23. His alis, dum insignitur anima, breuissimo volatu, appropinquat Deo, quantumuis dum in peccatis esset, magnum fuerit chaos, inter Deum, & ipsam. Vide quàm facilè sponsa his alis prædita Deo appropinqua- His alis anima instructa licet peccatrix facilè ad Deum euolat.

pinquauerit. Errabunda sponsa per vicos, & plateas ciuitatis, Cant. 3. custodes inuenit, à quibus anxia, sciscitatur, vbi sit dilectus suus, & sponsus. Et quòd mirere magis, ait: *Paululum cùm pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Cùm tantum sit, & tam immensum spatium inter Deum & creaturas, quomodo sponsa errabunda, cùm solùm paululum pertransisset custodes, ipsasque creaturas, tam facilè Deum inuenit, & tenet? charitatis erga Deum alâ, facilè hoc iter conficit, atque immensum illud superat chaos. Pulchrè Gilbert. Abb. serm. 8. in Cant. ait: *Chaos magnum firmatum est inter nostram & Dei naturam. Omnes gentes (ait Propheta) quasi non sint, sic sunt coram eo, & & quasi nihil, & inane reputatæ sunt ei. Quæ ergo poterit assignari conuenientia, & vicinitas. inanis cum solido, nihil cum immenso? Qua ergo ratione dicit: Paululum cùm pertransissem illos, inueni quem diligit anima mea? Pennigera est charitas, & perpeti volatu ardentis desiderij, interiacens, hoc de quo loquimur, prætervolat vacuum*, &c. O mirandum charitatis volatum! ô miranda charitatis ala!

GILBERT.

Qualiter hominem deprimant peccata. AVGVST.

24. Qualiter autem hominem grauent & deprimant peccata, idem Augustinus ser. 24. De verbis Apostoli sic pulchrè explicat: *Quomodo*, ait, *reficit peccatis oneratos, nisi indulgentiâ peccatorum? Concionator mundi de quadam specula excelsa auctoritatis exclamat, audi genus humanum, audite filij Adam, audi genus laboriosum & infructuosum: video laborem vestrum, videte donum meum, scio laboratis & onerati estis, & quod est miserius, laboriosas sarcinas vestris humeris alligastis, adhuc quod peius est, onera vobis addi petitis, non deponi. Quis nostrûm breui tempore potest multiplicitatem & varietatem harum differere sarcinarum? tamen inde pauca commemoremus, & de his cætera coniectemus. Videte hominem oneratum sarcinâ auaritiæ, videte illum sub hac sarcina sudantem, anhelantem, sitientem, & laborando, sarcinam addentem. Quid exspectas ô auare, amplectens onus tuum & catenis cupiditatis, alligans malam sarcinam sub humeros tuos? Quid exspectas? Quid laboras? Quid inhias? Quid concupiscis? Nempe satiare auaritiam. O vota inania & facta nequissima! Exspectas ergo satiare auaritiam. Illa te potest premere, tu illam non potes satiare. An fortè non est grauis? Vsque adeò etiam sub hac sarcina sensum perdidisti? Non est grauis auaritia? Quare ergo te de somno excitat, quæ te aliquando etiam dormire non sinit? Et fortasse cùm illa habes alterum onus pigritiæ, & ista duo nequissima onera, secumq; pugnantia, premunt te, & dilaniant te. Non enim paria imperant, non enim similia iubent. Pigritia dicit, dormi: auaritia dicit, surge: pigritia dicit, noli pati frigidos dies: auaritia dicit, tolera in mari etiam tempestates. Illa dicit, quiesce: illa non sinit quiescere, iubet, non solùm procede, sed & nauiga trans mare, quære terras quas ignoras, merces in India deportandæ sunt, non nosti linguam Indorum, sed intelligibilis videtur sermo auaritiæ. Venies ignotus ad ignotum, das, accipis, emis, portas, periclitatus venisti, cum periculo redis, exclamas in mari, exagitatus tempestate, Deus libera me. Non audis respondentem, Quare? Misi te? Auaritia tibi iussit vt acquireres quod non habebas, ego tibi iussi vt sine labore, ante ostium tuum pauperi dares quod habebas. Illa te ad Indos misit ad deportandum aurum, ego tibi ante ostium Christum posui à quo emeres regnum cælorum. Ambo iussimus, non audisti me, cui obaudisti, liberet te.* Et paulò pòst: *Malè te subiugauerat cupiditas, salubriter te subiuget charitas.* Sic ille. Sicut peccata mortalia has rumpunt alas, ita easdem rodunt peccata venialia, vt non nisi difficulter ad Deum euolet anima.

De pennis columbæ, & passeris.

§. III.

Pennæ columbæ humilitas in prosperis patientia in aduersis. INCOGNITVS.

1. IN duabus pennis columbæ, quas sibi dari exoptat Dauid Psal. 54. dicens: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam*, intelligit Incognitus in eundem locum, humilitatem in prosperis, patientiam in aduersis, sic scribens: Iustus timet in prosperis, & in aduersis. Duo autem sunt remedia contra illum timorem, quem significant in pennis columbæ. Nam sicut dicunt naturales, accipitrum sunt duo genera, quidam sunt nobiles, qui aues non caperent, nisi in altum volando, essent eleuatæ à terra, & quidam sunt degeneres, qui eas non caperent, nisi in terra. Columba autem istos cognoscens, vt primos videt, statim descendit ad terram, & quando secundos, statim volat in altum. Sic & moraliter. Accipiter auis rapax, est diabolus, qui aliquos rapit in alto, scilicet in statu prosperitatis, & aliquos, in basso, scilicet in statu aduersitatis. Columba autem significat iustos, & simplices, qui felle peccati carent. Hæc columba duas alas habet, scilicet humilitatem & patientiam. Quando ergo videt iustus accipitrem, diabolum ipsum, volentem rapere, sursum in alto prosperitatis, tunc vti debet alâ humilitatis, per prospera non se exaltando, sed ex hoc se magis Deo debitorem cognoscendo: quia cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Quando autem videt diabolum, se volentem rapere in terra, scilicet in basso aduersitatis, tunc volare debet in altum per alam patientiæ & spei, sperando, quòd patientia est via ad cœlum, meditans verbum Christi. Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Istæ ergo sunt alæ columbæ, quas iustus à Deo sibi dari petere debet, scilicet humilitas

Accipitrum duo sunt genera, & qualiter columba ab eis sese tueatur, in quo imitanda à quolibet Christiano.

tas in prosperis; & patientia in aduersis dicens: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Talis ergo columba, duabus prædictis alis volat mente, à prosperitatibus mundi, illis non se exaltando: & ab aduersis illis, non se deiiciendo: sed in foraminibus plagarum & Passionis Christi requiescit. Tali, Christo dicente Canticor. 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ.*

AVGVST. 2. D. Augustinus exponens illud Ps. 83. *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum vbi ponat pullos suos.* In passere, animam; in illius pennis, virtutes, præsertim fidem, spem & charitatem; in domo, cælestem patriam; in turture, carnem; in pullis, opera bona; in nido, Ecclesiam intelligens; sic ait: *Inuenit sibi domum passer, inuenit sibi domum cor meum. Exercet pennas in virtutibus huius temporis, in ipsa fide, spe & charitate, quibus volet in domum suam: & cùm venerit permanebit, & iam querula* vox passeris, quæ hic est, non erit ibi. *Nam ipse est querulus passer, de quo in alio psalmo dicit; Sicut passer singularis in tecto, de tecto volat ad domum. Iam sic sit in tecto, calcet domum carnalem; habebit quendam cælestem locum, perpetuam domum. Passer iste finiet querelas suas. Turturi autem dedit & pullos, id est, carni: inuenit nidum turtur vbi ponat pullos suos. Passer domum, turtur nidum: & nidum vtique vbi ponat pullos suos. Domus tanquam ad sempiternum eligitur, nidus ad tempus congeritur, corde cogitamus Deum tanquam volantem passerem ad suam domum, carne autem agimus opera bona: videtis enim per carnem sanctorum quanta bona fiant. Per hanc enim operamur quæ iussi sumus operari, quibus adiuuamur in hac vita. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam: si videris nudum vesti, & cætera talia quæ nobis præcepta sunt, non operamur nisi per carnem.* Et paulò pòst: *Sed non vbicumque turtur inuenit nidum sibi, vbi ponat pullos suos. In fide verâ, in fide catholicâ, in societate vnitatis Ecclesiæ pariat opera sua.*

Passer anima, illius pennæ virtutes.

De Alis virginitatis & castitatis.

§. IV.

Penna virginitas & castitas.

3. PEnnis quoque comparatur virginitas, & puritas, hisce pennis, instructus Ioannes Euang. instar cuiusdam cælestis aquilæ, ad quæ diuinæ essentiæ fastigia non se eleuauit. *Ioannes*, inquit D. Hier. Isaiæ 6. *Petro tardiùs ambulante, elatus virginitatis alis, cucurrit ad Dominũ, qui in secreta diuinæ se natiuitatis immergens, ausus est dicere, quod cuncta sæcula nesciebant: In principio erat verbum*, &c. Et libr. 1. aduersus Iouinianum: *Ioannes noster tanquam aquila ad superna volat, & ad ipsum Patrem peruenit, dicens; In principio erat verbum; exposuit virginitas quod nuptiæ scire non poterant.* Hactenus ille. Ecce qualiter Ioannes, virginitatis pennis suffultus, Petrum in cursu vincit, & cæteris Apostolis, altiùs, ad solium diuinitatis, pertingit.

HIERON.

4. Hæ virginitatis pennæ cælestem prorsus reddunt hominem, præsertim si illis adiuncta charitatis & misericordiæ penna, vt bene expendit D. Leo serm. 4. de passio. Sic extollit corporis & animi pudicitiam: *Et quia nihil est omnium virtutum dignitate præstantius, quàm pietas misericordiæ, & puritas castitatis, his nos præsidijs specialiùs instruamus, vt charitatis opere, & nitore pudicitiæ, tanquam duabus eleuati alis; de terrenis mereamur esse cælestes: quo desiderio quisquis gratiâ Dei adiutus impletur; huius lumina vastator Angelus sanguine agni, & signo crucis prænotata non intrat.*

Hæ pennæ cælestem prorsus reddunt hominem. D. LEO.

5. Quin etiam, hæ puritatis & castitatis pennæ, nos è nostro limo, & è nostro puluere, ad illos Angelorum thronos, neque Angelorum modò, sed ipsius quoque Dei similitudinem, excitant. Audi Basilium libro de vera virginitate: *Magnum*, inquit, *re vera quiddam, at præclarum est virginitas, quæ hominem incorruptibilem Deo simillimum facit. Hæc autem non à corporibus ad animas manat, sed cùm animæ propria sit, eius integritate, quæ pretiosissima est, corpora quoque incorrupta seruantur. Anima verò, viri boni desiderio, imagineq; susceptâ, ad bonum illud veluti penna quadam pudicitiæ sanctitate, subuehitur, cùm incorruptibilem Deum, incorruptibili puritate, colere studens, corporis munditiam, ad summi illius boni obsequium, quasi ancillam deducit. Sic autem fidelis anima, seipsam ab omni labe puram, immaculatamq; custodiens, ad id prouehitur, vt similitudinem Dei in se, velut in speculo mundissimo, ipso Deo, iam gratijs suis, in morem suauissimi radij influente, consequatur.*

Hæ alę extollunt homines ad angelorum imò & ipsius Dei similitudinem. BASIL.

6. Et quamuis corpus quod corrumpitur, aggrauet animam, si tamen voluptatem excutiat, & grauedinem expellit, & alas suscipit, quibus & liberos, & perpetes volatus edat. Ad hæc D. Ambrosius libr. 7. in Luc. ait: *Caro, si consentiens Dei legi, & exuens se lege peccati, in naturam animæ, sensuum puritate, transierit, alis ad cælum spiritualibus eleuatur. Quia volandi nobis gratiam natura dedit, abstulit voluptas.*

Imò per eam etiam alas suscipit caro nostra. AMBROS.

Denique virginitas cum alis cognationẽ maximã habet, quia qui custodire eam cupit, debet ab omni periculo non tam abire, quàm auolare, multi castitatis florem amisere, quia alis caruerunt nec se à lapsus occasione statim surripuerunt cùm possent. Alas habuit Ioseph cùm relicto in impiæ fœminæ manibus pallio, statim aufugit. Non habuit Dauid, non habuit Salomon; & idcirco in luxuriæ cœnum delapsi integritatis florem perdiderunt. Igitur qui castitatem amat, & castitati consulẽ vult, alas simul habeat vt nocitura fugiat.

Amans virginitatis debet ab omni periculo non tam fugere quàm auolare.

De alis paupertatis & ieiunij.

§. V.

Paupertas pennæ similis.

7. PEnnis quoque assimilari paupertas potest, præsertim si sit voluntaria: quam homines, suo pondere, retardent à regno cælorum, diuitiæ quis nescit? *Quàm difficilè*, ait Dominus Matth. 19. *intrat diues in regnum cælorum?* cur quæso difficulter intrat? Rationem adfert D. Hieron. epist. 34. ad Iulianam, quod loco expendens adolescentem illum Euangelij vehementer contristatum ex Domini consilio, quo omnia vendere & pauperibus dare iubebatur, sic ait: *Qui omnia se fecisse dicebat, in primo certamine diuitias vincere non potest. Vnde difficile intrant diuites in regna cælorum, quæ expeditos, & alarum leuitate, subnixos habitatores, desiderant.* Si regna cælorum, alarum leuitate, subnixos habitatores desiderant, quomodo ad ea euolabit homo diuitiarum pondere grauatus, & rerum terrenarum vinculis irretitus. Verùm pauperibus ipsa paupertas pro alis est, vt ad cælestia euolent regna. *Magna*, ait Bernardus serm. 4. de aduentu, *quædam penna est paupertatis; quâ tam citò volatur in regnum cælorum. Nam in alijs virtutibus, promissio futuro tempore iudicatur: paupertati, non tam promittitur, quàm datur.*

HIER.

BERN.

Matthæus à lucris liber facilè se patitur rapi ad diuina.

8. Vidit Christus Dominus, sedentem in telonio hominem Matthæum nomine, & ait illi, *sequere me, & surgens secutus est eum.* Qui fieri potest, vt in telonio non stans sed sedens, vtpote diuitiarum vinculis constrictus homo tam citò surgat, & sequatur Christum? Non id equidem mirum, iam ex illius animo, diuitiarum affectum ablegauerat Christus, & spontaneam induxit paupertatem, qua pennatus affectus iam volat ad diuina ocior Euro, vnde Chrysologus sermone 29. inquit: *Generosus animus, ea, quæ magna putarat, facilè & quasi nulla contempsit: à lucris, vt se sensit, & vidit liberum, sic raptus est ad diuina.* Et S. Greg. hom. 18. in Ezech. *volant*, ait, *qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt.* Volant autē concitatissimo volatu, vtpote columbarum more, iuxta illud Ps. 67. *Penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Vbi homo, post aurum non abiit, sed post dorsum illud reiicit, atque contemnit. Ibi mox enascuntur, pennæ columbæ deargentatæ, quibus tum ad regna cælorum euolat, tum omnes mundi huius laqueos, & retia superat, vt nullatenus illi timendum sit à verbo aspero, iuxta illud D. Bernardi ser. 3. in Ps. *Qui habitat.* inquit: *Vos autem fratres mei, vos pennati, ante quorum oculos frustra iacitur rete, vos qui diuitias huius sæculi penitus reliquistis, quid timeatis à verbo aspero, quoniam iam liberati estis à laqueo.*

CHRYSOL.

BERN.

Aues celerrimè, ait D. Chrysost. hom. 22. ad Hebræos, *montes, colles, maria, & scopulos, momento temporis, sine vllo impedimento, transuolant; talis est etiam mens cùm pennas acceperit, cùm à sæcularibus abscesserit nihil iam apprehendere poterit. Omnibus erit eminentior iaculis igneis Diaboli, non est ita perfectus sagittarius Diabolus vt possit ad istam altitudinem pertingere, sed dimittit quidem iacula, non autem attingit sed reuertitur ad eum iaculum inane, immò in caput eius.*

CHRYSOS.

Ieiunium instar alæ.

9. Ieiunio nos quoque vti alarum instar, extra controuersiam, nam vt canit Ecclesia, *corporali ieiunio Deus mentem eleuat.* D. Chrysostomus homil. 1. in Genes. ex abstinentia, & ieiunio alas animæ aduenire, qua terrenis rebus superior sese cælis inferat, sic eleganter adstruit: *Ieiunium animæ nostræ alimentum est, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & summa cōtemplari queat, voluptatibusq́; , & omnibus quæ in hoc mundo habentur suauia, ipsa fit superior.* Adstipulatur huic cogitationi S. Cyrillus Hierosl. Catech. 3. locustarum cibum, quo perpetuò ieiunabat Ioannes Baptista in deserto Marc. 1. ad has animæ alas, quibus sese in altum ex ieiunio efferebat, sic reuocantem: *Locusta manducantem, & alas parantem animæ.* Sed pergit D. Chrysostomus hanc venustam subiiciens imaginem: *Et quemadmodum leuiores naues maria velociùs transeunt, contrà multo onere grauatæ submerguntur: ita ieiunium quidem leuiorem reddens mentem, efficit vt facilius huius vitæ pelagus transmittat, & in cælum, & ea, quæ in cælis sunt, respiciat, & nihil faciat præsentia.* Sic Chrysost. Sed vt alâ hac eleuemur oportet comites habeat, nimirum vnitatem & proximi pacem, iuxta doctrinam D. Bern ser. 4. de Quadr. vbi ponderans verba illa Ioëlis 2. *Sanctificate ieiunium, vocate cætum?* sic ait: *Quid est enim cætum vocare? vnitatem seruare, diligere pacem, fraternitatē amare. Superbus ille Pharisæus ieiunium habuit, qui nimirū ieiunabat bis in Sabbatho, & gratias egit Deo, sed nō vocauit cætū dicens: Luc. 18. Non sum sicut cæteri hominum: ideoq́; ala vna nitens ieiunium eius non peruenit ad cælum. Vos ergo charissimi, sanctificate ieiunium; vt pura intentio, & deuota oratio diuina illud offerat maiestati. Vocate cætum, vt congruat vnitati*, &c. Certè si quis absque ieiunij alâ tentet ad cælum cælestemque patriam euolare, hic toto errat cælo. De gruibus refertur quòd cùm æstate transacta, & hyeme approximante, cogitant in alias & longè remotas, à nobis terras transuolare, corpora extenuare & alleuiare studeant, eo tempore abstinentes & cibis lautioribus, & non nisi arena & lapillis stomachum replentes, vt ipsa docet experientia, vnde etiam eo tempore ob nimiam maciem ad esum penitus non sunt aptæ.

CHRYSOS.

BERN. Ieiunium vt eleuet comites habeat, vnitatem & proximi pacē.

Corpus extenuandum vt ad cælestia euolemus.

aptę. O Christiane vis è terrena regione ad cælestem euolare? Ieiunio & abstinentia corpus extenuandum, ieiunio mens eleuatur & apta redditur, vt ad cælos euolet ibique figat habitationem suam.

CHRYSOL. Huc spectant verba Petri Chrysologi ser. 2. *Vacuandus venter moderatione ieiunij vt exoneratus animus possit ad alta pertendere, conscendere ad virtutes, possit ad ipsum pietatis auctorem totus aliger peruolare. Hoc Elias probat qui Dominici continuatione ieiunij defæcatus à carnali pondere mortis victor euolauit ad cælum.* Quid corpori Eliæ tantam præbuit vim & efficiam vt igneo curru in cælum iuerit? sanè non alteri, quàm alæ, siue vehiculo ieiunij id adscribendum. *Ieiunium*, inquit S. Ephrem hom. de ieiunio, *vehiculum est ad cælum. Vide*, ait S. Zeno ser. de ieiunio, *ieiunando Elias quò ascenderit, vide Eua quò descenderit manducando & ibi ad manducandum auctor & consiliarius serpens est, imò Diabolus in serpente, hic vt ieiunans ascendat ad cælum auctor est & monitor Deus.* Ascēdit Elias ieiunans, descendit Achab ebrietate correptus, quod S. Petrus Chrysolog. ser. 12. his verbis expendebat: *Ieiunium Eliā perduxit ad cælum, quando Achab impium ebrietas ad inferna deiecit*, & serm. 166. *Ieiunium Eliam leuauit ad cælum, & purificato sic corpori ignei currus addixit obsequium.*

Sicut autem ieiunium aligerum reddit, tum animam tum corpus, sic econtrario ciborum deliciæ deiiciunt mentem, ad terram trahunt, & si fortè aliquando subleuetur, illis tanquam visco quodam impeditus, ne possit volare, rectè S. Bernard. ser. 2. in vig. Natiu. Domini. *Viscus quidam*, inquit, *praui desiderij & delectationis terrenæ volare non patitur & citiùs retrahit mentem si fortè aliquando subleuetur.* Sic ille. Quàm noxius ille viscus qui animæ volatum impedit vt terram decidere faciat?

BERN.

De virtutum Alis.

§. VI.

Virtutes pennis similes. BRVNO.

10. OMnes virtutes pennarum habere rationem certissimam, hisce enim ad cælestia euolamus. D. Bruno tom. 3. cap. 9. de auibus nouis, expendens verba illa Isaiæ 6. *Seraphin stabant super illud, sex alæ vni & sex alæ alteri*, sic conuenienter scribit, *Alæ virtutes sunt, alæ bona opera intelliguntur, sine quibus volare non possumus, ipsæ nos ferant, ipsæ ad cælestia eleuent. Habes humilitatem ala tibi est, habes misericordiam ala tibi est, habes patientiam ala tibi est: quot virtutes habes tot alas habes. Si habes charitatem vt Deum & proximum diligas, duas alas habes quæ tibi ad volandum sufficere possunt.* Vnde D. Greg. 24. moral. 6. exponens illa verba Ezech. cap. 3. *Et audiui post me vocem commotionis magnæ, & vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram*, sic ait: *Quid alas animalium nisi virtutes debemus sentire sanctorum? qui dum terrena despiciunt, ad cælestia volando subleuantur. Vnde rectè per Isaiam cap. 40. dicitur: Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem: assument pennas vt aquilæ.* Deinde verò exponens quid mysterij in eo lateat, quòd alæ percutiuntur altera ad alteram, ait: *Volantia itaque animalia alis suis se vicissim feriunt: quia sanctorum mentes in eo quòd superna appetunt, considerati inuicem alterius virtutibus, excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis propriæ, me ad melius accēdit. Et alâ meâ vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonū quod imitetur ostēdo.*

GREGOR.

Quid mysterij contineat quod alæ percutiuntur altera ad alteram.

11. Idem D. Greg. hom. 10. in Ezechiel. eadē verba tropologicè exponens, vult illis significari, qualiter sancti, vt melius totam gloriam, rectè factorum, declinent, & effugiant, respicere potiùs soleant ea, quæ sibi ad consummationem, & apicem perfectionis desunt, in aliis verò relucent, quàm glorientur de his, quibus pollent, & præstant: sic enim dum se deiiciunt, propriæ humilitatis mercedem lucrantur, & aliorum meritis, ac virtutibus, eas recolendo, & mutando, in melius proficiunt, & ascendunt. Sed adducenda illius verba: *Mira*, ait, *dispensatione omnipotens Deus sic in electis suis, sua dona dispensat, vt & isti det, quod illi denegat: & alteri maius, quod alteri minùs tribuit: quatenus dum vel iste habere illū conspicit, quod ipse non habet; vel ille hunc maius accepisse considerat, quod sibi minus adesse pensat, dona Dei alter in altero, id est, vicissim omnes admirentur: atque ex hac ipsa admiratione humilietur alter alteri; & quem videt habere quod non habet, eum diuino iudicio sibi prælatum putet. Alis ergo suis vicissim se animalia feriunt, cùm sanctæ mentes, alternis se virtutibus tangunt, & tangendo excitant, atque excitata ad profectum volant. Videamus Paulum quo modo Apostolicis alis tactus, atque excitatus, ad pœnitentiam fuerat: qui mala præterita persecutionis suæ, ad Apostolorum innocentem vitam, considerans, dicebat 1. Cor. 15. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus: quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Considerauit quippe Apostolorum innocentem vitam, & propter præcedentem malitiam, vilius in eius oculis facta est omnis, quam exhibebat in Ecclesia, solicitudo sua. Et quam multos ex accepto intellectu præcederet, non attendit: quia illorum innocentiam pensans persecutorem aliquando fuisse se doluit. Sed videamus si quis ex Apostolis eum, qui Paulo datus est, intellectum miretur. Ipse nobis Apostolorum primus requirendus est, qui discipulos admonens ait 2. Petr. 3. Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu; quæ indocti, & instabiles deprauant. Miratur itaque in Apostolis omnibus Paulus innocentiam: miratur Apostolorum primus,*

GREGOR. Sancti considerant ea quæ sibi ad perfectionē desunt, in aliis verò relucent, & sic alæ percutiuntur altera ad alteram.

primus, in Paulo sapientiam. Alis ergo se tangunt, qui inde se vicissim ad profectum excitant, vnde volant. Hoc itaque omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque vnicuique regioni fructus omnes tribuere, sed si vna qualibet regio alterius regionis fructu non indigeret, communicationem cum altera non habuisset: vnde fit vt huic vini, alij verò olei, abundantiam tribuat: hanc multitudine pecudum, illam verò vbertate abundare fructuum: vt cum illa defert, quod ista non habet, & ista reddit, quod illa non detulit, per communionem gratiæ, sibi simul etiam diuisæ terræ, coniunctæ sint. Sed inter hæc sciendum est, quia sicut electi quique hoc semper in aliis attendunt, quod à Deo melius acceperunt, quàm ipsi, vt eos sibi in cogitatione præferant, seq; illis in humilitate substernant: ita reproborum mens nunquam considerat quid alter boni ampliùs, quàm ipse, sed quid boni ipse ampliùs, quàm alter habeat: neque enim pensant, quæ bona spiritus alter acceperit, & ipsis desint: sed quæ bona ipsi, & quæ mala adsint alteri. Et cùm omnipotens Deus ad hoc virtutes singulas diuidat, vt alterum alteri in cogitatione humiliet: ad hoc reprobi pertrahunt bonũ, quod acceperunt, vt ex eo in elatione perdantur: dum semper considerant bona, quæ ipsi habent, & alij non habent, & nunquam perpendere student, quanta bona alij habeant, & ipsi non habeant. Quod ergo diuina pietas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reprobæ in augmentum vertunt elationis. Et ex diuersitate munerum à bono deficiunt, vnde crescere in humilitatis bono debuerunt. Propter hoc necesse est, fratres charissimi, vt in vobis hoc semper aspicere debeatis, quod minùs habetis: in proximis verò hoc, quod vobis ampliùs acceperunt: quatenus dum super vosmetipsos eos pro bono, quod ipsi habent, & vos non habetis, aspicitis, ad hoc quoque obtinendum etiam vos ex humilitate crescatis. Si enim & vos in illis accepta bona perpenditis, & illi in vobis considerant bona, quæ habetis: vicissim vos alis tangitis, vt excitati semper ad cælestia voletis, &c. Hactenus Greg.

12. Quod autem Ezechiel. cap. 1. legitur: *Iunctæq; erant pennæ eorum alterius ad alterum*, Cornelius scribens in epist. Iacobi, vult illud, pro symbolo esse pacis & concordiæ, quæ vigent in Cherubinis, qui increatæ sapientię primum, viuumque sunt exemplar, & vigere consequenter debent in omnibus sapientiæ veræ studiosis, quam Iacobus proinde pacificam vocat, pacisque amantem, eò quòd in se colat pacem, & consequenter eandem aliis communicet & conciliet. *(Iunctæ pennæ concordiam sanctorum indicant.)*

13. De animalibus illis Ezechiel. cap. 1. dicitur; *Dumque starent dimittebantur pennæ eorum*, quibus quidem verbis indicatur, Sanctos de propriis non confidere virtutibus, non eas sibi, sed Deo adscribere. Similiter volucres antequam sese in sublime efferant, alas corpusque dimittunt, & forsitan, ipso rostro, ad colligendum impetum, humum tangunt, eundem in modum sancti dimittunt virtutum pennas antequam sese in cælestia tollant, atque humilitate vires colligunt. *(Sancti Deo proprias adscribunt virtutes.)*

De alis gratiæ, contemplationis, & ratiocinationis.

§. VII.

14. IN pennis quoque diuina signatur gratia, quâ homo è statu perditionis ad Deum euolat, hinc D. Greg. hom. 7. in Ezech. sic ait: *Quod apud Ezechielem penna, hoc apud Petrum, Epistola 1. c. 4. accepta gratia dicitur. Et quod ille ait: Erectæ pennæ alterius ad alterum; hoc Ecclesiæ pastor dicit, vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.* *(Pennæ symbolum gratiæ. GREGOR.)*

15. Præterea quid rerum cælestium cõtemplatio & consideratio, an non illæ & pennæ animi? Refert Pierius lib. 21. dixisse olim Zoroastrem animum esse alatum: at decidentibus alis, præcipitem in corpus ferri. Hoc animo, hoc cordi euenit: alæ si decidunt, in carnem decidit, humique in cæno, lutoque carnali, instar suis sese volutat, atque putrescit. Vnde illud Augustini serm. 50. de tempore: ***Leua cor in cœlo, ne putrescat in terra***, &c. Cùm autem Zoroaster alis præditas esse animas sæpius referret, quæ si exciderent, in præceps ferri, si contra succrescerent ad cælum euolare: percunctantibus discipulis, qua ratione, citò volucres animas sortirentur? si rigarent, inquit, aquis vitæ. Iterum sciscitantibus vnde tam salutares aquas peterent, respondit: Dei paradisum quatuor amnibus irrigari, quorum qui ab aquilone Pischon, id est rectus: ab occasu Dichon, quod expiatio est, ab ortu Chiddechel, quod lumen sonat: qui à meridie, Dirath, quod pietatem interpretari possumus. Rectus Dialecticã denotat, quæ est amussis, expiatio moralem scientiam: lumen ab ortu naturalem Philosophiam, quæ verè ab ortu est: at pietas supremam complationem. Hæc enim animum alatum reddit, separat à terrenis, & attollit ad cælestia. Qualiter oratio nobis instar alæ sit, indicat Chrysost. dum ait l. 2. de orand. Deum. *Per hanc, datur ex aquis euolare.* *(Pennæ signant etiam cælestium rerum contemplationem. AVGVST. Animus alatus iuxta Zoroastrem. Qua ratione anima volucris fiat. Penna oratio.)*

16. Hisce etiam alis annumerandæ ratiocinationes iuxta illud Chrysost. homil. 16. ad pop. *Alæ, inquit, auiculis sunt, vt effugiant laqueos, ratiocinationes hominibus, vt effugiant peccata*, &c. Si alis priuetur auis facilè capietur, si consideratione priuetur homo, facilè à dæmone irretietur. Nam quemadmodum alæ, vt effugiat hominum *(Pennæ ratiocinationes. CHRYSOS.)*

hominum manus, datæ sunt aui, sic rationes, & considerationes rerum æternarum datæ sunt homini, vt effugiat manus dæmonis.

De alis intellectus & voluntatis.

§. VIII.

Intellectus & voluntas alæ, quibus ad superna extollimur.

17. IN alarum numero, quibus homo ad cælestia fertur, computanda etiam intellectus & voluntas, quæ si libera sint, & expedita, id est, nullo peccatorum pondere grauata, nullis terrenarum rerum vinculis irretita, nullo prauo humore imbuta, nullo visco carnalium voluptatum respersa, mirum quo impetu ad minimum diuini spiritus impulsum & tactum, rapiantur ad cælestia & diuina.

GREGOR.

Pulchrè Gregor. Nyssen. in libr. de virginit. cap. 11. vbi ita scribit: *Quis tam expers est arcanorum Euangelij, qui ignoret vnum esse humanæ menti vehiculum, quo in cælum nitatur, vt ad imaginem columbæ delapsæ se confirmet, cuius alas sibi contingere etiam Dauid ille vates exorat:* &c.

Ad solum Deum animo euolandum. NAZIAN.

18. Neque minus eleganter Gregorius Naz. ad solum Deum animo euolandum esse docet epistola 57. ad Eudoxium Rhetorem dicens: *Noli id Philosophia, quod iam accepisti, proiicere, nec secundas potiùs in secundis rebus, quàm primas in maximis habere. Quousque ob res paruas, humiq; reptantes inflabimur, atque inter adolescentulos, & fabulas ludemus, & applausibus in altum attollemur? Migremus hinc, viri efficiamur, somnia proiiciamus, vmbras prætereamus, aliis vitæ oblectamenta, plusq; doloris, quàm voluptatis habentia, relinquamus. Alios occupatos teneant, iactent, ludificentur, inuidia, & tempus, & fortuna. Sic enim rerum humanarum inconstantiam appellant. Valeant throni, principatus, opes, splendores, elationes, casus, vilis hæc, & despicabilis gloriola (ex qua plus dedecoris quis capiat, si animo efferatur, quàm si irrideatur) ac denique magnæ huius scenæ lubrica nugæque theatrica: Nos verbum arctissimè complectamur, ac pro omnibus rebus Deum habere optemus, solum, inquam, perenne illud bonum, & nostrum. Ita fiet vt hic quoque splendorem assequamur, aut certè in futuro æuo. Quandoquidem virtutis præmium est Deum fieri, ac purissimo illo lumine irradiari, quod in triplici vnitate consideratur, cuius nunc radiis leuiter tantum perstringimur. Adhæc contende, progredere, animo volita, vitam æternam arripe, nusquam spes tuas siste, quousque ad illum summè expetendum, & beatum bonum perueneris.* Sic ille docet abstrahere animum, & à prosperis, & aduersis huius vitæ, & animo siue intellectu & voluntate ad Deum euolare.

Animo ad Deum fugiendum. AMBROS.

16. Huc referenda quæ scribit D. Ambrosius in libro de Isaac & anima cap. 8. *Fugiamus*, ait, *erga patriam verissimam. Illic patria nobis, & illic pater à quo creati sumus: vbi est Ierusalem ciuitas, quæ est mater omnium.* Deinde ita subdit Ambrosius: *Sed quæ est fuga? Non vtique pedum, qui sunt corporis. Isti enim quocunque currunt, in terra currunt, & de solo ad solum transeunt. Nec nauibus fugiamus, aut equis, qui obligantur, & cadunt, sed fugiamus animo, & oculis, aut pedibus interioribus. Assuescamus oculis nostris videre, quæ dilucida, & clara sunt, spectare vultum continentiæ, & temperantiæ, omnesq; virtutes, in quibus nihil obscurum & tortuosum sit: & seipsum spectet quis, & conscientiam suam, illum oculum mundet, ne quid sordidum habeat. Quod enim videtur, non debet dissonare ab eo, qui videt: quoniam conformes nos Deus voluit esse imaginis filij sui, solem nisi sanus, & vehemens oculus non aspicit: nec bonum potest videre, nisi anima bona. fiat ergo bonus, qui vult videre Dominum, & quod est bonum*, & cætera quę sequuntur apud D. Ambrosium de volatu animę in Deum.

Alæ sunt cogitationes prudentiũ, quibus ad Deum euolamus. AMBROS.

20. Neque omittenda quę huc spectantia scribit Diuus Ambrosius libro 3. de Virgin. *Habet*, ait, *anima volatus suos. Et ideo dictum est: qui sunt isti qui sicut nubes volant, & sicut columbæ cum pullis suis? Habet ergo anima spirituales volatus, quæ breui momento totum percurrit orbem. Liberæ enim sunt cogitationes prudentium. Quantò ad altiora & diuiniora se surrigunt, tantò magis sine vllo terrenæ molis impedimento feruntur. Itaque adhærens Deo, & imaginis in se referens cælestis effigiem, vbi cursus suos ab equorum perturbatione placidauerit in illum æthereum purumque locum plausu spiritualium enecta pennarum despicit omnia quæ in hoc mundo sunt, & æternis intenta virtutibus, supra mundum labitur. Supra mundum enim iustitia est, supra mundum castitas, supra mundum bonitas, supra mundum est sapientia: & si in hoc mundo sit, supra mundum tamen est. Discite ergo in hoc mundo supra mundum esse, & si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. Supra mundum est ille, qui tollit Deum in corpore suo.* Et paulò pòst: *Ergo non pigrescamus deserere terrena. Ea est enim natura pennarum, vt agitando se virtutem capiat, eo iuuatur volatus, quo anima delectatur.* Paulò inferiùs sic concludit idem Diuus Ambrosius: *Ergo quia volandi data nobis est copia, excitet in se vnusquisque gratiam Dei, ac posteriora obliuiscens, priora appetens, ad destinata contendat. Procul à militia honoribus, procul ab æstibus mundi: ne (quod fabulæ ferunt) æstu solis cera resoluta, Icarios volatus pennæ relabente destituat. Nam licet grauitas dictorum absit, Poëtico tamen sale declarare voluerunt prudentium maturitati tutos volatus esse per seculum; inuenilem verò leuitatem obnoxiam cupiditatibus*

tibus mundi refluentibus pennis, & per obliuia veritatis, meritorum compage resoluta, maiore pernicie in terram relabi. Hactenus Ambrosius.

BOETH. Huc spectat illud Boethij de consolat. libr. 4. met. 1.

Sunt enim pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli,
Quas sibi cùm velox mens induit,
Terras perosa despicit:
Aëris immensi superet globum,
Nubesq; post tergum videt, &c.

Dum hisce alis anima cælum petit, sese que ab humanis erigit, iam requie potita summa gaudet tranquillitate. *Vbi enim volatus*, inquit D. Ambrosius libro de fuga sæculi c. 1. *ibi requies.*

Iuuat has alas esse nitidas, quibus ad cælum euolamus. Alæ emundantur puluere. COLVMELLA.

21. Vt hisce pennis anima sese ad cælestia & diuina meliùs subleuet, citiusque euolet, iuuat alas de quibus supra, esse quàm maximè nitidas atque mundas, emundantur autem auium, puluere atque cinere, iuxta doctrinam Columellæ libro 6. cap. 4. *Siccus*, inquit, *puluis & cinis vbicumque cortem porticus, vel tectum protegit, iuxta parietes reponendus est. Vt sit, quò aues se perfundant. Nam his rebus plumas, pennasq; emundant, si modò credimus Ephesio Heraclito. Qui ait Sues cano, Cortales aues puluere, vel cinere lauari* &c. Auis es, ô Christiane, ad cælum volas, emundandæ tibi sunt alæ, & quidem puluere emundandæ: Sed quo puluere? Nimirum sepulchrali, te hominem, te semper mortalem cogitans. O quàm hoc puluere emundatæ pennæ intellectus & voluntatis, in altum se efferunt, quamque citò inferiora deserunt.

Apum more hæ alæ, librandæ.

22. Non abs re etiam fuerit, dum his alis ad cælestia tendimus, apum more sese lapillis assumptis, quasi librare & saburrare, vt tutiùs aduersus vanæ gloriæ & elationis ventos, recto tramite, incedamus. Suadet hoc in primis Virginibus D. Ambros. libr. 3. de virgin. dicens: *Ergo & tu, si munera diuina superfluere in te & redundare cognoueris, tuam metire virtutem, gratiam Deo redde, contemplationemq; corporis, velut nauis saburram suscipe, ne te in tantis mundi fluctibus, iactantiæ alicuius aura circumferat. Apis illa sapiens, cùm aëris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis per inania se librat nubila, ne leue alarum remigium præcipitent flabra ventorum. Paulus & Barnabas putauerunt se grauari cùm cernerent se adorari. Et tu caue virgo illius apiculæ modo, ne alarum tuarum volatum aura mundi huius extollat.*

AMBROS.

Caueat anima ne à carne prægrauetur, impediaturque ne ad cælestia volet.

23. Caueat etiam Christiana anima si more auis è terrenis ad cælestia euolare velit, ne à carne prægrauetur impediaturque. Habet homo desiderium naturale beatitudinis: non enim maiori impetu & vi lapis centrum petit, sphæram ignis flamma, & flumina ad mare locum suum naturalem feruntur, quàm anima nostra ad supremam illam patriam inclinatur: tamen corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, ita licet mens aspiret ad finem, caro tamen media contemnit. Anima ad metam contendit peruenire, sed corpus lassitudine & consternatione grauatur, difficultatem refugit medij, & abhorret. Extat apud quendam Poëtam symbolum quoddam ingenij, quod nostro proposito adaptari potest. Depingit enim iuuenem quendam pulcherrimum & ingeniosum, sinistra manu duas habentem alas, quibus ad cælum peruenire contendit, sed in dextera prægrandem habet lapidem alligatum, quo detentus nullatenus volare potest, neque ad optatum peruenire finem.

Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas.
Vt me pluma leuat, sic graue mergit onus.

Talis est anima nostra, quæ licet alas habeat inclinationis naturalis, quibus ad cælestia inclinatur, tamen grauedine corporis onereque carnis detinetur, ne ad optatam metam perueniat. Si taliter caro ex naturali sua dispositione grauet animam cælestia ambientem, quid si præter omnem rationem spiritui dominetur, spiritumque sibi subiectum habeat? Sunt aues Cordores nomine, altilium omnium maximæ, vt quæ vitulum impetant, deuorentque occidentes. Quod cùm ægrè ferant armentarij, magnâ eos copiâ carnis inescant, quâ repleti illi surgere non valent; atque ita currentes tunc armenti custodes grauatos sic Cordores fustibus necant. Idem accidit carnalibus hominibus, carnalibus ingurgitati deliciis & voluptatibus, tam redduntur ponderosi, vt omnis facultas euolandi ad cælestia illis ablata videatur. Rectè D. Ambr. scribit in Comment. Luc. 14. *Quasi clauis quibusdam suffigitur anima, corporeis voluptatibus.* AMBROS.

Anima debet esse vitiis exonerata vt ad cælestia euolet.

24. Vt his alis anima ad cælestia sese eleuet, oportet etiam illam vitiis esse exoneratam, iuxta illud Senecæ: *Erit*, ait, *illic sursum etiam antequam hac custodia exsoluatur, cùm vitia disierit, purusq; ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit, hoc nos oportet agere mi Lucili, Charissime* &c. Si vitiis oneratus animus, & quasi in cænum demersus, quid à carne sperandum, quid ab illa exspectandum? Pulchrè Chrysost. Psalm. 4. ad illa verba: *Filij hominum vsquequo graui corde*, postquam cor aurigæ locum tenere docuit, ait: *Cor graue dixit Dauid, malorum esse causam, quod cùm auriga locum teneat, non solùm equum non cohibeat, sed etiam deorsum præcipitet, & cùm oporteat carnem alatam efficere, cum ægritudinum onere pessundatur. Quando ergo vel auriga, vel gubernator talis fuerit, quænam est spes salutis?* Sic Chrysostomus. CHRYSOS.

Ligant pennas animæ vitia.

25. Neque solùm onerant pennas animæ

Peccator ligatus habet alas.

mæ vitia, sed etiam ligant iuxta illud Oseæ cap. 4. *Ligauit eum spiritus in alis suis*, q. d. diabolus per vitia ligata tenet & intellectum & voluntatem Israelis ne ad Deum euolet, verùm vt instar mancipij ab eo raptetur quocunque vult, vt meritò talis homo vsurpet illud Dauid Psalm. 142. *Humiliauit in terra vitam meam.* In quæ verba sic D. Hieronym. *Ante alas habebam & volabam, nunc autem persecutus est inimicus animam meam, & apprehendit, & ligauit mihi pedes & manus, quemadmodum volatile ab homine comprehenditur, vt quasi videatur mortuum esse, quia non habet liberum vsum alarum suarum vt volet: ita & me inimicus ligauit conscientiâ peccatorum meorum.* Potest etiam verbum (suis) referri ad diabolum, quasi & ille alas habeat, in quibus ligatum tenet peccatorem. Diabolo autem alæ adscribuntur sicut & vento, iuxta illud Ouid. 1. Metamor.

HIERON.

Emittitq; Notum, madidis Notus euolat alis.

Peccator ligatus in alis ipsius dæmonis, vnde non mirum quòd tam velox sit ad peccata, immobilis interim & ligatus ad opera bona.

Nimirum ob miram velocitatem, qua rapitur ad mala. Perpende iam extremam peccatoris miseriam, ligatus est, & quidem in alis diaboli ligatus est, vnde consequitur eum velocissimo & concitatissimo volatu ferri ad peccata, vtpote à spiritu propriis alis alligatum; è contra verò tardissimum esse ad virtutem, ad Dei obsequium, ad cælestia obtinenda regna, vtpote durissimis ligatus vinculis, ita vt volet ocior Euro, & ligatus sit, impellitur à diabolo, & immotus tenetur. Iubente auaritia, ô peccator, vt mare transeas, & ventis te, ac procellis committas, obtemperas: & ventos ventis leuior insequeris, iubet Deus, vt pauperi ante te iacenti eleemosynam tribuas, sacrum audias: operibus misericordiæ, honestis, facilibus, æternam mercedem afferentibus, inuigiles, & ligatus, ac immobilis es, aridam ad id manum habens. Ita Hieron. ibi: *Immundus spiritus ligauit Israelem in alis suis, & eum liberè volare non patitur.* Bene peccatum comparaueris aquis auerni lacus, tam pestilentem emittentes & euaporantes aërem, vt superuolantes aues inficiantur, & fœtore suffocentur, ita vt alarum remigio destituti, in ipsas aquas decidant & demergantur.

Amor terrenorum viscus, quo impeditur animus ne ad Deum euolet.

26. Visco etiam si imbuantur volucrum pennæ, iam à volatu desistunt, quod volucrum pennis viscus, hoc animo, hoc intellectui, hoc voluntati amor rerum terrenarum, iuxta illud D. Augustini serm. 34. de verbis Domini secundum Lucam. *O qui ad cænam Domini venitis, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt: non dixit, nolite habere: sed nolite diligere. Habuisti, possedisti, dilexisti. Amor rerum terrenarum, viscum est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, hæsisti, Quis dabit tibi pennas vt columbæ? Quando volabis, vbi verè requiescas, quando hîc vbi malè hæsisti, peruersè requiescere voluisti.* Bene etiam Glossa super Psalm. 121. *Alligata anima terreno amori viscum habet in pennis, volare non potest.* Vis ad oculos videre qualiter amor rerum terrenarum, tanquam viscum quoddam retineat homines ne vocati veniant ad cœnam regni cælestis? Considera & perpende parabolam illam inuitatorum ad cænam. *Primus dicit villam emi, eo videre illam, habe me excusatum: alius dixit iuga boum emi quinque, ea volo probare, habe me excusatum: tertius dixit vxorem duxi, & ideo non possum venire.* In primo D. August. loco cit. intelligit superbiam vitæ siue ambitionem sæculi, in secundo, concupiscentiam oculorum, in tertio concupiscentiam carnis. Non vides qualiter rerum terrenarum amor impediat, quo minus ad cænam cælestem euolent, non idem accidit debilibus illis, claudis, cæcis, & mendicis, hi quoniam pennas animi visco rerum terrenarum non habent infectas, vocati veniunt, & cæna cælesti perfruuntur.

AVGVST.

Tria retrahunt à cælesti regno villa, iuga boum, vxor.

27. Ab omni ergo cauendum amore rerum terrenarum, cauendum vel ab vnica cupiditate. *Sicut enim*, ait Dorotheus serm. 11. *Si vel ex vno vngue, Aquilam teneat ligatam, facillimè potest alas eius frangere, & caput ei amputare.* Eundem in modum, si te, vel vnica cupiditatis illecebra, irretitum teneat, Diabolus, facilè volatum tuum impediet, & in omnium scelerum genus inducet.

Postremò, vt alis intellectus & voluntatis subleuemur, atque ad Deum volemus, necessarium prorsus, vt hæ duæ alæ intellectus & voluntatis iungantur & vtraque ad volandum vtamur, neque enim auis vnicâ potest alâ in altum sese efferre, sed ad hoc duplici opus illi alâ. Idem de homine sentiendum, intellectu & voluntate in Deum ferri debet. Si agnitione & intellectu solo velit in Deum ferri, non tam ascendet quàm cadet, vt pulcherrimè docet D. Bernardus ser. 4. de verbis Isaiæ. Vbi duas illas alas quibus volabant Seraphim, tropologicè exponit, de intellectu, & feruida voluntate sanctorum, siue de illorum cognitione, & amore. Transpono illius verba. *Opinor non incongruè pennas istas agnitionem & deuotionem intelligi posse, quibus in eum qui supra ipsos est Seraphim rapiuntur. Leuat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit, ruit citiùs, qui vnâ tantùm alâ volare contendit; & quò magis attollitur peiùs colliditur. Experti sunt hoc Philosophi gentium: qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cordibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum. Denique traditi in reprobum sensum vsque in ipsas etiam passiones ignominiæ corruerunt. Vbi verò intelligentiam charitas, agnitionem deuotio comitatur, volet securè quisquis eiusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.* Sic Bernardus.

Intellectu & voluntate tanquam vtraque alâ ad Deum euolandum.

BERN.

De alis desiderij, & cælestis conuersationis.

§. IX.

Desideria & affectiones pennæ, quibus anima ad Deum euolat.

28. RAtionem etiam pennarum, in homine obtinent, eius desideria, & affectiones, quibus anima ad cælestia, Deumque ipsum euolare conuenit, iuxta illud Dauidis Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum fortem viuum.* Sitit enim sitiri, id est, desiderari Deus. Titulus Psalm. 78. talis est: *In finem pro Idithun, Canticum ipsi Dauid.* Idithun ait D. Augustinus in hunc locum significat; *Transiliens eos, Quosnam? quosdam*, ait Augustinus, *inhærentes humo, curuatos in terram ea quæ ima sunt cogitantes, in rebus transeuntibus spem ponentes, transiliuit iste qui vocatur transiliens eos. Quos enim transiliuit nisi remanentes?* Vis scire quomodo fiat, hæc ascensio & transilitio? *Est*, ait Augustin. *hac ascensio, & ista transilitio non pedibus, non scalis, non pennis, & tamen si interiorem hominem attendas, & pedibus, & scalis & pennis. Nam si non pedibus, quommodo dicit homo interior, non veniat mihi pes superbiæ?* Psalm. 35. *Si non scalis, quid sunt quas vidit Iacob, vbi erant ascendentes Angeli & descendentes?* Genes. 28. *Si non pennis, Quis est qui dicit, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Sed in rebus corporalibus aliud sunt pedes, aliud scalæ, aliud pennæ. Intus autem & pedes & scalæ & pennæ, affectus sunt & bona voluntates. His ambulemus, his ascendamus, his volemus.* Hæc Aug.

AVGVST.

O vtinam orbis multos haberet, quibus competat nomen Idithun, *transiliens eos*, quantâ putas hi quiete fruerentur? Ait Ambrosius libr. de fuga sæculi cap. 5. *Scriptum est: volabo, & requiescam. Vbi enim volatus, ibi quies.* Nulla requies inueniri potest nisi post perpetes volatus, quibus se homo ab imis istis leuauerit. Quò spectans Micheas cap. 2. sic monebat *Surgite & ite, quia non habetis hîc requiem.* Ambros. lib. de fuga cap. 5. *Surgite hinc, quia non est vobis hinc refrigeratio.* Et D. Cyrillus Alexand. ex Græco: *propinquate montibus æternis. Surge & ambula, quia non est tibi hæc requies.* Equidem dum in his imis vallibus immoraris, dum desiderio & affectu montibus æternis non appropinquas nulla tibi speranda requies. Sed paucorum est hisce alis in Deum ferri, feruntur potiùs magno impetu ad terrena & transitoria. Reiecit olim Deus à sacrificiis suis Struthionem, vt legimus Leuit. cap. 11. Causam reddit Abulensis, nam cùm alas habeat à terra se tollere nequit in aërem, sicut cæteræ aues subleuantur, sed semper pedibus graditur, & quamquam similes interdum volatum simulent more Struthionum, tamen à terra nullatenus subleuantur. Atque hinc est, quod in Struthione D. Gregor. libr. 31. moral. cap. 6. hypocritam expressum velit, exponens enim illud Iob 39. *Penna Struthionis similis est pennis Herodij & Accipitris*, docet Struthionem similitudinem pennarum habere Accipitris, sed non volatum, & alas quidem ad volandum erigere, sed nequaquam se à terra volando suspendere. Quodque similiter hypocritæ dum bonorum vitam simulant, imitationem quandam sanctæ conuersationis habent, sed veritatem non habent: volandi pennas habent per speciem, sed in terra repunt per actionem, alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum sæcularium pondere prægrauati, minimè à terra subleuantur. Quare penna struthionis ad pennas herodij & accipitris similitudinem coloris habet, virtutis autem veram effigiem non habet.

AMBROS.

CYRILL. ALEX

Pennis desideriorum & affectionum plerumque feruntur homines ad terrena.

ABVLENSIS.

Cur reiecit Deus olim à sacrificiis Struthionem.

GREGOR.

29. Alas quoque ad cælestem vitam & conuersationem referre licet; Dionysius enim Areopagita de cælesti Hierarchia cap. 15. in Angelis symbolum alarum expendens, ait: *Alis significatur & cælestis vita cursus, & quod ad superiora feruntur, mortalibus atque infimis omnibus excepti, & terreni corporis sarcina liberi.* Vt meritò alæ dum appropriantur sanctis hominibus, significent conuersationem eorum cælestem, quodque corporis pondus iis impedimento non sit; quo minus ipsorum mentes altissima diuinarum rerum contemplatione sublatæ per æthera volitent.

Alæ cælestis vita & conuersatio.

DIONYS. AREOP.

30. Felicissimus ille Christianus qui more auis pennis suorum desideriorum, pennis intellectus & voluntatis, pennis charitatis aliisque ad Deum euolat, quamdiu volat, auis non incidit in retia & paratos laqueos, quamdiu volat ad cælestia animus non capitur dæmonum insidiis. Egregiè Chrysost. hom. 15. ad popul. *Volatilia*, inquit, *donec altum aërem secant, non facilè capiuntur; ita tu donec ad superiora respexeris, nec laqueo, nec vllis aliis facilè capieris insidiis.*

Quamdiu volat, auis non incidit in retia, similiter Christianus hisce volans alis, non incidit in peccata.

CHRYSOS.

Nolo tamen, ô Christiane, vt in vtramque aurem dormias, licet pennis spiritualibus ad cælum tendas, non humi repentes, non humo affixas animas dæmon prosequitur, sed quos viderit harum alarum remigio ad cælum euolare, & vtinam non interdum aliquos in terram deiiciat. Huc spectat magna illa celebrisque visio quam habuit Antonius, quam B. Athanasius refert in vita Antonij p. 650. Quadam enim nocte cùm B. Antonius suo esset inclusus habitaculo, audiuit vocem clamantem & dicentem: Antoni exurge, exi & vide, qui exurgens & egressus, eleuatis ad cælum oculis, vidit quendam hominem longum atque terribilem vsque ad nubes attollentem

ATHAN.

tem

tem caput. Vidit insuper aues multas ad cælum volantes & peruenire cupientes, quibus ille se opponebat, & manus extendebat, vt eas prohiberet & in eas maiori conatu agebat quas proximores cælo conspiciebat, & quidem quasdam apprehendebat & elidebat in terram, tuncque summo afficiebatur gaudio: alias autem cùm retinere aut impedire non posset, mœrore summo conficiebatur. Hæc cùm aspiceret Antonius, aliam vocem audiuit dicentem: Antoni, animaduerte quod vides. Et tunc cœpit illuminato corde intelligere, animarum esse conscensum, quem Diabolus prohibere omnibus modis nititur. Qui nihil equidem curat eos quos in terra iacentes pecudum more videt, sed quos conspicit in modum auium se supra terram eleuare & per eximia opera ad cælum tendere, manus & vires suas conuertit, vt eos ad vitiorum ima deiiciat.

De alis velocis & celeris obedientiæ.

§. X.

Alæ symbolum velocis obedientiæ. DIONYS.

1. IN alis etiam designatur velocitas & celeritas ad obediendum diuinis mandatis, & exequendum opera virtutis. Hinc Dionysius Areopag. de cælesti Hierarch. c. 15. angelos nobis depingi vult pennatos, vt declaretur nobis summa illorum celeritas ad obtemperandum diuinis iussionibus, & promptitudo, ad exequenda diuina præcepta: *Pennatos*, ait, *Sanctorum spirituum pedes Theologia effingit: quippe alis signatur celeritas alta conscendens.* Et statim: *Alarum*, inquit, *leuitas id in sanctis Angelis indicat, quod terreni corporis sarcinâ liberi, toti absque vlla admixtione, vel pondere ad celsa ferantur.* Quod autem nudi & discalceati describuntur, hoc signat, quod liberi & absoluti, & expediti, atque exterioris omnis adiectionis labe, sint puri, & ad diuinę simplicitatis similitudinem pro viribus tendant. Hoc sensu accipiendum est illud Psalm. 103. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, id est, qui facit, vt ij quibus tanquam Angelis, seu nuntiis vtitur, sint instar spirituum, id est, ventorum velocissimi, & instar flammæ ignis efficaces. Hunc enim sensum reddidit Paraphast. Chaldaic. cùm ita transtulit: *Qui facit angelos suos veloces sicut ventum, & ministros suos fortes sicut flammam ignis.* Quæ si transferantur ad Ecclesiasticam Hierarchiam & præcipuos quosque sanctos, dum illis adfinguntur pennæ, non aliud hoc symbolo insinuatur quàm eorum promptitudo & celeritas, quibus exequuntur diuinam voluntatem, qua quidem celeritate mirificè recreatur & delectatur Deus, vtpote perfectionis non vltimum signum.

Cur pingantur angeli pénati, nudi, discalceati.

2. Exodi cap. 26. & 27. aliisque locis, mandat Deus ornamenta templi vt fierent plumario opere; *Decem cortinas variatas opere plumario facies*, pro quo in Hebręo legimus: *Cherubim opere cogitantis facies eas*: ita vt iuxta Oleastrum loco citato, Deus voluerit non solùm in propitiatorio, sed in cortinis etiam, velo, templique parietibus Cherubinos apponi opere plumario, sic nempe vt alas habeant expansas, quibus non aliud significare voluit, quàm summopere se delectari illis, qui summa diligentia faciunt verbum eius. *Videtur Dominus*, ait Oleaster, *Cherubinorum figuris quæ sunt maxima velocitatis delectari, vt ostendat nobis quantum delectetur in his qui summa diligentia faciunt verbum eius* &c. Hos ergo ante oculos suos vult habere & in eis veluti summè dilectis complacere, quod verè prosequitur Bernard. serm. 2. de S. Andrea ad medium vbi sic ait: *Desideramus spiritum qui sic adiuuet infirmitatem nostram, sed inuenire non possumus, nihil enim aliud expectat; nihil aliud quærit Deus, nisi vt sedulò & cum desiderio requiratur.*

Summopere delectatur Deus nostra celeritate in obediendo. OLEAST. BERN.

3. Vis videre pennatos homines, Deoque ob id maximè acceptabiles. Oculos coniice in Abrahamum, in quo D. Ambrosius lib. 1. de Abel & Cain cap. 8. expendens summam celeritatem in exequendis diuinis mandatis, dum agitur de immolando filio, sic ait: *Prima voti gratia est celeritas solutionis. Denique Abraham filium suum ad holocaustum iussus offerre, non post dies, vt Cain, obtulit, sed exurgens manè strauit asinam. Primò aduerte immolantis studium maturum, atque festinum, vt mora exspectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum, deinde vt sterneret asinam suam, obsequium omne ipse susciperet. Adhuc cognosce studium deuotionis. Cucurrit, inquit, & accepit vitulum vnum tenerum, & dedit puero, & festinauit facere eum Genes. 18. vbique impigra deuotio, & ideo fuit munus eius acceptum.* Similia prorsus sunt, quę habet Bernardus serm. de virtute obedient. & eius gradib. ante med. vbi loquens de celeritate, qua dictus Patriarcha Abraham ad immolandum filium suum accesserat, ait: *Non à Domino quærit, quare? Non murmurat, non conqueritur, non saltem vultu dolorem ostendit, sed omnium, quæ præcipiuntur ignarus, in mortem filij pia crudelitate festinat.* Et post multa addit: *Velociter currit sermo Dei.* Ps. 147. *& velocem desiderat habere sequentem: Viam mandatorum tuorum cucurri.*

Quàm pennatus Abraham in immolando filio. AMBROS. BERN.

4. Idem Ambrosius loco citato expendens illud Gen. cap. 22. *Eleuatis oculis Abraham, vidit locum procul*, innuit tantam fuisse in Abrahamo promptitudinem ad obsequendum diuinis mandatis, vt cùm ob seniles & tardos gressus, non putaret se tam citò peruenturum ad immolationis locum vt

AMBROS. Quanta Abrahami promptitudo in obediendo.

vt ferebant vota, iam ante animo quasi præcurrerit animoque filium immolauerit. Sed Ambrosius loquentem accipe: *Sollicitè*, inquit, *explorat qui properat implere. Quamuis senilem studio celeraret gradum, tamen hoc secum putans, præcedebat oculis: vigebant singulorum officia membrorum, licet senilia membra non possent vigere. Solet hebescere visus senum, vt etiam propinqua non facilè conspiciant. Hic non solùm vidit locum, sed etiam longè positum aspexit.* Sic ille. Ecce quali desiderio flagraret accedendi ad eum locum, vt quia pedibus non poterat, votum consequi, nec ea celeritate peruenire, quo iam voluntate peruenerat, vt præceptum sibi sacrificium adimpleret, voluerit saltem eò peruenire, & accedere oculis, deferentibus secum animum, quò senio prægrauatum corpus peruenire non poterat. Vis videre qualiter hæc promptitudo, hæc celeritas placuerit Deo?

Quia tam promptus Abraham in immolando filio, ideo id illi ab Angelo prohibitum, fecus accidit Iephte ob moram quę post votum accidit.

5. Quærit optimè D. Ambrosius libr. 3. de Virginib. ante med cur Deus sustinuerit sibi immolari à patre filiam Iephte, Iudic. 81. qui prohibuit per Angelum suum Abrahamo, ne offerret filium suum, quem immolare præceperat, Genes. 22. Idque non aliunde factum asserit; nisi quia Iephte sacrificium conceptum, destinatum, & promissum diu distulerit; Abraham verò de nocte consurgens, summa celeritate, pro adimplenda diuina iussione maturauerit, placet enim admodum Deo, conceptas, & destinatas virtutes opere adimplere quàm citissimè, nullamque moram in illarũ executione interponere. *Dicet aliquis*, inquit Ambr. *qua ratione illic non permisit Deus parricidium filij, hic sit passus impleri? Nunquid acceptor personarum Deus? Non, sed meritorum, atque virtutum. Certè dum consilium esset ambignum, signare debuit oraculum, qui ad præsens facto, & in reliquum conuenerit exemplo: aut fortasse quia non vna forma meritorum, ideo non vna forma factorum. Pater doluit: fleuit filia, vterque de Dei miseratione dubitauit. Non doluit Abraham, nec consuluit partiens affectũ, vbi audiuit diuinitatis oraculum, non distulit sacrificium, sed maturauit obsequium. Non dubitauit Isaac, cùm imparibus sequeretur patrem passibus; non fleuit, vt ligaretur, non dilationem poposcit, cùm offerretur, & ideo misericordia largior, vbi fides promptior. Pro qua deuotionis exultione, ouis pro illo iussa est immolari, quia ipse non distulerat immolandum, nec de Dei miseratione ambiguus, nec de sui deuotione sollicitus. Nemo inuentus est, qui tam cruentum patris reuocaret affectum*, &c.

Ambros.

Quàm promptus in obediendo Isaias.

Ambros.

6. Isaias audiens à Deo: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Promptus occurrit: *Ecce ego, mitte me.* Isaiæ 6. Qua promptitudine nihil Deo gratius esse solet. Vnde D. Ambrosius serm. 14. ad illa verba. *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine*, Psalm. 118. quærit, cur Deus ad illam legationem non miserit Isaiam, antequam ille sua sponte ad eam se obtulerit? aptéque respondet ad rem præsentem: *Vtique*, inquit, *seruulo suo poterat imperare; quem dignum, qui mitteretur, inuenerat. Sed maluit, eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui vt ipse se offerret, præstolatus est. Et quamuis eius sciret affectum, exspectauit tamen vocem, vt cumularet gratiam.*

Promptus in obediendo Elisæus.

Nilvs.

7. Similem celeritatem & promptitudinem in Elisæo sese Heliæ magistro addicenti obseruauit S. Nilus in Ascetico, ita enim scribit: *Quomodo igitur Elisæus, cùm se Heliæ magistro addiceret, mundo renuntiauit? Reperit*, inquit, *Elisæum arantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat. Et tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes* (3. Reg. 19.) *Hac promptum ardentis animi studium declarant. Neque enim dixit, vendam instrumenta boum, & prudenter disponam. Neque considerauit ea, si venderentur emolumenti plus allatura. Sed cùm totus esset incensus cupiditate, qua ad magistri necessitudinem rapiebatur, neglexit ea, quæ videntur, & ab illis se tanquam à recto proposito reuocantibus studuit explicare. Sciebat enim sæpe procrastinationem, pœnitentiæ causam extitisse.* Hæc Nilus.

Maria quã prompta.

Ambros.

8. Mariam quoque legimus iuisse in Montana cum festinatione, Lucę cap. 1. vbi sanctus Ambrosius. *Nescit*, inquit, *tarda molimina, Spiritus sancti gratia.* Annuntiauit gaudium magnum Angelus pastoribus, quod scilicet natus esset filius Dei in Bethleem; vt autem discesserunt ab eis angeli, Pastores loquebantur ad inuicem Luc. 2. *Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum*, vbi Gręcus codex ad verbum apud nos habet, *proficiscamur iam*: Emphasimque habet particula, *iam*, & denotat cupiditatem, accelerationem & impatientiam, quod propriè amantium, & cupientium aliquid videre est. Et hoc mihi sonare videtur verbum, *transeamus*, quod noster vulgatus posuit, quasi id maximè torqueret pastores desiderantes infantem maximum videre, quod scilicet interiectum adhuc esset iter, & non in termino pro velle, & desiderio suo reperirentur. Vnde quia non poterant de vno extremo ad aliud transilire, nisi traiecto medio, dicitur, quod *venerunt festinantes*, vbi Ambrosius ait, *vides festinare pastores, nemo cum desidia Christum quærit.* Et Beda. *Festinant pastores, neque enim cum desidia Christi est quærenda præsentia, & ideo fortè nonnulli quærentes, inuenire non merentur, quia desidiosè Christum quærunt.*

Quàm prompti pastores.

Ambros.

Beda.

Quàm prompti apostoli à Domino vocati.

Bern.

9. Pennati extitere Apostoli, Petrus & Andreas, Matt. 4. qui vocati à Christo Domino dicente: *Venite post me, continuò relictis retibus sequuti sunt eum.* Vbi Bern. ser. 2. de S. And. post pr. ait: *Illi continuò nihil diiudicantes, aut hæsitantes, non solliciti vnde viuerent, non considerantes quonam modo rudes homines, & sine litteris prædicatores fieri possent,*

sent; nihil denique interrogantes, sine omni mora, relictis retibus, & naui secuti sunt eum. Agnoscite fratres, quoniam propter vos scripta sunt hæc, propter vos singulis annis in Ecclesiâ recitantur. Sic D. Paulus post diuinam vocationem, *nullam interposuit moram, sed illicò absque vlla dilatione & consultatione Dei vocationi adhæsit*, vnde ait ad Galat. 1. *Cùm placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, vt reuelaret filium suum in me, continuò non acquieui sanguini & carni*, &c.

Zacchæus exemplum promptæ obedientiæ. AMBROS.

10. Ambros. lib. 1. de Abel & Cain c. 7. in exemplũ promptæ obedientiæ proponens Zachæum & simul significans quàm ea Christo accepta sit, ait: *Habes in Euangelio dicentem Dominũ Iesum, Zachæe festinans descende, & ille festinans descendit, & excepit illum gaudens*, &c. Luc. 19. *Et ideò probauit Deus eius affectum, & eum celeri remuneratione donauit, dicens: Quia hodie salus huic domui facta est. Festinauit enim & Dominus ad beneficiũ, & ideò non expectauit vt promitteret, & impleret omnia, sed ante fecit, posteà declarauit: Dixit enim, facta est salus, quod vtiq; præuenienti seruit, non promittenti. Iustus ergo votum suum celeritate commendat, & ideò Patres nostri festinãtes manducabant Pascha succincti lumbos, & pedes suorum calceamentorum exuentes vinculis, & tanquam onus corporeum deponentes, vt essent parati ad transitum: Pascha enim Domini transitus est à passionibus ad exercitia virtutis*, &c.

BERN.

D. Bernardus quoq; adducens eundem Zachæum in exemplũ accelerantis, & expeditæ obedientiæ, sic ait ser. de gradib. obedient. *Vide*, inquit, *Dominum festinanter præcipientem, & hominem festinanter obedientem. Zachæe, inquit, festinans descende, & festinanter descendit. Luc. 19.* Idem paulò superiùs de acceleratione hominis verè obedientis fatus, sic ait: *Velociter currit homo Dei; & velocem desiderat habere sequẽtem. Viam mandatorũ tuorum cucurri, inquit Dauid. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, vt imperantis colligat volũtatem.* Idem Bern. ser. de virt. obedient. *Vni, ait, eodemq́ momento, procedit & imperãtis imperiũ, & obsequiũ obsequẽtis.*

Quàm promptus sapiens ille negotiator.

11. Considerandа quoq; hîc & expendenda celeritas & promptitudo sapientis illius negotiatoris in agro coëmendo, de quo Christus Matt. 13. dum ait: *Simile est regnum cælorũ thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius abit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrũ illum.* Et statim de simili emptore: *Inuentâ vnâ pretiosâ margaritâ abit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit eam.* Ecce qualiter hic negotiator, cùm primũ vidit thesaurũ in agro, nec per temporis instãs fuisse demoratũ, sed statim magna cum celeritate cũcta quæ habebat pro illo profudisse. Neque mirũ, agebatur enim de spiritualiũ bonorũ mercatura, quę omnẽ consultationẽ excludit, cùm valor dignitasq́; eorũ per se sint cognita & approbata. Cùm de terrenarũ rerũ agitur cõparatione, tũc opus cõsultatione & cõsideratione, ne similes simus stulto illo mercatori dicenti apud Luc. 14. *Villam emi & necesse habeo ire & videre illã*, sed sapienti illi fœminę de qua Prou. 31. *cõsiderauit agrũ & emit eum.*

12. Horũ omnium celeritatem & promptitudinẽ decet nos imitari, dum agitur de exequenda diuina volũtate, dum agitur de perficienda diuina vocatione, diuinisq́; inspirationibus, sed longè aliter sese res habet, tunc enim cunctamur, deliberamus, & non nisi plumbeis incedimus pedibus, vt meritò eo nomine conqueratur D. Bernardus, sic scribens in declarationibus super, *Ecce nos reliquimus omnia. Quantos mundi sapientia maledicta supplatat, & conceptum in eis extinguit spiritum, quem voluerat Dominus vehemẽter accendi. Noli, inquit, præcipitãter agere, diu considera, diligentiùs intuere. Magnum est illud, quod proponis, & opus habens multa deliberatione, experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere cõtingat. Hæc sapientia mũdi terrena, suffocatrix vitæ, mater trepiditatis, quæ solet Deo vomitum prouocare. Caue tibi, ait, vt quid enim? Cùm Dei verbũ esse nõ dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilij Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior quisve sapientior illo? Deduc me, & deducar, fortior esto, & inualesce, noui ego quanã sint quæ oportet fieri citò. Ab ore putei gehennæ eripior, & inducias petam, & retardabor, & cunctabor exire, si fortè interim fiat aliquid? Abscondi ignẽ in sinu meo, & exusto iam latere, iam nudatis visceribus, iam sanie deffluente, diu mihi & deliberandum est, an expergiscar, an excutiam, an abiiciam illum? Magnum omninò est, quod offertur, sed eo vtique libentiùs, & festinantiùs suscipiendum, & obuijs arripiendũ manibus cum feruore, & hilaritate. Amicos consulam, qui legi: Inimici hominis domestici eius. In Euangelio legimus promittenti cuidam sequi Dominum, sed defunctũ priùs patrem sepelire volenti responsũ à Christo, vt fineret mortuos sepelire mortuos suos. Matth. 8. Alteri quoque suis tantùm, qui in domo erant, valedicere cupienti: Nemo, inquit, mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Luc. 9. sed quid audierat priùs? Magister, ait, volo te sequi quocumq; ieris. Cui respondet Dominus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidum: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Prudentiam carnis in fouea vulpis, in nido volucris arguens cordis elationem*, &c.

Nos, dum agitur de complenda Dei voluntate, cunctamur, deliberamus, &c.

BERN.

Ecce sapientia Dei clamat, ait Absolon Abbas ser. 6. in nat. Domini, dicens: *Plange, plange, resipisce, resipisce, & dicunt omnes: durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Vociferatur sapientia humana, fruere voluptatibus, sequere desideria cordis tui, & dicunt omnes; quoniã bene. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Sunt autem humanæ sapientiæ tres spes, qui sermoni huic penitus contradicunt: Prima est sapientia mundialis, de qua dictum est: Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Secunda est sapientia carnalis, de quâ dicitur: Sapientia carnis inimica est Deo. Tertia sapientia animalis, pro quâ dictum est: Animalis homo non percipit*

ABSOLON. Ioan. 6. Isa. 22. Isa. 28. 1. Cor. 1. Rom. 8. 1. Cor. 2.

percipit ea quæ Dei sunt. Sapientia mundi pertinet ad superbiam quæ facit hominem ingeniosum, ad ambiendum honores, ad sectandum lucra, ad dilatandas possessiones, & cætera huiusmodi, vt animus occupatus rebus transitorijs, dum nimis concupisceret temporalia, obliuiscatur æterna. Sapientia carnis ad concupiscentiam pertinet, ipsa est quæ docet hominem facere carnis curam in desiderijs, in comessationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitijs, & cætera huiusmodi, quæ ad carnis pertinent voluptates, de quibus scriptum est: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Sapientia animalis ad sensualitatem pertinet, ipsa docet hominem sensibus corporis seruire, eorumq; delectationibus studere, eorumq; fruitione pascere, vel nutrire sensualitatem. O quanti verba sapientiæ huius libenter audiunt, & contempta sapientia Dei quæ de cælo loquitur, omnem sensum & studium cordis sui ad hoc inclinare nituntur, vt in perficiendis voluptatibus, in supplantatione proximorum, & curis sæculi sapientes esse videantur.

Galat. 5.

Deinde verò horum hominum stultitiam pingens, subiungit: *Verè comparandi sunt huiuscemodi homines ei qui piscatur in hamo aureo, quem dum in aquam turbidam miserit, aliqua re vili & infructuosa detinetur in profundum, nec poterit iactura illius aliqua præcedenti captura piscium instaurari. Quid enim aliud est aciem ingenij sui ad studia praua conuertere, quàm hamum aureum in aquam turbidam mittere? Sed cùm imago incorruptibilis Dei, id est, humanus animus, qui rectè per aurum significatur in profundum vitiorum detentus fuerit non poterit damnum hoc aliquo temporali commodo æstimari. Quid enim prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Nibil prorsus.* Hæc ille.

Graues cõsultores nos esse cõuenit dum agitur de malo perpetrãdo, sed hac in re maximè veloces sumus.

13. Tardigrados & graues consultores nos esse conuenit dum agitur de malo perpetrando, non de bono exequendo. Bene Clem. Alexand. Orat. ad Gent. vbi inuehitur in eos, qui vt se Deo consecrent, & virtutes prosequantur, longas trahunt moras, & multas præmittunt consultationes, cùm tamen, vt diabolo sese deuoueant, & vitijs se tradant, nullam interponant aut moram, aut difficultatem, nihil priùs præmeditentur: *Inebriamini*, inquit, *priusquam consideraueritis, & an iniuria sit facienda non valde estis solliciti, sed quamprimum iniuriam facitis, solùm autẽ, an Deus sit colendus, quæritis, & an Christus sit sequendus, hoc considerandũ, & consultandum censetis*, &c. Grauiter etiam eo nomine conqueritur Seneca, epistol. 98. *Ad deteriora*, inquit, *faciles sumus, quia nec dux potest, nec comes deesse: & res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit; nõ pronum est iter tantùm, sed præceps, & quod plerosque inemendabiles facit, omnia in aliarum artium peccata artificibus pudori sunt, offenduntq; deerrantem; peccata delectant, non non gaudet nauigio gubernator euerso, non gaudet agro medicus elato, non gaudet orator si patroni culpa reus cecidit: at contrà omnibus crimen suum voluptati est*, &c.

Clemens Alex.

Seneca.

Quàm homines tardi ad bonum, quàm propensi ad malum.

Quàm tardi ad bonum, quàm ad malum propensi homines, videre licet in Israelitis. Legimus Exod. c. 32. *Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, dixit; Surge, fac nobis Deos qui nos præcedãt, Moysi enim huic viro, qui eduxit nos de terra Ægypti ignoramus quid acciderit.* Quid tum ille? *Dixitq; ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorum, & filiarum vestrarum auribus, & afferte mibi.* Quid est quod Aaron tam facilem se præbet voto ac desiderio tam detestabili? Quia non non audebat resistere propter timorem mortis, visum illi fuit, difficilia illa præcipere, vt hac ratione à pessima intentione eos reuocaret, putabat enim per domesticam dissensionem, quæ ob huiusmodi oblationem in domo qualibet oriretur, reluctantibus mulieribus & pueris, monilium maximè aureorum amantissimis, id non posse assequi. Sed quid accidit? Audi Scripturam: *Fecitq; populus quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron.* Vide quàm hic populus facilis & procliuis ad malum. An aliquam prætexerunt excusationem? an ei dixerunt, difficile nobis opus iniungis? Nihil ab vxoribus nostris & filiabus tanto affectu diligitur, quàm vt inaures aureæ? aliud aurum exige, nobis suppetunt facultates plurimæ, quibus non vnum, sed plurima fieri possunt idola aurea: nihil obiecerunt, sed illicò vt iussit, sine cunctatione inaures attulerunt; imò & quàm præcipitanter id factum fuerit, innuunt versiones, Onk, *abruperunt vniuersus populus inaures*, violenter, & vi facta populus extraxit ab auribus vxorum & filiarum inaures, alij, *lacerauit*, &c. an in malo perpetrando præcipitem animum consideras? *Admonemur sic*, ait Oleaster, *quàm faciles sumus ad vitia, & quàm desides ad opera virtutum: vix Aaron verba finierat, quando iam omnia iocalia & pretiosa sua ad eum adducunt. Vtinam sic se sineret homo à vitijs regari, quemadmodum ad opera virtutum.*

Dum sponsa cunctatur, transit sponsus, vide ne tibi idem contingat.

14. Si sapis, ô Christiane, celeriter & absque mora, obedies diuinis iussionibus, diuinis inspirationibus, diuinis vocationibus, ne tibi accidat, quod accidit sponsæ, quæ dum cunctatur, moras nectit, seseq; frigidè excusat, ne aperiat sponso pulsanti, dicens, Cant. 5. *Expoliaui me tunicã meã, quomodo induar illã? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quid accidit, nimirum, vt cùm posteà surrexit, pulsãti ostium apertura, ille declinauerat atq; transierat. In quem locum sic pulcherrimè Theodoret. *Quantum*, inquit, *detrimenti pigritia pariat, & quantũ laboris afferat ignauis, hinc perdiscamus. Dum enim excusat se sponsa, nec statim vult sponso ianuam aperire; cogitur paulò pòst, non solùm ad ianuam vsque progredi, sed ciuitatem percurrere, & plateas circumire, atque in custodes incidere, à quibus vulnera etiam accepit, & vix sponsum inuenit exoptatum. Quòd si statim vocanti paruisset, hæc omnia incommoda euitasset.*

Theodoretus.

15. Quanta

Magna cōfusio erit Christianis in iudicio videre Ethnicos promptiores fuisse ad aucupanda terrena, quàm illi ad cælestia.

15. Quanta erit Christiano confusio in die iudicij dum cōsiderabit Ethnicos velociores fuisse & promptiores ad aucupanda regna terrena, quā ipse in acquirēdo regno cælesti. Iulius Cæsar, vt narrat Suetonius in Cæsare c. 57. tam stupendæ fuit velocitatis, vt cùm in vrbes mitteret legatos, ipse posteà eos sequuturus, sæpè anteuertebat, perueniens ipse ad eas vrbes priusquam Legati; quod centena passuum millia in die conficeret. Quid pro regno te oportet, non Cæsareo, & caduco, sed æterno, ac cælesti, solicitudinis impendere? Idem Iulius Cæsar Pharnacem Ponti regē primo aduentu suo fudit, & incredibili celeritate castra hostiū cœpit. Quo cōtigit, vt hostibus primo congressu fugatis exclamarit: *Hi sunt, qui te magnum fecere Pompei.* Et ad Senatum scribens, his verbis victoriæ celeritatem significarit, *Veni, Vidi, Vici.* vt narrat Sabellicus lib. 7. Ennead. 6. Sed & inter triumphalis pompæ fercula trium verborū prætulit titulū, *Veni, Vidi, Vici*: non acta belli significantem sicut cæteris, sed celeriter confecti notam, vt narrat Sueton. in Cęsar. Plutarc. in apopht. testatur, eundem dicere solitum, ea facinora quæ periculo obnoxia sunt, magna gerenda esse celeritate, atque de hisce non consultandum, eò quòd ad hæc perficienda plurimum habeat momenti celeritas.

Quàm velox Cæsar.

PLVTARCHVS.

Alexandri velocitas in obtinendis victorijs.

HIERON.

DIODOR.

16. Alexandri Victoria, vt scribit D. Hieronymus in c. 7. Daniel. nihil velocius fuit. qui ab Illyrico & Adriatico mari vsque ad Indicum Oceanū, & Gāgem fluuium non tam prælijs, quàm victorijs, percurrit, & in sex annis partē Europæ, & omnem sibi Asiam subiugauit. Diodor. li. 7. de eod. refert, quod euersis Thebis amicos suos pręcipuos in consilium vocauit, de transitu in Asiam vti cōsulerent, quibus copijs id fieri, & quā ratione bellum inire oporteret. Censebant multi, Parmenione & Antipatro auctoribus, debere priùs Alexandrum liberis operam dare, posteà tantam expeditionem aggredi eum posse. Sed ipse qui rebus gerēdis intentus erat, cuique cessatio omnis displicebat, sententiam eam valdè respuit: & ab ipsa Gręcia, electum bello gerendo ducem, & qui paternas copias firmissimas haberet, nuptiis celebrandis vacare, doneque filij nascentur, desidere turpe esse demonstrans.

Quàm velox Scipio.

Auctor vitæ Scipionis de eodem scribit, quòd secūdo bello Punico cum classe à Lilybæo soluit, tanta cupiditate in Africam transmittendi, vt nulli ei neque remi neque venti satisfaceret. Deuectus est paucis diebus ad promontorium Pulcri, atq; ibi omnes copias in terram exposuit. Semiramis audita Babyloniorum defectione, dum comas pectit, capillorū cultum distulit eousque, donec Babylonios subigeret.

Selymi dictum.

17. Iouius in vitâ Selymi, Turcici Imp. scribit eum dicere solitum, minimè illum prudētem esse, qui, quod proposuisset, non illicò exequeretur: quoniam in mora sæpè amitteretur occasio, atque impedimentum designatæ sententiæ cōtrarium oboriretur. Ipsum fulminis instar, ad res agendas ferri solitum affirmat. Vnde etiam cognomen Hildrim traxit, quod linguâ Turcicâ fulmen sonat. Si illi tam alati, tam pennati extitêre, pro obtinendis terrenis, quid Christiano agendum pro cælestibus, illa in infinitum penè excedentibus.

Qualiter homo assequatur pennas vt celeriter volet.

Vis scire qualiter Christianus, licet sit planè frigidus, & torpidus ac instar bouis humi decumbens, assequatur pennas, quibus celeriter volet ad assequenda bona cælestia? oculos coniiciat maximè attentos in diuinam illam atq; infinitam Dei Maiestatem, & in illa bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se, & seruientibus sibi. Nihil enim sic pungit & stimulat hominem, ad ardua diligēter ac alacriter aggredienda, & exequenda, quàm si oculos attentos coniiciat in magnitudinem mercedis. Mira sanè est illa visio, Ezechieli ostensa c. 1. Ostendit illi Deus quatuor animalia, quorum quodlibet diuersam prę se ferebat faciem, primum hominis: Secundum bouis: Tertium leonis: Quartum aquilæ; *Et pennas per quatuor partes habent*, putà in singulis partibus binas, adeoque numero sexdecim, & quod amplius: *Ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Res sanè admiratione plena. Quod volet aquila nullam ingerit admirationem, nam illi volatus naturalis. Quòd homo volet, non etiam dignum tanta admiratione, nam ad aliquorum hominum exprimendam diligentiam, eosdem depinxêre alatos, vt Dedalum, & Icarum, & aliquorum hominum tanta interdum pedum pernicitas vt volare videantur. Quòd volet leo, non etiam omnem superat admirationem cùm planè igneæ sit naturæ, atque Sol in eo prædominetur, quæ omnia promouent maximè peruicitatem. Verùm quod bos volet, & celeri volatu, non solùm aquilam imitetur, sed etiam similitudinem assumat, ac celeritatem fulguris, in momento temporis exeuntis in Oriente, & parentis in Occidente. Quis vnquam tale quid audiuit? aut cui idipsum in mentem venit? Verùm mirari desine, & expende, quot oculis vndique, hic bos repletus fuerit, & vbi eosdem coniecerit, sine in speciem illam fulgentissimi & splendidissimi electri, quæ erat in medio ignis, existens in medio nubis, flammas & fulmina eiaculantis. Erat autem species illa, imago hominis, splendore & duritia electri, siue aurichalci, cæteris metallis pretiosioris, eò quòd splendore auri, & æris duritiem possideret (fiebat enim subinde ex auro & ære cōmixtis) diuinam maiestatem repræsentantis. In speciem hanc pulcherrimam, & splendore suo, solem longè superantem, coniicit bos omnes

nes oculos, non itaque mirandum, si taliter visione tantæ pulchritudinis afficiatur, quod vt illam assequatur, illâque perfruatur assumat sibi pennas non modò aquilarum, sed insuper fulguris imitetur celeritatem & pernicitatem, & si merces ob oculos posita alas addat tum militi, tum Mercatori, imò & ipsi peccatori, vt cupitis fruatur voluptatibus, quid censendum de immensa illa atque cælesti gloria, si quis in eam attentos conijciat oculos?

De varijs illaudatis alis, quas fugere debet Christianus.

§. XI.

1. Ecce qualibus pennis deceat esse exornatos, homines in Christo renatos, sed quàm rari inter Catholicos, qui his pennis suffulti, relictâ terrâ, ad cælestia rapiuntur. Videmus quidem inter plurimos abundè pennatos, non quidem pennis columbinis, vt par, & statui Christianorũ est conueniens, sed alis milui, qualibus erãt instructæ duæ illæ mulieres, de quibus Zachar. 5. dicitur: *Et leuaui oculos meos, & vidi: Et ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram & cœlũ.* Quæ D. Gregor. lib. 14. mor. c. 26. ad tropolog. transferens, ait: *Quid aliud in his duabus mulieribus accepimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet & gloriam inanem? quæ impietati absque vlla dubitatione coniuncta sunt. Quæ & in alis suis spiritum suum habere narrantur, quia in actionibus suis Satanæ voluntati deseruiunt. Ipsum quippe Propheta spiritum appellat, de quo Salomon ait: si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Et de quo in Euangelio Dominus dicit: Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida & inaquosa. Spiritus in alis earum est: quia superbia & inanis gloria, per omne quod agunt Satanæ voluntati famulantur. Et habebant alas, quasi alas milui. Miluus semper natura studet insidiari pullorum. Istæ ergo mulieres alas habent, quasi alas milui, quia actiones earum diabolo sunt procul dubio similes, qui insidiatur semper vitæ paruulorum*, &c. Pennas milui habent Christiani, qui alijs, præsertim pauperibus, pupillis, ac viduis insidiantur, vt eorum rapiant bona & facultates, pennas habent milui, quotquot auaritiæ student, rapidissimi ad terrena, tardissimi ad cælestia, asino prorsus similes, vtpote fortes in posterioribus, debiles in anterioribus. O modis omnibus damnandæ & detestabiles pennæ!

Plurimi Christiani instructi alis milui.

In plurimorum Christianorum alis inuenitur sãguis pauperum.

De illis namque affirmat Deus Ierem. 2. *Et in alis tuis inuentus est sanguis*, animarum pauperum & innocentium. Quo quidem in loco, alarum vocabulo, propriè sumpto, fit allusio ad similitudinem auium earum, quæ ex rapina victũ procurantes, cùm iugiter in illorum quæ rapiunt, versentur occisionibus, alas quoque habent semper sanguine conspersas, ita vt ex patenti eo signo, patratas ab ipsis quilibet intelligat aliarum auium neces. At si dicatur: Cum pauperibus, & innocentibus te habuisti instar aquilæ, accipitris, similiumque volucrum rapacium cum volucribus minoribus, & innocentibus: adeò vt & de te ad eorum similitudinem dicendum sit. In alis tuis, &c. id est, plenas habes alas tuas, pauperum & miserorum hominum, quos decepisti & expilasti, sanguine, id est, opibus & substantijs, in quibus æquè atq; in sanguine vita eorum constituta. Septuag. supradicta verba sic reddunt: *In manibus tuis inuentus est sanguis* &c. Pagninus ex communi Hebræorũ dictorum sensu vertit: *In oris vestimentorum tuorum*, vt sit allusio ad sanguinarios milites, qui nedum arma, sed & vestes sanguine inquinatas habent hostium interfectorũ, ad quam vestium conspersionem alludit & Isaias tum in c. 9. cùm ait: *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis*: tum clariùs in c. 63. *Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Quasi dicat, vestium oræ, adeoque ipsa vestimenta tua, plenæ sunt sanguine, & pauperum substantijs. De auaris hisce sic Sapiens Prouerb. 1. *Ipsi quoque contra sanguinem suum* (seu magis ad rem nostram ex Hebræo *eorum*, scilicet pauperum) *& moliuntur fraudes contra animas illorum* (sic ex Hebr.) In quorum maiorem declarationem additur: *Sic semitæ omnis auari, animas possidentium rapiunt.* Id est, sic & omnes auari, ad instar videlicet prędictarũ volucrũ rapacium, procedere consueuerunt, vt rapiant quas pauperes possident substantias, raptuq; illo suo eorundem pauperum rapiant & animas, sanguine illorum habentes & manus & vestium oras, ipsasque vestimenta, inquinatas, iuxta ea quæ clariùs in libro legimus Ecclesiastici. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.*

2. In annalibus Minorum Capucinorum ad annum Christi 1552. inter alia miranda patrata à Fratre Mattheo à Bassio primo Capucinorum Generali narratur num. 42. quòd cùm relictâ Appuliâ Pisanum venisset, & pro concione asperè in fœneratores, quos vbique insectabatur, inuectus fuisset; post sermonem in Legisperitum quendam fœnora exercentem incidit: cuius vbi vestis extremitatem tenuit, atque in omnium oculis expressit, copiosum inde sanguinem emulsit:

Exemplo comprobatur auarorum etiam vestimenta esse plena pauperum sanguine.

emulsit: quem Legisperito demonstrans; *En*,ait,*quanam tibi est vestu,mixta sanguine:hic pauperum proculdubio sanguu est, qui aduersum te in aures Domini Sabaoth exclamat: vide, ne te Dei ira festinatò comprehendat.* Et num.70. de eodem refertur,quòd ingressus domum cuiusdam aduocati opulentissimi, vtpote qui rem familiarem,iniustis titulis auxisset, cùm technas diaboli, in simiæ forma seruientis,aduocato eidem detexisset. Iamque eum animo compunctum, atque ad omnia paratum animaduerteret,eidem rei iniustæ restitutionem, ac melioris vitæ institutum facilè persuadet; prandioque, cęlestibus potiùs monitis, quàm dapibus celebrato; Matthæus, vt magis aduocati animum in bono proposito confirmaret: Vides,inquit, hanc mappam, quâ mensa sternitur, hæc tota pauperum sanguine tincta est;sumensque mappæ initium, ac manibus comprimens ac distorquens, copiosum ex ea sanguinem emulgebat, quem cùm aduocatus, subiectâ patinâ, reciperet: En tibi (aiebat Matthæus) sanguis pauperum,quem tot iniustis exactionibus hausisti: hic horrendis aduersum te in cælum vocibus clamat; diuinamque in te iram concitat:iam tibi,tuisque rebus prospice: malè parta,bene restitue, ac meliùs distribue: vitæ rationem, iuxta Christianæ disciplinæ Regulam compone, tum diuinam erga te clementiam liberalissimam agnosces.

3. Alas corui habent illi Christiani, qui veloces ad exequenda opera carnis, similes illi prorsus coruo, quem ex arca dimisit Noë,qui taliter inescatus & repletus carnibus,vel potiùs cadaueribus animaliũ,vt non vltra,sicut casta illa columba reuersus fuerit ad arcam: sic hi cùm concitatissimo volatu ferantur ad carnalia, non nisi summa cum difficultate & rariùs reuertũtur ad cælestia, vtpote carne pergrauati. Carnalibus hisce etiam meritò dixeris; *In alis tuis inuentus est sanguis* animarum pauperũ & innocentum, alarum nomine sumpto pro manibus,sicut id accepêre Septuaginta, vt allusio fiat ad sanguinarios milites,quorum manus vt plurimum sunt sanguine madidæ, iuxta illud Ps.57. *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris*: eo nimirum modo gaudebit quo victores exultare solent de hostium nece, manus suas in eorum intingentes sanguine.Et illud Isa.1. *Manus vestræ plenæ sunt sanguine*, vt indicet homicidiorum multitudinem.Quasi dicat, manus vestræ plenæ sunt sanguine spiritualium occisionũ animarum innocentũ quas seduxistis, ad libidinem prouocastis, quasque pessimis vestris exemplis interfecistis. Neque verò nouum est,vt istiusmodi spiritualis, animarũ occisio, sanguinis vocabulo,in sacris appelletur literis.Nam & apud Ezechielem ait Dominus. *Si dicente me ad impium,morte morieris: non annuntiaueris ei,neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur: Sanguinem autem eius de manu tua requiram.*

Quinam Christiani habeant alas corui.

4. Aquilarum alas habent illi Christiani, qui dignitatum & maximorum officiorum appetunt gradus,eoq; nomine adblandiuntur, atque muneribus illos sibi deuinciunt, quibus illa conferendi copia est atque potestas & illis non immeritò dicitur: *In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, in manibus tuis inuenti sunt sanguines*,&c. Dum enim ad dignitatum & officiorum gradus euolare contendis,sanguine variorum peccatorum manus repletas geris, & vt resarcias, habito & adepto officio, quam sentis, per factam munerũ largitionem, propriorum bonorum diminutionem, iam pauperum aufers mercedes, iam pauperum crumenas,sub prætextu debiti stipẽdij,exhauris, tam fraudibus,illorum eripis bona. O si horum hominum siue aquilarum premerentur manus, quantus ex illis dilaberetur pauperum sanguis. Neque enim, dum pro officij magnitudine,etiam magnas & opulentas venantur villas, & dominia,vt diuites relinquant proles, fieri aliter potest, quin alas habeant sanguine plenas.

Quinam Christiani habeant alas aquilæ.

5. Pauonum alas habent illi Christiani, qui superfluo ornantur vestium cultu, qui vestimenta exornant ditissimis fimbrijs,vestiumq; oras pretiosissimis lacinijs, sæpiusque maioris sunt impensæ,quàm vestimenta ipsa,vtpote ex auro vel opere phrygio,& ex immixtis interdũ gemmis. Quid dicam de mulierũ theristris flammeis,palleis,collaribus,tortis crinibus,fucatis faciebus,odoramẽtis,quibus quasi quibusdã versicoloribus,& oculatis alis,gloriantur homines. O quantus in his alis est sanguis animarũ spiritualiter occisarũ,quantus sanguis pauperum defraudatorũ;quantus sanguis pauperũ neglectorũ, quorũ necessitatibus,maximè illis,& malè impẽsis,prouidere potuissent. Si non pauisti,Christiane, occidisti.

Quâ ratione exuantur peccatorũ pennæ & acquirantur nouæ.

§. XII.

1. SI sapis, ô Christiane, hasce exues quamprimum pennas,quibus in perditionem celeri volatu pergis,& nouas cælestesq; indues, quibus in cælestia subleueris. Sed qua,inquies, ratione hoc assequar? *Nunquid*, (ait Deus Iob 39.) *per sapientiam tuam plumescet accipiter, expandens alas suas ad austrum?* Quod ideò dicit, vt ab eo renouationem plumarum nostrarũ discamus,iuxta id quod ipse dicit c.12.nimirum: *Interroga iumenta & docebunt te.* Nam de hac aue tradunt naturales scriptores, quòd, quando vult pennas dimittere,& nouas induere,respiciens ad solem versus meridiem, alas explicat

Exuendæ hæ pennæ & nouæ acquirendæ exemplo accipitris.

plicat & excutit: & postquam calore pori in ipsa aperiuntur, alarum excussione & austri flatu, easdem pennas ex se emittit & eiicit, in quarũ locum, nouæ, quibus renouatur & induitur, erumpunt & nascuntur. Ad eundem modum, homo, qui indutus est vitiorũ pennis, quas ex vetere Adamo hæreditauit, vt eas à se eiiciat, ad meridianũ iustitiæ solem, nempe Deum mentis oculos conuertat, vt eiusdem bonitatem contemplans, & sua peccata cognoscẽs amore eiusdem Dei, qui ipsũ non puniuit, sicut eadem peccata postulabant, inflammetur, & sic se habeat vt Spiritus S. flamma superueniente, eiusdẽ feruore & operatione intercedente, veteres scelerum, & prauarum consuetudinum pennas, inueteratamq; peccandi cõsuetudinẽ deponat, nouumq; viuendi modũ teneat, & in moribus bonis omninò renouetur. *Quid est*, inquit Gregor. *accipitrem in austro plumescere: nisi quod vnusquisq, Sanctorũ tactu S. Spiritus concalescit, & vsum vetusta conuersationis abiiciens, noui hominis formam sumit, quemadmodum Paulus admonet* (ad Col. 3.) *Expoliantes veterem hominẽ cum actibus suis, & induentes nouum.* Et ad Ephes. 4. *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamẽ is, qui intus est, renouatur de die in diem.* Dum ita homo mentis oculos ad Deum cõuertit, dum tactu S. Spiritus cõcalescit, facilè abijcit & excutit aquilarũ, putà alas superbiam, Gryphium alas, putà crudelitatem, milui, putà rapacitatem, vulturis, putà varocitatẽ. Nam vt scribit Epiphan. in Physiol. *Vultur cunctis auibus voracior est: quadraginta enim diebus cibo abstinet, quem cùm inuenit, totidem sese ex illo liberè ingurgitat; itaq, quadragenariam abstinentiam, quadragenaria ingluuie compensat.* Corui, putà carnalitatem; Struthionis, putà hypocrisin; & sic de cæteris.

GREGOR.

EPIPHANIVS.

Pœnitentiâ acquirimus nouas virtutũ pennas.

2. Veram quoq; pœnitentiam, nouas effundere pennas, nemini dubium, iuxta illud Iob 39. *Penna struthionis similis est pennæ Herodij & accipitris.* Struthio, animal terrestre est, licet inter aues cõputetur, pennas quidem habet, sed iisdẽ minimè in aëre se subleuat, & bestia quidẽ est tam magna, vt in Arabia Struthio, camelus appelletur, & ad cameli magnitudinẽ nascatur, quomodo ergo cõparãtur pennæ eius, pennis herodij & accipitris? in litterali sensu verba hęc aliquã habent difficultatẽ, in mystico nullã. Est enim struthio animal gemebundũ, plãctu & eiulatu nemora replens, vt insinuatur Iob 30. ac proinde symbolũ est pœnitẽtis hominis. Da mihi hominẽ pœnitentem, exitus aquarũ ob peccata deducẽtẽ, facientem planctũ sicut draconũ, & luctũ sicut struthionum, & mox videbis eum effundere nouas virtutum omnium pennas. *Qui nescit*, ait Gregor. *lugere quod aggrauat, non potest proferre quod subleuat.* Sed quomodo poterit plumescere? addit: *Vis compunctionis aperit poros cordis, & pennas virtutum effundit, cumque se studiosa mens de pigra vetustate redarguit, alacri nouitate iuuenescit.*

3. In principio mundi, ex aquis ortũ genus, leuauit se in aëra, at verò quotidie ex aquis pœnitẽtiæ & lacrymarũ, noui oriuntur homines pennati, & alis in cælestia sese subleuãtes, fertur quòd in Britannia ad littora cuiusdam fluminis nascuntur arbores, ex quibus cũ folia sese dimittunt in aquam fluminis, mox conuertuntur in alites, qui in aëra sese librantes, mox ad incognitam sese recipiunt regionem. An nõ idem accidit peccatori, qui tanquam arboris humanæ folium, omni rapitur vento, sed si pœnitentiæ sese immergat aquis, en subitò mutatur in cęlestem quãdam auem & quidem taliter pennatam, vt ad cælum euolet.

Ex aquis pœnitentiæ prodeunt homines pennati.

4. Eandem vim quoque habet aqua, siue potiùs potus ille Eucharisticus, qui de latere Domini in cruce pendentis exiuit, dum miles lanceâ illud aperuit, exiuit enim sanguis & aqua, quæ sunt gemina Ecclesiæ Sacramẽta quotquot sacros & diuinos hosce bibunt latices pennati redduntur, imò in aquilarũ morem assumunt pennas, vt animo in terris constituti in cælestibus conuersentur. Bene hanc ad rem D. Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 2. *Bone aquilæ circa altare, vbi enim corpus, ibi & aquilæ, forma corporis altare est, & corpus Christi, est in altari; aquilæ vos estis.* Hinc etiam D. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corint. ait: *Ad hoc nos inducit sacrificiũ illud formidandum & admirabile, quob iubet nobis, vt aquilæ in hac vitâ facti ad ipsum cælũ euolemus, vel potiùs supra cælum. Vbi enim cadauer, inquit, illic aquilæ.* Aquilas autem appellat, vt ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit; & nihil cum terra debere ei esse commune, neq; ad inferiora trahi & repere, sed ad superiora semper volare, & in solẽ iustitiæ intueri. Vnde existimas ô Christiane tibi nascituras alas illas, quibus tempore iudicij Christo in aëre apparenti, rapieris obuiam ipsi, cum ipso in æternum mansurus? Vnde corpori huic iam animam aggrauanti, tanta leuitas, vnde huic tam celeres pennæ, vt iter illud liquidũ, tanta pernicitate, radere valeat? Certè non aliunde quàm ex hac Eucharistica aqua, ex corpore & sãguine Christi. Hinc D. Anastas. Sinaita in Exam. li. 7. *Hæ sunt volucres, quæ rapiuntur in nubibus obuiam Christo, de quibus etiã dicebat, vbi est corpus, congregabuntur & aquilæ, quæ supplantatorem nostrum serpentem suffocarunt.* Vis, ô Christiane, corpore & animo semel ad Christũ euolare? Non aliunde id tibi euenturum existima, quàm ex cibo & potu hoc Eucharistico. Richard. Vict. lib. 1. de Emmanuele c. 16. expendit Christum non nisi quàm post sumptum cum discipulis cibum ascendisse cęlos: *Attende, ait, quid dicitur, quomodo ibi legitur: & conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, & paucis interiectis additur. Videntibus illis eleuatus est. Ecce quia comedit, & ascendit*, &c. Vt ascendas, hîc comedas, hîc sagineris necesse est cibo Eucharistico.

Potus Eucharisticus nos pennatos reddit.

AMBROS.

ANASTAS. SINAITA.

5. Quis

Cibus Eucharisticus pennatum hominem reddit.

5. Quis nescit, pro ratione cibi corpus animumque variè disponi, & vel leuia vel grauia corpora fieri, & iisdem, quibus cibus, proprietatibus affici? An ergo mirum quòd cibus hic Eucharisticus leuem & pennatum reddat hominem? Recordare Christum Dominũ Is.49. auem nominari: *Vocans*, ait, *ab Oriente auem, virum voluntatis meæ*, in quæ verba sic Imperf. *auis ista reuera in Eucharistiâ sumitur*, &c. An ergo mirum quod sumptione huius cibi leues pennatiq; reddamur, immò quòd in aues commutemur, non quidem in timidas aues, in timidas columbas, sed in generosissimas aquilas, quæ quoniam à iuuentute, & quasi ab ouo sanguinem lambunt, audacter & animosè insiliunt in aduersarios volucres, de præda securi. Idem prorsus accidit Christiano, instar aquilarum pulli, lambenti sanguinem Christi per deuotam Eucharistiæ sumptionem. Idem accidit comedenti hanc cælestem auem, non iam timet infernales accipitres, egrediẽs de corpore anima, totus egrediens è sepulchro homo, nõ iam timet aduersariorũ incursum, sed eorum cuneos securus penetrat, voluisse id videtur imperfectus, dum ex eo quòd auis ista reuera in Eucharistiâ sumitur, concludit dicendo: *Et ideò sanguis eius magnam audaciam, strenuè suam prædam capiendi, confert.*

Proprium Eucharistiæ alas administrare.

6. Quàm proprium sit Eucharistiæ, alas animabus administrare, quibus ad cœlum euolent, patet in S. Monica, matre D. Augustini, quæ sacra Communione refecta, quodam tempore in ecstasim rapta, tantam animi mutationem sentiebat, vt clamaret: *Volemus in cælum fideles, volemus in cælum*: cumque ad se reuersa interrogaretur, quid sibi clamore illo voluisset? respondit: *Quid dicam? Cor meum, & caro mea, exultauerunt in Deum viuum*. Vt indubitatum sit hoc Sacramentum dignè communicantibus alas conferre, quibus in cælum euolent, neque id mirum, nam vt ait D. Bernardus serm. de cœna Domini, *hic panis illuc reducit hominem vnde traxit originem.*

Dormitio hominem pennatum efficit.

7. Dormitionem, hominem pennatum reddere docet David Ps.67. cùm ait: *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius, in pallore auri.* Quæ verba premens D. August. per medios cleros siue sortes, intelligit duo testamenta vt dormire sit inter medios cleros, in eorũ testamentorum auctoritate requiescere, id est, vtriusq; testamenti testimoniis acquiescere. Nimirum omnia Dei præcepta nobis tam in veteri quàm nouo testamento proposita, accuratè seruando, quid precor inde consequimur? Vt alati pennatiq; reddamur, & virtutum alis facilè ad cælum euolemus. Nec mirum, ait enim Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Posteriora quoque dorsi, illius sic requiescentis inter Dei præcepta, sunt in pallore auri, id est, finis morsque illius hominis sunt maximè

Quid sit dormire inter medios cleros, dicit quod sit requiescere inter duo testamenta eaque opere complere.

fœlicia, vtpote *in pallore*, vel vt legit D. Augustin. *in viriditate auri, hoc est*, ait, *in virore sapientiæ*, quem virorem meliùs non puto intelligi posse quàm charitatem. AVGVST.

8. Intelligit etiam D. Augustin. per medios cleros, siue sortes duas hæreditates, vtpote quæ antiquitus sortibus diuidebantur, vnam veteris, alteram noui testamenti, inter quas si quis dormiat enascẽtur ex ipso pennæ columbæ deargentatæ. Sed qualiter inter hasce dormitur! accipe verba D. Augustini: *Cleros, ait, multò probabilius ipsas hæreditates intelligamus, vt quoniam hæreditas veteris testamenti est quamuis in vmbra significatiua futuri, terrena fœlicitas: hæreditas verò noui testamenti est æterna immortalitas, dormire sit inter medios cleros, nec illam iam quærere ardenter, & adhuc istam expectare patienter. Nam qui Deo propterea seruiunt, vel potiùs propterea seruire volunt, dum quærunt in hac vitâ & in hac terrâ fœlicitatem, ablatus est somnus ab eis & non dormiunt. Inflammãtibus enim cupiditatibus agitati in flagitia & facinora propellũtur, nec omninò requiescunt, desiderando vt acquirant, metuendo ne amittant. Qui autem me audit, ait Sapientia, inhabitabit in spe, & requiescet sine timore ab omni malignitate. Hoc est, quantum mihi videtur, dormire inter medios cleros, id est, inter medias hæreditates, nondũ in re, sed tamẽ in spe cælestis hæreditatis habitare, & à terrenæ fœlicitatis iam cupiditate conquiescere. Cùm autẽ venerit quod speramus, nõ iam inter duas hæreditates requiescimus, sed in noua, cuius vetus erat vmbra, regnabimus.*

Idem docet dormire inter medios cleros, esse dormire inter duas hæreditates nimirũ præsentis & futuræ vitæ.

9. Tertiò, per dormitionem mortem intelligens spiritualem, quâ nimirum homo moritur mũdo, carni, atq; peccato, sic prędicta verba interpretatur D. August. *Si dormiatis inter medios cleros, tanquam si diceretur, si moriamini inter medios cleros, vt istam mortem carnis, more suo, scriptura, dormitionem vocauerit, hæc est mors optima, vt in cupiditatum cohibitione à terrenis, in spe cælestis hæreditatis homo vsque in finem perseuerans, diem vitæ huius vltimum claudat. Sic enim dormientes inter medios cleros erunt pennæ columbæ deargentatæ, vt tempore quo resurgent, rapiantur in nubibus obuiam Christo in äëra, & semper iam cum Domino viuant: aut certè, quia per eos qui sic moriuntur, quantò securius, tantò sublimius Ecclesia diffamatur, & quasi quibusdam pennis excelsæ laudis attollitur.* Sic D. Augustinus.

Dormire inter medios cleros est in cupiditatũ cohibitione, quæ mors dicitur spiritualis vsque in finem perseuerare. AVGVST.

10. Per hosce cleros D. Ambros. ser. 14. in Ps.118. videtur intelligere, eloquia spiritualia Scripturarum, in quibus dum occupatur homo, mentem abstrahens à rerũ temporalium tumultu, & collectis internis sensibus, in illis per seriam meditationem, quasi dormiens & requiescens, pennas acquirit variarum virtutũ, quibus laqueos omnes sibi ab inimicis expãsos facilè superat. *Etsi dormias*, ait, *exurgunt tamen pennæ tuæ. Sunt enim qui vigilant dormientes, vt vigilabat illa quæ dixit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Etsi nox est, vigilat spiritus, de quo scriptũ est: De nocte vigilat ad te spiritus meus. Tunc tibi pandentur alæ ex eloquijs spiritu-*

Cleri eloquia sunt spiritualia, inter quæ si quis per considerationẽ dormiat & requiescat assumit pennas spirituales.

spiritalibus, pretiosaq́, auri prudentia volatus assurgit. Vbi ergo laqueos poteris pertimescere, cui remigium præsto spiritale est? Si synceritas animi, si puritas mentis affulgeat, columba es.

Medij cleri sunt duo Christi aduentus inter quos nobis dormiendum. Bern.

11. D. Bernardus, per medios cleros, inter quos dormiendum, intelligit duos Christi aduentus, sic enim ait serm. 4. de aduentu: *Nec verò solùm cogitetis aduentum, quo venit quærere & saluum facere quod perierat: sed & illum nihilominus quo veniet & assumet nos ad seipsum. Vtinam circa hos duos aduentus iugi meditatione versemini: ruminantes in cordibus vestris quantum in priore præstiterit; quantum promiserit in secundo. Vtinam certè dormiatis inter medios cleros. Hæc sunt enim duo brachia sponsi: inter quæ sponsa dormiens aiebat. Leua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Nam in sinistra quidē eius sicut alibi legimus) diuitia & gloria: in dextera longiturnitas vitæ.*

Idem.

Serm. verò 5. de adu. docet, dormiendum quidem nobis esse inter vtrumq; aduentū, sed in medio quodam eius aduentu, de quo loquitur Dominus Ioan. 14. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sed D. Bernard. loquentem accipe: *Diximus dormiendum inter medios cleros duos significantes aduentus, sed vbi sit dormiendum non diximus. Tertius enim quidam aduentus est medius inter illos; in quo delectabiliter dormiunt qui eum norunt. Illi enim duo manifesti sunt, sed non iste. In priore quidem in terris visus, & cum hominibus conuersatus est: quando (sicut ipse testatur) & viderunt & oderunt. In posteriore verò videbit omnis caro salutare Dei nostri. Et videbunt in quem transfixerunt. Medius occultus est in quo soli eum in seipsis vident electi, & salua fient anima eorum. In primo ergo venit in carne & infirmitate: in hoc medio in spiritu & virtute, in vltimo in gloria, & maiestate. Aduentus iste medius, via quadam est, per quam à primo veniatur ad vltimum. In primo Christus fuit redemptio nostra in vltimo apparebit vita nostra. In isto, vt dormiamus inter medios cleros, requies est & consolatio nostra.* Si inter primum & secundum Christi aduentum in hoc mundo dormiamus, nascentur nobis profectò pennæ virtutum omnium, & quod amplius pennæ deargentatæ. Neque sanè multum iuuant pennæ virtutum nisi deargentatæ.

Qui inter hos aduentus dormit, assumit pēnas deargētatas.

Quando pennæ virtutum sint deargentatæ. Bern.

Vis scire quando deargentatæ sint? ait D. Bernardus cit. serm. 4. *Pennæ nostræ deargentatæ: vt illam scilicet virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendauit Christus præsens in carne. In argento siquidem non incongruè intelligitur humanitas eius: sicut in auro diuinitas. Omnis itaque virtus nostra tam longè est à vera virtute: quàm longè est ab ea forma: & omnis penna nostra ad nihilum valet, si non fuerit deargentata. Magna quadam penna est paupertatis: quâ tam citò volatur in regnum cælorum. Nam in alijs virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quàm datur. Vnde & præsenti tempore renunciatum est: quoniam ipsorum est regnum cælorum: cum in cæteris dicatur hæreditabunt, consolabuntur & similia. Videmus autem pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non ita pusillanimes inuenirentur & tristes: vtpote reges, & reges cæli. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur,* &c. Quæ qualiter etiam in alijs nostris virtutibus contingant, quæ proinde minimè deargentatæ, latiùs eodem loco deducit & declarat D. Bernardus.

Hi cleri significant timorem & securitatem. Bern.

12. Idem Bernardus ser. 51. in Cant. per hosce cleros intelligit timorem & securitatem, inter quos dormiendum, in ipsa media spe, charitate suffulta, vt pennæ crescāt virtutum deargentatæ, do illius verba: *Donec quis, ait, premitur à spiritu seruitutis, parumque habet de spe, de timore plurimum, non est ei pax neque requies, fluctuante nimirum conscientia, inter spem & timorem, maximeque quod à superexcellente timore abundantiùs crucietur. Nam timor pœnam habet. Et ideo non est illi dicere: In pace in idipsum, dormiam & requiescam, quando necdum se singulariter in spe constitutum dicere potest. Cæterùm si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere spes, cùm demum ad hoc ventum fuerit vt totis viribus exurgens charitas in adiutorium spei, foras mittat timorem, nónne eiusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire iam & requiescere? Si dormiatis, inquit, inter medios cleros penna columba deargentata. Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem & securitatem, tanquam inter læuam & dexteram, media videlicet spes, in quá mens, & conscientia, nulli nimirum supposito charitatis stratu suauissimè requiescit.*

Medij cleri hæreditas gloriæ, hæreditas pœnæ.

13. Per medios cleros siue sortes, possunt etiam intelligi, duæ illæ hæreditates, quarum vna est gloriæ, altera pœnæ & æterni tormenti. Inter hasce si dormiat per seriam vtriusque considerationem homo, mox suscitabuntur pennæ columbæ, mox enascentur in homine variæ virtutes, quibus ad cælestia euolabit regna; quòd tam sumus implumes, tam virtutibus nudi, est defectu huius dormitionis, siue considerationis.

Termini inter quos dormiendū Deus & homo, siue cognitio Dei, & sui.

14. *Si dormiatis inter medios cleros*, alij *terminos* legunt. Sed quinā hi termini inter quos si dormias, exurgent nobis pennæ sicut columbæ? termini hi sunt, Deus & homo, siue cognitio Dei & cognitio sui, in immensum distant hi termini, Deus omnium supremus, homo peccator, omnium infimus. Si seria consideratione inter hosce terminos, hasce extremitates quis dormiat papæ, quàm pulchrè enascentur in illo pennæ, quanta humilitas, quanta modestia, quanta deuotio, quanta gratitudo, quanta charitas. Nouerat id D. Augustinus, hinc illa vox & oratio illius: *Nouerim te, nouerim me.* Inter hosce terminos tota nocte versabatur & dormiebat S. Franciscus, non aliud mente reuoluens, quàm, *Quis*

Avgvst.

tu?

tu? quis ego? Per hosce terminos non incongruè intelligimus carnem & Spiritum, ex quibus constamus; inter quos si non raptim, non transcursim, sed attenta consideratione dormiamus, quàm candidæ virtutum mox orientur pennæ? Si secundum spiritum te ad imaginem Dei creatum consideres, si immortalem & capacem cælestis beatitudinis, an cœno terrenarum rerum te immerges, an carnis mancipium te constitues, an non potiùs illud Senecæ vsurpabis. *Maior sum & ad maiora natus, quàm vt sim mancipium corporis mei.* Et illud eiusdem in præfat. lib. 1. quæst. nat. *O quàm contempta res est homo, nisi supra humana sese exexerit?* Si te terram esse consideres, an superbies, an te alijs præpones, potiùs te cinerem & puluerem profiteberis & omnibus subijcies. Per terminos etiam intelligere possumus humanæ vitæ extrema, ortum, & occasum hominis, nempe quid fuit, quid erit. O si quis inter hos terminos dormiat quàm fulgentibus decorabitur pennis.

SENECA.

15. Pulchræ quoque alæ nascuntur Christiano, si per seriam considerationem sedeat siue requiescat in foraminibus petræ, id est, in ipsis vulneribus Saluatoris, hinc S. Ælderus in libro speculi cap. 5. pungens eos qui neglectis virtutibus & exercitijs vitæ actiuæ, mox à conuersione, conantur euolare ad vitam contemplatiuam, sic ait: *Plumescat interim bone Iesu, plumescat, quæso, anima mea in medio disciplinæ tuæ, pauset in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, &c.

Alæ etiam nascuntur Christiano si requiescat in foraminibus petræ.

ÆLDER.

16. Oriuntur etiam nobis pennæ spirituales, vel si mauis pennati reddimur ex aquis tribulationum, quibus immergimur. Iam ante dictum, in aquis, ex folijs arborum, alites nasci, & notum, ex aquis, ortum omne volatile, gemunt quidem Gigantes sub hisce aquis, sed veri fideles pennati fiant vt ad astra euolent. De hisce volucribus ex tribulationum mari emergentibus sic Anastasius Sinaita lib. 7. *Quas exeuntes de aquis volucres stupens Isaias clamabat, quinam sunt hi, qui vt nubes volant? Hæ sunt volucres, quæ rapiuntur in nubibus obuiam Domino in aërem.* Quotquot Christo in aere venienti obuiam rapientur in aëra, pennati euolabunt ex ipsis tribulationum aquis. Scriptum est Genes. 7. de aquis diluuij: *Vehementer inundarunt, & leuarunt arcam in sublime à terra.* Ad quæ D. Anselmus serm. in cap. 14. Luc. sic fatur: *Quid enim per aquas nisi tribulationes & quid per arcam, nisi Ecclesia figuratur? Aquis ergo inundantibus, leuatur arca in sublime à terra quoniam aduersis irruentibus, separatur à terrenis cupiditatibus fidelis anima, & cælo fit proxima: vtpote per tribulationes à terrenis eleuata, & iam virtutum alas nacta quibus sese erigat.*

Immersi tribulationum aquis, emergimur pennati.

ANASTAS. SINAITA.

ANSELM.

Ecce quot nobis suppetunt modi quibus pennati euadamus. Bene S. Theodor. *fidelibus ingenerabit Deus alas, & similes efficiet cælestibus potestatibus Angelis & Archangelis quibus alas dat scriptura sacra.* Ob has pennas iusti vocantur in Psalmo volucres pennatæ, quibus ad excelsa subleuantur. De illisque dicitur in Prouerbijs c. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Id est, ante oculos electorum, *qui*, vt ait Beda, *pennas habent spei, & charitatis, cæterarumq; virtutum, quibus & cælestia, dum viuunt, desiderant, vt ad hæc post mortem mereantur pertingere.*

THEOD.

Ob hisce pēnas sancti vocantur volucres pennatæ.

BEDA.

17. Fælices prorsus, si tanquam aues, in Christo renati, non nisi cælestia desideramus, atque ad æterna feramur. O vtinam nos aues esse spirituales agnoscamus, & auium more nos geramus, qui quamdiu in terra pedibus consistunt, timent, vereunturque ne laqueis capiantur, & ideo quàm possint breuissimo tempore ibi hærent, necessariam escam licet quærant. An Christianus tam vecors, tam erit stolidus, vt terrena quærat, terrena ambiat, terrenis inhæreat? Absit, accipe grauem & ponderosam D. Ambrosij admonitionem sic dicentis serm. 14. in Psalm. 118. *Quid tibi postremò tum terris, qui cum Christo resurrexisti? Quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est: quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Mortui sumus terris, vitam nostram abscondimus cum Christo in Deo nostro, non iam nos viuimus, sed Christus viuit in nobis. Quid iterum ad terrena remeas? Ecce elongaui fugiens, dicit sanctus. Vide laqueis iniquitatis, & contradictionis in ciuitate. Laquei enim sunt, vbi est vsura & dolus. Elongauit ille fugiens terrena dedecora, ideo ad cælestia peruenit præmia. Quid, inquam, te reflectis in terram, si in Enoch raptus ad cælum es, in Helia leuatus es curru, in Paulo raptus ad paradisum, conuersatus in cælis, in Dauid exauditus vt pennas columbæ assumeres, & volares, in Christo exaltatus volucris factus in Spiritu? Quando sicut columba descendit, illas tibi alas dedit, vt tu disceres euolare de terris.* Et paulò pòst: *Auis es ô homo, qui sicut auis in quandam aquilæ renouatus es iuuentutem. Quid enim te in terram deijcis, qui iam cælum petebas?*

Aues quamdiu in terrâ degunt timent: sic Christiano nihil debet esse commune cum terra.

AMBROS.

De quibusdam alijs laudatis & imitandis pullorum proprietatibus.

SECTIO XXI.

1. PRima est. Pulli licet diuersæ speciei, vnam sequuntur gallinam & sub ipsa pacificè viuunt. Videbis gallinam, quæ non solùm fouet oua sui generis, sed quia agricolæ supponunt ei ad fouendum oua aliarum auium eò quòd calidior sit, & melius id efficiat. Ideo post se ducit enatam turbam, pullorũ diuersæ speciei, veluti anatum, anserum, gallinarum, & similium,

Pulli inter se pacificè degũt: idem præstent Christiani.

qui tamen concorditer & pacificè, eam sequuntur vnam, & inter se sub alis eius viuntur, circa eam pascuntur, & semper simul sunt. Similiter decet Christianos, licet diuersæ nationis sint, in vno monasterio, congregatione & familia, sub vno prælato, vno parente concorditer viuere animis. Si enim id præstent animalia diuersi generis, quid facturi Christiani, eiusdem naturæ, eiusdem fidei, eiusdem professionis.

Pulli obediunt voci gallinæ: Christiani obediant voci Christi.
LVDOVIC. GRANA.

2. Secunda est. Pulli gallinarum, audiũt, intelligunt, & obsequuntur voci gallinæ. *Gallina* (ait Ludouicus Granatens. in introd. ad symb. lib. 1. c. 14.) *dum suos educat pullos in simi tumulis pedibus scalpit, cùm verò aliquid reperit, suos conuocat pullos, maxima cum celeritate, & vt pia mater ieiunat vt suos pullos enutriat: quodque magis est, alio clamore eos ad pastum conuocat, alio sub alas congregat, alio illis fugiendum esse indicat, quòd miluum aduentare cernat. Hi verò nuper nati, sine doctrina sine præceptore has intelligunt linguas, quas nos ignoramus, & ita celeriter obediunt ei, quod sibi mandatum est.* Sic ille. Vtinam & tales pullos Christo se exhibeant Christiani. Quot sunt Christiani qui de seipsis fateri coguntur quod fatentur Iudæi apud Danielem cap. 3. *Et præcepta tua non audiuimus.* Audimus mundum vocantem ad pestiferas voluptates, Deum autem terrentem, timore supplicij sempiterni, vt vitia fugiamus non audimus, vide in citatum locum Hectorem Pintum hæc exaggerantem.

Familiare pullis pipire, Christianis nihil tam debet esse familiare quàm ad Deum clamare.
PLINIVS.

3. Tertia est. Pullis nihil tam familiare, quàm pipire, non solùm pipiunt testis exclusi, verùm dum & intra ipsa putamina latent, vt asserit Plin. lib. 10. c. 53. *Vigesimo die, si moueatur ouum, iam viuentis intra putamen vox auditur.* Sic Christianis nihil tam ordinarium & familiare esse debet, quàm pipire, id est ad Deum clamare, Dei auxilium implorare. Pipiunt pulli, quia propriam sentiunt & experiuntur infirmitatem. Sic etiam Christianus conscius propriæ imbecillitatis, semper pro diuinæ gratiæ auxilio, Deum precibus interpellere debet. Cùm verò pullus intra putamen conclusus, speculum fit, hominis peccatoris, viuentis quidem naturali vita sed cui necdum datur perfrui diuina aura. In tam periculoso constitutus statu, meritò ingemiscere debet: & fusis lachrymis diuinam exorare misericordiam, vt eum dignetur è miserrimo illo peccati statu liberare, antequam in ipsis suis suffocetur peccatis; instar pulli hirundinis clamans cum Regio Vate: *Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum.* Sicut autem gallina pipenti pullo mox fert suppetias, idem etiam peccatori præstabit Christus, vix inuocabitur, cùm dicet: *Ecce adsum.* Nam vt ait

BERNAR.

D. Bernard. serm. 84. in Cant. *Nunquid irascetur quæsitus, qui etiam contemptus dissimulauit? Quinimo non repellet requirentem, qui & contemnentem requirit.* Si autem tam promptus est vt accurrat impio desideranti cælestis gratiæ aura perfrui: quid faceret iusto in malis constituto, & pipenti pro auxilio. Sanè nihil proficient contra eum insidiæ, molestiæ, vel persecutiones inimicorum, sed clariorem & magis admirandum illum solummodò reddent. Vnde sic Dauid Psalm. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde,* &c. *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum.* Alia littera habet: *Beneficiarium suum.* Quasi dicat: Quid tantum assumitis defatigationis, curæ & laboris in persequẽdo me? Scitote me sub Dei tutela, & alis constitutum, promptissimi, vt ad primum pipitum me exaudiat. Vnde subdit: *Exaudiet me cùm clamauero ad eum.*

Pulli fugiunt vmbram accipitris. fugiunt Christiani boni omnes peccandi occasiones.

4. Quarta est, quòd pulli fugiant non solùm accipitrem sibi insidiantem, sed & vmbram illius; Similis bonus fidelis, non solùm omnia fugit peccata, verùm & illius vmbras, id est, omnes peccati occasiones & vias; abstinet non solùm ab omni opere, verùm & ab omni specie mali: pulli dum inhiant aucupandis acquirendis granis plerumque exponunt se accipitris incursioni & dilacerationi. Ita & Christiani dum volunt diuites fieri, incidunt in infernalis accipitris vngues atque laqueos.

Ex pullis cibum sumentibus sumpta auguria.
MAIOLVS.

5. Quinta est. *Inter auspicia* (ait Maiolus in dieb. canic. colloq. de vat.) *quæ veteres maximâ curâ, cultuque obseruarunt, annotauere annales, non paruæ æstimationis fuisse pullos, quibus è cauea emissis, plus dabatur. Tripudio signa dabant pulli de rebus consequuturis, etsi enim quæuis auis tripudium facere poterat, præcipua tamen fides fuit pullis, atque in eorum genere, Melicis, & Chalcidis, quibus tantum religionis fabulosa vetustas tribuit, vt ceu internuntios, atque interpretes Iouis, euenta rerum edocere statuerent, & nisi his consentientibus ac suffragantibus comitia non agerent, non senatum haberent, nullos ad honores proueherent, nulla domi, aut foris negotia obirent, nulli prouincias demandarent, nihil denique auspicarentur, quæ non, vtrum approbatum ab his, velut assensione & monitu Deorum esset, magna cura prius exquirerent ac pensitarent: Denique regebant magistratus Romanos, domos ipsis suas claudebant, ac reserabant, fasces impellebant aut retinebant, iubebant acies, aut prohibebant, & maximo terrarum imperio imperabant. Pullis præerat pullarius, qui quotiescumque de inchoanda re quapiam, exequendaque Deorum per pullos sensa, placitaque exploratum ibat (oportebat autem id fieri summo mane; & primo diluculo) imperato de more silentio, pultem illis, aut offam, cauea reclusa, obijciebat, quod si ad oblatã escam mox pulli è cauea non prosilirent, aut serius egressi, vel non attingerent eam, vel alarum plauctu dissiparent, vel relicta esca oberrarent, aut occinerent, aut prorsus non vescerentur, vel auolarent penitus: omen præ se ferebant magni terroris & sollicitudinis euentusque tristissimos: & pullarius exitum animo præmetiens, ne quid molirentur, sed vel desisterent ab incepto, vel differrent deliberationes,*

vel

vel mutarent, hoc prorsus, quod præ manibus erat, hortabatur. Quod si mox proruerent cum impetu, certatimque in escam inuolarent, & auidè depascerentur; ita vt vescentibus illis, aliquid ex ore relaberetur, & terram pauiret quod tripudium faceret solistimum: inde spe hausta mirifica pullarius, vt constanter fortiterque cœpta negotia vrgerent, iubebat, & successus optatos, ac prospera à Dijs omnia spondebat. Hactenus ex Maiolo.

Bonum est salutis prognosticum in Christiano si auidè audiat verbum Dei.

6. Vis habere aliquod tuæ salutis prognosticum? In comedendo cibo cælesti, pane nimirum verbi Dei, & corporis Christi, si auidus, si feruidus, si diligens inueniaris, certissimum signum subsecuturi boni euentus, & quod omnia ad quæ extenderis manus, prosperabuntur; imò certum est præsagium, te regni cœlestis futurum hæredem. Sin verò ad verbum Dei nauseas, si pigritanter accedas, seriusque aduenias, vel quod multo peius est, si illud contemnas, & planè negligas, euentuum tristissimorum signum est, & damnationis æternæ. Nam qui ex Deo est, verba Dei auidè & diligenter audit, deglutit, & in viscera traijcit: qui verò illud contemnit, non ex Deo, sed ex diabolo esse conuincitur, & damnationis eius futurus particeps.

Quòd Sacratissima Virgo, gallinæ referat similitudinẽ.

SECTIO XXII.

Quòd Maria respectu Christi similis sit gallinæ.

§. I.

1. Gallinæ similitudinem gerit Virgo, siue Christum consideres, siue in nos miseros homines oculos conijcias, siue ipsam respicias.

Gallina vẽto interdum concipit, sic Maria concepit de Spiritu S.

2. Ad primum quod attinet; in primis, gallina interdum oua vel vento, vel puluere concepta, parit: similiter Virgo Christum peperit, postquam illum concepisset S. Spiritus cooperatione, qui vento solet assimilari, mediante quoque cinere, id est, summa sua humilitate, quâ seipsam nil nisi cinerem, vel cinere inferiorem existimabat, vnde ait, Dominum respexisse humilitatem, id est, vilitatem, vel vt aliqui vertunt, nihilitatem suam.

Summus Virginis in filiũ amor.

3. Secundò, summus est gallinæ in pullos amor: summus quoque Virgini fuit in dilectissimum filium amor. De Virginis erga filium amore, vide D. Anselmum lib. de excellentia Virginis cap. 4.

Gallinæ erga pullos cura & sollicitudo maxima, atque ea de causa etiam magna alacritas: Idem de Virgine affirmari potest.

4. Tertiò, de gallinæ erga pullos amore, cura, sollicitudine, & quæ illi ea de causa, alacritas, & lætitia, sic expendit Plutarchus lib. de amore prolis: *Quid verò*, inquit, *gallinæ, quas obseruari nostris oculis quotidie domi conspicamur, quanta cura & sollicitudine pullos custodiunt & gubernant, alijs, alas quas subeant remittunt, alijs dorsum vt scandant relinquunt, neque vlla pars corporis est, quâ non fouere illos, si possint, cupiant, neque id sine gaudio & alacritate, quod vocis sono testari videntur.* Similiter summa cura fouit Virgo natum infantulum Iesum, ac incredibili ex præstitis illi obsequijs afficiebatur gaudio. De quo sic D. Anselmus loco citato: *Dum Maria illum, qui sibi tanta fecit paruulum inter manus suas versari, & ad vbera sua pendere, & ad parui & teneri corporis læsiones, paruulorum more vagire conspiceret, quo precor affectu pijssimus eius animus mouebatur, quove studio ad occurrendum cunctis, quæ incommoda illi fore timebat, parabatur castissimum corpus eius? Deus, fili, huius fœlicissimæ matris, qui es virtus & vera sapientia summi patris, oramus te quatenus ipsa misericordiâ, quâ factus es homo pro nobis, insinuare digneris cordibus nostris, quo animo, quâ cogitatione ferebatur hæc dulcissima tua mater, cum te, inquam, talem & tantillum in brachijs suis exultans, & læta teneret; cùm tibi infantulo dulcibus osculis & frequentibus congauderet, cùm te lachrymantem super genua sua, quibus poterat modis consolaretur; cùm denique alijs & alijs studijs ad quæ ipsam materna pietas informabat, tibi pro qualitatum vicissitudinibus sedula blandiretur? Doce, inquam, nos, vel paululum mente percipere affectũ illum, quo replebatur cor illius.* PLVTARC. ANSELM.

Virgo maximè fidelis filio.

5. Quartò, gallina fidelissima pullis, nec eos etiam in vltimo periculo constitutos deserit: idem Maria filio præstitit. Vnde Guarricus ser. 4. de Assump. *Planè mater quæ nec in terrore mortis filium deserebat, quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortior, quàm mors erat.* GVARIC.

Virgo paratissima vt pro Christo susciperet quaslibet pœnas.

Quintò, si in aquas pullus se conijciat, in easdem etiam se conijcit gallina: in quantas aquas amarissimas, in quantos fluctus decumanos non se coniecit Christus tempore passionis? Nónne in easdem & ipsa Virgo mater seipsam coniecit, nónne & ipsa se eisdem obtulit tormentis? *Pendebat in cruce filius*, ait D. Augustinus in lib. de instit. Virg. c. 7. *mater se persecutoribus offerebat.* Ildephonsus serm. 2. de Assumpt. Virg. expendens verbum illud: *Stabat autem iuxta crucem mater*, sic ait: *Parataque stetit ad quamlibet pœnam suscipiendam, si percussoris manus accessisset. Fortasse*, ait Arnoldus, *quia in morte filij intelligebat redemptionem mundi, etiam suâ ipsa morte se aliquid æstimabat publico muneri additurum.* AVGVST. ILDEPH. ARNOL.

Infirmata Virgo cum Christo.

7. Sextò. Infirmatur cum pullis gallina: ô quam infirmata cum Christo patiente Maria, taliter sanè, vt & gladio doloris eius vulnerata fuerit in anima. *Ipsa*, inquit D. Anselmus in lib. 4. de fide orthod. c. 15. ANSELM.

beata, & super naturam donorum digna effecta, doloris partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit ex materna compassione, viscerum laceratu, reparturiens. Itaque dolores, quos Virgo sustinere debuerat, si partus illius naturæ legibus subiacuisset, in dolores illos commutatos fuisse docet Anselmus, quos Virgo iuxta crucem filio compassa sustinuit: atque adeò dolores illos, parturientis fœminæ cruciatus adæquasse. Cæterùm, vt eleganter expendit Rupertus, dolores parientis fœminæ longè inferiores sunt doloribus; quos Maria perpessa fuit. Nam in Euangel. Ioan. lib. 3. cap. 16. *Si enim*, inquit, *Apostolos suos in illa hora suæ passionis Dominus mulieri parturienti rectè comparauit, dicens: Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, & vos igitur tristitiam habebitis*, &c. *Quantò magis mulierem hanc stantem iuxta crucem mulieri parturienti talem matrem talis filius similem duxit.* Et paucis interiectis attexit: *Non enim habuit hæc mulier hanc pœnã, vt in dolore pareret, quando infans sibi natus est, sed nunc dolet, cruciatur, & tristitiam habet, quia venit hora eius, illa videlicet hora, propter quam concepit*, &c.

Dolores parturientis fœminæ inferiores longè doloribus Mariæ. RVPERT.

8. Septimò, gallina quamuis cùm dolore ponat ouum, tamen postea lætabunda cantat: ita & sacratissima Virgo stans iuxta crucem, quasi reparturiens filium, vt loquitur D. Anselmus, tristitiam habuit, cùm autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, id est, quia à morte reuixit genus humanum. Audi Abulensem in cap. 9. Deuter. q. 4. *Virgo*, inquit, *in tempore passionis ex charitate magna, quã eam repleuerat Spiritus sanctus, ardenter diligebat salutem humani generis. Cùm ergo eum vidit patientem, admirabiliter consolabatur, quia certissimè videbat redemptionem humani generis factam. Dolebat tamen acerbè, quia videbat tenerrimum illum iuuenem Christum Iesum, quem ipsa conceperat, ipsa lactauerat, quem magis diligebat, quàm animam suam, ita vt pro eo mori elegisset, si licuisset. Erant ergo in illa simul dolor, & gaudium, vtrumque magnum, sed satis vnum alteri concordabat.*

Maria iuxta crucem quasi reparturiens Christum, postea maximè gauisa est. ANSELM.

9. Octauò, gallina frigescentem pullum fouet & calefacit: sic Maria Deum ipsum peccatorum nostrorum gelu quodammodo frigescentem, precibus suis & orationibus fouet & calefacit. *Abisag Sunamitis*, ait Richard. lib. 5. de laudibus Virg. *fouebat pedes Dauid frigescentes. Sic Maria calefacit affectus filij ad amorem nostrum orationibus suis, quando sentit eos frigescere quoad nos propter peccata nostra.*

Maria Christum peccatorum gelu frigescentem, fouet. RICHAR. A S. LAV.

Quòd Maria respectu hominum gerat similitudinem gallinæ.

§. II.

10. AD nos quod attinet, gerit & sacratissima Virgo gallinæ similitudinẽ. Primò, gallina pullos recẽter natos maximè fouet & adumbrat: Ita & Maria semper & vbique fouet sibi deuotos, maximè in morte, dum ad gloriam nascuntur, vt rectè notauit Salmeron tom. 3. tract. 5. his verbis: *Ob id quod Christo nascenti, & morienti Maria adstitit, digna facta quæ filiorum Dei generationem, vt mater pientissima foueat, atque morti nostræ, in qua Deo per gloriam nascimur, singulariter succurrat, vt in tanto patrocinio, & fauore subleuati, seruatique, Virginem sanctissimam imitemur, ac Filium eius cum Patre & Spiritu Sancto per æterna sæcula exaltemus, atque magnificemus.*

Maria fouet sibi deuotos. SALMER.

11. Secundò, gallina protegit & obumbrat pullos suos aduersus aues rapaces; ita & Maria suos aduersus dæmonum & aduersariorum insultus. Docuit illud S. Bonauentura in Psalt. B. Virg. dum illam alloquens, ait, *Domina, vt non noceat mihi calliditas inimici, sub vmbra alarum tuarum protege me. Facilè decipitur, qui se ab hisce alis eximit, ab hac vmbra surripit.* Et paulò pòst: *Esto vmbraculum protectionis in tentationibus nostris expansio alarum tuarum defendat nos à deuorante.*

Maria protegit suos aduersus dæmonum insultus. BONAV.

12. Tertiò, protegit gallina pullos & adumbrat aduersus pluuias & imbres: Similiter suos Maria aduersus tentationum imbres. *In vmbrâ orationis*, ait Richardus lib. 2. de laudibus Virgin. *nos Maria protegit contra pluuiam diabolicarum tentationum.*

Protegit aduersus tentationũ imbres. RICHAR.

13. Quartò, gallina pullos suos protegit & adumbrat contra æstum Solis: ita Maria præstat suis cultoribus refrigerium contra æstum tribulationis, persecutionis, calumniarum. Vnde Diuus Bonauentura in Virginem referens quod percussus æstu calumniarum non esset exustus, sic eam alloquitur in Psalter. *Deriserunt me inimici mei vndique, tu autem sub vmbra manus tuæ contulisti mihi refrigerium bonum.* Contra æstum iniuriarum & contumeliarum præsertim obumbrat suos Virgo suo exemplo, nam gaudio perfundebatur, cùm lædebatur, & grata iniurias inferentibus erat. Quod affirmat etiam S. Ignatius epistol. 1. his verbis: *Maria Iesu, in persecutionibus est hilaris, iniuriantibus grata.*

Obumbrat contra æstũ tribulationis. BONAV.

14. Quin-

Protegit contra turbines superbiæ. RICHAR. A S. LAV.

14. Quintò, gallina pullos suos protegit & obumbrat contra ventorum turbines, eorumque ab illis propulsat vehementiam. *Maria*, ait Richardus à S. Laurent. lib. 12. de laud. Virg. *obumbrat nobis contra turbinem superbiæ exemplo humilitatis.*

Obumbrat contra ardorem concupiscētiæ. BONAV.

15. Sextò, gallina obumbrat pullos suos contra ardentem Solis æstum, & flammantes illius radios: ita Maria cultores suos ab æstu concupiscentiæ carnalis. Vnde ad illam sic clamat S. Bonauentura in Psalt. *Propera ad visitandum seruos tuos, sub tegumento manus tuæ illæsi conseruentur: & per te suscipiant refrigerium contra cupiditatis æstum.* Obumbrat autem Maria cultores suos contra hunc æstum prauæ concupiscentiæ, precibus, & exemplis suis. *Obumbrat nobis Maria*, ait Richardus à S. Laurent. loco citat. *contra æstum concupiscentiæ, exemplo castitatis, contra importunitatem tentationis diabolicæ, virtute assiduæ orationis.* Vnde sic Virginem alloquitur S. German. Archiep. Constant. in encomio Deip. *Sed ò Domina mea, sola, quæ sola mihi es Deo solatium, sola æstus in me existentis diuinus ros. Instar nubis*, ait Richardus lib. 4. de laud. Virg. *refrigerat ab æstu concupiscentiæ.*

RICHAR. GERMA.

Obumbrat contra æstū solis iustitiæ.

16. Septimò, gallina abscondit pullos & obumbrat contra æstum Solis: ita Maria abscondit peccatores ab ardore Solis, id est, ab ira filij, ita vt meritò illi tribuantur verba Eccli. c. 24. *Sicut nebula texi omnē carnem.* Virgo enim vt nebula vmbram super nos facit, & ab iræ diuinæ ardore, velut à solis radijs suos, suis precibus subducit. Expandat super nos Maria suarum orationum, vt ita dicam, velamen, & vmbraculum à meridiano diuinæ iustitiæ æstu erit. Subscribit Richar. à S. Lau. lib. 2. de laud. Virg. part. 1. in hæc verba: *Ipsa (Virgo) dicit Ecclesiast. sicut nebula texi omnem carnem, ab ira scilicet Dei quasi ab ardore solis. Ideo etiam dicit de filio: Tenui eum, ne scilicet percuteret, nec dimittam, sed continuâ precum instantiâ furorem ipsius retinebo. Ipsa est Abigail, cuius prudentia retinuit furorem Dauid, ne vendicaret se de Nabal stulto.* 1. Reg. 25.

RIBHAR. Cant. 4.

Protegit suos contrá fulmina diuinæ iracundiæ.

17. Octauò, gallina protegit pullos atque obumbrat aduersus fulmina, tonitrua, &c. imò obijcit se baculis & gladijs, vt pullos incolumes seruet. Nónne eandem operam præstat hominibus Maria? Qua de re sic appositè scribit auctor ille, qui habetur in homiliar. Alcuin. in serm. de Natiuit. *Ecce, ait, coram tremendo iudice assistimus peccatores, cuius manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos, & quis auertet eum? Nemo sanè, Domina, tam idoneus est, vt gladio Domini manum pro nobis obijciat, vt tu Dei amantissima, per quam primum in terris suscepimus iustitiam, & misericordiam, &c. Te enim brachium, & manum extendente pro nobis, diuinæ vltionis gladius eleuatur & contrahitur.*

ALCVIN.

Maria laborantium refrigerium.

18. Nonò, gallina obumbrat pullos, & refrigerium illis præstat: ita & Maria laborantium est refrigerium. Vnde sic monet laborantes & tribulatos Diuus Bonauentura in Psalter. *Venite ad eam qui laboratis, & tribulati estis, & dabit refrigerium animabus vestris.* Vnde etiam ab Alberto super missus est, vocatur, *Quies laborantium, & solatium operantium.*

BONAV.

Maria protegit suos contra æstū febriū, aliarumque infirmitatum. ALBERT.

19. Decimò, gallina pullos suos protegit & obumbrat contra æstum solis; Maria suos obumbrat cultores contra variarum febrium, aliarumque infirmitatum æstum. Vnde Diuus Albertus loco citato, eam vocat, *vmbraculum infirmorum*; quia eò se Virginem demisisse, vt flamine, morbo æstuantem recrearet, ac flabello febris ardorem, qui iacentem corripiebat, temperaret. In vita Mariæ Oegniacensis, ita scribit Iacobus de Vitriaco Cardin. libro 2. cap. 3. apud Surium 23. Iunij. *Religiosa quædam vidua quæ in sancta viduitate diu seruiuerat Domino, & filias suas in sancta Virginitate sponsæ cælesti integras seruabat; vidit autem & nostra Maria (Oegniacensis) Beatam Virginem sanctæ viduæ assistentem, & quasi flabello quodam caloris æstum, quo torquebatur, humanissimè temperantem.* De se sic ipsa loquitur apud Ioannem Damascenum sermone de dormit. Virgin. *Ego enim quasi officina medicinæ ægrotantibus, ego fons perennis curationum.*

IACOBVS DE VIT.

Maria cum peccatoribus infirmatur. RICHAR. Adumbrata in Cananea

20. Vndecimò, gallina pio amore cum pullis infirmatur, & eorum infirmitatem propriam reputat, & amissa voce naturali, rauca efficitur: ita & Maria cum peccatoribus infirmatur, eorum quasi in se personam ac peccata suscipiens. Vnde Richardus lib. 6. de laudib. Virgin. eam comparat Chananeæ mulieri, Christum sic deprecanti pro filio: *Miserere mei, Domine fili Dauid: Maria, ait, est mulier Cananea, quæ clamat ad Deum pro filio, id est, peccatrice anima, cuius etiam personam misericorditer in se transformat, dicens: Miserere mei, fili Dauid. & cui misericorditer respondet filius: ô mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Nunquid Virgo speculum sine macula, nónne omni peccato vacua; qualiter ergo fieri potest, vt sic oret, *Miserere mei, fili Dauid*? Non vox hæc, vox illius naturalis, sed rauca, vtpote gallinæ præ amore personam pullorum, id est, peccatorum in se transformantis.

In aquis purgatorij opitulatur suis Virgo.

21. Duodecimò, gallina non solùm protegit, fouet, & obumbrat pullos in terra, verùm si contingat pullum aliquem in aquas delabi, & fluctibus immergi, aduolat vt iuuet & liberet. Talem etiam Virgo erga nos sese exhibet, non solùm in terrâ opitulatur hominibus, sed ijs etiam quàm maximè qui in aquis & fluctibus amoris purgatorij versantur. Virginis sunt illæ voces: *Et in fluctibus maris ambulaui.* Ecclesiastici 24. in quibus hanc eius in purgatorio vmbram, ac refrigerium vidit S. Bernardin. Senens. ser. 3. de gloriosiss. nomin. Mariæ

BERNARDINVS.

art. 2. cap. 3. vbi ait: *Beata Virgo in regno purgatorij dominium tenet, propterea inquit: & in fluctibus maris ambulaui. Pœna siquidem purgatorij ideo dicitur fluctus, quia transitoria est: sed additur maris, quia nimirum est amara. Ab his tormentis liberat Beata Virgo, maximè deuotos suos, & hoc est quod ait: & in fluctibus maris ambulaui: scilicet, visitans, & subueniens necessitatibus, & tormentis deuotorum meorum, imò & omnium, qui ibi existunt; quia filij sunt, cùm sint filij gratiæ.*

Mater omnium qui sunt in purgatorio est Maria. BLOSIVS.

22. *Audiuit S. Birgitta*, ait Blosius cap. 13. Monilis spirit. *ipsam Beatam Dei Genetricem dicentem: Ego sum mater Dei, & mater omnium, qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis ipsorum, per preces meas qualibet hora aliquo modo mitigantur.* Sic Blosius.

Virgo suis vitam inspirat.

23. Decimotertiò, gallina obumbrans pullos vmbrâ suâ, vigorem, sanitatem, & vitam illis confert: similiter & Virgo quos obumbrat, firmat, sanat, vitamque inspirat. Vnde verba illa Eccli. 34. *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegumen ardoris, & vmbraculum meridiani.* Sic flectit ad Virginem Richardus lib. 2. parte 3. *Dicamus & nos: Oculi Dominæ ad timentes eam, protectrix potentiæ, tegumen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animas, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* RICHAR.

Qui gremio Virginis hæret licet sit instar frigidi oui, reuiuiscit.

24. O peccator licet mortuus, caue ne alas, caue ne sinum huius gallinæ deseras, si gremio illius hæres, si maneas Virgini addictus, si non desinas eam colere, vitam dabit, quamuis sis instar frigidi & emortui oui: suppositus huic cælesti gallinæ vitam hauries, & fæliciter reuiuisces. Elias, vt legimus 3. Reg. 17. suscitaturus filiũ viduæ illius hospitalis, tulit eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum. Similiter quos in matris gremio iacentes reperit verus Elias Christus, & quos illa suo iuuat patrocinio, ad vitam facilè ille reuocat. Vnde sic quemlibet Christianum monet Gillebertus Abbas sermon. 16. in Cantic. *Non expedit tibi extra materni sinus ambitum reperiri, ne fortè non tollat te verus Elias in cubiculum suum: quos resuscitat Christus mulierum vtique fletibus donat: sic vidua filium, sic sanctarum fratrem mulierum, sic parentum precibus suscitauit puellam. Tolle, bone Iesu & hunc mortuum nostrum de matris gremio.* GILLEBE.

Maria armarium vitæ. CHYSIPP.

25. Ad vitam respiciens quam confert Virgo Chysippus Presbyter de laudibus Virgin. sic eam salutat: *Aue armarium vitæ.* Quibus verbis alludere videtur ad mores illarum regionum, in quibus solent sibi parare certa loca, quæ ouis replent omnis generis volatilium, vt gallinarum, anserum, anatum, pauonum, &c. quæ adhibito temperato igne, illius calore, paulatim non secus atque si à matribus incubarentur, incalescunt, & viuificantur, ita vt quotidie excludantur quamplurimi pulli. Quis non meritò talia loca vocitet armaria vitæ? Tale armarium Virgo non flatu instar Reguli interimens, sed calore suo viuificans, & animas resuscitans. Quò traho S. Amædei verba qui hom. 7. de laudib. Virgin. ita scribit: *Fertur ab ijs, qui norunt naturam animantium, quod solo visu, & flatu mortifero vicina sibi quæque Regulus venenatus interimat: sic illa è regione ignis diuini calore vehementer accensa, & verbi flammigerantis sparsa incendijs odorem resuscitantis gratiæ ijs, qui longè, ijs qui prope commanebant exalabat.*

Virgo non flatu suo enecat, sicut Regulus, sed calore suo omnia viuificat. AMAED.

Virgo ex iniustis reddit iustos.

26. Decimoquartò. Gallina cùm sit maximi caloris, noxium cibum conuertit in optimum nutrimentum: ita Virgo summâ cùm sit prædita erga homines charitate, ex iniustis hominibus reddit iustos, peccatores ferarum more viuentes, vertit in lucidissimas stellas, ac proinde coronatam eam legimus tum feris, tum stellis. De feris Cantic. 4. vbi ita Sponsam Sponsus alloquitur: *Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum.* De stellis Apocalypsis cap. 12. *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Quid precor feris animantibus & bestijs cum lucidissimis stellis? An fieri poterit vt feræ per Virginem transmutentur in stellas, quis ambigit? Ad vtrumque enim locum respiciens Richardus à Sancto Laurentio libro 3. de laudib. Virgin. sic scribit: *Ipsa de cubilibus Leonum, & de montibus Pardorum dicitur coronari. Et nota, quod Apocalypsis 12. dicitur Maria coronari de stellis; hic promittit ei filius, quod coronabitur de feris. Et quid est hoc, nisi quod feræ per gratiam, & orationes Mariæ fiunt stellæ, vt conueniant capiti tantæ Reginæ? vt de stellis ei videatur corona exhibita, quæ de feris fuerat promissa; & hæc est mutatio dexteræ excelsi.*

Feræ, per Virginem trãsmutantur in stellas. RICHAR.

Virgo cœnum conuertit in panem.

27. Quid peccator, quàm vile & turpe cœnum, quo vescitur diabolus, quid iustus, quàm dulcis & sapidissimus panis, in quo delectatur Christus? Cœnum hoc nouit Virgo commutare in suauissimum panem.

Dæmonum cubilia mutat in Dei habitacula.

28. Quid peccatorum corda quàm leonum, id est, dæmonum cubilia? dormit enim Behemoth, vt legimus Iob cap. 40. *In secreto calami in locis humentibus*, nimirum, vanis, superbis, & luxuriosis hominibus. Cubilia hæc, calamos hosce inanes & arundines, hæc loco humentia, & ferulenta, nouit Maria mutare in Dei cubilia, infructuosas arbores, in thronos Regios. Audi Richardum lib. 12. de laudibus Virg. *Nihil*, inquit, *animæ infirmæ medicinalius, nihil animæ delicatæ odoratius, quàm quòd B. Virgo tam pro iustis, quàm pro peccatoribus interpellat. Ideo dicitur ipsa coronari* RICHAR.

de

de cubilibus leonum. Cantic. 4. *Leones isti sunt dæmones, quorum cubilia sunt peccatores, pro quibus orat assiduè, & inde glorificatur ab omni rationali creatura.*

De lapidibus facit filios Dei.

29. Etiam lapillos dicitur digerere gallina, & in optimas conuertere carnes: sic & Maria de lapidibus facit filios Abrahæ.

Aberrantes ad se reuocat Virgo.

30. Decimoquintò. Gallina aberrantes pullos querulâ voce ad se vocat, & vt sub alis suis foueantur, & protegantur, & delitescant. Nónne idipsum quotidie agit sanctissima Virgo? Non immeritò sanè ab Ecclesia illi accomodantur verba illa Sapientiæ Prouerb. cap. 8. *Nunquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam in summis excelsisque verticibus super viam, in medijs semitis stans.* Sed quando visa sacratissima Virgo clamitare & vociferare? Re ipsa non clamitauit, nec vociferata est Virgo, nihilominus tam causaliter quotidie clamitat & vociferatur, quia scilicet sua intercessione obtinet, vt homines clament & vociferentur. Deinde per concionatores tamquam tot præcones loquitur mortalibus Virgo, & inclamat contra aberrantes à recto itinere peccatores. Ideo in exordio concionum, illius auxilium præmissa oratione implorare nunquam non consueuerunt. Rectè verò in summis excelsisque verticibus dicitur Virgo stare, vt aberrantes à via, in rectam reuocet semitam. Nam vt ait Salazar in hunc locum, verticem virginitatis ascendit, vt virginibus inde monstraret viam, culmen obedientiæ tenuit, vt obedientibus iter inde doceret: cacumen fidei subijt, vt fidei semitam aperiret alijs: ac demum apices virtutum omnium Virgo hęc honestissima terit, vt earum dissimiles orbitas illas ingredi volẽtibus edoceret. Fælix qui huic auscultat gallinæ; nam vt ait D. Bernardus hom. 3. super missus est; *Ipsam sequens non deuias, ipsam cogitans non erras, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis.* BERNAR.

Qualiter reuocet.

31. Oblatâ opiparâ escâ, querula voce vocat gallina pullos: similiter planè & sacratissima Virgo, propositis ingentibus & maximis bonis, vocat ad se aberrantes homines. *Mecum*, ait Prouerb. c. 8. *diuitiæ & gloria, opes, superbia & iustitia. Melius est enim fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo.* Quæ omnia qualiter concedat & largiatur Virgo cultoribus suis, vide apud Salazar in Prouerb. cap. 8. ad vers. 18. & 19. de B. Virgine.

Virgo frigidos reddit calidos.

32. Decimosextò. Gallina quia callidissima, pullos sub illa latentes, ex frigidis calidos maximè reddit. Nónne idem etiam in Maria verificatur? Audi Diuum Bonauenturam in sermon. 1. de Virgine, qui habetur tomo 3. operum illius: *Quia igitur tota ardens fuit, omnes se amantes, eamque tangentes incendit, & sibi assimilat. Vnde dici potest similis cuidam lapidi pretioso, qui manus se tangentis adurit.* Et paucis intercalatis attexit: *Nam ferrum igne non tactum, est frigidum, est durum, est rubiginosum. Est frigidum, sed dum ferro aduenit ignis, ipsum vtique calefacit, ipsum in mollitum vertit, & si illius actio est fortis, ipsum totaliter liquefacit: eius rubiginem ex toto consumit, & in suam pulchritudinem ipsum vertit, sicut ipse sensus ostendit. Tu ergo, qui habes cor non carneum, sed ferreum, nimis vtique durum, si hoc igne Mariæ tangeris, & affectu calesis, & compassione mollescis, & omnis peccati rubigine spoliaris, & similis illi igneus efficeris, & totus amore liquescis.* Hæc ille. BONAV.

33. Decimoseptimò. Securitatem, requiem, & tranquillitatem præstat gallina pullis suis, quos alis obumbrat: ita qui studio & amore Virginis tenentur, ex illa hauriunt pacem, & sedatissimam quamdam animæ quietem. Vnde de illa accipi consueuerunt illa verba Ecclesiastici 4. *Qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilauerit ad illam amplectetur placorem illius.* vbi alij vertunt: *complectetur malitiam illius.* Id est, quandam animi pacatissimi quietem & tranquillo, & placido mari similem serenitatem, sublatis animi, & conscientiæ turbis. Audi Diuum Bonauenturam in Speculo: *Ad te, Domina, clamaui in angustia animæ meæ, & tu serenasti conscientiam meam*, Virginis operâ vnitatem & concordiam Ecclesiasticam stabiliri, sectiones, & schismata arceri, vide apud Salazar in cap. 9. Prouerb. ad versic. 2. de B. Virgine.

Tranquillitatem & requiem præstat suis

BONAV.

Gallinæ similitudinem etiam gerit Virgo si ad ipsam oculos deflectas.

§. III.

34. PRimò. Gallina auis est humillima, licet enim vigeat pennis, tamen in altum se non extollit, per terram graditur, puluere delectatur, ita quoque humillima fuit Virgo. Humilem & mitem paritura; humilitatem debuit ipsa præferre; nihil pullo humilius, qui vel ex ouo absque gallinæ opera excludi dicitur, si illud fimo inuoluas, & cineribus tegas. Similiter nihil humilius Christo: qui à Virgine eniti & nasci voluit in stabulo, & reclinari in præsepio. Vis huius gallinæ esse filius albæ? Esto pullus, esto humilis, esto paruulus. Nam vt ait Diuus Bonauentura in sermone super illa verba, *Astitit Regina: Maria quidem in Iesu paruulo paruulos alios alere, & nutrire didicit.* BONAV.

Gallina humilis, ita & Virgo.

Ma-

Magna profectò dignitas paruulorũ, quos non modò educando suscepit Maria, sed in filio suo huius educationis modum meditata, & experta est, vt non aliter eos quàm filium aleret.

Fœcunda gallina, fœcunda Maria.

35. Secundò, fœcunda est gallina: fœcundissima est Virgo Maria, dum mentis intercessione, & precibus suis ex ouis frigidis atque emortuis tot Christo excludit pullos iustorum hominum.

Gallina auro venenũ, Maria ab auro alienissima. VINCEN. BELLVAC.

36. Tertiò. De gallina refert Vincentius Belluac. in speculo natur. lib. 16. cap. 82. ex Plinio libro 29. Si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, consumunt illud in se, ita vt dici possit auri venenum gallinas esse. Quàm pulchrè idem conuenit Virgini, nullas illa apud se poterat continere diuitias, nulla auri donaria; sed mox per liberalem exhibitionem illa consumebat. D. Bonauentura illius eleemosynas extollens & numerans in libro de vita Christi, tradit munera, ac dona à Regibus accepta infra paucos dies pauperibus expendisse, cui scribunt Abulens. in Matth. c. 2. quæst. 47. & Carthus. in eundem locum. Vis scire cur ita auro inimica Virgo? Audi D. Ambrosium lib. 2. de Virginibus: *Virgo*, inquit, *corde humilis, animi prudens, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens.* Stupet animus hæc audiens, Maria, quæ communis est totius orbis spes, in quam omnem suam fiduciam contulerunt sancti, tantundem tribuit eleemosynæ, vt in prece pauperis eius spem vnicè repositam, asserat D. Ambrosius. *In prece*, inquit, *pauperis*, hoc est, in oratione, quam acceptâ eleemosynâ pauper ad Deum pro ipsa effundebat: vel in oratione, quam eleemosyna illa in sinu pauperis coniecta solet habere, iuxta illud Ecclesiast. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit Altissimum.*

BONAV. ABVLENS. AMBROS.

Non sperabat in incerto diuitiarum sed in prece pauperis.

Post mortem honoratissima Virgo.

37. Quartò. Gallina dum in viuis est, nihil humilius; post mortem verò nihil honoratius; tunc enim opiparè præparata, infertur regum mensis & conuiuijs: similiter Virgini in vita nihil humilius; post mortem verò in cælo nihil honoratius, est enim suauissima Dei esca, quidquid illa conditur, suauissimè sapit Deo, quidquid hoc caret condimento, insuaue & insipidum ipsi Deo est. De Virginis humilitate, & quæ eam sequuta est exaltatio, vide Salazar in Prouerb. cap. 8. v. 13. de B. Virgine.



QVOD

QVOD GRANVM SYNAPIS SIT Expressiuum Christi, atque variarum suarum virtutum speculum, fidei quoque, atque Doctrinæ, Euangelicæ, aliarumque rerum sacrarum, ac spiritualium,

ENARRATIO IV.

Quare Christus minimum synapis granum voluerit esse tantarum rerum speculum, siue imaginem.

SECTIO I.

1. LEGIMVS Matth. 13. *Simile est regnum cælorum grano synapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus.* Per regnum cælorum, quidam Christum, quidam Ecclesiam, quidam fidem & doctrinam Euangelicam, intelligunt: quidam mystico sensu, per regnum cælorum, ipsam æternam beatitudinem, ipsos martyres, & iustos omnes homines, ipsamque virtutem, & vitæ perfectionem, adumbrari volunt. An quidquam hisce omnibus maius, magnificentius, honoratius ac dignius excogitari potest? Et tamen, vt ait D. Chrysologus serm. 98. *Quærens in cælo, & in terra, nihil inuenit, nisi granum synapis in quo potentiam totam supernæ dominationis includat.* Quid precor mouit Christum, ipsum Dei verbum, quòd tam magna, tam præclara, in grani synapis coërceat, & concludat angustias? An in tanta creaturarum multitudine, desunt, quæ sua mole, pulchritudine, virtute, & excellentia, nobis adumbrent, res tam eximias, tamque præclaras, qualis Christus, qualis Ecclesia? An opus est tantam magnitudinem, tantam maiestatem sic minimo synapis grano, sic parua, sic minima, imò minimorum minima similitudine, concludere? Pulchrè D. Chrysol. loco cit. *Si infirmum Dei fortius est hominibus, & stultum Dei sapientius est hominibus, hoc minimum Dei, tota magnitudine mundi magnificentius inuenitur.* Quamuis enim granum synapis minimum sit inter omnia semina olerum, (de oleribus enim loquitur Dominus; *Maius est*, inquit, *omnibus oleribus*. Vel fortè in Iudæa sic res se habebat, vt nullum esset semen eo minus. Nam vt Caiet. obseruauit, non est eiusdem quantitatis omnibus in locis. *Comparaui*, ait, *hæc semina in Italia, nec apparet vniformitas* &c.) nihilominus, tantas illi virtutes Deus indidit, vt singulæ quasi sint tot rerum cælestium imagines, lucidissima specula, & aptissima symbola. Quamobrem Origenes homil. 3. in Cant. *Cùm plures*, inquit, *sint, verbi gratiâ, in grano synapis virtutes, quæ rerum cælestium imagines teneant, vltimus & extremus eius vsus est iste, qui habetur apud homines in ministerio corporali.*

Granum synapis multarum rerum speculum.

CHRYSOL. Speculum diuinæ potentiæ.

CHRYSOL. Synapis granum licet minimũ est tamen magnificentius tota mundi magnitudine.

Synapis granum quomodo dicatur minimum omnibus seminibus.

ORIG.

2. Nec mireris autem Deum, tantas indidisse minimo grano virtutes, nam Dei potentia & sapientia potiùs in minimis rebus, quàm in magnis resplendet. Est quidem Deus magnus in rebus magnis, sed non est minimus in rebus minimis. Quinimò in his magis eius sapientia relucet, quàm in illis, maioremque in paruis, quàm in magnis potentiam, ac virtutem ille ostendit, & abundantiorem in paruis, quàm in cæteris rebus, admirandi atque obstupendi materiam, nobis præbet.

Dei potentia in rebus minimis magis resplendet.

Enimuero longè admirabilius est opus Dei Culex, quàm camelus, lapis pretiosus, quàm immensa moles altissimi montis: Viola, quàm lilium: myrica, quàm quercus: musca quàm iumentum: conchilia, quàm cete: & ne multa; mirabilior multò est Deus in exigua formicula, quàm in ingente elephante. Naturalium quippe rerum scriptores ac philosophi de tigrium, elephantum, leonum cæterorumque animalium naturis, affectionibus, optimaque ac pulcherrima membrorum & partium distributione ac situ, multa accuratè aptèque disserunt. At de formica fortassis ne verbum quidem: neque enim docent, qua ratione illa spiritum vel emittat, vel attrahat: in quonam loco neruorum, atque ossium eius articuli coniungantur, vbinam carnium, ac musculorum compages habeat, quas venarum, ac spirituum semitas contineat: vtrum pulmonibus, corde, arteriis, medullis, sanguine constet: an nuda sit, vel tegumento aliquo circumamicta: quos habeat pedes: quanam ex materia exigua illa, quâ elephantis instar, armata est proboscis: num scilicet ex carnibus, neruis, ossibus, aut pelle fabricata sit: cur non omnes formicæ alas habeant, cur quædam perpetuò humi reptent, quædam verò per aëra volitent, qua ratione pariant, quot denique vno partu filios edant, vnde Salomon Prouerb. cap. 30. *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: formica, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi* &c. *Admirabilior est*, ait D. Augustinus, *membrorum paruulorum connexio & propago in formica, quàm in elephante.* Formicæ scientia, quàm difficilis, & quanta in ea consideranda, & discutienda, pulcherrimè describit, vt confundat Eunomium hæreticum, S. Basilius epist. 37.

In formica quàm Deus admirabilis.

AVGVST.

Quis nescit stellas minimas, maioris esse virtutis? Origenes hom. 10. in Iosue notat, vim medicam maiorem esse in paruis & exiguis herbis, quàm in magnis. *Natura nusquam magis, quàm in minimis tota est*, ait Plinius libr. 11. cap. 2. Cyrillus libr. 1. Apolog. moral. cap. 18. postquam dixisset: *Plurima paruitate molis exigua, granditate virtutis esse maxima*, sic deinde idipsum probat inductione gemmarum, pupillæ, acus, araneæ, pulicis, dicens: *Sic ceteris virtuosiores sunt lapides minores, & rerum ingentium, res paruæ sunt semindes. Quid in membris pupilla minus, quæ tamen nihil carius? & nauis salus aliquando ab exiguo clauo dependet potius, quàm ab ingenti malo: quippe si pannus ex vellere adornatur, sine acu tamen non induitur. Quid plura? Aranea parua virum necat, & pulex infestissimus hunc tormentat.*

Stellæ minimæ maioris virtutis.

PLINIVS. CYRILL.

Parua mole, virtute maxima.

3. Ars quoque illustrior est in paruo, quàm in magno opere. Phidias insignis sculptor in parua Mineruæ effigie, nomen & figuram sui indidit, quia in paruo ars erat magna, & opus peregrinum. Alius etiam sculptor, vocatus Mirmex, vt narrat Plinius, in minimo eboris globo, sculpsit currum, equos, & aurigam, & in hoc erat mirabile opus, quod musca in minimo illo sedens grano, alis suis omne opus operiebat. Appellis in pictura celeberrimi artificis mira præstantia, vel in sola lineolâ, cum maxima omnium admiratione, super aliam valde exiguam, ducta, mirificè enituit, vide de hoc argumento plura, si libet, infra hac En. sect. 31. num. 18. Similiter Deus in paruulo synapis grano sese mirabilem volens ostendere, tantas illi indidit virtutes, vt in illis nobis spectandas exhibuerit imagines tot magnarum & cælestium rerum. Quænam autem sint illę grani synapis virtutes, in quibus nobis spectandum exhibet, tum Christum, tum Ecclesiam, tum doctrinam Euangelicam particulariùs examinandum & enucleandum. A Christo incipiamus.

Ars illustrior in paruo quàm in magno opere.

Sicut granum synapis minimum & maximum: ita Christus minimus & maximus.

SECTIO II.

1. Sicut granum synapis minimum est & maximum, minimum quantitate, maximum virtute & qualitate: ita secundum diuersas considerationes dicere possumus, Christum minimum esse, & maximum. Affirmant aliqui antiquitus apud Athenienses, inter tres philosophos concertatum, quænam mundi res, foret dicenda, maxima & minima, vel quęnam illa, in qua pari passu, ambularent, & eximia magnitudo, & summa paruitas. Primò, affirmante pupillam oculi esse, vtpote quæ ob exiguam quantitatem, quasi visum fugiat, & ob insignem capacitatem recipiat creaturarum omnium, imò & ipsius latissimi cæli, species. Secundò affirmante, eam rem esse humanam animam, pupillâ longè minorem magisque exiguam, vtpote quantitatis omnis expertem, interim intelligentem, & quodammodo intellectu comprehendentem omnia, vt non immeritò dixerit Aristoteles lib. 3. de Anima: Animam esse quodammodo omnia quæ sunt, siue sensibilia, siue intelligibilia. Tertiò sustinente tam pupillam quàm animam cedere debere hac in re illi ouo, cui heromagen cùm in mundi fabrica, vt refert Pierius Hierogl. libr. 33. cap. 74. reliqua digessisset, inclusit

Christus minimus & maximus.

Quænam res mundi simul maxima & minima.

inclusit quatuor & viginti Deos, quorum aliqui boni, aliqui mali, quodque cùm Arimanij gnati ludo perforassent, bona malis immixta prodiisse, atque ita quantacumque fruamur iucunditate, quocumque simus gaudio exhilarati, serus quid vehat versper, nos nescire. In viginti quatuor hisce diis, horas intelligebant, viginti quatuor, quas filias solis nuncupat Homerus, quarum volebant duodecim, diurno, quæ faustæ, duodecim nocturno, quæ infaustæ, progigni tempore, & hæc quidem illi. Nobis verò Christianis si illa proponatur quæstio, vel potiùs illud ænigma, quodnã illud sit, quod simul maximum & minimum sit, non difficilis erit responsio vel solutio. Mox enim occurrit beatissima Dei genitrix, quæ in propriis oculis tam est exigua, vt dicat: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Vatablus legit: *Nihilitatem ancillæ suæ*, interim tantæ est magnitudinis vt S. Ioan. in Apoc. cap. 12. eam in cælo, in loco à se remotissimo, & amictam sole, id est, Christo conspiciens, de illa nihilominus dicat: *Signum magnum apparuit in cælo*. Et de illa non veretur canere Ecclesia: *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti*. Verùm nemini magis conuenit minimum esse & maximum, quàm Christo, secundum diuersos respectus, considerato.

Christus si humanitatẽ altiùs spectes potest dici maximus & minimus. Qualiter formatum Christi corpus.

2. In primis, si humanitatem ipsius spectes, potest dici maximus, & minimus. Pro quo notandum, vt docet S. Thomas 3. par. qu. 33. art. 1. in corp. *Corpus Christi fuisse formatum in primo instanti conceptionis, propter virtutem agentis infinitam, scilicet Spiritus sancti, per quem corpus Christi est formatum. Tantò enim aliquod agens citiùs potest materiam disponere, quantò maioris virtutis est: Vnde agens infinitæ virtutis, potest in instanti materiam disponere ad debitam formam.* Vt rectè dixerit Author Appendicis in compendio Theologicæ veritatis libr. 4. cap. 10. apud D. Bonauenturam tom. 7. *Mirabilia fuerunt in prole, quia in instanti fuit ibi sanguinis separatio, consolidatio, figuratio, animatio, deificatio.* Et ante eum Damascenus libr. 3. cap. 2. *Simul caro, simul Dei verbi caro, simul caro animata, anima rationali & intellectuali.* Cùm in conceptione aliorum corporum, longè aliter res sese habeat. Nam vt ait D. Augustinus in lib. 83. quæstionum quæst. 56. *Dicitur conceptio humana sic procedere & perfici, vt primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus nouem diebus conuertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem & octo diebus formetur, vsque ad perfecta lineamenta omnium membrorum, & hinc iam reliquo tempore vsque ad tempus partus, magnitudine augeatur.*

BONAV.

AVGVST.

3. Quamuis autem membra corporis Christi fuerint in conceptione completa, & perfecta, vsque ad animæ susceptionem, ipsorum tamen membrorum distinctio, secundum Magistrum lib. 3. sent. dist. 3. §. *Illi autem*, tam parua & tenuis fuit, quod humano visui vix posset subiici, quia in tanto fuit minus corpus illud, quàm alius conceptus, cùm formatur, quantum augeri posset in vtero infra quadraginta sex dies, quibus peractis solet infundi anima rationalis, vtpote ad plenum iam organizato corpore, quo quidem tempore, secundum aliquorum sententiam, præsertim Alberti Magni corpusculum infantis vix excedit magnitudinem apis. De organizatione corporis Christi in primo momento conceptionis, & illius paruitate, vide Tostatum in Paradoxo 1. c. 24. & seq. Quæ res si ita se habeat, an quid minus excogitari posset, quàm corpusculum Christi, in primo instanti conceptionis?

Quàm paruum & exiguum corpus Christi in conceptione.

ABVLENS.

4. Iam verò, si animam Christi, illi infusam corpusculo expendas, an inter creata quid maius inuenitur? Fuit enim in ipso momento conceptionis Christi, quando infusa, dotata rerum omnium cognitione, & quod amplius est, fruitione & visione perfecta diuinæ essentiæ, vt à primo momento conceptionis suæ Christus non solùm fuerit viator, sed & comprehensor. Hinc Ieremias loquens de Christi in vtero virginis conceptione, ait c. 31. *Nouum fecit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Pro quorum verborum elucidatione, accipe præclaram D. Bern. doctrinam hom. 2. super missus est. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum. Si dixisset fœmina circumdabit infantem aut paruulum, nec nouum videretur, nec mirum. Nunc autem quia nihil tale posuit, sed dixit, virum: quærimus quæ sit hæc nouitas, quam Deus fecit in terra. Sed verto me ad conceptum partumq́ virginalem. Nunquid non facile tibi est fœminam agnoscere circumdantem, cùm Mariam videas virum approbatum à Deo, Iesum suo vtero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse Iesum, non solùm iam, cùm diceretur vir propheta, potens in opere & sermone: sed etiam cùm tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foueret in gremio, vel gestaret in vtero. Vir igitur erat Iesus necdum etiam natus, sed sapientiâ non ætate: animi vigore non viribus corporis: maturitate sensuum non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potiùs non minùs fuit sapiens Iesus conceptus, quàm natus; paruus, quàm magnus. Cur denique dubito virum fuisse in vtero quem mihi Deum fuisse non ambigo? minus quippe est esse virum quàm esse Deum.*

Anima Christi inter creata maxima.

Dum virgo Christum concepit, nouitas facta magna super terram.

BERN.

5. Secundò, si vlteriùs expendas, carnem Christi illiusq́ue animam in primo instanti conceptionis, fuisse vnitã verbo diuino hypostaticè, & Deum & hominẽ vnum esse Christum, an non Christus meritò dicẽdus & maximus & minimus, maximus secundũ diuinitatem, minimus secundum humanitatem?

Christus maximus secundum diuinitatẽ, minimus secundum humanitatem.

tem? Quid enim comparatione diuinitatis, humanitas, nónne minimum quid, & prope nihil? *Quid est maximum*, ait Cardinalis
Bellar. Bellarm. Conc. 39. de S. Laurent. *nisi Deus, quid minimum, nisi creatura? Solus igitur Christus maximus & minimus. Qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Sic enim tunc diuina, atque humana natura in vnam coiere personam, vt vnus prorsus atque idem creator esset & creatura, terminatus atque immensus, genitus ab æternitate, & ortus in tempore, & Dominus, & seruus: verbum, & caro: Deus & homo, maximus & minimus.*

6. Hinc Isaias cap. 54. desiderans & exoptans Christum concipi in virginis vtero, ait: *Aperiatur terra & germinet saluatorem.*
Christus est germen quidem virginis sed hoc germen in magnificentia. Vt germen in hortis erumpit sic petit vt erumpat Saluator in vtero Mariæ. Sed erumpente germine, quid minus dici potest, in creaturis? & tamen velut germen minoratus, apparet in matris vtero, Dei filius. Sed an germinis paruitas prorsus abscondet Dei filium? absit. Vnde ait Isaias cap. 4. *Erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis.* In ipsa paruitate, ostendetur omnibus sublimior. Pul-
Amedeus. chrè Amedeus homil. 3. de incarn. Christi. *Germen Domini in magnificentia & gloria extitit, quando conceptum de Spiritu sancto, & ortum de radice Iesse in summitate virgæ, totum effloruit, imò flos fuit. Fructus verò terræ sublimis, quia benedictus fructus Maria diuinitatis celsitudine meruit sublimari.* Nihil minus germine erumpente, nil diuinitate sublimius: minoratur Dei filius in Mariæ vtero, dum ibi quasi germen erumpit, sed Spiritu sancto homo concipitur, sed & simul vt flos in summitate virgæ ostenditur, hoc est, in diuinitatis throno apparet sublimis, quo vniuersas creaturas, sibi subiicit. Ru-
Rupert. pertus lib. 9. expendens illa Christi verba: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo,* sic scribit: *Quærendus est ille minor in regno cælorum quis sit, & citò inuenitur, quia ipse est qui hæc loquitur Christus Iesus filius Dei, minor vel minimus omnium nostrûm, minor cunctis paruulis, humilior humilibus cunctis, miro modo ministrans, vt minimus: regnans vt maximus.*

Maximus & minimus Christus secundum humanitatem. 7. Tertiò, maximus & minimus Christus, secundum humanitatem minimus, dum ex tenui, hoc est paupere parente, paruulus & inops natus est, & quidem intra stabulum, in præsepio mox collocatus, & vilibus pannis obuolutus. Secundò, minimus propter corpus quod induit, laboribus, angoribus & interitui subiectum. Tertiò minimus propter pauperem vitam, & abiectam modestamque in omnibus se gerendi rationem. Quartò nihil est quod potentius & & efficacius rem hanc illustrat, vt crux Christi in qua ipse de se ait: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis:* Hinc propheta admirabundus: *Vidimus,* inquit, *eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum.* Isa. 13. Quid, quòd ipsa etiam Christi crucifixi prædicatio, vilis & abiecta visa est? *Prædicamus*, inquit Paulus 1. Corinth. 1. *Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Verùm si consideres Christum propter passionem mortis, & quia humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, gloriâ & honore coronatum, & famam claritatemque sui nominis, toto terrarum orbe celebrari, quodque data illi potestas in cælo & in terra, & quod in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, sanè maximum illum nominare non dubitabis. *Grano synapis*, ait Hilarius in Matth. *se Dominus comparauit, acri maximè, & omnium seminum minimo. Granum hoc postquam in agro satum fuerat, id est, vbi à populo traditus morti, tanquam in agro, satione quadam fuit corporis consepultus, vltra mensuram omnium olerum excrescit, & vniuersam prophetarum gloriam excedit.* D. etiam Ambrosius sermone 2. Hilar.
Ambros. *Qui nascendo in hominem humiliatus vt granum est, ascendendo ad cælum, exaltatus vt arbor est. Granum planè Christus est dum patitur, arbor est cùm resurgit. Granum, inquam, est, cùm famem esuriens sustinet; arbor est, cùm quinque panibus saturat quinque millia virorum. Ibi sterilitatem humana conditione patitur, hîc satietatem propria diuinitate largitur. Granum autem, dixerim Dominum, cùm cæditur, contemnitur, increpatur: arborem autem cùm cæcos illuminat, mortuos suscitat, peccata condonat.*

8. Minimum & maximum in primo suo aduentu sic describit Christum Cardinalis Bellarminus loco cit. *In ipso priori aduentu, & minimum & maximum Dominum cernere licet. Nam qui nascitur in stabulo & pannis inuoluitur, & in præsepio reclinatur, qui adhuc infans vulnera excipere, & regum impetum effugere, & in Ægyptum ire compellitur, qui pro beneficiis iniurias: pro verbis salutaribus conuitia, pro curationibus maledicta, & verbera & necem reportat, qui denique albis vestimentis, vt insanus vestitur, qui coronam spineã & sceptrum arundineum, & purpuram iam detritam, vt rex ridiculus ferre cogitur: cui Barrabas homicida, & vir sceleratissimus anteponitur, qui virgis cæditur vt reus. In cruce agitur vt latro, in medio latronum moritur vt princeps furum, & flagitiosissimis flagitiosior, nunquid non minimus & nouissimus virorum tibi esse videtur? Contrà verò nónne maximus est ille, qui nascitur ex virgine? cuius ortum angeli cum cantu & lætitia celebrant, quem vixdum natum stella prodit, reges metuunt, Magi venerantur, qui siccis pedibus ambulat super aquas, qui ventis & tempestatibus imperat, & obediunt, qui cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum,* Minimus & maximus Christus in primo suo aduentu. Bellar.

ægris

ægris incolumitatem & mortuis vitam reddit, quo moriente terra tremit, lapides franguntur, sepulchra aperiuntur, velum scinditur, sol deficit, cælum ipsum tenebris densissimis obducitur, qui denique post triduum, deuicta morte, & inferni carceribus reseratis, mundo rediuiuus apparuit? Verè igitur Dominus Christus, & minimus & maximus. Sic ille.

Minimum & maximũ considerabat sponsa.

9. Minimum & maximum considerabat sponsa Christum in humanitate dum ait Cantic. 2. *Similis esto dilecte mi, capreæ; hinnuloq́; ceruorum super montes Bethel.* Dilectum suum Iesum, instar paruuli hinnuli amat videre, sed dum paruulum, dum hinnulum videt, simul & magnum & excelsum expendit, nimirum dum vocat hinnulum super montes Bethel. Rectè Diuus

Bern.

Bernard. serm. 73. in Cantic. *Hinnulus est, paruulus est, attamen super montes Bethel, attamen excelsior cælis factus. Ex quibus patet quòd non modò in eo, quòd ab æterno est, sed etiam in eo quòd in tempore factus est, omnem sibi eminentiam vendicet, supra omnem principatum & potestatem, supra omnem denique creaturam, vtpote primogenitus omnis creaturæ.*

Nullus hominum post Christum magnus appellandus.

Orig.

10. Imò tantus est Christus, tamque magnus, vt nullus hominum post ipsum magnus appellandus. Quò trahit Origenes illa verba Leuit. cap. 21. quibus dicitur: *Pontifex, id est, sacerdos maximus, inter fratres suos,* in quæ sic ille hom. 12 in Leu. *de Isaac dicitur, quia proficiebat valde, vsquequo factus est magnus. Moyses magnus dictus est, & Ioannes Baptista magnus dictus est: Nunc autem Iesus magnus dictus est. Et post hunc iam nullus appellatus est magnus. Prius enim quàm adesset, qui verè magnus: ad comparationem reliquorum hominum magni appellati sunt sancti, vbi verò aduenit ipse, qui non ex comparatione cæterorum, sed sui magnitudine verè magnus est, vltra iam nullus magnus appellatus est. Hic ergo est de quo scribitur magnus sacerdos ex fratribus suis.* Hæc Orig.

Bern.

11. Quò etiã referri possunt illa D. Bern. verba hom. 3. in missus est. *Et tu quidem, ô virgo, paruulum paries, paruulũ nutries, paruulum lactabis, sed videns paruum cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu regum, adeò vt adorent eum omnes reges, omnes gentes seruiant ei. Magnificet ergo anima tua Dominum, quia hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, magnus erit & magna faciet tibi, qui potens est.* Hæc Bernardus.

Christus maximus & minimus respectu humanitatis exaltatæ, & respectu diuinitatis exinanitæ.

12. Quartò, potest etiam Christus dici maximus & minimus, nimirum maximus respectu humanitatis exaltatæ, & minimus respectu diuinitatis exinanitæ iuxta illud D. Pauli ad Phil. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* An posset diuina maiestas magis coarctari, magisque seipsam quasi præcingere & exinanire, quàm dum corpusculo illo concluditur, & continetur, quod in primo instanti conceptionis tam erat exiguum, vt oculorum aciem subterfugeret? Vnde bene Zeno Zeno.
libr. 3. serm. 7. *In hominem coaptatus Dei filius, in tegumento carnis, includitur Deus, humanamq́; vitam mutuatur de tempore. Mira res, concepit Maria de ipso, quem parit, tumet vterus maiestate, non semine.* D. Bernardus ser. Bern.
3. in vigilia Natiuitatis hanc verbi exinanitionem expendens sic ait: *Huic limo terreno vim vitalem miscuit, vt in arboribus vnde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus, & medicina. Adiecit etiam vim sensibilem limo nostro, vt in pecoribus, quæ non solùm iam vitam habeant, sed & sentiant quinque partita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum & ei vim rationalem immisit, vt in hominibus, qui iam non solùm viuant, sentiant, sed & discernant inter commodum & incommodum, inter bonum & malum, & inter verum & falsum. Voluit quoque adhuc infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se maiestas, vt quod melius habebat videlicet seipsum limo nostro coniungeret: miscerentq́; se inuicem Deus & limus, maiestas & infirmitas, tanta vilitas, sublimitas tanta.*

Verbum incarnatũ, verbum abbreuiatum.

13. Hinc verbum incarnatum Septuaginta, Isaiæ 10. vocant, *verbum abbreuiatum,* dum pro illis verbis, *Consummationem & abbreuiationem Dominus faciet* legunt: *Verbum abbreuiatum faciet Dominus. Verbum autem incarnatum,* vt inquiunt S. Hierony- Hieron.
mus ad Algasiam quæstione 10. & S. Cyprianus lib. 2. cont. Iud. *Est verbum ad hominum vsque naturam, abbreuiatum, vt quod cælo,* vt ait D. Bern. *non capiebatur, præsepio caperetur.*

Quo sensu dicatur Christus verbum exinanitum, verbum abbreuiatum.

Leo.

14. Quin autem audis verbum diuinum exinanitum, aut abbreuiatum non ideo existimes illud à se diminutum, vel aliquam formæ Dei fecisse iacturam. absit, absit. Nam vt pulchrè docet D. Leo sermone 4. de Natiuit. Christi. *Non ergo in Christo ex vtero Virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideo est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo: & nullum est in vtraque substantia mendacium. Verbum caro factum est, prouectione carnis, non defectione Deitatis: quæ sic potentiam suam, bonitatemq́; moderata est, vt & nostra suscipiendo proueheret, & sua communicando non perderet.* Et serm. 4. in Epiph. Dom. *Caue,* ait, *ne indignum videri velis, vt credatur Deus Dei filius fœmineis se inseruisse visceribus, & maiestatem suam huic contumeliæ subdidisse vt naturæ carnis immixtus, in vero humanæ substantiæ corpore nasceretur: cùm totum hoc opus non iniuria sit ipsius, sed potentia, non credenda pollutio, sed gloriosa dignatio. Si enim lux illa visibilis nullis immunditiis, quibus superfusa fuerit, violatur, nec radiorum solis nitorem, quem*

 corpoream

corpoream esse creaturam non dubium est, loca nulla sordentia, vel cœnosa contaminant: quid illius superna, sempiterna, & incorporea lucis essentiam potuit, qualibet sua qualitate polluere, quæ se ei, quam ad imaginem suam condidit, sociando naturæ, purificationem præstitit, maculam non recepit: & sic sanauit vulnera infirmitatis, vt nulla pateretur damna virtutis &c.

AVGVST. 15. Huc etiam spectant quæ scribit D. Augustinus epist. 3. ad Volusianum. *Neque enim, ait, sensu corporis, de ipsis sensibus corporis iudicat homo: Et putamus nobis de omnipotentia Dei incredibile dici aliquid, cùm dicitur verbum Dei, per quod omnia facta sunt sic assumpsisse corpus ex virgine, & sensibus apparuisse mortalibus, vt immortalitatem suam non corruperit, vt æternitatem suam non mutauerit, vt potestatem suam non minuerit, vt administrationem mundi non deseruerit, vt à sinu Patris, id est, à secreto, quo cum illo, & in illo est, non recesserit?* Et paulò pòst: *Non itaque metuendum est corpusculum infantiæ, ne in illo tantas Deus angustias passus esse videatur. Neque enim mole sed virtute magnus est Deus.* Deinde subiungit: *Ipsa magnitudo virtutis eius, quæ nullas in angusto sentit angustias, vterum virginalem, non aduentitio sed indigeno puerperio fœcundauit. Ipsa enim animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanum, totumq; omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata cooptauit: nomen humanitatis ab eo dignanter assumens, diuinitatis ei largiter tribuens. Ipsa virtus per inuiolata matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra iuuenis introduxit. Hic si ratio quæritur non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Hæc D. Aug.

IDEM. 16. Idem Augustinus lib. 2. contra Maximin. cap. 4. expendens illa verba Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum est*, probat non ex hoc quia sic dictum, Verbum in carnem transiisse, sed tantùm significari à verbo carnem assumptam, sic enim scribit: *Nihil proinde aliud dictum est. Verbum caro factum est, quàm si diceretur, filius Dei, filius hominis factus est, qui cùm in forma Dei factus esset, sicut dicit Apostolus, non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo, neque enim vsurpationis erat vt rapina diceretur, sed naturæ inerat, vt esset æqualis, semetipsum tamen exinaniuit, non formam Dei amittens, sed formam serui suscipiens.* Sic Aug.

Christi humanitas non poterat altiùs euehi quàm ad personam verbi.

17. Iam verò, ipsa Christi humanitas, poteratne altiùs euehi, quàm ad personam Verbi, à quo assumpta est in incarnatione. Hinc illæ adolescentularum ad sponsam voces Cantic. 5. *Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus?* Duo quærunt, quò declinauit Deus, & quò abierit, est enim in dilecto Iesu, quod abeat, & quod declinet, declinat Deus dum descendit in vterum, sed inde abit homo in locum adeò sublimem, vt oculos creatos fugiat. Quippe, ait Guillel. apud Delrium. *Quò dilectus tuus abit, in eo quòd homo? quò declinauit in eo quòd Deus? Scimus quòd homo ille nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, scimus quòd declinauerit quatenus Deus, & exinaniuit seipsum formam serui accipiens. Et eo ipso quòd Deus inclinatus est in homine, sublimatus est homo in Deum.* Sic ille.

18. Sicut autem Deus dicitur inclinatus & paruificatus, siue exinanitus non ex diminutione diuinæ naturæ in aliquo, quæ minui non potest. Ita & magnificatio hominis non est naturæ extra metam propriam eleuatio, sed cum summa natura personalis coniunctio, vt docet sanctus Antoninus in Summa parte quarta titulo 15. §. tertio, vbi sex adfert modos quibus Christus dicitur magnus. ANTON. *Primò, altissima nobilitate. Secundò, excellentissima dignitate. Tertiò immensissima potestate. Quartò, diffusissima famositate. Quintò, copiosissima vtilitate. Sextò, inauditissima nouitate.* Quæ omnia ibidem fusè prosequitur. Quid autem verbum diuinum ex prædicta sua exinanitione & humilitate assecutum sit, vide apud Laurentium de à Ponte tomo secundo in libro Sapient. homil. 4. vbi docet Deum cùm augeri non posset, humiliando, se modum inuenisse, quo cresceret, modo nostro concipiendi, si non intensiuè & intrinsecè, saltem extensiuè & extrinsecè.

Opus est lumine fidei vt videas Christum minimum & maximum.

19. Vt ita videas Christum minimum & maximum, est opus tibi lumine fidei, & quidem magno, præsertim, vt eum minimum videas. Hoc quicumque priuatus est lumine, idem illi accidit quod filiis Israel. Hi enim iuxta externam formam iudicantes de pane illo cælesti quid accidit? *Apparuit*, ait scriptura Exod. cap. 16, *in solitudine minutum, & quasi pilo tusum* &c. *Quod cùm vidissent filij Israel dixerunt ad inuicem, Manhu, quod significat, quid est hoc?* Et paulò pòst eundem panem cælestem contemnentes dicunt: *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Similiter si Christum absque lumine fidei, in solitudine huius vitæ, consideres paruulum, & minutum, illum nullatenus æstimando dices, quid est hoc? Nec quid mysterij lateat in verbo carne induto, probè noscens tanquam leuissimum cibum Christum contemnes, in eoque scandalizaberis cum Iudęis, vel stultitiam reputabis cum gentibus. At si magno lumine fidei in solitudine, id est in virginis vtero, vel gremio consideres, paruulum & minutum Iesum nihil illius paruitate mirabilius occurret, magisque admiraberis illius paruitatem, quàm immensitatem & magnitudinem, hæc enim Deo connaturalia sunt, illa verò extranea & aliena. Hinc est quòd

Ecclesia

Ecclesia non tam in natali Christi expendat eius magnitudinem, quàm modicitatem, & qualiter quem totus non capit orbis. *Vagit infans inter arcta conditus præsepia, & manus, pedesque & crura stricta cingit fascia.*

Verbum exinanitum efficaciùs trahit hominum corda.

GVERRICVS.

20. Hinc etiam est, quòd Verbum Dei, amore hominum taliter exinanitum, præ cæteris omnibus Dei donis & beneficiis, efficaciùs corda hominum trahat, & ad amorem inuitet, & pelliceat, vt bene insinuat Guerricus sermone tertio de natiuitate Dom. Postquam enim dixit: *Vt te lucrifaceret, ac me ad amorem suum traheret omnem pulchritudinem diuinitatis in hominem transfudit. Transfusum Deum in hominem dico, quia non ad mensuram datum homini video, nec de omni plenitudine sua penes Deum aliquid resedit, quod in hominem cui vnitus est, non refudit, dum omne quod in diuinitatis thesauro pietatis inuentum fuit totum in Virginis vtero aggestum.* Subiungit, *Quid efficacius ad creatorem suum adamandum, quàm quod pro te splendor gloria & figura paternæ substantiæ, formam præferat seruilem, & in ipsa non habens speciem neque decorem? Qui enim quasi parum esset exinanitus si homo solùm fieret, etiam humanæ carnis ita fundituts in se formam & speciem vacuauit, sapientiam infatuauit, virtutem infirmauit, minuitque magnitudinem, vt & in natiuitate minimum, & in passione se nouissimum virorum hominibus exhiberet. Vnde nec reputauerunt eum. Obstupesce ergo homo tanta pro te mirabilia, tanta beneficia pro te exhibita. Cogita quantum te diligat, qui tanta dignatus est facere pro te. Considera diligenter Dominum Sabaoth, qui cælum & terram implet iacentem in præsepio infantulum, imò cuius maiestati angusta est omnis cæli latitudo, pannis inuolutum, & qui in cælis tonat, sub cuius vocis tonitruo, angelicæ potestates, submittunt alas suas, vagientem; vt ipsius amoris ardore totus accensus ad tanta beneficia, tua vsque huc ingratitudo erubescat, quia ipse tuam naturam diuinæ voluit associari in vna persona nunquam ab eo separandam, signum amoris, vt sic saltem eum amares, à quo te agnosceres sic amari.* Hactenus Guarricus.

Quòd Virgo sacratissima sit hortus, in quem Christus, velut granum synapis, est missus.

SECTIO III.

Quòd Virgo sit hortus malorum punicorum, quia omnia illius dona coronata.

§. I.

Hoc granum synapis nimirū Christus seminatus in horto vir.

CHRYSOL.

1. GRanum synapis seminatum dicitur in horto. *Simile est regnum cælorum*, ait Lucas cap. 13. *grano synapis, quod acceptum homo misit in hortum suum & creuit, & factum est in arborem magnam.* Similiter vt ait Chrysol. serm. 98. *Christus velut granum synapis, in hortum virginei corporis, missus, tantum dedit fructus sui saporem, cùm teritur passione, vt quidquid est vitale, suo saporaret & condiret attactu*, &c.

Maria hortus, & illius fructus, emissiones malorum punicorum.

2. Sed quid Mariæ commune cum horto? multum per omnem modum hanc enim sponsus in Canticis sæpissime comparat horto, præsertim Cantic. c. 4. vbi ait: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Conuenit horto, vt sit septus, satus, distinctus, vber, æqualis, & rectus. Septus, vt seruetur; satus, vt fructificet; distinctus, vt delectet; vber vt copiam præbeat; æqualis, vt rigetur; rectus, vt auram capiat; nónne hæc omnia cumulatissimè in Virgine reperiuntur? Septa est per sensuum exactissimam custodiam, vt ab hostium incursione seruetur. Sata, per verbi diuini diligentem susceptionem, ac sacrarum inspirationum sedulam admissionem, bonorumque desideriorum multiplicationem, vt sic in omni opere bono fructificet. Distincta, variis bonarum virtutum ac bonorum exercitiorum areolis, vt sic homines, angelos, ipsumque Deum, delectet. Est vbera, per diuinarum immissionum abundantiam, vt sic pomorum fructuumque omnium, tam nouorum, quàm veterum, præbeat Deo, tanquam cultori, & agricolæ cælesti, copiam. Est æqualis, per humilitatē, vt gratiæ fluentis irrigetur, est recta nimirum per puram, & sinceram intentio-

intentionem, soli Deo placendi, vt sic multipliciùs refrigerantem aërem, ventumque sancti Spiritus, captare valeat, qui aromata eius fluere faciat, vt omnes currant in odorem suauitatis quem virtutum illius flores emittunt, & spargunt. Vis scire quales sint huius horti fructus? Audi ipsum sponsum præcedentibus subdentem: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* Quasi dicat: Quos emitus fructus, tales sunt, vt simul congesti, paradisum efficiant malorum punicorum. Quidquid in virgine reperitur mali punici habet rationem. Quod de illius genis ait sponsus Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua*, idem & de omnibus illius potentijs & virtutibus dici potest.

Quidquid in virgine reperitur mali punici habet rationem.

3. Quæ dona, quæ beneficia, alicui concessa creaturæ, quæ non inueniãtur in Virgine conglobata, tanquam tot grana in vno malogranato? Sanè quidquid boni, laudisque respersum est in omnibus creaturis, & sanctis, congessit illud Christus in Virgine, mandauit cælis vt in illam suas conferrent influentias, nam vt ait D. Bernardus: *Quia sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam.* Terræ, vt adferret suam fœcunditatem: *Terra nostra dabit fructum suum.* Soli, vt conferat permanentiam lucis, nam in virgine nunquam lux gratiæ defecit. Et quoniam omnia bona accepto fert Christo, similis dicitur lunæ, quæ omnem à sole accipit claritatem, vt dici possit, *Pulchra vt luna, electa vt sol.* Virgini afferunt & offerunt stellæ suos radios quibus nauigantes dirigunt, nam Maria maris est stella quæ per sæculi huius fluctus dirigit homines ad portum salutis. Huic conferunt Angeli suam puritatem, nam illis purior Virgo: Throni suam capacitatem, nam hæc thronus est Dei, sacrarium Spiritus sancti: Cherubim suam sapientiam, nam est Virgo prudentissima: Seraphim suum amorem, nam est mulier illa, vndique amicta sole, vndiq; ardoribus diuini amoris incensa. Omnes similiter terræ incolæ quotquot in re aliqua excelluerunt, eam Virgini propriam esse voluerunt illique dicarunt & consecrarunt. Æua maternitatem suam, Abel virginitatem suam, Seth religionem suam, Noë prudentiam suam, Abraham fidem suam, Isaac obedientiam, Iacob charitatem, Ioseph fidelitatem, Moses mansuetudinem, Aaron temperantiam, Phinees iustitiã, Samson fortitudinẽ, Dauid misericordiam, Salomon sapientiã, Elias zelum, Iob patientiam, Tobias eleẽmosynas suas. Neque illustres fœminæ suo muneri defuerunt, Sara namque fiduciam suam Virgini obtulit, Rebecca industriam. Rachel pulchritudinem, Iudith valorem & fortitudinem, Esther mortificationem, Abigail humilitatem, Martha actionem, Maria contemplationem. Denique omnes cæli terræque diuitiæ sunt in virgine conglobatæ, & congregatæ, ipsa mare quoddam in quod omnia flumina gratiarum congregantur.

In virgine omnia aliarum creaturarum dona conglobata.

Bern.

4. Exod. c. 25. & 35. vult Deus ædificare sibi tabernaculum, & præconis voce indicat populo, vt si quis dignum quid possideat ad constructionem tabernaculi, illud offerat. *Egressaq; omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Mosis, obtulerunt mente promptißima atque deuota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi, quidquid ad cultum & vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus tribuerunt, armillas & inaures, annulos & dextralia, omne vas aureum in donaria Domini separatum est. Si quis habebat Hiacinthum & purpuram, coccinumq; bis tinctum, byssum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas, argenti, arisq; metalla, obtulerũt Domino, lignaq; Sethim in varios vsus. Sed & mulieres doctæ, quæ neuerant, dederunt Hiacinthum, purpuram, & vermiculum & byssum, ac pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes. Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas.* Tantaque liberalitate obtulerunt, quod Moses præconis voce prohibuerit ne alia proferrent. Quid ergo, ô Domine, cùm sis Rex cæli & terræ, vt construas tibi tabernaculum, an necesse habes tributa & onera imponere subditis? In terreno Rege hoc non mirandum, verùm in te, qui nulla re indiges, dignissimum est admiratione. Tabernaculum hoc exemplar erat Virginis, quam vt debita ornet sanctitate, vult creaturas sanctosque omnes sua offerre dona, sua priuilegia, suas præeminentias, nam Virgo omnibus hisce debet esse ornata in summo gradu. Veniat ergo Abraham cum sua fide, Isaac cum sua obedientia. &c. Veniant Patriarchæ cum sua spe, Prophetæ cum sua veritate, sacerdotes cum sua religione, Principes cum sua iustitia, Duces cum sua fortitudine, iusti cũ sua gratia; omnia hæc, maioraque in Virgine accumulentur, quasi tot vnius mali punici pulcherrima & candentia grana.

Tabernaculum virgo quo ædificando omnes creaturæ obtulere quidquid habebant perfectionis.

5. Sed longè aliter sunt hæc dona in Virgine, quàm in aliis sanctis. In virgine enim tanquam in malogranato, omnia diademate, & corona insigniuntur & decorantur, omnia sunt libera, nulli oneri, nulli pensioni obnoxia, vt in aliis sanctis. Corona enim apud omnes symbolum est plenariæ libertatis imò lex est in Cicilia, etiam hodie obseruata, quod enim reliqui fructus sint tributo obnoxij, dum in ciuitates deferuntur, malogranata tamen ob coronam quam gerunt libera sunt à tributo. Quando dignitates Ecclesiasticæ vel sæculares, conferuntur alicui certo aliquo pensionis onere affici solent. Si tamen contingat, filio alicuius magni principis conferri, donantur absque vllo pensionis onere. Non dissimiliter licet beneficia supernaturalia, quę Deus hominibus in hac vita pręstat, semper ab eo donentur, aliqua pensione

Omnia dona in virgine coronata & libera.

pensione affecta, confert namque quibusdam pretiosam virginitatis margaritam sed cum onere carendi fœcunditate filiorum, confert aliis fœcunditatem, sed cum onere amittendi Virginitatis florem; confert prægnantibus fælices partus, sed nullum vnquam absque dolore, confert corpus bene complexionatum, sed non absque onere futuræ corruptionis, cōfert aliis pulchritudinem ac miram venustatem, sed cū onere vt possint concupiscere, & concupisci, confert aliis diuersitatem scientiarum, sed cum onere, vt superbiâ possint intumescere, nam scientia inflat, confert aliis orationis donum, sed cum onere non semel mentis euagationem & distractionem patiendi: confert aliis iustificantem gratiam sed cum onere incertitudinis conseruandi illam: confert aliis quod excellētius est beneficium confirmationis in gratia, vt Apostolis, imò & sanctificationis in vtero materno, vt Ieremiæ & Ioanni, sed cum onere incidendi, pro humana fragilitate in aliqua peccata venialia: confert aliis insignem fortitudinem ad vincendas omnes carnis illecebras, sed cum onere experiendi rebellionem sensus aduersus rationem insurgentis: Tandem confert Deus omnibus filiis Adæ, per naturalem propagationem genitis, beneficium creationis immortalis animæ, & æternæ fælicitatis capacis, sed cum eo graui onere, vt cùm primùm illa corpus ingreditur, primumque figit gressum, peccati originalis maculâ coinquinetur. Hæc, inquam, licet ita se habeant, tamē Deus Opt. Max. præuidens B. Virginem futuram esse filij sui genitricem, conferens ei omnia commemorata beneficia ac cælestia charismata, absque vlla quidē pensione aut onere contulit illa, vt singula expendēti manifestum euadit, nam licet virgo, tamen fœcunda; licet fœcunda, sicut virgo ante partum, ita & in partu & post partum; licet puerpera, tamen absque dolore, & sic de cæteris, nimirum quia filia summi Principis, quia Regina cæli, quia illa de qua natus est Iesus. *Emissiones tuæ sicut paradisus malorum punicorum.*

6. De malo punico corporali refert Pierius l. 54. c. 24. *Nullum punicum malum inuenitur, in quo non sit aliquod granum subputre: Indicium est nullum humanum corpus esse, absque næuo aliquo vel cicatrice, nullum quippe hominum reperiri, qui sine vitio nascitur; cùm vel iustus homo septies in die prolabatur: ita, neque collegium vllum est, in quo non aliquis sit præuaricator.* Dicitque similitudinem hanc vsurpasse Thebanum sectâ Cynicum. Quidquid sit de malo punico illo corporali & ordinario, quod semper in illo reperiatur aliquod granum subputre, certissimum tamen est, & extra omnē controuersiā, in spirituali nostro malorum punicorum paradiso, in virgine, inquam, matre, nullum granū fuisse subputre vel corruptum, nulla actio, nullum opus interius, exteriusque in illa reperitur, quod non careat omni næuo, sitque extra omnem censuram, omnia in virgine coronata. Tota pulchra est, & macula non est in ea, & ideo in nullo corrupta.

In virgine nihil vitij vel imperfectionis.

7. Malum punicum, corticem scindit, sinum aperit, vt de plenitudine granorū eius commodiùs perfruantur, & deguitent vniuersi. Quid virgo quàm paradisus malorum punicorum. Ad virgini intercessionem & patrocinium respiciens D. Bernard. sic ait: *Omnibus sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi.* Quasi dicat: Est virgo instar pulcherrimi cuiusdam malogranati. Nam sicut illud radiis percussum solaribus, præ nimio calore, spontaneè, nulla illata vi, sed prorsus vltroneè dilaceratur & disrumpitur, corticem frangit & quasi sinum aperit, vt de pulcherrimis eius granis accipiāt vniuersi: Ita sacratissima Virgo, prorsus voluntariè, suaque sponte, ac nemine etiā postulante, irradiata & calefacta ęterni solis splēdoribus, & fulgentissimis eius attacta radiis, omnibus maternum aperit sinum, omnium est aduocata, omnibus patrocinatur, omnium miseretur vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.*

Malum punicum corticem scindit: Maria omnibus sinum aperit.

BERN.

Quòd Virgo sacratissima sit hortus malorum punicorum ob perfectam suam charitatem, cuius malū hoc pulcherrimum speculum.

§. II.

1. Inter Virginis autē emissiones & fructus, id est, inter virginis perfectiones atque virtutes, eximiam refert similitudinem mali punici, ipsa Virginis charitas. Quæ quoniam virtutum omnium est regina, & maximè ad salutem necessaria, enucleatiùs explicandum, quænam inter ipsam & malum punicum conuenientiæ.

Malum punicum symbolum virgineæ charitatis.

2. Cant. 6. ait sponsus: *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium & viderem an floruisset vinea, & germinassent mala punica.* Quis hic hortus nucum? Per hortū nucum complures doctores, Hebræorum Synagogā intelligi volunt, propter qualitates nonnullas, quas arbor hæc habet, eiusdē Synagogæ moribus atque duritiæ satis cōsimiles. Nux arbor, quæ non nisi in longū tempus crescit, neque enim ei, quod cæteris plerisq; arboribus contingit, qui biēnio, aut triennio, ad altitudinis culmē, & ad magnitudinis

Synagoga hortus nucum.

tudinis suæ formam excrescũt, sed multorũ annorũ decursu opus est, priusquam ad absolutum incrementum pertingant. In quo hebraicæ synagogæ similis admodum esse videtur, in qua virtus & religio, ea facilitate atque celeritate non creuit, qua sancta adoleuit Ecclesia, sed longinquitate temporis procedente, ac vi multorum laborum Moysis & Aaron, cæterorumque sanctorum ac prophetarum, qui illius exercuere culturam. Nucis arbor præterea fertilem ac pinguem terram expetit: Hebræorum verò Synagoga, quo fructum produceret, necesse fuit, vt Deus eam in terra tam fertili, ac fœcunda plantaret, vt de ea dictum sit, quod flueret lac & mel. Populi enim illius omne desiderium in auiditate possidendi multa terrena bona positum esse videbatur. Arbores nucum insuper, cæteris plantis, qui eas circumstant, malam vicinitatem præstare solent, magno enim damno eas afficiunt, & ad siccitatem perducunt, non vmbra tantùm noxia, sed radicibus etiam, quæ omnem circumiacentis terræ humorem fœcundum, auarissimè exsugunt. Hinc nucem sic loquentem Ouidius introducit:

Nux symbolum scribarum & Pharisæorum.

Me sata ne lædant, quoniam sata lædere dicor
Imus in extrema margine fundus habet.

Conditiò planè & qualitas scribarum & Pharisęorum valde præcipua, quę auaritiâ, fœnore, ac rapinâ, omnes secum contrahentes, ad summam paupertatem redigebant, non solùm sibi inutiles, sed & noxij proximis, quibus præerant. Pulchrè de similibus Prælatis D. Chrysol. *Sicut infœcunda arbor, si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subiectis vitibus vmbram, inimica non solùm sibi sed etiam palmitibus fit fœcundis: Ita etiam homo deses, ignauus, si præsit populis non solùm sibi noxius, sed multis, dum sequentes se, suo vitiat & perdit exemplo.* Vnde Aaronis virga ex nuce fuit, teste Philone, vnde etiam Ierem. c. 1. *Quid tu vides Ieremia? virgam vigilantem ego video*, alij *baculum nuceum.*

Chrysol.

3. Huius etiam arboris fructus, eiusdem Synagogæ amaritudini & asperitati in multis similis esse perhibetur, ingratitudinemque ac dedecus quo illa verum Messiã ac mundi Saluatorem Christũ Dominum insecuta est, ad viuum penitus repræsentat, atque adeò in se apertam ac manifestam figuram continet crucis & mortis quâ eum affecit. Nux enim amaro cortice quodam circumdatur quæ manus fœdat & maculat eorum, qui eam aperire contendunt, & tali quidem inficit maculâ, quæ nec crebra etiam lotione abstergi queat. Primo autem & exteriori cortice detracto, statim culeolâ alterâ adeò solidâ retegitur, quæ manus deglubit & vulnerat eorum, qui illam findere & frangere nituntur. Demum verò cùm fructus sui saporem atque substantiam promere cogitur, quatuor exhibet nucleos, quos crux lignea intersecta diuidit. Quod bene animaduertit & annotauit D. Aug. ser. 3. de temp. *Nux in testa, lignum interserens crucis, quod non discreuit id quod foris & intus fuit, sed quæ terrena & cælestia fuerunt, mediatoris ligni, interpositione sociauit.*

Avgvst. In nuce figura crucis quid adũbret.

4. Beda elucidans hunc Canticorum locum lib. 5. in Cant. de Ecclesiâ illum interpretatur, dicens, hortus enim nucum est Ecclesia præsens, vbi nostras alterutrum conscientias minimè valemus intueri. Siquidem nuces, poma omnia, quæ duriori sunt corio tecta; quomodo contra, omnia mollia, generaliter mala vocantur. Atque adeò nucibus rectè comparatur hæc vita iustorum, vbi ita suauitatem fructus spiritualis intimo in corde conseruant, vt hanc proximis, quanta ipsa sit, foras innotescere nequeant. Potest & ita intelligi, quia sicut nux siue amygdalum amarissimum habet corticem, & testâ durissimâ circumcingitur, & detractis austerioribus & duris, fructus dulcissimus intus reperitur: sic omnis correptio & labor continentiæ, quâ sancta exercetur ecclesia, amara quidem videtur ad præsens, sed fructum parit in futuro dulcissimum iuxta illud Apostoli Pauli. Quia omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitię.

Hortus nucum Ecclesia.

Nucibus comparatur vita iustorum.

5. Ecclesia etiam bene horto nucum cõparatur ob iustos quos continet; hi enim singuli arbori nucis meritò comparantur. Quid huic plerũque contingit arbori? Audi qualiter conquerẽtem eam inducat Poëta:

Iustus arbori nucis meritò comparatur.

Nux ego iuncta via, cùm sim sine crimine vita
A populo saxis prætereunte petor.

Nux iuncta vię, transeuntes, iam labore itineris defatigatos, & calore solis quasi viribus exhaustos, sub sua libenter suscipit vmbrâ, eosdem refrigerat, fouet, & recreat quid tum illi? Dum vident illam fructibus onustam, non parcunt vel illius fructibus vel ramis, sed baculis & saxis illam petunt, fructus decutiunt, ramosque lædunt, atque ita arbor illa pro pręstito obsequio nil nisi grauissima refert damna, nónne eadem est iustorum conditio? omnibus pręstant vmbram, omnibus exhibent refrigerium, quã recipiunt mercedem? plerumque accidit vt ab iis abundantiùs vexentur maioresque patiantur contumelias, quibus maximè profuêre, quibus cumulatiora beneficia exhibuêre.

6. *Poma autem conuallis*, ait Beda loco cit. *fructus humilitatis dicit quale est illud in Psalmo, & conualles abundabunt frumento. Quia nimirum humiles exuberant refectione gratiæ cælestis. Poma conuallis bona opera dicit fidelium sanctæ Ecclesiæ in profundis terrarum exhibita, sed ad cæleste regnũ proficientibus meritis suos operarios perducentia, de quibus item psalmista: Ascẽsus, inquit, in corde eius disposuit, in conualle lacbrymarũ, in locum quẽ disposuisti eis*, sic Beda.

Poma conuallium fructus humilitatis.

7. *Vt inspicerem si floruisset vinea & germinassent mala punica.* Cur quæso tenetur sponsus desiderio videndi vineam, an floruerit, & mala punica an germinarint? quid est quod neglectis reliquis horti sui arboribus duarum solùm meminit & curam gerit? nimirum, quia vinea, & mala punica, veræ charitatis sunt symbola & Hieroglyphica. Num considerasti qualiter omnia in vinea sunt ordinata? Imprimis in illa vides ligna quædam auxiliaria, æquali distantiâ ab inuicem posita, quibus affiguntur virgæ quædam transuersæ, hisce alligantur palmites vimineis vinculis, qui dum noua emittunt germina, videbis ea mirum in modum luxuriantia, viridibus vestiri foliis, & sibi inuicem taliter innecti & coniungi, vt si velis carpere botrum, nescias ferè visu discernere, cuinam germini cohæreat, quóve ex palmite dependeat: liquorem ex botro exprimendum si consideres, reperies vinum esse suauissimum, cor hominis mirum in modum lætificans & exhilarans. Similiter in charitate omnia sunt ordinata, Deus super omnia diligitur, deinde salus propriæ quæritur animæ: subsequitur amor alienæ salutis, quarto loco ponitur proprij corporis amor, & postremum locum sibi vendicat amor corporis alieni siue proximi. Deinde per charitatem tanquam vinculo perfectionis omnia cohærent & connectuntur, facitque ipsa charitas omnia communia, fructusque illius opera sunt pietatis & misericordiæ, quibus tanquam suauissimo vino exhilarantur corpora animæque proximorum nostrorum.

Vinea symbolum mutuæ charitatis.

8. In malo punico similiter adumbrari charitatem, docet in hunc locum Theodoretus. *Ideo sponsæ emissiones*, ait, *comparat paradiso malorum punicorum: Primò namque charitatis ipsius fructum admiratur: tum aliis quoque virtutum generibus ornatam dicit, tum fructibus pomorum. Mox ea sigillatim persequitur: Cypricum nardo* &c.

Malum punicum symbolum charitatis.

Quinque analogiæ inter malum punicum, & ipsam charitatem.

§. III.

9. VIS VIDERE varias inter mala punica & charitatem conuenientias? Prima est. Quod sicut malogranatum continet multa, eaque rubentia & pulcherrima grana: Ita charitas omnes in se continet & amplectitur virtutes. *Nam charitas patiens est, benigna est* &c.

Prima analogia inter malum punicum & charitatem.

10. Secunda analogia, tam malogranatum quàm grana omnia rubro coccineoque colore vestiuntur atque ornantur: Sic omnia hominis charitate præditi opera, tam interna quàm externa, totusque ipse homo, rubent charitate & pij operis labore, quæ ambo in rubro siue coccineo colore signantur, vt bene docet D. Gregorius lib. 6. expositionis in 1. Reg. 16. elucidans illa verba de Dauide dicta: *Erat autem rufus & pulcher aspectu, decoraque facie: Quid est*, ait, *quòd tanta pulchritudo Regis asseritur, nisi quia magnis virtutum fulgoribus, ornari debet persona Doctoris? Quid est ergo quod rufus asseritur, nisi quia in rubra sæpe materia charitatis feruor designatur? Vnde & in veste Pontificis coccus ponitur bis tinctus, vt duplici vestiatur charitate, rufus ergo dicitur per ardorem charitatis, quia dum ardentia præcepta charitatis exhibet, quasi per calorem rubet. Quia verò charitatis feruor per sancta opera demonstratur potest per ruborem ipse labor operis designari. Qui enim nimis laborat, faciei ruborem repræsentat, quia dum intus incalescit, foris in vultu ruborem trahit. Sic namque est omnis spiritalis labor. Quia enim vnusquisque quantò ampliùs pro æterna vita laborare conatur, tantò feruentiùs ad laborandum sancti Spiritus ardore succenditur, velut in feruescendo ruborem excitat, quem foris portat. Rufus ergo est doctor labore pij operis.* Hæc Gregor.

Secunda. Omnia opera hominis charitate prædita rubent charitate & pij operis labore. GREGOR.

11. *Sunt fructus*, ait Ioannes Geminianus l. 3. de veget. c. 43. *diuersorum colorum, scilicet quidam albi, quidam nigri, quidam rubei, nam secundum Aristotelem ex humore frigido terrestri & melancolico nigrescunt, ex humido & frigido albescunt, & calido rubescunt* &c. Quòd ergo grana in malo punico rubeant, attribuendum humori calido, quo deficiente albescunt vel nigrescunt. Sic omnium nostrarum virtutum, & operum grana, rubentia ac purpurea reddit, calidus humor charitatis, sine qua albescunt vel nigrescunt.

Humor in fructibus est causa coloris. GEMINIANVS.

12. Tertia analogia. Quamdiu grana continentur & latent sub cortice rubro, coccineoque ipsius mali, rubra sunt atque splendentia, separata verò deformia sunt atque pallescunt: Sic virtutes omnes, opera omnia, exercitia omnia quamdiu inhærent charitati, illique sociantur mirum emittunt splendorem: sed à charitate separata, squallido pallidoque vestiuntur colore, vt meritò de similibus virtutibus dicatur lamentum illud Ieremiæ Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora.* Purpurascunt equidem vniuersæ virtutes morales à radiis charitatis illustratæ. Et vt nubes orientis solis claritate, purpureum aureumve quid ostendunt, imò vt irides trahentes aduerso sole colores, agri partes quas tangunt odore & suauitate replent, verũ vbi sol abest, nubes sordẽt, similiter & ablata charitate virtutes reliquæ facilè etiam sordes emittunt, & in vanitatis

Tertia. Nulla virtus pulchra nisi sociata charitati.

tatis transmutantur fætorem. Id quod notans D. Pasch. libr. 4. in lament. ait: *Quoniam croceus color sæpe in scripturis sacris charitatem designat sanctæ dilectionis, & ideo cùm charitas amittitur, reliquæ virtutes stercora amplexantur, quia de bono Dei & proximi odore dilectionis, mox transeunt in fætorem prauitatis*. Nulla est virtus quæ non rutilet inter charitatis radios quæ purpureos non trahat croceosque colores, quæ suauitates non spargat; ast charitate ablata, periculum est quòd & cæteræ virtutes transmutentur in euanidum fumum fætoris. Hinc monebat prælatum Dominus Apoc. 2. *Habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti, memor esto itaque vnde excideris & pænitentiam & prima opera fac.* &c. Quæ prima opera? Addit D. Paschas. vbi suprà: *Videlicet opera casta dilectionis, sine qua nulla inuenitur virtus boni odoris. Propterea etiam ipsæ virtutes operum quæ sine dilectione fiunt rectè planguntur, quòd amplexa sint stercora, dum sine ipsa amittunt fragrantiam boni odoris, & veniunt in fætorem prauæ intentionis*. A charitate habent virtutes & præstantissimum odorem & colorem sine qua pallescunt, imò & fætorem emittunt, vide Barrad. tit. 3. lib. 8. cap. 21. §. *Charitas regina* &c.

Croceus color charitatem designat.

A charitate habent virtutes colorem & odorem.

PASCHAS.

13. Quarta analogia. Malogranatum sese aperit & corticem scindit. Idque spontaneè, ex sola humoris natiui, qui calidus est, vi & efficaciâ, & ipsius solis, cuius verberatur candentibus radiis, operatione atque contactu, nullo habente opus ferro vel instrumẽto quo apertio hæc peragatur. Quod amplius est sic aperto & hiante cortice ostentat transeuntibus & accedentibus rubicunda & splendentia sua grana, vt si libet, ea carpant, eorumque succo sese reficiant. Quid magis proprium charitati, quã cor apertum habere, non posse latere, beneficiaque in proximos conferre, spontaneo, vltroneo, & libero prorsus animo neminique sui copiam, suamque operam denegare, imò omnibus eadem offerre & præsentare.

Quarta.

Charitati proprium cor habere apertum neminique suam operam denegare.

14. Sanè hæc veritas ne quidem ipsis latuit Ethnicis, Romani enim, vt author est Bernardinus de Bustis in suo Rosario, veri amici amorem in tabella depingere sic solebant: iuuenem pulcherrimum, capite detecto, veste abiectâ, & asperâ indutum, in cuius fimbria inscriptum, vita, & mors. In fronte verò ipsius: æstas & hyems, latere vsque ad cor aperto, vulnus digito demonstrantem; in corde ipso hæc verba exarata habentem, longè & propè. In primis veri amici amor, veluti pulcherrimus iuuenis in pictura demonstrabatur, quia verus amicus aureo charitatis ardore coruscat, quæ temporis mutationi minimè subiicitur, sed in eodem semper statu pulcherrima perseuerat. Veste aspera circumdatus iuuenis apparebat, quia verus amor, aspera quælibet & dura, proximi gratiâ subire semper paratus: Et quia capite detecto, omnem excludit simulatum amorem cùm verus amor sese ad omnes manifestare debeat. Quid verò pulcherrimo illo emblemate fimbriæ vestimento inscripto, Vita nimirũ & mors, aliud significatur quàm quòd in toto vitæ decursu, ac in ipso mortis articulo sincerus amor perseueret: Sicuti & altera illa inscriptione, æstas & hyems, tam in prosperitate quàm in aduersitate, amorem semper proximis exhibendum, latus verò vsque ad cor apertum innuit, ex puro corde & animi visceribus amorem hunc proficisci debere: vulnus digito ostendere, est amorẽ qui in corde sedem habet exteriùs charitatis operibus, quasi digito demonstrare. Verba denique illa, longè & propè huius amoris latitudinem designant, quippe qui tã in amicos, qui prope nobis sunt, quàm inimicos, qui longè à nobis sunt, sese extendit, verùm huius amoris latitudinem nihil melius & ad viuum magis exprimit quàm ipsum malogranatum, sicut enim illud sese dilatat, vt granis omnibus commodam præstet & in seipso exhibeat commorationem siue habitationem, sic & charitati maximè proprium vt hominis charitate feruentis cor animumque quàm maximè dilatet, ita vt in illo Deus, omnesque tam amici, quàm inimici possunt commorari.

Veræ amicitiæ descriptio.

15. Quinta analogia, sicut in malo punico, omnia sunt ordinata & secundum quandam geometricam symmetriam disposita, vt proinde sit Hieroglyphicum Ordinis, siue rei bene ordinatæ: sic nihil tam proprium charitati quàm ordinatam esse iuxta illud Cant. 2 *Ordinauit in me charitatem. Nihil est aliud*, ait D. August. lib. 15. de ciuit. cap. 22. *perfecta & vera virtus quàm ordo amoris*. Primò enim diligendus est Deus, deinde propter Deum anima propria, tertiò proximus, isque suo gradu & ordine. Primò enim diligendi sunt parentes corporales & spirituales. deinde fratres, mox cognati, inde cæteri homines, quisque suo gradu & ordine, quod si ordinem charitatis inuertas, charitatem perdis & euertis.

Quinta analogia.

Charitas est ordinata.

AVGVST.

16. De ordine siue ordinatione charitatis citata verba intelligens Origenes in lib. duarum homil. in Cant. hom. 2. sic scribit: *Plurimorum quippe inordinata est charitas, quando quod in primo loco homines debent diligere, diligunt in secundo, quod in secundo, diligunt in primo, & quod oportet amare in quarto, amant in tertio, & rursum tertium in quarto, & est in plerisq; charitatis ordo peruersus, sanctorum verò charitas ordinata est. Verbi gratiâ, te vult diuinus sermo, diligere patrem, & filium & filiam, vult te sermo diuinus diligere Christum, nec dicit tibi, ne diligas liberos, nẽ parentibus charitate iungaris. Sed quid dicit tibi? ne primum patrem aut matrem, deinde me*

ORIG.

diligas,

diligas, ne filia plusquam mei charitate tenearis. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus, Magister quoque & Dominus noster in Euangelio, pracepta de charitate constituens ad vniuscuiusque dilectionē proprium aliquid apposuit, & dedit intelligentiam ordinis, cùm dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, proximum autem tuum sicut teipsum. Si hac intellexeris, & intellecta compleueris, fecisti quod isto sermone pracipitur, ordinate in me charitatem, & cætera, quæ prosequitur in eandem sententiam Origenes.

Gregor. 16. Consentanea sunt quæ super his verbis sponsæ scribit etiam Gregorius Nyssenus in Cant. orat. 4. vbi inter cætera sic ait: *Doctrina quadam elegantior nobis per vocem hanc, ordinate in me charitatem, traditur, qualis nimirum debeatur dilectio, & quo pacto erga cateros affectos nos esse conuenit. Nam si ordine, decenterq; fieri debent omnia, multo magis in rebus huiusmodi suus est ordini locus. Quamobrem qui in dilectione seruandus sit ordo prascriptus in lege, sciri debet, quo nimirum modo diligendus sit Deus, quo proximus, quo vxor, quo inimicus, ne prater ordinem amor, ac perturbatè prastetur. Nam Deum quidem oportet diligere toto pectore, animâ, facultate, sensu, proximum vt seipsum, vxorem verò, si quis animo praditus est puriore, vti Christus Ecclesiam. Sin quis est affectionibus animi nonnihil obnoxius, vti corpus proprium. Sic enim pracipit Paulus ordinator horum. Hostem denique in eo, vt malum malo non rependatur, sed cum iniuria beneficium commutetur. At nunc confusam, & inordinatam in multis dilectionem videre est.* &c.

Fvlgent. 17. *Quomodo*, ait S. Fulgentius libr. 2. de remiss. pecc. cap. 6. hunc exponens locum, *dicendus est, aut charitatis, aut misericordia ordinem habere, qui corpus suum reficit cibo, ne deficiat, munit indumento ne algeat, dum est sanum, cauet ne infirmet, dum est infirmum, satagit vt sanetur, carni sua alimentorum incessanter, vestimentorum, medicaminum ministrat solicitâ intentione subsidium, & anima sua mala viuendo conquirit interitum.*

Charitas perfecta cū maximo sui incommodo, instar malogranati prodest aliis.

§. IV.

Sexta analogia. 1. Sexta analogia, cortex mali punici semper rubet, semper ardenti colore præditus: similiter charitas constans est & perseuerans in diligendo. Quò respiciens sponsus sic laudat sponsam Cant. ca. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua.* Per genas spirituales animæ, intelligit duplicem illius charitatem tum Dei tum proximi. Sicut enim inter membra corporis genæ honoratiora sunt, illa inter virtutes duplex illa dilectio cæteris præeminet & primatum obtinet. Vt autem sponsus insinuet, non esse genas hasce animæ spirituales adinstar genarum illarum corporalium, quæ multis mutationibus obnoxiæ iuxta illud Poëtæ: (Charitas constans & perseuerans in diligendo.)

Ista decens facies longis arabitur annis
Rugaq; in antiqua fronte senilis erit.

dicit genas sponsæ spirituales esse instar fragminis mali punici, quod rubeum igneumque colorem nunquam deponit.

Septima analogia. 2. Septima analogia, malogranatum corticem habet duriusculum, inæqualem, insipidum, & coloris subtristioris, intus tamen continet pulcherrima & pellucida grana pyropos imitantia: ita charitas, in homine exteriore, amat vitæ rigorem, arctioris disciplinæ obseruantiam, ac sensuum mortificationem, hominem verò internum cumulat variis virtutibus, tanquam tot spiritualibus pyropis. (Charitas exteriùs rigida, interiùs pulcherrima.)

Octaua analogia. 3. Octaua analogia, malogranatum summa pollet fortitudine: Antiquitus enim Athletæ vt specimen ederent virium suarum, pomum punicum tenebant manibus, & digitis illud fortiter prementes, easdem sociis exhibebant aperiendas, qui summo conatu malum è manibus euellere conabantur, malogranato inter tot pressuras nequaquam fatiscente. Sic charitas fortis est, non cedit pressuris, quantumuis prematur, non tamen opprimitur, de charitatis fortitudine vide Barrad. tom. 3. lib. 8. c. 21. §. Vndecimo &c. Adde quædam ex iis quæ habet eod. loco §. Septimo. (Charitas fortissima.)

Nona analogia. 4. Nona analogia, malogranatum cum maximo sui dispendio, incommodo, & iactura prodest & subuenit granis, vt enim crescant & debitam acquirant perfectionem se dilacerat & disrumpit: Sic etiam vera charitas cum suo maximo impendio & damno prodest proximo, prout in Mose & Paulo accidisse docet D. Chrysostomus hom. 43. in Acta: *Paulus*, ait, *in pericula se misit, sicut alibi* (1. Corinth. 9.) *dixit: in patientia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in vinculis. Quis infirmatur, inquit ibidem, & ego non infirmor? Quis offenditur & non vror ego? Hac, obsecro, & nos imitemur verba, & in pericula iaciamus nos propter fratres, siue ignis, siue ferrum fuerit abiice teipsum, dilecte, ne timeas. Discipulus es Christi, qui propter fratres animam suam posuit. Condiscipulus es Pauli, qui innumera mala pati, propter eos qui se impugnabant, inimicos, voluit. Implere zelo, imitare Moysem, videbat iniustè lasum, & vltus est, regiasq; delicias contempsit,* (Charitas cum suo detrimento prodest proximo. Chrysos.)

tempsit, & factus est propter ærumnosos illos, exul, erro, destitutus cognatis, & domo, inq; alienâ terra longo tempore versatus est, & non reprehendit seipsum, nec dixit hæc verba: Regnum contempsi, honoremq; tantum & gloriam, volebam vlcisci eos, qui iniustè affligebantur, & despexit Deus, & non solùm non reduxit me ad pristinum honorem, sed quadraginta annis in alienâ terra versor. Bene scilicet. Non enim mercedes accepi. Sed nihil horum vel dixit, vel cogitauit; ita & tu, etiamsi mali quid patiaris, benefacias, etiamsi multo tempore, ne offendaris neque turberis, omnino retribuet tibi retributionem Deus. Quantum differtur merces, tantum vsura augentur. Hæc Chrysost.

5. Verùm multò abundantiores & clariores emisit radios charitas ista Pauli dum optabat & ipse anathema esse à Christo pro fratribus, & separari & priuari cælorum regno, vt vel saltem cum tanto sui dispendio Iudæi salutem consequerentur, quemadmodum & illa Moysis dicentis Exod. 32. *Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntq; sibi Deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti.*

6. Dauid Rex, vt legimus 2. Reg. 24. videns pestem sæuissimam grassari in populo suo, quasi solus peccasset & non populus, orat diuinam manum in se conuerti, populum verò diuinæ iustitiæ ictibus liberari: *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi, isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.*

AMBROS. Hanc Dauidis charitatem expendens D. Ambrosius in Apologia de pœnitentia sic ait: *Quàm illud admirabile quòd angelo ferienti plebem, se obtulit, hoc facto statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum, cùm & Moyses, offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis errata deleuerit.* Similia habet Theo-

THEOD. doretus qu. 37. *Digna sunt admiratione ista verba Regis, ignorans causam suum peccatum vocauit quod fuerat factum, & vt in suum genus iusta ferretur sententia, supplicauit, vtens verbis boni pastoris, imitans filium suum & Dominum, qui animam suam posuit pro ouibus* &c. Et quidem si vera & perfecta est charitas, propria dispendia pro aliena salute, non æstimat onerosa, grauia, amara sed leuia prorsus & iucunda, prout allato ma-

CHRYSOS. tris exemplo docet Chrysostomus homil. 18. in 2. ad Cor. *Nam & mater, ait, pro filio dolens, delectatur; sollicita gaudet; cura, in se amara licet sit, pro liberis tamen impensa, voluptatis multum habet.*

Perfecta charitas, etiam à quibus læsa, instar malogranati, benefacit.

§. V.

7. DEcima analogia. Quamuis grana malum punicum dilacerarint & corticem suum diruperint, non desistit tamen illis benefacere, eademque succo enutrire suo: sic perfecta charitas etiam inimicum diligit, odienti benefacit, persecutorem orationibus & beneficiis fouet. Iuxta illud Christi Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Quibus quidem in verbis Christus instar cælestis cuiusdam agricolæ impia germina ex impia Pharisæorum traditione & malitia exorta, eradicat, atque his eradicatis, plantat in cordibus hominum dilectionis malogranatarum, dicens, ego autem dico vobis, *diligite inimicos vestros.*

Decima analogia.

Charitas etiam iis à quibus læsa benefacit.

8. Ierem. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie, super gentes & regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes.* De Christo accipiendum credit Ambrosius de bened. Patriarch. cap. 11. inter ea quæ pater ei agenda commisit hoc erat singulare, vt diuina verba tanquam diuina quædam semina seminaret, & Euangelica dogmata in hominum cordibus plantaret, vt autem hoc assequatur primò illi mandat eradicare iniquas plantationes & euellere & dissipare impia germina quæ ex impia Pharisæorum malitia fuerant exorta. Hocque fuisse Christi institutum demonstrant Hieronymus & Origenes in cpa. 1. Ieremiæ, ex eo quòd agens contra impias Pharisæorum traditiones dixit Matth. 15. *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cælestis eradicabitur*, hoc igitur nunc aggreditur, inueniens namque plantationem illam iniquam: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, eradicandam assumit, vt malogranatum plantet charitatis. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* AMBROS. ORIG.

9. Meritò autem eradicato prauo illo pharisaico germine plantat Christus dilectionis pulcherrimum malogranatum dicens: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.* Nam vt aptè ait D. Augustin. trac. AVGVST. 8. in epist. Ioan *Cùm inimicum amas, fratrem amas,*

amas, respicis enim inimicum aduersantem, sæuientem, mordentem verbis, exasperantem contumeliis, attendis tamen quia homo est, & à Deo factus, hoc in illo diligis, hoc nomine tibi frater est reliqua odisti, quia eius sunt, non Dei &c. Sic Deus amat peccatores, sic medicus ægrotos diligit: sic agricola terram incultam, & faber lignum rude & impolitum non reiicit, *Faber optimus*, ait D. Augustinus ibidem, *vidit lignum non dolatum, impolitum, & recens de silua præcisum, adamauit, nescio quid inde vult facere, videt idoneum esse, vnde accedente arte, ad opus vtile fiat.* Agricolæ quoque vt idem doctor alibi scribit, quam terram vident ingentes herbas etsi inutiles progignere, frumentis aptam esse pronuntiant. Et quem montem oleastris syluescere aspexerint, oleis esse vtilem, culturâ accedente, non dubitant. Sic Moses Ægyptium occidens, Paulus Ecclesiam persequens, Petrus Malchi auriculam amputans, syluestres erant oleastri in oliuas tamen fructiferas postea à S. Spiritu exculti.

IDEM.

Duo in inimico consideranda, natura & peccatum.

10. Duo ergo in inimico nostro consideranda, nimirum naturâ humana, quâ mediante nobis frater est, nosterque dicitur proximus, & ipsum peccatum siue vitium, quo mediante nobis contrarius est & dicitur aduersarius. Si Deus præciperet, vt in inimico, quam tibi fecit offensam, diligeres, opus sanè arduum esset atque difficile, vtpote militans contra hominis naturalem inclinationem. Verùm cùm non offensam sed naturam velit diligi, opus hoc planè facile & iucundum, omne namque animal diligit sibi simile, est namque similitudo naturaliter causa amoris. Facileque est distinguere inter naturam quâ inimicus tuus tibi similis est, & inter offensam, quâ fortassis dissimilis est. Nosti inter naturam & offensam optimè distinguere, dum agitur de filio puniendo. Quid quæso in illo odio prosequeris, dum illum verberibus atque flagellis ægregiè excipis an naturam? haud puto, quam vnicè, vtpote à te acceptam & mutuatam diligis, sed vnicam culpam atque offensam. Eâdem vtere distinctione respectu inimici, dilige in illo naturam, detestare offensam.

Dauid factum gigãtis deiecit non naturam.

11. Eccli. c. 47. extollens Dauidis fortitudinem quâ singulare certamen iniit cum maximo illo gigante, sic ait: *In tollendo manum in saxo funda deiecit exultationem Goliæ:* Perpende non dicere scripturam, Dauidem deiecisse gigantem, verùm illius fastum & arrogantiam, vt doceret Dauidem ictum fundæ non direxisse in naturam, quam in gigante amabat, sed in arrogantiam quam detestabatur.

Diogenes separauit naturam ab offensa.

12. Diogenes Laërtius lib. 5. narrat Aristotelem quodam tempore dedisse eleemosynam cuidam homini pessimis prædito moribus, cumque cerneret se eo nomine ab aliis irrideri, quasi rem aliquam reprehensioni obnoxiam operatus, prudenter respondit: *Non mores misertus sum sed hominem, non homini dedi, sed humanitati.* Vide qualiter facile sit naturam separare ab offensâ, & per consequens illam amare, hanc detestari. Facito similiter & Christi obtemperabis præcepto, de inimico diligendo. Non sufficit Christo vt inimicum diligas, verùm vult insuper hisce verbis superari odium inimici à nostra dilectione, dum iubet vt illum qui interiùs nos odit, non solùm diligamus, sed & beneficentiæ opera ei exhibeamus, postquam enim dixit, *diligite inimicos vestros*, addit, *benefacite iis qui oderunt vos.* Noluit Deus vt arbores quas in paradiso plantauit essent otiosæ & sine fructu, quas propterea iussit Gen. 2. vt producerent fructum vnaquæque iuxta genus suum. Charitatem erga inimicum plantat in corde eorum, qui legem Euangelicam vt decet, profitentur, non vult istã otiosam esse & sine fructu, sed in omni opere bono fructificantem, idcirco postquam dilectionem statuit Dominus, *Diligite inimicos vestros*, iubet vt hæc arbor fructum referat, subdens, *benefacite iis qui oderunt vos.*

Inimicus non solùm debet interiùs diligi, sed & beneficentiæ opera illi exhibenda.

Beneficentiâ vincitur inimicus.

13. Si hosce fructus beneficentiæ inimico protuleris, fieri non poterit quin hisce fructibus, benignus & placatus planè reddatur, & gloriosè vincatur. Pierius Hieroglyp. lib. 51. ait, olim sic antiquos finxisse Concordiam inter duos homines, alterum austerũ, alterum verò pium: quercũ scilicet depingebãt iuxta oliuam plantatã & quercum amplexãtem oliuam: ita vt rami quercus & oliuæ essent velut inter se contexti, & fructum oliuæ quercu emanare & folia oliuæ esse folia quercus viderentur. Est quidem quercus arbor rigida dura & spinis referta, oliua autem est arbor suauis ex qua suauissimum emanat oleum, quod pietatis & misericordiæ symbolum est. Amplexu igitur huiusmodi quercus & oliuæ, significare voluerunt, effectum amoris erga inimicum, quamuis enim inimicus austerus & velut quercus quædam sit, si tu eum amore & pietate, sicut oliua fueris amplexus, referet ille mansuetudinem tuam & tua in eum pietas relucebit & charitas. Quod in Esau & Iacob manifestè constat; Esau enim, vt ait Procopius super Gen. significat quercum, & verè quercus erat in fratrem suum Iacob, siquidem iratus in eum, dixerat Gen. 37. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*, quamobrem coactus fuit Iacob fugere à facie fratris sui in Mesopotamiam, vides quercum. Vide nunc oliuam, quercum amplexantem. Reuersus fuit Iacob in terram fratris sui quod cùm nosset Esau exiuit obuiam ei, qua mente, Deus scit, timuit quidem valdè Iacob fratrem suum, & assumpto magno quodam munere: *Placabo*, inquit, *eum muneribus*, Gen. 32. Et cũ accessisset

sisset iam Esau, adorauit eum pronus in terrã septies, tunc amplexatus est eum Esau & stringens collum eius & osculans, fleuit. Vide quercum amplexantem oliuam & vide fructum oliuæ in quercu, lachrymas scilicet, indices amoris, idem videre est in Saule & Dauide, vide Laurent. de à Ponte tom. 2. in Sapient. c. 11. num. 26. hom. 41. num. 14.

Qualiter teneamur benefacere inimico.

14. *Benefacite his qui oderunt vos.* Non solùm diligere sed etiam benefacere debemus inimicis. An ergo, inquies, teneor vltro conuenire inimicum, cum eo familiariter agere, & quæsita vel oblata sibi quapiam occasione illi me beneuolum ac beneficum exhibere? Respondetur ad hoc nos teneri non quidem semper, sed cùm postulauerit occasio. Hinc Apostolus Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitierit potum da ei*, imò & Dominus in veteri lege Exod. 23. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis sed subleuabis eum*, hoc est, non attendas quòd inimicus tuus sit, neque quòd asinus, non verò equus pretiosus sit qui ceciderit, sed necessitatem præsentem, & tunc benefac ei, sic igitur pro ratione necessitatis & occasionis fauere inimicis debemus. Etenim perfectionis est semper & vbique hominem inimicis suis se beneficum & familiarem exhibere, ad hoc autem non tenetur homo, sicut non tenetur ex præcepto, & præcisa obligatione perfectus esse. Sunt inter arbores fructiferas, nonnullæ, quæ semel in anno fructum reddunt, in æstate videlicet, in hyeme verò non solùm fructum non faciunt, verùm nec folia quidem habent. Sunt verò aliæ quæ semper viriditatem & folia retinent, & fructum plurimum præstãt, ita vt vix vnum reddiderint, cùm iam alium emittere incipiant, qualis est malus citrea, seu malus medica. Sic inter homines alij quidem sunt, qui fructum bonorum operum, etiam erga inimicos semper & vbique præstare conantur. Hi malis citreis similes sunt. Sunt verò alij qui non semper huiusmodi proferunt fructum, sed iuxta id quod de viro iusto ait Dauid Psalm. 1. *Fructum suum dabit in tempore suo*, tempore scilicet congruenti. Non igitur nobis pręcepit Deus arbores citreas esse, sed vult nos saltem adinstar reliquarum fructiferarum arborum existere. Illud est perfectionis atque consilij, hoc verò obligationis atque præcepti. *Quamquam tenemur inimicis parcere*, ait Abul. in 1. Reg. 33. quæst. 3. *non tenemur illis credere: nec redire in pristinam amicitiam.*

Omnia docent & suadent homini, vt inimico benefaciat.

§. VI.

1. ET quidem omnia docent benefaciẽdum esse inimicis, & quot homo cernit creaturas, quasi tot cernit præcones illi hanc beneficentiam persuadentes. Aspice partes humanæ vniuersitatis. Nónne terram semper conculcamus, terimus, effodimus, & in eam sordes & in omnia purgamenta proiicimus? Et tamen ipsa à Deo edocta, reddit bonum pro malo, id est, profert nobis herbas, fruges, aurum etiam & argentum, omniaque metalla. Nónne vites arbores in rebus quæ viuunt, & non sentiunt, singulis annis spoliamus & denudamus fructibus? & tamen ipsæ vuas & poma denuò liberalissimè offerunt atque producunt. Nónne canes in animalibus brutis aliquando vehementissimè verberamus, & tamen ipsi statim omnium iniuriarum obliti motu caudæ nobis abblandiuntur.

Creata sunt symbola beneficentiæ exhibendæ nostris inimicis.

Imprimis Terra.

Vitis.

Canis.

2. Veniamus ad homines. Nónne apud ethnicos Caius Cæsar nihil obliuisci solebat præter iniurias? Aliquis poëtarũ Honorio imperatori dicens, quòd clementem se nimiùm exhiberet erga eos à quo læsus & offensus, Respondit ille: *Quòd cùm in omni re mortales à diis superentur sola tamen clementia diis eos pares & æquales reddat.* *Nunquam*; ait, Cicero pro Q. Ligario, *propius ad naturam Deorum accedunt ipsi homines quàm dum offensam remittunt his à quibus læsi.* Eschines in plena concione dixit: *Neque enim pulchrius verbum, nec magis homine dignum, quàm non reminisci iniuriarum.* Phocion Atheniensium dux teste Plutarcho in eius vita ab eisdem ad mortem condemnatus, cùm iam manu teneret poculum veneno plenum, cuius haustu ei vita auferenda, videns filium lachrymas fundentem amaras, eum obtestatus est ne iniuriæ & iniustitiæ patri illatæ recordaretur, nec cõtra ingratam rempublicam vnquam aliquid mali vel vindictę moliretur. Aristides teste Plut. in eius vita, in exiliũ actus, portasque ciuitatis egressus, leuans in cælum oculos manusque attollens, rogauit Deos patriæ ignoscerent, nec ob offensam in se commissam aduersi aliquid illi immitterent. Simonides Philosophus, offerẽs Themistocli principi generoso vt memorię artem illum edoceret: respondit: *Malo obliuionis artem ediscere, nam recordor eorum, quorum memoriam nolo, nec possum, quæ libenter vellem, obliuisci.*

Ethnicorum exempla.

3. Cælius August. lib. 14. Hierogl. obseruat,

Avgvst.

Imago amoris proximi efficta ab Ægyptijs.

uat Ægyptios antiquitùs sic effinxisse, licet obscurè, imaginem amoris proximi. Pingebant enim Virginem dorso pondus gestantem, & manus extendentem in alios similiter oneratos vt onus eorum in se susciperet, eosque labore isto leuaret. Duas habebat pedissequas vtrumque cingentes eius latus, vna dorso gestabat saccum, manibus verò cophinum plenum panibus. Altera absinthium herbam amarissimam aspergebat aureis guttis. Symbolum sanè mysteriosum illius charitatis, quam Christus vult à Christianis ipsis exhiberi inimicis. Virgo namque hæc designabat propriũ esse charitatis propria mala in dorso collocare, id est, obliuioni tradere, vt aliorum subleuemus onera & incommoda. Prima pedissequarum siue ancillarum signabat charitatis esse obliuisci iniuriarum, & de proprijs largire bonis, eaque conferre illis, qui nos calumniantur. Secunda guttis aureis absinthium aspergens indicabat proprium esse fraternæ charitatis, inimicum vincere & superare beneficijs, eaque etiam illi exhibenda, à quibus offensam vel aliquam accepimus iniuriam. Quòd si inter Ethnicos & infideles plures inuenti sint qui etiam inimicos diligerent, illisque benefacerent cùm pluribus ex his adminiculis caruerint, quæ nos habemus, quam excusationem habebit Christianus, si nec inimicos diligant, nec eis benefaciat? Quòd arbor in sylua vel arido monte plantata fructum agrestem ferat, non mirum; at quòd illa quæ in valle vel horto fertili ipsius Ecclesiæ, iuxta fluenta gratiarum plantata est, & irrigata sanguine Christi, fructum meliorem non edat, quis non mirabitur.

Omnes sancti fuere inimicis benefici.

4. Et si mentem animumque conuertamus ad sanctos qui extiterunt tam sub lege naturæ, quàm sub Mosaica & euangelica lege, bone Deus, quantam habemus impositam nubem testium qui inimicos suos miris affecerunt beneficijs. Nónne inter sanctos in lege naturæ Patriarcha Ioseph à fratribus suis crudelissimè venditus, iniuriam illam non aliter quàm multis beneficijs in fratres collatis, vlcisci voluit? Nónne tempore legis scriptæ Propheta Dauid atrocissimo hosti non semel sed sæpius benignissimè pepercit? In lege gratiæ considera S. Stephanum & quamplurimos alios etiam Deum pro lapidantibus & occisoribus exorantes. Quid? quod non solùm tota rerum vniuersitas, quinetiam & ipse Deus nos exemplo suo ad dilectionem inimicorum hortatur. Nónne Deum offendimus quotidie omni genere flagitiorum, & tamen solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Certè, si Deus cum suis seruis iure belli agere vellet, sicut & nos cum nostris conseruis agimus, statim ad primum flagitium, omnia elementa operam & obsequium suum nobis denegarent. Terra nos non sustineret, ignis non calefaceret, aër spirabilem se non præberet: at verò Deus noster cuius misericordiæ non est numerus, non ita se gerit, sed permittit nobis licet inimicis obsequio elementorum frui.

Deus quàm beneficus in inimicos.

Qui hisce exemplis non mouetur ad benefaciendum inimico quàm sit durus.

5. Qui ad hasce Dei, creaturarumque omnium voces, suadentes nullam ab hoste sumere vindictam, illique parcere & benefacere, obsurdescit, eumque persequitur malum pro malo reddens, durior est inanimatis rebus, durior est arbore illa, quæ fugientem detinuit Absalonem. Præceperat Dauid militibus suis, vt filium & hostem Absalonem seruarent. In fuga quid accidit? Quem pater, & ex præcepto patris, milites seruare volebant, detinet & implicat arbor, feriendum, Absalonem omnibus offerens; Quid ergo iam eum percutere recusat miles, etiam appensis in manibus suis multis argenteis? nimirum solo retentus Dauidis, quod audiuit, præcepto: *Nequaquam*, ait 2. Reg. 18. *mitterem manum in filium Regis, audientibus enim nobis præcepit tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: custodite mihi puerum Absalon.* Sola ergo arbor, quæ patrem vt filio parceretur non audierat, sed ad illius præceptum obsurduerat, machinatur pœnam, & infert cõdignam filio, & hosti rebelli vindictam. Pulchrè adhæc Chrysost. hom. de Absalone sic dicens: *Adest arbor in campo ramorum telis ornata, quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat. Adest, inquam, arbor, quæ nec patrem, vt tibi parcatur audiuit, & iussa Dei instanter implere contendit.* Quasi arbor minimè in Absalonem insurrexisset, si Dauidis præceptum, quod ob naturalem surditatem non poterat, obaudisset. Vt meritò dicatur arbore istâ, & quercu illâ durior Christianus ille, qui omnium creaturarum vocibus persuasus & edoctus ne de inimico sumat vindictam, sed illi benefaciat, nihilominus ad tot tantasque obsurdescit voces, & mãdatum illud longè suauissimum, vt benefaciat inimico, non exequitur.

Chrysos.

Ratio dictat amandum inimicum & illi benefaciendum.

6. Et quidem & ipsa ratio dictat inimicum diligendum, & benefaciendum illi qui nos odit, nimirum ob ingentem quam nobis confert vtilitatem, si prudẽtes sumus atque cordati. Nam teste Plutarcho lib. de vtilitate ab inimicis capienda. Præclarè à Xenophonte dictum est, prudentis cordatique viri esse etiam ex inimicis vtilitatem capere. *Quemadmodum enim non solùm ex domesticis verùm etiam ex feris animantibus, non solùm ex fructiferis, verùm etiam ex syluestribus arboribus, non solùm ex dulci verùm etiam ex salsa & amara aqua: Ita etiam non solùm ex domesticis & fructiferis dulcibusque amicis, sed etiam ex feris, syluestribus, amarisque inimicis vtilitas capienda est.* Et quidem maior ex inimicis quàm ex amicis vtilitas percipi potest, si Christi præceptum obseruemus: *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos.* Amici fertiles, velut agri frumentum nobis, flores pomaque præbebunt, at

Plvtarc.

at inimici si ex illis vtilitatem capere sciamus steriles licet & sentibus referti montes, aurum nobis & gemmas exhibebunt. Latet enim sub illis inimici sentibus thesaurus opulentus, ex amico vtilitatem plerumque refert corpus, ex inimico si diligatur, animus maximam consequitur. Hinc illud D. Aug. ser. 59. de tempor. *Plus*, inquit, *diligendi sunt inimici quàm amici, qui inimici sunt corpori aduersantur, & animæ præparant æterna præmia, quia qui carnalia nostra & terrena rapiunt, cælestia nobis & spiritualia congregant* &c. Nónne magis diligendus est, quàm odiendus qui nobis dat æternas opes? Amici verò carnis nostræ nobis suauia suadere contendunt, quæ animæ nostræ præparant æternam mortem.

AVGVST.

7. Ab inimicis quantum emolumenti accipiamus, pulchrè docet Plutar. *Qua ratione ex inimicis, emolumentum capiendum.* Idque exemplo hortulani, videlicet, quod hortulani soleant iuxta rosarum radices plantare cepas & allia, quando terra vitiosa est, nam cùm magno impetu germinent rosaria omnem succum in folia & virgulta conuertunt, ipsæque rosæ odoris sunt minùs grati & vehementioris: verùm ad radices allia plantantur, impendunt foliorum multitudinem, & luxuriandi licentiam: atque ita & rosæ maiores sunt & odoris suauioris existunt, allijs ad se trahentibus quidquid in terra est duri atque insuauis odoris. *Elegantes*, ait, *agricolæ rosas & violas efficere seputant meliores, cùm allia & cepas iuxta seminant, quòd hæc quidquid alimento inest acre & virosum trahant.* Idem commodi accipiunt boni & iusti ab inimicis, cùm enim terra huius mundi, tam sit vitiosa, facilè contingit hominem inflari, vanitatibus, tanquam folijs repleri, nimiùm de se sentire, super alios se erigere, alta sectari &c. quid agit Deus, permittit iuxta radices nostras cepas, alliaque collocari, permittit quosdam fieri nobis inimicos, qui suis persecutionibus temperant sanctorum superfluas vanitates, vt opera, rosæque eorum, vanitatibus expurgata, abundantiora sint & perfectiora, suauiorisque odoris coram Deo, & apta ad contexendum sertum æternæ gloriæ.

Ab inimicis quātum emolumenti capiamus.

PLVTARC.

8. Quantopere nobis prosit inimicus, sibi verò obsit, & noceat, pulchrâ metaphorâ explicat Dauid Ps. 117. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Dum ignis spinetum aliquod inuadit, quo impetu in illud non fertur? quò densiores & multipliciores sunt spinæ, eò acriùs & vehementiùs inardescit, petilliando quem non excitat sonum, vt iam de adepta de spinis victoria, pæana canere videatur, sed spinis omnibus, tanquam tot inimicis superatis, vide quam nitidam & expurgatam relinquat terram, quàm aptam culturæ, quàm ad aratri proscissionem idoneam, & quàm ad proferendos fructus dispositam: idem emolumenti se ab inimicis cepisse testatur Dauid, nimirum illo igne zeli, inuidiæ, odij, persecutionis, quo in ipsum exarserunt, nihil effecerunt, quàm vt spinas variorum peccatorum & defectuum, qui in illius vigebāt & crescebāt animo, exusserint & deleuerint atque hac ratione eum aptum reddiderunt suscipiendis diuinis inspirationibus plurimisque virtutum seminibus. Sibi verò maximum intulêre nocumentum, nimirum apum more, quæ sese vindicare volentes, infigunt hostili carni aculeum, sed illo in carne relicto mortem sibi adsciscunt & propriæ sunt necis atque interitus auctores: Sic inimici, dum alijs nocumenta inferre conantur, sibi ipsis maximè nocent, sibi ipsis sunt perditionis causa, suoque se iugulant gladio vt tanquam phreneticis illis potiùs cōpati, quàm indignari debeamus. Vrban. IV. Pontifex Maximus in paraphrasi super Ps. 50. inducens verba citata, *Apes*, ait, *etsi inferant punctionis dolorem amantur tamen, quia mellis dulcedinem administrant: Ita etsi persecutores pungant, non sibi mellificant, sed patienti.* Pende hoc vltimum, *non sibi sed patienti.* Sibi enim maximo sunt nocumento.

Quātopere nobis prosint, sibi verò obsint inimici.

VRBANVS IV.

9. De rubo dicunt Philosophi naturales, quòd sine semine nascatur, sic spinis refertus, suisque spinis seipsum implicat & replicat, & connectit, ita vt qui se ingesserit intra illas, qua exeat parte, vix inueniat, & cùm exierit spinis lacessitus & cruentatus euadat. Habet præterea hoc rubus, quòd cùm naturâ suâ nimiùm calidus sit, solo aëre vrente percussus, sine applicatione aliqua ignis accendatur & comburatur. Optimum iræ & nocumenti, proximi hieroglyphicum rubus huiusmodi, sic enim illi euenit, qui inimicitiæ & iræ nociuæ causa est; inimicitia enim talis, sine semine exire solet, nescis enim vnde aut qua occasione sic ille in proximum irascatur, cur Aman in Mardochæum ita sæuit, vt non solùm illum, verùm & omne genus populi sui de medio tollere decreuerit? ex nihilo motus fuit, quid enim erat inter millia flectentes genua & adorantes eum, vnum Mardochæum, & illum alienigenam, non ita venerari eum? Cur Cain ita fuerit in fratrem concitatus quære, & non inuenies, nisi quia Deo plus placeret: hoccine causa erat sufficiens fratricidij? Sic inimicitia sine semine nascitur, velut rubus. Et sicut rubus, ita amaritudines & spinas multas ex se producit, quibus iracundus homo intexitur, ita, vt qua exeat parte nesciat, tot difficultatibus & retibus implicatus, quod in eodem Aman facilè videre licet, qui nullum consiliū inuenire valuit, quo se à suis intricationibus extricaret. Et tandem sicut rubus ignem ex se concipit, quo in cinerem redactus fuit, non solùm ipse, sed tota familia eius, domus & diuitiæ, omnia simul combusta fuerunt. Vides quàm sibi nocens sit qui alijs nocere procurat, id quod in Absalone pariter constat, gratis hic & sine causa in patrē commo-

Iræ & nocumenti proximi symbolum rubus.

commotus regno ipsum deturbare & è medio tollere tentauit, arma cepit, bellum incepit, totumq; populum suis spinis complicauit, sed se maximè omnium, è quercu enim suspensus, tale incendium excitauit, vt ipse vnà cum multis alijs fuerit absumptus.

Perfecta charitas instar malogranati tribulationibus illustrior redditur.

§. VII.

Postrema analogia.

1. POstrema analogia, inter malogranatum, & perfectam charitatem: Sicut malum granatū pulchrius apparet, cùm fatiscit, nam tunc interna grana, quæ sub vili cortice latebant pyropes imitata, expanduntur: ita perfecta charitas, ad inimicos vsque sese extēdens, quantò maioribus difficultatibus, laboribus, tribulationibus, ac persecutionibus premitur, scinditur, atque dilaceratur tantò clariores & fulgentiores emittit radios, eoque illustriorem reddit possessorem suum. Vnde Christus Dominus ad Ecclesiam Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua.* Vbi illam non comparat cum integro malo punico, quod rudi cortice contectum, nulla venustate commendatur, sed cum fragmine mali punici, quod in acinos, tanquam in carbunculos dehiscens, pulchriùs splendescit. In quem locum Beda: *Malum*, inquit, *punicum magnam granorum copiam, vno foris cortice includit, quæ quidem integro adhuc malo videri nequeunt, sed fracto, quàm sint innumera clarescunt: sic etenim Sancta Ecclesia, quò ampliùs eam frangi aduersis contigerit; eò clariùs, quot virtutum grana, vnius fidei tegmine complectatur, reserat.* Percurre vitam Sanctorum tam noui quàm veteris testamenti, videbis tribulationibus pro Christo perpessis, cùm antè fortassis essent incogniti, & abiecti, clariores postmodum & illustriores effectos.

Charitas quantò maioribus premitur difficultatibus tātò clarior & fulgentior.

Vnde comparatur fragmini mali punici.

BEDA.

Sancti omnes persecutionibus clariores effecti.

2. Sustollere voluit Deus, clarumque ac magnum reddere Abrahamum, & primum quod ei indixit, tribulatio fuit, & labor. Genes. 12. *Egredere, &c. & faciam te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum.* Nónne magnam Deus indixisse tribulationem Abrahamo visus est, cùm ei iussit vt vnicum sibi immolaret filium, in cuius semine erant benedicendæ omnes gentes, vtpote ex quo Messias erat nasciturus. Et quam claritatem ex hac tribulatione non est adeptus? *Per me metipsum iuraui*, ait Dominus Gen. 22. *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

Sic Abraham clarior effectus.

3. Magnum constituere decreuit Iacob, & supra Esau fratrem sustollere suum, quas ei tribulationes non immisit? & per eas magnus effectus, pater totus populi factus est Israelitici. Supra fratres etiam sustollere præclarumque facere voluit Ioseph, vide quàm horribiles fuerunt huius viri sanctissimi tribulationes.

Sic etiam Iacob.

4. Quanta à Deo, tribus illis pueris, imposita tribulatio, dum viderūt vultum Regis, incendia crudelissima mortemque spirantem, & fornacem illam, flammas altissimè euomentem, in quam ligatis pedibus, conijciendi? & vide quantus ex illa tribulatione illis accessit splendor. *Tunc promouit*, ait scriptura Dan. 3. *Rex Sidrach, Misach, & Abdenago, in prouincia Babylonis. Tunc*, id est, post illam tribulationem, post illum ignem, post illud bellum, tunc promouit, tunc clariores redditi sunt, tunc splēdidiores quando inter flammarum vortices visi sunt.

Sic tres pueri.

5. Actorum c. 16. *Cùm eiecisset Paulus spiritum pythonem è quadam puella, videntes Domini eius, quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum, & Sylam, produxerunt in forum ad Principes, & offerentes eos Magistratibus, dixerūt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cùm sint Iudæi, & annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cùm simus Romani. Et cucurrit plebs aduersus eos, & magistratus scissis tunicis eorum, iusserunt eos virgis cædi. Et cùm multas plagas eis imposuissent, miserūt eos in carcerem, præcipientes custodi, vt diligenter custodiret eos. Qui cùm tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.* En quantam incurrerint Paulus & Syla tribulationem; nunc vide quanti splendoris illis fuerit occasio. *Media autem nocte*, ait Scriptura, *Paulus & Sylas orantes laudabant Deum, & audiebāt eos, qui in custodia erant. Subitò verò terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statim apertæ sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem custos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna dicens: Nihil tibi mali feceris, vniuersi enim hic sumus. Petitoq; lumine, introgressus est: & tremefactus procidit Paulo & Sylæ ad pedes: & producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere vt saluus fiam? At illi dixerunt; Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Et locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus qui erant in domo eius. Et tollens eos in illa hora noctis lauit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò. Cùmque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua, credens Deo. Et cùm dies factus esset, miserunt Magistratus lictores dicentes: dimitte homines illos.* En quantus Paulo & Sylæ ex illa tribulatione splendor, & claritas, vt meritò dixerit

Sic Paulus & Syla.

CHRYSOS. D. Chrysost. hom. 26. in 2. ad Cor. loquens de Paulo: *Quando ergo in carcerem coniectus est, tunc admiranda gessit; quando naufragium passus est, atque in barbaram regionem eiectus est, tunc maximè inclaruit; quando in tribunali vinctus accessit, tunc & iudicem vicit.*

Quanta Paulo claritas ex tribulatione quam passus est Iconij.

6. Actor. 14. legimus, quòd cùm Paulus esset Iconij prædicās verbum Dei Iudæis, qui fuerant increduli, concitasse animas Gentium aduersus fratres: *Cùm autem factus esset impetus Gentiliū & Iudæorum cum principibus suis, vt contumelijs afficerent, & lapidarent eos; intelligentes confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ, Lystram, & Derben, & vniuersam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.* En quanta tribulatio; sed vide quanta illis ex illa tribulatione, quam Iconij passi sunt, claritas ac splendor: *Quidam*, ait Scriptura, *vir Lystris infirmis pedibus sedebat claudus ex vtero matris suæ, qui nunquam ambulauerat, hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet vt saluus fieret, dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exiliuit, & ambulabat. Turbæ autem cùm vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium; quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Iouis qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare. Quod vbi audierunt Apostoli Barnabas & Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes & dicentes: Viri quid hæc facitis, & nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.* Adeò vt ex illa tribulatione summa adorationis claritas sit orta, fuerintque pro Dijs Paulus & Barnabas habiti; vt meritò Diuus Chrysostomus hom. 3. in epist. ad Roman. loquens de claritate quam tam Diuus Paulus, quàm alij sancti veteris Testamenti obtinuerunt, dicat: *Paulus inclaruit ab ijs, qui ei incommodum moliebantur, insidiasq; struebant: sic Iob à non paucis plagis illis; sic Hieremias à lacu cæni, sic Noë à diluuio, sic Abel ab insidijs, sic Moyses à Iudæorum inuidentia; sic Elizeus, sic vnusquisque magnorum illorum virorum, non à requie, nō à delicijs, verùm ab afflictione, à tentationibus clari effecti sunt, & insignes coronas reportarunt.* (CHRYSOS.)

Quisnam splendor conferatur iustis ob toleratos labores.

7. Cùm autem nihil tam proprium sit tribulationi & persecutioni, quam patiuntur iusti, quàm eos tam in hac, quàm in alia vita claros maximè, & illustres reddere; hinc accidit quòd nihil sit honoris, nihil splendoris, qui non conferatur bonis & iustis Christianis, ob labores toleratos atque perpessos. Per hosce enim Sacerdotes & Antistites constituuntur, vt verissimum sit illud Stephani dictum: *Tribulatio carnem pungit, sed animum vngit.* D. Hieronymus c. 2. in Sophoniam premens factum Dauidis comedentis panes propositionis, quibus soli vescebantur Sacerdotes, totam facti rationem reijcit in tribulationem, quam à Saule patiebatur, quâ existimat illum quasi in Antistitem vnctum & consecratū: *Dauid*, ait, *non erat de Sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes propositionis: sed quia persecutio Saul virtutum illius profectus erat, propterea in fuga sua, dum nescit, subitò Antistes efficitur, & accipit panes propositionis, & non violat mandatum Dei.*

Constituūtur Sacerdotes & Antistites. HIERON.

Constituūtur Apostoli.

8. Quod amplius, non solùm Antistitem, verùm & Apostolum constituunt tribulationes & persecutiones hominem, eas libenti animo pro Deo tolerantem, plusque splendescere faciunt sanctos, quàm ipsa miracula. Paulus siquidem claritatem Apostolatus sui non à prodigijs probauit, sed à tribulationibus pro Christo passis, & in hoc à Pseudoapostolis se distinxit. Hoc annotauit D. Chrysost. ser. 3. in illis verbis: *habentes scilicet eundem spiritum fidei.* Vbi sic ait: *Volens Apostolus nobis persuadere, quòd multò præstantius sit pro Christo affligi, quàm prodigia facere; & probationem afferens, quod germanus sit Apostolus, & præferendus alijs, non Apostolis, sed Pseudo-Apostolis, non à miraculis per se editis argumentatur, sed à cōtinuis periculis, in quibus versabatur.* Quæ enumerans D. Chrysost. vti idem Apostol. 1. ad Cor. 11. tandem addit: *Hi sunt veri Apostolatus characteres*: cuius rationem addit: *Nam prodigia & alij sæpe fecerunt, nec eis fecisse profuit, sed post omnia illa audierunt: Abite, non noui vos: at nemo eorum, qui eadem, quæ Paulus commemorare potest, vocem illam vnquam est auditurus.* (CHRYS. / IDEM.)

Angelis æquatur, imò eosdem superat.

9. Sed quid si dicam, hominem per tribulationem & persecutionem taliter splendescere & clarescere, vt non solùm Angelis in hac vita similis sit, sed eosdem etiam superet & transcendat? haud fallar, opinor. Dominus laudans in præcursore desertum, & prædicationem pœnitentiæ, vocat eum Angelum: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te*, vt legimus Matth. 11. Quid si Ioannem vinculis constrictum, & tribulationibus discissum, & varijs pressuris dilaceratum, & laboribus exantlatis plenum, voluisset extollere; haud dubium, quin illum plusquam Angelum prædicaret. Planè vincula & ærumnæ pro Deo acceptæ, nos faciunt longè superiores Angelis, Act. 12. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter*, &c. Expende modò Petrum vinctum, & catenis adstrictum, & Angelum lucidissimum illi astantem, vtrius gloria maior? vtrius magis excellētiam ambires? Penitus dubium exsufflat D. Chrys. ho. 8. in c. 4. ep. ad Eph. fatus: *Hic si mihi quispiam dixisset, elige vtrum velis, vis esse Angelus Petrum stimulans, ac soluens; an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem esse, propter quem Angelus descendit. Vinculis istis potiri libuisset.* (CHRYSOS.)

libuisset. Eligibilior equidem est gloria, & excellentia vincti, & afflicti hominis propter Deum, quàm tota excellentia & claritudo Angeli. Tanta est vinctorum in Domino, & afflictorum gloria, vt super Angelos sese extollat; imò vt Angeli esse inferiores, & seruos illorum ambiunt. Quis afflictior Tobia? Is captiuus erat, insuper pauperem vitam agebat, postremò percussus est cæcitate. Quid tunc? Raphael Angelus accedit, vt seruiat Tobiæ filio, quod vt consequatur, sese sub alio nomine occultat, aiẽs c. 5. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius*. Quã rem sic eleganter expendit D. August. ser. 228. de temp. inquiẽs: *Ad hoc Tobias cæcitatis incurrit exitium, vt Angelũ susciperet medicum. Quid meruistis Tobias pater, filiusq́, Tobias? Mercenarium habere cælestem, & tanquam operarium locare terrestrem? Celauit vobis Angelus nomen, Azarias sum, inquit, & non dixit; Ego sum Raphael Angelus. Si enim diceret, ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius*. In tanta erat gloria afflictus, & ærumnosus senex, vt Angelus eius mercenarius, & seruus esse ambiret; & ne tãtam dignitatem amittat, sub alieno nomine Angeli celat proprium vocabulum.

Avgvst.

Illustratur eadem veritas similitudine rerum naturalium.

10. Qualem splendorem, claritatem, vtilitatemque causent in iustis tribulationes, quibus quasi instar corticis mali punici cõscinduntur, atque fatiscunt, varijs similitudinibus à rebus naturalibus petitis, non incommodè illustrari potest. *Adamas*, inquit Origen. hom. 3. in Ierem. *quantò plus cæsus fuerit tantò plus eius virtutem splendescere scias*. Sic sancti dum tribulationum probantur ictibus, & inter malleum incudemque sunt, tunc magis splendet eorum virtus, clarioresque ipsi fiunt, ac magnum præclarumque accipiunt nomen.

Adamantis. Origen.

11. Vt stellæ in nocte lucent, in die latent; ita virtutes in nocte aduersitatis & tribulationis nimirum emittunt fulgorem, qui in die prosperitatis & gaudij latebant, nullosque de se spargebãt lucis radios: *Porro stellas dixisse virtutes*, ait D. Bernardus serm. 27. in Cant. *non me pœnitet, considerantem congruentiam similitudinis. Quomodo nempe stellæ in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis, illud sanè cautelæ est, hoc necessitatis*, &c. Propterea etiam sacra Scriptura Eccli. c. 32. iustos ait esse, ceu gemmulam carbunculi in ornamento auri: nam sicut hæc de nocte magis, quàm interdiu collucet, & fulget: ita iustus, & verus Dei seruus, magis in tribulationum & laborum tenebris lucet, resplendet, suique fulgorem exerit, quàm in die prosperitatis. Sunt ligna quædam putrida, sunt viles & parui quidam vermiculi, de die nullam habentes speciem, imò tetri & nigri coloris, in nocte tamen instar prunarum ardentium fulgorem emittunt. Idem plerumque accidit hominibus, qui in die prosperitatis contemptibiles habebantur; in aduersitate mirum in modum clarescunt, & micantes virtutum variarum radios emittunt.

Stellarum. Bernar. Carbunculi.

Nuces feraciores fiunt verberibus & baculis, ita & iusti calamitatibus & tribulationibus. Olim superstitiosæ gentilium fœminæ, vt fœcundæ esse possent, facilemque habere partum, in festis Lupernalibus, ventre, dorso, ac palmis accipiebant verbera, de quibus Ouidius lib. 2. Fast.

Nucis.

Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis
Nec prece, nec magico carmine mater eris:
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ
Iam socer optatum nomen habebit aui.
Iussæ suæ terga puellæ
Pellibus exsectis percutienda dabat.
Luna resumebat decimo noua cornua mense,
Virq́, pater subitò, nuptaq́, mater erat.

Sic etiam quædam animæ antea bonis operibus steriles, & fructu pietatis destitutæ, calamitatibus percussæ fœcundæ redduntur, & fructibus bonorum operum onustæ.

12. Terra licet vndique ventis concussa, frigore obsessa, ardoribus solis exusta, imbribus irrigata, glacie, geluque constricta, niue vestita, quæ omnia præsentem illi videntur comminare interitum: hisce tamen rebus magis floret, lætior fœcundiorque existit. Idem prorsus de animabus tribulationum pondere grauatis, iudicandum. Sicut *pluuia* (ait Chrysost. ho. 14. ex varijs in Matth. locis) *in terram cadens erigit semina. sic tribulatio animum ingressa, erigit desideriũ*. D. B. sil. in illud Is. 5. *Dimittam vineam & non putabitur, neque fodietur*, sic ait: *Quemadmodũ qui vineam putant, adstringũt eius vites, & internè continent, vt maiore cum tẽperamento procedat ad proferendos vtiles fructus: ad eundem modum contingit animæ, assiduitate afflictionum incuruatæ. Quemadmodũ in se contrahitur seque humiliter dimittit, atque humiliat, atque ad sui diligentiorem custodiam retrahitur. E contrario anima, quæ indulgenter & remissè viuere finitur, perinde atque vinea quæpiã neglecta luxuriat, & siluescit sarmentis, seq́, effundens circà incõmoda, nec vllam afferentia frugẽ, natiuo succo exhauritur*.

Terræ. Chrysos. Basilivs.

13. Accõmodatè etiam S. August. comparat iustos tubis ductilibus, quæ tundendo perficiuntur. Sic enim scribit in illud Psal. 95. *In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Ductiles tubæ æreæ sunt quæ tundendo producuntur. Si tundendo, ergò vapulando eritis tubæ ductiles, in laudem Dei producti: Sic cùm tribulamur, tribulatio, tonsio, profectus productio est. Quomodo sonuit, & quã suauiter tuba ductilis, qui in tribulatione percussus, gratias agit? Ecce, inquit fabricator Deus, illam tubam perficere volo. Non perficiã nisi tundam: malè sonabat antequam produceretur, nunc productus & factus tuba ductilis, laudes Dei sonabit, qui antea blasphemias intonuit*.

Tubarum ductilium. Avgvst.

Ferrum vsu splendescit, argenti instar, dum in terra iacens, rubiginem contrahit, & tandem in terram vertitur: sic virtus non exercitata arescit, & terrenus fit qui spiritualis erat, nullis aduersis exerci-

Ferri.

exercitatus. Quemadmodum gladius ferruginosus, & qui diutissimè è vagina non extractus, æruginem contraxit, quum ad arma venitur, Dominum suum sæpenumero fallit, dum adeò moratur, vt priùs ab aduersario vulneretur, fortè & occidatur, quàm è vagina educi possit, sic omnino virtus non exercitata, adeò tarda est, vt sæpenumero locum diabolo concedat, miserandam vulnerandi animam, antequam se armare, contra obortam difficultatem, aut tentationem possit.

Quo sumus in Deum amore ostẽdimus tempore tribulationis.

15. Quemadmodum Rex aliquis, pacis tempore ostendit, quo in milites suos sit affectu, dum varijs eos donarijs & beneficijs afficit: milites verò belli tempore vicissim declarant, quàm illum diligant & æstimẽt, dum pro illius capite pugnant, ac mortem oppetunt. Ita cæli Rex, tempore cõsolationis & fauoris, demonstrat, quo nos amore complectatur: nos verò, quo in eum amore feramur, tempore nubilo, & tribulationis potiùs, quàm prosperitatis & consolationis.

Claram reddit animam nigredo tribulationis.

16. Sicuti cùm aliquis candelabrum æneum vult clarum, lucidum, & quodammodo speculare reddere, obducit illud cinere & arena, ita vt illud solitò multo obscurius & deformius reddat. Ita Deus quem vult virtutibus expolitum, eum obscurat & denigrat tribulationibus, nihil est quod tam albam & claram reddat animam, quàm nigredo tribulationis.

Hinc iusti in medijs tribulationibus sunt animo maximè dilatato.

17. Atque hinc est, quòd iusti probè sciẽtes tribulationibus & persecutionibus, clariùs eorum vitam, & virtutes emicare, seque clariores & splendidiores reddi, nullas in tribulationibus patiuntur angustias, non paruo sunt & pusillo animo, sed maximè dilatato. Vnde vox illa Pauli 2. ad Cor. 4: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed nõ destituimur; persecutionem patimur, sed non delinquimur; deijcimur, sed non perimus.* Hinc Origenes etiam lib. 4. in cap. 5. epistol. Pauli ad Romanos explicans illa verba: *Tribulatio patientiam operatur. Tribulatio iusti non angustiat animi eius virtutem, sed potiùs dilatat.* Vt meritò dicere possit talis anima, illud diuinæ Sapientiæ Eccli. 24. *Quasi platanus exaltatus sum iuxta aquas, in plateis.* Est enim platanus arbor latè ramos expandens, largaque habens folia, eamque pingebant stantem secus decursus aquarum, cum hac inscriptione, (vt testatur Brixianus, verbo platanus) *folium eius non defluet.* Eratque symbolum, teste Hilario, hominis magnanimi ac dilatati, non verò angusti & pusilli cordis, ad significandum talem hominẽ, licet in eum variarum aquarum, id est, tribulationum & persecutionum irruant fluctus, & vertices, supernè tamẽ eosdem despicere, & ne verbum quidem, quod odorem referat alicuius impatientiæ, vel reluctantis animi, ex ore emittere. Cuius quidem symboli præclarum habemus in Iobo exemplum: Cùm enim esset in medijs tribulationum plantatus aquis, & ijsdem quasi obrutus, folium eius non defluit: *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis*, ait Scriptura. Quod etiam Samueli accidisse legimus 1. Reg. 3. *Non cecidit ex omnibus verbis eius in terra.* Semper Iobo, & Samuele, instar platani, existentibus, nimirum largo, dilatato, & in immensum expanso animo, & probè noscentibus, quòd mediantibus tribulationum aquis clariores reddebantur, tam in præsenti, quàm in futura vita. Longè aliter res se habet in impijs & iniustis hominibus, hi namque in tribulationibus angustiantur, destituuntur, sub illas se derelinquunt & deijciunt, hisce coarctantur, similes impio Saulo, qui licet secundum externam apparentiam magnus esset: *Ab humero enim & sursum eminebat super omnem populum*, vt legimus 1. Reg. 7. tam angusti tamen erat animi, vt dũ videret se à Philistæis oppugnatum, dixerit: *Coarctor nimis, siquidem Philistæi pugnant aduersum me.* 1. Reg. 28.

Platanus symbolum hominis magnanimi.

Sicut insuper animo planè gaudẽte & gratulabundo.

18. Neque solùm iusti, & charitate præditi homines, ob hanc causam in tribulatione positi, lato sunt animo, sed etiã prorsus gaudente & gratulabundo, scientes nimirum ex afflictionibus & tribulationibus ob Christum toleratis, se non solùm in futura vita, sed & in præsenti donandos magno splendore, magna claritate. Eleganter hoc ponderat D. Chrysost. de sanctissimo Paulo super illa verba 2. ad Cor. 2. scilicet: *Gratias autem Deo, qui semper nos triũphat in Christo.* Vbi considerat D. Paulum non solùm ob spem futurorum gaudere bonorum, sed etiam ob claritatem, quam ex afflictionibus, persecutionibusq; per Christum, etiam in hac accipiebat vita. *Itaque*, ait Chrysost. *ne videretur hæc dicens comploratione vti, subdit dicens: Non solùm non dolemus in his afflictionibus, verùm etiam gaudemus; quodq; maius est, non tantùm spe futurorum præmiorum, verùm etiam horum gratiâ, quæ nunc contingunt, propterea quòd hîc quoque per has afflictiones clari reddimur & illustres. Itaque tantùm abest vt lugeamus, ac lamentemur, vt quod agitur appellemus triumphum, & ornemur his quæ nobis accidunt, vnde & dicit: Deo gratias, qui semper nos triumphat; hoc est, qui nos omnibus facit conspicuos & claros. Nam quod alijs videtur esse ignominiæ, nimirum vndique eijci, hoc nobis videtur summi honoris: Eoque non dixit: Qui nos facit notos, sed, qui triumphat, significans quòd eiusmodi persecutiones vbique terrarum assidua trophæa erigerent aduersus diabolum.* CHRYSOS.

Non solùm lato, gaudenti, sed etiam animo prorsus gloriabundo sunt iusti in tribulationibus, ob claritatem, aliosque pulcherrimos fructus, quos ex illis percipiunt, *Si gloriari oportet*, inquit D. Paulus 2. ad Corinth. c. 11. *quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.* Teste verò S. Remigio in hunc locum, *infirmitatis nomine comprehenduntur omnia incommoda, & persecutiones, atque passiones, quas pro Christo libenti animo pertulit.* REMIGI.

Quibus

Quibus considerationibus dulcescat charitas ad inimicos vsque sese extendens.

§. VIII.

Quibus considerationibus dulcescat præceptum dilectionis inimicorũ.

1. QVia aspera & horrida tibi videntur, ô Christiane, hæc Christi præcepta; *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos; & orate pro calũniantibus & persequẽtibus vos*, videor singulos audire, dicentes, & vsurpãtes hæc verba Iob c. 6. *Quæ est fortitudo mea, vt sustineã; aut quis finis meus, vt patienter agam; nec fortitudo lapidũ fortitudo mea est, nec caro mea ænea est*. Nõ solùm Christus præcepit amare inimicos, temporis præteriti, verumetiam qui in præsenti calumniantur nos, atque persequuntur. Si iuberet obliuisci iniurias præteritas, atque recipere in gratiam offensores iam contritos, atque dolentes, de iniuria illata: tolerandum illud quidem; verùm amare actualiter, me odio mortali persequentem, insi liantem vitæ, honori, illi benefacere, certè terribile quid apparet, atque supra modum arduum atque difficile. Verùm si præceptum hoc penitus & accuratiùs inspiciamus & expẽdamus, quot nominibus Christianus ad illius obseruantiam sit adstrictus, quamque varia & dulcia ad manus habeat remedia & auxilia, quibus facilè & suaue reddatur illius praxis & obseruantia, non ab illo, tanquam ab horrido quodam colubro fugiemus, animusque animo prorsus aduerso & alienato, sed manum extendentes, illudque per obseruantiam in praxim deducentes, licet in ipso initio id non plenariè, sed imperfectè faciamus, videamurq; cum Moyse caudam apprehẽdere solummodò colubri. Inueniemus hoc Christi præceptũ non esse instar cuiusdam colubri, sed potiùs instar pulcherrimæ Virgæ, quâ animus sustentetur, & instar baculi, quo securè pertransimus omnes Iordanis, id est, huius mundi, licet amarissimas aquas.

Consideratione mortis & nouissimorum dulcescit hoc præceptum.

Pierivs.

2. Prima consideratio quæ dulce reddit hoc Christi præceptum, est consideratio mortis atque nouissimorum. Pierius Valerianus Hierogl. lib. 44. c. 24. de malo punico docet arborem mali punici si acida sit & austera, ita dulcem reddi; *Si cuneus ex pino, per mediam illius medullam, adigatur, idque fieri solere ima in parte, radici propinqua, stipite perforato*. An tibi hoc Christi præceptum, ô Christiane, acidum apparet, & austerum? Per mediam arborem punici mali, adige ex pino cuneum, & mala saporem ex acido & austero in dulcem & suauem commutabunt. Quid pinus quàm mortis symbolum, nam semel succisa, non pullulat, non germinat radix, etiam ad odorem aquæ, sed in perpetuum extincta, & demortua remanet. Cogita te aliquando moriturum, & defuncturum hac præsenti aurâ, seriò perpende te mortalem & puluerem esse, permisce mortalitatis tuæ cineres huic quod tibi durum videtur præcepto, & dulcescere incipiet. Quàm bene Eccli. cap. 28. *Memento nouissimorum & desine inimicari*. Egregium sanè remedium, vt dulcem tibi reddas inimicorum dilectionem, mortis meminisci atque nouissimorum, gehennæ nimirum, & vltionis, quam Deus de nobis sumet, si vltionem appetamus. Iuxta illa eiusdem Ecclesiast. loco citato verba: *Qui vindicari vult à Domino inueniet vindictam, peccata illius seruans seruabit. Relinque, id est, dimitte proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur*, &c. Addit, *homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cùm caro sit reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius*, &c. Adijcit: *Memorare timorem Dei & non irascaris proximo tuo. Memento testamentum*, id est, legem altissimi, *& despice ignorantiam proximi. Despice* inquit, *ignorantiam proximi*, hoc est, pro nihilo ducito eius offensionem, ignorantiam reputa & remitte. Quidni despicies, quidquid in te committit proximus, paruum enim est, quidquid illud tandem sit, si comparetur ad infinitas iniurias, quibus tu lacessisti diuinam illam Maiestatem. O quàm durum iudicium sine vlla misericordia illis expectandum est, in hora mortis, qui cùm multorum, id est decem millium talentorum à Deo obtinuerint condonationem, centum denariorum debitũ exigit à proximo suo? Pepercit illi Deus, cùm infinitis iniurijs eum impeteret, & nunc ob leuem occasionem irascitur proximo suo, neque tãtillum debitum vult remittere reseruans iram, volensque se vindicare.

Præceptum hoc dulcescit considerata iubentis authoritate.

3. Secunda consideratio, quæ præceptum hoc alleuiat, facileque ad exequendum præstat, est iubentis authoritas, atque erga homines dilectio, quis non diligat libenter inimicum, in gratiam Christi dicentis: *Hoc est præceptum meum, vt inuicem diligatis sicut dilexi vos*: Et; *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. In proximo, non solùm cognatione, amicitiâ, & religione, nobis coniunctum intelligens, sed etiam eum qui hisce de causis à nobis maximè alienus est, vt constat ex parabola illa Samaritani, infundentis oleum & vinum in vulnera hominis Iudæi, à quo patriâ, cognatione ac religione lõgè remotus, & quàm maximè separatus erat. Quis, inquam, non diliget inimicum illique benefaciet ob authoritatem & amorem illius qui dicit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite* &c.

Quis

Quis illud *Ego*, poterit explicare? quis dicet quàm multa & magna in se includat, quæ nos mouere deberent ad obsequendum eius voluntati? Damasus Papa, in Carm. de cognomentis Saluatoris conglomerat quadraginta quatuor cognomina, ac dignitates illius, septem his versibus comprehensa.

Spes, vita, salus, ratio, sapientia, lumen,
Iudex, porta, gigas, Rex, gemma, Propheta, Sacerdos,
Messias, Zebaoth, Rabbi, Sponsus, mediator.
Virga, columna, manus, petra, filius, Emanuelque,
Vinea, Pastor, ouis, pax, radix, vitis, oliua,
Fons, paries, agnus, vitulus, leo, propitiator,
Verbum, homo, rete, lapis, domus, omnia Christus.

Non minùs debet apud nos valere authoritas Christi quàm valet apud homines hominum authoritas.

3. Fierine poterit vt apud nos minùs valeat Christi authoritas, quàm Absalonis apud famulos suos valebat? Cùm Absalon conaretur suos inducere, ad nefandum illud fratris sui Amnonis homicidum, vt eis animum adderet ad illud perpetrandum dixit: *Ego sum qui præcipio vobis*, & hoc audito, scelus, libenter & seposito omni timore, sunt aggressi. *Leges quidem Solonis*, ait Clemens Alexandrinus in exhort. ad gentes, *sequatur Atheniensis & Argiuus leges Phoronei, & Spartanus Lycurgi. Si autem teipsum Deo adscribis, cælum quidem tibi est patria, Deus autem legislator. Quænam autem sunt leges? Non occides* &c. Quanta ignominia erit Christiano, vt apud Deum minus valeat, illud, *Ego autem dico vobis*, quo Christus sanctitatem & beatitudinem nostram promouere desiderat, quàm valuerit apud famulos Absalonis illud: *Ego sum qui præcipio vobis*, vt eos homicidas faceret, atque æternæ damnationi obnoxios.

Quantum valuerit apud Philemonē Pauli authoritas.

4. Apostolus Paulus scribens Philemoni, eumque rogans vt cum pace Onesimum seruum fugitiuum, qui illum in multis offenderat reciperet, postquam illi dixerat, Onesimū ad se venisse, & per prædicationem suam ad Christi fidem conuersum esse, eumque illi remittere non iam serui, sed fratris loco habendum, tanquam à Paulo in vinculis Christo genitum, atque adeò vellet illi omnem noxam dimittere, sic concludit: *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me, si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa, Ego Paulus scripsi mea manu, Ego reddam, vt non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes. Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam & super id quod dico facies.* Hæc summa litterarum D. Pauli, quas Onesimo ferendas tradidit. Si tantum valuit Pauli authoritas erga Philemonem, vt viso illo verbo: *Ego Paulus scripsi*, fecerit quod rogabat, quid non æquum est facere Christianum offensum, cui Christus scribit in tot Euangelijs, in fauorem offendentis, rogando, exhortando, præcipiendo, vt offensa ipsi remittatur, & charitate Christianâ ametur? Si illud *Ego Paulus*, tantum potuit, quid poterit illud Christi: *Ego autem dico vobis?* Si illud *Ego reddam* Pauli tantæ fuit efficaciæ, quantæ erit illud Christi, dicentis: *Mihi vindictam & ego retribuam*, sumendo illud verbum in eo sensu quo sumitur Prouerb. 25. *Dominus reddet tibi:* Retributio autem quanta futura. Et si Paulus quia Philemonem conuerterat, affirmat se dicere posse, quod & seipsum Philemon debeat, vnde concludit, obligatum esse eumdem, vt Onesimum in gratiam recipiat, quantò magis Christus nobis dicere posset, quòd cùm nosipsos ipsi debeamus, ob redemptionis pretium pro nobis solutum, atque etiam ob creationis beneficium, ab eo acceptum nihil esse rationabilius, quàm vt rogati ab ipso, inimicis nostris vel aduersarijs omnem remittamus offensam, nimis foret absurdum in Christiano, non tantùm remittere offensoribus propter illud *Ego* Christi, quàm Philemon remisit propter illud *Ego* Pauli.

Quantum valeat apud canem vel sibilus pastoris.

5. Nunquid interdum animaduertistis, quod pastore aliquo, cum ouibus suis, in pascuis existente, canem si aduertat aliquem incognitum & suspectum sibi eò, iter agere, mox accurrere, in hominem irruere, & suo latratu, si non morsu, illi permolestum esse, neque finem huic suæ iræ & commotioni facere, donec vocem audiat pastoris, qui si vel sibilum aliquem tenuem emittat, quo indicet cani vt ab homine persequendo, supersedeat, iram moderetur, commotam bilem teneat & frangat, ad se autem, ouesque suas reuertatur, qualiter mox canis dicto obaudiens, cessat à latratu, abstinet à morsu, & totus pacificus, accurrit, cauda blandiens, animo taliter composito & sedato, ac si nulla præcessisset commotio. Vides, ô Christiane, quid in cane operetur pastoris vel minimus sibilus, vel minima vox. Ne sis precor, cane impudentior. Esto, habeas occasionem, vt alieno sis erga aliquem animo, ob offensam in te commissam, vt illi vicem rependas, vt illi irascaris, vt tanquam inimicum te geras, minimè benefacias, Christo Domino iubente, & clara voce dicente: Ego autem tibi dico vt diligas inimicum, vt illi benefacias, an non æquum vt illi auscultes, vt illi morem geras, vt deposita feritate, te mansuetum & pacificum proximo exhibeas?

Dulcescit hoc præceptum consideratione præmij à Christo propositi.

6. Tertia consideratio, quæ hoc præceptum dilectionis inimicorum planè reddit iucundum & suaue, continetur pulchertimis illis Christi verbis: *Vt sitis filij Patris vestri cælestis qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Primò, hîc considerandum occurrit, quàm Christus cælorum Rex differat à terræ regibus, hi nihil præcipiunt, quin transgressoribus pœnas, etiam grauissimas statuant, de præmio, quo obedientes suis legibus, afficiendi sunt, prorsus silent; ille verò

verò nihil præcipit, nihil consulit, nisi proposito maximo seruantibus præmio, si per modum consilij dicat; *Vendite quæ possidetis, & date eleēmosynam*, mox addit; *Et habebis thesaurum in cælo.* Si præcipiat dilectionem inimicorum, præmium promittit tantum, & tale, vt nihil illi comparari possit: *Vt sitis*, inquit, *filij patris vestri cælestis.* Et quidem terreni reges, si quæ statuunt, præcipiuntque, pro scopo plerumque habent, commodum & vtilitatem Regum: Christus verò si quæ præcipiat, pro fine habet non proprium, sed sibi subditorum bonum: *Vt sitis filij patris vestri cælestis.* Mandat sanè plurima Deus, sed non in rem suam, sed in rem nostram. *Neque* (inquit D. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 5) *fonti se quisquam dixerit profuisse si biberit, aut luci si viderit.* Vt ergo in rem nostram diligamus inimicos, ait; *Vt sitis filij*, &c.

Ponderanda illa verba, *vt sitis filij.*

7. Ponderate quæso hæc verba, *vt sitis filij*: non dicit vt sitis serui, *patris*, non alicuius duri Principis, vel parum beneuoli Regis, *vestri*; non alicuius alieni, sed qui totus est vester, *qui in cælis est.* Atque ideò cum nullo patre terreno comparandus. O maxima & pretiosa promissa! Si Rex Hispaniarum tibi diceret; deposito quod habes erga talem & talem, odium, obliuiscere offensæ in te commissæ, illique benefacito, & te in filium adoptabo, & regni mei hæredem denuntiabo. Quis mortalium tam esset fatuus, vt Regis dicto & præcepto non mox pareat, & morem gerat? Et homo Christianus, proposito tanto à Christo præmio, non Christo obtemperabit, inimicum diligendo, illique benefaciendo? An maius potest excogitari præmium, quàm vt sis filius Dei? An non hoc maius quàm esse Prophetam, quàm esse Apostolum, quàm esse Angelum? An non Balaam Propheta, Iudas Apostolus, Lucifer Angelus? Verùm non ideò beati & fœlices; esse verò filium Dei, hæc omnia longè transcendit, & quasi reddit hominem similem & æqualem Deo, nam pater & filius correlatiua sunt. Tanta est magnitudo filij, quanta patris, filium esse alicuius viri primarij & nobilis, magna dignitas; filium esse Marchionis, vel Ducis, maior dignitas; filium esse Regis, maxima; filium esse Dei, certè infinita quædam dignitas est; nam facit hominem participem diuinæ naturæ. Perpende, precor, quòd suprema dignitas Verbi diuini sit esse filium Dei naturalem: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu*, &c. Nam hoc facit Verbum patri esse æquale in naturâ, potentiâ, sapientiâ, bonitate. Item maior Christi dignitas hæc est, quod per vnionem hypostaticam, filiatio diuini Verbi conueniat Christo homini: *Quod nascetur ex te, sanctum vocabitur filius Dei.* Atque ita in Baptismo & transfiguratione, in signum maximæ dignitatis, vocatur à patre, filius meus, & à Petro: *Tu es Christus filius Dei viui.* Sicut ergo in Christo suprema dignitas est, esse filium Dei naturalem, sic in homine, esse filium Dei adoptiuum per gratiam, quia hæc dignitas hominem cælestem facit, & eleuat ad esse quoddam supernaturale. Magnum quidem erat beneficium, hominem creari ad imaginem Dei, propter dona naturalia; sed maius ad eius similitudinem propter gratiam, quæ nihil aliud est, quàm participatio quædam diuinæ essentiæ. Ecce quanta dignitas, esse filium Dei. Vide etiam Velasquez in epist. ad Philipp. tom. 2. c. 11. v. 15. annot. mor. 4. & 5.

Quantæ dignitatis sit esse filium Dei.

Suprema dignitas est esse filium Dei.

8. Secundò, cognoscitur hæc dignitas, & excellentia ex eo, quod fructus fuerit, & finis aduentus Christi, eiusque incarnationis, &c. Nam si filius Dei naturalis, non fuisset factus filius hominis, filius hominis non potuisset fieri filius Dei. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, per incarnationem suam. Et D. Paulus idipsum confirmat dicens: *Misit Deus filium suum*, &c. *vt adoptionem filiorum reciperemus.* Nam licet Angelus etiam dicatur filius Dei, tamen hoc propriè magis conuenit homini; nam hanc ei adoptionem meruit Christus. Animaduertite autem non esse paris rationis, esse filium adoptiuum Dei, & Regis terreni; nam licet Rex aliquem adoptet in filium, non tamen nobilitatem, genusque suum, ac prosapiam illi communicat, sed ius solum filij Regis: sed quando Deus quemquam in filium adoptat, dat gratiam, quâ mediante eleuatur ad esse quoddam supernaturale & diuinum. Hoc vult Ioannes epist. 1. cap. 3. dicens: *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus.* Non nomen solùm habemus, sed & rem ipsam, &c. Tanta autem hæc est dignitas, quòd solus Christus hanc nobis mereri potuerit, atque ita post suam resurrectionem Apostolos fratres vocat: *Vade ad fratres meos; vado ad patrem meum, & patrem vestrum.* Quare fratres vocat, nisi quia per eius merita omnes filij sumus æterni patris?

Dignitas filiorum Dei fructus & finis aduentus Christi.

9. Tertiò, hæc dignitas est excellentissima, nam fundamentum est omnium aliarum. Nam si filius & hæres per Deum: Si filius Dei, ergo frater Christi, qui primogenitus in multis fratribus, & non confunditur eos vocare fratres. Si filius Dei, ergo dilectus à Deo, ergo Deus est Pater eius: *Dedit nobis spiritum filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater.* Si filius Dei, ergo Deus curam eius gerit, vt nihil deesse illi possit. *Nolite solliciti esse quid manducetis* &c. *Scit enim Pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis.* Cùm ergo tanta sit huius dignitatis altitudo, quis illam non desiderabit, quis non conabitur obtinere?

Filiorum Dei dignitas fundamentum omnium aliarum.

10. Hubertus Hyperbolita in historijs Imperat. affirmat se in nummo quodam, vidisse expressum symbolum pietatis. Vna enim ex parte sedebat excusa Dea aliqua, cum inscriptione, *Pietas*, altera ex parte spe-

Ex dilectione inimicorum bona omnia.

ctandam exhibebat Ciconiam, rostro gestantem siue tenentem cornu Amaltheæ, ex quo omnis generis bona erumpebant. Quid dilectio inimicorum quid beneficentia inimico exhibita, quàm præcipua pietatis pars, ac primarium fundamentum? certè vbicumque illa reperitur, ibique etiam inuenire est, bonorum omnium copiam, ibi inuenire est, præclaram illam filiorum Dei dignitatem, bonorum omnium summam in se complectentem. Qui ergo beati esse vultis, & cumulari bonis omnibus, *Diligite inimicos, benefacite* &c.

Cur ob dilectionem vocemur filij Dei, non ob ieiunium, eleëmosynam, &c.

11. Sed quænam potest esse, dices, ratio, quòd diligendo inimicum vocor filius Dei, non autem quia ieiuno, eleëmosynam do &c. Cur præmium hoc non alijs etiam respondet operibus? Quia nihil tam similem reddit Deo hominem, quàm inimicis ignoscere. *Vt sitis*, &c. Quod vt ait Nyssen. non intelligitur de filiatione secundum substantiam, sed secundum similitudinem. Iam verò nullum alteri similem dicis ratione manus, pedis, vel alterius partis corporis, sed si vultum similem gerat, mox dices hunc tali vel tali esse similem, nec filium patri dices, quia eundem habet pedem, manum &c. sed si vultum eundem, mox dices filium patri omninò similem. Sic si vnam virtutem, humilitatem nempe vel mansuetudinem habeas, vna quidem ex parte Deo similis es, sed inimicos diligere, ijsque ignoscere, totum te Deo similem reddit. Nam hæc virtus secundum vultum te similem reddit Deo. Nostis faciem, corporis esse partem, præ cæteris spectabilem. Quid precor in Deo magis eminet atque relucet? Misericordia, misericordia, inquam, & quod misereatur: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Hinc vocatur Pater misericordiarum.

NYSSEN.

Sicut pulli aquilæ explorantur sole an sint legitimi, sic Christiani in inimicos dilectione & amore.

12. Plinius lib. 10. cap. 3. de aquila refert, quòd experiatur an pulli non sint adulterini, in nido existens, ex vngue illos suspensos tenet, contra fulgentem & radios suos emittentem solem, vt videat an irretortis oculis solem valeant intueri, quorum verò oculos ad solis splendorem caligare, vel illachrymare conspicit, tamquam adulterinos repellit, & deturbat è nido; qui verò fixis oculis solem intuentur, pro suis agnoscit, nido retinet, fouet, nutrit, & amplectitur. Nihil Deo tam proprium est, quàm misereri; hinc vocatur, Pater misericordiarum: nihil illi tam proprium, quàm obliuisci illatas iniurias, nempe tam proprium & naturale, quàm igni lucere, aquæ rigare & madefacere; terræ deorsum tendere, igni in altum euolare, aquilæ solem intueri. Cantat enim Ecclesia: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Vt ergo cognoscat æternus Pater, an homines non sint degeneres, adulteri, illegitimi, sed naturales, verique filij, naturam & propensionem sequentes progenitoris, experitur, an sint filij misericordiarum, habeantque misericordiam, & iniuriarum obliuionem pro scopo, atque irretortis oculis eam intueantur: in quibus verò, vt in bonis accidit, percipit hanc proprietatem, nimirum quòd esurienti dederint panem, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, quòd offensam, iniuriamque dimiserint, quòd inimicos amauerint, odientibus benefecerint, &c. hos instar aquilæ in filios, & in gloriam recipit. *Venite*, ait, *benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Verùm qui à misericordia oculos, faciemque auertunt, iniurias vindicant, malumque pro malo reddunt, pro adulteris habet, nido pellit, in infernum præcipitat; *Discedite à me maledicti in ignem æternum*; tamquam multum à tali patre misericordiarum degeneres, vt mirum non sit, quòd ad filiorum Dei sublimentur & assumantur dignitatem, qui inimicos diligunt, & odientibus benefaciunt. *Vt sitis filij patris vestri cælestis.*

Dilectio inimicorũ est homini instar pulcherrimæ coronæ.

13. Deinde inimicos diligentibus, & inimicis facientibus bene, debetur illa dignitas filiorum Dei. Nam sicut inter omnia poma solùm malogranatum coronam gerit & corticem, atque omnia grana coronata, idque quia corticem dilacerat, quia sinum omnibus aperit, multasque alias laudatas, quas habet proprietates: Sic hæc dignitas filiorum Dei tamquam pulcherrima quædam corona debetur diligenti & benefacienti inimico, quâ tum ipse, tum omnia eius opera coronentur, idque ob animum quem gerit dilatatum, magnum, gloriosum diuinum, & omni laude dignissimum. *Oblata occasione* (ait Plutarchus lib. de vtilitat. ab inim. capienda) *vicissendi inimicum, eum missum facere æquanimitas est. Qui verò miseratur inimicum afflictum & opem fert indigenti, hunc omnes amant, & laudant istiusmodi humanitatem & benignitatem.* Et Seneca lib. 1. de Clement. *Nihil gloriosius Principe, impunè læso.* Et Augustinus serm. 16. de verb. Domini. *Iniuriam obliuisci, gloriosum est. Magnum quidem* (ait D. Petrus Damianus serm. 1. de exaltat. Crucis) *& vltra hominem est, asperitatem verborum & verberum, non solùm pati, sed & non reddere, illud verò maius est, & diuinum quoddam sapit. Benefacite his qui oderunt vos,* &c. D. quoque Chrysostomus homil. 18. in Matthæum, hæc verba premens: *Vt sitis filij patris vestri*, dicit beneficentiam in inimicos, atque Deum pro aduersario deprecari, cacumen esse virtutis, quod ingentem semper animam studiumque multum requirat, & idcircò illi tale præmium propositum quale alteri nulli virtuti.

Amandus ab omnibus qui diligit inimicum.

Diuinum quiddam sapit inimicum diligere.

CHRYSOS. Cacumen virtutis dilectio inimicorum.

tuti. Sed eundem loquentem audiamus: *Vidisti*, ait, *quantis ad perfectionem gradibus ascenderit, & quemadmodum nos ad ipsum virtutis cacumen eduxerit, à superioribus igitur ad inferiora numerando descende. Primus, ne prior iniuriarum ordiare. Secundus, vbi est iniuria cœpta, ne tu illam eodem pacto propellas: Tertius, ne par pari referas, sed quiescas: Quartus, vt etiam præbeat seipsum ad iniuriam sustinendam. Quintus, vt etiam ad maiora se præbeat quàm vult ille qui fecit. Sextus, non odisse, à quo ista perpetitur. Septimus, etiam diligere lædentem. Octauus, beneficijs quoque eum libenter afficere. Nonus, etiam Deum pro aduersarijs deprecare. Perspexisti celsitudinem philosophiæ, & idcircò tam claro est digna præmio, quia tam magno est subiecta præcepto, quodque ingentem semper animam, & studium omninò multum requirat, nam & præmium illi tale proponit, quale priorum omninò nulli. Neque enim hic terræ meminit sicut in mitibus, nec consolationis, ac miserationis sicut in lugentibus atque miserentibus. Neque regnum cælorum memorat sicut in pauperibus spiritu, persecutionemque patientibus, sed quod his erat longè sublimius, vt scilicet fierent similes Dei, prout tamen hominibus id esset possibile. Vt sitis*, inquit, *similes Patris vestri qui in cælis est*, &c. Et paulò superiùs dicit. *Perspice, obsecro, quemadmodum vltimam posuit coronam bonorum*, &c. *Magnam fortunam, magnus animus decet*, ait Seneca lib. 1. de Clementia cap. 4. Magnus animus est, imò diuinus, qui inimicis benefacit. Magnâ sanè fortunâ, imò maximâ decet eum esse ornatum, nimirum dignitate filiorum Dei, vltimâ & præstantissimâ bonorum coronâ.

Per quos gradus ad hoc cacumen ascendatur.

14. Nullum sanè efficacius & certius augurium, hominem donandum cælesti corona, & dignum esse non solùm in terris, sed etiam in cælis Regia dignitate, & omnia eius opera coronanda, quàm si inimico parcat & benefaciat. Vide vnde Saul coniecturam capiat Dauidem eligendum & statuendum in Regem 1. Regum cap. 24. Nimirum cum potuisset Saulem grauissimum suum inimicum occidere, speluncam intrantem vt purgaret ventrem, in quâ Dauid cum suis latitabat, tamen illi pepercit, solùm abscindens oram chlamydis Saul silenter. *Nunc*, ait Saul, *scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel.* Sic etiam, Christiane, si videro te benefacientem inimicis tunc certissimè sciam te regnaturum cum Christo, & habiturum cæleste regnum. Sed non prætereundum quod legimus in sacro textu loco citato. *Surrexit ergo Dauid & præcidit oram chlamydis Saul silenter. Posthac percussit cor suum Dauid, eò quòd abstulisset oram chlamydis Saul: Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Quid est hoc quod Dauid percussit cor suum postquam machera illa fine gladio, quo potuisset hostem Saulem occidere solùm abscidisset oram chlamydis, quid enim hîc scrupuli, quid mali? Aliquid mali subfuisse videtur, aliquid peccati, cùm non impunè id fecerit Dauid, sed pœnas dederit in hac vitâ, 3. Regum c. 1. legimus de Dauide, quòd *in senectute cùm operiretur vestibus, non calefiebat. Hoc fuit in pœnam*, ait Liranus in hunc locum ex Rabbi Salomone *peccati, quo abscidit oram vestis Saul.* Quid ergo hîc mali, quid Deo displicuit? Displicuit Deo quòd vel ferrum protuleris, vel è vagina traxeris, quamuis non illo fine, vt illum lædas, sed solummodò vt vel tangam oram chlamydis, vel minimam rem ad illum spectantem. Vt hinc discas, ô vindicatiue, qualiter Deus iræ suæ laxabit habenas contra te aliquando, qui nunc iracundiæ tuæ, nullo fræno contines impetum, dum facultas & occasio sese offert, vt offensam ab inimico illatam vindices.

Maximum salutis assequendæ signum si homo diligat inimicum.

15. Neque solùm Dauid, sic parcenti Sauli, inimico, instar mali punici coronatus existit, sed etiam omnia illius grana, omnes internæ & externæ facultates, omnia membra, sed præcipuè illius dextera, vt D. Chrysostomus meditatur homil. 3. de Saule & Dauide dicens: *Magnificentior hæc victoria Dauid, quàm cùm Goliath caput amputauit, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hîc gloriosius trophæum. Siquidem illic & fundâ & lapidibus & acie habebat opus: hic verò cuncta prudentiâ rationeque peracta sunt, ac sine armis contingit victoria, & incruentum trophæum erectum est, itaque rediit non Goliath caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, & iram eneruatam. Neque hæc spolia reposuit Hierosolymæ, sed in cælo. Nunc haudquaquam in choris obuiam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus, sed angelicus populus è sublimi applaudebat, admirans eius philosophiam & humanitatem. Ascendit enim hoste, id est, diabolo innumeris vulneribus sauciato. Egressus est ex spelunca, dexteram illam totius orbis pretio parem simul cum capite coronatam gerens. Quemadmodum enim sæpenumero fit, vt Imperatores eorum qui egregiè sese in pugilum certamine, aut in reliquis certandi generibus, gesserunt, ante caput, coronent dexteram, ita & Deus manum illam coronauit, quæ gladium purum potuerit educere & aduersus tantam iracundiæ procellam resistere. Egressus est tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt, ex camino ardente. Nam sicut illos non exussit ignis,* ita

Dauidis dextera qualiter coronata, quia sese temperauit à sumenda vindicta.

ita Dauid non conflagrauit iræ incendio. Hactenus Chrysost.

Leue redditur hoc præceptum considerato Dei ipsius exemplo. CHRYSOL.

16. Quarta consideratio, quæ leue reddit & suaue hoc præceptum, est Dei exemplum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, id est, qui communicat atque effundit è cælo, tam super bonos quàm malos, diuinas atque iucundas suas influentias, & vt testetur quantoperè sit inimicus vindictæ, abundè pluit datque copiam bonorum temporalium, tam iustis quàm iniustis, imò plus his quàm illis, vt sic vel multitudine beneficiorum, vincat obdurata hominum corda, subindicat id Sponsus dum ait Canticorum cap. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* In lilio puram & castam intelligit animam, amicam Sponsi, in spinis intelligit malos & peccatores, nulli rei aptiores, quàm vt pungant & lædant. Cùm ergo similitudinis ratio postularet, vt diceret: Sicut lilium inter spinas, sic iusta anima inter impuros & nociuos peccatores, maluit dicere, sic amica mea inter filias, filiarum nomine intelligens eosdem peccatores, vt subindicet eos adhuc adamari à Christo, est enim hoc nomen amoris & beneuolentiæ expressiuum, & Deum plus de illis esse solicitum ad procurandum illis bona temporalia, quàm de iustis. Quemadmodum & pater maiori cura studet, vt meliùs prouisum sit tenellis filiabus, quàm alijs filijs. *Torquentur parentes in filijs*, ait Iurisconsultus, at bonus parens plus torquetur in filiabus, quàm filijs. Si Deus ita se gerit cum inimicis, nónne ratio postulat, vt pari modo se gerat erga eos Christianus. Nónne decet filium hac in parte sequi patrem? *Intellige* (ait Chrysologus in exposit. orat. Dominic.) *esse tibi genus è cælo cuius pater habetur in cælo. Age ergo vt viuendo sanctè sancto respondeas patri. Dei filium esse se probat, qui vitijs non obscuratur humanis, qui animi virtutibus elucescit.* Quis ergo hoc Dei exemplo non animabitur, vt inimico benefaciat?

Exemplo Christi in cruce morientis pro inimicis dulcescit hoc præceptum.

17. Et si adhuc subsit aliqua difficultas, in exequendo hoc præcepto, si aliquid restet austeri & duri, in benefaciendo inimicis. Aspice in Cruce solem illum orientem, super bonos & malos, sanguinem pluentem super iustos & iniustos. Cerne patrem nostrum Christum pro inimicis, à quibus vita priuabatur, in Cruce orantem, ipsúmque sanguinem pro illis & vitam profundentem. Imitemur patrem si filij sumus, nostris quoque inimicis beneficia, precésque pro nostra tenuitate conferamus. Augustinus ser. 61. de tempore: *Quod*, ait, *exemplum Domini*

AVGVST.

secuturi sumus, numquid vt mortuos suscitemus? numquid vt supra mare pedibus ambulemus? Nón vtique, sed vt simus mites, & humiles corde, & non solùm amicos, sed etiam inimicos, toto animo diligamus, &c. Item, *Christus in Cruce fixus erat, & tamen per viam charitatis currebat, dicens: Pater ignosce illis quia* &c. *& nos etiam cùm patimur ab inimicis hoc clamare debemus, quia nesciunt quid faciunt, phrenetici sunt, vt liberentur orare debemus.*

Exemplo Christi qualiter meritò excitur Christianus ad amandum inimicum. CHRYSOST.

18. Pulcherrimam hanc doctrinam ponderosè inculcantem accipe D. Chrysostomum homil. 18. in Matthæum. *Vidisti*, ait, *Deum hominem fieri, & eousque pro tua descendentem salute, tantaque propter te esse perpessum, & adhuc inquiris & dubitas, quemadmodum possibile sit iniurias donare conseruis? Non audistis eum in patibulo dicentem: Pater dimitte eis, non enim sciunt, quid faciunt. Non audisti Paulum dicentem, Christus Iesus, qui mortuus est, qui & resurrexit, qui & sedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Non vides, quia & post Crucem & post resurrectionem Iudæis interfectoribus suos Apostolos miserit, bona illis innumera portantes, sed ab eis mala innumera passuros? At tu plurimum omninò læsus es? Verùm quid tandem tale perpessus es, quale tuus Dominus? vinctus loris, verberatus flagellis, conspputus à seruis, ad mortem vsque deductus, & mortem omnium turpissimam, & hoc postquam beneficia eis mille contulerat. Sin autem omninò nimis læsus es; idcircò nihilominus beneficium refer nocenti, vt & tibi facias maiorem coronam, & fratrem periculo grauissimi languoris absoluas. Nam & medici, quando iniurijs & calcibus ceduntur furentum, tunc illorum magis magisque miserentur, tum maximè ad reddendam sanitatem parantur, scientes quod excellentiam morbi significat ea iniuria. Et tu igitur de inimicis eandem teneto sententiam, sicque vtere tibi iniuriari cupientibus, illi namque sunt maximè ægroti, omnemque violentiam sustinentes. Libera te igitur à pessima læsione, & tumescentem in te iram remitte, libera te à sæuissimo dæmone, propriæ scilicet mentis furore. Nam & cùm aliquos à dæmone actos videmus, sæpè lachrymamur: non autem agimus, vt ipsi quoque eadem illa patiamur. Hoc igitur etiam, in eorum quos diximus ratione seruemus: Illorum enim sunt similes iracundi, imò illis longè miseriores, qui vtique scienter insaniunt: Propter quod & inueniabilis est eorum ista dementia. Noli igitur insultare iacenti, quinimò miserere. Etenim si videamus aliquem horribiliter vexatum, & vertiginis suæ tenebris obtectum, quique etiam malignum illum humorem vrgeatur euomere, porrigimus manum, & supportamus huc illucque iactatum. Etsi vestimenta ille nostra polluat, non auersamur, neque abijcimus ægrotum, sed illud tantummodò*

modò vnum requirimus, quemadmodum à tam grandi hac eum angustia liberemus. Hoc igitur etiam erga istos faciamus vt & supportemus vomentes, & consoueamus ægros: nec eos vspiam relinquamus, priusquam totam prorsus amaritudinem ponant: & tunc tibi gratiam, qui talis fuerit exoluet. Quando enim eiusmodi æger à passione requieuerit tunc liquidò cognoscet à quanta illum conturbatione sanaueris. Et quid dico, ab illo tibi gratiam referendam? Deus te illicò coronabit, & innumeris remunerabit bonis, quia fratrem tam grauissima ægritudine liberasti: sed etiam ille te honorabit vt Dominum, modestiam tuam per cuncta miratus. Nonne vides parientes fœminas, quemadmodum assistentes sibi sæpè commordeant, & tamen illæ minimè dolent, imò dolent quidem, sed ipsum dolorem fortiter ferunt; ac dolentibus & partus vexatione conscissis maximè condolent. Harum igitur etiam memineris, & noli esse fœminis mollior. Cùm enim mulieres ista quippe pertulerint, si peperetint, huiusmodi mulieribus de impatientia fluxibilior non es: tunc te virum esse cognoscent. Hactenus Chrysostomus.

Quòd malum punicum symbolum sit Concordiæ & Vnionis.

§. IX.

Quare malum punicum symbolum concordiæ & vnionis.

1. MAlum punicum, cùm sit hieroglyphicum charitatis, consequenter etiam symbolum est vnionis, pacis & concordiæ. In mira illa, & vt S. Hieronymus ait, *quasi geometrica compositione granorum, in diuersis mansiunculis, vno cortice comprehensorum*. Hinc & Pontifex Mosaicus in tunica ima, gestabat tintinnabula, mista malogranatis, quæ vnitatem Ecclesiæ significabant, teste Eucherio & Gregorio in Canticor. cap. 4. Quòd scilicet multæ gentes conspirarunt in eundem sonum, hoc est, in eandem fidei confessionem, Deique laudem, quasi tintinnabula, & in eandem animorum vnionem, ac charitatem. Quocirca etiam Iunoni, quæ regnorum præses habebatur, malum punicum dedicarunt veteres, quòd in eius manu Mycænis spectabatur, cùm altera sceptrum gestaret. Sicut enim in malogranato, sub vno exteriùs cortice, multa interiùs grana vniuntur, sic plurimos ciues vnitas politiæ continet, quos intus diuersitas familiarum distinguit: ita vt & plurimi homines, vel fratres, charitate ardentes, & vnanimiter cohabitantes, non aliam exhibere imaginem videantur, quàm tot granorum punicorum rubentium, miro ordine connexorum, & in vnum coniunctorum.

Quantoperè vnitas animorum placet Deo.

Quantoperè hæc vnitas animorum Deo placeat, quis explicet? Tantoperè namque illi placet, vt si quis eam quærat & seruet, coneturque se inimicis beneuolum exhibere, hac de causa dicatur, Vir secundum cor Dei. Quo titulo & ipse Dauid ob eandem inter cæteras rationem insignitus est, vt legimus 1. Regum cap. 13. *Quæsiuit*, ait Samuel, *Dominus sibi virum iuxta cor suum*, in hunc sensum enim verba illa Samuelis, *Iuxta cor Dei*, interpretatur D. Hilarius in Psalm. 53. sub initium. HILAR. *Sanctus, ait, Dauid, non ignarus, sed vt Propheta Euangelicæ doctrinæ & in tempore licet legis, hanc corporalem agens vitam, tamen quantum in se est Apostolici mandati præcepta consummat, testimonio de se Dei fidem præstans, cùm dictum est, inueni Dauid secundum cor meum: Non enim inimicos bello persequitur, neque insidiantibus sibi decertando armis resistit, sed exemplo Domini, cuius & nomen & lenitatem præfigurabat præditus erat, periclitans psallit, patiens odia gratulatur, & ideò secundum Domini cor repertus est. Quia cùm Domino duodecim millia legionum Angelorum possent in tempore passionis assistere, tamen ad omne officium humilitatis explendum, passioni se & infirmitati subesse permisit, orans tantùm & dicens: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Quo exemplo hic idem, per similitudinem passionum, futura eius passioni propheta non contradicit, non resistit inimicis malum pro malo, ex præcepto Euangelico non reddens, sed Dominicæ mansuetudinis æmulator, cùm tribulatur, cùm proditur, cùm fugatur, Dominum, cuius tantum aduersus impios armis vtitur, deprecatur. Deus in nomine tuo saluum me fac.* Eundem sensum D. Dionysius Areopagita epist. 8. ad Demophilum expressit: DIONYS. *Quid*, inquit, *Dauidem illum Dei parentem fecit diuina amicitia dignum? nempe cùm esset bonus, atque in hostes benignus. Inueni, inquit, illes summè bonus, ac benignitatis amator hominem secundum cor meum.* Consentit D. Bernardus sermone 34. in Cantico, BERN. vbi laudans illam Dauidis indignationem in filios Saruiæ se ad vltionem prouocantes 2. Regum cap. 16. *O verè hominem*, inquit, *secundum cor Dei, qui se vlciscenti potiùs quàm exprobranti, succendendum putauit.* Et statim: *Prorsus secundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam, sæuiebat lingua maledica,*

ca, & ille intendebat quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, & animus inclinabat se ad benedictionem.

Cur Deus non velit lapides altaris sui secari ferrâ. CHRYSOS.

2. Exod. cap. 4. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis de sectis lapidibus, si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur.* Et Deuteron. cap. 27. *Ædificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit.* Tale altare legimus Iosue cap. 8. ab ipso ædificatum, dum afferret sacrificium antequam insidias strueret ciuitati Hai. Quid hoc sibi vult quod Deus non vult lapides altaris sui secari, nec ferro tangi? Rationem assignat D. Isidorus scribens in cap. Exodi 32. dicens: *Secti lapides hi sunt qui vnitatem scindunt ac diuidunt semetipsos à societate fraterna, per odium, vel schisma.* Hos namque non recipit Christus, in numerum electorum, qui illius constituunt corpus, figuranturque in illo altari quod Deus sibi volebat constitui. Alteram suppeditat rationem Origenes homil. 9. in Iosue dicens lapidem illum, quem ferrum non tetigit esse illum, *qui ferrum pugnæ, ferrum belli, ferrum litium numquam recepit, sed semper pacificus fuit, quietus & mitis, & Christi humilitati conformatus*, &c. Talis lapis idoneus est qui dedicetur altari Dei constituendo, non verò ille quem tetigit ferrum. Ecce qualiter hac delectatur Deus vnitate & concordiâ.

ISIDOR.

ORIGEN.

Omnes victimæ vt Deo gratæ debent sale, id est, amicorû concordiâ saliri.

3. Huc etiam referri potest præceptum illud Dei Leuit. cap. 2. *Omnis victima sale salietur. Quidquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo.* Quid hæc sibi volebant? Volebat Deus hac lege docere, quod vt sacrificia sibi accepta forent, debebant sibi offerri ab hominibus, pace & fraterno amore, vnitateque inter se coniunctis, carentibus autem omni odio & maleuolentia. Sal enim secundum scripturam symbolum est pacis & amoris. *Memores salis, quod in palatio comedimus*, dixerunt quidam qui scribebant Regi Artaxerxi, vt legimus 1. Esdr. cap 4. hoc loquendi modo indicantes amorem, fidelitatem ac beneuolentiam, quibus erga eum afficiebantur. Christus quoque facta mentione antiqui illius mandati, ait Marci cap. 9. *Habete in vobis sal, pacem habete inter vos.* Apostolis quoque dixit: *Vos estis sal terræ*, vt indicaret eos fore denuntiatores ac prædicatores pacis Christianæ, amoris, & charitatis, quibus Christi oues ab alijs discernuntur. *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Ioan. c. 13. Nulla acceptat Christus obsequia, quæ ipsi absque hoc sale offeruntur. Vnde ait Matth. c. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

Sal pacis & amoris symbolum.

Nihil tristius matri nostræ Ecclesiæ quàm si videat filios suos discordes.

4. Similiter nihil tantoperè in votis est sponsæ Christi, Catholicæ Ecclesiæ, quàm vt filij sui hanc vnitatem colant. Hinc toties illis proponit Christi doctrinam, vel potiùs testamentum ipsius, in quibus nihil tantoperè relucet, quàm commendatio huius vnitatis & amoris. Quemadmodum parentes summo afficiuntur erga filios amore; ita etiam mirificè torquentur, ob filiorum inter se rixas, dissensiones, & discordias, quæ si eousque ascendant, vt alter alteri malum machinetur, vel ipsius vitæ insidietur, præ dolore & tristitia, quasi enecantur. *Fratrum inimicitiæ*, dicebat Euripides Philosophus, *parentibus grauissimæ.* Plutarchus *de pietate erga fratres*, scribit Xerxem ferè tristitia extinctum quando resciuit quòd Ocho filius suus, aduersus alios filios fratres suos moliebatur. Testatur quoque Scriptura 2. Reg. cap. 13. ingentem Dauidis dolorem ob facinus Absolonis interficientis Ammon fratrem suum in vindictam stupri, ab eo illati Thamar, sorori suæ. Memoria dignum etiam est, quod scribit Herodotus lib. 4. de Iulia Imperatrice quæ cùm non posset inter se concordes reddere, Getam, & Antonium, inter se altercantes de imperio, eiusque, inter se, diuisione, eosdem ad se secretò vocatos, multis lachrymis & suspirijs ex materno eoque amoroso & tenero corde, profluentibus, sic est allocuta: *Terram quidem & mare, ô filij, iam inuenistis, quonam modo diuidatis, matrem verò quonam modo diuidetis? Quomodo infælix ego distribuar inter vtrumque vestrum? Me primam igitur occidite, dimidiamque vterque apud se partem sepeliat.* Symbolum sanè eximium eius, quod toties præ se fert & intendit mater nostra Ecclesia, quæ sciens quod eius filij inter se gerant animos diuisos, rancore, odijs, rixis, dissensionibus, mutuam quoque sitientes sanguinem, eosdem ad se vocatos, sicut altera Iulia Imperatrix similibus alloquitur verbis, eos adhortans, vt pro materno eius in illos amore, ac spirituali regeneratione, quâ illos Christo peperit, se inuicem ament, omni mala deposita veritate. Quod vt illis efficaciùs persuadeat proponit illis per totius anni decursum in Euangelijs Dominicalibus & Festiuis, nec non in ferijs quadragesimalibus præceptum, vel potiùs testamentum siue vltimam voluntatem sponsi sui, nihil aliud commendantem, quàm mutuam charitatem, atque concordiam. Et quænam hæc vltima sponsi eius voluntas, an non illa quam his verbis expressam & clarè exaratam habemus Ioan. cap. 13. *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis*

EVRIPIDES.

PLVTARCHVS.

HERODOTVS.

habueritis ad inuicem. Et iterum : *hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Et iterum : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et iterum Matth. cap. 5. *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite &c. vt sitis filij patris vestri cælestis, &c.* Quasi dicat : Cùm sitis Christi pacis Principis, filij & hæredes, deponite odia, dissensiones & rixas, ne videamini ex patre diabolo nati. Ostendite quo patre, quâ matre estis secundum spiritum oriundi. Ecce qualiter mater nostra hac filiorum delectatur vnitate & concordia.

Nec mirum, ab hac enim vnitate, omnis pendet militum Christi fortitudo, atque de hostibus suis triumphus, vt bene annotauit D. Gregorius scribens in cap. 6. Cantic. ac sic inquiens. *Nam milites cùm in procinctu contra hostes vadunt, si strictim & concorditer gradiuntur, ab hostibus contrauenientibus timentur, illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quod sub signo suo concorditer ordinati, seipsis, semetipsos tuentur. Dum enim de seipsis sibi vallum efficiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, si charitate constricta pacem tenet, terribilis hostibus apparet, si per discordiam scinditur vndique ab hostibus leuiter penetratur &c. Multitudo deordinata* (militum) *potiùs est victima, quàm pugna, dicebat quispiam.*

Motiua ad sectandam vnitatem spectantia.

5. Vis motiua ad hanc sectandam vnitatem spectantia? Propterea (ait D Chrysostomus homil. 14. in cap. 2. Ioan.) hunc mundum tamquam domum vnam nobis Deus largitus est, omnia æqua portione distribuit. Vnum solem omnibus lucere fecit. Vno nos tecto, cælo videlicet, operuit. Vnam cunctis mensam, hoc est terram communicauit, &c. Sed hæc exigua fortassis & frigida ad vnitatem fouendam, motiua, quare idem sanctus Doctor alia, eodem subiũgit loco magis efficacia, nimirum communem fidem, quodquè in vnum corpus baptizati sumus. Sed accipe illius verba. *Quod si fidem tantum tecum communicat, iam tuum factus est membrum. Quæ enim amicitia, quæ familiaritas tantam contrahere vnionem posset, quantam fidei cognatio? Non enim quantam amicus amico debet propinquitatem tantam nos habere inuicem oportet, sed quanta est membri ad membrum. Hac amicitia & cura maiorem nemo vnquam inuenire posset. Quemadmodum ergo is sanè ridiculus foret, qui vnde secum familiaritas sit, vnde propinquitas percontaretur: ita qui vnde sibi cum fratre & proximo. Omnes enim in vnum corpus baptizati sumus inquit. Quid significat in vnum corpus? Ne diuidamur, sed mutuam consuetudinem, amicitiamq́, tamquam vnum corpus seruemus. Nolimus inuicem, alter alterum contemnere, ne nosipsos contemnamus. Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet. Vnum generationis modum omnibus largitus est spiritualem. Vna omnibus & communis in cælo patria. Idem poculum omnibus propinatur, &c.* Sic ille.

Quòd mũdus nobis domus sit vna &c.

Quòd vnũ baptisma. CHRYSOS.

Quòd vnũ sumus corpus.

6. Certè ideo Christus nos voluit esse vnum corpus, vt studiosi essemus seruandæ vnitatis ad imitationem membrorum vnius corporis. Quam autem vnitatem & pacem vnius corporis membra seruent, pulchrâ metaphorâ explicat D. Paulus 1. Corinth. cap. 8. vt pacem componat inter Corinthios, qui tantas discordias inter se fouebant, vt contendentes altercantesque se mutuò roderent, deuorarent & paulatim consumerent. Fingite, inquit, vniuersam ciuitatem vestram, vnum vnius hominis esse corpus, in vno corpore & caput est & membra, sunt oculi, aures, manus, pedes, venter. Quælibet suo funguntur officio, vnum alteri non insurgit, pes non dicit capiti : Nolo vt tu mihi caput sis, ipse eam dignitatem mihi arrogo, vt corpus hoc administrem. Caput non ait pedi, volo vt auferatur pes iste, vile namque & me indignum membrum est. Auris non dicit corpori oculus tuus ego sum, vt mea dignitas maior sit atque illustrior. Nec oculus contrà, auris ista superflua est, solus ego ad illuminationem capitis sufficio. Manus & pedes non insultant ventri, dicentes, nos defatigamur, omnis labor & defatigatio nobis solis incumbit, nos aliud nihil facimus, quàm vt currendo & laborando delassamur, venter iste quietus est, & labores, sudoresque omnes nostros deuorat &c. sed pacificè viuunt & operantur omnia membra in hoc corpore, vnumque iuuat aliud, vnum seruit alteri. Oculus videt pedi, pes ambulat oculo, manus seruit capiti, caput manum regit, os comedit ventri, venter recipit cibum & coquit omnibus membris, & membra illa quæ putantur vilissima, quæque pudenda nuncupantur, magis fortè necessaria sunt quàm cætera, ideò natura ipsa voluit ea cohonestare, cooperiens illa, & à conspectu hominum occultans. Intellexistis hæc viri & fœminæ? Agedum, & eadem inter vos cogitate. Vultis viuere in vnitate, concordia, & pace? vnusquisque agat, quæ suarum partium sunt. Qui scit, consulat & doceat, qui non scit, discat, qui potest laborare laboret. Cui imperandum est, imperet. Nemo aspernatur alium, nemo insurgat alteri, omnes sint sua sorte contenti. Et sicut in corpore non est alia inter membra concertatio quàm vt vnum alio accurratiùs & diligetiùs vicino membro auxilietur, quod si vel minimum pedis digitum, etiam aciculæ cuspide pungas horret

Quanta vnitas & cõcordia inter membra.

horret totum corpus. Non dicunt brachia, ego læsus non sum, solus pes vulneratus est, ipse se adiuuet & tueatur, sed omnia membra condolent pedi, adiuuant & consolantur pedem, sic etiam inter Christianos quisque debet se gerere erga proximum suum, &c. Vide Laurent. Iustin. lib. de discip. & perfect. c. 4.

Duo illa pronomina *meum* & *tuum* vniuersum mundum perturbant.

7. Si ad hunc modum viueretur in Ecclesiâ Christianâ, ô quàm fœlix & quàm beata foret hæc vita! at illa duo pronomina, *meum*, & *tuum*, vniuersum mundum perturbarunt. Illam namque sympathiam, illam compassionem & priscam illam charitatem & vnitatem, quæ solent inter Christianos vigere, subuerterunt & extinxerunt, viget è contra, floretque amor proprius quo quisque quærit seipsum, & ea procurat, quæ sua sunt. Nemo est qui mouetur, qui compatitur, qui condolet, haud aliter quàm si ex eadem carne & sanguine non esset compositus, nec vnius corporis membrum, heu! si inhumanitas ista his limitibus concluderetur, sed quot homines inueniuntur odio pleni, quibus voluptas est, videre fratrem in calamitate, eius dignitatem minui, ac funditus euerti, tunc gaudent, cùm ille dolet, dolent cùm ille gaudet. O quàm hodie Christiani animis sunt inter se diuisi! Quot reperiuntur homines, qui quasi veri filij diaboli arbitrantur fœlicitatem alterius, suam esse miseriam, nulla frequentior illis in mente versatur cogitatio, quàm quibus modis hunc vel illum damno afficiant, in bonis, in fama, in vita, quo iuris prætextu litem proximo moueant, quo astu persequantur & vexent desolatam viduam, quo figmento destinatam viro nobili laudem præripiant, quâ imposturâ pupillum opprimant, aliorum opes sibi vsurpent discordias inter cognatos & amicos, inter virum & fœminam disseminent. Hinc est quòd toto orbe Christiano vnitas non reperiatur, eam namque profligarunt amor proprius, lingua maledica, auaritia & ambitio.

Quanta primorum concordia Christianorum. CHRYSOS.

8. De primis illis Christianis dicitur Actor. 4. *Erat illis cor vnum & anima vna.* O pulchrum & Deo dignum spectaculum. *Tria millia erant* (ait Chrysostomus homil. 40. in Act. Apostol.) *& quinque millia, & omnes habebant animam vnam.* Et paulò pòst, admirans ait: *Et est videre mirabilem rem, in multis vnum, & in vno multos.* Posteà verò idem auctor, charitatem comparans citharæ bene sonanti, huius sono suauissimo & efficacissimo, dicit in hominibus omnes prauas & deordinatas obdormire affectiones, nempe gaudium & lætitiam de alieno damno & malo, tristitiam de alieno lucro, iudicia temeraria, ambitionem, auaritiam, inuidiam, similesque feras, vnitatem omnem inter homines dissoluentes. Transcribo illius verba: *Et vt in cythara varias quidem voces habes, vnam autem harmoniam, & vnus musicus est, qui cytharam in manum sumit. Sic hoc in loco, cythara quidem est charitas ipsa, voces loquentes verba quæ ad charitatem conciliandam pertinent, omnes in vnam suauem conspirant consonantiam. Musicus verò est charitatis vis, illa dulcem melodiam pulsando affert. Vellem te ducere in ciuitatem talem, si quidem possibile, vbi anima vna esset, & videres quomodo quauis cytharâ & tibiâ consonantiùs ac suauiùs omnia sonent, nihilque absurdi sit. Hæc melodia & Deum & Angelos lætificat: hoc totum in cœlo spectaculum excitat, hoc & dæmonum furorem compescit, & affectionum demulcet impetus: hæc melodia non solùm affectiones compescit, sed nec exurgere sinit, magnumque silentium facit: quemadmodum etiam in spectaculo musicorum chorus: omnes enim tum cum silentio audiunt, & nemo interturbat. Ita & inter amicos, dum charitas cytharam pulsat, omnes affectiones silent, ac dormiscunt, quasi bestiæ blanditijs demulsæ ac mitigatæ. Igitur sicut in inimicitijs contra eueniunt omnia, sed de illis nunc nihil loquamur, de amicitia dicamus solùm. Si dixeris aliquid temerarium, nullus est qui assumit, sed omnes ignoscunt: si feceris, nullus suspicatur, sed magna est condonatio: omnes cadenti manum alacriter porrigunt, omnes prompti sunt, vt sistant,* &c. Sic D. Chrysostomus.

Cythara charitas cuius sono suaui obdormiunt in hominibus omnes affectiones.

Cytharas habemus varias, quibus affectiones nostras tanquam tot feras possimus demulcere.

9. O vtinam semel hæc charitatis cythara sonet in cordibus nostris, vt obdormiscant omnes affectiones prauæ, quasi bestiæ delicijs demulsæ, & mitigatæ! O quot habemus cytharas ad hasce mitigandas feras! An non cythara, quòd simus filij vnius Dei, atque vnius sanctæ Ecclesiæ, vnâ eâdemque aquâ baptizati, vno eodemque sanguine abluti, ciues eiusdem patriæ, hæredes eiusdem hæreditatis cælestis, nutriti vno pane & vino corporis & sanguinis Christi, instructi eâdem doctrinâ verbi Dei, sustentati eadem spe futuræ vitæ, colligati inter nos iisdem Sacramentorum vinculis, domestici eiusdem fidei, adscripti in eandem societatem Christi, adoptati ab eodem patre cælesti, regenerati ab eodem Spiritu sancto, subarrhati vno eodemque pignore vel arrhâ diuinæ gratiæ; ornati & locupletati iisdem virtutibus & donis infusis; redempti de vna eademque seruitute diaboli, vno eodemque pretio, morte scilicet Iesu Christi communis omnium hominum Saluatoris. O si cytharis hisce præberemus aures, si hæc aliquando in mentem venirent, dum zizania discordiæ & diuisionum inter nos conatur disseminare diabolus. O vtinam omnes Christiani, siue diuites, siue pauperes, siue principes, siue subditi, siue Clerici, siue laici, siue iusti, siue peccatores dum proximos & fratres aspiciunt, eos in Christo aspiciant. Quid inde sequetur? Si scopus noster fuerit Christus, non poterimus non habere vnitatem cum his omnibus: erubescant igitur & reuereantur opprimere Christum, seniores in paruulis; paruuli metuant inhonestare Christum

Christum in senioribus; diuites caueant, ne langueat aut deficiat Christus in pauperibus: pauperes nō audeant insultare Christo in diuitibus: Principes non iniustè iudicet Christum in subditis: subditi non immorigeri sint Christo in principibus: Clerici attendant, ne Christum offendant in laicis; laici non sint tam temerarij, vt obloquantur Christo in clericis: Mariti sint benegni & amabiles, non austeri vel morosi Christo in vxoribus: vxores semper sint humiles & fideles Christo in maritis: iusti desinant contemnere Christum, qui eos iustificauit in peccatoribus: peccatores non extollantur, aut insolescant aduersus Christum in iustis. Aspicite, aspicite Christum, Christiani, oculos in eum figite, hic enim certissimus modus, hæc via verissima est, quâ ad veram vnitatem peruenitur, eaque perpetuò colitur atque conseruatur.

Alia ad sectandam concordiā incitaméta.

Vis alia ad sectandam concordiam incitamenta? In teipsum oculos coniice, considera, hominem à Deo creatum esse nudum, & cùm ipse Deus omne animantium genus suis quasi instruxit armis, hominem solum inermem reliquit, vt ipse studeret paci & concordiæ. Siquidem elephanto suam largitur proboscida, dentesque immanes, quibus suæ gentis hostes aut arceat, aut socios propellat. Aquilam vnguibus armauit aduncis, rostroque hamoso, vt suam salutem à draconis iniuria sibi asserat. Leonem ceu quendam animalium omniū regem, omnibus terribilem, toruo finxit vultu, oculis igne micantibus, pedibus, vngue adunco, & harpagone horridis, rostro serratis dentibus formidabili, rugitu etiam horribili, qui sua occulta vi tantum cæteris incutit trepidi metus, vt timore exanimati, vel sæui lupi sese leuare, nec dum loco mouere non sustineant, quem illa sua veluti circino aut sceptro potiùs regio, cauda circumscripserit. Turturi suum exacuit rostellum, quo suam sibi innocentiam ab ignaria hoste vindicet. Bouem cornibus armauit, &c. hominem solum inermem, tamquam concordiæ custodem, reliquit.

Homo creatus planè inermis.

Omnia animalia specula pacis & concordiæ. SALOM.

Deinde coniice oculos in ipsa animalia irrationabilia, & vide quàm eximia sint pacis & concordiæ specula. *Primum*, ait Salomon Abbas serm. 11. *pacis & concordiæ viuum exemplum formica reliquit, quæ suam comparem fortè plus iusto oneratam, naturali quadam charitate alleuiat, ne supra vires grandi pressum onere modicum corpus deficiat. Sic grues in aëre disposito ordine literato præcedentem, & quasi venti portantem impetum, sociali quadam benignitate reficiunt, dum illam iam lassatam ponentes in locum posteriorem, & à violentia ventorum, quasi sub alis suis protegunt. Sicut ceruorum multitudo dum loca mutare appetit, quilibet dorso alterius caput suum superponit, vt antecedens omnes sustineat, postremus ab omnibus videatur sustentari, & in hunc modum sibi inuicem succedentes alterius portantes onera suo modo implent legem Christi. Conformemur in hoc articulo bestijs terræ, vt quod cor nostrum impœnitens ex beneficio sui creatoris non vult accipere, saltem in suam confusionem, in re inferiori possit inuenire.* Sic ille:

Sacratissima Trinitas etiam concordiæ speculum.

Coniice etiam in ipsum Deum, & sanctissimam Trinitatem oculos: Quid Trinitas illa personarum, quàm diuinissimum concordiæ speculum? Quid sublimius, quā vt homines diuersitatem personalem, & vnitatem essentiæ diuinę in seipsis concordiæ beneficio imitentur, & exprimant? Ioan. 17. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos.* Hoc anxiè optat, & enixè precatur Christus Dominus, vt fideles ingeniis, & studiis diuersi, vnum sint, sicut pater, & filius, & Spiritus sanctus vnum sunt in natura, etsi personarum proprietatibus diuersi. Audi D. Augustinum trac. 107. in Ioan. *Non*, ait, *vt vobiscum sint vnum, aut simus vnum ipsi, & nos; sicut vnum sumus nos; sed ait; vt sint vnum sicut & nos; ipsi vtique in natura sua sint vnum; sicut & nos in nostra vnum sumus.*

Debemus esse æmulatores huius concordiæ. GREGOR. NAZIAN.

Quis hanc non æmuletur sanctissimæ Trinitatis concordiam? Vis illius videre æmulatores? Audi Gregorium Nazianz. orat. 1. de pace: Cùm enim dixisset: *Quoniam facti sumus vnum, vnius Domini, & de Trinitate concordes, vnanimes.* Subiungit: *Quibus præcipuum est, vt pacificè, & absque seditione agant, ac vt vnum sint à sancta accipiant Trinitate: Quoniam & illa Deus est vnus, ac esse creditur non minùs propter concordiam, quàm substantiæ identitatē. Atque ideo Deo, & diuinis sunt proximi, qui pacis bonum amplecti videntur.* Vtinam præclaro illi monito Clementis Alex. in adhort. ad Gentes, obaudiamus; *Multi in vnam cogi dilectionem per monadicæ essentiæ vnionem festinemus.* Quasi dicat: seriò curent homines, vt fraterno amore, & indiuidua animorum consensione monadicam Dei essentiam imitentur, quamuis eorum genium, & mores diuersi sint, sicut in diuinis accidit personarum diuersitas. Nam Pater æternus personali proprietate auctoritatem ostentat, diuinum Verbum sapientiam, Spiritus sanctus beneuolentiam, quæ proprietates valde inter se discrepant; & nihilominus tres personæ monadicam habent naturam diuinam. Sic homines natura; & studiis diuersi, monadicam essentiam pace, & vnitate quodammodo constent.

Sicut malum punicum symbolum cōcordiæ, sic papauer symbolum discordiæ.

10. In malogranato, omnia grana sunt succulenta & calido humore plena, & ideo vnita sunt, & sibi inuicem stipata: longè verò aliter res se habet in papauere, quod æmulari videtur malogranati constitutionem. Est enim & ipsum rotundum, cellulis variis distinctum, minutissimis granulis plenum, & quasi coronâ ornatum: verùm quia granula illa citò humore destituuntur

tuuntur & exsiccatur, hinc omnis inter illa cessat vnio, & mira inducitur diuisio. Itaq; dum singula sunt inter se diuisa, & nullo humore connexa, si papauer vel leuiter tangas, moueas, deorsum flectas vel in altum erigas, mox interiùs commota grana, nescio quem incompositum & insuauem edant strepitum: vnde symbolum est familiæ, siue collegij discordis; sicut malogranatum symbolum est familiæ cōcordis, & bene vnitæ. Scis quare exulet à multis domibus, familiis, collegiis, & ciuitatibus concordia? quare homines inter se tumultuentur, quare omnia inter eos plena sunt strepitu & clamore litibus & rixis? Nimirum, quia omnes quærentes quæ sua sunt, omni succo gratiæ, charitatis, atque virtutis sunt destituti, quo si essent imbuti, vnanimes viuerent atque concordes.

Domus siue familia Iacob similis papaueri, familia Iobi similis malogranato.

11. Propone tibi ob oculos duas domos, ambas religiosis patribusfamilias gaudentes, ambas religione insignes, & clariores optimè educatis filiis. Altera est domus Iacob, altera domus Iob, in Iacobi domo amabatur tenerè Ioseph à parente Genes. 37. *Videntes autem fratres eius, quod à patre plus filijs cunctis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.* Ecce tibi pax & concordia fratrum turbata in domo religiosissimi Iacobi, idque leuissimam ob causam, nimirum quia Ioseph à patre plus cunctis filiis amaretur. Et quare amabatur? *Israel autem diligebat Ioseph*, legimus ibidem, *super omnes filios, eò quòd in senectute genuisset eum.* Filij autem in senectute geniti plus naturaliter diliguntur, siue quia (vt inquit Caiet.) *diutius seruaturi sunt esse paternum*, siue vt (inquit Philo lib. de Abraham) *quia diu desiderati sunt, vel quia nullam postea sperant prolem, vel quia maximè gaudent se in ipsa senectute robustos esse, ac valentes ad generandum.* At in domo Iob, quis non sciat arctissimam fratrum concordiam? De illis ait cap. 1. *Ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo, & mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis.* Cur inter Iobi filios tanta vnanimitas seruari potuit, quæ in Iacobi filiis minimè seruata est? De Iobi filiis, nihil non iustum, nihil non sanctum auditur, de Iacobi autem filiis multa narrantur scelera; dicitur Ruben cubile patris ascendisse, Simeon & Leui dolosè interfecisse Sichimitas, Iudas cum prostituta concubuisse. Hinc non mirandum est, non posse vnanimitatem & concordiā esse inter Iacobi filios tot infectos sceleribus, esse autem illam strictissimam inter filios Iob omni scelere expertes, quādo concordia & pax ibi solùm firma est, vbi est virtus perfecta. Accipe Orig. l. 1. in Iob hæc expendentem. *Fuerunt Iobo septem filij, & tres filiæ, numero decem, animo verò vnus erant. Numero plurimi erant, consensu ac concordiâ quasi vnus vnanimitate ac dilectione*

ORIG.

quasi idem. Non separabat autem eos zelus, non dissociabat eos inuidia, sicut pridem fratres Ioseph. Quare? quia non exorta est in eis præuaricatio, sicut in Ruben: neque furor interficiens, sicut in Simeone & Leui: neque odium fraternæ maledictionis, sicut in cæteris filijs Iacob. Sed erant omnes vnanimes in pietate, pacifici in iustitia atque in Dei timore concordes. Fundabatur concordia & vnanimitas in omnimoda virtute filiorum Iob, ideo ibi erat firma & stabilis, quam minimè habere potuerunt Iacobi filij, quorum singuli multis scatebant sceleribus & delictis.

12. Validissimum est, diuinæ gratiæ, & virtutis fundamentum, ad superædificandam concordiam, nunquam violandam. Vnde cum decem illi filij Iob essent diuinā gratiâ, virtutibus, & optimis moribus præditi, potuit eos dæmon occidere simul, sed non ab inuicem diuidere, cùm interim inter duos fratres Esau & Iacob, facile illi fuerit, taliter illos commouere, vt quotidie timeretur Iacobo mors à fratre Esau inferenda. Pulchrè Origenes loco cit. *Esau cùm vnum sufferre non posset germanum fratrem Iacob, interficere eum quæsiuit. Septem verò filij, & tres filiæ Iob, tanquam vna anima indiuisè conuixerunt in vnanimitate, & tanta fuit vnanimitas laudabilium filiorum Iob, vt & malignus atque inuidus dæmon faciliùs omnes pariter indiuisos interficere, quàm diuidere, atque dissociare benignam atque veram eorum vnanimitatem posset.* Et quis diuideret atque dissociaret eos, qui diuinâ erant muniti gratiâ, variis instructi virtutibus, & optimis prædìti moribus?

Diuina gratia fundamentum concordiæ.

ORIG.

13. Vbi verò deest gratia, deest virtus, desunt optimi mores non est speranda concordia, vera namque est sententia D. Ambrosii libr. 3. offic. cap. 16. *Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus.* Qualiter non papaueris sed malogranati imaginem, præ se tulerit monasterium Gilberti, pulchrè ipse demonstrat sermone 35. in Cantic.

AMBROS.

14. Neque mysterio vacat, quòd malogranatum, concordiæ symbolum sit coronā insignitum, hac enim ratione insinuatur.

Malogranatum concordiæ symbolum meritò coronâ insignitur.

15. Primò. Quòd familia & multitudo in se valde concors facile vbique reliquis præpolleat, & omnibus dominetur, quemadmodum etiam si discors fuerit facillimè superetur & dissipetur.

Quod pulcherrimo exemplo demonstrauit Scilurus Scytharum Rex, qui secundum Plutarchum in Regum & Imperat. apopht. octoginta filios suos moriturus vocauit, quos iussit missilium, siue virgarum, fascem adferre, atque illos cæpit hortari, vt integrum fascem dirumperent. Cùm autem eorum quilibet negasset, se posse fascem colligatum rumpere, ipse dissolutum singulis dedit, qui facile quaslibet eius partes confregerunt. Tum pater eos alloquutus:

tus: Videte, inquit, quanta sit concordiæ vis. Vt enim colligatus missilium fasciculus à vobis non potuit confringi, dissolutus autem statim fractus est: ita vobis concordibus à nullis vinci aut superari obtinget; discordibus verò facilè disrumpi. Non multum dissimile scribit Haitonus libr. de Tartaria cap. 17. de Changeio I. Tartarorum Imperatore, qui morti vicinus duodecim filios suos conuocauit, monuitque eos, vt semper essent vnanimes & concordes: eisque præcepit sagittarum fasciculum adferre, alterum tradidit cuilibet eorum frangendum, quem nullus potuit. Deinde dissolutis sagitis omnibus, quemlibet eorum singulam accipere, atque coram se frangere iussit; & vt fractæ sunt, paternâ eos exhortatione alloquutus, dixit: Quamdiu eritis vnanimes & concordes, imperium vestrum durabit; sed quàm citò eritis diuisi ad nihilum reducetur. Illustri stratagemate Sertorius miles, vt refert Plutarch. in Sertorio, suos edocere volens, vnanimes esse insuperabiles, discordes verò superabiles; aduocato militum exercitu, duos in mediū adduci equos iussit, quorum alter macilentus & imbecillis, alter saginatus ac validus erat. Tum militi fortissimo & robustissimo iussit vno impetu equi macilenti caudam euellere, qui diu tandem se nihil operando aut exequendo defatigauit, homuncido verò cuidam iussit singulos equi validi pilos caudæ sensim euellere, quod facilè fecit. Tū exclamās Sertorius. *Videte milites, vires ab ingenio sæpe superari posse; & quæ vno impetu confici non possunt, paulatim quidem conficiuntur: potētia enim nulla est, quæ diuturnitate vel discordia diminui non possit.* Ideo etiam multi concordiam compararūt lapidi Tirrhæo, qui in aquam coniectus integer, quamuis magnus, innatat, diuisus verò & comminutus mergitur. Sic nos integri & concordes sustinemur, diuisi verò & discordes pessum imus. Etenim secundum Ciceronem libr. 1. de amicitia: *Nulla est tam stabilis domus, nulla tam firma ciuitas, quæ dissidijs & odijs funditus non euertatur; concordiâ autem & amicitiâ non conseruetur.* Vnde maximo & florentissimo Romanorum regno tanta accidit ruina, nónne è discordia? *Romanos mutuis bellis periisse* (inquit Tostatus quæst. 17. in cap. 18. Iudith) *ex statua colligitur, cuius pars pedum quædam erat ferrea, & quædam fictilis: testa enim ferro non bene conglutinatur, & sic fuit regnum Romanorum, quod propter mutuas dissensiones deletum est. Concordiæ*, ait Diuus Chrysostomus homil. 51. ad pop. *nihil æquale, nihil consentientium paci, si sint vnanimes duo, vel decem, non vnus iam est, sed decuplus eorum quisq; fit: horum quisque viginti manus habet, & oculos viginti, & totidem pedes. Si verò sint, & centum, idem erit, similiter & potentia producetur. Vidistis charitatis* CHRYSOS.

excellentiam qualiter vnum inexpugnabilem reddit? Matth. 5. legimus: Beati pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur. *Ideo pacifici*, ait D. Thomas opusc. 7. de orat. Dom. *dicuntur filij Dei, quia sunt similes Deo: quia sicut Deo nihil nocere potest: ita nec eis.* D. THOM.

Hinc nihil est, quod ita perhorrescat dæmon, quàm fidelium mutuam pacem & concordiam, sciens quòd quamdiu illam sartam conseruamus, nobis præualere nequaquam valeat. *Non timet nostram castitatem, non abstinentiam &c. Valde autem*, vt ait Chrysostomus, *in nobis charitatem veram, id est, amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, & nimis concordiæ nostræ inuidet, quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens, amisit in cœlo.* Imò nequaquam ferre potest vel rem aliquam vmbram aliquam concordiæ repræsentantem. 1. Reg. 16. legimus, *Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua & refocillabatur Saul, & leuius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* Rationem reddit Incognitus in Psalm. 18. *Spiritus maligni melodiam cantus, maximè spiritualis, odiunt, propter concordiam vocum, vt ipsa audita fuerit*: Vt meritò nos sic moneat Diuus Petrus 1. Pet. 4. *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* Et Diuus Paulus Coloss. 3. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Expende illa verba, *Ante omnia, & super omnia.* CHRYSOST.

16. Secundò, quod omnia opera nostra absque concordia, nullum habent pretium, nullum valorem, hanc autem illis esse loco pulcherrimę coronę. Id quod eleganter ponderat Diuus Bernardus sermone 4. de orat. & Ieiun. inquiens. *Sanctificate*, inquit Ioel cap. 2. *ieiunium, vocate cœtum. Quid est enim cœtum vocare? Vnitatem seruare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus, ieiunium habuit, ieiunium sanctificauit, quia nimirum ieiunauit bis in sabatho, & gratias agit Deo. Sed non vocauit cœtum dicens: Non sum sicut cæteri hominum, ideoq; alâ vnâ nitens ieiunium eius non peruenit in cœlum. Vos ergo charissimi lauate manus vestras in sanguine peccatoris, & soliciti estote, vt alas duas habeat ieiunium vestrum, sanctimoniam scilicet & pacem, sine qua nemo videbit Deum &c.* Ita vt ieiunium & cæteræ virtutes apud Deum nihil valeant sine vinculo pacis & vnitatis, eò enim omnes spectare debent, non vt diuisionem & separationem à proximis faciant, sed vt eos sibi magis coniungant & arctent. Concordia vbique prę-ualet. Concordia est omnibus operibus nostris loco coronæ BERN.

Imò ne quidem sacrificium laudis placet Deo vbi est discordia & offensa fratris. Vnde Chrysostomus super Matth. homil. 6. expendens illa verba Christi Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare &c.* dicit: *Ecce à discordantibus accipere non vult sacrificium:* CHRYSOS.

ficium : Hinc perpendite, quantum sit malum discordiæ, propter quod id abiicitur, per quod culpa relaxatur : Vide autem misericordiam Dei quomodo hominis vtilitatem ampliùs aspicit, quàm suos honores : plus enim diligit corda fidelium, quàm munera. Quamdiu enim fideles homines dissensionem aliquam habuerint, munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur : Nemo enim inter duos inimicos, potest esse fidelis amicus amborum, vt puta, si de illo bene loquaris apud istum, displicet isti, & in suspicionem venies, quasi plus diligas ipsum, & è contra : ideo & Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu inter se fuerunt inimici. Et Diuus Gregorius in pastor. part. 3. cap. 24. hoc exponens dicit : *Ex qua præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quàm intolerabilis culpa monstratur, nam mala iuncta bonis diluuntur : Pensemus quanta sint mala discordiæ : nisi extincta fuerint funditus, bonum subsequi non permittunt.* Et idem homil. 8. super Ezech. dicit : *Ecce à discordantibus non vult accipere sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hinc ergo perpendite quantum sit malum discordiæ, propter quod id abijcitur, per quod culpa laxatur.*

GREGOR.

17. Quò etiam spectat illud Christi Lucæ 10. ad Martham multa facientem. *Turbaris erga multa, vnum porro est necessarium.* Vbi Diuus Bernardus sermone in Assumpt. *erga hæc plurima turbaris, sed vnum est necessarium. Nisi enim opus tuum in vnitate feceris, Deo qui vnus est, acceptum profectò non erit.* Vanè alia multa opera virtutum implere satagis si vnitatis & concordiæ opus relinquis, hoc maximè procura, sine quo cætera omnia, etsi maxima & splendida æstimantur nihil.

BERN.

Concordia præfertur cæteris omnibus virtutibus.

18. Tertiò, quòd concordia & vnitas, cùm charitatem habeant matrem cæteris omnibus antecellat virtutibus, & quasi omnium sit regina inter Christi opera, quid quæso cæteris præstantius, nónne quòd ex omnibus mundi plagis, sibi collegerit Ecclesiam, quodque diuersos plurimos in vnum traxerit ? Sanè sic sentit Nazianzenus orat. 42. *Quamuis permulta illius temporis miracula fuerint, sol obscuratus, & rursus inflammatus, velum scissum, sanguis & aqua profluentes ex latere, terra tremore concussa, petra prærupta, mortui resurgentes, signa partim ante sepulchrum edita, quæ quis est, qui pro dignitate laudare queat? nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum. Est in quo exiguæ cruoris guttæ, orbem vniuersum instaurarunt, atque idem quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes.* Ecce tibi præstantissimum diuinæ potestatis opus, quod dissidentes homines in vnum coniunxit. Sanè qui hoc perficit, vt dissidentes in vnitatem trahat, maius opus facit, quàm si mortuis vitam daret.

NAZIAN.

Christianus debet studere paci componendæ inter rixantes.

Qualiter autem quilibet Christianus debeat esse studiosus concordiæ & pacis, inter rixantes vel pugnantes componendæ pulcherrimè docet Diuus Chrysostomus homil. 15. in Matth. sic scribens : *Si viderimus publicè (vt fit) cædi aliquem, aut iniuriam sustinere, etiamsi pecunia pro eo est danda, præstemus, & si rem verbis possumus terminare, ne pigeat. Nam ipsi quoque cùm inimici essemus, Dei vnigenitus nos ei reconciliauit, irato medium se offerens, & opponens, qui & plagas pro nobis suscepit, & mortem. Studeamus igitur nos etiam ijs qui affliguntur, de malis innumeris liberare. Non quemadmodum nunc certè facimus, qui cùm videmus in se aliquos concurrisse alteriusque iniuriis cædi atque discindi, quasi data opera subsistimus, confusione aliorum ac dolore gaudentes, & colligimus diabolicum quoddam theatrum : quo quid crudelius possit ostendi? Vides mutuis se contumeliis denotantes, atque alternâ cæde mulctantes, scindentes vestes, ora fœdantes, & quietum adstare te pateris? Num leo est, num alia fera aliqua, num coluber? Certè homo est, tibi per cuncta communicans, frater est, membrum est : noli peccare, sed dissolue pugnantes. Noli ex eis voluptatem capere, sed eorum corrige voluntatem; impudentium est enim & ociosorum in talium rerum gaudere discrimine : Iumentorum hoc, inquam, est, atque irrationabilium prorsus asinorum. Cernis homines mutua cæde turpari, & non hanc esse tuam turpitudinem ducis, & non medius insilis, nec diabolicam illam dispergis cateruam, atque hominum pericula dissoluis? Et iubes tu, inquit, vt me huiusmodi manibus inseram, plagisq; ipse conficiar? Primò quidem non patieris istud : & si acciderit, incipiet tibi hoc opus pars quædam esse martyrij, siquidem propter Deum ista perpetieris. Si verò plagas accipere cunctaris, considera quomodo Dominus tuus propter te nec crucem quidem sustinere cunctatus est. Nam illi quidem velut ebrij tenebras de tyrannide patiuntur furoris, quo solo illi tunc vtuntur duce : indigent autem sano aliquo cuius adiuuentur auxilio, & illi qui facit iniuriam, & iste qui patitur. Hic quidem vt liberetur afflictus : Ille autem vt cesset affligere : accede igitur, & manum porrige temulento. Est enim furoris ebrietas, & multò illâ, quæ contigit ex vini ebrietate, deterior. Non vides sæpe nautas, cùm aliquod cernunt incidere naufragium, continuò vela tendentes, maxima intentione properare, vt eiusdem artis homines de periculo tempestatis eripiant? Si verò artis socij tantum opitulandi studium sui similibus ostendunt, quantò magis fidei participes hæc omnia implere conueniet? Nam hic quoque naufragium est, illoque quod diximus, perniciosius profectò naufragio. Aut enim vim patiens blasphemauit, & cunctis quæ habebat bonis repentè vacuatus est : aut peierauit tyrannide furoris oppressus, & nihilominus*

CHRYSOS.

minus incidit in gehennam: plagam inferens commisit homicidium, perque id naufragium vitæ ipse sustinuit. Perge igitur malumq́ compesce, mersos extrahe, inq́ ipsos maris fluctus fida mente descende. Cumq́ theatrum illud dissiparis diabolicum, singulos admone separatim: restingue flammam, fluctusq́ comprime & compone, sic ille cum quibusdam alijs huc spectantibus.

Concordiæ debetur corona cælestis.

19. Quartò, quia charitati & concordiæ cum proximo instat corona gloriæ cælestis. *Scimus*, inquit Ioan. 1. Ioan. 3. *quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

Nihil lætius concordia.

20. Quintò, quod concordia sit gaudio & lætitiâ plena, corona enim symbolum lætitiæ gaudij ac iucunditatis. Quid lætius, iucundius ac dulcius fratrum concordiâ, Psalm. 132. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion* &c. Sensus est, habet se eiusmodi fratrum concordia & vnanimitas, sicut vnguentum illud præstantissimum, & summè odoriferum quod copiosè effusum super caput summi Sacerdotis Aaron, defluere solet præ abundantia in barbam ipsius, ac deinde descendere ac fluere, in superiorem oram, & os vestimentorum eius. Sicut enim eiusmodi oleum in sese optimum est, & dum sic copiosè effunditur, mirè præsentes recreare solet, ita huiusmodi fratrum concordia, præterquam quòd res sit optima, etiam Deum hominesque maximè reficit & delectat. Similis est etiam huiusmodi concordia rori, quæ descendit tum in montem Hermon, tum in montem Sion, nam vt ille montibus vtilissimus est maximeque necessarius, ita & concordia, præter voluptatem, multorum & bonorum mortalibus parens est. *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque in seculum*. In vnanimi enim fratrum habitatione, Dominus suo iussu esse facit donorum suorum munificentiam, & quod inter omnia dona eius potissimum est & caput, vitam sempiternam, quæ quidem hic incipit & durabit semper in contemplatione vultus diuini, ecce quàm plena gaudio & dulcedine animorum concordia. Vide Ioa. de Pinna hunc locum eleganter diffundentem Comment. tomo tertio in Eccli. cap. 25. Etholog. 715. numero sexto & seq.

Mutua cōcordia facit vt preces nostræ citiùs exaudiantur.

Quid lætius, quid suauius nobis potest accidere, quàm quòd preces quas ad Deum fundimus ab ipso quàm celerrimè exaudiantur? nónne id præstat mutua concordia? Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Qualiter autem hæc Christi promissio sortiatur effectum rectè docet Diuus Chrysostomus eadem expendens verba homil. 61. in Matth. vbi hæc adducit verba: *Putásne igitur, vllibi duos reperiri consentientes? puto sanè multis in locis, ac forsan etiam vbique. Quomodo igitur à patre cuncta non consequuntur? quia videlicet multa sint causæ non impetrandi. Nam aut inconducibilia postulant, nec mirum est si non exaudiuntur, cùm & Paulus ille audierit: Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur. Aut indigni exauditi sunt, nec quicquam boni à seipsis offerunt, cùm Dominus Apostolorum similes denotare videatur. Ex vobis enim, inquit, qui virtute polletis, qui Euangelicam doctrinam rectè viuendo complectimini. Aut aduersus eos, qui sibi dolorem intulerunt, vltionem orantes petunt, quod omnino prohibetur, Orate, namque ait, pro inimicis vestris. Aut misericordiam postulant, cùm nullam egerint pœnitentiam. Quæ re potiri penitus est impossibile, etiamsi qui multam fiduciam ad Deum habent, pro eis deprecentur. Si verò cuncta hæc affuerint, & conducentia petas, & quantum in te, Euangelicam vitam, re ipsa probes, & concorditer atque cum charitate cum proximo viuas, impetrabis orando misericordiam Domini* &c.

Chrysos.

Præstat concordia vt fruamur Christi præsentiâ.

Quid lætius, quid optabilius, quàm suaui frui Christi præsentiâ atque consortio? nónne idipsum præstat concordia? *Vbi enim*, ait Christus Matt. 18. *duo sunt vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* In quæ verba Diuus Chrysostomus loco citat. sic pulcherrimè scribit, pendens & ponderans Christi verba, quibus insinuat, qualis debeat esse nostra congregatio & concordia: *Nónne igitur sunt duo aut tres in nomine suo vsquequaque congregati? Rarò siquidem inueniuntur. Non enim de conuentu simpliciter dixit, nec congressum tantummodo quærit. Tale quippe est quod dicitur: Si quis propter me principaliter charitate proximo coniungitur, secum ipse sum, si ad hoc virtutis etiam opus adiecerit. Nunc autem complures videmus alias quasdam causas amicitiæ quærere. Nam alius amat, quia redamatur, alius quia honore afficitur, alius quia vtilitati sibi esse, aut fore hominem putat. Christi verò causa difficillimè quemquam inuenies, qui amicum vt oportet diligat, sed omnes ferè sæcularium vinculo rerum inter se vinciuntur. Non ita quippe Paulus, sed propter Christum diligebat: quare quamuis non tantum amabatur, quantum amabat: tamen quoniam robustas amoris radices iecit, non dissoluit charitatem. Nunc verò si omnia diligentiori cura scrutabimur, amicitiarum efficientia, commoda magis sæcularia, quàm hoc inueniemus. Quod si quis mihi potestatem inuestigandi concederet, in hac multitudine facilè ostenderem: sed perspicuum id erit, si quis vigilanter inimicitiæ causas inuestigabit. Nam qui caducis, citoq́ instabilibus causis copulantur,*

Chrysos.

eorum coniunctio perpetua esse non potest, sed vel contemptus, pecuniarum iactura, vel liuor, vel gloriæ cupiditas, vel aliud huiusmodi, amicitia dissoluta, dissidium induxit. Vbi si spiritalis esset radix, nulla res secularis eam euelleret. Ea certè charitas, quæ Christi causâ fundatur, firma, stabilis, atque inuicta est, nec vlla re conquassatur, non obtrectatione, non periculis, non morte, non alia re temporali. Nam qui hac de causa diligit, nullo dissidio disiungetur: qui enim amat, quoniam redamatur, si quid minus iucundum ab amico ad eum profectum fuerit, finem amandi illico fecit: qui verò Christi charitate amicis conglutinatur, numquam ab amando desistit. Hæc ille.

Concordia res læta Deo & hominibus.

Concordia & mutua charitas res planè lætissima, non solùm hominibus, sed etiam Deo, iuxta illud Eccli. 25. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, vir & mulier bene sibi consentientes.* Ad Spiritum enim sanctum, cuius est congregare, & in vnum coniungere, quidam inflectunt hæc verba, qui se gaudio perfundi dicit, cùm videret, homines relatos, beneuolentiæ vinculo detineri. Tigurina vertit: *Tria me exhilarant, & coram Domino simul & hominibus me condecorant.*

AVGVST.

Vnde hæc verba sic explicat D. Augustinus serm. 169. de temp. *Concordia ergo fratrum, voluntas Dei est, iucunditas Christi, perfectio sanctitatis, iustitiæ regula.* Et paulò pòst: *Pax præceptis regalibus conseruanda est, Domino Christo dicente: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. In pace vos dimitto, in pace vos dimisi, in pace vos inueniam. Proficiscens voluit dare, quod desiderabat rediens in omnibus inuenire.* Quodque à singulis seuerè exiget, & repetet in die iudicij.

Ioan. 14.

In horto virgineo non solùm mala punica charitatis, verùm & omnes alij virtutum fructus.

21. In Virginis horto non modò mala punica charitatis, verùm & reliqui pomorum, id est virtutum omnium, fructus. Septem autem illa aromata quæ refert, sponsus Cantic. 4. affirmatque in virginis horto crescere, hisce vsus verbis, *Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani: myrrha & aloë, cum omnibus primis vnguentis,* significant varias Virginis virtutes, quas sic virginibus, quarum Virgo mater regina, ac proinde in ipsa maximè relucent adaptat Alcuinus. *Cum pomorum fructibus, hoc est, honestis & pudicis eius locutionibus, ex quibus in mentes fidelium, fructus informationis processit, nempe cyprus significans Virginitatem, nardus veram charitatem* (vel si mauis humilitatem) *crocus diuinam sapientiam, fistula patientiam, cinnamomum internæ contemplationis dulcedinem, vniuersa ligna libani, omnes alias virtutes, quæ aliquod robur habent & mentem spiritualiter dealbant, myrrha quæ significat carnis mortificationem, aloë bonam opinionem, prima vnguenta Spiritus sancti dona.* Sic Alcuinus.

ALCVINVS.

Fælix qui virgineo delectatur horto.

22. Fælix ille Christianus qui virgineo hoc delectatur horto, qui passibus deuotionis frequenter eum visitat & perambulat, qui libenter in illo requiem captat, qui pulcherrimis illius fructibus per imitationem pascitur, nam huius horti vmbra ab omni concupiscentiæ æstu refrigeratur, iuxta illud Richardi à S. Laurentio lib. 12. de laudibus Virginis: *In Maria velut in horto condenso & vmbroso inuenitur vmbra propitiationis. Ad hoc enim obumbrauit eam virtus altissimi in filij conceptione, vt & ipsa precibus suis, meritis & exemplis obumbraret peccatoribus contra æstum cuiuslibet concupiscentiæ prauæ: Obumbrat nobis Maria contra æstum concupiscentiæ, exemplo castitatis, contra turbinem superbiæ, exemplo humilitatis, contra importunitatem tentationis diabolicæ, virtute assiduæ orationis.*

RICARD. A S. LAVR.

Pede humilitatis in horto virgineo deambulandū.

23. Verùm, ô Christiane, custodi pedem tuum, veniens in hunc virgineum hortum, vide ne tibi veniat pes superbiæ, hortus est Maria, sed ad quem pedibus humilitatis nobis descendendum, humilis esse debet qui virgineas vult noscere virtutes, qui illius flores aut fructus vult carpere, qui illius refrigerio vult gaudere. Legimus in sacro illo Epithalamio cap. 6. *Descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium.* Quò spectans Richardus loco cit. sic scribit: *De horto hoc dixit Christus Cantic. 6. descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium. Et nos in hunc hortum humiliando nos debemus sæpe descendere per recogitationem virtutum Mariæ, vt ex eis noster pascatur affectus & illuminetur intellectus* &c.

Quatuor in horto virgineo inspicienda & consideranda.

24. Præcipuè verò dum in hunc virgineum descendimus hortum quatuor nobis ad imitationem sponsi inspicienda & consideranda, nuces, poma conuallium, vinea, & mala punica. Quæ omnia ad tropologiam sic allicit Hugo Cardinal. *In nuce est nuclei dulcedo & testæ duritia, nuclei dulcedo est in fructus pretiositate, vnde Lucæ 1. & benedictus fructus ventris tui, testæ duritia in sancti propositi firmitate, vnde angelo respondit Lucæ 1. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Poma conuallium sunt multiplices fructus humilitatis eius tam exterioris quàm interioris. Vinea est de qua vitis vera processit, floruit hæc vinea in filij Dei conceptione. Per mala punica designantur charitatis beatæ Virginis, quam erga nos habuit, multiplices effectus, qui licet in omnes defluant & emanent, tamen plena remanet & redundans, cui dictum est: Aue gratia plena.*

HVGO CARD.

Quod

Quod sacratissima Virgo, horto comparetur malorum punicorum; ob Christum quem genuit, qualiterque Christo, præsertim bono Pastori se comparanti, conueniant mali punici proprietates.

SECTIO IV.

1. SVperiùs declarauimus qualiter Virgo meritò comparetur horto malorum punicorum ob eximiam charitatem in malo punico adumbratam. Libet in sequentibus docere Christum Dominum, Virginis filium verum esse malum punicum, atque ob illius respectum, ipsam horto malorum punicorum meritò comparari. Quales autem sint inter Christum, præsertim quatenus se bonum exhibet hominibus pastorem, & malum punicum analogiæ, sequentia declarabunt, simulque docebunt qualiter ad Christi imitationem omnes animarum pastores sese debeant subditis & inferioribus suis, exhibere mala punica.

Christus mali punici refert similitudinem, estque symbolum boni superioris.

Sicut malum punicum, duro & forti cortice est munitum: Ita Christus quem imitari debet quilibet superior, insigni fortitudine præditus.

§. I.

2. CVm Christus Episcopus animarum nostrarum, in antiquæ legis summo Pontifice fuerit adumbratus, Præceperit verò Deus Exod. cap. 28. vt in extremitate vestis illius, tintinnabulis essent coniuncta mala punica, sic dicens Mosi: *Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ, per circuitum quasi mala punica facies.* Certum est illo ornatu nobis significari, & qualis Christus fuerit, & qualis sacerdos summus, omnisque pastor ac Prælatus esse debeat, nimirum verum punicum malum.

3. Imprimis malum punicum forti est atque durissimo cortice, ita vt quantumuis illud compresseris, quamcumque vim manibus tuis illi intuleris, non cedit, non fatiscit, non frangitur. Similiter Christus fortissimus fuit in sustinendo & supportando onere regiminis sui. Similiter Prælatus & quiuis superior debet habere corticem durum, fortem & spissum, eximiam nempe & singularem fortitudinem, ad supportanda & sustinenda grauissima prælaturæ onera, est enim difficillima prouincia gubernationis munus, & ipsis formidandum angelicis humeris. Hinc Prælati vocantur Vinitores Oseæ cap. 2. *Dabo eis vinitores ex eodem loco.*

Malum punicum est forti cortice, ita Christus fortiter sustinuit onera regiminis sui, idem præstet prælatus.

4. Iudicum capite 9. legimus, quòd *Ierunt ligna vt vngerent super se Regem: Dixeruntq; Oliuæ: Impera nobis? Quæ respondit nunquid possum deserere pinguedinem meam, quâ & dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixeruntq; ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusq; suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear? Locutaq; sunt ligna ad vitem: Veni & impera nobis. Quæ respondit eis: Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri? Dixeruntq; omnia ligna ad Rhamnum: Veni & impera super nos. Quæ respondit eis: Si verè me vobis Regem constituitis, venite & sub vmbra mea requiescite.* Quid hac docetur parabolâ, quàm hominem priuatum posse frui pinguedine sua, dulcedine sua, vino suo, sed superiori atque prælato, siue pastori hæc omnia deperire & euanescere, eo ipso quo prælaturam, & regiminis onus acceptat, nihilque in illo in posterum reperiri quàm laborum & molestiarum spinæ siue aculei, quibus instar rubi vndique est obsitus, vt autem tot spinarum punctionibus ferendis par sit, necesse est, vt instar punici mali duri sit & fortissimi corticis magni prorsus animi, & singularis fortitudinis.

Superior debet referre similitudinem illius rubi.

5. Et quis nescit quantâ opus fortitudine in prælato, vt æquitatem colat ne iudicet iniquitatem, ne facies peccatorum sumat? Hinc dicitur Ecclesiastici cap. 7. *Noli quærere fieri iudex nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem.* Licet iudicem tantùm appellet, sermonem tamen dirigit ad omnes, qui in alios potestatem exercent. Maximè autem cauendum iudici ne potentium vultum extimescens, à iustitia deflectat.

Meritò fortitudo exigitur à prælato.

ctat. Bene enim Anacharsis, vt Valer. Maxim. lib. 7. leges aranearum telis comparabat. Nam vt illis infirmiora animalia retinentur, valentiora transmittunt, ita his humiles, & pauperes constringuntur, diuites & potentes non alligantur. Absinthium vt Dioscor. libr. 3. cap. 23. mures culicesque enecat, at idem homini est medicina, vt Gal. lib. 6. simpl. & l. 8. sic profectò leges quandoque aliis mortem, aliis pro vitæ adiumento sunt. Amos 6. *Conuertistis in amaritudinem iudicium & fructum iustitiæ in absinthium*: Fructus igitur qui iustitiæ esse debebat, æquus nimirum omnibus, in absinthium commutatus est, quod infirmioribus animalibus mortem affert, potentioribus præsto est ad medelam.

Quidam prælati assimilantur curiæ leonis.

6. Quidni dixerimus hosce iudices, hosce prælatos, assimilari curiæ leonis, de quo fabulæ habent, lupum & vulpem, solitos illi deferre varia munera, accusatos quòd oues & gallinas comedissent, excusauerunt autem seipsos dicentes, quòd natura & necessitas eos ad hoc compulit, & quòd alium cibum paratum non habuerunt, & paruâ vel nullâ pœnitentiâ eis datâ, videlicet, quòd miserere dicerent, abibant. Asinus verò, qui viam suam, cum leone, & consiliariis suis & officialibus, non præparauerat, accusatus quòd tria folia comedisset petresilij acriter à leone fuit obiurgatus, qui eum, gulosam bestiam vocauit, eò quòd herbam sine salsa comedere nesciret, cùm lupus & vulpes nullam salsam ad carnes suas requisissent, & malè, & verbis & verberibus tractatus, in compedibus ponebatur, ita modò potentes impuniti euadunt, & simplices vltra quàm deberent, puniuntur, & comprimuntur, & verbis & factis malè tractantur, in compedibus pedes eorum.

Prælatus nemini parcat.

7. Qui domum ędificaturus, fundamenta locat, aut arborem plantaturus, terram fodit, nec arenæ molli, nec duro lapidi parcit, vt solum excauet quo aut moli iaciendæ, aut arbori quæ sursum enasci debet satis sit, alioqui ouet domus, arescet arbor, cum architecti, colonive dedore. Qui autem iudex est, ad instar agricolæ, ad instar architecti, iustitiæ arborem, domumque ponere debet; eadem ratione nec humilibus nec diuitibus parcat. Obuia est arena? eruatur; impingit in saxum? euellatur, ita vt nulla ratione potentis faciem extimescat. Bene proinde Ieremias c. 10. *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna*, quod erit officium? *vt euellas & destruas & disperdas & dissipes.* Nulli igitur parcendum labori stirpes quæ altas egerunt radices, euellendæ &c.

Prælatus non solùm debet comminari, sed etiam punire.

8. Peccant primi parentes & postquam eiecti sunt de paradiso, legis à Deo collocatos Cherubinos ante eum, habentes enses flammeos atque versatiles ad custodiendam viam ligni vitæ? quid hîc docet Deus, nisi legibus adiungendos esse ministros, qui puniant transgressores? Non solùm posuit angelos qui vociferarentur, sed & gladios versatiles, hoc est, vt nonnulli exponunt, vertentes se ad custodiendum lignum vitę posuit in manibus eorum, quia aciem gladij debet vertere æquus iudex, pœnisque impositis nocentes plectere, non sufficit gestàre gladium flammeum, sed debet esse versatilis; multi multa & magna minantur, sed nunquam delinquentes puniunt, similes nempe formidini posito in cucumerario & diis falsis securim & gladium gestantibus & nunquam percutientibus.

Caueant prælati ne percutiant antequam moneant.

9. Caueant tamen Prælati ne feriant, ne percutiant, antequam moneant, minentur priùs, & terrefaciant, gerant gladium in ore, antequam vibrent. Percutit Moyses virgâ petram bis, & dat aquas copiosissimas. Quid accidit! iratus Deus ait tam Moysi quàm Aaroni, vt legimus Num. 20. *Quia non credidistis verbis meis, vt sanctificaretis me coram populo Israel, idcirco non introducetis populum istum in terram quam ego dabo eis.* Quis Domine non credidit tuis sermonibus? an non credidit Moses, infidelitatem arguens populi, & vocans rebelles & incredulos? Certè si consideres quid Dominus pręceperit, quid ille fecerit, videbis Dei iustas esse querelas: Dixit illi Dominus. *Loquamini ad petram & ipsa dabit aquas.* Ille verò percussit virgâ bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ. Voluit Dominus linguâ vteretur, & ille virgâ & quidem bis vsus est, maximè ergo arguendus Moses, quòd virgâ exequatur, quod linguâ exequi poterat. Discant ergo superiores ab ipso Deo, quòd lingua præcedere debeat ipsam virgam, & quòd veniendum ad verba, antequam ad verbera.

10. Amos, dicit Dominus: *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridere solet plaustrum onustum fœno.* Dum boues trahunt plaustrum fœno onustum, lento procedunt gradu, hinc strident rotæ, stridorisque sonitus procul auditur. Non festino procedit gradu Deus ad puniendum, sed tardo, & quasi laneis incedit pedibus, longè autem stridet comminando: Sic agant etiam superiores. Ecce vides qua fortitudine debet pollere prælatus, quàm duro debeat munire cortice, nisi polleas hac fortitudine, noli velle fieri iudex, imò ad prælaturam vocatus eam neglige, & recusa. Oportet agrum imbecilliorem esse quàm agricolam, hoc Enigma explicuit sic Virg. specie non minùs prouerbiali.

Laudato ingentia rura
Exiguum colito.

Neque suscipias munus, cui gerendo sis impar.

Rubi-

Rubicundum est malum punicum, rubicundus quoque Dominus IESVS.

§. II.

Rubet granatum, rubuit & Christus.

1. Malum punicum vndique rubet, etiam in ipso cortice, rupto cortice apparent & manifestantur grana, fluit mustum malogranati, quo tingitur ipse cortex, quo insuper curantur morbi, quo reficiuntur fatigati: ita Christus, præsertim si consideres externam eius vitam, semper rubuit patiendi desiderio, & immenso quodam amoris & flagrantissimæ charitatis zelo. Rubuit insuper, dum confusio operuit faciem eius. Tandem multis perpessis & toleratis laboribus tribulationibus ac pressuris, tempore passionis confractum est nobile hoc malum punicum, nimirum cùm à corpore separata anima, & tunc quidem apparuerunt grana, resplenduerunt que & emicarunt abundantiùs eius perfectiones atque virtutes; & tum tanquam mali punici mustum, profluxit sanguis eius purpureus, quo mundus redemptus, quo animæ lotæ & dealbatæ, & in Sacramento Eucharistiæ dulciter refectæ ac refocillatæ. Hoc sanguine precioso, tinctum & quasi purpureo colore obductum fuit pretiosissimum & sacratissimum eius corpus, dum durissimis flagellis, dum acutissimis spinis, dum grauissimis clauis, dum crudeli lancea perforatum est. *Christus*, ait Richardus Victor. part. 2. in Cantica cap. 20. *Totus in pœna rubuit, quia non parua pro nobis, vel partem laborum & dolorum sustinuit; sed tanta, & tam grandia, vt nullus vnquam dolor fuerit, sicut dolor eius. Omnis autem afflictio, quam pro Christo, vel Christi exemplo electi pertulerunt, fragmini tantùm mali punici comparatur, quia respectu eorum quæ pertulit ipse, parua sunt, quæ patiuntur, & modica illorum pars, &c.*

Magna conuenientia inter succum mali granati & sanguinem Christi.

Iam verò succi, siue liquoris rubicundi, è granis expressi, cum sanguine Christi, comparatio siue similitudo quàm accommoda & propria sit nemo nõ videt. Succus enim malogranatorum sitim sedat, appetitum proritat, stomachum confortat, orexin acuit, digestionem excitat: calorem humidi radicalis defectu fatiscentem reparat, spiritus vitales nimia lassitudine debilitatos, instaurat: aduersa sanitati symptomata, discutit: febrium assultus & accessiones, nimiùm periculosas retundit; contagiosos aeris afflatus dissipat, & repurgat: ita sanguis Christi meditatione & contemplatione assidua, quodammodo expressus, gratiæ cælestis sitim concitat, cælestia desideria accendit: animam viuis illis, in vitam æternam salientibus aquis, reficit, & potat, bene agendi proposita commouet, peccata exterminat: serpentinum diaboli virus, tentationibus varijs inhalatum, eneruat, conscientiam solatur, gratiam auget: charitatem roborat, diuinæ gloriæ, & salutis animarum, zelum ardenter inflammat, & quæcumque hominum æternæ saluti aduersantia nocumenta, exterminat & eradicat.

Febrili ardore ardentibus ægrotis, nil gratius, nilque vtilius quàm succus granorum mali punici ad potum præbetur: sic huius mundi cladibus atque calamitatibus, exagitatis, nil accommodatius, quàm Saluatoris mortem, passionem, & sanguinem, iugiter meditando, animas refocillare. Mali punici succus, sanis etiam, ad conseruandam valetudinem, admirandum in modum conducit. Christi vulnera & sanguis, memoria assiduè ruminata, iustos ac pios Dei seruos, in iustitia & pietate roborat atque conseruat.

Vel modicum succi granorum mali punici vas integrum aquæ colore purpureo tingit, & in dulcissimum, ac tam sanis quàm ægrotis, saluberrimum potum, conuertit: Vel vnica sanguinis guttula, è fonte passionis eius hausta, omnes huius mundi amaritudines, quod in sanctis martyribus videre est, mirum in modum indulcorat, & in melleum quendam saporem transfundit.

Prælatus plenus esse debet omnium virtutum vino.

Sic necesse est pastorem siue prælatum, vndique charitate & zelo animarum ardere, nec non patiendi & laborandi pro subditis desiderio si contingat eum in varias incidere tribulationes & pressuras, & multarum calamitatum, onere, tanquam torculari, premi, nihil ex illo promanare debet, quàm optimum quoddam vinum patientiæ, mansuetudinis, veræque resignationis, cæterarumque omnium virtutum, vinum, inquam, gratiarum actionis & dilectionis. Hoc vino mirificè animos subditorum firmabit solidabitque, hoc vino acuet & ipsorum subditorum corda ad patiendum pro Christo grauia quæque & aspera, hoc vino indulcorabit, & melleum eis reddet omnem laborem.

Malum punicum cortice duro tuetur grana: ita Christus, quem debet imitari omnis superior, protegit suos.

§. III.

Vt malum punicum grana: ita Christus suos tuetur.

1. MAlum punicum cortice suo duro, tegit omnia grana, sub eoque latent velut sub tecto, tueturque illa aduersus omnes aëris inclementias, ipsa fulmina atque tonitrua, parum æstimans propriam incolumitatem & integritatem, imò in gratiam granorum sese dilacerat. Tale malum punicum Christus, talis pastor Saluator Iesus, qui de seipso testatur Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Non solùm tuetur & protegit oues, non solùm illas vindicat à fulminibus diuinæ iracundiæ, verùm dum se murum opponit diuinæ iustitiæ ictibus, non dubitat dare ad dilacerandũ, & transuerberandum vndique proprium corpus, vt meritò Christi corpus paries vocetur à Sponsa Cantic. 2. dum ait: *En ipse stat post parietem nostrum.* Non solùm Christi corpus parietem vocat, quia diuinum verbum stet post carnem & corpus humanum, pro nobis assumptum, vt sese abscondat, sed & ideò corpus Christi parietem vocat, quia nos munit atque defendit contra iram Dei. Omnes ictus, quos diuina iustitia eijcienda in homines erat, hic murus suscepit, quem etiam murum taliter concutierunt dolorum ictibus in passione Iudęi, vt eundem in terram deiecerint. Quòd prçuidens Patriarcha Iacob ait Gen. 41. *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia in consilium eorum non veniat anima mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.* Meminit S. Patriarcha Simeon & Leui, quòd (vt obseruauit Lira.) ab illis originem traherent coniuratores in Christum. Leuitæ enim Sacerdotium tenebant, & de tribu Simeon pars magna Pharisæorum manabat. Christum autem vocat virum, quia ab instanti suæ conceptionis, iudicio & ratione prædítus, tametsi in infantili corpore, vir erat, omnibus numeris absolutus, vnde Ierem. prædixerat, *mulier circumdabit virum.*

Christus paries generis humani.

Superior sit subditorum suorũ clypeus siue scutum.

2. Talem decet etiam esse superiorem omnem & Principem, quid enim hi aliud, quàm vt dixit Homerus, populorum pastores. Necesse imprimis vt populum sibi commissum tueantur à diuinæ iracundiæ fulminibus, precibus, ieiunijs, eleëmosynis, proprio sanguine. Hinc enim est, quod Scriptura illos clypeos vocet, hoc sensu 2. Reg. 1. Saul vocatur clypeus. *Ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo*, in hoc quoque sensu Hieronymus & Theodoretus interpretantur illa verba Psalm. 46. *Dij fortes terræ*, dij scuta terræ, quòd in se impetum omnem suscipere & sustinere debeant. Ob eam quoque rationem pastores & Prælati muro comparantur. Hinc Deus Ezech. 13. conquerens de malis pastoribus, ait, *non ascendistis ex aduerso neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini*, &c. Bonus pastor ascendit ex aduerso & occurrit iræ Dei. Opponitque se murum pro ouibus. Neque verò fugit, sed stat, velut in prælio ante oues dux strenuus, vt populo efficiat placatum Deum. Nam vt Hieronymus ait Ezechiel. cap. 13. *Sicut murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso contraque venienti: ita Dei sententia sanctorum precibus frangitur*, &c.

Talis Moyses.

3. Vis bonos videre pastores, & tanquam clypeos, & muros sese opponentes diuinæ iracundiæ? Moysen imprimis intuere, dicentem Exodi 32. *Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*, &c. Exodi eodem loco Mosi, ait Dominus. *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos & deleam eos*, &c. *Cui dicitur*, ait Hieronymus, *dimitte me, ostenditur quòd tenendi habeat facultatem*, &c. *Idem quando dicit Deus Moysi: dimitte me, ostendit se teneri posse, ne faciat quod minatus est. Dei enim potentiam serui preces impediebant*, &c.

4. Intuere Aaronem, cùm ira Dei graue supplicium de populo sumeret, ascendit ex aduerso Aaron bonus pastor, opposuitque murum pro domo Israel Num. 16. *Cùm cucurrisset ad mediam multitudinem quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit*, &c. D. Hieron. epist. 12. ad Gaudentium. *Legimus*, inquit, *Aaron pontificem ipse obuiam furentibus flammis, & accenso thuribulo Dei iram cohibuisse, stetit inter mortẽ, & vitam Sacerdos magnus, neque vltra vestigia eius ignis procedere ausus est*, &c. Intuere Dauidem 2. Reg. 24. Cùm vidisset Angelum cædentem. *Ego*, inquit, *sum qui peccaui, & ego iniquè egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum Patris mei*, &c. Intuere Paulum dicentem 2. Cor. 12. *Libentissimè*, inquit, *impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris*, &c. Hoc est non solùm bona quę habeo vobis donabo, sed meipsum quoque, & vitam meam adiiciã. Hinc illud ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Sed quàm paucos habet orbis, huius generis pastores, hinc meritò vsurpare possumus & dicere illud Is. 64. *Non est qui inuocet nomen tuũ, qui consurgat, & teneat te, abscondisti faciem tuam à nobis & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.* Quinetiam, quot pastores reperies

reperies qui proprijs culpis & peccatis prouocant, tam contra seipsos, quàm proprias oues, diuinam iracundiam, atque vindictam? D. Gregor. epist. 114. lib. 7. *Quando*, inquit, *populum orationis clypeo tueatur qui se hostilibus iniurijs feriendum exponit? aut qualem fructum de se producturus est, cuius grani peste radix infecta est? Maior ergo metuenda est locis illis fore calamitas vbi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur qui Dei in se magis iracundiam prouocant, quàm per semetipsos populis placare debuerant*, &c.

GREGOR.

De multis dici potest. O pastor & idolum.

5. An non de hisce pastoribus dici potest, quod dicitur de Antichristo Zachar. c. 11. *O pastor & idolum.* Quemadmodum enim idolum ab Ethnicis honore, & donis cumulatur, nihil tamen auxilij illis affert: sic mercenarius pastor ab ouibus, honore, & muneribus afficitur, nihil tamen vel parum adiumenti illis confert. Similis est Antichristo, de quo eodem capite Zachariæ. *Ecce ego*, ait, *Dominus, suscitabo pastorem in terra qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet*, &c. Nónne hoc mercenarius facit? Derelictas oues non visitat, non reducit: dispersos non quærit, contritas non sanat, eas quæ stant sanæque sunt, non enutrit. Quo tempore animalia & pecudes sermone vtebantur, aiunt ouem dixisse hero suo, per mihi mirũ videtur nihil nobis à te præberi, cogique è terra nos victũ quærere, de quibus tamen tu & lanam capis, & caseos, & agnos; canibus vnde nihil horum tibi redit, impertis panem, quo ipse vesceris, tum canem, qui hoc audisset, ferunt sic locutum, meritò hercule me, fit, nam ego is sum, qui vos ipsas, etiam custodio atque seruo, ne vel hominum furto, vel luporũ raptu, pereatis, quòd si ego vestram custodiam negligerem, iam ne ad pabula quidem exire auderetis præ formidine interitus, atque ita etiam oues ipsas, facilè passas fuisse, accepimus, vt se, canes potiores & maiore in honore haberentur. Hæc fabula narratur vulgo imperitorum, qui sapientum otio irascuntur, & illos, in tanto honore, vitam, de suis laboribus degere, molestè ferunt. Nisi enim ipsos doctrinâ & sapientiâ defenderent atque tegerent, neque salutem, neque fortunas suas saluas & integras cõseruare possent. Si ergo pastor duplici honore, & duplicibus muneribus afficitur, vt protegat, & defendat, regat & enutriat oues. Interim verò nulla illi cura de ouibus, an non ille idolum, an non ille seipsum, & non oues pascit?

Quàm hi pastores Deo exosi.

6. Quis dicat quàm hi pastores Deo exosi! Ezech. 34. *Væ*, inquit, *pastoribus Israel qui pascebant semetipsos*, &c. Item: *Pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant*, &c. Lanam hi tantummodò curant, & lac, nõ ouium salutem. Pascunt oues, vt comedant, cùm potiùs comedere deberent, vt pascere oues possent. Eodem Ezechielis capite additur. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis*, &c. D. Gregorius hom. 14. in Euangelia. *Mercenarius*, inquit, *est, qui lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, temporalibus lucris pascitur*, &c. Et Ezechielis cap. 13. *Quasi vulpes*, inquit, *in deserto, prophetæ tui Israel erant.* Similes vulpibus erant illi pseudoprophetæ: similes item vulpibus sunt pastores mercenarij. Quemadmodum enim vulpes gallinas: sic illi lucra sua quærunt.

Punicum malũ omnia fouet grana, sic Christus omnes vocat, neminem repellit.

7. Punicum malum omnia protegit grana, omnia fouet, omnibus est subsidio, nullum repellit. Sic fecit & Christus. Matthæi enim cap. 11. clamat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* Similiter faciant superiores & animarum pastores, pro omnibus orent, omnibus subueniant, omnibus benefaciant, licet etiam minus sibi addictis, licet aduersarijs: si velint principatu & pastoratu dignos haberi. Quàm insigne malum punicum ipse Abraham de quo legimus Genes. 14. *Quòd cùm audisset Abram captum Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo: & prosequutus est eos*, &c. Posset quidem Abraham nepoti suo insultare, tanquam ingrato, & beneficiorum, quæ ab eo multa acceperat, obliuioso; & magis suis commodis, quàm officijs patruo debitis studenti. Posset dicere, vt loquitur D. Chrysostomus homil. 33. in Gen. *Vnde sibi illa abundantia? Nónne ex mea cura? Quis te apud homines tantum apparere fecit? Nónne ego, qui pro omnibus tibi fui? Patris ergo vices egi per omnia: & has mihi pro tot ministerijs mercedes reddis?* Plures adhuc posset ingeminare querelas, quibus nõn solùm nepotem in se parum officiosum; sed etiam nepotis seruos in suos valde contumeliosos criminaretur, diceretque posset. *Vlterius*, inquit D. Chrysost. *esto nihil eorum, quæ à me habeas, in mentem tibi veniat: nónne saltem vel senectam meam, & canos revereri oportebat? Conniuendo permisisti, pastores tuos in meos debacchari, nesciens, quòd, sicut contumelia, quâ illi affecti sunt, in me transit: ita & tuorum temeritas tibi adscribitur.* Ita D. Chrysost. fingit Abrahamum in has, ac similes querimonias de nepote suo Loth erumpere potuisse; habuisseque proinde non iniustam rationem denegandi illi suum præsidium: imò potiùs, in illius excidio, non solùm exultandi, sed etiam insultandi: quippe quod ingratus iuuenis suo vitio mereretur. Nihilominus tãtum abfuit Abraham, vt de nepotis iniuria gauisus fuerit, vt potiùs ad eam propulsandam, quanto potuerit præsidio, festinarit. Dignus profectò, cui magnum à Deo imperium deferretur, vt reuera delatum est. Nam statim Deus ad illum Gen. 15. *Semini tuo*, inquit, *dabo terrã hanc à fluuio Ægypti, vsque ad fluuium magnum Euphratem.* Dignissimus enim est imperio, qui omnibus suis patrocinatur etiam immeritis.

Pastoris ac superioris boni est omnibus subuenire.

Verum malum punicũ Abraham.

CHRYSOS.

IDEM.

Malum punicum Dauid.

8. Quàm insigne etiam malum punicum ipse Dauid, dum pro omnibus subditis orat. Sic enim Psalm. 24. orat: *Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis.* Vbi Theodoretus. *Hæc deprecatio*, inquit, *Deo oblata, Regi conuenit: decet enim eum, qui in imperio constitutus est, de subditis omnem curam gerere.* Neque solùm pro populo sibi obsequioso, ac morigero, sed etiam pro inobediente ac rebelli deprecabatur. Nam pro eo qui in suum caput cum Saule conspirarat, fusus in preces dicebat Psalm. 27. *Saluum fac populum tuum Domine & benedic hæreditati tuæ: & Rege eos & extolle eos vsque in æternum.* Vbi Theodor. in priorem Psalm. citat. Dauidis misericordiam, etiam in homines misericordiâ indignissimos, suspicit, & commendat. *Preces sunt*, ait, *Regi conuenientes, pro populo. Dignum autem admiratione est hoc, quod magnus Dauid facit, nam cùm Saulem fugeret, subditi enim cum Saule conspirabant, pro ipsis apud Deum precabatur: siquidem præuidebat futuram eorum conuersionem, neque rationem habebat iniustitiæ illorum, sed tantùm futuræ seruitutis.* Neque enim bonus Rex spectabat quod eius subditi suis flagitijs mererentur, sed quid Regis officio dignum videretur.

THEOD.

Sicut quoddam malum punicum, acre-dulce appellatur: ita in Christo, quem imitari debet omnis Superior, magna est temperatura misericordiæ & iustitiæ.

§. IV.

In Christo têperatura misericordiæ & iustitiæ.

1. INter mala punica cæteris laudabilius quod acre-dulce appellant, mixtumque appellari potest, eò quòd in illo inueniatur dulcedo quædam, sed quæ temperatur à quadam acrimonia.

2. Quanta in Christo temperatura misericordiæ & iustitiæ omnis loquitur Scriptura. Attende parabolam zizaniorum Matth. cap. 13. Serui dicunt Domino: *Vis imus, & colligimus ea*, & ait non. Ecce misericordiam, quia expectantur ad pœnitentiam. Sed quid ait tempore messis: *Colligite primum zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Expende parabolam cœnæ magnæ Lucæ cap. 14. *Misit seruos suos dicere inuitatis vt venirent*, quinimò tertiò misit vt venirent, en summam misericordiam, sed quoniam vocati noluerunt venire, quid accidit? *Dico autem vobis quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Considera parabolam serui nequam Matthæi 18. *Misertus Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* En maximam benignitatem, sed quid accidit huic seruo, dum egressus inuenit vnum de conseruis suis qui debebat ei centum denarios eum tenens suffocabat dicens: Redde quod debes? *Iratus Dominus tradidit eum tortoribus.*

3. Pulchrè Dauid Psalm. 24. *Dulcis & rectus Dominus, vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Etenim hoc dixit Dauid de temperatura misericordiæ & iustitiæ in Christo iuxta mentem D. Augustini qui inter alia: *Dulcis*, inquit, *& rectus est Dominus qui post misericordiam vocationis & veniæ, quæ habet gratiam sine meritis, digna vltimo iudicio merita requirit. Quas autem vias docebit, nisi misericordiam quâ placabilis, & veritatē, quâ incorreptus est? quorum vnum præbuit donando peccata, alterum merita iudicando, & ideò vniuersæ viæ Domini duo sunt aduentus filij Dei, vnus quidem miserantis, alter verò iudicantis.* Hæc ille. Vide quædam huc spectantia apud Baeza to. 2. de Christo fig. lib. 5. c. 9. §. 31.

4. Neque huic obest veritati, quòd Christus, tum homines, tum vrbes, tum regna tot repleat, per multorum annorum decursum, malis, quot mala abundant punica granis, adeóque nihil ab illo tam alienum videatur, quàm temperatū esse ex misericordia & iustitia. Nodum hunc dissoluit regius Propheta, dum Deo loquens ait: *Cum sācto sanctus eris, & cum viro innocēte, innocēs eris & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Quales nos Deo exhibemus, talē se nobis exhibet Deus: est instar mali punici Deus. Quod vt perspicuum fiat, sciendū, malum punicum ad hunc modum describi à Plinio histor. natural. lib. 13. cap. 19. *Circa Carthaginem*, ait, *punicum malum cognomen sibi vendicat. Aliqui granatum appellant.* Diuisit & in genera. *Apyrenon vocando, cui ligneus nucleus abest. Sed candidior ei natura, & blandiores sunt acini, minusque amari, distincti membranis. Alia structura eorum quædam, vt in fauis. Communes nucleos habentium quinque species, dulcia, acria, mixta, acida, vinosa, Samia & Ægyptia distinguuntur. Erithrocomis & glaucocomis. Corticis maior vsus ex acerbis, ad perficienda coria: flos balaustium vocatur, & medicinis idoneus, & tingendis vestibus, quarum color inde nomen accepit.* Hæc Plinius. Ex quibus perspicuum est huius mali varia esse genera atque species quinque, dulcia, acria, mixta, acida, vinosa. Interdum itaque Deus se nobis exhibet, seque erga nos gerit instar dulcis mali punici refecti dulcissimo quodā succo ac liquore, & quouis nectare & ambrosia dulciore, quibus nos vndique

Punici mali variæ species.

Interdum Deus se exhibet nobis instar dulcis mali punici.

Interdum se exhibet instar punici mixti.

vndique perfundit, quod accidit dum præceptis eius obedimus. Dum diuinis beneplacitis morem gerimus, dum ad nutum & beneplacitum eius vitam instituimus, dum illi dulces bonorum operum fructus offerimus. Si verò claudicamus in via mandatorum Dei, in aliquibus iusti, in aliquibus iniusti, mixtum punicum se nobis exhibet Deus nimirum iustum & misericordem, seuerum atque lenem, acerbum atque dulcem. Sin verò ad amaritudinem peccatis nostris eum prouocamus ac diuinum eius pectus exacerbemus, an mirum quòd oblitus solitę misericordiæ, lenitatis, atque dulcedinis se nobis exhibeat instar vinosi, acidi, atque acris, ne dicam, acerbissimi mali punici, si malis nos cōficiat & repleat? Verùm ne sic quidem erga nos se gerēs dicendus est seuerus, vel crudelis, quid enim his malis assequi desiderat, nisi nostram emēdationem, & vt corda nostra tanquam tot acria poma punica, in dulcia, in suauia, ac optimo deuotionis virtutumque aliarum, tum succo, tum granis, repleta malogranata conuertat. Ita vt continuò nos ob peccata nostra tanquam pius pater puniens nimirum vt meliores reddat, summę suę erga nos clementię & misericordiæ signa exhibeat atque demonstret.

Interdum se exhibet instar mali punici acris dum nostra punit delicta.

Deus tanquam pius pater punit vt reddat meliores. Pierius.

5. Refert Pierius quòd vt mala punica acria, acidaque dulcia & suauia reddas, nihil sit efficacius, quàm vt aperto cortice mali punici circa radicem illi inseras surculum siue ramum arboris pini. Pari ratione nobiscum agit clementissimus Deus ac cælestis ille agricola, quid pinus nisi symbolum mortis? semel enim arbor pinus abscissa, atque à radice euulsa, non germinat, nequidem ad odorem aquę, nec pullulat de loco suo, nec facit iterum comam more aliarum arborum. Quòd ergo Deus, tot flagellis, nos continuò, & indesinenter excipiat, quòd bellis premat, quòd fame & sterilitate, quòd annonę caritate diuexet, quòd morbis & peste exagitet, quòd denique omnibus malis, nil nisi pręsentē mortem minitantibus repleat, quòd hosce pini arboris ramos corporibus nostris atque animabus, inserat, non aliam agit ob causam quàm vt mortalium amarissima corda & ad amaritudinem eum prouocantia, dulcia & suauia per veram conuersionem efficiat. In hoc non tam iustitiam, quàm clementiam demonstrans.

Pini insitione redditur dulce malum punicum.

Superior debet iustitiam temperare cum misericordia.

Discant superiores à Christo non solùm misericordiam sed etiam iustitiam, clementiam temperent rigore, rigorem temperent clementiâ, quâ nulla in principe, nulla in pręlato, laudatior conditio inueniri potest. Hinc quidam Francorum Rex pro insigni, malogranatum, quod acre-dulce appellant assumpsit. Est quidem malū hoc punicum symbolum regum, coronâ quippe illud natura insigniuit. Inter reliqua verò huiusmodi malogranata, acre-dulce salubrius est, vnde & medici sępè illud ægris cōcedunt, & præscribunt, sitim enim extinguit, & stomacho est cōueniens. Voluit ergo sapiēs ille Rex hoc symbolo indicare, principem nec omnino dulcem, nec omnino acrem & acerbum esse debere, sed acrem-dulcem, ita vt misericordiam temperet iustitia, iustitia verò temperamentum accipiat à misericordia.

Habet malum punicum vt extrinsecùs sit durum & solidū, intrinsecùs verò mollius, ne fructus quos continet, qui molliores sunt, lædantur, quàm pulchrum Christum Saluatoris nostri symbolum, sibi durus est, dum principatus eius super humerum eius, nobis mansuetus & facilis, iuxta illud Zachar. cap. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Isaiæ 11. *Egreditur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet*, in virga Christi regnantis potentia, iuxta Hebræorū expositionē, in flore verò pulchritudo, & mansuetudo eius erga subditos demonstratur.

Malum punicum exterius durū, interius molle, ita Christus.

6. D. Bernardus serm. 23. in Cant. premens illa verba adolescentularum: *Exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum*, dicit eas Christum habere pro matre, nimirum ob miram eius erga eas dulcedinem & mansuetudinem. *Minimè*, ait, *ita considerent nisi matrem agnoscerent.* Posteà sermonem conuertens ad Prælatos ait: *Audiant hoc Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, vtilitati rarò. Erudimini qui iudicatis terram. Discite subditorum matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari, quàm metui. Etsi interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem. Suspendite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant, non typo turgeant. Quid iugum, vestrum super eos aggrauatis, quorum potiùs onera portare debetis? Cur morsus à serpente paruulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris. Si spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans vnusquisque seipsum, ne & ipse tentetur. Alioquin ille in peccato suo morietur, sanguinem autem eius ait de manu tua requiram* &c.

Bern. Prælati se debent matres exhibere subditis.

7. Sicut grando & turbines venti non gignuntur in suprema aëris regione, sed infima: ita in intimo potentum & superiorum nullatenus consurgat sæua tempestas inordinatarum passionum. Et sicuti inter Planetas Saturnus omnium supremus, omnium nihilominus tardior est in suo motu, talis quoque sit superior quoad iram & turbationem. Quod signabatur oleo, naturali mansuetudinis symbolo, quo vngebantur, & perfundebantur olim reges & sacerdotes. Vide qualiter hoc oleo mansuetudinis perfusus Dauid psalm. 131. *Memento*, ait *Domine, Dauid & omnis mansuetudinis eius*, fuit enim benignus & liberalis non tantùm vno sed pluribus modis, vti optimè monstrat S. Bernardus in inimicos,

Superior non debet facilè turbari.

lugendo mortem Saulis, cui successit in regno: in proles, *Absalon fili mi, quis tribuat vt moriar pro te, Absalon fili mi*: in subiectos, ferendo iniuriam, & noxam donando Semei. Vtinam se tam inciuilem, inurbanum, & illiberalem exhibuisset alienæ speciei, quàm humanum, & benignum in alios se ostenderat! Vtinam ne quidem aspectu dignatus fuisset eam, ceu fecisse Alexandrum, in simili occasione, refert Plutarchus.

Verba prælati debent esse folia ad sanitatem gentium.

8. De arbore illa vitæ Christum præfigurante legitur Apocal. 22. quòd folia eius, fuerint ad sanitatem gentium. Ecce qualia huius arboris folia, id est, verba, nimirum ad sanitatem gentium, vt discant superiores, vt si velint verba & monita sua prodesse subditis, & curare eorum vulnera, ea fieri debeant tanta dulcedine & mansuetudine, tanquam adhibito arboris virentis folio, quo nihil est lenius, minentur quidem, sed, precibusque minas regaliter addant.

Priùs suauitate deinde asperitate incedendum subditis.

9. Tentet priùs suauitate, quàm asperitate, mederi subditorum vulneribus, ad instar illius senis de quo in fabulis. Senex quidam iuuenem sibi poma surripientem, blandis orabat verbis, vt ex arbore descenderet, nec res suas auferre velit, sed cùm in cassum verba funderet (iuuene eius ætatem & verba contemnente) Non verbis tantum, inquit, sed etiam in herbis audio esse virtutem, herbas igitur vellere, & in eum iacere cœpit, quod iuuenis conspicacatus in vehementem risum effusus est, & senem delirare arbitrabatur, qui crederet eum ex arbore herbis posse diuellere, tunc senex: omnia experiri cupiens, quando, inquit, verborum & herbarum vires, aduersus raptorem rerum mearum nullæ sunt, lapidibus agam, in quibus dicunt quoque esse virtutem, lapidesque quibus gremium impleuerat, in iuuenem iaciens, illum descendere & abire coëgit. Hæc fabula indicat, omnia primò prudenti tentanda, quàm ad violenta, & armorum dura confugiamus auxilia.

Non debet Superior subditum multis grauare præceptis.

10. Ad hanc etiam spectat mansuetudinem, ne Prælatus inferiorem grauet varijs præceptis. Optimus pastor Matth. c. 11. ait: *Iugum meum suaue est & onus meum leue*, efficiat igitur præsul, vt iugum quod imponit suaue sit & onus leue. Suaue iugum, leueque onus, Adamo Deus imposuit Genes. c. 2. *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, &c. Omnes paradisi arbores suauiter concessit, vnam tantummodò prohibuit. D. Gregor. lib. 35. moral. cap. 10. *Notandum*, inquit, *quod dicitur, Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Qui enim ab vno quolibet bono subiectos petat, necesse est vt multa concedat, ne obedientiæ mens funditus intereat, si ab omnibus bonis penitus repulsa ieiunat. Omnes autem arbores ad esum Dominus concessit, cum ab vna prohibuit, vt creaturam suam quam nolebat extingui, sed prouehi, tantò faciliùs ab vna restringeret quantò ad cunctas latiùs relaxaret*, &c. At verò quæ subditis concedenda, quæue neganda sint, ipsa docebit prudentia. Nihil autem quod in perniciem verti posset concedendum.

Non facienda sementis in vineâ. PHILO IVDÆVS.

11. Deus in lege veteri præcepit vt legimus Deuteron. 22. de non facienda semente in vineâ. Triplicem autem adfert huius legis rationem Philo Iudæus libro de creatione Principis. Prima, habet respectum ad ordinem, quem superior siue Princeps tenetur seruare, nimirum instar mali punici, in quo omnia ordinata, & bene riteque disposita. Vnde sic ait: *Primum ne hoc modo confundantur diuersa genera. Segetes enim & arbusta nihil habent simile. Ideò natura quoque non eosdem vtrisque præfixit terminos prouentus annui: sed meßibus ver, æstatu autem extremum comportandis arboreis fructibus. Itaque fit vt eodem tempore illæ flauescant, quæ priùs viruerant, arbores verò germinent squalore deposito: per hyemem enim arboribus fronde nudatis virent segetes, vere autem redeunte arescunt, quando germinant mites siluestresque arbores. Atque ita ferè circa eundem terminum cereales fructus maturescunt, & arbores se exeunt, meritò igitur tam distantes res natura, germinatione, maturitateq́; legislator coniungi vetuit, vt omnia disponeret ordine. Nam ordo affert ornatum, quem adimit confusio*, &c. sic Philo. Secunda ratio, etiam ad eundē ordinem in republica seruandum spectare videtur, qui in eo præsertim consistit, ne vnus alteri noceat, quæ Ordinis pars siue species, in malo punico etiam clarè exprimitur, dum in diuersos quasi conos totum distribuitur, inter quos tela quædam sericis longè tenuior & mollior inest, eosque separat, ne (quod accideret, si grana mutuò se contingerent,) corrumperentur. *Alia verò*, ait Philo, *huius legis causa est, ne altera species lædatur ab altera, dum sibi inuicem alimenta subtrahunt & humor in multas stirpes absumptus, languidiores eas facit præ inopia, aut in totum steriles, aut fructum degenerem.*

Ne bonus ager grauetur onere grauissimo.

12. Tertia ratio nostro inseruit proposito. Sic enim ait: *Est & tertia ratio, ne bonus ager, prematur onere grauissimo, vexatus, vel ferentium plantantiumq́; operis in orbem redeuntibus, vel duplicata feracitate fructuum. Satis enim est, si Dominus è suo prædio tributum vnum exigat annuum, sicut Rex è sua ditione, qui verò plura tributa conatur imponere subditis, non facit officium boni Principis, sed auari, & pugnantis cum naturæ legibus. Quapropter quicumque colonus nimis ad rem attentus inter arbusta seminat, potest obiurgari his verbis legislatoris: Cur sæuior es regibus ciuitates regionesq́; debellantibus? Illi prospicientes futuro tempori suis parcunt prouincialibus, contenti vno tributo annuo, ne subiectos redigant citò ad extremam inopiam: Vos autem cùm ex eodem fundo colligatis in vere hordeum, atque triticum, in æstate fructus arboreos, duplici eum tributo grauatum opprimitis.*

opprimitis. Fieri non potest quin exhaustus deficiat, quemadmodum athleta cui respirare non datur ac vires colligere, vt certamen redintegret. Sic Philo. Turpe est in principe plura exigere tributa. *Boni namque pastoris est, teste Tiberio, tondere pecu, non deglubere.* Pulchrè dicebat Alexander adulatori cuidam, volenti persuadere vt populum maioribus grauaret tributis. *Olitorem odi qui radicitus herbas conuellit atque ab ima stirpe arbores excidit.* Turpe est agricolæ agrum grauare diuersis seminibus & frugibus. Sic turpe in superiore subditos grauare multis præceptis præsertim durioribus. Qualiter qui præest pietatem cum iustitia miscere debeat, vide Piña tom.2.in Eccli.c.14.etholog.386.

Sicut malum punicum, in granorum gratiam, sese dilacerat: ita Christus, quem imitari debet omnis Superior in gratiam hominum, vndique dilaceratus.

§. V.

Christus in gratiam hominum dilaceratus.

1. HOc proprium etiam malogranato, quod vt granis, incrementa quotidiana capientibus, commodiorem & capaciorem, intra corticem nimis angustum, præbeat locum, quasi non sibi, sed granulis viueret & existeret, cum summo suo incommodo & detrimento sese dilacerat, disrumpit & findit purpureum corticem, & hiulco quasi accepto vulnere, sese dilatat. Quàm luculenter idipsum in Christo, in summo omnium pastore, & Episcopo animarum nostrarum, animaduertere & clarè siue ad oculũ perspicere licet, rectè Dauid de Christo loquens, ait Ps. 20. *Miserator ac misericors Dominus.* Miserator iuxta vim verbi Hebræi, *rahum* significat eum, qui non solùm dolet aliorum vices sed sese euiscerat vt aliorum succurrat necessitati. Nónne talis miserator ac tale punicum malum Christus, aspice laceros pedes, laceras manus, & lacerum pectus vt omnes mortales, etiam truculentissimos hostes, tanquam tot candida & purpurea grana, hospitio cordis posset accipere. Aspice tremendum illud caput coronâ spineâ redimitum, aspice tempora spinis transfixa & dilacerata, vt homines cælestis gloriæ coronâ possent exornari, effusus est instar aquæ, vt nos gremio suo colligere & fouere posset. O præclarum malogranatum. In hoc præclarum malogranatum mihi videtur oculos coniecisse, eoque alludere voluisse S. Augustinus sic loquens in Manuali cap.21. *Quidquid*, ait, *ex me mihi deest, illud totum mihi vsurpo ex vulneribus Saluatoris quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant, per foramina corporis patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiæ, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Foderunt manus eius & pedes eius, & lanceâ latus eius aperuerunt, per has rimas mihi gustare licet, quàm dulcis & suauis est Dominus meus.* AVGVST.

Christus non sibi, sed hominibus vixit.

2. Certè si summi Sacerdotis sit, non sibi, sed subditis viuere, etiam cum proprio incommodo, nemo id luculentiùs præstitit Christo, siue in nascendo, siue in moriendo. An non nobis natus, nobis datus ex intacta Virgine? An non Angelus ad Pastores: *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator in Bethlehem?* ideò etiam notanter datum crediderim: *Ecce Rex tuus venit tibi*, quando Hierosolymam occidendus accedit, quando inimicorum sese offert insidijs, quando se nefarijs tradit iudicijs, non sibi mortem timet, sed nobis mortem proficuam assumit, hinc desipientes Pharisæos, qui dicunt: *Si Rex Israel est, descendat de cruce.* Matth.24. eleganter pungit Bernardus ser.1.de pass. *Imò verò, ait, titulum regni non deserat, virgam imperij non deponat.* Serui moriuntur sibi, vt qui sibi etiam viuunt, verùm Christus Rex omnium & Saluator, nobis natus, etiam nobis moritur, non sibi, quocirca noluit descendere de cruce. Pulchrè Ambr.lib.10.in Luc. *Noluit descendere, ne descenderet sibi sed moreretur mihi.* O vnicus Rex Israel & verus Rex vniuersæ creaturæ, qui nihil sibi accipit. Nihil sibi præsumit, & mori & viuere donat suis. Ad hæc scitè D.Athanasius de pass. & cruce ait. *Omnia diabolus mouebat, & quidem præter animi sententiam promittebat, modò efficere posset, ne Christus Dominus moreretur, & ad inferos descenderet. Denuo igitur Iudæis auctor fuit vt dicerent: Si Rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei. Dominus autem re vera Seruator, qui non sua sed nostra quæreret, non in se saluando, sed in creatura redimenda, Saluatorem se esse, innotescere volebat. Non item sol suum iubar in se contrahens, pro lumine agnosceretur, nisi etiam orbi terrarum suos radios exporrigat, & tenebras illuminet*, &c. An non meritò potest dicere Christus: Ego sum pastor bonus, cuius nimirum nihil tam proprium, quàm ouium, non autem proprium spectare lucrum & commodum. ATHANAS.

Non sibi viuat Superior.

3. Sic etiam non sibi viuat Episcopus & Prælatus, non sibi viuat Imperator & Princeps. Valerianus, Pomponius, & alij affirmant magni sceleris loco habitum fuisse apud Romanos, si Sacerdotes non solùm

solùm tangerent hæderam, verùm & ipsum pertransirent locum, quem vmbra eius occupabat, quid hoc sibi vult? Rationem reddit Plutarch. in problemat. nimirum quia hędera alijs arboribus adhęrendo, per easdem quasi serpendo, in altum sese eleuet & ascendat, earum exsugens succum atq; humorē, ita vt sicca & sterilia, imò demortua remaneant, quæ omnia conuertit in viridia folia, flores & fructus, quibus seipsū exornat & vestit. Abominabātur ergo antiqui, Episcopum vel superiorem & principem qui cum aliorū incommodo seipsum pascebat, sua auidè quærens, non quæ subditorum. Quanta inter Christum & homines differentia. Christus suis verum punicū malum, homo suis est instar hæderæ, quam ab hærendo deducunt grammatici. Christus sese dilacerat & euiscerat vt alijs prosit, vellent homines vt omnes alij sese euiscerarent vt sibi bene sit, sibique prosint.

Punicum malum non ægrè fert quod dilaceretur à granis, sic Christus nō reddidit malum pro malo.

4. Quod amplius, postquam à granis, vt ad iustam perueniant magnitudinem, dilaceratum & confractum est ipsum punicum malum, quid accidit? an hoc malum, malum pro malo reddit? an suum denegat granis obsequium? an humorem suum illis subtrahit, an cortice duriori & corio ea à pluuijs & inclementiâ aëris protegere & defendere recusat? Nihil horum, sed vincit in bono malum, eadem grana fouet, reficit, humectat, conseruat, protegit. En quanto iure Christum malogranato comparamus, pro quibus ille patitur, moritur, sanguinem fundit? an non pro vulnerantibus, crucifigentibus, & acerbissimis hostibus, an non pro illis qui corticem sacratissimæ carnis flagris dilacerarunt? An non pro illis peccatoribus, qui supra dorsum suum arauerunt & prolongauerunt iniquitatem suam? Pro quibus orat pendens in cruce? an non pro persecutoribus? & qualiter orat? voce, & ore postulat & rogat. Ore linguæ, dū ait: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*; ore vulnerum, nimirum instar dilacerati mali punici. Pulchrè Rupertus notat, quando iubeatur Dominus omnium Christus postulare, nempe psalm. 2. vbi dicitur *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Sed vide quali in discrimine constitutus sit Dominus, qui totum in se mundum insurgentem conspicatus inquit: *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersum Christum eius*. Sed quomodo postulauit? *Audito verbo*, inquit Rupertus, *postula à me*, *modum postulationis debemus noscere. Quomodo nisi moriendo postulauit? Humilitas eius passionis, postulatio fuit*, &c. Hæc est digna tanto principe & tam amoroso Domino postulatio, quæ instar dilacerati mali punici ore vulnerum fit, quæ petitur non tam linguæ clamoribus, quàm laborum & pœnarum pro ingratis granis, ingratis, inquam, subditis, quinetiam inimicis, acceptorum. O pulcherrimum & verum malogranatum Christum. O pastorem bonum qui animam pro ouibus ponit, qui deperditam quærit ouem per dumeta & spineta, inuentam in humeros suscipit, ad caulas lætus reducit. Talis etiam omnis sit animarum pastor, omnis superior, quamuis grauem acceperit à subditis iniuriam, non sit tamen alieno ab eis animo, non toruo aspiciat vultu, iuuet oratione, soletur obsequijs, exacerbatum eorum animum mitiget, beneficijs hoc à superioribus & inferioribus postulat Christus, nimirum vt aduersarios diligamus.

Quàm æquum & iustum, vt Christianus, optimo Pastori Christo, offerat vinum malorum punicorum, id est, charitatem ad inimicos vsque sese extendentem.

§. VI.

Offerendū à nobis Christo optimo pastori vinum malorum punicorum.

5. Quis tam erit ingratus & durus, vt benignissimo huic Principi, atque vniuersorum Domino, res leues & paruulas denegabit? quid ille à subditis & à filijs postulat? postulat poculum ex vino condito, & mustum granatorum, quod sponso propinandum pollicebatur amatrix illa Sponsa cùm ait Cant. 8. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito & mustum malorum granatorum meorum*. Quodnam hoc poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum? Non sanè dilectio illa ordinaria amicorum & benefactorum nostrorum, parentum & consanguineorum, ac diligentium nos subditorum, nos fauore & amore prosequentium, hoc enim Ethnici faciunt, & publicani, quinetiam & & bestiæ & fera animantia, vinum hoc vulgare est, & commune, nec multum sapit, multumque delectat sponsi guttur, palatumque suauissimum, verum dilectio illa extraordinaria inimicorum, & odientium ac persequentium nos, vinum est exquisitissimum & planè extraordinarium. Huius suauitate & gustu mirum in modum delectatur & reficitur sponsus ille cælestis.

Extraordinaria dilectio adumbrata in vino malorū granatorū.

6. Hæc

6. Hæc dilectio mustum est malorum granatorum, id est, apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum, qui pro persecutoribus suis exorarunt, qui sanguinem pro eorum salute fuderunt. Hæc dilectio poculum est ex vino diuersis virtutum aromatibus condito: vis tale videre vinum, vis talem videre charitatem? Audi loquentem Apostolum. *Charitas*, ait, *patiens est, benigna est, non inflatur, non agit perperam*, &c. Ecce patientiam, benignitatem, mansuetudinem, humilitatem, &c. tanquam tot virtutum aromaticas species, quibus vinum hoc dilectionis inimicorum condiendum, vt verum sit, & non fucatum, vel composititiū; nemo enim absque harum virtutum præsidio illud Christi præceptum implere potest. *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos.* Hunc ergo amorem postulat à nobis Christus, & quid illo facilius? nullus certè in amando labor.

Vinum cōditum est charitas.

7. Sed esto. Sit laboriosa res, sit plena periculis amor & dilectio inimicorum, an denegare eam poteris Christo eam postulanti, non tam linguæ clamoribus, quàm ore tot tantorumque vulnerum, quibus instar mali punici, ob tuam salutem dilaceratus & quasi confractus atque disruptus extitit? An puluis ille, quo vndique est respersus, dum in arenam pro te pugnaturus descendit, an ille labor, an illa indigentia, an tot miseriarum seges, pro salute tua ab illo tam amanter suscepta, non iure à te tale munus exigunt? Quæ durior res à Rege expeti posset, quàm aqua illa, à Dauid expetita 2. Reg. 23. infinitus penè hostium exercitus, tenebat Bethleem campos, quorum vires experturus erat, quicumque ad cisternam oppidi accederet aquas. Nihilominus Dauid media in acie sitibundus, medio è puluere belli ad suos clamat. *Quis mihi dabit potum aquæ de cisterna quæ est in Bethleem?* Quis subditus audire posset tam durum sui regis mandatum? Vbi securas aquas haberet è propria domo, exigit ex mediis hostibus sibi aquas portari? quia regis pugnantis, & puluerulenti exactio fuit, adeò grata extitit subditis, vt non dubitarent, se in periculum dare, & afferre aquam. Sic expendit Sophronius homilia de Christi natiuitate. *Tres*, ait, *fortissimi pugnatores regis desiderio comperto, ipsumq; non sine iustissima causa dicere audientes, quis dabit mihi potum aquæ de cisterna quæ est in Bethleem, rati aquæ, quæ sensu percipitur, desiderio illum teneri in manifestum vitæ periculum proruerunt, eximiam & admiratione dignam in principem beneuolentiam, inuictumq; erga salutarem eius sermonem, studium & ardorem demonstrare instituentes* &c. Si regis puluerulenti exactio, tam grata fuit, quid erit regis sanguinolenti, ac proprio sanguine purpurati, quid erit regis vulneribus conscissi? quid regis Christi, habentis laceros artus, imò & ipsum pectus instar punici mali dilaceratum pro subditorum salute? Vide ergo ne hoc vinum conditum & mustum malorum granatorum, id est, dilectionem inimicorum, illi deneges ac recuses.

Christi labor pro nobis susceptus meritò à nobis tale exigit munus.

8. Poëtæ antiquitus amori, pro stemmate, insignibus, atque armis gentilitiis, assignabant, ipsum malum punicum, non sagittas, non pharetram, non tædas accensas, licet vulneret, accendat &c. iuxta illud Alciati, emblem. 115.

Malum punicum antiquitus cur datum amori pro armis & insignibus.

Iucundus amor est lasciua per otia, signum
Illius est nigro punica glans clypeo.

Ratio, ni fallor, est, quia nulla est maior amoris probatio, quàm quæ in malo punico demonstratur, nullus est lapis Lidius, ita explorans veritatem dilectionis, quàm bonum pro malo reddere, quod præclarè præstat granatum, dum granis illud dilacerantibus non desinat impartiri succum quo vegetentur.

9. Quicunque hac exornantur charitate Reges sunt & sacerdotes Christi, pro stemmate illis à cælesti rege concessa, non nigro punico glans clypeo: sed aurato punica glans clypeo. Quin etiam glorioso martyrum annumeratur exercitio, inimicum diligens, & aduersariū beneficiis prosequens. Scimus sponsum dicere amatrici sponsæ Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ*; in genis, quæ sunt altiores, præstantiores ac honoratiores corporis partes, martyres intelligens, quos fragmini mali punici comparat, nam ipse Christus integrum est malum punicū, quia in passione totus rubuit, & quia dolores Christi vt angelicus Doctor optimis rationibus, probat in passione sua, omnes dolores huius vitæ superant, etiam quos alij martyres passi sunt. Vis scire qua ratione fragmen mali punici, qua ratione martyr efficiaris? Audi Eusebium Emyssenum sermone de S. Stephano vbi inquit: *Notum per ista fit, quia partem & opera martyrii suscipit, qui odium mali debitum generosi cordis benignitate calcauerit.* Non deest fragmini, seu dimidiæ parti mali punici, dimidia corona, non deest inimicum diligenti, integra iustitiæ quâ decoratur corona. Licebit namque huic viro sic partem, & opera martyris suscipienti, dicere illa quæ Dauidi ab spelunca egredienti, vbi infestissimo pepercerat hosti, dixit D. Chrysostomus hom. de Dauide & Saul. *Etenim sic, ait, non egressus est gestans Saulis diadema, sed egressus est gestans coronam iustitiæ* &c.

EVSEBIVS EMYSS.

CHRYSOS.

Sicut malum punicum cæteros fructus antecedit dignitate, ita Christus tam angelos quàm homines præcellit excellentiâ, qualiterque omnis superior debeat præ subditis, virtutibus excellere.

§. VII.

Punicum reliquos fructus antecedit dignitate, ita & Christus tam angelos quàm homines.

1. POstremò, totum punicum malum, in regia quadam corona desinit, quam reges imitati esse videntur, cùm sibi capitis ornamentum inquirerent. In quo videtur rerum conditor nobis ostendere voluisse, hunc vnicum fructum cæteros omnes superare, atque inter omnes principatum gerere. Quis dubitat quin Christus respectu angelorum & hominum, sit illud, quod est inter fructus malum punicum, sicut ergo pastor hic cælestis longè superat & dignitate & virtute omnes sanctos, imò omnes spiritus angelicos, idem conetur & prælatus, sicut dignitate ita & meritis subditos præcellat. *Tantum*, ait Diuus Gregorius 2 part. past. cap. 1. *debet actionem populi, actio transcendere præsulis, quantum distat à grege vita pastoris.* Caput cæteris membris valde excellit. Pastor est caput ouium, oportet ergo ouibus instar capitis virtutibus anteire. Præstat pastor dignitate: vt dignitate sic virtute præstet 1. Reg. 10. *Stetit Saul in medio populi & altior fuit vniuerso populo ab humero & sursum. Et ait Samuel ad omnem populum, certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo* &c. Altior erat Saul corpore, corporis verò altior statura, animi eam altitudinem adumbrabat quæ pastori necessaria est. Audiamus Chrysostomum lib. 2. de sacerdotio. *Prodeant*, inquit, *in medium ad functionem scilicet pastoralem qui longè omnibus præstant, quique virtute animi tantum reliquos excellant quantū corporis magnitudine Saul Hebræorū gentem excelluit. Seu potiùs multò etiam magis* &c. Item D. Chrysost. hom. 10. in ep. ad Timot. *Cùm*, inquit, *qui regendos alios suscipit, tanta decet gloriâ virtutis excellere vt instar solis cæteros veluti stellarum agniculos in suo fulgore obscuret.*

Ita superior in virtutibus debet antecellere subditos.

Similis fit Saulis.

Chrysos.

2. Dum sic excellit, tum verè antecedit, & ante oues vadit, ouesque illum libenter sequuntur. *Sit pastor*, ait D. Greg. 1. parte pastor. cap. 3. *operatione præcipuus vt vita viam subditis viuendo denunciet. Et grex qui pastoris vocem moresque sequitur per exempla melius quàm per verba gradiatur. Illa vox libentiùs auditorum corda penetrat quàm dicentis vita commendat.* Et optima ouium pascua sunt exempla pastoris, quod Bernardus docet ser. 76. in Cant. his verbis: *boni solicitiq; pastores, impinguare pecus non cessant bonis latisq; exemplis & suis magis quàm alienis. Nam si alienis & non suis ignominia est illis & pecus, ita non proficit* &c.

Pastor debet esse operatione præcipuus. Gregor.

3. Ab hoc prælatorum siue pastorum exemplo, pendet tota ratio bonæ vel malæ vitæ, atque regiminis ipsorum subditorum, siue ouium, vt bene cecinerit Poëta Claudianus:

A bono exemplo superiorum pendet totum bonum subditorū.

——— Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis,
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Vt prælatus siue princeps sit quodammodo regni remex qui clauo exempli sui quocumque voluerit flectet illud, & huc illuc vertat: sit mobile primum, viribus exempli sui rapiens post se inferiores & subiectas sibi sphæras, quę etsi lentæ & tardæ in suo motu, sunt nihilominus promptissimæ vt imitentur sequanturque actiones Principis, formando quæque sibi seorsum amplissimum priuilegium exemptionis & immunitatis, quoad obseruantiam legis in hunc modum,

Quod reges decuit, cur mihi turpe putem.

4. Ad institutum hoc insit Egesippus lib. 2. de excid. Hierosl. cap. 5. *Imperatoris colluuio lex flagitiorum est.* Profectò ita est peccatum principis, est fauor specialis & priuilegium datum subditis: qui quanquā possint vituperare illud in persona principis sui, tamen in seipsos spectantes putāt rem paruam & excusatione dignam. Honorē promereri, & gloriam magnam, rebatur se armiger Saulis, seipsum exēplo Regis sui vitâ priuando. Aulici Holofernis, formosas mulieres lasciuis sermonibus adorsi sunt, cernentes eum amore Iudith captum. Demū, vt inquit Ioseph. l. 8. antiq. c. 10. *Opera principum approbare non videntur nisi etiam similiter hæc agant.* Nec vlli dubium quin Magnates grauiùs perpetrent malum malo suo exemplo, quā abusu potestatis. Draco olim B. Ioanni in visione ostensus Apoc. 12. multitudine capitum & cornuum suorū, signat potentiam: ast caudâ suâ notat exemplū & imitationē. Hinc dicitur caudâ, non capite, aut cornibus, copiosum stellarū numerum, secum

Qualis superior, talis subditus.

secum traxisse. Qui regẽ cauda stellis deorsum trahentẽ cernere cupit, consideret idololatriam Hieroboam. *Qui peccare fecit populum Israel* 3. Reg. 12. de quo multa scribit Oseas c.7. quanquã obscuriùs: spectet impium Herodem qui animo turbatus, vniuersum regnum secum turbat. *Turbatus est Herodes & omnis Hierosolyma cum illo.* Populi sunt adinstar ouium Iacob, qui & principum refert personam: & quales sunt virgæ, inquit S. Gregorius 21. Moral. ca. 21. actionesque principum, tales sunt oues, id est subiecti. Sunt quoque populi, similes fluminibus, *Aquæ multæ, populi multi*, retinentes ordinariè gustum & naturam suæ scaturigis. Sunt sicut mare quod recipit apparentias similes aëri superiori, & mutatur pro diuersitate colorum eius. Sunt iterum similes vmbræ quæ mouetur ad motum corporis, à qua efficitur. Assimilans scriptura sacra peccatum vmbræ ait Iob 41. *Protegunt vmbræ vmbram eius*, quod tunc accidit, quando malum malo tegitur. Sanè non admodum mirũ profundas valles tegi, & obscurari ab vmbris, sed aduenięntis vesperę signũ sunt cũ à montibus excelsis decidunt.

Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ. Denique sunt populi similes apographis, aliisque scriptoribus transcribentibus aliquod exemplar: nam ex prototypis principum imbibunt mores. Quod si incorrectos eos aut mendosos acciderit deprehendi, facillimè purgant sese, & culpam reijciunt in exemplaria pariter mendosa, incorrectaque. Quod deterius est, rarò accidit, vt principis peccatum non vulgetur, prodatur, manifestetur, adeoque sit scandalosum, perniciosum, correptione dignum. *Dupliciter reus est*, ait Isidor. l. 2. de sum. bono c. 9. *qui apertè delinquit, quia agit & docet*. (ISIDOR.) Namque potissimùm superioribus dictum est Rom. 12. *Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et quoniam ipsis res geminæ, conscientia interiùs, vita exteriùs, illam Deo debent, istam subditis. *Duæ res sunt*, ait Augustin. de comm. vita cler. *conscientia & fama, conscientia est necessaria tibi, fama proximo.* (AVGVST.) Namque ipsi sunt signati per ciuitatem in fastigio montis positam & per lucernam positam super candelabrum, quæ omnium aspectibus obijciuntur, quocumque locorum fuerint. Non est eorum lepra, vt ducis Moysis, in manu tantùm quę possit celari, abscondendo eam in sinu, sed vt lepra principis Osiæ, quâ operiebatur corpus eius à calce ad verticem, vt legimus 2. Par. 26. demum quidquid mali, non dicam committant, sed in abscondito excogitent, & clam moliantur, tandem in publicum prodit. (Superiorum defectus non possunt celari.) Atque si Nabuchodonosor statua per caput aureum signabat principes, & per pedes luteos, populum, quis nesciat, vestium oris, facilè tegi pedes, non autem macula, aut cicatrix, impressa capiti aureo? Cui in manu sex digiti, aut in pede quatuor, aut mutilum membrum, aut alius quiuis in corpore defectus, facilè celabit ista: non ita, si signo aliquo, aut cicatrice, notetur in facie, quæ nedum erit publica, & omnibus manifesta, sed etiam signo erit, quo talis dignosci queat. Homerus sic dictus est, quod esset cæcus. Horatius qui quondam toti restitit Tusciæ vt testatur Plutarchus in polit. cognominatus est Cocles, quòd vno oculo priuatus esset. Ludouicus Cæsar dictus, Balbus, quod verè inter loquendum balbutiret, vt hac in parte magna sit inter superiores, & malum punicum differentia, Malum enim punicum, emptorem egregiè ante omnia poma ludificatur, & se probantibus imponit, purpureo scilicet, rubicundo, lepidoque cortice spectantibus adblandiendo, mox interiora aperientibus plerumque situm, putorem, marcoremque patefaciendo: hinc factum vt plerique veterum, simulationem probitatis per id genus pomi significari dixerint. (Longè aliter res se habet in malo punico quàm in principe.) Vnde scholasticus ille seuerioris doctrinæ magister. *Superbus*, inquit, *malum punicum est, quod interiùs putridum sit, exteriùs verò mirabilem præ se decorem ferat*, vt meritò hoc pomum pro simulatoris Hieroglyphico ponat Pierius lib. 54. Hierog. c. 30. (Malum punicum symbolum simulatoris.) (PIERIVS.) At longè res se habet in superiore nihil in eo opertum quod non reueletur.

5. Postremò, *vt in corporibus, sic in imperio, grauissimus est morbus qui à capite diffunditur*, ait Plinius Iunior l. 4. epist. ad Sempron. (Grauissimus est morbus qui à capite procedit.) Maxima est fundamentorum ruina cui tota innititur domus, sic qui in rempublicam à principe & superiore emanant vitiorum morbi, periculosissimi sunt, & ruina illius domus & reipublicæ magna, cui ruina & mala vita superioris dat ansam & occasionem. Holkot scribens in Sapientiæ cap. 18. lect. 197. prælatum columnæ comparans, ait Prælato Ieremiæ 1. dicitur: *Dedi te hodie in ciuitatem munitam, & columnam ferreã:* quàmdiu enim columna est recta, bene supportat onus superpositum, sed quàm citò incipit curuari, statim tota fabrica cadit: Ita est moraliter quamdiu seruat prelatus rectitudinem & iustitiam, sequens iura & bonam conscientiam, meritoriè supportat, & exequitur causam suã. Quando verò declinat ad latus propter affectiones, vel offensam, non reprimendo defectiuos, & fouendo bonos, tunc tota frabrica cadit. Iudicum 6. legimus quòd Samson concutiendo duas columnas quibus tota domus innitebatur, domũ prostrauit, & omnes qui in ea erãt occidit. Isto modo est de diabolo. Affectat enim aliquando vnam congregationem deuotam subuertere & eam occidere, hoc est, eis charitatem, quæ est vita spiritualis auferre. Et vt illud fiat, breuiorẽ viam non habet, nisi columnas illius congregationis concutere & allidere perturbationibus & cõmotionibus. Iob 9. *Qui terram*

commouet de loco suo & columna eius concutiuntur. Sic Holkot. Præcellat ergo superior dignitate, sed etiam præcellat vitæ exemplo, & antecedat fæliciter gregem iuxta illud Ieremiæ 50. *Estote quasi hædi ante gregem*, quæ verba Regibus & pastoribus dicta, quos vult audacter & confidenter præcedere gregem, sicut solent arietes & hirci gregum duces, imò lætanter & subsiliendo præ gaudio, iuxta illud.

Hædiq; petulci
Floribus insultant.

Semper oportet prælatum bonis operibus subditos præcedere.

6. Neque sufficit prælatum aliquando præclaris operibus præcessisse gregem, nimirum in vigore ætatis, in primordiis sui regiminis, verùm oportet eum semper esse præcinctum ad bona opera, oportet semper lætanter & instar arietis vel hœdi præcedere gregem. Audi quid fecerit Ezechiel antequam audiret, vt legimus Ezechielis cap. 3. *Fili hominis speculatorem dedi te domus Israel. Veni*, inquit, *ad transmigrationem, ad aceruum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta fluuium Chobar & sedi vbi illi sedebant, & mansi ibi septem diebus, mœrens in medio eorum. Cùm autem pertransissent septem dies factum est verbum Domini ad me dicens. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* Obserua, quoniam speculatoris munus Ezechieli iniungitur, priùs perrexit ad aceruum nouarum frugum, id est, virtutes, & rerum præclarè gestarum fructus. Non satis esse iudicauit Dominus mittere Ezechielem ad veteres fruges, sed ad nouas mittit fruges, vt doceat præsules & superiores non confidere in rebus strenuè gestis, semper enim debent esse præcincti ad præclara efficienda, ad nouaque aspirare, & instar feracissimi agri fructus ferre, non quoscumque virtutum sed vberrimos, hinc non solùm ad fruges, sed ad aceruum mittitur frugum, quoniam subditis debet omnium virtutum præbere alimenta. *Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi*, ait sponsa, Quid per poma intelligit, nisi virtutes. Neque poma solùm offert sponso, sed omnia, inquit, quoniam ne muneri suo deesse videantur principes & prælati, omnium debent proferre fructus virtutũ. Neque solùm, ait omnia poma vetera, sed noua etiam addidit, videlicet, ne veteribus & præteritis videatur fidere fructibus, nouos in dies edere tenentur superiores. Quomodo enim si non omnibus sit virtutibus insignis audebit reprehendere subditorum vitia? Quomodo medelam adhibere vulneri alieno, si ipse eodẽ laboret?

Superior sal terræ vocatur, quia virtutem debet subditis reddere sapidam & dulcem.

7. Si vitam ita prælatus & pastor instituat, virtutem omnibus dulcem & facilem reddet, erit verè sal terræ. Non sanè absque ratione Dominus Apostolos dixit sal terræ, Mat. 5. idem enim est ac si dicat: Ecce præparo, apponoque mundo mensam, optimis saluberrimisque refertam cibis, quales sunt paupertas spiritus, mansuetudo, iniuriarum spontanea tolerantia, cęteræq; virtutes, at si cibi sensualitati sint insulsi atque insipidi, scitote vos esse sal, quo illi sunt condiendi. Adeò paupertatem, fletum, laborũ, persecutionumque tolerantiam amare debetis, vt omnibus his virtutibus saporem & dulcedinem conferatis, quo illas homines libenter exerceant. Reperientibus discipulis Elisæi ollę pulmentum amarissimum, præcepit sanctus Propheta in ollam parum farinæ immitti, & non fuit amplius quicquã amaritudinis in olla. In hoc opere S. Elisæus filios illos prophetarum, & in illis omnes superiores voluit erudire, eorũ munus esse amarissima quæque in dulcorem conuertere. Dum autem virtutem sic dulcem reddit & sapidam ipse pastor suo exẽplo, quid accidit? Nimirum in animis subditorum inducit sanctam quandam sterilitatem fructus planè pestiferi & mortiferi, quem alioquin proferrent, sunt verè illis instar salis. Sal sterilem terram efficit vt patet in terris maritimis. Sic vos doctrinâ vestrâ, pioque sanctitatis exemplo debetis efficere, vt animæ illius pestiferi fructus, quem plerumque ferre consuescunt, steriles sint. Certum vtique est, quòd quemadmodum postquam Deus maledixit terræ dicens: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi*, quod ex se non excultâ, & non satâ, profert, spinæ & tribuli sunt, triticum autem, vinum & oleum, non nisi culta producit. Sic anima nostra ex natura sua, non nisi mala post lapsum producit, vt enim dixit Dominus. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia & blasphemiæ.* O misera terra quæ pestiferum profers fructum, huius fructus vberrima est infælix anima nostra. Hanc exemplo suo tanquam sale sterilem reddit optimus prælatus, impeditque ne hunc maledictum ferat fructum.

8. Quod vt meliùs assequatur præter pulcherrimum vitæ suæ speculum quod illis imitandum proponit, non desunt etiam illis ob oculos ponere sanctorum virorum præclara facinora atque exempla, vt hac ratione virtutis viam leuiorem & faciliorem reddant, vtpote illos imitatus qui obuiam procedentes Christo, cædebant ramos de arboribus, quos sternebant in via. *Ramos ex arboribus prælatos cadere*, ait Bernardus serm. 1. Palm. *cùm sanctorum exempla ouibus suis proponunt.* Sunt enim sancti fructiferæ arbores fructibus plenæ, ex his prælati ramos cædunt in Christi honorem, cùm exempla desumunt. *Prælati*, ait Bernardus, *ramos cadunt de arboribus, verbi causâ, cùm de fide & obedientia Abrahæ, de castitate Ioseph de mansuetudine Moysi, cæterorumque sanctorum virtutibus Euangelisant* &c. Plena est cæli via huiusmodi ramis, id est, sanctorum exemplis, quæ viam facilem reddunt ac planam. Diuus Gregorius

Superior debet seipsum exhibere subditis vitæ speculum. Proponere debet etiam subditis aliorum sanctorum exempla. Bern.

rius hom. 17. in Ezech. censet ramos ex arboribus cædere prælatos & concionatores, cùm ex libris patrum decerpunt sententias. *Cùm patrum*, inquit, *sententias, in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus cædimus, & has in via Dei sternimus.* Arbores celsæ sunt, Diuus Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, cæterique patres, ex his ramos id est, præclara dicta, scripturæque explanationes decerpimus & in concionibus & exhortationibus quasi in via in honorem Christi Regis nostri, sternimus. Hisce ramis quàm facilem reddat prælatus subdito suo virtutis viam nemo facilè explicet.

9. Sic planè assequitur prælatus & pastor, vt qualis ipse est, tales sint & subditi, & oues. *Tanti exercitus, quanti imperator,* ait Florus. Eringium herbam, si vni capræ in os inseras, cùm ipsa sistitur, tum omnes consistunt, donec pastor herbam exprimat. Ita prælati, ac principis mores, magna vi, in populum & subditos, transfunduntur. Vt heliotropium & lupinum circumaguntur cum sole, & quocumque se mouerit ille, eò deflectunt & hæc cacumen; Ita subditi quocumque prælati ingenium vergit, eò propendent omnes. Quemadmodum apes mel conficiunt, sapiens eam herbam & flores, quos demetunt: vnde in Hispania, teste Plinio, mella in spartariis confecta, retinent saporem sparti, in eundem modum homines in superioribus & prælatis, veluti ex quibusdam arboribus, flores morum decerpunt, quos si suaues inuenerint dulcissimum conficiunt fauum, si autem amaros, hoc est, impuros & corruptos mores viderint in superiore & principe, eandem etiam amaritudinem imbibunt. Esto, sit congregatio aliqua vel monasterium, malis moribus prædita, sit planè syluestris & infructuosa, si tamen nanciscitur optimum prælatum & pastorem, mox assumet, & induet vitam moresque boni pastoris, atque in illius prorsus transibit naturam & similitudinem. Vides qualiter per insitionem arbor vnius naturæ conuertatur in aliam, quia dato quòd arbor sit sterilis vel syluestris, si tamen ramus alterius bonæ arboris ei insertus fuerit, incorporatur quidem hic ramus siue surculus stipiti syluestris arboris, sed ipsa relicta sterilitate tota transit & commutatur in naturam surculi, posthac fœcunda & onusta fructibus existens. Collegium vel monasterium relaxatum, arbor est syluestris, bonus surculus, bonus est prælatus, cuius mores cæteri sequuntur. Stipes sequitur naturam surculi, & non è conuerso, quia monasterium conformat se prælato, sed prælatus si malus fuerit non ideo se conformat bonis subditis, & sicut tunc est insitio optima, quando similibus inseruntur, vt ficus in ficum, vitis in vitem, sic ille surculus vel prælatus debet reputari melior, qui de eodem gremio accipitur.

FLORVS.

Quò propendet superior eò etiam propendent inferiores.

Quòd per hortum, in quo Christus, tanquam granum synapis, seminatus, sacra possit intelligi scriptura: & de varijs, inter hortum illum deliciarum, quem Paradisum vocamus, & sacram scripturam, conuenientijs.

SECTIO V.

1. Per hortum, in quo seminatum granum synapis, Christum adumbrans, possumus intelligere sacram scripturam, hæc enim varias habet cum paradiso illo & horto corporali conuenientias & analogias, vt meritò eam vocauerit Diuus Bern. *paradisum deliciarum*. Vis aliquas videre conuenientias.

Sacra scriptura adũbrata in paradiso.

De quinque analogijs inter Paradisum, & S. Scripturam.

§. I.

2. Imprimis, de paradiso siue horto illo terrestri legimus Genes. 2. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio*: sic etiam scripturæ sacræ paradisum plantauit ipse Deus, est enim omnis scriptura vt ait Paulus 2. ad Timot. 3. *diuinitus inspirata*, atque à Spiritu sancto dictata, hic enim scribentibus astitit, ne vel in puncto à veritate aberrarent, eosque excitauit & suggessit, vt hæc potiùs scriberent quàm illa. Et quamuis conceptum, & memoriam eorum quæ sciebant non eis ingessit Spiritus sanctus, inspirauit tamen, vt hunc potiùs conceptum quàm illum scriberent. Deinde omnes eorum conceptus & sententias ordinauit, di-

Paradisus à Deo plantatus: sacra scriptura à Deo inspirata.

gessit & direxit Spiritus sanctus. Verbi gratia, vt hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio loco, & ita consequenter, collocarent, & scripto consignarent, vt hac ratione sacrorum librorum author, dicatur esse Spiritus sanctus, cuius sunt effata, non autem ingeniorum opera, qui numine suo, mentem, & manum sacrorum scriptorum moderatur. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: Sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, vt ait Petrus 2. epist. 1.

In paradiso lignum vitæ in scriptura Christus.

3. Secundò sicut corporalis paradisus spectabilis erat & maximè nobilis, ratione arboris, siue ligni vitæ, in medio eius plantatæ; sic etiam scriptura sacra, eo nomine spectabilis, & decora valde, quod in ea vbique occurrat lignum vitæ Christus Dominus, ita vt tanquam granum synapis in scriptura tanquam in horto, vbique seminatus, dici possit. Nam vt ait D. Petrus act. 10. *Huic*, (id est Christo,) *omnes prophetæ testimonium perhibent*. Et Tertul. l. 3. carminum contra Marcionē c. 2. cùm de antiquis prophetarum oraculis loqueretur, ita canit.

Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.

Principaliter enim quæcūque dicunt prophetæ, aut de Christo sunt, aut ad Christū referuntur. Vnde D. Bernard. in ep. 106. de Christo Domino locutus, *Iam*, inquit, *de latibulo prophetarum egressus est ad oculos piscatorum, iam de monte vmbroso & condenso, tanquam sponsus de thalamo suo prosiliuit in campū Euangelij*. Quasi Christus Dominus, omnes prophetarum libros, tanquam propriū cubile, in quo requiesceret, occuparet. Nihil certius quàm omnem scripturam loqui de Christo vel incarnando, vel incarnato. BERN.

In paradiso lignum pulchrum visu, ita & in scriptura.

4. Tertiò, si produxit Dominus in illo terrestri paradiso, de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, profert sacra scriptura pulchriora visu, & ad vescendum suauiora. Si paradisus ille terrestris consitus vmbrosis fructiferisque arboribus, sacra quoq; scriptura iisdem est repleta. *Quid fuit Abraham*, ait Ambr. ser. 2. Palm. *quid fuit Dauid, quid reliqui iusti, nisi fructiferæ arbores*. Et D. Bern. serm. 3. Cant. *Historiam*, inquit, *scripturæ ad hortū puto non immeritò deputari, quòd in ea inueniantur viri virtutum, tanquā ligna fructifera in horto sponsi, & paradisi Dei, de quorum bonis actibus & moribus quot sumis exempla, tot carpis poma. An fortè quis ambigat Dei plantationem esse bonum hominem? Audi Dauid de viro bono quid canat, Psal. 1. erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & Ps. 91. iustus vt palma florebit, & sicut cedrus libani multiplicabitur, & de seipso Ps. 51. ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei*. Hæc Bern.

AMBROS. Iusti fructiferæ arbores. BERNAR.

Sacri scriptores frugifera ligna.

5. Quid sacri scriptores, qui diuino spiritu ducti, exararunt scripturam nisi tot frugifera ligna ac fructibus plena, præter vmbram, & quòd præstant refrigerium, verborum foliis & integumentis? Possunt quidem authores prophani, ac sæculariū librorum, ligna excelsa, ligna vmbrosa dici, quia illi quidem loquuntur excelsa, & floridâ vtuntur sapientiâ, sed fructibus vacui, cypresso nimirum simillimi, cuilibet authori prophano meritò dicimus illud Gennadij, lib. epist. 2. *Pulchra sunt quæ scribis, sed ego amo plus fortia, redimita sunt floribus, sed poma plus diligo*.

Sacra eloquia & diuina præcepta ligna scientiæ boni & mali.

6. Quartò, in terreno in illo horto erat lignū scientiæ boni & mali, quod idcirco sic nuncupatur, quia comedēti de eius fructu tribuebat scientiam discernendi inter bonum & malum, an lignū hoc desideratur in sacra scriptura. *Lignum etiam scientiæ boni & mali ibi posuit, videlicet sacra eloquia*, ait Laur. Iust. in præf. de ligno vitæ. Quid diuina præcepta nisi tot ligna scientiæ boni & mali, dum docent mala quæ vitanda, & bona quæ arripienda & consectanda. LAVR. IVSTIN.

7. Quintò, egrediebatur à loco voluptatis fluuius, & in quatuor fontes à capite diuidebatur; non abest à spirituali nostro paradiso fons maximè præclarus maximè fœcundus quem non alium esse dicimus quàm salutarem illam sapientiam, doctrinam, & eruditionem quæ nobis ipsa administrat sacra scriptura. *Scripturam*, inquit Aelredus Abbas ser. 1. de opere Babylonis, *totius eruditionis fontem nobis ministrauit*.

Scriptura ipsa fons est vberrimus. AELRED.

8. Ipsa scriptura, non tam fonte & fluuio exornatur & locupletatur, sed ipsamet fons est & vberrimus fluuius, vt pulchrè docet D. Bonauentura loco cit. sic scribens. *Est fluuius iste voluptuosissimus propter dulcores suauissimarum delectationum, luminosissimus propter fulgores limpidissimarum speculationum, ignitissimus propter feruores ardentissimarum inflammationum: impetuosissimus propter vigores subtilissimarum eleuationum*, & cætera quæ ibidem ille prosequitur. BONAV.

Sicut in Paradiso suauissimi flores & fructus, ita & in S. Scriptura.

§. II.

9. SExtò, in paradiso terrestri, erat versiculorum copia florum, suauem odorem spirantium: sic in sacræ scripturæ paradiso non desunt imò superabundant pulcherrimi & suauecolentes flores, loquentem accipe D. Chrysostomum hom. 42. in Gen. *Quemadmodum floridum quoddam pratum, varios & omnigenos flores ostentat: Ita diuina scriptura iustorum virtutes nobis demonstrat. Non sic vt illorum florum fragrantiâ tempore*

CHRYSOS. Iustorum virtutes flores.

tempore paruo fruamur, sed vt perpetuam inde vtilitatem percipiamus. Illic manu tantùm accipimus flores & protinus marcescentes, suam gratiam amittent: hic autem non sic, sed quando auribus iustorum virtutes; accipimus, & eas in sinu mentis reponimus, per omne tempus si voluerimus, eorum suaueolentiâ frui potuimus Hæc Chrysost.

Quinam flores in scripturæ horto reperiantur. AMBROS.

10. Audiendus quoque hac de re de D. Ambr. ser. 14. sic scribens. *Pascua sunt libri scripturarum cælestium, in quibus recreamur & reficimur, cum ea quæ scripta sunt, degustamus, & summo ore libata frequentiùs ruminamus: his pascuis grex Domini saginatur: Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis: Carpis lilium in quo sit splendor æternitatis. Carpis rosam, hoc est Dominici corporis sanguinem* &c.

Quinam fructus scripturæ. CASSIOD.

11. Septimò, producebat paradisus ille corporalis fructus dulcissimos & planè sapidos; eosdem exhibet cultori suo etiam sacra scriptura, in primis morum soliditatem & virtutum omnium cognitionem, vt docet Cassiod. libr. 9. variar. 29. vbi post præstantissimos mores sapientis recensitos, addit: *Hos igitur mores, lectio diuina solidauit, hinc enim virtutum omnium sumitur manifesta cognitio, hinc sapientia veritatis sapore conditur.*

De fructu, qui ex sacra lectione colligitur. DAVID DE AVGVSTA.

12. De fructu qui ex sacræ scripturæ lectione colligitur apposité & copiosè F. Dauid de Augusta in famula nouitiorum c. 16. *Fratres, ait, sæpe legite scripturam quia leuior oleo, auro sublimior, purior argento, hac est quæ præcipuè Deum prouocat diligere, corda illuminat, purificat conscientiã, animam sanctificat, fidem confirmat, animas frigidas calefacit, lumen scientiæ ostendit, tenebras ignorantiæ expellit, tristitiam sæculi extinguit, lætitiam Spiritus sancti accendit, sitienti potum tribuit: hæc naturam frænat, prohibet leuitatem, temperat dolorem, confert spem coronat senem, docet iuuenem, mitigat dedignantes, instituit errantes, sanat ægrotos roborat infirmos, hæc est quæ abstinentiam, castitatem, largitatem, & voluntariam paupertatem seruat, postremò doctrinam omnibus, felicitatem, suauitatem, gaudia, stabilitatem cordis, & sobrietatem, & compunctionem veram, & humilitatem & charitatem fraternam implet, Domini timorem accendit.* Hactenus Dauid de Augusta.

Scriptura cultores suos reddit diuinos. IVSTINVS.

13. Sed præ cæteris, fructus præstantior, quem scriptura, cultoribus suis confert, est, quod eos diuinos reddat. Testis est Iustinus martyr in oratione 2. ad Græcos, vbi reddit rationem, cur à gentilica superstitione, ad Christianam religionem se trãstulerit. Ea verò est, quia legerat Ethnicorum monumenta, multis suorum Deorum flagitiis tumentia, & fidelium oracula nihil nisi sanctitatem, ac diuinitatem spirantia. Vnde tandem scripturam inuocans exclamat. *O granum affectuum fugatorium instrumentum! O ignis animæ in siti extinctorium magisterium. Hæc nos* (diuini sermonis vis) *non efficit Poëtas, non philosophos reddit, neque oratores excellentes: sed ex morti obnoxiis, immortales, & Deos ex mortalibus facit.* &c. An non ipse Christus Ioan. 10. dicit. *Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est?*

Scriptura cor & anima Dei. GREGOR.

14. Et quid mirum scripturam, sermonemque Dei diuinos reddere homines, qui eius gustu delectantur, cùm iis nihil sit diuinius. Scripturam namque ipse Deus, suum cor & suam animam appellat. *Suscitabo*, inquit 1. Reg. 2. *mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciat.* Chaldæus transfert. *Qui iuxta dictum meum faciat.* Vbi vides dictum Dei, id est scripturam, cor & animam Dei nuncupari. Sic enim D. Gregor. ad eum locum rectè interpretatur. *Quid*, inquit, *cor & animam Dei, nisi sacram eius scripturam accipimus. Nam corde cogitamus ad deliberationem; anima verò afficimur ad amorem; quia ergo in sacro eloquio consilia omnipotentis Dei agnoscimus; ibiq; amorem quo humanum genus dilexit, inuenimus; ipsum eloquium cor & anima eius rationabiliter designat.*

Scriptura virtus Dei est.

15. Et quidem quod Paulus Rom. cap. 1. affirmat de Euangelio dicens. *Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti*, idipsum & de omni sacra scriptura, sermoneque diuino, dici posse, existimo. Quid est, quod Euangelium à D. Paulo vocatur virtus Dei? Allusisse videtur, Paulus ad pharmacopolæ mores, qui dum varias collegit, easque odoriferas & medicinales herbas, nouit ex illis succum omnem trahere & quidnam ille succus, nisi herbarum illarum virtus? sic Euangelium sic sacra scriptura, vocari videtur virtus Dei, hac nimirum de causa; quod si contingeret Deum, vt humano loquamur more, in pilâ contundi, vel in alembico distillari, ad eius extrahendam virtutem, quæ promanaret & exiret ab eo virtus, foret ipsum Euangelium, foret ipse sermo diuinus, forent miranda illa opera & mysteria, ibidem insinuata, & proposita. Si ergo scriptura & sermo diuinus, sit anima, sit virtus quædam Dei, rectè concludit Christus Ioan. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Quis enim ex Deo cùm sit, non libenter degustet, cor, animam & virtutem Dei.

Sæpius in hunc agrũ scripturæ pes figendus.

PLINIVS. Fructus scripturæ longè differunt à fructu vnedonis.

16. Quò autem frequentiùs cùm Isaac, in hunc agrum sacræ scripturæ ad meditãdum pedem fixeris, quò herbæ, quò flores, quò poma huius agri siue horti, magis indulcescunt, & appetitum animæ vehementiùs irritant, ad ea de nouo atque iterum, multisq; repetitis vicibus degustanda. Plin. in hist. nat. lib. 12. c. 3. sic ait: *Malus Assyria, quam alij vocant medicam, venenis medetur, folium eius est vnedonis, intercurrentibus spinis. Pomum ipsum alias non manditur, odore præcellit foliorum quoque, qui transit in vestes vnà conditus, arcetq; animalium noxia. Arbor ipsa, omnibus horis pomifera, alijs cadentibus, alijs maturescentibus, alijs verò subnascentibus.*

Ecce

Ecce fœcundam quidem arborem, sed cuius pomum talis naturæ, vt Plinius dicat, *Pomum ipsum aliàs non manditur*, qui semel gustauit, non iterum degustabit. Libro verò 15. cap. 24. sic scribit Plinius in eadem historia de vnedone. *Pomum inhonorum, vt cui nomen ex argumento sit, vnum tantum edendi.* Mirum certè, quòd qui vnedonis pomum semel gustasset, cùm gustum habeat non adeò insuauē, illud in posterum, toto decursu vitæ, non sit degustaturus. Alterius sūt prorsus naturæ & cōditionis fructus; qui in hoc sacræ scripturæ horto crescunt & reperiuntur, qui enim semel ea comederunt, adhuc ea esurient atque sitient, vellentque omnes mensas, omniaque fercula, qualibet die, imò qualibet hora, hisce fructibus esse referta, certi atque experientiâ edocti, quòd continuus eorum vsus continuaque & non interrupta degustatio, nullam sint paritura nauseam. Nam vt testatur Xenephon in Cyrop. *Nemo vnquam his cibis satiatur, neque copia satietatem gignit, neque amplitudo fastidium.* Quinimò hac in re ipsa mediocritas videtur, reprehensioni obnoxia, ipse verò excessus intemperantiaque laude digna. Non enim hi sacræ scripturæ fructus, mentem à sua sede deijciunt, vel læthalem quendam somnum, adinstar pomorum mandragoræ, inducunt, sed alas menti administrant, quibus, vt aiebat Pythagoras, tendit à multitudine in vnitatem.

XENOPHON.

Sicut in Paradiso multæ herbæ medicinales, ita & in sacra scriptura.

§. III.

In scriptura multæ herbæ medicinales.

17. Octauò, omnia quæ hortus ille proferebat, fuerunt salutifera, ac medelam conferentia, nullę ibi noxiæ herbæ: sic in sacræ scripturæ horto præparauit Deus medicamenta, aliqua animi ægritudine oppressis.

Genæ Christi sacræ scripturæ.

18. De Christo Domino loquuta sponsa. *Genæ*, inquit, *illius, sicut areola aromatum, consita à pigmentarijs*, Cantic. 5. Vbi Philo Carpathius. *Genæ*, inquit, *Christi sunt sacræ scripturæ, quæ vnguentum suauissimum spirant, ad omnem animi languorem sanandum*: Sed quid genis cum scripturis? non parum quidem, nisi fallor: Nam sicut ex genis cognoscitur homo iuxta illud: *Agnitio vultus eorum respondebit eis*, Isai. 3. Et illud: *Sapientia hominis lucet in vultu eius*. Ecclesiastic. 8. Ac tandem illud: *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus*. Ecclesiastic. 19. Pluraque id genus passim occurrent. Ita planè ex sacris scripturis, apertissima Christi Domini cognitio comparatur, cùm omnes planè ad illum manifestandum referantur.

Ex scripturis Christi cognitio comparatur.

CYPRIANVS. Omnibus animarum morbis remedium suppeditat S. Scriptura.

19. Hinc bene Diuus Cyprianus de duplici martyrio sic ait. *Nullus est enim animorum morbus, cui non præsens remedium scriptura diuina suppeditet.* Qualiter autem ex scriptura sunt petenda spiritualium morborum remedia, fusiùs in superioribus docet, sic inquiens. *Exempli gratiâ, lacessitus es conuicio, suggerit tibi caro vindictæ cupiditatem prius quàm respondeas, sic cogita tecum: hunc maledicum hominem subornauit diabolus, vt me deijciat, & deiectum perdat, sed ausculta quid suadeat imperator tuus, cui militas: Beati, inquit, mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Et, mea est vindicta, & ego retribuam: Quid suadeat fortissimus ille dux Paulus: Non nosmetipsos vindicantes, charissimi, sed date locum iræ. Diabolus dicit: Fruere vindictâ & perde vitam æternam. Deus dicit: Vince in bono malum, & noli resistere malo, & accipe cum filio meo possessionem regni cælestis. Mox dispice, vtri potiùs expediat obtemperare: Dicit tibi per concupiscentiam tuam diabolus: Mœchare, & fruere temporaria corporũ voluptate, & esto meus seruus, & cohæres gehennæ. Audi potiùs, quid dicat tibi Deus: Sperne temporariam voluptatem, & accipe centuplum bonæ conscientiæ gaudium in hoc sæculo & vitam æternam in futuro. Et expende, vtri potius sit auscultandum, suggerit tibi per carnis affectum, veluti per Euam Sathanas: Viue genialiter: Ex aduerso dicit Christus: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient. Ad eundem modum de cæteris tentationibus, obijce tentatori clypeum scripturarum in quibus tibi loquitur Deus, non minore fide, quàm si tibi coram ore ad os loqueretur. Ex his torrentibus sume tibi lapides, quibus deijcias superbum Goliath. Habes exemplum à Domino tuo, sic ille prostrauit diabolum. Nec deijcias animum, si sæpius inuadat, ac subinde maioribus machinis aggrediatur, nihil potest aduersus eum qui tecum est, dic illud Ioannis. Maior est qui in nobis est, quàm qui in isto mundo. Succurrat illud Domini dictum: Confidite, quoniam ego vici mundum. His orationibus si Christi miles fuerit exercitatus, ad conflictum, indies comperiet suum antagonistam debiliorem. Nec tamen remittendæ sunt excubiæ, si quando hostis simulabit tranquillitatem, sed obseruans illius insidias dicat cum Beato Abacuc: Super custodiam meam stabo & gradum figam super petram, omni custodia seruans cor meum, ne quà pateat aditus, obambulanti quærentique quem deuoret. Tritissimum autem cordis munimentum est, sobrietas, cum instanti oratione, iugique scripturarum meditatione. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata*

spirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Ex hac igitur colligendæ sunt sententiæ quas ad manum, & velut in procinctu habeas, vt his protinus serpentem caput erigentem deijcias. Sic ille.

S. Scriptura apothecaria officina. BASILIVS.

20. Huc respiciens D. Basilius epist. ad Gregorium Nazianzenum sacram scripturam cōparat apothecariæ officinæ, sic fatus: *Ab scriptura vnusquisque, tanquam ab officina medicinæ, appositum suæ infirmitati medicamentum inuenire poterit.* Quod exemplis illustrat: *Si quis, inquit, laboret concupiscentiâ & castitatis est cupidus, Historiam Ioseph assiduè legat, ex ea discet & hauriet pudicitiæ amorem, & spiritum. Si quis impatiens patientiam desiderat, legat gesta S. Iob. Si quis fortitudinem cupit legat acta Dauidis, si quis mansuetudinem appetat, Mosen voluat & imitetur.* Sic ille. Totus est

CHRYSOS.

Chrystomus homil. 29. in Genes. vt doceat nullam esse in humana natura, vel corporis, vel animæ passionem, quæ medicinam ex scripturis non accipiat, quem, si libet, consule. Similia habet homil 4. de pœnitentia.

Omnes virtutes flores salutiferi.

21 Omnes virtutes, sunt quidem herbæ, floresque salutiferi, sed quælibet resistit & medetur solùm vitio sibi opposito, castitas luxuriæ: humilitas superbiæ: mansuetudo iræ: liberalitas auaritiæ: obedientia inobedientiæ: charitas odio & inuidiæ &c. Sed quid scriptura? est instar herbæ Panaceæ, cunctos sanat panacea dolores, vt meritò Orig. hom. 7. in Exod. Sacram scripturam cum manna compararit. *Si tu, inquit, verbum Dei tota fide & deuotione susceperis, fiet tibi ipsum verbum, quæcumque desideras, verbi gratiâ, si tribularis, consolatur te, dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non spernes. Si lætaris pro re futura cumulat tibi gaudium, dicens: lætamini in Domino & exultate iusti. Si iracundus es, mitigat te, dicens: desine ab ira & derelinque furorem. Si in doloribus es sanat te, dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Si paupertate consumeris, consolatur te, dicens: Dominus alleuat de terra inopem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris.* Hæc Origenes.

Scriptura est instar panaceæ, cunctos sanat dolores.

Paula, solita recurrere ad scripturam.

22. Ad hoc manna, ad hanc panaceam recurrebat S. Paula, quoties malo aliquo, siue interno siue externo premeretur, sic enim de illa scribit Hieronymus in eius Epitaphio. *In periculis loquebatur Paula: Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Cùm euersio totius patrimonij nunciaretur, aiebat: Nudus exiui de ventre matris. In crebra infirmitate: habemus thesaurum istum in vasis fictilibus donec mortale hoc induat immortalitatem. In mœrore cantabat: Quare tristis es anima mea? spera in Deo. Cùm nimio feruore virtutum, nonnullis videretur insana: Theatrum, ait facti sumus mundo, Angelis & hominibus nos stulti propter Christum* &c.

Scriptura thesaurus omnium medicinarum.

23. Quò respiciens Diuus Chrysostomus homil. 36. in cap. 5. Ioannis, ad illa verba *Vis sanus fieri?* nominat scripturam, thesaurum omnium medicinarum: *Omnium inquit, medicinarum thesaurus, diuinæ scripturæ sunt, & siue stultitiam exuere, siue affectus sedare, siue pecuniarum cupiditatem expellere, siue dolores contemnere, siue fortem animum induere, siue aduersa æquo animo tolerare velimus, quàm plurima hinc remedia inuenire possumus.*

Sermo Christi oleum & vinum. AMBROS.

24. D. Ambrosius expendens illa verba Luc. 10. *Appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum*, per hunc Samaritanum Christum Dominum intelligens, docet sermonem eius medicamentum esse atque in oleo & vino designari. *Multa, inquit, medicamina medicus habet iste, quibus sanare consueuit. Sermo eius medicamentum est. Alius eius sermo constringit vulnera, alius oleo fouet, alius vinum infundit, constringit vulnera austeriori præcepto, fouet remissione peccati, sicut vino compungit denuntiatione iudicij.* Vbi omnia medicamentorum genera, & leuiora & austeriora, in diuino sermone seu in diuina scriptura, inclusa referuntur.

Sicut paradisus ille plenus deliciis: Ita & sacra Scriptura.

§. IV.

Scriptura plena delicijs.

25. SI paradisus ille corporalis plenus erat delicijs, similiter delicijs spiritualibus abundat sacra Scriptura, & quidem talibus, vt homo hisce delinitus, & à terrenis auertatur, & ad amorem cælestium subleuetur. Id elicio ex verbis D. Gregorij 6. moral. 9. sic scribentis. *Super omnipotentem delicijs affluere, est in amore illius, scripturæ sacræ epulis satiari. In cuius nimirum verbis tot delicias inuenimus, quot ad profectum nostrum, intelligentiæ diuersitates accipimus, vt modò nuda nos pascat custodia, modò sub textu litteræ velata medullitus, nos reficiat moralis allegoria, modò ad altiora suspendat contemplatio, in præsentis vitæ tenebris, iam de lumine æternitatis intermicans. Et sciendum quòd quisquis delicijs affluit in quadam sui remissione soluitur, atque à laboris studio, quasi ex lassitudine relaxatur: quia nimirum anima cùm internis delicijs abundare cæperit, terrenis iam operibus incubare minimè consentit, sed amore conditoris capta, & sua captiuitate iam libera, ad contemplandam eius speciem deficiendo suspirat, & quasi lassescendo conualescit, quia dum sordida onera portare iam non valet, ad illum per quietem properat, quem intus amat*, &c. Duo

GREGOR.

ergo sunt fructus huius lectionis seu meditationis sacræ. Alter quòd à terrenis auertimur, alter quòd ad amorem cælestium subleuamur.

Qualiter delicijs scripturarum reficiebatur Hieronymus.

26. Tantis etiam delicijs reficiebatur scripturarum D. Hieronymus, vt facillimè nuntium remitteret omnibus mundi opibus, honoribus, voluptatibus. Accipe eum loquentem epist. 155. ad Paulam, vbi postquam multa de diuinæ scripturæ mysterijs disseruit. *Quid*, inquit, *hac voluptate iucundius? qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quàm Dei scire prudentiam, & in abdita eius intrare, & sensum creatoris inspicere, & sermones Domini Dei tui, qui ab huius mundi sapientibus deridentur, plenos decore, & sapientia spirituali! habeant sibi cæteri si velint suas opes, gemmâ bibant, serico niteant; plausu populi delectentur & per varias voluptates, suas diuitias vincere nequeant. Nostræ deliciæ sunt in lege Domini meditari, die ac nocte pulsare ianuam non patentem. Panes Trinitatis accipere, & sæculi fluctus, Domino præeunte, calcare.* Hæc D. Hieronymus.

Greg. Nazia.

27. D. Gregorius Nazianz. Orat. de suo in quadragesima silentio, præ hac dulcedine scripturæ, omnem aliam mellis dulcedinem, meram maris reputabat salsuginem: Nam de sacris litteris locutus. *Quarum*, inquit, *lectio, hoc mihi præstitit; vt amaram profanorum librorum, qui antea fucata pulchritudine, animum meum demulcebant; salsuginem expuerem.*

Regiminis curam quidam auersantur vt delicijs scripturarum perfruantur.

28. Liranus moraliter exponens parabolam illam, quam legimus Iud. c. 9. in qua dicuntur ligna de rege eligendo consultasse, & oliuam, vitem & ficum, delatum sibi imperium neglexisse, per has arbores tria hominum genera intelligit, qui regiminis curam maximè auersantur: per oliuam pinguem, homines cælestis oleo deuotionis perfusos, per vitem humi repentem, verè humiles, totius fastus & arrogantiæ osores, per ficum dulcissimos fructus germinantem, in sacra scriptura studiosos, sic enim loquitur: *Nam sicut ficus dulcis est, ita de scriptura dicitur: Eloquium tuum dulce, Cant. 4. Spiritus meus super mel dulcis, Eccli. 24. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Ps. 118. & ideo inquit, in ea studiosi refugiunt per curam regiminis ab eius dulcedine separari: offerentique imperium, respondent sicut illa ficus respondit: Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire, vt inter cetera ligna promouear.*

Scriptura angelorum ferculum.

29. Quid mirum hasce delicias scripturæ auellere hominũ mentes à terrenis, cùm ipsa sacra scriptura sit Angelorum ferculum, archangelorum pulmentum, sic enim affirmat D. Augustinus ser. 38. ad fratres in eremo. *Hæc est*, inquit, *scientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum, Apostolorum gloria, prophetarum spes, Patriarcharum fiducia, martyrum corona, Virginum fortitudo, monachorum refectio, episcoporum vocatio, Sacerdotum cellarium, puerorum principium, viduarum doctrina, coniugatorum pulchritudo, mortuorum resurrectio, viuentium sempiterna protectio.*

Avgv.

30. Vt autem hasce degustemus delicias, ruminãda sunt ea, quæ in sacris litteris reperimus mella, voluenda animo, & reuoluenda, & alueolo cordis abscondenda: Iuxta illud Drogonis lib. 1. De Sacramento Dominicæ passionis. *Non*, inquit, *excedat tibi lex de ore cordis tui, volue, reuolue, versa, reuersa, & tunc intelliges quid sapiat manna. Esto apis virginea, collige de flosculis mau, habes hortum voluptatis plenum rosis & lilijs, mira varietate depictum. Quidquid illic inuenies suaue est, & odoriferum. Conde abundanter alueolo tuo. Et quid ampliùs dicam? Vnus idemque cibus, & api mel, & ceruo fons aquæ, & panis qui cor hominis confirmat. Sanat ægrotum, roborat sanatum, faciem exhilarat, omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis habet.*

Ruminanda sunt scriptura mella.

31. Vt hasce experiamur delicias oportet mella in scripturis inuenta non leuiter percurrere, & transuolare, sed apum more, fauos illius circumuolare debemus. Iuxta illud D. Chrysostomi homil 69. in Matth. vbi monachos apibus comparans, mella & fauos circumuolitantibus sic ait: *Non brutorum animalium decoctas sibi carnes, vt alantur assumunt* (videlicet ipsi Monachi) *sed Dei verba melle atque fauo iucundiora, hoc mel non siluestres è floribus apes collegerunt, nec rorem concoctum suis aluearibus immiserunt. Sed spiritus gratia pro fauis & aluearibus in animis sanctorum imposuit. Apes igitur* (Monachi) *imitantes sacrorum fauos librorum circumuolant, magnam inde voluptatem carpentes.* Sic Chrysostomus.

Oportet fauos scripturarum circumuolare.

Chrys.

In Scriptura non deesse suauissimos cantus, & modulamina.

§. V.

Neque desunt in hoc spirituali sacræ Scripturæ paradiso suauissimi volucrum cantus, qui internas demulceant aures. Huc respiciens Damascenus lib. 4. fid. orthod. c. 18. ait: *Optimum & animæ conducentissimum est, diuinas scrutari scripturas. Nam quemadmodum arbor plantata secus decursus aquarum, sic anima diuina irrigata scripturâ, impinguatur & maturum fructum adfert, fidem orthodoxam & semper virentibus folijs decoratur, id est, Deo placentibus actionibus & paulò inferiùs: Pulsemus igitur ad pulcherrimum hortum scripturarum, suauissimum, dulcissimum, venustissimum vt omnigenis intellectualium volucrum cantibus circumsonet aures nostras, & tangat corda*

In scriptura cantus suauissimi.

Damasc.

corda nostra, mentem tristitiâ affectam consoletur: Irâ turbatum, serenet, gaudio æterno impleat, ascendere faciat ad dorsa diuinæ columbæ, instar auri rutilantia, & splendidis eius alis, ad vnigenitum filium, & hæredem hortulani, intelligibilem vitem reducat, & per ipsum Patri luminum adducat. Sic Damascenus.

Sed etiam adducenda, quæ pro verborum Damasceni maiori elucidatione habet eius commentator siue Scholiastes, *Inspirantissimo scripturarum horto, intellectuales sunt aues, Prophetæ, Psalmorum cantores, Euangelistæ, Apostoli* &c. *qui libros sacræ paginæ ediderunt, & quoniam terrena quasi perosi, contemplationis alis ad cælestia subuecti sunt, euolaruntque animo in sublime cœli, rectè auium nomine hîc per metaphoram nuncupantur, horum cantus sunt diuinæ sententiæ cordis nostri auribus dulciter insonantes, inuitantes ad Dei laudem pulchræ virtutis vsum, vitiorum odium.* Sic ille.

CHRYSO. 3. *Suaue quidem*, ait Chrysostomus homil. in Eutropium, *est pratum & hortus, vtroque tamen suauius multò spirat diuinæ scripturæ lectio: illic aspirat Fauonius, hîc afflat aura Spiritus sancti: illic spinæ pro muro obsepiunt hortum: hîc Dei prouidentia tutum reddit lectorem, illic cicadæ stridore suo obstrepere solent, hîc Prophetæ suaui iubilo personantes.*

Sermones Christi quàm suauem ingerant concentum. PETRVS. DAM. Sed quid dulcius quàm in hoc sacræ scripturæ paradiso toties audire pulcherrimum illum sermonum concentum, qui resonat ex ore cælestis illius cantoris Christi. Quantâ hic concentus affecerit dulcedine D. Petrum Damiani, ipse confitetur in sermone quodam, de Christi Domini natali, *Olim*, inquit, *mihi Tullius dulcescebat, blandiebantur carmina Poëtarum: Philosophi, verbis aureis insplendebant: & Sirenes, vsque in exitum dulces, meum incantauerant intellectum. Lex, Prophetæ, Euangelium, epistolæ, & omnis gloria sententiarum Domini mei, & seruorum eius, aut parua videbantur, aut nulla. Nescio modò, quid dulcius immurmurat filius Iesse, qui vario sermonum, & sententiarum concentu, omnes illos, quos diligere consueueram, ineloquentes reddit & mutos.*

Quàm efficax concentus verborum Christi. 4. Neque solùm concentus sermonum Christi suauis est, sed etiam efficacissimus, & maximè operosus, quò respiciens Clemens Alexandrinus, fictam illam efficacitatem quam tribuebant Poëtæ, Orphæo, & Amphioni, qui canendi suauitate, feras & lapides traxisse fingebantur, Christo tribuendam esse contendit, sic enim ait, in initio orationis exhortatiæ ad gentes, *Solus cantor meus, difficillimas feras mansuefacit, volucres quidem, nempe eos qui sunt leues; serpentes, eos qui deceptores; leones, eos qui sunt animosi, & ad iracundiam concitati: sues, eos qui sunt voluptati dediti: lupos, eos qui sunt rapaces: lapides autem & ligna, qui sunt insipientes.*

AMBRO. 5. D. Ambrosius in præfatione lib. 4. in Lucam, fatus de socijs Vlyssis, ait, *Sirenes, cantu vocis illectum, ad illud famosum naufragium penè deduxerant: nisi aduersus illecebrosæ sonitus cantilenæ, inserta cera, sociorum clausisset aures.* Quid profanæ voluptates, quàm Sirenum cantus, quibus hominum mentes, dementantur, atque à sede sua deijciuntur, quibus hominum animi emollescunt, & eliquantur, huic illecebroso sono claudendæ aures: at verò vt concentum audiamus cælestis illius cantoris Christi, non claudendæ aures, sed aperiendæ, teste D. Ambrosio loco citato, *Non claudendæ*, ait, *aures, sed reserandæ sunt, vt Christi vox possit audiri; quam quisquis perceperit, naufragium non timebit.* Quinetiam securus perueniet ad portum æternum, testem habeo Clementem Alexand. loco proximè citato, vbi loquutus de Sirenum cantibus, hoc est de profanis voluptatibus, *Prætern auiga*, inquit, *Canticum mortem operatur. Si solum velis vicisti interitum, & ligno alligatus eris solutus ab omni exitio, gubernabit te verbum Dei, & ad portum cælorum adducet Spiritus sanctus.* Non claudendæ aures ad vocem Christi.

6. Quidquid læta illa nuntia, quæ nobis in Euangelio, à quibus & nomen habet, propalantur, quam huius paradisi quasi tot suauissimi concentus, & dulcissimæ harmoniæ sonus. *Euangelium*, ait Chrysostomus homil. in Matth. *Non abre quidem scriptionem suam vocauit, siquidem pœnarum sublationem, veniam peccatorum, sanctificationem atque iustitiam, redemptionem, adoptionem etiam filiorum, & cælorum hæreditatem, & cum Dei filio fraternitatem, omnibus inimicis Dei & in tenebris sedentibus, nuntiauit: num quid possit esse quale hu, tam bonus nuntijs? Deus in terris, homo in cælo, facta est omnium vna permixtio*, &c. Læta nuntia Euangelij, quasi suauissimi concentus. CHRYSO.

Non deesse in S. Scripturæ Paradiso iucundissima spectacula.

§. VI.

7. DEcimò. Desiderabis fortassis in hoc paradiso sacræ scripturæ quæ oculos delectant, spectacula, verumtamen nec ea desunt. Florum sermones, qui hoc in paradiso reperiuntur, non dubitat D. Cyrillus libro ad reginas de recta fide vocare, immarcessibile spectaculum, sic dicens: *Agricolæ quidem ex agris redolentissimos flores suo tempore demetentes, & in corbiculis ponentes afferunt ad Dominos, ijque valde hilariter de fructibus gaudent, & occasionem nacti accedunt, nos autem quotquot doctorum suscepimus officium, quasi ex* Sunt in scriptura etiam iucunda spectacula. CYRIL.

gro scripturæ diuinitus inspiratæ, immarcessibile spectaculum afferimus, florum sermones, imò & eruditionem per spiritum, quæ habet pietatis in Christum pulchritudinem, non languescentem, benéque & opulenter redolentem illius mysterium. Scriptum est enim, quòd Christi bonus odor sumus Deo.

8. Neque solum florum spectaculum, verùm & alia longè præclariora, nimirum pugilatus & luctatus. Accipe Tertullianum lib. de spectaculis cap. 29. sic loquentem. *Si,* inquit, *scenicæ doctrinæ delectant, satis nobis literarũ est, satis versuum, satis sententiarum, satis etiam canticorum. Vis & pugilatus, & luctatus? Præsto sunt non parua, sed multa, aspice impudicitiam deiectam à castitate, perfidiam cæsam à fide: sæuitiam à misericordia contusam: petulantiam à modestia obumbratam, & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur: vis autem & sanguinis aliquid? habes Christi.*

TERTVLL.

9. D. Cyprianus lib. de spectaculis postquam dissuasit Christianis theatra & spectacula vana, & ludicra, tandem quæ debeant desiderare & libentissimè intueri, ostendit, eos ad sacras remittens scripturas, sic fatus. *Scripturis sacris incumbat Christianus fidelis; ibi inueniet condigna fidei spectacula. Videbit instituentem Deum mundum suum, & cum cæteris animalibus, hominis illam admirabilem fabricam melioremque facientem: spectabit mundum in delictis suis: iusta naufragia, piorum præmia, impiorumque supplicia: maria populo siccata, & de petra rursus populo maria porrecta: spectabit de cælo descendentes messes, non ex areis: inspiciet flumina transitus siccos refrenatis aquarum agminibus exhibentia: videbit in quibusdam fidem cum igne luctantem: religione superatas feras, & in mansuetudinem conuersas: intuebitur & animas ab ipsa morte reuocatas: considerabit etiam de sepulchris admirabiles ipsorum consummatorum iam vitas corporum redactas: & in his omnibus iam maius videbit spectaculum diabolum illum, qui totum detriumphauerat mundum sub pedibus Christi iacentem. Quàm hoc decorum spectaculum fratres? quàm iucundum? quàm necessarium? intueri semper spem suam, & oculos aperire ad salutem suam. Hoc est spectaculum quod videtur etiam luminibus amissis, hoc est spectaculum, quod non exhibet prætor aut consul, sed qui est solus & ante omnia & super omnia, imò ex quo omnia pater Domini nostri Iesu Christi.*

CYPRIANVS.

10. Accipe etiam D. Augustinum de spectaculis in sacra scriptura nobis exhibitis, ita loquentem lib. 2. de Symbolo ad catechumenos cap. 1. & 2. *Fugite dilectissimi spectacula, fugite caueas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. Sed si oblectandus est animus & spectare delectat, exhibet vobis Sancta mater Ecclesia veneranda, hæc salubria spectacula, quæ & mentes vestras oblectent sua delectatione, & in vobis non corrumpant, sed custodiant fidem. Amator est quispiam circi? quid delectat in circo? aurigas videre certantes, populos insanâ furiâ anhelantes, quemlibet celerem præcedentem, aduersarij sui equum frangentem: ista est omnis delectatio: clamare quia vicit, quem diabolus vicit. Vide è contra nostra sancta, sana, suauissima spectacula: intuere in libro actuum Apostolorum claudum ex vtero matris, nunquam ambulantem, quem Petrus fecit currentem. Vide subitò sanum, quem antea intuebaris infirmum. Et si in te est sanitas mentis, si in te fulgetratio æquitatis ac delectatio salutis, vide quid debeas expectare: vide vbi debeas exclamare, illic vbi equi sani franguntur, an hîc vbi homines fracti saluantur? Sed si te pompa illa, figuræ equorum, compositio curruum, ornatus, & auriga superstantis equos regentis, vincere cupientis: si hæc te, vt dixi, pompa delectat, nec hanc tibi denegauit, qui pompis diaboli renunciare præcepit. Habemus & nos spiritalem nostrum aurigam, Sanctum Prophetam Eliam, qui quadrigæ igneæ superimpositus tantum cucurrit vt metas prehenderet cæli:* Et infrà: *Illic intuentur spectatores, propositum nescio quem, confictum Deum Iouem & adulterantem & tonantem, hîc respicimus verum Deum, Christum castitatem docentem, immunditiam destruentem, salubria prædicantem, illic fingitur quod idem Iouis Iunonem habeat sororem & coniugem: hîc prædicamus Sanctam Mariam matrem simul & Virginem; illic stupor ingeritur visui ex vsu hominem videre in fune ambulantem. Hîc magnum miraculum Petrum mare pedibus transeuntem. Illic per inimicam turpitudinem castitas violatur. Hîc per castam Susannam, castumque Ioseph libido comprimitur, mors conteritur, Deus amatur, castitas exaltatur,*

AVGVS.

10. Idem Augustinus lib. de vera religione cap. 51. monet prophana theatra contemnenda, præ illis spectaculis, quæ exhibet Scriptura: *Omissis,* inquit, *& repudiatis nugis theatricis, poëticis: diuinarum scripturarum consideratione & tractatione pascamus animum, atque potemus, vanæ curiositatis fame, ac siti fessum, & æstuantem: & inanibus phantasmatibus, tanquam pictis epulis frustra refici, satiarique cupientem.*

Prophana spectacula contemnenda præ spectaculis scripturæ. AVGVS.

11. Habes præstantiam spiritualis nostri sacrarũ scripturarum paradisi, qui vnicus illius animæ debet esse hortus, quæ se amicam & sponsam Christi profitetur, vt in illa die noctéque moretur, iuxta illud: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.* Cant. 8. Vbi Rup. *Quibus,* inquit, *in hortis habitat dilecta, nisi in amœnitate scripturarum, in delectatione virtutum, pulchrè florentium, bene olentium, semper virentium?*

Dilecta Christi habitat in horto.

12. Vt hoc fruamur horto, vt potiamur hoc agro, in quo absconditus cælestium diuitiarum thesaurus, omnes aliæ facultates, diuitias dico, honores ac voluptates, sunt diuendendæ ac repudiandæ, iuxta illud D. Ruperti lib. 3. de victoria verbi cap. 26. vbi tangens verba illa Christi Matthæi

Pro horto scripturæ alia omnia diuendenda. RVPER.

thæi 13. *Præ gaudio illius abijt & vendidit vniuersa quæ habuit & emit agrum illum*, sic ait, *prudentissimi fuerunt illi homines qui hoc inuento delectati, vniuersa quæ habebant vendiderunt, & agrum huiusmodi emerunt; vt exonerati sæcularibus negotijs vacare possent, & intendere vel meditari in lege Domini.*

Fælix qui huius horti est possessor.

13. Fælix qui huius horti siue paradisi possessor est, fælix qui illius cultor & agricola, huius paradisi cultura sanctificat, imò cultorem suum, deificat. *Sunt* (inquit Clemens Alex. in exhort. ad gent.) *Verè sacræ litteræ, quæ sacros faciunt & deificant.* Vnde idem Clemens lib. 1. Strom. non procul ab initio, eum qui dicendo, vel scribendo de diuinis agit scripturis, diuinum agricolam appellat. *Vtrouis*, inquit, *modo domini operarius, præclarum frumentum seminauerit, & spicas auxerit & messuerit, verè diuinus apparuerit agricola.*

Quibus cum dispositionibus in Paradiso S. Scripturæ, versari debeamus.

§. VII.

Non sine lumine fidei hortus scripturæ ingrediendus.

1. Dicendum restat, quibus cum dispositionibus, quispiam hunc hortum sacræ scripturæ, intrare, & colere debeat, in primis opus est lumine interno fidei sine quo nemo, quin grauissimè impingat, in hoc sacræ scripturæ paradiso deambulare potest, nemo Christum videre, qui in eius mysterijs vbique adumbratur. Non aliter quàm in lumine quodam diuino, in sacris scripturis, ipse Christus, sol iustitiæ, lumenque ad reuelationem gentium videri potest. Solem hunc visibilem, (ait Philo libro de præmijs & pœnis) *num alia re quàm sole ipso adiuti cernimus? Quid stellas? an non sola stellarum ope aspicimus? Lucis aspectum nonne luci debemus? Ad eundem sanè modum etiam Deus per seipsum illustrat sui notitiam, cooperante nemine, quòd ea res excedant vires omnium.*

Philo.

Absque lumine fidei, quia hortũ hunc ingrediuntur hæretici, hinc illis in scandalum est.

2. Quia absque hoc lumine, hæretici hortum percurrunt sacræ scripturæ. Hinc illis in scandalum est, & animarum grauissimam ruinam, ita vt planè necessarium sit ei qui ad hunc sacratissimum paradisum velit accedere, eiusque folia, flores, & fructus decerpere, veræ fidei lumine illustratũ esse. Nam vt legimus Isa. 17. *Si non credideritis, non permanebitis*, seu vt habent Septuag. *Non intelligetis.* Quare sapiẽter S. August. dixit: *Fides præcedere debet intellectum, vt sit intellectus fidei præmium.* Secundo, oportet mentem nostram à terrenis fæcibus esse perpurgatam, & ab omnibus passionum

Vt hunc hortum ingrediaris oportet

carnaliumque affectionum nebulis expeditam, & huius vitæ superfluis curis exoneratam vt cælesti perfruatur lumine & sapientiam hauriat salutarem. *Neque enim*, vti pulchrè Nyssenus, *diuina, & cognatum illud lumen, quodque mente ipsa cernitur, vacuo & libero sensu aspicere quis potest, cùm is praua quadam atque inerudita anticipatione ad humiles res & lutulentas aciem intendit, quare vt quis venas ac medullas cælestium dictorum subeat, vtque profunda & abscondita sacramenta limpidè contempletur, eleuatus, & sanctus cordis oculus sit oportet, & sicuti aquæ, si nullo venti, aërisve flabro agitentur, sed immotæ consistunt, limpidissimæ sunt, & quamuis obiectam sibi imaginem clarissimè concipiunt, & intuenti quasi speculum perfectissimum exhibent, ita mens turbinum passionumque expers, tranquillo hoc pacis silentio, limpida acutum cernit, omnemque veritatem planissimè concipit, acrique iudicio imperturbata peruidet.*

mentem à terrenis fæcibus esse perpurgatum.

Nyssenus

Idem ipsum docet adducto solis exemplo.

3. Solis exemplo pulchrè id nobis faciendum monet Diuus Athanasius de incarnatione verbi. *Quemadmodum*, ait, *si quis intueri velit solis iubar, oculos planè detergit, & in splendorem redigit quantum potest, ad eius similitudinem, cuius conspiciendi desiderio tenetur, sese purificans; vt ita oculus iam lumen redditus, lumen solis contempletur: ita quoque qui volet mentem virorum cælestia loquentium intelligere; priùs detergere, & abluere viuendi disciplinâ animam debet, & ad sanctos accedere, cum studiorum, factorumque similitudine; vt illis consuetudine paris vitæ familiaris redditus, quæ ipsis à Deo reuelata sunt, cognoscat.*

Allato eodẽ solis exemplo idem adstruit.

Ambros.

4. Eodem quoque solis exemplo id faciendum monet S. Ambrosius lib. 4. hexameron cap. 1. *Matutinos quoque solis ortus, si quis spectare desiderat, emundet oculos suos, ne quid pulueris, ne quid purgamentorum oculis eius insideat, quo intuentis hebetetur obtutus, neve aliqua caligo nebulosa corporeos visus spectantis obducat: nobis in lectione exoriendus est sol, qui ante non fuerat. Primum iam diem sine sole transiuimus, secundum sine sole transegimus, tertium sine sole confecimus, quarto die iubet Deus fieri luminaria solem & lunam, & stellas. Sol incipit, emunda oculos mentis, ô homo, animique interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui perstringat ingenij, & puri cordis turbet aspectum. Emunda autem, vt vase sincero scripturæ diuinæ nitida fluenta suscipias, ne qua ingrediatur contagio.* &c.

Cassia.

5. Auctor est Cassianus lib. 3. de instit. monast. Theodorum monachum sanctum, tam rudem vt nec elementa sciret; tam peritum tamen diuinorum voluminum, vt à viris doctissimis, consuleretur, dicere solitum. Plus in vitijs extirpandis, quàm libris euoluendis operæ ponendum esse, quod his expulsis, confestim cordis oculi, cæleste lumen admittentes, sublato velamine passionum, sacramenta scripturarum,

Expulsis vitijs meliùs contemplamur Sacramenta scripturarum.

rum, velut naturaliter incipiant contemplari.

CASSIA. Cordis emundatio ante omnia necessaria vt scripturis vacemus

6. Sententia etiam fuit Ioannis Cassiani lib. 5. de Gastrimar. cap. 34. *Monachum ad scripturarum notitiam pertingere cupientem, nequaquam debere labores suos erga commentariorum libros impendere, sed potius omnem mentis industriam, & intentionem cordis ergà emundationem vitiorum carnalium detinere. Quibus expulsis, confestim cordis oculi, sublatò velamine, passionum, Sacramenta scripturarum, velut naturaliter, incipient contemplari. Si quidem nobis, non vt essent incognita vel obscura, sancti Spiritus gratia promulgata sunt, sed nostro vitio, velamine peccatorum, cordis oculos obnubente, redduntur obscura: quibus rursus naturali redditis sanitati, ipsa scripturarum sanctarum lectio ad contemplationem veræ scientiæ abundè etiam sola sufficiat, nec eos commentariorum institutionibus indigere. Sicut oculi isti carnales ad videndum nullius egent doctrinâ, si modò fuerint à suffusione vel caligine cæcitatis immunes* &c.

ALVAREZ DE PAZ.

7. Cassiani sententiam sic temperat & lenit Aluarez de Paz tom. 3. lib. 5. part. 1. app. 3. cap. 6. *Huius*, inquit, *viri sensus, si eum tantisper leniamus, & benignè interpretemur, verus est. Nec enim intendit reiiciendos esse commentarios in scripturam à sanctis patribus & doctoribus elaboratos, quos ipse in libris de incarnat[illegible] satis est veneratus, sed non tam in his, quàm in quærenda puritate cordis ad intelligendas scripturas esse collocandam industriam. Quæ puritas si defuerit, passionum immoderantia oculos mentis, ne intelligat vim sermonis obducet, aut in immensum aucta (vt in miseris hæreticis videmus) sensus veram intelligentiam euertet. Nónne scriptum est. Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis? id itaque intendit, malitiam imprimis esse deponendam, vt Dei verba, non vt picæ solum loquamur, sed vt homines intelligamus. Cùm etiam, ait, cordis oculos à vitiis mundatos velut naturaliter sacras scripturas contemplaturos, hanc cognitionem naturalem non putat, sed suauissimam, ac si esset naturalis, affirmat. Notitia enim scripturarum, & assensus quo scripta illa sacrosancta credimus, supernaturalis est, quem à domino postulamus dicentes: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua, & da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Hactenus Paz.

Absque castitate non vacandum intelligendis scripturæ mysteriis.

8. Beatus Gregorius Nazianzenus, auctore Ruffino, cùm Athenis studijs vacaret, vidit per soporem, sedenti sibi & legenti, duas decoras, dextrâ læuâque, fœminas assedisse, quas ille castitatis instinctu, oculo toruiore respiciens, quænam essent, quidnam vellent percontabatur: at illæ eum familiariùs, & ambitiosiùs complectentes, aiunt: Ne molestè accipias iuuenis, notæ tibi satis & familiares sumus, altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur, & missæ sumus à Domino tecum habitare, quia iucundum nobis est mundum quod in corde tuo habitaculum præparasti, en tibi sorores gemellæ, castitas, & sapientia.

9. Quod etiam in vita S. Zenobij dicitur verissimum est, *Maximè omnium vigent Sanctorum ingenia, ad coniectanda etiam futura, ex minimis iudicijs euentus colligunt.* Nam vt rectè ait Philo, quamquam Iudæus. *Legitimi Dei cultores mente pollent, verus enim Dei sacerdos, simul etiam vates est: ideo nihil ignorat, habet enim in se solem intelligibilem.* Nimirum vt rectè, ait Boëtius: *Splendor ille quo regitur, vigetque cælum, vitat obscuras animæ ruinas, & mentem sequitur niteutem.* PHILO.

10. Tertiò. Oportet deditum esse orationi, quare diuinus ille Iustini Martyris catechista, prophetarum ei lectionem suadens, hanc pariter ei dabat methodum, *At tu votis & precibus ante omnia, tibi lucis portas aperiri opta, neque enim ab aliquibus perspiciuntur & intelliguntur, præterquàm si cui Deus & Christus eorum concesserit intelligentiam.* Qui in horto scripturæ vult versari, oportet quòd sit deditus orationi.

11. Quartò, requiritur etiam animi demissio, & vera mentis humilitas, de qua S. Augustinus epist. 56. ad Dioscorum. *Non aliam, ait, ad capessendam viam, ad obtinendam veritatem, & sacram sapientiam, viam inuenies, quàm quæ inuenta est ab eo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus, videt infirmitatem, ea autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc idem dicerem. Itaque sicuti Demosthenes in eloquentia, pronuntiationi primas, secundas, tertias dedit: ita ego in Christi sapientia, primas, secundas, tertias dabo humilati, quam Dominus noster vt doceret, humiliatus est.* Requiritur etiam animi demissio AVG.

12. *Institui*, ait D. Augustinus lib. 3. confess. cap. 5. *animum intendere ad scripturas sanctas, vt viderem, quales essent: & ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysterijs. Et non eram ego talis, vt intrare ad eam possem. Causam subiungit: Tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius: nam illa erat, quæ cresceret cum paruulis, sed ego dedignabar esse paruulus, & turgidus fastu mihi magnus esse videbar.* Sic ille. Superbos repellit scriptura.

13. Quia verò hæretici hac animi demissione carent, & non vt paruuli sed vt gigantes, & turgidi fastu, hunc sacræ scripturæ paradisum perlustrant, hinc est quòd scripturas legentes, & non iuxta sensum ecclesiæ eas intelligere volentes, eas deprauant, varios sensus immiscentes, alienos à sensu ecclesiæ, ad suam & aliorum perditionem. Audiant Augustinum qui in libro de gratia Christi cap. 42. agens de Pelagianis sic scribit: *Qui scripturas secundum sensum suum legunt, profectò* Hæretici, quia superbi deprauant scripturas. AVG.

non

nec in illis, quæ aperta sunt, contuentur, & de fide & symbolo cap. 9. de omnibus hæreticis ita scribit: *Multa de Christo inueniuntur in scripturis, ita dicta, vt impias hæreticorum mentes, priùs volentes docere, quàm nosse, in errorem miserint.* Obserua egregiam causam superbiæ hæreticorum: *Prius*, inquit, *volunt docere, quàm nosse*, quod etiam Apostolus, ad Timoth. cap. 1. loquens de hæreticis significauit. *Volentes esse legis doctores, non intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Sed quid? Vt rectè scripsit Fulbertus Carnutensis; *Dum fieri volunt discipuli veritatis, fiunt magistri erroris.*

14. Vtinam hi fastuosi, & fastu turgidi hæretici, semel sanum illud D. Augustini Pslm. 130. sequantur consilium. *Si erras*, inquit, *in aliqua, quare non redis ad lac matris? Quia si non extollimini, si non exaltatis cor vestrum, si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed humiliter sentitis, sicut qui ablactatus est super matre sua, reuelabit vobis Deus quod aliter sapitis.* Si autem hoc *ipsum, quod sapitis defendere vultis, & pertinaciter asserere contra pacem Ecclesiæ, sit vobis maledictum, quod dixit propheta ita fiat retributio in anima mea. Quia adhuc super matre cùm estis id est, paruuli, portandi à matre, nec dum ablactati, foris à lacte separabimini, foris à visceribus matris fame moriemini.* Hæc ille. Humiles verò peculiari quodam modo à Deo illuminari ac doceri in scriptura sacra, rectè declarat Alphonsus Salmeron tom. 1. proleg. 2. AVGVST.

Quòd Ecclesia sit hortus, in quo seminatum granum synapis, nempe Christus.

SECTIO VI.

PEr hortum in quo seminatum granum synapis, id est, Christus, etiam possumus intelligere ipsam Ecclesiam, propter varias, quas habet cum horto illo, siue terrestri paradiso conuenientias.

Quædam conuenientiæ inter hortum voluptatis, & Ecclesiam.

§. I.

1. IN primis, si hortus ille plantatus à Domino Deo, similiter & sancta Ecclesia non nisi à Deo, in terra est plantata & constituta. *A Principio*, ait Eucherius, *paradisus plantatur, quia Ecclesia Catholica à Christo principe omnium condita esse cognoscitur.* Paradisus plantatus à Domino: sic ecclesia à Christo.

2. Secundò, quemadmodum in paradiso terrestri Deus constituit fontem, siue fluuium aquis locupletissimum, ad irrigandas plantas paradisi terrestris, qui postmodum diuidebatur in quatuor riuos, quorum aquis diuersæ orbis terræ partes irrigabantur, qui etiam riui feraces erant auri: ita in sanctæ Ecclesiæ paradiso, voluit scaturire Deus fontem aliquem plenissimum gratiâ & sapientiâ; hic fluuius siue fons Christus est, fons vitæ, vnde dimanat aqua saliens in vitam æternam. Quatuor verò riui ex hoc fluuio manātes ad irrigandas animarum nostrarum plantas, & in quibus aurum illud generatur, quo animæ nostræ ornantur & ditantur, indicantur nobis ab Apostolo Paulo 1. Corinth. 1. vbi de Christo loquens, sic ait: *Qui factus est nobis sapientia à Deo iustitia, sanctificatio & redemptio.* In his quatuor comprehendit Apostolus immensum illum cumulum bonorum, quo per Christum fruimur, quo etiam continetur quidquid homini necessarium est, & quidquid desiderare possit. In scriptura fons vitæ Christus. Hic fluuius diuiditur in quatuor capita.

3. Qualiter nobis Christus factus sit sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, pulchrè docet D. Bernardus serm. 22. in Cant. *Omne quod erat angelis, factus est nobis. Quid? Sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio. Sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione peccatorum; sanctificatio in conuersatione, quam habuit cum peccatoribus: redemptio in passione, quam sustinuit pro peccatoribus. Vbi ergo hæc à Deo facta est, tunc Ecclesia odorem sensit, tunc cucurrit. Vide iam quadrifariam vnctionem, vide affluentissimam atque inæstimabilem suauitatem eius quem vnxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis. Sedebas, ô homo, in tenebrosis & vmbra mortis per ignorantiam veritatis, sedebas vinctus catenis delictorum, descendit ad te in carcerem, non vt torqueret, sed vt erueret de potestate tenebrarum. Et primo quidem veritatis doctor depulit vmbram ignorantiæ tuæ, luce sapientiæ suæ. Per iustitiam deinde quæ ex fide est, soluit funes peccatorum, gratis iustificans peccatorem. Quo gemino beneficio impleuit sermonem illum Sancti Dauid: Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat* Qualiter nobis Christus factus sit sapiētia. BERNA. Psalm. 145.

minat cæcos. Addidit quoque sanctè inter peccatores viuere, & sic tradere formam vitæ, tamquam via quâ redires ad patriam. Ad cumulum postremò pietatis tradidit in mortem animam suam & de proprio latere protulit pretium satisfactionis, quo placaret patrem: per quod illum planè ad se versiculum traxit: Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Psal. 129. *Prorsus copiosa, quia non gutta, sed vnda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanauit.* Sic D. Bernardus, quatuor illa à Paulo relata, non solùm aquis, sed etiam vnguentis comparans.

Quatuor virtutes Cardinales in quatuor illis fluuijs adumbratæ. AVGVST. 4. Per quatuor hosce fluuios intelligit D. Augustinus lib. 2. De Genesi contra Manich. c. 10. quatuor virtutes Cardinales, nimirum prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & iustitiam, do illius verba: *Phison significat prudentiam, terram circuit, quæ habet aurum & carbunculum & lapidem prasinum, id est, disciplinam viuendi, quæ ab omnibus terrenis sordibus quasi decocta nitescit; sicut aurum optimum & verum, quod nulla falsitas vincit, sicut carbunculi fulgor nocte non vincitur, & vitam æternam, quæ viriditate lapidis prasini significatur, propter virorem qui non arescit: fluuius autem ille qui circuit Ethiopiam terram multùm calidam atque feruentem, significat fortitudinem, calore actionis alacrem atque impigram. Tertius autem tygris vadit contra Assyrios, & significat temperantiam, quæ resistit libidini, multùm aduersanti consilijs prudentiæ: vnde plerumque in Scripturis Assyrij aduersariorum loco ponuntur. Quartus fluuius non dictum est contra quid vadat, aut quam terram circumeat: iustitia enim ad omnes partes animæ pertinet: quia ipse ordo & æquitas animæ est, quia sibi ista tria concorditer copulantur, prima prudentia, secunda fortitudo, tertia temperantia: & in ista tota copulatione atque ordinatione perficiunt iustitiam.* Hæc ex illo. *Nec dictum est*, ait Arnobius Carnotens. tractatu de sex operibus, *de hoc fluuio, qui iustitiæ adaptatur, contra quid vadat, aut quam terram circumeat. Iustitia enim ad omnes animæ partes pertinet. Ad omnia præcepta se extendit omnesque diuinæ legis plagas circumit.*

Fertur autem, (ait S. Bruno de Laudibus ecclesiæ c. 1.) *quòd illa flumina superius nominata, tantam saporis dulcedinem habeant, vt omnium potionum superent suauitatem. Et hanc quidem suauitatem non priùs amittant, quàm in ea irruentibus fluuijs vitientur.* Idem etiam dicere possumus de supradictis virtutibus, quod nimirum earum aquæ, id est operationes, actus, & exercitia, dulcissima sint, donec ab irruentibus vitijs, tanquam fœdissimis fluminibus vitientur.

Hæ virtutes promanant à Christo. BERNA. 5. Vnde putas emanare hæc flumina, hasce virtutes? Non aliunde sanè promanant, quàm ex fonte vitæ Christo. Vnde D. Bernardus loco citato docet; *Frustra huius seculi sapientes de quatuor virtutibus, tam multa disputauerunt, quas tamen apprehendere omnino nequiuerunt, cùm illum nescierint, qui factus est nobis à Deo sapientia, docens prudentiam; & iustitia delicta donans; & sanctificatio in exemplum temperantiæ* (per sanctificationem enim temperantiam siue munditiam signari in Scripturis docet hoc loco Bernardus) *continenter viuens; & redemptio, in exemplum patientiæ fortiter moriens.* Deinde verò ad sapientes illos sermonem conuertens, sic scribit: *Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Vbinam quæso vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Vnde vera iustitia, nisi de Christi misericordia? Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo qui eius doctrinâ imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli iusti, qui de eius misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui eius vitam imitari student: soli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter in aduersis tenent. Incassum perinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat, quàm à Domino virtutum, cuius doctrina seminarium prudentiæ, cuius misericordia opus iustitiæ, cuius vita speculum temperantiæ, cuius mors insigne est fortitudinis.* Hæc omnia Diuus Bernardus.

6. *Nosse & tenere debemus*, ait S. Prosper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 18. *quòd istæ quatuor virtutes, vel omnes quæ ex illis existunt, dona sint Dei: & quòd nullus eas habet, habuit, aut habebit, nisi cui Deus, qui est omnium virtutum proprietas & origo, contulerit: quoniam quicunque, quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ex fide vixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, iusti ac fortes fieri vtique potuerunt. Qui autem nescientes Deum, vel etiam blasphemantes sine fide vixerunt, nihil earum virtutum à Deo accipere, vel habere potuisse credendi sunt.* Sic ille. PROSPER.

Quatuor flumina designant quatuor humores à Christo promanantes. BONAV. 7. In fluuio paradisi D. Bonauentura serm. 3. in natiuit. Domini Christum intelligens, docet quatuor flumina, in quæ diuiditur, quatuor humores esse è Christo promanantes, transscribo illius verba: *fluuius est Christus, ô quàm necessarius fuit iste fluuius mundo ariditate deficienti. Quatuor flumina, in quæ diuiditur, sunt quatuor humores, qui ad mundi irrigationem vt fructificare posset in salutem, de Christi corpore profluxerunt. Primum ergo est flumen lachrymarum; quas Dominus sæpius flens fudit pro hominibus: Videns ciuitatem fleuit*, &c. Luc. 19. *Istud flumen etiam in infantia fluere capit.* Ambrosius: *Me illius infantiæ fletus abluerunt, illæ lachrymæ mea delicta lauerunt. Secundum est sudoris: factus est sudor eius*, &c. Luc. 22. *Tertium est sanguinis per vulnera effusio. Tu verò in sanguine testamenti*, &c. Zach. 9. *Psalm. Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Prorsus copiosa: quia non gutta, sed vnda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanauit. Quartum est flumen aquæ, quod de latere fluxit: Continuò exiuit sanguis & aqua.* Psal. 129. Sic D. Bonauent. Ioan. 19.

Quatuor flumina accommodantur etiam præcipuis Christi virtutibus. 8. Idem Bernardus serm. 1. de Natiuit. ita fontes hosce, siue flumina accommodat præcipuis Christi virtutibus: *Sicut in paradiso terrestri fuêre quatuor fontes, qui vniuersam irrigarent terram: Ita in Christo qui noster est paradisus*

paradisus, quatuor sunt reperire fontes. Primus fons est misericordiæ ad diluendas culpas, aquis remissionis. Secundus fons sapientiæ ad potandum sitim nostram aquis discretionis. Tertius fons gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum, aquis deuotionis. Quartus fons est charitatis, ad condiendum, & decoquendum nostras affectiones aquis æmulationis, & de istu intelligi potest illud Isaiæ: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Adde quintum qui est fons vitæ, quem post hoc sæculum repromittit, ad quem sitiebat Propheta cùm diceret. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Fortasse propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus, adhuc viuens in Cruce: propter quintum, cùm iam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Hæc Bernard.

In fonte illo & fluminibus signatur baptismus cum quatuor Euangelijs. CYPRIANVS.

9. In fonte paradisi & illius fluminibus putat D. Cyprianus serm. de ablutione pedum, signari sacrum baptisma cum quatuor Euangelijs. Loquentem accipe: *Ornata, & honorata est Ecclesia quasi paradisus in amplitudinis suæ vmbilico fontem continens gratiæ singularis, flumina creans in vitam æternam salientia, viuam habens originem, & decursum perennem. Hinc ægredientia quatuor Euangelij flumina per vniuersum mundum secum regenerationis euehunt lauacrum: & de abdito & secretissimo Spiritus sancti munere huius gratiæ liquor emanat, sic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula, aliquam sui, post ablutionem illam vestigia derelinquat.* Sic ille. De huius fontis præstantia & dignitate vide Gregorium Nazianzen. orat. 40. vbi inter cætera ait: *Hæc baptismi gratia & facultas est, non orbem terrarum, vt olim, aquis obruens, sed vniuscuiusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones vel maculas, quæ vitio contrahuntur prorsus abstergens*; vnde antea illud vocauerat: *Peccati diluuium.*

NAZIANZEN.

Arbor vitæ Christus in medio scripturæ. EVCHER.

10. Tertiò, in paradisi medio posita arbor vitæ: Similiter in medio Ecclesiæ, tamquam arbor vitæ positus Christus. *Lignum vitæ accepimus*, ait Eucherius, *sanctum sanctorum, vtique Christum, ad quem quisque porrexerit manum viuet in æternum.* Timorem Domini hoc ligno adumbrari vult Laurent. Iustinian. in præfat. lib. de ligno vitæ. *Lignum vitæ est sanctum donum timoris Dei, permanentis in sæculum sæculi, & afferentis fructus duodecim, de quo legitur sic Apocal. vlt. Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei viui, & agni, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium. O pretiosum lignum. O lignū salutiferum.* Sic ille. In sequentibus enarrans duodecim illos fructus, & triplici statui, nimirum, præsidentium certantium, & quiescentium quatuor assignans. Quem si libet, consule.

LAVR. IVSTIN.

Præcepta scripturarum arbores scientiæ.

11. Quartò; in paradiso collocata arbor scientiæ boni & mali: Similiter in Ecclesia ipsa diuina præcepta nobis tradita sunt, instar arboris scientiæ boni & mali, docent enim quæ mala fugienda, quæ bona adamanda fidelibus, *Lignum scientiæ boni & mali posuit in Ecclesia*, ait Laurent. Iustinian. loco citat. *videlicet sacra eloquia. Lignum scientiæ boni & mali sic appellatum est*, ait Theodoretus, *quia præcepto Domini non obtemperantes aculeos & stimulos peccati senserunt, atque experti sunt. In medio paradisi*, ait Damascenus, *productum lignum scientiæ, ad experientiam quandam, probationemque, & exercitium obedientiæ & inobedientiæ hominis. Lignum scientiæ boni & mali, dictum est*, ait Hugo de S. Victor. *non propter naturam quam in se habebat, sed quia per ipsum scitum est, vtrum esset homo bonus an malus, id est, obediens an inobediens, vel quia per obedientiam eius habiturus erat homo bona ad quæ transiret, per inobedientiam verò mala, quæ ei comminatus fuerat Deus. Lignum scientiæ boni & mali*, ait D. Bonauentura, *ordinabatur ad probationem scientiæ hominis.* Nónne hæc etiam omnia de diuinis possunt affirmari mandatis? Proximam vitæ arborem fuisse arbori scientiæ à nonnullis obseruatum est: nimirum, vt victori palma, præmiumque vicinum esset. Scitè Moyses Barcephas part. 2. de paradiso: *Credibile est, ei loco, in quo Adamo certamen, proximam extitisse arborem vitæ, seu victoriæ præmium, & si vicisset per continentiam, neque edisset de hac, mox permissa fuisset ipsi illa altera gustanda: quippe solet victori palma in promptu esse.* Similiter quisquis diuina seruauerit præcepta, huic conferenda pro palma, huic assignanda pro præmio arbor illa vitæ, de qua Christus Apocal. c. 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei. Per lignum vitæ putat Blasius Viegas in huius loci commentario Christum intelligere visionem beatificam.

LAVR. IVSTIN. THEOD. DAMASCEN. HVGO DE S. VICTOR. BONAV. MOYSES BARCEPHAS.

EVSEBIVS GALL. Arbor sciētiæ boni & mali sunt hæretici.

12. Eusebius Gallicanus in festo S. Laurentij Martyris per lignum scientiæ boni & mali hæreticos intelligit: *Illam*, ait, *arborem de qua Dominus primum hominem comedere interdixit, hæreticos significare puto, quorum quidem fructus mortiferi sunt, quorum poma venenosa sunt, quorum doctrinam qui susceperit mortem incurret sempiternam.*

In Ecclesia varij flores. GREGOR.

13. Quintò; flores varios habebat paradisus: sic & Ecclesia. *Hortus Ecclesia existit*, ait D. Gregorius in Cantica cap. 4. *quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Hortus Domini*, ait Theophilus in Ioannem, *est Ecclesia Catholica, in quâ sunt rosæ Martyrum, lilia Virginum, violæ viduarum, hedera coniugum.* Genes. c. 27. ait Isaac benedicens Iacobo: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Quæ verba ad Ecclesiam transferens D. Gregorius homil. 6. super Eze-

GREGOR.

chielem sic ait: *Ager hic est mundus, vt in Euangelio ait veritas, & quia Ecclesia per electos suos, in vniuerso mundo virtutibus redolet, odor est agri pleni. Aliter namque olet flos vuæ, quia magna est virtus & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium: aliter flos oliuæ, quia suaue est opus misericordiæ, quia more olei resouet & lucet: aliter flos rosæ, quia mira est fragrantia qua rutilat, & redolet ex cruore Martyrum: aliter flos lilij, quia candida vita carnis est de incorruptione Virginitatis: aliter flos violæ, quia magna virtus humilium, qui ex desiderio, vltima loca tenentes per humilitatem se à terra in altum subleuant, & cælestis regni purpuram in mente seruant: aliter redolet spica, cùm ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum, qui iustitiam esuriunt, præparatur. Sed quia ager hic has virtutes ex semetipso non habet, adiungitur, cui benedixit Dominus Deus: Et quoniam electorum populus per quosdam in contemplatione surgit, per quosdam verò in actiua vitæ solummodò opera pinguescit, rectè additur: Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam. Ros enim desuper & subtiliter cadit, & toties de rore cæli accepimus, quoties per infusionem contemplationis, intimè de supernis aliquid tenuiter videmus. Dum verò bona opera etiam per corpus agimus, de terra pinguedine ditamur.* Hæc Gregor.

Scriptura omnes sensus recreat.

14. Sextò, paradisus ille omnes sensus oblectabat & pascebat, scilicet, oculos virore plantarum, & varietate florum & fructuum; aures, cantu auium; nares, odore florum & aromatum; gustum sapore pomorum; tactum contrectatione eorumdem. Sic etiam Ecclesia omnes sensus, omnes mentis potentias, omnes animæ vires, suâ doctrinâ, suis Sacramentis, suis ritibus & cæremonijs, suis virtutibus, exemplis, cæterisque charismatibus recreat & roborat.

Habet Ecclesia ligna pomifera. LAVR. IVSTIN.

15. Septimò, ligna pomifera habebat paradisus, sic etiam Ecclesia. Per hæc ligna, Sacramenta intelligit Laurent. Iustin. loco citat. Inseruit, ait, in ea arbores & ligna, id est, cælestia Sacramenta, quorum alimento nutriantur, qui illic collocandi sunt.

Nulla arbor infructuosa in paradiso. EVSEBIVS GALL.

16. Præterea, omnes iusti in Ecclesiæ paradiso sunt, quasi tot ligna pomifera. Notat autem Eusebius Gall. loco citat. nullam arborem infructuosam fuisse in paradiso, cùm Dominus dixerit: *De omni ligno paradisi comede*, atque hinc colligit Ecclesiæ quoque arbores omnes fructiferas esse debere, cùm Dominus dixerit: *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, vt fructum afferatis, & fructus vester maneat. Per hasce arbores* (ait S. Bruno lib. de laudibus Ecclesiæ cap. 1. *Ecclesiæ filios intelligimus. Bona arbor beatus Paulus, plus omnibus laborauit, bona, & illa qui dixit: Ego autem*

BRVNO.

sicut fructifera in domo Dei. Sic autem & illæ oliuæ de quibus dicitur: Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ: Tales & illi quibus Dominus ait Ioan. cap. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis & fructus vester maneat. Ecce tales sunt Ecclesiæ arbores, neque illis inferiores, imò verò tantò meliores, quantò melior est veritas quàm figura. Maior odoris suauitas, maior fructus abundantia, & maioris iucunditatis dulcedo in his reperitur. Videant Christiani, qui per arbores paradisi significantur, ne sint infructuosi, quia in paradiso nulla arbor legitur fuisse infructuosa.

17. Vis scire quos præcipuè fructus exigat Christus à spiritualibus hisce lignis? nimirum illos quos nobis designauit per Micheam c. 6. *Indicabo*, ait, *tibi homo, quid sit bonum, & quid Dominus Deus requirat à te, vtique facere iudicium, diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Tria continent hæc verba. Primum, spectat ad nos. Secundum, ad proximos. Tertium, Deum respicit. De singulis aliquid dicendum.

Quos fructus exigat Christus ab hominibus in Ecclesiâ constitutis.

Quòd à iustis, tanquam horti Ecclesiæ spiritualibus arboribus, exigat Deus pro fructu, vt iudicium faciant inter carnem & spiritum.

§. II.

18. AD nos spectat facere iudicium. Quid hoc sibi vult? vt huius verbi (quod in sacris litteris frequentissimũ est) significationem intelligatis. Sciendum, quòd sicut homo dicitur paruus mundus, sic etiam dici potest parua ciuitas. Ierem. 1. legimus, *Dedi te in ciuitatem munitam*. Prouerb. c. 18. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, & Isai. c. 1. Deus loquens de peccatore, ait: *Et relinquetur filia Sion sicut ciuitas quæ vastatur.* O pulcherrimam ciuitatem, si iudicium, si iustitia habitet in illa.

Homo Christianus debet facere iudiciũ inter carnem & spiritum.

Homo parua ciuitas.

19. In hac ciuitate idem euenit, quod interdum in alijs contingit ciuitatibus, vt omnia inuerso & retrogrado fiant modo & ordine, vt plebs infima, imperet magistratui, iuuenis tumultuetur contra senem, seruus Domino, ancilla Dominæ leges præscribat. Sic cõtingit interdũ, & vtinam non plerumq; in homine, quod carnale est prædominatur spirituali; quod mortale, æterno; quòd

In hac ciuitate plebs infima vult imperare magistratui.

quod corruptibile, incorruptibili; & vt vno dicam verbo, caro leges præscribit animæ, eamque planè trahit ad regionem suam. Appetitus concupiscibilis & irascibilis tumultuantur contra voluntatem, omnia exequuntur pro arbitrio, consilio, ac ductu sensuum, qui tanquam stolidissima mancipia iugo rationis essent comprimenda & castiganda. Quod quia malorum omnium, quæ in vità grassantur, seminarium est, hinc exigit Deus à nobis vt iudicium faciamus, vultque ipsam rationem, principem locum tenere, & omnia moderari iuxta trutinam & ad amussim veri iudicij, tribuendo vnicuique quod suum est, habita consideratione, cuiusque qualitatis & dignitatis.

Sed hominis Christiani est facere indicium, & velle vt quod est dignius præferatur indigniori.

20. Ad hoc ergo iudicium imprimis spectat, vt ratio consideret hominem constare, corpore & spiritu, quæ duo quamuis dissimillima naturâ, connexione tamen naturali, inter se iunguntur, iuncta tamen sibi inuicem aduersantur. Caro militat aduersus spiritum, & spiritus aduersùm carnem; quodlibet sibi primas partes vindicat. In cuius fauorem feret sententiam ratio, vt faciat iudicium, rectum, inquit? iudicium iudicet? An in fauorem carnis. Absit. Quid enim anima, quàm totius mundi res pretiosissima, ac gemma pulcherrima, quæ pluris valet, quàm cælum & terra, totusque mundus. Est enim ad imaginem Dei facta, Deique quædam participatio, & vt ille ait: *Diuina particula auræ.* Quid caro nisi turpissimum sterquilinium? Quid anima nisi quædam imago Dei? quid caro, nisi quædam imago bestiæ? *Constat homo*, ait Lactant. lib. 2. c. 13. *ex anima & corpore, id est, quasi è cælo & terra, quandoquidem anima quâ viuimus velut è cælo oritur à Deo, corpus è terra, cuius è limo formatum est*, &c. Quantò ergo cælum dignius est terrâ, tantò præcellit spiritus carnem, spiritus, inquam, immortalis, carnem mortalem & victimam mortis. Et si Seneca præfat. lib. 1. quæst. nat. rectè iudicans exclamauerit. *O quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit*: Cur paucis mutatis non meritò dicemus: *O quàm contempta res est homo nisi supra carnem se erexerit.* In fauorem ergo spiritus ferenda sententia.

Non carni sed spiritui, imperium adiudicandum.

Caro quàm vilis.

SENECA.

21. Magna certè animæ pœna est, quòd huic cadaueri sit alligata & cum eo quasi tabescere & mori debeat, vt aiebat Hortensius apud August. lib. 5. cont. Iul. c. 12. *Verum est illud*, ait, *quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio atque eos qui quondam cùm in prædonum Hetruscorum manum incidissent, crudelitate excogitata, necabantur, quorum corpora viua cum mortuis, aduersa aduersis, quàm aptissimè colligabantur: Sic nostros animos cum corporibus copulatos vt viuos cum mortuis esse coniunctos.* Et nos tam iniqui erimus rerum æstimatores, & malarum cogitationum iudices, vt æquum arbitremur animam illam præstantissimam, subesse carni, ac vile illius esse mancipium? An taliter permittemus carnem aduersus spiritum concupiscere, vt in seruitutem suam illum redigat? An permittemus falsæ illi ac deceptrici Dalilæ, vt illecebrosis blanditijs suis, consopitum, in gremio suo, indormire faciat nostrum Samsonem, spiritum, inquam, ad Dei seruitia promptum, eique capillos, id est, dona Sancti Spiritus, & virtutes quas acquisiuit, attondat & adimat? Profectò secus gentiles iudicarunt. Audi Senecam epist. 63. dicentem: *Maior sum & ad maiora natus, quàm vt sim mancipium corporis mei.* Sed Bernardi iudicium audiamus cap. 3. medit. *Dominam ancillari, & ancillam dominari magna abusio est.* Audiamus & D. Augustini serm. 50. ad fratres in eremo, sententiam: *Qualis est*, ait, *in oculis hominum, qui inuersis pedibus ambulare videtur, talis est in oculis angelorum, cui propria caro dominatur.* Sic igitur & nos iudicemus, pro spiritu pugnemus, vt caro opprimatur, stemus à parte animæ, vt inimica caro superetur, ne nos penitus sternat. Væ illi, qui spiritu deserto, secundum carnem sapit, secundum carnem viuit, carni se adiungit, ac cæco animi impetu in fauorem carnis fert sententiam. Audi S. Basilium serm. de ieiunio: *Perinde, ait, ac in acie hinc atque hinc instructa ad conflictum, qui alteri parti fert suppetias, facit vt alter vincatur: ita qui carni se adiungit, expugnat spiritum, & qui stat à spiritu carnem in seruitutem redigit.*

Magna animæ pœna quòd corpori sit alligata.

Nullo modo permittendum vt caro imperet animæ.

Nequidem gentiles idipsum passi sunt.

SENECA.

BERN.

AVGVST.

BASILIVS.

Quàm plenum stultitiæ stare à partibus carnis, neglecto spiritu, sic explicat Abbas Salomon serm. 22. *Quidam vir nobilis, & eius seruus contumax in custodiâ tibi dati sunt, hac lege, vt seruum pane & aqua more serui, nobilem autem secundum dignitatem natalium suorum splendidè procurares. Tu verò in contrarium operatus es, qui nobilem virum fame & siti multisq; alijs iniurijs confectum subegisti, seruum verò omni deliciarum genere fecisti insolentem & superbum, qui insurgens in Dominum suum confossum vulneribus multis occidit eum. Quid respondebis ei qui vtrumque tibi commendauit? Tu hoc crudelis fecisti, tu, inquam, nobilem virum occidisti, qui spiritum tuum nullis virtutibus, nulla pinguedine deuotionis, vel bonorum operum refecisti. Tu seruum contumacem nutriuisti delicatè, quando carnem tuam comessationibus & ebrietatibus, cæterisque voluptatibus vitæ huius delectasti. Propterea te porrigente manum auxilij caro insurrexit in spiritum, cum vitijs carnis, hoc est, luxuria, & immunditia, eum seruire coëgit. Et ò vtinam tibi sufficeret, occidisse tantum virum, & non illuderes mortuo, non sæuires in extinctum, non infligeres vulnera vulneribus, quod faciunt omnes qui peccato peccatum adijciunt.* Sic ille.

Quàm plenum stultitiæ stare à partibus carnis neglecto spiritu.

SALOMON.

Et quid precor turpius vel ignominiosius excogitari potest quàm principatum adiudicare carni vilissimo seruo atque manci-

Nihil turpius quàm principatū adiudicare carni.

Chrysos.

mancipio, & ipsum nobilissimum spiritum illi subdere, & in eius miserrimam seruitutem redigere Chrysost. hom. 14. in epist. ad Roman. expendens illa verba Rom. cap. 8. *Non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*. Sic scribit: *Ne Dominam illam vitæ nostræ faciamus, non enim decet vt illa imperet, sed obediendo sequatur: neque vt vitam nostram dirigat, sed vt spiritus leges, quibus obtemperet accipiat. Quis est* (ait D. Ambrosius apud August. lib. 2. c. 8. cont. Iulian.) *qui carne vtitur ad operandum, nisi anima? ergo & Princeps & Domina carnis naturaliter anima est, quæ domare carnem & regere debet: ideóque Spiritus sancti fulta præsidio dicit in Psalmo 55. Non timebo quid faciat mihi caro. Ipsa etiam dicit in Paulo: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.*

Caueat ratio ne falsa commiseratione tacta, plus æquo aliquid tribuat carni.

22. Caueat autem ratio, ne falsa commiseratione decepta, in hoc iudicio, respiciens personam pauperrimæ carnis, plus æquo illi indulgeat, & diuisum imperium cum spiritu illi concedat, quod caro iam oppressa, penitus expostulat, & precibus extorquere nititur, similis Dario qui ab Alexandro superatus, atq; in fugam actus, veritus ne integrum amitteret regnum, per nuntios dimidium regni illi obtulit. Sed respondit Alexander. *Quod sicut mundus non fert duos soles, ita nec Asia duos reges*. Similiter quamuis caro, verita extremam sub imperio spiritus seruitutem atque exterminium, postulet, vt sibi etiam aliquid iurisdictionis ac imperij concedatur, laxenturque habenæ, fauendum est spiritui alleganti ex Tito Liuio li. 1. *Infidam esse societatem regni*. Et ex Seneca: *Nec regna socium ferre, nec tadæ queunt*. Et ex Tacito 15. Annal. *Cupidinem dominandi cunctis affectibus flagrantiorem esse, ac proinde inter certos & præfixos limites se continere non posse*. Quibus innixus fundamentis, vult totum imperium sibi adiudicari spiritus, recusans ad regni partem carnem admittere, contestans eam vt seruam famulari debere, atque penitus subesse spiritui.

Nihil carni permittendum iurisdictionis.

Nulla societas regni concedenda carni.

Titus Livius.

Seneca.

23 Huius rei imaginem expressam habemus 3. Reg. 3. in duabus illis mulieribus, quarum vtraque apud Salomonem caussam dicens, volebat sibi adiudicari puerum, tanquam legitimæ matri, qui vt veram dignosceret matrem, hoc vsus est stratagemate. *Hæc*, inquit, *dicit: Filius meus viuit & filius tuus mortuus est, meus autem viuit, afferte mihi gladium. Cumq; attulissent gladium. Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni & dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier cuius filius erat viuus ad Regem (commota sunt quippe viscera eius, super filio suo.) Obsecro Domine date illi infantem viuum & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat. Nec tibi nec mihi sit, diuidatur*. Contendunt inter se caro & anima de imperio. Lis deducitur in tribunali rationis. Sed vt inter nouercam & legitimam discernamus matrem, consideremus quænam primò dicat: *Diuidatur*. Certè hæc est expostulatio carnis, quæ non vult priuari suis omnibus voluptatibus atque delicijs, in vacuum se non recepisse sensus, exponit, sed vt obiectis suis delectentur; creata omnia esse bona; honores, diuitias, voluptates res esse adiaphoras & indifferentes, excessum esse vitiosum, modum laudabilem, ac proinde non esse penitus reijcienda. Per ipsam licere, vt anima vacet rebus cælestibus, primumque quærat regnum Dei, modò ipsi permissum vt terræ adhæreat, & ex creaturis conuenientissimum sibi pabulum sumat. Sed reluctatur anima, renuntiat huic diuisioni, affirmat humana & cælestia incompatibilia esse in vno homine, omne regnum in se diuisum desolandum esse, imperium vel penes carnem, vel penes animam esse debere, &c. Qualiter, hîc se geret ratio? animæ tanquam parti potiori, integrum adiudicandum imperium, hoc est: *Facere iudicium*.

Contentio carnis & animæ adumbrata in contentione illa duarum mulierum de quibus 3. Reg. 3.

24. Ad hoc iudicium etiam spectat, vt concupiscentia quàm potest fieri maximè comprimatur, sensusque omnes, ac vterque appetitus tam concupiscibilis quàm irascibilis, cùm cæteris passionibus, tanquam vilissima mancipia refrenentur, & sub iugo & Dominio spiritus, ab ipsa ratione, redigantur. Quid enim indignum magis quàm in homine dominari, non quod spirituale, sed quod animale est, contra illud D. Pauli Rom. cap. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Metonymicè enim peccatum idem est quod fomes peccati, & concupiscentiæ. Vnde notant S. August. & Gregor. 14. mor. 9. Non dicere Apostolum, non sit, non habitet, hoc enim est impossibile, sed non regnet in vobis peccatum, vt scilicet spiritus illi subiiciatur, eiusque desideriis & concupiscentiis obediat. Nam sequitur: *Vt obediatis concupiscentijs eius*. Vt autem ostendat Paulus quàm hoc sit indignum, atque iniustum, & vt stimulum det animo ad ferendam sententiam pro spiritu contra ipsam concupiscentiam, ait: *In mortali vestro corpore*. Nam planè alienum est à recto iudicio, concupiscentias, quæ fluxæ & euanidæ sunt, vnaque cum mortali hoc corpore intermorituræ, primas partes in homine obtinere.

Ad hoc iudicium etiam pertinet, vt concupiscentia cum sensibus subiiciatur Dominio spiritus.

Non debet regnare concupiscentia in mortali corpore nostro.

25. Hoc egregiè significatur per id quod legimus Genesis cap. 21. Dum enim Ismael cum Isaac luderet (ludus autem erat, vt Hebræi volunt, quòd idola colere eum docebat) Sara vxor Abrahæ, id ægrè ferens audacter dixit: *Eijce ancillam & filium eius*. Quo facto docemur, coërcendam esse concupiscentiam, sensum, atque appetitum, eorumque motus, inclinationes & operationes, ne in suam sententiam trahant spiritum, operationes autem spiritus, spiritualiaque exercitia, cùm filij sint liberæ,

Eiicienda ancilla & filij eius.

liberæ, imò & Reginæ, Reges sunt, & dominari debent: operationes verò sensualitatis cùm sint filij seruæ, serui sunt, quia ciuiles leges disponunt, vt partus sequatur ventrem. Quare cùm contingit, prauos appetitus in nobis oriri, summoperè curandum est, ne dominentur spiritui, vt sollicitè curabat Dauid cùm dicebat: *Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.*

Hoc iudicio neglecto non potest in nobis regnare Christus.

26. Si autem iudicium hoc negligamus, nullatenus fieri poterit vt Christus perfectè regnet in ciuitate nostra. Sensuum enim nostrorum immortificatio varijque affectus, amoris, odij, desiderij, auersionis, dilectionis, atque tristitiæ, nec non audaciæ, timoris, spei, & desperationis, iræ, indignationis nisi imperio rationis subijciantur spiritui, tantoperè domum cordis in quâ Deus habitare desiderat, clamoribus importunis perturbant, vt eam à statu suo dimoueant, omnemque pacem, ac mentis tranquillitatem impediant. Mens etenim nostra, si diuinam gratiam est adepta, & ad perfectionem aspirat, spiritualis est ciuitas, vel potiùs spiritualis Hierosolyma, quam Christus non omninò debellat, & in suam transfert potestatem, quousque sensus mortificentur, & affectus ad pacem, & ad debitum ordinem redigantur. Audi quid dictum fuit Dauidi cùm Hierosolymam expugnaturus & possessurus aduenerat 2. Reg. cap. 5. *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes non ingredietur Dauid huc.* Quisnam est iste Dauid qui vrbem Iebusæorum expugnauit, nisi Saluator noster Iesus Christus, qui humanam mentem à Iebusæis, id est, à dæmonibus ac peccatis liberauit, & in suum dominium transferre disposuit? & qui sunt isti cæci & claudi? qui Christo aditum claudunt, & eius in mentem paratum ingressum, impediunt, nisi sensus & affectus inordinati, quorum illos, vana curiositas cæcat; istos verò, ne bene gradiantur, desiderium commoditatis eneruat. Isti ergo cæci & claudi tollendi sunt, id est, vero iudicio, animoque studio mortificationis intento, cohibendi, & ad medium virtutis reuocandi, vt Christus ciuitatem hanc, suum faciat habitaculum, & non ex parte tantùm, sed omninò atque perfectè possideat.

Nihil ad perfectionē tendenti magis obest quàm sensuum blandimenta.

27. Nihil etiam est, quod viro ad perfectionem tendenti magis obest quàm sensuum blandimenta. Nihil est quod ad æternam patriam anhelantem atque currentem magis impediat atque infestet, quàm sensuum lenocinia. Primum certamen & durius, quod Israëlitæ ad patriam pergentes habuerunt, fuit contra Amalech, vt legimus Exod. cap. 17. Cum enim nullo alio hoste importuniùs & periculosiùs pugnatum est, quare non armis solùm, sed etiam orationibus eum debellarunt ac de eodem triumpharunt. Quid Amalech interpretatur, quàm gens bruta, quæ iter nostrum, quo ad fœlicem patriam tendimus, impedire conatur. Quænam autem ista gens bruta, nisi sensualitatis nostræ passiones, qui rationi obedire nolunt; hęc, inquam, gens bruta, per totum vitæ spatium, crudele bellum nobis infert ac semper spiritui aduersatur. Quare curandum vt animus, pro regia sua potestate, recto iudicio, gentem illam brutam eneruet, vera mortificatione, insuper continuis precibus & orationibus.

Carne superata diabolus facillimè superatur.

28. Sic latâ in fauorem spiritus sententiâ, sic spiritu præualente ac prædominante aduersus carnem, communis hostis diabolus facilè superatur, qui non nisi fultus præsidio carnis solet oppugnare & superare spiritum hominis, diuinâ gratiâ exornatum, vt meritò dixerit D. Paulus Rom. cap. 7. *Scio quod non habitat in carne mea bonum*, quasi dicat, vt interpretatur B. Didacus cap. 82. Scio dæmonem latere in carne mea, atque illius præsidio spiritui meo bellum inferre, atque ex illa tanquam quadam arce, ignita iacula sua in illum mittere. Sic enim scribit: *Vt enim qui non potest eum, cum quo certat prehendere, iaculis aduersus eum vtitur, vt possit pugnantem eminus pennis telorum venari. Sic Sathanas quia non potest per præsentiam charitatis occultari in mente luctantium, volitat super humorem, ac latitat in corpore, vt facilitate eius animam Lactet, atque pelliceat. Permittuntur enim iusto iudicio versari in profundo corporis, etiam in ijs qui robustè aduersus peccatum dimicant, quia sic semper experienda & exploranda mens humanæ voluntatis.* Sic ille. Itaque carne in ordinem redactâ, & sub spiritus imperio constitutâ, spiritum nequaquam vincere ac superare potest diabolus, vtpote pręsidio carnis iam sibi subtracto ac deficiente. DIDACVS.

Carne cum spiritu consentiente nullæ diabolo restāt ferè vires ad nos oppugnandos.

29. Præterea cùm mortificationis studio, id assequamur, vt carnem quodammodo spiritualem reddamus, carne iam cum spiritu consentiente, & cum spiritu in Deo exultante, quæ vires erunt residuæ communi hosti ad hominem superandum, quomodo resistet spiritui & carni iam confœderatis & Domino famulantibus? quomodo ab eis non facilè superabitur? Quemadmodum enim aliquando accidit, vt duo canes qui nunquam inter se conuenire potuerunt, conspecto tamen lupo communi hoste, & eum pariter adorti, facilè profligantes, firmissima posteà amicitia coniunguntur. Sic carne & spiritu, quæ sibi naturaliter aduersantur, & quasi duæ partes sunt collitigantes, & de imperio disputantes, per Christi gratiam reconciliatis, & recto animi iudicio taliter confœderatis, vt vnumquodque suo fungatur munere, communem hostem diabolum pariter impugnantibus facilè illum vincunt, ita vt iam in nostra ciuitate non nisi iustitia, & consequenter Deus placidè habitet.

Iudicium etiam faciendũ inter creatorẽ & creaturas.

30. *Facere iudicium*, iudicium hoc etiam sese extendere debet ad ipsum creatorem, ipsasque creaturas. Scimus animam nostram, inter creaturas & ipsum creatorem, mediam constitutam, quòd enim super animam est, Deus est, quòd infra eam est, corpus est, & cætera creata, iam verò ad quam sese deflectet partem, cui adhærebit? an recedet à superiori, & adhærebit inferiori? Absit, vt taliter euertat rectæ rationis iudicium? veram & rationi consonam, reddat & proferat sententiam. Faciat, inquam, iudicium rectum, calcet inferiora & adhæreat superiori: *Non occuperis*, ait D. August. in Psalm. 145. *in eo quod factum est, & recedas ab illo qui fecit: Hæc enim quibus occuparis sub te fecit, quia sub seipso te fecit. Si hærebis superiori, calcabis inferiora: Si autem recedas à superiori; ista tibi in supplicium conuertentur. Sic enim factum est, fratres mei, Accepit homo corpus tanquam in famulatum, Deum ante Dominum habens, corpus seruum. Habens supra se conditorem, infra se quod sub illo conditum est. In medio quodam loco rationalis anima constituta, legem accepit, hærere superiori, regere inferiorem. Regere non potest inferiorem, nisi regatur à meliore. Trahitur ab inferiore, deseruit ergo meliorem. Non potest regere quod regebat, quia regi noluit à quo regebatur.* Sic D. August.

Adhærendum creatori neglectâ creaturâ. AVGVST.

Rationis iudicio pretium rebus omnibus statuendũ.

31. *Facere iudicium.* Eodem rationis iudicio, pretiũ rebus omnibus ponere debemus, & nobilioribus ignobiliora postponere, cælum magis æstimandum quàm terra, anima quàm omnia creata, Deus ipse quàm cuncta visibilia & inuisibilia. Vt autem ratio rectè sic de omnibus iudicet, consiliarios adhibeat, non sensus, non appetitum, non concupiscentiam, non prauas inclinationes, sed legem & mandata Dei. Sic faciebat Dauid cùm ait: *Nam & lex tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.* Vel vt alij vertunt: *Iustificationes tuæ cõsiliarij mei sunt.* O miros & fideles rationis consiliarios! Non audio quid cordis mei intemperantia flagitet, quid ambitio desiderat, quid auaritia postulet, quid sensus suadeant, audio quid exigant mandata Dei.

Discernendum inter vitia & virtutes. AMBROS.

Postremò, eodem rationis iudicio discernere debemus inter vitia & virtutes. Si enim iudicium sequaris sensuum, præponenda videbuntur virtutibus vitia. Nam vt dicebat D. Ambrosius: *Allicit homines magis dulce peccati quod ad præsens influit & impinguat videntis affectum, quàm triste virtutis, quæ fidei spem velut quodam cortice amari laboris inuoluit.* Verùm si rationis vtaris trutinâ imitaberis Moysem, de quo legimus Exod. 2. quòd cùm vidisset virum Ægyptium, percutientem quemdam Hebræum, Ægyptium percusserit, & absconderit sub sabulo. Quid Ægyptius hic, quid Hebræus adumbrant, nisi pietatem & impietatem, nisi vitia & virtutes? A cuius partibus debet stare Moyses; id est, vir fidelis? Sanè partibus debet adhærere virtutis, & omni conatu tollere debet atque delere impietatem & omnia vitia. Audi D. Gregorium Nyssen. lib. de vita Moysis historiam hanc ad tropologiam allicientem: *Inimici duo inter se colluctantes, Hebræus atque Ægyptius, inter quos medius factus Moyses, cùm eos conciliare non potuisset, Ægyptium interfecit: pietas sunt atque impietas. Primam Scriptura sacra per Hebræum significatam instituunt, alteram secularis ac exterior doctrina nugis suis insinuat, quam qui Moysen imitatur, vno ictu reluctantem occidit, nec aduersus pijssimam fidem insurgere ipsam patitur: quanquam etiam latiùs id accipere pro omni virtute & vitio possimus. Est enim quasi medius inter iustitiam, ac iniustitiam, luxuriam atque modestiam, humilitatem atque superbiam, cæteraque huiusmodi propositus homo. Docet igitur hoc exemplo suo Moyses, radicitus à nobis tollenda esse vitia, virtutem autem tanquam naturæ nostræ consentaneam amplectendam esse atque fouendam.* Sic ille.

GREGOR.

Tollenda vitia, virtus diligenda.

Pende vltima Nysseni verba & facilè perspicies quàm æquum & iustum sit vt tollas vitia, virtutem verò diligas. Est enim, ait, hæc consentanea naturæ nostræ. An idem de vitio affirmari potest? Absit. *Virtus*, ait Seneca epist. 5. *secundum naturam est, vitia inimica & infesta.* Quanta naturæ humanæ sit ad bonum, virtutemque procliuitas docent passim tam sacri quàm prophani auctores. Apud Cassianum collat. 13. cap. 12. hæc leguntur: *Dubitari non potest, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta, sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis peruenire non poterunt: quia secundum Apostolum, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Cicero de finibus lib. 5. sic scribit: *Est enim natura sic generata vis hominis, vt ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamque causam parui virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrinâ mouentur: sunt enim prima elementa naturæ, quibus auctis quasi carmen efficitur.* Et Tusc. 3. in principio, ita: *Nunc paruulos dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque deprauatis sic restinguimus, vt nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingenijs nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret.* Si ergo virtus naturæ consentanea, si ad virtutem habeat natura procliuitatem, vitia verò sint inimica, & infesta naturæ, quid æquitati tam consonum, quàm vt pro virtute pugnemus & ab eius partibus stemus, vitia verò, eliminemus, & expugnemus.

SENECA.

CASSIANVS.

Idipsum sanè planè æquum & iustum facilè designabimus, si nosipsos quasi libram constituamus, inter præsentaneam dulce-

Videndũ in quẽ virtutes & vitia desinant finem.

dulcedinem peccati, & exteriùs apparentem virtutis amaritudinem, expendentes in quem vtraque desinant finem. Sic faciebat regius Vates, dum aiebat Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Quasi dicat: Quod propendeat cor meum ad obseruationem mandatorum & ad prosequendum virtutum studia, neglectis & repulsis vitijs, id præsertim accidit ex considerata retributione illorum, & horum æterna punitione. Vnde in citata verba sic Theodoretus. *Trutinæ similis est ipsum animi consilium: tenet trutinam mens, cui regendi munus demandatum est, quæ si ad pias cogitationes, ac rationes accesserit, necesse est, vt ad præstantiora libra propendeat, & inclinet: id se fecisse Propheta dicit: Inclinaui cor meum. Nam vtilitatem spectans inde existentem libentissimè pro his rebus laborem suscepit.*

Quòd à iustis, tanquam horti Ecclesiæ spiritualibus arboribus, exigat Deus, pro fructu, vt faciant internum iudicium, & qualiter illud peragendum.

§. III.

Faciendum iudicium quoddam internum contra nosmetipsos.

1. ACcidit etiam plerumque, quod in hac parua ciuitate, in homine, inquam, omnia inuerso & retrogrado procedant modo & ordine & cùm iustitia deberet habitare in ea, habitent homicidæ, id est, plurima peccata animam occidentia, imò tanta est in hac ciuitate rerum omnium confusio atque desolatio, vt illi quadrare videantur verba Dauidis Psalm. 54. *Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate, die ac nocte circumdabit* (& circumerrabit) *eam super muros eius, iniquitas, & labor in medio eius & iniustitia regnant*, hoc est extima & intima eius plena assiduè sunt, omni genere fraudis & iniuriarum. *Et non defecit, non cessabit, de plateis eius vsura & dolus.* Id est innocentium pauperumque oppressio & afflictio. Quid remedij, vt omnia in hac ciuitate iusto procedant ordine? & vt iuxta dictamen rationis, & iuxta normam & amussim legis diuinæ, cuique tribuatur quod suum est? Nulla commodiori ratione id exequemur, quàm instituendo & faciendo contra nosipsos iudicium quoddam internum & domesticum, iuxta illud Micheæ cap. 6. *Iudicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium.* De impijs legitur psalmo primo, *Non resurgent impij in iudicio.* Tu Christiane è conuerso, Deum tibi ob peccata offensum timens, exurgas in iudicio. Diuus enim Augustinus citatum Micheæ locum enarrans serm. 136. de Tempore, intelligit etiam de iudicio proprio, quo pœnitens contra seipsum vtitur vt diuinam misericordiam consequatur.

Vis, ô Christiane, consequi à Deo misericordiam? vis iusto illius non damnari iudicio? præueni iudicium, iudicio, iudicium Dei acerrimum, iudicio tuo mitissimo, ac domestico, iuxta illud D. Pauli 1. Corinth. 11. *Si nosipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* — Præueniendum diuinum iudiciũ nostro iudicio.

2. Vis scire & intelligere, quid à nobis hisce verbis exigat & requirat Deus, *Facere iudicium?* iudicium per se sumptum significat officium iudicis, & quidquid ad illud, quoquo modo pertinet. Facere ergo iudicium, nihil aliud est, quàm sui respectu officium iudicis exercere, eaque omnia quæ ad illius obseruantiam spectant, in seipso fideliter exhibere. An non externum iudicium iuxta Iurisconsultos vt perfectum sit, est actus legitimus trium personarum: nónne necesse est, vt intercedat accusator, reus, & iudex? Quid precor in externo iudicio agit iudex? Quænam illius partes? Numquid omnia & singula penitus inspicit, examinat, ponderat? Numquid omnia causæ merita scrutatur & inuestigat? Numquid testes aduocat? An non iudicium hoc concomitantur cruciatus atque gehennæ? an non satellites, tortores, cæterique iustitiæ ministri? Numquid iudex reum damnat, & innocentem absoluit? — Quid iudicium per se sumptum significet. — Quæ requiruntur in externo, requiruntur etiam in interno iudicio.

3. Quæ in iudicio illo exteriori aguntur, eadem & tu in iudicio illo interno perage, & fecisti iudicium. Scias in basilica cordis humani Deum tribunal constituisse, legesque, in eius tabulis incidisse digito suo. Rationem constituit iudicem; nam vt ait Seneca epist. 65. *Quem in hoc mundo locum Deus, obtinet in homine animus.* Qui vt munere suo fungatur, magnus esse debet, atque sacer, & ad cælestia erectus, vt sic imperet regatque affectus, atque cupidines, — In basilica cordis Deus tribunal constituit. — SENECA.

pidines, humana omnia domita habeat, atque subiecta. Nam si mens, animus, atque ratio humana, ad terrena sunt demissa atque incuruata, ac puluere rerum terrenarum excæcata; qualiter separabunt pretiosum à vili, qualiter iustum iudicium, facere poterit?

Conscientia sustinet actoris vices.

4. Ad conscientiam quod attinet, quamuis Menander rectè dixerit: *Mortalibus cunctis conscientia est Deus.* Id est, instar, & vice Dei. Præstat tamen conscientiam affirmare actoris vices sustinere.

Cogitationes nostræ testium loco.

5. Cogitationes nostræ testium loco sunt, quæ vel grauant, vel defendunt hominem reum; hoc enim vult significare Paulus, dum loquens de Gentilibus in gentilismo viuentibus, qui tantùm conscientiæ legem, & vermem accusantem & defendentem habent, sic loquitur: *Ipsi sibi lex sunt, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum. Et inter se inuicem cogitationibus, & ratiocinationibus accusantibus* (scilicet hominem etiam Gentilem cùm malè agit) *& defendentibus hominem cum bene agit.* Quibus scilicet cogitationibus & ratiocinationibus, ratio vtitur tanquam testibus, omni exceptione maioribus vt hominem bene aut malè egisse conuincat.

Pœnæ quæ comitari solent iudicium externum etiam in hoc interno. GREGOR.

6. Reliqua etiam omnia reperiuntur in hoc iudicio interno. *Non deest*, inquit D. Gregorius 25. moral. 5. *in hoc iudicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos pleniùs debebat, nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat, ipse est actor qui exhibet, ipse reus qui exhibetur, odit se qualem fuisse se meminit, & ipse qui est, per seipsum insequitur illum qui fuit, atque ab ipso homine aduersus semetipsum fit quadam rixa in anima parturiens pacem, cum Deo*, &c. Idem homo & actor & reus, & accusator & iudex, tortor & punitor, vt Deum mitem & misericordem iudicem inueniat: *Carnifex*, ait D. Anselmus scribens in citatum Pauli 1. Corinth. cap. 11. locum, *timor, inde quidam sanguis animi confitentis profluat per lachrymas, postea ab ipsa mente sententia proferatur*, &c. ANSELM.

Quò homo in se seuerior, eò mitiorem inueniet Deum. AVGVST.

7. Quò seuerior quisque in se iudex fuerit, quò seueriùs punit quod peccauit, quò magis se diuino subtrahit iudicio, eò leuiorem & mitiorem iudicem Deum habet. Pulchrè declarat D. Augustinus sermon. 3. ex ijs qui nouissimè prodierunt. Infero illius verba: *Si vis*, ait, *vt ille ignoscat, tu nequaquam ignosce. Impunitum non potest esse peccatum: Impunitum esse non decet, non oportet, non est iustum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur à te, ne puniaris pro illo.* *Peccatum tuum iudicem te habeat, non patronum. In tribunali mentis tuæ ascende contra te, & reum te constituas ante te. Noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante se.* Hæc August.

8. *Sedeat mens atque cogitatio tua*, ait Chrysostomus homil. 14. in Matthæum: *Iudex in animam atque conscientiam tuam, adducas omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, & pone dignas singulorum pœnas, dicas tecum assiduè, quare hoc, aut hoc ausus es?* &c. CHRYSOST.

9. *Si timet homo* (ait Augustinus lib. 50. homil. hom. vltima) *quòd oportet nos præsentari ante tribunal Christi, ascendat ipse aduersus se tribunal mentis suæ, constituat se ante seipsum, loquaturque & operetur, quasi per legem libertatis incipiens iudicari, vt docet Iacobus, sic enim fiet vt postea non iudicetur.* AVGVST.

Duo debent mouere hominem vt ascendat tribunal mentis.

10. Vt ascendat homo hoc tribunal mentis duo eum mouere debent: primò huius interni iudicij facilitas, & diuini iudicij seueritas. De posteriori sic D. Anselmus expendens illa verba 1. Corinth. 11. *Si nosmetipsos diiudicaremus* &c. *Versetur ante oculos eius imago futuri iudicij & quidquid in se viderit, quod à iudice venturo reprehendi possit & puniri, ipse nunc in seipso reprehendat & puniat, peccata autem siue magna, siue parua impunita esse non possunt, quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur, cessat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana.* Quanta sit iudicij huius facilitas docet D. Greg. Nazianz. qui orat. in plag. grand. dum iudicium hoc internum vocat, *Domesticum tribunal. Conscientia, ait, tua nunc tibi domesticum tribunal est.* Quia quid homini familiarius, quàm in propriæ conscientiæ tribunali sese sistere, & præsentem exhibere, iudicemque intra semetipsum loco Dei sedentem, & blandè quidem, sed verè redarguentem, Deique causam agentem, rationem constituere, tanquam domesticum iudicem. Vide quædam non spernenda de hoc iudicio apud Iud. à Castro dom. 1. ad co. 4. § 4.

Primum, diuini iudicij seueritas. ANSELM. Secundum, interni iudicij facilitas. GREGOR. NAZIAN.

Sic seipsum iudicabat Dauid.

11. Sic seipsum iudicabat Dauid, nam post perpetratum adulterium & homicidium ascendens tribunal mentis, animo in Deum erecto, peccatum suum ingenuè est confessus, sui accusator existens: *Ego sum, qui peccaui. Tibi soli peccaui & malum coram te feci. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper. Quasi diceret*, inquit Chrysost. hom. 2. in Ps. 50. *Ego illud video, tu ne id consideres, ego illud scribo, tu quasi Dominus dele.* Legit enim Pagninus, *non contra me, sed coram me est semper.* In seipsum quoq; profert sententiam dum præsente Nathan ait: *Reus sum mortis*, lachrymarum profundens sanguinem copiosum. Quo peracto contra seipsum iudicio, remissionem obtinuit delictorum. CHRYSOST. PAGNIN.

12. Eze-

Sic seipsum iudicabat Ezechias. *Isa.* 38.

12. Ezechias postquā morbo multisque afflictionibus ac mortis comminatione admonitus fuisset vt ad cor rediret: *Recogitabo tibi*, ait, *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. q. d. cùm tecum lite & iudicio contẽdere nequeam, quin potiùs quoties diem iudicij tui cogito, toto corde cõtremiscam, supplex conuertor ad pœnitentiam & tribunal mentis ascendens ac instar Iudicis cuncta examinans atque ponderans: *recogitabo tibi omnes annos*: Id est, omnia peccata quæ singulis annis feci in memoriam reuocabo: de ijs dolebo ac multis lachrymis atque dolore animam torquens meipsum accusans atque condemnans veniam precabor. S. Bernar. serm. de Virg. vrget verbum *recogitabo*, id est, iterum cogitabo, inquit, ne fortè aliquid oblitus sim, neque aliquid iniudicatum & indiscussum remaneat. Quo facto examine ac mitissimo peracto iudicio morbum & mortem imminentem, illi ab Isaia denunciatam euasit. Considera filium prodigum & qualiter seipsum iudicet: In primis postquam in se reuersus fuerat atque tribunal mentis ascendisset culpabilem se agnouit? quàm indignum, ait, quòd mercenarij in domo patris mei cælestis abundent panibus, ego autem hîc fame peream. Atque vlteriùs seipsum grauiter accusans: *Ibo*, ait, *ad Patrem meum & dicam ei, Pater peccaui in cælum & coram te:* deinde iudicis instar contra seipsum profert sententiam, pœnæ ferendæ se adiudicat, quā Deo debitum soluat. *Non sum dignus*, ait, *vocari filius tuus, fac me sicut vnū ex mercenarijs tuis*, & peracto hoc domestico iudicio in gratia est restitutus, plena abolitione omnium peccatorum obtenta.

BERN.

Sic seipsum iudicabat filius prodigus.

13 Vide qualiter suaui quodam ac facili iudicio viri sancti præueniant durissimum Dei iudicium, eodem pariter expellẽtes ex propria ciuitate & conscientia, tot animæ homicidas, virtutumque spoliatores, qualia sunt omnia peccata mortifera, neci tradẽtes iniquitatem omnem, qui animam opprimebat, & grauiter onerabat vt meritò D. Aug. ho. 50. ad hoc iudicium omnes exhortans, dicit. *In pœnitentia maiorem quisque in se seueritatem debet exercere, vt à seipso iudicatus non iudicetur à Domino, sicut Apostol. ait*, 1. *Cor.* 11. *Si enim nos diiudicaremus, à Domino non iudicaremur. Ascendat igitur homo aduersus se tribunal mentis suæ, existimet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illuc recipiat vnusquisque quod per corpus gessit, siue bonum siue malum: Constituat se ante faciem suam, ne ei hoc postea fiat, nā minatur hoc Deus peccatori Ps.* 49. *dicens: Arguā te & statuam te ante faciem tuam, atq; ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor*, &c. Fælix qui hoc exercet iudiciū, nam vt legimus Eccli. 18. *Ante iudicium, interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. Habeat se peccator iudicem*, ait D. Augus. *vt Deum habeat defensorem.*

AVGVST.

Admonitio D. Augustini ad faciendū hoc internum iudicium.

14. Simili etiam iudicio præuenimus diaboli accusationẽ, ac sententia aduersum nos à nobis lata, mali dæmonis os obstruimus. Illud Is. 43. iuxta versionẽ 70. Interpr. *Dic tu iniquitates tuas primus, vt iustificeris*, in hanc sententiā exponit Chrys. Dic tu priusquam diabolus dicat, si tu dixeris, consues illius os. Chrys. ho. 2. in Gen. *Audi*, inquit, *Prophetā dicentẽ: dic tu prior iniquitates tuas vt iustificeris, non simpliciter ait: Dic tu iniquitates tuas, sed adiecit, prior, hoc est, ne expectes te arguentem, ne præstoleris actorem, ipse præueni & rape sermonis principium, vt accusatoris linguam obmutescere facias. Vidisti iudicis misericordiam? In humanis quidem iudicijs, si quis hoc faceret, & ante accusationem, facinora confiteretur quamuis apud humanum iudicem, is sentẽtiam capitalẽ in suum caput accerseret, at misericordis Dei, & animarū nostrarum medici, tam ineffabilis est bonitas & clementia vt omnem etiam rationem trāscendat. Nam si aduersariū nostrum præuerterimus, diabolum dico, qui in die illo ob faciem nostram stabit, & in præsenti vita, antequam ad tribunal ingredimur facinora confessi fuerimus, dicendiq; principium rapuerimus, nostri ipsorum facti accusatores, in tantam misericordiā prouocabimus Dominum, vt non solùm nobis donet liberari à peccatis, sed & in catalogo iustorū numerari.* Sic Chrys.

Hoc iudicio præuenimus diaboli accusationem.

CHRYSOST.

15. Væ nobis, nisi hoc facili iudicio accusationem dæmonis præuenerimus, nisi hac ratione os illi obstruamus, mirum enim in modum, tam in vltimo vitæ articulo, quàm post mortem ante tribunal Christi, nos accusabit. Ioan. Climach. vsque ad stuporem miranda refert, de quodam sui temporis Religioso, nomine Stephanus, qui cùm esset solitariæ vitæ, ac religiosæ cupidissimus, sub finem vitæ se recepit ad locum quemdam ab omni hominum commercio valdè remotum. Quo in loco cùm asperam & rigidissimam egisset pœnitentiam, postea sese recepit prope montem, in quo pulcherrima illa visione Eliam Prophetam donauerat Deus, in quo etiam domicilium eo tempore obtinebat ipse author Ioan. Climach. Cùm eo loci paucis vixisset diebus in cellula febri correptus, vnico ante mortem die subitò obstupuit & quaque versum oculos apertos cõijciens, modò ad dexteram, modò ad sinistram lectuli eosdem deflectebat, quasi quemdam præsentem videret, ea ex parte multarum rerum peractarum rationem deposcentem. Coram omnibus assistentibus interdū dicebat. Ita quidem res se habet, sed ad eludẽdam hanc culpam tot annis ieiunaui. Interdum dicebat: Nullatenus id verum est, mentiris, nunquam id sceleris admisi. Aliàs respondebat: verissimum est, quod obijcis, sed fletibus & pijs obsequijs proximo per multos dies impẽsis, hoc peccatum expiaui. Aliàs aiebat: Vera narras, nec aliud habeo quod respondeā quàm Deum esse summè bonū. Certè ait Climach. horrendum erat atque formidandum spectatu, rigorosum hoc & inuisibile iudicium.

Nisi hoc iudicio præueniamus diaboli accusationem mirum in modum nos accusabit præsertim in iudicio particulari.

CLIMAC.

16. Vis videre ac intelligere qualiter post mortem te accusabunt dæmones tui iurati hostes, neglecto hoc pio iudicio. Audi S. August. in Conc. ad Catechu. tom. 6. *Præsto erit aduersarius diabolus, recitabuntur verba professionis nostræ. Et si talis inuentus fuerit quisquam, vt debitor ex hac vita migret, exultabit ille aduersarius in conspectu seuerissimi iudicis, superiorem se esse declamans, agensq́ talem causam, apud talem iudicē: Æquissime, inquiet, Iudex, Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ: Indica meum esse qui tuus esse noluit, meus est, mecum damnandus est. Post renunciationē, vt quid inuasit pannos meos? quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renunciauerat? quid intemperantia? quid auaritia? quid ira? quid cætera mea? Postremò, æquissime fugientem à me, confugientem ad te, postea, cum meis, quibus renunciauerat, apprehendi, inuasorem detinui. In ipsa quodammodo mea possessione, à me apprehensus est. Quid in theatro faciebat renunciator turpium voluptatum? Thesaurisauit sibi iram in die iræ. Hæc omnia mea post renunciationem inuasit, meus esse voluit, & mea concupiuit iudicia. Iudica æquissime, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poteritne os aperire is, qui post professionem suam, talis inuenitur, vt iustè diabolo addicatur.* Vnde concludit. *Videte, quid agatis filij mei, fratres mei, videte quid agatis, quomodo hanc professionem vestram custodiatis. Contestamur vobis ipsum iudicem, omnesq́ potestates cælestes, quæ & nos audiunt admonentes, & nos excipiunt profitentes, ne in vacuum gratiam recipiatis, sed corde integro, tota virtute renunciate tam damnosi diaboli hæreditatem.* Hactenus Diuus Augustinus. AVGVST.

17. Quæ cùm ita se habeant, quis non videt, quàm exactè totius vitæ, imò cuiusque diei acta, ad examen, ad hoc internum iudicium, sint reuocanda. Hæc sciens, ô Christiane, vt verbis D. Chrysostomi vtar: *Constitue super conscientia, iudicantem rationem & in medium, omnia patrata propone. Animæ tuæ peccata scrutare, & pœnas exige diligēter. Et dic: Quamobrem hoc & hoc ausa es? Et si hæc quidem fugiat, aliena verò discutiat, dic ad eam: Non de his te iudico: non pro his venisti te purgatura. Quid enim si ille malus? quare tu hoc & hoc admisisti? tua consideres non aliena. Et eam in hanc agas anxietatem continuè. Postea si nihil quod dicat habeat, sed refugiat: dilania flagellis eam, quasi quandam ancillam insolentem & fornicantem. Et quotidie huiusmodi iudicium constitue: & ignis flumen designa, veneniferum vermem, tormenta reliqua. Cùm autem hæc examinaueris, adsit nemo, nemo tumultuetur: Sed sicut iudices sub velis iudicant, sedentes, sic & tu pro velis, quietis tempus, & locum inquire. Et cùm cœnatus surrexeris, & sis recubiturus, ista tunc discerne. Hoc tibi tempus idoneum: Locus autem lectus vel cubiculum. Hoc & Propheta iussit dicens: Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Et paruorum magnas exige pœnas, ne magnis vnquam approximes: Si per singulos hoc feceris dies: cum fiducia stabis ante tremendum illud tribunal. Paulus ita purus est factus, & propterea dicebat: Si enim nosipsos iudicaremus: non iudicaremur. Ideo quantum potes teipsum coargue, inquire in te. Accusatoris primum partibus fungere, deinde Iudicis, nouissimè deprecatoris.* Hæc Chrysostomus.

Admonitio ad peragendum hoc internum iudicium. CHRYSOS.

18. Ethnici quoque audi consilium & imitare exemplum: *Animus*, inquit Seneca lib. 3. de ira cap. 36. *ad rationem reddendam quotidie vocandus est. Faciebat hoc Sextius, vt consummata die cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desine ira & erit moderatior, quæ sciet quotidie ad iudicem esse veniendum* &c. Item: *Quid pulchrius consuetudine excutiendi totum diem?* &c. Quod faciebat Philosophus cur non faciet Christianus? *Quotidie*, ait Seneca, *apud me causam dico. Cùm sublatum est è conspectu lumen & conticuit vxor moris iam mei conscia: totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior*, &c. Ethnicum imitare Christiane, & apud te quotidie noctu causam dicito.

Ethnici cōsilium de peragendo hoc iudicio interno. SENECA. IDEM.

19. Id omnibus etiam consuluit Virgilius, qui versiculis de hac re compositis, ait, viri prudentis esse, quaque nocte se, tuaque opera inspicere & perscrutari. VIRGIL.

Vir bonus, & sapiēs (qualem vix repperit vllum
Millibus è multis hominum, consultus Apollo)
Iudex ipse sui, totum se explorat ad vnguem.
Non prius in dulcem declinat lumina somnū,
Omnia quàm longè reputauerit acta diei.

Quòd iterum hoc iudicium, etiam ad bona opera extendendum.

§. IV.

1. Sed nolo hoc facto iudicio operum malorum, siue mortalium siue venialium, ab exercendo hoc iudicio externo supersedeas, & omnibus numeris boni Iudicis muneri te satisfecisse, tibi persuadeas, sed etiam quæcumque bona, iustave opera, tibi fecisse videaris eadem ad examen hoc & iudicium reuocanda. Nam teste Dauide ait Dominus: *Ego iustitias iudicabo*: Tu ergo & hoc iudicium præuenias, proprias diiudicando iustitias: Despice ergo vniuersa opera etiam bona, quia sicut vix aurum inuenitur, quod à terra repurgatum sit, ita vix iustitiam operamur, de qua dicere non possumus quod Propheta ait: *Omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ.* Summa ergo cautela debet quælibet opera sua diiudicare quam explicare possimus, ex historia illius prudentissimæ fœminæ Ruth, de qua Scriptura sacra enarrat, quod tota die

Etiam interno iudicio bona opera nostra diiudicāda.

Ruth imitanda & bona opera quæ egimus virgâ excutienda.

die spicas post messores diligenter colligebat, ad vesperam autem quæ collegerat virgâ cædens & excutiens, paleam à granis separabat, expendens attentè, quantum sibi laborando profecisset. Similiter agere te oportet, debes tota die spicas colligere bonorum operum, eleemosyna danda est pauperi, ieiunandum, orandum &c. debet iudex litigantium causam attendere, iusta decernere, ciuitatis gubernator suo muneri satisfacere, prouidere filijs, quæ necessaria sunt &c. *Ad vesperam, antequam somno te tradas, in cubili tuo*, ait Chrysost. in Ps. 4. *quando nec amicus interturbat, nec famulus tentat, nec turba negotiorum viget, parumper introrsum ad teipsum redi*. Et virgâ rigidi exactique examinis, vt D. Gregor. ad finem Mor. dixit, omnes quas collegisti spicas excute, diligenter considerans, quid in vnoquoque opere intenderis. Desine gloriam, an tuum honorem, Deóne obsequi an tuæ cupiditati & auaritiæ. Si exacta discussio fit, inuenies paucissima grana remanere, paucissima reperies opera, per quæ Dei intenderis solam laudem, gloriam & obsequium.

Chrysos.

Gregor.

2. De Gedeone legitur, quod excutienti grana in torculari apparuerit Angelus. *Quid est frumenta virgâ cadere*, inquirit alio loco idem Doctor 3. Mor. 17. *nisi rectitudine iudicij à vitiorum paleis, virtutum grana separare?* Hæc agentibus Angelus apparet.

Imitandus Gedeō qui excutiebat grana in torculari. Gregor.

Iubebat Deus vniuersa aromata contundi in puluerem tenuissimum, *quod nos quoque tunc facimus*, ait Gregor. *cùm bona nostra quasi in pila cordis, occulta discussione tūdimus, & si veraciter bona non sunt, subtiliter retractamus*.

Contundēta aromata. Gregor.

3. Hac in re exemplo nobis est imprimis Iob, dicens: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*. Et cùm filij intenderent operibus charitatis, se inuicem inuitantes, ipse offerebat sacrificia pro singulis, dicens, *Ne fortè peccauerint filij mei*.

Sic opera sua diiudicabat Iobus.

Hoc ipsum præstabat Dauid, dicens Ps. 76. *Meditabar in nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum*. Id est assiduis cogitationibus, ac meditationibus, continuo examine atque iudicio, quæ cum reprehensione, pœnitentia ac lachrymis erant coniuncta, spiritum meum, conscientiam, atque omnia opera mea, etiam spiritualia, tanquam scopis, à puluere omnium imperfectionum, atque leuissimorum etiam defectuum, mundabam & perpurgabam.

Sic Dauid.

Hoc examine tanquam scopis emundāda opera, etiam à leuissimis defectibus.

4. Septuaginta transtulerunt: *Sarriebam spiritum meum*. Columella lib. 11. c. 2. Sarraturam vocat, cùm quærūtur herbæ sarculo quæ secentur. Hieron. enim vertit: *Fodiebam spiritum meum*: Quid precor hisce metaphoris significatur, quàm quòd Propheta continua meditatione, & examine, superflua quæque inutilesque herbas ac nociuas radices, ex agro & horto proprij spiritus emulserit, atque eradicarit, tanquam quodam sarculo atque ligone, separando pretiosum à vili.

LXX. Colum. Hieron

Hoc iudicio quasi fodiendus spiritus.

5. Cassiodorus & Psalterium Ambrosianum, reddunt: *Ventilabam in me spiritum meum*. Quæ translatio est desumpta ab eadem agricultura, in qua ventilatur triticū, hoc est, ventilabro agitatur, vt à vento purgetur, & à paleis separetur. Quasi dicat Propheta, in ventilabro exactissimi iudicij ac considerationis internæ, cōgregatis omnibus operibus ac operationibus meis, impulsu & agitatione ac flatu quodam diuini spiritus, quidquid palearum vel imperfectionum in illis reperi, separaui, exsufflaui, atque excussi.

Cassiod. Hoc iudicio tāquam ventilabro, ventilanda opera nostra.

6. Alij transtulerunt, *scobebam spiritū meum*, id est, expoliebam & limabā spiritum asperiore limâ, quasi scobinâ, quadam translatione ducta ab arte lignaria. Quemadmodum & Aquila *Scalpebam* dixit *Scobebam*, legit Beda & interpretatur *Planabam spiritum meum*.

Hoc iudicio tāquam scobinâ, planauda opera nostra. Aquila. Beda.

Alij vertunt, *Dolabam spiritum meum*, quasi dicat Propheta: Quid animus, quid spiritus noster, absque discussione atque seria meditatione, curáve suipsius, quid opera, quid eorundem exercitia, semoto interno iudicio? Certè id illis accidit quod gladio optimè exacuto atq; limato, si negligatur nec alteri rei meliùs comparantur quàm ligno rudiori atq; informi, duro cortice vestito, nodoso, & oculis ingrato. Cùm ergo idem accidisset spiritui meo, exacto quodam iudicio ac meditatione, quidquid vile atque superfluum, tam in animo, quàm operibus reperi, tanquam lima quadam ac dolabra asperiore, ad pristinā puritatem, & debitam æqualitatem, reduxi. Adeò vt de medio sublatis omnibus imperfectionibus, atque impuritatibus, insignis illa & ad similitudinem Dei efformata imago, quæ antea latebat, iam summâ cum claritate, & splendore cæperit apparere.

Dolandus spiritus noster instar ligni rudioris, vt ad debitam æqualitatem redigatur.

7. Alij verterunt. Rimor, quæro, scrutor spiritum meum. Alij legunt *Scopebam*. Pro quo notandum hoc verbum *Scopebam*, iuxta nostram translationem vt affirmat Genebrardus, deduci à Scopo. Sic vt scopo sit idem, quod scopum intueor, ad scopum dirigo, vt sit sensus: In conscientiam mentis oculos tanquam in scopum defigebam & collimabā ac dirigebam meditationes meas, vt meipsum cognoscerem, errata mea intelligerem, vt ijs animum perpurgarem, & in operibus meis omne quod vile, defectuosum, atque superfluum esset à pretioso separarem.

Spiritus & omnia opera debent nobis esse pro scopo in quem defigamus oculos. Geneb.

8. Diuus quoque Greg. 1. mor. 39. agens de hac interna discussione operum bonorum, ait: *Cauendum ne bona nostra pauca sint, curandum ne indiscussa, ne aut pauca agentes inueniamur steriles, aut indiscussa relinquentes, vecordes*. Et alibi sic ait: *Reproborum esse proprium solet semper praua agere, & nunquam quæ egerunt, pertractare. Omnes enim quod faciunt, cæca mente pertranseunt, factumq́, suum, nisi cùm puniti fuerint, non agnoscunt. At contra electorum*

Greg. Pertractanda omnia opera nostra.

 est,

est, actus suos quotidie, ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare.

Examinauit Deus opera suá, cur nos non examinemus nostra.

9. Sed quid moramur in persuadẽdo hoc interno bonorum operum iudicio nónne in hac re nobis exemplo est Deus noster? Qui licet vniuersa, bene & optimè faciat, tamen postquam opus aliquod fecerat, dicitur illud respexisse. Vnde dicitur, postquam creatio huius vel illius rei cõmemorata fuit. *Et vidit Deus quòd esset bonum.* Prius factum opus intuebatur, quàm ad aliud procederet, & cùm vniuersà perfecisset, omnia respexit, & in vniuersa oculos coniecit. Ideo dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Qua in re ostendit nobis optimum esse, si in diei fine consideremus vniuersa, quæ eo die gessimus, examine ad hoc adhibito, omnium quæ cogitauimus, diximus, & fecimus: vt si quid imperfectionis in illis inuenerimus, vel ob defectum debitæ attentionis, vel intentionis, vel ob defectum requisitæ puritatis, ac diligentiæ, alteriusque circumstantiæ, tam loci quàm temporis, id totum expurgetur, & quod vile est, à pretioso separetur. Quod debitè & strenuè peragentes Deo efficimur amicissimi, iuxta illud Dei testimonium, quod per Ierem. cap. 15. effatur: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*, id est, eris mihi curæ, charus, & coniunctus, quasi os meum. Nam sic vulgò dicimus ei quem valde amamus: Amo te quasi oculos meos, quasi cor meum, vel vt interpretatur D. Chrysost. orat. 5. contra Iudæos: Eris mihi simillimus & coniunctissimus, sicut os homini simillimum, & coniunctissimum est, vel vt alij interpretantur: Eris quasi Christus & simillimus Christo qui est os & verbum Patris.

Chrysos.

Hoc interno iudicio gaudet Christus & honoratur.

Hoc iudicio summopere Christus gaudet & honoratur, iuxta illud Psal. 98. *honor Regis iudicium diligit*: hoc iudicio maximè regnum Christi, quod intra nos est roboratur & stabilitur, iuxta illud eiusdem Prophetæ Psalm. 88. *Iustitia & iudicium preparatio* (id est, stabilitio) *sedis* (id est regni) *tuæ.*

Hoc iudicium exigit S. Spiritus illuminationem vt bene peragatur.

10. Fateor, de quo agimus interno iudicio, homini esse difficillimum. Nam quàuis D. Paulus vna ex parte dicat 1. Cor. 12. *Quis hominũ scit, quæ sunt hominis*, quæ quis in animo voluat, & quæ in penetralibus humani cordis latitant, *nisi spiritus hominis qui in ipso est:* Tamen altera ex parte scriptura de cordis humani profunditate loquens ait Ierem. c. 17. *Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscit illud.* Soli Deo etiam tribuit scrutari renes & corda, scilicet affectiones & intentiones hominum. Difficile est energumeni verba iudicare, an ab homine oppresso, an potiùs à spiritu maligno proferantur, cũ eodẽ ore prodeat, ab alterutro edita, nec facilius est cogitationes æstimare proprias, propriaq; studia, & actiones, an à spiritu hominis, an à spiritu diuino proficiscantur, an Deũ habeant pro scopo, illius solummodo spectantia gloriam, vel potiùs humanorum conspectuum næuis, & puluere subtilissimo sint aspersa. Quid ergo consilij? Pernecessarium certè homini est diuini Spiritus illuminatione interiùs illustrari, vt rectè de se, suisque operibus possit iudicare. Et ideo Sanctus Spiritus, Spiritus iudicij nominatur ab Isaia c. 4. dicente: *Si ablucrit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu iudicij.* Quis precor hic spiritus iudicij, nisi Spiritus sanctus, qui facit vt nostra peccata, nostrasque imperfectiones videamus, scrutemur, discernere, atque iudicare possimus. Ad hoc iudicium faciendum nos excitãs, atque exstimulans. Cuius diuino lumine nisi illustretur homo, humani cordis consilia, ne ab ipso homine quidem exactè cognoscuntur.

Cogitationes nostras exactè diiudicare nõ possumus absque S. Spiritus illuminatione.

Gregor.

Lucerna Domini, ait Sapiens Prou. 20. *spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris*, hoc est, vt D. Gregor. 3. p. cur. past. exposuit: *diuini flatus illuminatio, cùm in mentem hominis venerit, eam sibimetipsi illuminans, ostendit, quæ ante Spiritus sancti aduentum cogitationes prauas, & portare poterat, & pensare nesciebat*, &c. Spiraculum itaque seu spiritus hominis, nisi diuina luce communicata, lucerna Domini efficiatur, obire quidem potest consilia, & cogitationes suscipere, sed eas examinare, & exactè diiudicare non potest. Eapropter toties in sacris litteris, mentio est duplicis cordis, duplicis animi, dãnaturque in corde & corde loqui, quia scilicet tam obstrusa solet esse ipsi homini propria mens, intentio, & animus, vt cùm hoc reuera desiderat, aliud sibi velle persuadeat. Et mirum, quod cor hominis homini imponat, & animus seipsum fallat, cũ & ipsi Deo mẽtiri velit? Vt videre est apud Ierem. c. 2. *Quomodo dicis, non sum polluta, post Baalam non ambulaui, vide vias tuas in conualle*, &c. Et D. Petrus ait Act. 5. *Cur tentat Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto.* Fælix ille qui illustratus huius spiritus lumine, atque lucerna, altam caliginem propriæ mentis scrutatur, eiusque sinuosos anfractus, rimatur & penetrat, imitatus ipsum Deum, qui per Sophoniam cap. 1. ait: *In tempore illo, scrutabor Hierusalem in lucernis.*

Quanta ex neglectu huius examinis oriãtur incommoda.

11. Quanta ex neglectu huius examinis, oriantur incõmoda non facilè dictu. Nam hinc accidit quòd opera nostra imperfectissima sæpe existãt, & potiùs Dei iram, quàm gratiam, vel plenam mercedem mereantur. Et quid mirum cùm ipsa opera nostra non sint plena. Id quod vitio dedit Deus Episcopo Sardẽsi, quem dura increpatione per Ioannem Euangelistam obiurgare voluit Apocal. 1. *Non inueni opera tua plena coram Deo meo.* Illud vocatur plenum quod totã perfectionem sibi cõgruentem, quam exteriùs refert, tenet interiùs, quomodo septem illæ

Hinc opera nostra non inueniuntur plena.

spicæ

spicæ, quas in somnis vidit Pharao, appellantur plenæ atque pulcherrimæ, quia exteriùs habebant apparentiam formosam, & interiùs granis erant repletæ. Nónne autem & vanum illud vocatur, quod exteriùs habet apparentiam, interiùs caret eo quod habere deberet, sicut Corilus, nux amigdala, dicuntur vacua & vana, quando externam habent speciem & corticem integrum, intus nucleo carent. Quomodo etiam terra cùm primùm condita est dicitur inanis & vacua quod ideo multi dictũ credũt, quia vacua erat hominibus & animalibus, congruè tamen dicitur inanis & vacua, quòd externam tenens apparentiam intra se, nullam virtutem fructificandi, aut producendi aliquid tenebat, quam tunc credo ipsi datam, quando dixit Deus die tertio Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum*, &c. Vnde opera tunc dicuntur plena, quando non solùm habent externam apparentiam, sed perfectionem illi congruam, quæ scilicet procedunt ex recti animi affectu, & dispositione. Episcopus Sardensis opera quidem habebat, sed non plena, quia bona faciebat, sed sine debita dispositione animi, sine ea attentione, & intentione quam tenere debebat, sine eo feruore, vigilantia & diligentia, ac puritate cæterisque circumstantijs, loci, temporis, atque personæ, quæ opera nostra concomitari, & exornare debent, vt verè & plenè sint bona tam secundum substantiam quàm accidentia.

Cùm opera nostra non sint plena, hinc fit, vt nec etiã plenam accipiant mercedem.

12. Hinc etiam sequitur & illud incommodi, quòd cùm opera nostra non sunt plena, nec etiam plenam mercedem accipiant. Quare Diuus Ioannes in sua epistola cap. 2. nos admonens dicit. *Videte vosmetipsos ne perdatis, quæ operati estis* (aut quæ operamini) *sed vt plenam mercedem recipiatis.* Visus est alludere Ioannes ad quædam Dei verba per Oseam cap. 8. dicta: *Culmus stans non est in eo, non est in eo germen, nec faciet farinam, quod etsi fecerit, alieni comedent eam.* Vox illa, *culmus*, hoc in loco, non significat arundinem, aut calamum, aut quam dicimus cannam, ex qua spicæ oriuntur, sed significat aceruum segetum in area, antequam segetes triturentur, aut aceruum tritici in area collectum, antequam agricola eum metiatur; loquitur Deus metaphorâ sumptâ ab agricolis. Nulla lætitiæ occasio potest æquari illi quam habet agricola in tempore messis, quando post grandes sumptus, ingentes labores, hiemis rigores, & æstatis ardores videt ingentem cumulum & aceruum messium, stantem, aut erectum in area, qui ad cælum pertingere videtur. Vnde ad summam lætitiam exprimendam, futuram in aduentu Messiæ dixit Isaias c. 9. *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe.* Duo autem sunt qui singulariter animum agricolæ exhilarant, quando aceruum illum contemplantur. Primum, quòd iam ibi se habere putat semen quod pro venturo anno seminare possit. Secundum quod etiam censet se habere iam, vnde in præsenti se sustentet, abundantiam frumenti, farinam pinguem inde, ex qua panem conficiat, extracturus. Sed quàm triste & infaustum foret nuntium, si dum ille lætus aspicit messium grandem aceruum, quispiam agriculturæ peritus, accederet, diceretque illi: Vides culmum istum stantem & eleuatum, non inde extrahes granum aptum ad seminandum, aut quod farinam tibi reddat. Vel si aliquod tale fuerit in furfures tandem resoluetur, quia spicæ omnes sunt inanes & vacuæ, quas vredo percussit, aut nebula infecit, nihil intra se solidum aut firmum habent, vnde tibi sperare possis, vel quod semines, vel quo comedas: Ita loquitur, & hæc multis renunciat Deus, qui gaudent quòd grandem aceruum bonorum operum à se collectum aspiciunt. Videbis hominem gaudentem, quòd multa ieiunia tenuerit, plurimas eleemosynas largitus fuerit, innumeras orationes effuderit, sæpe rebus sacris interfuerit, &c. aceruum magnum messium spiritualium se habere contemplatur, & reposita sibi credit merita, quibus beatus fiat, & adipis frumenti æternæ beatitudinis particeps existat. Sed audi Deum dicentem: Vides huiusmodi aceruum, vides culmum hunc stantem, excelsum & grandem. *Non est in eo germen, nec faciet farinam. Culmus quippe germen non habet* (ait Diuus Gregorius) *cùm vita & operatio meritis virtutum caret, non faciet farinam, cùm ad æternæ vitæ præmia obtinenda non proficiet.* Huiusmodi spicæ vanæ & inanes, sunt opera sine deuotione, sine affectu, cum distractione cordis & mentis euagatione peracta: quale ieiunium quod cum multis celebratur condimentis ac sapidis dapibus; qualis eleemosyna, quæ cum tædio datur; qualis oratio quam nulla præcedit præparatio, ac propterea importunis scatet distractionibus; qualis templi visitatio, Sacri auditio, ac diuini officij recitatio quæ vago fit animo, & absque aliquo gustu vel refectione interna. Qualis ea obedientia, quæ patitur tot internas contradictiones: qualis ea castitas, quæ caret sensuum, ac præsertim oculorum custodiâ. Qualis illa humilitas: quæ in solo consistit intellectu & optimè loquitur de proprio nihilo, cùm interim voluntas & affectus, ambiant & desiderent summa: Qualis illa charitas quæ solùm amicos & ægrè inimicos amplectitur. &c. hæc omnia examinabit Deus, tàm in extremo vniuersorum iudicio, quàm in morte cuiusque nostrûm, & in peculiari iudicio, quo quidem tempore Dominus, & ipsemet testatur, ita scrutabitur nostram Hierusalem in lucernis, id est exactissimè, vt ne exiguus quidem angu-

Non sufficit nos coaceruare aceruos bonorum operum nisi inde trahamus optima grana & dulcem farinam.

Gregor.

angulus maneat obscurus, neque aliquis neuus operum nostrorum illius oculos subterfugiat. Libet ergo cũ D. Bernar. dicere: *Verùm tu, qui aduentum desideras Saluatoris, time scrutinium iudicij, time oculos Capreæ, time illum qui per Prophetam dicit. Et erit in die illa, & ego scrutabor Hierusalem in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes & corda, ipsaq́; cogitatio hominis confitebitur illi: Quid tutum in Babylone, si Hierusalem manet scrutinium.*

BERN. Scrutabitur nos, nostraq́ue opera exactissimè Deus, nos simili ratione ea examinemus & scrutemur.

13. Quinetiam internum hoc iudicium extendere sese debet, ad omnia non solùm peracta, sed etiam peragenda, quæ omnia antequam tradantur executioni, ad hoc iudicium sunt reuocanda, hoc exemplo suo docuit Propheta Dauid Psal. 118. dum ait: *Cogitaui vias meas*, nõ superiores, sed futuras, vt ante meos actus cogitationibus præuenirem, ne inconsulta ratione, progressus, in aliquid offensionis inciderem. Vt si agere aliquid velim, ante cogitem vtrum agendum sit illud, quod desidero, aut quo agendum modo; Similiter si alloquendũ, vtrum alloqui debeam, deinde publicè aut secretò loqui, præsentibus aliquibus aut nullis. Sicut istud est, vt si velis fratrem corripere, primò solus corripias, secundò præsentibus duobus vel tribus testibus. Tertiò, si nõ audierit, coram Ecclesia. Itaque si prætermisso ordine velis coram Ecclesia fratrem increpare, quem ante monere debueras, erratum ipse cognoscis. Omnia igitur, cum cogitatione facito, vt non te pœniteat aperti oris tui. Iam verò si viam ingressus, cùm veneris ad compitũ aliquod (ita enim appellatur, plurimarum velut concursus viarum) si nescis quod iter ingredi debeas, stas tamẽ & cogitas ipse tecum, vtrum primam an secundam, an tertiam, an quartam vel certè quintam, si ita est, viam eligas, quam sequaris. Nec putas priùs adoriendum iter, quàm animo definieris, & pleniori mentis intentione decideris. Stas igitur cogitans, quæ sit via quæ in ciuitatẽ ducat, ad quam tibi putas esse peragendum. Quantò igitur magis animo debes ac mente consistere, qui ad regnum cæleste contendis, & cogitare tecum, quia non omnis via illò ducit, non omnis via illò dirigit, nẽpe ad Hierusalem illam quæ in cælo est: Sunt viæ quæ malos exitus habent, quas diaboli tentamenta triuerunt, & ideo exitus earum exitus mortis sunt. Hæ nempe sunt viæ de quibus legisti in Prouerb. c. 16. *Sunt viæ quæ videntur viro rectæ, vltima autem aspiciunt in profundum inferni.* Est autem via angustior illa quæ ducit ad Dei regnum. Volens autem illam ingredi viam, quæ ad Deum ducit, non circumspicies, non tecum ipse tractabis, non considerabis, ne viæ latitudine prouocatus, ingrediaris iter quod ad inferna deducat? Et hæc quantum ad primum, nimirum, quid nobis ipsis debeamus, dicta sufficiant, veniamus ad secundum & tertium, & videamus, quid tum proximo, tum Deo nostro debeamus.

Etiam peragenda hoc iudicio examinãda & diiudicãda.

Quòd à iustis, tanquam horti Ecclesiæ spiritualibus arboribus, exigat Deus pro fructu, vt diligant misericordiam, & quæ à Deo acceperunt Deo reddant.

§. V.

1. Nihil est tam secundum naturam, quàm iuuare consortem naturæ. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*, ait Paulus Rom. 13. Debitũ hoc perpetuum est, & semper persoluendum, & libenter faciẽdum, quod semper faciendum, & cum amore præstandum, quod semper præstãdum, quare visceribus misericordię, indutos nos vult D. Paulus Coloss. 3. *Induite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ.* Vestimentum quo quis induitur vndiq; hominẽ tegit & ad omnia membra se extẽdit: Ita Paulus vult nos vndique visceribus misericordiæ circumdatos, eâque vult vestiri omnes animæ potentias, omnes sensus, omnia membra. Voluntas induta sit visceribus misericordiæ, sit & intellectus, intelligendo super egenum & pauperem, sit & memoria in recordando pauperis & egeni, sint oculi, sint manus, sint aures, sit lingua, sint omnia membra.

Diligenda misericordia.

Tanquam indumẽto, debemus circumdari misericordiâ.

Iuxta scripturæ phrasim ordinariam, ad significãdam copiam, abundantiam, ac fertilitatem, solet id declarari, atque insinuari, verbo *induendi*, siue verbo, *vestimenti*. Sic vocatur indutus gloriâ qui valde est gloriosus, indutus salute, qui eam abundanter possidet, indutus maledictione, qui valdè est maledictus, indutus confusione qui vehementer & abundanter confusus est. Considera quòd vestimẽtis sese homines induãt, vt nuditatem corporis, omniumque membrorum contra frigus muniant, nimirum, indusio, subiculâ caligis, thorace, fœmoralibus, tunica, pallio bireto, pileo, chirotecis, &c. Dum ergo Paulus ait: *induite vos viscera misericordiæ*, vult eam nos exhibere abundanter proximo.

Abundè & copiosè exhibẽda misericordia.

2. Deinde, quemadmodũ indumentum, si pretiosum sit, pulchritudinẽ & ornatum addit corpori. Similiter nihil hominem ita exornat, atque in oculis Dei hominumque pulchriorem reddit, quàm viscera misericordiæ: Audi quid de eleemosyna dicat S. Chrysostom. *Pennata*, ait, *est valde quoque leuis, habens alas aureas, & volatum, penna sicut columbæ deargentatæ & collum eius*

Vt exornat vestis, ita & misericordia.

CHRYSOS. Nihil pulchrius misericordiâ.

in

in fulgore auri nitet, magno decore festiua, & nihil est oculis eius melius, pulcher quidem est pano, sed eius comparatione difformis, &c.

Vestis magno afficit hominem honore, ita & misericordia.

3. Præterea sicut indumentum si magni valoris sit, magno afficit indutum honore, atque vbique illi aditū parat, atque accessum ad principes viros administrat, vt experientiâ comprobatum est in illo Philosopho, qui simplici, sordidoque ac lacero vestimento indutus volens accedere Principem, à stipatoribus & alijs aulicis semper patiebatur repulsam, ac suspicatus id sibi contingere quia ad speciosis indutos vestibus, non speciosis indutus accedebat, eas mutuo ab amico accepit, & sic absque repulsa ad aulam admissus est, & iudicatus regio dignus colloquio, quo peracto diligentissimè. fimbrias siue extremas oras illius vestimenti deosculatus est, & rogantibus & sciscitantibus eius rei causam. Respondit: huic vestimento acceptum ferre debeo, quod regio dignus fuerim colloquio. Similiter viscera misericordiæ, atque eleemosynæ nobis cæli pandūt iter, parantque securum ad Deum accessum, faciuntque vt misericordes quasi diuinam induāt naturam & maiestatē. *Eleemosyna*, ait Chrysost. *amica est Dei, & semper ei propinqua. Huic cum magna fiducia cæli aperiuntur, & velut* . *gina intrante, nullus ianitorum, nullus custodum, qui portis assistunt, audent dicere: quæ tu es, vel vnde: sed omnes eam è regione suscipiunt.*

Chrysos.

Quāta vtilitas misericordiæ.

Fœnerat Domino qui facit misericordiam.

4. Iam verò vtilitatem horum viscerum misericordiæ, quis verbis assequetur? De misericordi & eleemosynario viro ait Dauid Ps. 36. *Tota die miseretur & commodat*, seu iuxta Septuag. *fænerat*, quod D. Aug. ad eleemosynam refert, quam elargiēdo, sumus veri fœneratores, plus nimirum quàm damus recepturi, iuxta illud Prou. 19. *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperis. Vide*, inquit D. Aug. *quàm latè crescat fænus tuum, da temporalia, accipe æterna; da terram, accipe cælum.* Sed fusiùs docet Cæsar. Arela. ho. 13. quàm lucrosa sit ista negotiatio. *Incomparabiliter*, ait, *plus est, quod pro paupere recipis quàm id quod pauperi largiris. Das pauperi minimum & à Christo recipis regnum. Das buccellas, & à Christo recipis vitam æternam, das vestimentum & à Christo recipis remissionem peccatorū*, &c. Quo vltimo quid vtilius excogitari potest, & nónne de vtilitate eleemosynæ idem testatur Daniel c. 4. dicens Regi Nabuchodonosor: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* D. Maximus non veretur eleemosynam baptismo comparare: *Lauacrum semel dari & semel veniam polliceri. Eleemosynam verò quoties fecerimus, toties nos veniam promereri.* Et D. Cyprian. non veretur eam vocare, *Securitatis nostræ salutare præsidium.* Quid enim tam anxium reddit hominem, quàm quòd ignoret vtrum odio an amore dignus sit, & quòd de propitiatu peccati, non sit sine metu? vis securus esse? Dilige misericordiam, quæ securitatis nostræ salutare præsidium est, teste ipso Christo dicente: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

August.

Caesar.

Maxim.

Cypria.

Duo exempla ad veritatem hanc stabiliendā. Marian.

Non desunt ad hanc stabiliendam veritatem exempla: Duo libet adducere in gratiam lectoris. Primum, quod narrat Ioannes Mariana libro 3. de rebus Hispan. cap. 3. hisce verbis. Circa annum Domini 1050. duæ Regiæ puellæ, Mauricâ superstitione abiectâ, Christiana sacra susceperunt: Casilda Almemonis Toletani Regis, & Zaida Bernaberti Regis Hispalensis filia. Casilda prior cùm esset à tenera ætate ingenio facili, & ad humanitatem propenso, in domo paterna Christianos, qui magno numero captiui tenebantur, vitamque in luctu & squalore calamitosam agebant, cibis & rebus omnibus recreare solita erat clam patre. Quem memorant, re indicata, filiæ latebras aditusque omnes diligenter obseruasse: deprehensamque aliquando, cibos, quos in sinu ad captiuos ferebat repente in flores, rosasque mutatos, patri, ecquid ferret, cum magno animi motu roganti, veste explicatâ, monstrasse. Quo illa miraculo percita, monitaque diuinitus, si à fluxione sanguinis sanari cuperet, in qua curanda medici, omnia artis remedia frustra consumpserant, in lacu D. Vincentij nomine, quod in agro Viruescano est, ablueret, ad nostra sacra adiecit animum. Pietatis officia diuinum numen Christianæ religionis luce volebat compensare. Itaque à Patre, cum quo rem omnem communicarat, pro iure amicitiæ, quæ illi esse cœperat cum Christianis, ad Ferdinandum Regem missa est, eius morbi curandi causa. Morbo depulso, & aquis salutaribus ritu Christiano, expiata, diuini beneficij memor, immemor patriæ, in rupis fastigio, quæ ad lacum est, domunculâ ædificatâ, sanctissimam vitam egit, multis illustrem miraculis, quo merito in cœlestium numero locum habet, templisque recepta est. Tertiodecimo Aprilis die, eius memoria anniuersarijs sacris celebris est in nonnullis Ecclesijs Hispaniæ. Casildæ exemplo, siue sua sponte incitata Zaida lauacro Christiano, ex nostro more lustrata in Alphonsi Regis nuptias post aliquot annos concessit.

Baron.

Secundum narrat Baronius ad annum Domini 532. ex Sophronio in prato spirit. cap. 207. qui hisce illud refert verbis: Narrauit (inquit) nobis Abbas Theonas, & Theodorus, quod Alexandriæ sub Paulo Patriarcha puella quædam relicta fuerat pupilla à parentibus, magna facultate locupletibus: Erat autem adhuc sine baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium, quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quemdam parantem sibi laqueum, vt se præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei. Quid facis, homo? dixit autem ei: dimitte

te

te me mulier, quoniam in magna tribulatione sum. Quæ ait: Dic mihi causam, & fortassis adiuuare te potero. Dixit illi: Grauí ære alieno premor, & valde suffocior à creditoribus, elegique potiùs, semel vitam finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæso te, accipe omnia quæ habeo, & redde, tantum ne perdas teipsum: Sumens verò ille, reddidit omnia. Puella ergo angustiari cœpit, non habens qui sibi curam gereret: Itaque destituta parentum solatio, fornicari instituit, & inde sibi victum quærere. Dicebat ergo viri illi sancti Thomas & Theodorus, admirantes scilicet: Quis nouit ista, nisi solus Deus: quomodo scilicet permittatur anima propter causam aliquam ipsi soli cognitam ad tempus derelinqui? Post aliquantum verò temporis infirmata est puella, & in se conuersa compuncta est, orauitque Pontificem, vt faceret illam Christianam. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes: Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? Affligebatur autem vehementer. Cùm verò in his esset angustijs, astitit illi Angelus in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Nunquid reuera istud cupis? Respondit illa: Vtique Domine, & deprecor te vt mihi hoc impertias. Qui ait: Noli tristari. Ego adducam aliquos qui te accipiant. Adduxit ergo alios duos, & ipsos sanctos Angelos. Duxeruntque illam ad Ecclesiam. Rursusque seipsos transformantes in personas quasdam illustres & notas in ordine Augustalium, vocant Clericos, Presbyterum scilicet & Diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant. Dicunt eis Clerici: Vestra charitas pro ea pollicetur? Illi autem responderunt. Etiam nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam, baptizauerunt: & albis induta, rursus ab eis subuecta est. Quam cùm deposuissent, euanuerunt. Vicini ergo cùm illam ita albis indutam viderent: postquam recesserunt illi, dicunt ei: Quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totam, dicens: Venerunt quidam & tulerunt me in Ecclesiam, locutique sunt Clericis, & baptizauerunt me. Et dixerunt ad illam: Qui sunt illi? Cùm verò non posset dicere qui essent, illi abeuntes nunciauerunt Episcopo. Dixit autem Episcopus his qui ad baptizandum constituti erant. Et confessi sunt se illam baptizasse, exoratos ab illo & illo Augustialibus. Porrò accersitis ex prætorio his quos Clerici dixerant, dixit Episcopus: Num ipsi ista fideiussistis? Qui dixerunt: Neque nouimus, neque conscij sumus nos hoc fecisse. Tunc verò iam cogitauit Episcopus, Dei hoc esse opus. Conuocansque illam, dixit ei: Dic mihi, filia, quid gessisti boni? Quæ ait: Meretrix existens & paupercula, quid boni facere potui? Dixit illi Episcopus: Nihil omnino operata es? Dixit: non nisi quod videns quemdam qui à creditoribus premebatur, se suffocare volentem; datâ illi omni substantiâ meâ, liberaui eum. Et his dictis, continuò obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Dominum, dixit: *Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum.* Hucusque Sophronius.

Non solùm à morte æterna liberat misericordia, verùm & à morte corporali. Quò spectat exemplum relatum à Baronio ad annum Domini 474. ex Cedreno: habet, ait, hæc Cedrenus sub huius anni periodo: Eo tempore Constantinopoli diues quidam cùm ægrotaret, mortemque timeret, triginta libras argenti in pauperes erogauit: restitutus autem præter spem suam bonæ valetudini, fraude diaboli eò inductus est, vt facti ipsum pœniteret, hocque fideli cuidam suo amico aperiret. Monet ille hominem, ne huic malæ assentiatur cogitationi, Deumque irritet, qui propter istam largitatem miseratus, sanitatem donarit; alioqui fore vt subita morte, nondum mutato facto, pereat. Cùm non moueretur ille, sed magis magisque irritaretur: amicus. Quando, inquit, salutare consilium non admittis, aliud tibi subijciam. Poscenti hoc, verè misericors ille: Agedum, ait, ad templum vade, & non te sed me in pauperes elargitum pecuniam istam dicito: ipse statim triginta libras reddam. Consentiens infælix ille ad templum abijt, auroque accepto, ita vt alter præceperat, locutus est. Inde egrediens, ad templi portam mortuus concidit. Clericis de rei nouitate stupentibus, omnibusque alijs qui fortè aderant, iubentibus alterum pecuniam recipere suam; ille non obtemperauit, sed inter egenos omnem diuisit, quod diceret Deum non pati sannas. Promissa autem Deo non tantùm pecuniam, sed verba voluntatemque obligant; & quicquid homo Deo pollicitus fuerit, id præstare opus habet, virgo, virginitatem, continens continentiam, &c.

Non solùm à morte æterna sed etiam corporali liberat eleemosyna.

BARON.

Qualiter misericordia retardet diuinam vindictam, insigni exemplo confirmari potest, relato à Baronio ad annum Dom. 474. ex Sophronio in prat. Spirit. c. 175. vbi ait: Narrauit mihi quidam Patrum de Zenone Imperat. dicens de muliere quadam, cuius filiam ipse Imperat. ad libidinem exatiandam subripuisset: hæc, inquit, vacabat in templo Dominæ nostræ Dei Genitricis, orans eam & deprecans, ac cum lachrymis dicens: Vindica me de Zenone Imp. Cùm ergo multis diebus hoc faceret: apparuit per visum S. Dei Genitrix dicens: Crede mihi, mulier, vltionē tuam sæpe facere volui; sed manus eius prohibet me. Erat enim valde misericors & eleemosynas faciēs. Sic Soph. Quibus adnectit Baronius: Ex quibus obserua lector, magnam in primis vim esse elee-

Eleemosyna retardat diuinam vindictam.

eleëmosynarum: vt planè ex his intelligas, quid sit illud Eccl. 3. *Sicut aqua ignem, ita eleëmosyna resistit peccatis*, nempe ad vltionem meritam differendam. Et quid illud insuper Daniel. 4. *Peccata tua eleëmosynis redime*, scilicet, hoc satage, vt per huiusmodi officia diuinam iram, quam prauis operibus concitasti, retardes. Cùm tametsi ad Dei amicitiam nullus valeat inquinatus vitiorum sordibus aspirare; nihilominus hisce bonis operibus possit ad tempus, quæ citiùs prolapsura erat, diuina vltio contineri: non autem vitari penitus, nisi ipsa peccata omnino vitentur.

Cùm habeamus omnia à Deo, in Deum etiā omnia referenda.

5. Sollicitum ambulare cum Deo tuo, reddendo Deo quę Dei sunt, nónne omnia quæ habemus accepimus de manu Dei? omnia ergo Deo reddenda, & in Deum referenda.

Repetunt proprios quaque decursus,
Redituq; suo singula gaudent,
Nec manet vlli traditus ordo,
Nisi quod fini iunxerit ortum,
Stabilemq; sui fecerit orbem.

Anima Deo reddenda.

Imprimis anima Deo reddenda, quā creauit, & pretioso sanguine vbertim fuso, redemit, ad illum proinde pertinens, tam iure creationis quā redemptionis, cogitate quāto labore vos redemit & acquisiuit Christus, vt non ampliùs essetis vestri, sed eius qui vos redemit, & acquisiuit sāguine suo. *Empti enim estis pretio magno*, libeat ergo cum Bern. in l. de diligendo Deo clamare: *Non sum tam facilè refectus quàm factus, siquidē non solùm de me sed de omni quoque quod factum est scriptum est; Dixit & facta sunt, at verò qui me tantùm, & semel dicendo fecit: in reficiēdo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura sed etiam indigna* &c. Nónne vobis videtur, quòd beneficium creationis & redemptionis postulet, vt animam non tradamus dęmoni, sed reddamus Deo? Dicamus ergo cū Bern. *In primo opere*, id est, in creatione, *me mihi dedit; in secundo*, id est in Redemptione, *dedit se: & vbi dedit me mihi reddidit; datus ergo & redditus, me pro me debeo & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum?*

Bern.

Idem.

Mutuamus nos Deo, sed non damus.

6. Sed quàm paucos habet mundus, qui se ita Deo penitus consignant, mutuamus quidem interdum animam Deo, sed non reddimus vel damus. Ad illum confugimus aliquando coacti, vel periculo mortis, vel calamitate aliqua ingruente, vel solemni aliquo festo instante, vt sub vmbra alarum eius protegamur, à diuina vindicta, sed mox iterū eum relinquimus ac nouis peccatis oppugnamus, rursū crucifigentes nobis filium Dei. Videte ne repentinus vobis superueniat interitus. dignus est à dæmone in æternum possideri, qui toties Christo relicto, & grauiter offenso, ad partes transit diaboli, & tantum beneficium redemptionis tantā persoluit ingratitudine. Ioach. Camer. lib. fab. pag. 10. refert, cùm fugeret cerua insequētes venatores, occulit se se sub vite, venatoribus autem paululum pretergressis, quod putaret se cerua, iam esse in tuto, carpere pampinos & manducare cœpit, quorum motus atque strepitus venatores conuertit, atque illi quod res erat arbitrati, sub vinea bestiam aliquam latere, accurrunt, & visam ceruam iaculis configūt, quæ moriens. *Meritò*, inquit, *hoc mihi euenit quæ violare non dubitarem seruatricem meam*. Caue Christiane ne idem tibi contingat, cùm te insequuntur mala recurris ad vmbram Christi, qui se veram vitem nominat, eum veneraris, & te ipsum manibus eius consignas, sed transacto periculo, pampinos illius rodis, membraque eius in cruce extensa, iterum dilaceras ac botros sacrorum vulnerum eius disrumpis, vinum illud sacratissimum sanguinis eius, in quo te lauit, pedibus conculcans: quid tanta meretur ingratitudo? nónne subitam Dei vindictam? nónne æternam damnationem? Tunc eheu seriùs dices: Meritò hoc mihi euenit, qui non dubitauerim violare, mihique de nouo toties crucifigere Deum, seruatorem & saluatorem meum.

Ioach. Cam.

Quid accidat Christiano, qui peccatis suis iterum vulnerat Christum.

Debemus Deo, sanitatem, diuitias, &c.

7. Si animam Deo debemus, similiter & sanitatem, diuitias, honorem &c. Hisce omnibus famulari Deo debemus, omniaq; in Deum referre. Sed proh dolor! quā hac in re parci in Deum sumus, quàm in mundum liberales, quàm facilè hæc profundimus in obsequium diaboli? In quàm multis id exequi videmus, quod dixit propheta Ieremias cap. 11. *Oliuam, vberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ, grandis exarsit in ea ignis, & combusta sunt fruteta eius. Et Dominus exercituum, qui plantauit te locutus est super te malum.* Quàm multi sunt homines quos Deus cumulauit maximis donis, honoribus, diuitiis, ingenio, fortitudine, sanitate, vt meritò dixeris eos similes esse pulcherrimæ oliuæ, horum omnium parci in Deum, non dicunt cum Dauide: *Fortitudinē meam ad te custodiam*, similiter & diuitias, cæteraque omnia, sed profusi in mundum & diabolum ad vocem loquelæ, siue alicuius mulierculæ, siue diaboli, siue mundi, siue alicuius hominis, excitantium ad transgressionem legis diuinæ, mox exardet, & excitatur in eis ignis concupiscentiæ & delectationis, qui ignis in maiorem & vehementiorem flammam erumpit peccati mortalis, hic adhæret meretrici, hic videt mulierem ad concupiscendam eam, hic immergit se cæno libidinis, hic ventrem pro Deo habet, hic vt videatur pretiosis induitur vestibus, alit familiam opulentam, contrahit debita vltra facultatum suarum vires, hic vt iniuriam vindicet extrema quæq; aggreditur, & quem ex hoc igne percipit fructum? non alium quā quòd fruteta eius, id est diuitiæ. Fortitudo,

Hæc profundunt homines in obsequium mundi & diaboli in Deum parcissimi.

do, honor, sanitas, cæteraque dona, quibus ornabatur, comburantur, dilapidentur, & euanescant, ô profusi in mundum homines, *reddite quæ sunt Dei, Deo*, repetant proprios quæque recursus.

Vult Deus vt nos & nostra illi reddamus, vt ea cum fœnore restituat.

8. Non ea omnia vult sibi reddi Deus, tanquam sibi necessaria, vel proficua, nullo modo: Deus enim noster est & bonorum nostrorũ non eget, sed vult vt nosmetipsos, & omnia nostra illi reddamus, vt ea cum fœnore, & meliorata restituat; quo nomine inuehitur in homines per prophetam Ieremiam cap. 2. *Nunquid*, ait, *solitudo factus sum Israeli aut terra serotina*, quasi dicat, cur in me tam parci, in mundum tam liberales, & effusi homines, an quia ego sum terra sterilis & infructosa, mundus verò fertilis atque fructifera? an quia ego terra sum serotina, mundus verò temporanea? absit, longè se res aliter habet, sũt agricolæ prædia duo, quorum alterum, sterile est, alterum verò ita pingue, vt semper ei reddat fructum trigesimum, quinquagesimũ, vel centesimum. Cùm seminat in priori agro cũ lachrymis seminat, & parcè seminat, timet enim seminis iacturam, cùm verò in agro pingui, libenter, largeque semẽ effundit; nouit enim nimis multiplicandum. Nostisne, ô mortales, quàm sint diuersi agri, mũdus & Deus? multa mundo dedisti cùm eius vanitati inseruisti, quem ex his fructum habes? quem fructum habuistis in his in quibus nunc erubescitis? Centum seminasti & vnum non messuisti: bonum semen seminasti, sanitatem, diuitias, honorem, famam, &c. & metis zizania, metis tribulos, metis spinas, metis confusionem, dedecus, ignominiam, & dolorem. Si verò ex collatis bonis quid reddideris Deo, non in terram iecisti sterilem, nec serotinam, non in terram sterilem, nihil enim immuneratum relinquit, non in terram serotinam; nam sibi reddita, & concredita bona multiplicat, & magno cum fœnore meliorata restituit, *Reddite ergo quæ sunt Dei, Deo.*

Non solitudo Deus aut terra serotina.

Quàm diuersi agri mundus & Deus.

Totus vitæ decursus Deo reddendus.

9. Quid iam de tempore, & totius vitæ nostræ decursu dicemus, an illa reddimus Deo? Inter laudabiles populi Romani cõsuetudines non vltimum locum obtinet, quam refert Alexander ab Alex. lib. 5. Genial. c. 18. *Romani adolescentes, magnæ indolis, primæ lanuginis barbam, diis consecrare, vsurparunt.* Id testatur de Nerone Suetonius, & de multis aliis Tiraquellus in præfat. primog. huius cęremoniæ: ratio in eo fundata erat, quòd cùm barba symbolum esset fortitudinis & ætatis perfectæ, offerentes Deo florem ætatis, sperabant messem fœcundã, & omnium bonorum genere cumulatam. Sacra scriptura aliam nobis huius symboli intelligentiam manifestat, in ea siquidem per capillos designantur cogitationes & desideria. Offerentes igitur primam lanuginem, quæ erumpit dum homo ad annos discretionis iam peruenit, obtestabantur, quòd illucescente iam rationis lumine omnes cogitationes, vota, desideria, floresque operum redderent, & consecrarent diis, quibus illa accepta ferebant.

Alexander ab Alex. Romani primam lanuginem solebant offerre diis.

Primam lanuginem etiam offerant Christiani.

Quod amplius est Romani teste Tiraquello loco cit. offerebant capillos in aurea pixide, & pretiosissimis margaritis ornata, & quidem hac ratione capillos sacrificasse Claudium Ioui Capitolino, testatur Dion. Quid nos ad hæc, ô Christiani? Quis nostrũm, dum ad annos discretionis peruenit, in aurea phiola, in aureo corde, ac charitate diuina inflammato, Deo obtulit primã lanuginem, florem ætatis & primitias fructuum siue operum suorum? quis illi consecrauit capillos cogitationum & desideriorum? & an aliquid magis rationi cõsentaneum? B. Paulus ad Timoth. scribens 2. Tim. 2. sic ait: *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere*, & siquidem vt ipse inquit 1. Cor. 3. *Dei agricultura estis*, oportet Deum nostrũm tanquam Agricolam primum de hominis fructibus accipere, & quòd homo illi offerat, animæ suæ primitias.

Capillos in aurea pixide offerebant Romani, vtinam idipsum imitentur spiritualiter Christiani.

Sed quàm pauci qui id præstant, experientia siquidem compertum est, quod vbi primum rationis vsum attigerint homines, vota sua ac desideria, operaque omnia cõsecrant mundo carni & diabolo, prophanant, peruertũt, ac polluunt seipsos sceleribus & criminibus, quę tam altas in eis agũt radices, vt postquam ad maiorem ætatem peruenerint vix ab illis possint auelli. Si primam lanuginem Deo non consecramus consecremus saltem illi capillos nigros virilis ætatis. Si & istos mundo consecrauimus, canos saltem illi offeramus & reddamus, idque in phiala aurea, margaritis ornata, in corde mundo & auro ignito charitatis non fictæ, exornato. Suscipiet & illos misericors Deus.

Si primam lanuginem non Deo consecrauimus, offeramus saltem illi canos nostros.

Quòd homo iustus in Paradiso Ecclesiæ cõstitutus sibi cauere debeat à serpente & muliere, id est, à dæmone & carne.

§. VI.

1. Vidimus quos fructus exigat Deus à fidelibus tanquam tot lignis fructiferis in Ecclesiæ paradiso collocatis; restat videamus à quibus fidelis in hoc paradiso constitutus maximè sibi cauere debeat. Sanè si sapit, cauebit sibi à serpente, cauebit sibi ab Eua, ne ad Adami similitudinem pellatur è paradiso, & illius priuetur deliciis.

Homo in paradiso Ecclesiæ constitutus cauere sibi debet à serpente, id est dæmone.

2. Quid

Diabolus meritò serpenti comparatur, Primò ob calliditatẽ.

2. Quid serpens ille qui decepit Euam, nisi dæmonem adumbrat, cui si obaudiat Christianus, mortem animi non potest non incurrere. In primis serpens dicitur callidior cunctis animantibus; sic diabolus in homine oppugnando callidissimus est.

Secundò, vt serpens maximè blandus, ita & diabolus.

3. Secundò, de serpente affirmat D. Damasc. lib. 2. de fide orthod. c. 10. eum maximè præ cæteris animalibus primis parentibus in paradiso existentibus familiarem fuisse, ad eos sæpius accessisse, illis placitis motibus corporeis blandiens, ita diabolus callidè aggreditur, blandè irrepit, molliter ligat, & sub carnalis voluptatis vmbraculis latitans, fraudulenter decipit. *Diabolus est serpens*, ait D. Cyprian. tract. de simpl. cler.

CYPRIANVS.

quia cùm latenter abrepit, cùm per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, vnde nomen serpentis accepit, ea eius est astutia, ea est circumueniendi hos cæca & latebrosa fallacia, vt asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, &c.

Mortem pro vita offert diabolus.

4. Vnde existimat arborem vetitam ironicè dictam esse lignum scientiæ boni & mali, cùm dicendum esset lignum mortis, mors enim est, vbi diabolus diuinitatẽ affirmat inesse. *Dixit Deus*, ait Rupert. *quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini, & verum dixit; dicit è contra serpens comedite, & eritis sicut dij scientes bonum & malum, & falsum dixit, nec enim comedendo dij facti sunt, aut scientiam ampliorem acceperunt vt bonum & malum omnino scirent, sed iuxta veritatem Dei, statim & in anima mortui, & in corpore mortales facti sunt.* Vides ergo quomodo vbi diuinitatem asseruit esse diabolus, mors à primis parentibus inuenta.

RVPERT.

Serpens colit vmbras: ita & diabolus.

Tertiò, serpens colit vmbras; ita & diabolus colit vmbras peccati, & instar anguis latet in herba; & proinde cautè ambulandum, ne nobis contingat, quod de vxore Orphei cecinit Virgilius 4 Georg.

Illa quidem dum te fugeret per flumina praeceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Seruantem ripas alta non vidit in herba.

Lyra:

Statim intoxicat animam, sicut coluber sibi appropinquantem.

Est serpens qui cerastes appellatur, de quo Solinus cap. 29. *Profert quadrigemina cornua, quorum ostentatione velut esca illita sollicitas aues perimit lusu in luctum conuerso, nam reliquum corpus de industria arenis tegit, neque vllum indicium sui præbet, nisi ea parte, qua inuitatis dolo auibus necem perpetuam aucupatur.* Ita diabolus ad imitationem huius serpentis occultat se, vt nihil minùs cogitantes occupet.

Fallit diabolus peccati pulchritudine proposita instar eiusdem serpentis.

Quartò, est quidam serpens qui vocatur scytale, de quo serpente Solinus c. 30. *Scytale tantâ præfulget tergi varietate, vt notarum gratia videntes retardet, & quoniam reptãdo piger est, quos assequi nequit, miraculo sui capiat serpẽtes.* Ita diabolus oblata mira peccati pulchritudine, homines minùs cõsideratos suspensos tenet, insilit, atq; interficit.

Diabolus suggestionibus suis, tanquam spiris more magnorum serpentium homines inuoluit.

Quintò. Magni serpentes siue dracones, spiris alligant animal quod impetunt. Vnde Isidorus lib. 12. cap. 4. *Draco, si quem ligauerit, occidit, à quo neque elephas tutus est sui magnitudine corporis: nam circa semitas delitescens, per quas elephanti solitò gradiuntur, crura eorum nodis illigat, & suffocatos perimit.* Lege Plinium l. 8. c. 11. ita dæmones si consentias eorum suggestionibus, assuetudine peccandi, quasi quibusdam spiris & nexibus hominem taliter illigant & inuoluunt, vt suffocatus pereat, nisi singularis illi subueniat gratia.

Serpens super terram graditur & diabolus ad terrena trahere conatur.

Sextò, serpens super pectus suum graditur, & terram comedit: ita dæmon deorsum ad terram & terrena nos trahere satagit; terrenique homines illi in cibum sunt, sic Rupert. l. 3. in Gen. c. 13. *Terram, inquam, comedes & non cælum, id est, non quorum conuersatio in cælis est, sed qui terrena sapiunt, illi cibus tuus erunt.*

Serpens in spinis, diabolus in diuitiis.

Septimò, sicut serpens in spinis, sic dæmon in diuitiis latitat, & se occultat, qui si spinas incideris, illico aufugiet.

Dæmones eò magis detestandi quòd more serpentium homini noceant absque suo commodo.

Octauò Plutarchus de cupid. diuit. causam assignãs cur odimus serpentes, hanc in medium adducit: *Odimus serpentes magis, qui cùm homines interficiant, nullum ex eis excipiunt emolumentum, quã leones, qui eo vescuntur.* Ita dæmones pro inueterata malitia, & in hominũ genus inuidia, atque grauissimo odio lædunt homines, nullo ex læsione captato emolumento, sed potiùs maximo damno. Nam vt ait Dionys. Carth. *Pœna sensus dæmonum augetur ex eorum consortio, & societate eorum, quos vincunt, quamquam ob hoc cessent ab hominum tentatione, ex nimia sua inuidentia aut malitia.*

Serpentis gressus non recti, sic diabolus plenus fallaciis.

Nonò, serpentis gressus non recti sunt, sed obliqui & tortuosi, maximeque diuersi: ita dæmon plenus est fraudibus, fallaciis, versutiis, mille nocendi modis.

Decimò, solet serpens à tergo incautos mordere, percutere in calce siue calcaneo, extrema corporis parte, indeque totũ corpus veneno fluente interimere. Sic dæmon insidiatur quasi extremæ parti hominum, nempe parti sensitiuæ, illam commouendo & excitando. Vel sic: Licet dæmon per totam vitã homini insidietur, id tamen in extremo vitæ, quod est per tropum, calcaneũ, potissimùm faciet, quo quidem tempore & callidiùs insidiatur, & instantiùs premit ac vexat hominem. *Calcaneum*, ait Eucherius, *est extrema vitæ nostræ tempus, quo diabolus nos acriùs impugnare satagit, cui si viriliter restitimus, victoriam perseuerantiæ cum salute nostra percipiemus.*

Serpens insidiatur calcaneo hominis, diabolus fini actionis.

Vndecimò, serpẽtes insidiantur calcaneo hominis, qui est finis corporis; ita diabolus insidiatur fini actionis, in fine decipere intendit, & vult nos ex bona actione, quam

in

in initio vitare non potuit, in ipso fine gloriari, nobisque eam adscribere, & eo nomine ab aliis laudari, &c. vt sic totam vitiet actionem. Vnde D. Gregorius 1. Mor. cap. 38. expendens verba in Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*, sic illa ad tropologiam vocat: *Serpenti dicitur; ipsa tuum obseruabit caput (sic enim Septuaginta etiam legunt) & tu calcaneum eius caput nempe serpentis obseruare, est initium suggestionis eius aspicere, & manu sollicita considerationis à cordis aditu funditus extirpare; qui tamen cùm ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur, quia etsi suggestione prima intentionem non percutit, decipere in fine tendit: si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, & terminus ab hoste callido securè possidetur, quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspicit, quam venenato dente in radice vitiauit.* 1. Reg. 11. de Naas legimus pugnante aduersus Iabes Galaad, quòd noluerit eos habere sibi fœderatos, nisi illa cum conditione, vt posset omnium ciuium eruere oculos dextros.

GREGOR.

LIRAN.

Quæ verba moraliter explicans Liranus, ait: *Per Naas, qui serpens interpretatur, diabolus intelligitur. Nam in specie serpentis decepit genus humanum, propter quod serpens antiquus nominatur. Ipse verò quærit eruere oculos dextros virorum Iabes, quæ (scilicet ciuitas Iabes) calor interpretatur. nam viris caliditate feruentibus malignus insidiatur. Per oculum autem significatur intentio. Si oculus tuus fuerit simplex, id est, intentio tua secundum Augustinum. Per oculum igitur dextrum, intentio ad bona spiritualia, per sinistrum autem temporalia designantur. Per hoc igitur quod Naas oculos dextros virorum Iabes quærebat eruere, significatur, quòd diabolus intentiones virorum, in charitate feruentium quærit à bonis spiritualibus totaliter auertere.*

Diabolus comparatur cerasti quia per carnem superat spiritum.

Duodecimò legimus Genes. 49. Iacobum dum voluit benedicere Dan, dixisse: *Fiat* (id est, fiet, more prophetico) *Dan coluber in via, Cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Quę verba dęmoni solent accōmodari, comparatur autē Dan, id est, diabolus cerasti, quia cerastes vt supra insinuatum quadrigemina habet cornua, quibus cùm non possit equitem attingere, equi vngulam seu calcaneum mordet, vt sic ascensorem deiiciat, & deiectum atque retrorsum cadentem, facilè enecet. Nónne idem agit diabolus? Quid caro nisi equus? quid spiritus humanus regens nisi eques? Videt diabolus se non posse superare spiritum, neque eum, vtpote diuinis inhærentem, posse attingere, quid agit? mordet calcaneum equi, id est, carnis nostræ, & sic per carnem deiicit & occidit spiritum à Deo sese auertentem: *Monet* (ait D. August. lib. 2. contr. Iul. cap. 8.) *per infirmitatem carnis nostræ omnia potestatis suæ tela, cùm ad lasciuiam accendit, cùm ad odia stimulat, cùm ad auaritiam prouocat, cùm ad cædes instruit, cùm ad maledicta exacerbat: Sed cùm per firmitatem animi, horum omnium surrepentia incentiua reprimuntur, emundamur à peccato, per huius victoriæ gloriam.* Sic ille. Per carnem autem tunc facilè deiicit spiritum, si neglecta animi firmitate eum dormientem inuenerit. Vnde sic pulchrè monet D. Ambr. lib. de benedict. Patriarc. Prophetiam hanc dæmoni accommodans, & ad tropologiam alliciens. *Vnde nos, cùm bene in via currimus, caueamus, ne alicubi serpens lateat in semita, & subruat vestigium equi, hoc est, nostri corporis, & deiiciat subitò equitem dormientem. Nam si vigilamus, debemus cauere aliquatenus, & morsus declinare serpentis. Non ergo nos opprimat somnus negligentiæ, somnus sæculi, non opprimat diuitiarum somnus, & ne nobis dicatur: Obdormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum. Sed sunt & equites dormientes, de quibus scriptum est, Dormierunt qui ascenderunt equos: Si auaritia pectus tuum vulneret, si libido inflammet, dormis eques & ideo corpus tuum, hoc est, equum tuum, non potes refrenare, vigila ergo, vt etiam si deiectus fueris, hoc est mortuus fueris, non obdormias qui, enim obdormiunt somnum suum nihil inueniunt.* Sic Ambrosius.

AVGVST.

Per carnem facilè deiicit spiritū.

AMBROS.

5. Quos verò diabolus callidè decipit vt serpens, crudeliter postea vt leo interimit, & deuorat, sic Rupertus libr. 3. in Gen. cap. 3. *Quia non impugnando coëgit, sed blandiendo primum hominem ad peccatum illexit, exinde serpens antiquus, siue serpens tortuosus vocatur: quia verò semel admissus deinceps crudeliter & furiosè super genus humanum tyrannisauit, leo dictus est, vtrumque habens malignitatis & sæuitiæ nomen, iuxta Psal. 9. dicentem: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

Tertiò, diabolus callidè decipit.

RVPERT.

6. Mox ergo, Christiane, atque sibilum huius percipis serpentis, nosti quid tibi incumbit agendum? Serpens Hebraicè vocatur, *Nachas*, id est, incantatus, à verbo, *Niches*, quod est incantare, quod scilicet mussitando, incantatur. Mox ergo atque illius senseris fallacias & insidias, incantandus est hic serpens: vis scire quibus incantationibus? Audi D. Chrysostomum hom. 8. in epist. ad Rom. *Diabolus*, ait, *pedes non habet ne formides, nec alas ne terreare, super terram vt serpens trahitur, nihil tibi cum illo commune, si incantationes diuinas noueris, cælestium amore tactus statim vulnerabitur.*

Mox atque diaboli incantationes sentimus, ipsum diabolum incantare debemus.

CHRYSOS.

Præterea caput serpentis mox conterendum, iuxta illud Dei: *Ipsa conteret caput tuum*: Exemplum habemus, ait Rupert. lib. 3. in Genes. cap. 20. quod si mulier plantâ nudâ dentem serpentis præuenerit, & caput eius presserit, statim cum capite totum corpus perire, quamuis eius caput gladio appetatur vel malleo, difficile ita conteri potest, vt totum corpus enecetur. Similiter si caput serpentis infernalis contriueris, id est, initio suæ suggestionis restiteris,

Caput serpentis mox conterendum.

RVPERT.

teris, nec illius persuasionibus consensum præbueris, victor euadis, & quid facilius homini quàm sic conterere caput serpentis? *Illius præcepti*, ait Cass. lib. 6. cap. 13. *iugiter meminisse debemus, omni custodia serua cor tuum, & secundum Dei principale mandatum, sollicitè serpentis obseruare noxium caput, id est, cogitationum malarum principia, quibus serpere in anima nostra diabolus tentat. Nec sinamus per negligentiam penetrare in cor nostrum reliquum eius corpus, id est, oblectationis assensum, qui procul dubio si fuerit intromissus, morsu virulento mentem interimet captiuatam.* Sic Cass.

Quàm abominandum si quis diabolo aures aperiat & Deo claudat. CHRYSOS.

7. Qui serpentis huius vocibus & sibilis aures aperiunt, & interim diuinis monitis claudunt, sic iure perstringit D. Chrysostomus serm. de lapsu homin. *Proh nefas! Præceptum Domini contemnitur, & persuasio serpentis auditur. Despicitur Deus prouidens, & serpens auditur decipiens, spernuntur salutaria monita, & recipiuntur venenata colloquia.* Sic ille.

Serpenti etiam assimilari solet peccatum, à quo sibi maximè cauere debet homo Christianus iuxta præclarum monitum Sapientis Eccli. 21. *Fili, quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa suscipient te: Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas*, Tygurina. *Tanquam à conspectu serpentis fuge peccatum.* Alij: *Tanquam serpentem fuge peccatum, nam si accesseris mordebit te.* Eleganter S. Paulinus natali 10. S. Fælicis.

A peccato tanquam serpente maximè fugere debet homo

Vt faciem colubri, Salomon peccata timeri
Horreriq́; monet, dicens armata leonis
Dentibus: & verè, quoniam velut ore ferino
Sæua vorant animam, quam vicerit ægra voluptas.

Si accesseris ad illa suscipient te. Non enim, inquit Chrysost. hom. 8. in epist. ad Rom. *peccatum ad nos accedit, verùm nos ad illud transfugimus.* Additque diabolum inter nos habitare, *quasi draconem quemdam & tyrannum, qui, nisi quem apprehenderit inermem ac solitarium, in suas speluncas descendentem, accedere sanè non sustinet.*

CHRYSOS.

Quanta feritas peccati.

Syrus, *fili mi, multum fuisti fugiens à peccato, si appropinques illud mordebit te.* Per morsum hunc intellige omnem noxam, quam animæ infert peccatum, ac præsertim remorsum conscientiæ iuxta illud Dei ad Cain Genes. 4. *Si autem malè* (egeris) *statim in foribus peccatum tuum aderit, Hebraicè accubabit. Videlicet more serpentis & canis morosi* (inquit Debrius adag. 9.) *qui nec egredi hominem tranquillè sinat, sed importuno latratu semper inquietet, hoc sensu perpetuò tibi tuum peccatum ante pedes, ante oculos obuersabitur, & aduersabitur: vt te Deus ad tempus sinat impunitum; ipsi peccati morsus, angues, furiæ acriter vrgebunt, agitabunt, persequentur, quocumque perges, peccatum te comitabitur, conscientia tua se oggeret, & ingeret, irrequietum malum te conquiescere animo non permittet.*

Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominũ. Comparauit peccatum serpenti, ob virulentiam & clandestinum morsum læthiferum, nunc idem comparat Leoni, ob sæuitiam & ferociam, quâ crudeliter animam laniat & occidit, tum adimendo gratiam, tum adigendo ad gehennam.

Quasi romphæa &c. Comparauit peccatum leoni & serpenti nunc comparat romphææ siue gladio vtrimque scindenti, q. d. Peccatum est quasi gladius acutissimus, qui ipsa ossa dissecat & discindit. Quis à tanto non fugiat malo? O quàm rectè Sapiens: *Fili, quasi à facie colubri fuge peccata.* Quod præcipuè Hugo Cardin. exponit de luxuria, quam magis fugiendo, quàm resistendo vincimus, loquentem accipe: *Quasi à facie colubri fuge peccatum, quia melius est ea fugiendo vitare, quàm resistendo vinci. Sunt autem quædam peccata, quæ tantùm fugiendo vincuntur, vt peccata carnis. Vnde 1. Corinth. 6. fugite fornicationem, & Loth dixerunt Angeli, qui venerunt Sodomam: Salua animam tuam; noli respicere post tergum tuum, neque stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, Gen. 19. Vnde quidam, multò magis fugies peccatum quàm colubrum, si sibi charior est vita animæ quàm corporis. Fuge non solùm morsum secundum tactum, sed & accessum, parum est serpentem non sentire, periculosum est vel habere vicarium.*

8. Est & alius serpens maximè cauendus: quid enim amicus, per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpens, latenter obrepens, & ad malum pertrahens, quàm nocentissimus serpens, quo tanquam medio instrumento vtitur diabolus, vt venenum lethiferum suæ suasionis instillet. *Callidus aduersarius*, ait D. Gregorius 3. Moral. 6. *cum in bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur exquirit, & per eorum verba blandiùs loquitur qui plus cæteris amantur, vt dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius ad intima rectitudinis munimina irrumpat.*

Amicus ad malum pertrahens serpenti comparandus.

GREGOR.

Fugiendæ sunt amicitiæ, si offendant, ait D. Chrysostomus hom. de incomprehensibili Dei natura. *Malorum cum incautè amicitiis iungimur, culpis ligamur*, ait D. Gregorius 1. part. past. ad Num. 23. *Quid iuuat habere oculum, quo reliquum corpus lædatur & pereat*, ait Laurentius Iustin. de discip. & perfect. Mor. c. 22.

CHRYSOS.

9. Ab Eua quoque sibi maximè caueat Christianus. Quænam precor hæc Eua? Ipsa caro nostra, ipsum corpus, quod circumferimus: Sicut Eua occasio lapsus fuit Adamo; ita caro ruinæ causa est Christiano. Diabolus per Euam Adamum vicit, nos quoque nostræ carnis illecebris & blanditiis in interitum trahit. Quò respi-

Ab æua, id est à carne sua quisque sibi cauere debet.

BERN. ciens D. Bernardus in Psalm. 48. sic præclarè admodum scribit: *Quare autem Eua hoc dixit? Quia per carnem labitur homo, Eua nobis interior caro nostra est. Qui diligit, inquit, vxorem suam, seipsum diligit. Quid est, seipsum? Sequitur, & dicit: Nemo enim carnem suam odio habuit. Quia ergo quomodo illum hominem Adam per Euam supplantauit, sic diabolus per carnem vult nos supplantare.*

Confidit diabolus in adiutorio carnis. *Diabolus*, inquit Bernardus lib. de anima cap. 15. *Plus confidit in adiutorio carnis, quoniam magis nocet domesticus hostis, illa verò ad subuersionem meam fœdus cum illo iniit, vtpote de peccato nata, & in peccato nutrita, vitijs corrupta ab ipsa origine, sed multò ampliùs viciata praua consuetudine. Hinc est, quòd tam acriter concupiscit aduersus spiritum; hinc est quòd diabolus baculo nostro nos cadit, & manus nostras proprio cingulo ligat, & caro quæ data est nobis in adiutorium, fit nobis in ruinam & scandalum. Grauis lucta, & graue periculum est aduersus domesticum hostem pugnare, maximè cùm nos aduenæ simus, & ille ciuis. Ille suam habitat regionem, nos exules sumus & peregrini.*

Sub amici habitu latenter oppugnat caro. 10. Eò autem periculosior & noxior est caro, quòd semper sit in insidiis, & sub amici habitu latenter oppugnet. Vnde Gregor. Nazianz. orat. 16. *Corpus vt inimicum odi, atque auersor, vt vinculum fugio, hostis est blandus, insidiosus amicus, semper namque est in insidijs, vt aggrediatur, accendat, & diripiat animam.* GREGOR. NAZIAN.

Caro similis est Iaheli. 11. Similis est caro Iaheli, de qua legimus Iud. c. 4. quod Sisaræ bello iam fracto, & ex fuga fesso, ad tentorium suum venienti, in occursum egressa fuerit, suaui verborũ fuco, & blandissimis beneuolentiæ figmentis hominem inuitans: *Ingredere*, inquit, *mi Domine, non est quod formides, ingredere*. Ille, perinde ſi bos macellum subeat, ingressus, frigidam petere, instituit. Illa, velut in hospitem vltra preces liberalior, etiam lac propinauit, & pellibus contectum, ad somnum suauiter composuit. Sic sopitum & iam altiùs dormientem aggressa, trabalem et clauum trans tempora adegit. Ita miser, somnum quem cœpit, necdum finit. Iaheli simillima, imò peior illa est caro nostra, petulans, procax fallaciarum plenissima, & mille versutiis ad decipiendum instructissima, animæ sitienti lacteam propinat promulsidem, varias carnis oblectationes & voluptates ingerit. Et quamuis hæc potio læthali toxico sit mista, tamen est grata æstuanti animo, quem & pellibus cooperit conciliandi sopori. Hic genius carnis est, mollia semper & delectabilia offerre, reiicere quidquid asperum & laboriosum. His lenociniis magnus ille dux, animus, in somnum datur, dum dormit, suisque rebus iam nihil inuigilat, trabali luxuriæ clauo ad terram affigitur & occiditur.

Caro similis Ismaeli. 12. Similis est caro Ismaeli, qui dum colludit Isaaco, grauissimè illum persequitur. Ludebat Ismael cum Isaac, vt legimus Genes. 21. displicuit tamen ludus hic Saræ, ait enim scriptura: *Cùm vidisset Sara, filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham eijce ancillam hanc, & filium eius.* Quod expendens Origen. hom. 7. in Genes. sic scribit. *Secundum ea quæ scripta sunt, non video quid mouerit Saram, vt filium ancillæ iuberet expelli. Ludebat cum filio suo Isaac, quid læserat, aut quid nocuerat, si ludebat? quasi non hoc in illa ætate etiam gratum esse debuerit, quod luserit filius ancillæ cum filio liberæ?* Deinde verò subnectit. *Miror Apostolum, qui ludum hunc persequutionem pronuntiauit, dicens: Sed sicut tunc is, qui secundum carnem persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc, cùm vtique nulla persequutio Ismaelis aduersum Isaac mota referatur nisi hic solus ludus infantiæ.* In sequentibus autem vt nodum hunc dissoluat, dicit, hæc omnia allegorica esse, & secundum allegoriam rectè consistere, Ismaelem namque secundum carnem natum adumbrare carnem, Isaac verò secundum promissionem natum, significare rationem & spiritum, Saram verò virtutis imaginem gerere, tunc verò spiritum grauissimam à carne pati persecutionem dum caro delectationibus eum allicit, voluptatibus emollit, illecebris attrahit, deliciis demulcet &c. Sic 10 illius verba: *Sed videamus quid in hoc ludo intellexerit Paulus, & quid indignata sit Sara. Superius enim iam exponentes spiritualiter, loco virtutis exposuimus Saram. Si ergò caro, cuius personam gerit Ismael, qui secundum carnem spiritui blandiatur, qui est Isaac, & illecebrosis cum eo deceptionibus agat, si delectationibus alliceat, voluptatibus molliat, huiuscemodi ludus carnis cum spiritu Saram maximè, quæ est virtus offendit; & huiuscemodi blandimenta acerbissimam persecutionem iudicat Paulus. Et tu ergò, ô auditor, si tibi libidinis alludat illecebra, si virtutis es filius, tamquam persequutionem maximam fuge; intelligere debes, quia sub specie ludi blandam persequutionem pateris.* Hæc Orig.

13. Similis est caro nostra infidæ Dalilæ, quæ blanditiis & lenociniis suis eò adduxit Sampsonem, vt illi indicauerit, in quo maximè sua fortitudo esset sita. Quid tum illa? Audi scripturam Iudic. cap. 16. *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Vocauitq; tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere. Quem cum apprehendissent Philisthijm, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* Nónne quod Dalila Samson, id caro spiritui? Vnde ad tropologiam alliciens hanc historiam Hugo Cardin. sic scribit: *Dalila interpretatur stulta, & significat carnem: Samson significat spiritum. Samson credens Dalilæ decipitur, id est, spiritus carni consentiens seducitur. Samson* Caro similis infidæ Dalilæ.

per

per Dalilam septem crinibus nudatur, scilicet spiritus per carnem septem donis Spiritus sancti spoliatur. Samson amissis crinibus excæcatur, & & ad molam ponitur: sic spiritus amissâ gratiâ excæcatur in spiritualibus; & mundi curis, & laboribus subiugatur.

Absolon Abbas. Similis est caro nostra Absoloni. *Legitur David tres hostes habuisse, videlicet, Goliam Phylisthæum, Saul regem, & proprium filium. Golias hostis fuit extraneus, Saul ciuilis, filius domesticus. Per Goliam manifestæ intelliguntur insidiæ eorum, qui foris sunt: per Saul, familiares vexationes falsorum fratrum: per filium ingenitæ affectiones carnalium desideriorum. Quis istorum hostium plus nocuit.* Carnales affectiones præ cæteris hostibus, magis nocent homini. *Certè David Goliam occidit: Saul patienter sustinuit; sed à filio de sede regni ad tempus eiectus est. Quandoque enim contingit, vt dum vir aliquis religiosus exteriorum insidias vicit, iniustas vexationes fratrum patienter sustinuit, de sede regni per filium expellitur, quoniam per innata sibi desideria illicita à culmine virtutum præcipitatur.* Ita Absolon Abbas sermone 34.

14. Caueat ergo Christianus, ne Euam suam audiat. Euam suam vxorem suam audit, qui carnem blanditiis nutrit, voluptatibus delinit. Vgo Foll. in alleg. Tilm. in Genes. *Vox vxoris, vox carnis, vox autem carnis, voluptas.*

Huic Euæ nihil authoritatis concedendum. 15. Caueat ne huic Euæ vel pro minimo tempore aliquid authoritatis vel iurisdictionis concedat; ne simile aliquid patiatur ab hac Eua, quod à sua passus legitur Rex Assyriorum: Hic enim cùm ardentissimo amore prosequeretur Semiramem, ita vt ex paupercula adolescentula eam in coniugem acciperet: petiit illa à marito, vt clauum regni posset moderari vel vnius diei spatio; annuit ille; quid tum illa? Mox conuocatis primis regni proceribus, & regiæ aulæ ministris, iubet vt eum iuramenti religione sibi spondeant & polliceantur tum obedientiam tum fidelitatē, moderatas valde deinde aliquas promulgat leges toti regno obseruandas: inescata regni dulcedine, concessam pro vno die regnandi authoritatem protrahit in secundū, & secundum in tertium & sic consequenter: tandem vt securiùs potiretur vsurpato regno, cū cerneret omnes illius parere nutibus, iussit occidi ipsum regē, ipsum maritum suum; omnes deinde Asiæ populos suo subiiciens imperio. Similiter si vel semel animus interioris imperij habenas carni commitat, se in illo perpetuum priuandum timeat: neque enim potestatis humanæ est, sed diuinæ, vt pro libitu ad pristinam dominationem & imperium, quo carni dominabatur, redeat; ablatum à carne regnū, illi quidem facilè restituitur, sed à carne possessum, difficulter è manibus eripimus & recuperamus. *Video*, inquit Tertull. lib. de monogram. cap. 15. *cùm infirmitas carnis opponitur, quæ summa fortitudo est.*

16. Quod amplius est, caueat ne in Euam hanc vel oculos benignos coniiciat, ne hinc sumat occasionem contra spiritum sese erigendi, eumque secum in barathrum damnationis præcipitandi, vt pulcherrimè docemur illa visione, facta cuidam personæ maximè virtuosæ, quā refert Ludouicus de Ponte in Duce suo spirituali tr. 3. c. 8. §. 2. libet eam in gratiam lectoris hic transponere: Vel in Euā hanc nequaquam vel benigni oculi coniiciendi. *Vidit aspectu interiori virginem quandam pulcherrimam, valdeq; modestam, veste alba & preciosa indutam, stantem, & nonnihil à terra eleuatam, ad cuius latus prostratus erat in terra deformis quidam vir & niger, sed oculis valde iucundis blandeq; allicientibus, vterque autem compedes, siue circulum ferreum ad pedem habebat, qui circuli prolixæ cuidam catenæ erant connexi, ita vt colligati & vincti tenerentur. Ille cupiebat & contendebat, vt virgo ipsum aspiceret, quem ipsa nihili faciebat, licet ad magnam eius importunitatem bis illa terve oculos in eum coniecerit, quæ dum illum aspiceret, sensim se demittebat tristis in terram; ille verò lætus è terra se erigebat; donec virgo nimiùm eum aspiciens, tandem sedit in terra; in ipso verò momento erexit se fœdus ille ferusq; homo, & cæpit impiè currere, trahens pauperculam virginem per lutum & saxa, donec peruenit ad quoddam præcipitium, è quo seipsum præcipitauit, vt virginem quoque ipsam secum traheret ac præcipitaret. Aduertens verò illa summum hoc periculum, resumpto magno animo, arripuit fortissimè rupium crepidinem, cæpitq; sensim repere vsque ad cacumen, trahens secum hominem illum per catenam: clamansq; in cælum petebat subsidium: crudelis verò ille hostis ascendebat & descendebat, quantum catenæ longitudo patiebatur: seq; impetu quodam inferius proiiciebat, vt virginem post se traheret. At illa fortissimè ad saxum se tenens, repellebat à se hominem, cùm prope accedentem aduertebat, semper à Deo petens misericordiam. Et tunc tota visio cessauit, & in momento cognouit illa persona, hanc esse pugnam & conflictum crudelem, quam anima suâ totâ vitâ haberet cum corpore, cui esset colligata: quòd illam raptat ac præcipitat, quando inordinata affectione illud aspicit; dans locum blandis eius persuasionibus & illecebris, quæ postea fiunt violentia.* Hæc ex illo.

Imperandum huic Euæ. 17. Ne ergo inordinata affectione Euam suam vel aspiciat Christianus, imperet potiùs huic Euæ, imperet carnalibus affectionibus, eas planè cohibeat & frænet. *Sicut absurdum est*, ait Thabassius Hecatontade 4. Thabassius. *bonum Dominum subesse improbo seruo; ita & absurdum corruptibilis corporis mancipium esse rationalem mentem. Impera & tu Euæ, & à serpente caue, ne delusa quoque tibi de ligno præbeat. Monachum verum agit mens, quæ sensibus ita renuntiauit, vt ne videre quidem ferat cogitationem voluptatis. Mens affectibus imperans, extra periculum & timorem est. Expectatio futurorum bonorum mentem bonis expectatis coniungit, quibus immorando præsentium obliuiscitur.*

18. D. Lau-

LAVR. IVSTIN. 18. D. Laurentius Iustin. lib. de inter. conf. cap. 7. expendens illa verba 1. Corint. cap. 11. *Caput mulieris vir, caput viri Christus*, & per mulierem carnem siue sensualitatem; per virum verò ipsum intelligens Christianum, sic quoque egregiè monet: *Caput tuum, ô rationalis homo, agnosce*, vt corpus tuum agnoscat suum. *Hoc quomodo fiat, Apostolum audi: Caput, inquit, mulieris vir, caput viri Christus caput verò Christi, Deus. Nempe mulier hæc sensualitas tua, quæ rationis regimine indiget, quoniam non valet per se. Huius tu constitutus es caput, vt per te instruatur, per te ducatur, per te cohibeatur ab ijs, quæ non licent sibi, & Domini lege prohibentur. Hæc habet appetitus suos qui diuinæ voluntati aduersantur. Hos comprimere debes, & propter hoc principatum super illam adeptus es, tamquam in corpore caput, alioquin abuteris dono tuo, tuaq́, dignitate priuaris. Ascende igitur super tribunal tuum rationale, & inordinatis carnis desiderijs impone legem, quam te iubente, te custodiente præterire non audeant. Hanc vtique si errare non vis, disce à superiori tuo, & capite tuo, vt mulier audire dignetur abs te.* Sic ille.

Christianus debet regere sensualitatem.

Qui malè amat carnem tria mala incurrit. Primum. 19. Si malè amaueris carnem, tria euenient, & quidem grauissima mala. Primum, quod carnem tibi in adiutorium datam, & quæ animæ quædam quasi appendix esse debet, quædamve virtutis pedissequa, lenam quandam vitiorum reddas, iuxta illud D. Ambrosii libr. 7. in Lucam. *Vt animæ caro fiat appendix, non iam lena vitiorum, sed æmula quædam & pedissequa virtutis.*

Secundum. 20. Secundum est, quòd homo hac ratione se maximè crudelem & inhumanum carni exhibeat, vtpote, maximæ ignominiæ eam subiiciens in præsenti, & summæ miseriæ in futuro iuxta piam & eruditam doctrinam D. Bernardi sermone 10 in Psalm. *Qui habitat*, vbi efformata hac interrogatione. *Quomodo dicunt nobis carnales homines, crudelis est vita vestra non parcitis carni vestræ?* Sic respondet: *Esto non parcimus semini, in quo ei magis parcere poteramus? an non melius est illi renouari, & multiplicari in agro, quàm in horreo putrifieri? heu computruerunt iumenta in stercore suo, sic vos parcitis carni vestræ? simus nos crudeles interim non parcendo: at vos planè parcendo crudeliores, siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe, videritis vos ipsi quid ignominiæ interim vestra sustineat, quid miseriæ eam maneat in futuro.* Hæc Bernardus.

BERN.

Tertium. 21. Tertium est, quod amor ille carnis inordinatus, in summam vertendus sit aliquando hostilitatem. Adam quoque ne Euam contristaret, ex vetito ligno comedit, sed postea Euæ coram Deo accusator est factus, amorem in hostilitatem vertens Egregiè rem expendebat sanctus Bernardus sermone 1. in festo Om. Sanct. *iam verò*, inquit, *Adæ crudelitatem hæc sententia tangit, qui videbatur vxoris amore peccasse, ecce enim scimus Adam, quia os de ossibus tuis, & caro de carne tua est, & eius amore peccasti; videamus nunc quantum diligas eam, oppone te discrimini propter illam, & dic, Domine mulier infirmior est, mulier seducta est, mea iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat, sed non loquitur sic, mulier, inquit, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & ô peruersitas, pœnam pro ea recipere refugis, & culpam admittere non recusasti? quomodo proh dolor! omnia confudisti? perniciosè misericors vbi seuerus esse debueras, crudelis vbi misericordiam impendere oportebat, nam delinquere propter illam, nullo modo, satisfacere verò pro illa libenti animo debuisti.* Sic Bernardus. Idem euenturum ei qui malè carnem amat, qui lenociniis eius aures præbet, qui blanditiis eius fuerit delinitus.

BERNAR.

Quòd Christus seminatus, in terra vteri Virginalis creuerit in arborem.

SECTIO VII.

Christum meritò Arbori assimilari, sed quam mali dilacerant & conuellunt.

§. I.

1. DE grano synapis legimus, quòd postquam in terra seminatum fuerit crescat in arborem, nónne idem etiam Christo quàm optimè conuenit? Nónne postquam seminatus fuit in vtero virgineo, creuit in arborem? Quid in scripturis familiarius, quàm Christum, ex virgine natum, assimilari arbori, nónne, de seipso loquens Christus Luc. 33. ait: *Si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Christus arbori cōparatur.

2. De Christo sub imagine & similitudine arboris loquens Dauid Psalm. 1. sic ait: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Singula ponderanda.

3. Imprimis Christus, qui ratione humanæ naturæ, in sacra scriptura, arbor, seu lignum, Christus plantatus secus decursus aquarū.

lignum, vocatur, plantatus fuit à patre æterno, totaq; Trinitate, tanquam agricola, per vnionem hypostaticam, cum verbo diuino, quod fluuius est perennis, & infinitæ bonitatis, æternaliter à patre procedens: ex hac plantatione sortita est sacrosancta humanitas, ab insta[illegible]i cōceptionis, mirabiles atque perpetuos aquarum decursus, beatitudinis, scilicet essentialis, plenitudinis gratiæ, scientiæ, aliorumque Spiritus sancti, donorum, & charismatum, quæ animæ eius, ineffabili ratione, fuerunt collata. D. Augustinus. Decursus aquarum in Christo, dicit fuisse, tormenta labores & dolores, quos propter nos homines, & propter nostrā salutem perpeti voluit. Aquarū nomine in S. Scriptura calamitates & afflictiones significari compertū est. Vel decursus aquarū, vt placet D. Greg. Magno, sunt gentes multæ, quæ per Euangelij prędicationē Christum agnouerūt iuxta illud Apoc. 17. *Aquæ multæ, populi multi*, in his plantatus & radicatus Christus, mirificè germinauit folia fidei, flores spei, & fructus charitatis, *in tempore suo*. Hoc est secundum D. Paulum: *Cùm venit plenitudo temporis*, scilicet legis gratiæ, hoc enim tempus erat fructibus à Christo ferendis opportunum. *Ego veni*, ait Ioan. 10. *vt vitam habeant & abundantiùs habeant*. Fructus enim huius arboris sunt gratia, vita, & bona spiritualia, quæ contulit nobis abundantissimè. Tempus veteris legis fuit tempus sterilitatis, tempus frondium, tempus vmbræ solummodò, figurarū, & cæremonialium præceptorum non fructuum gratiæ & veritatis vt Paulus scribit ad Heb. 10. *Vmbram habens lex futurorū bonorum, non ipsam imaginē rerū*. Fructus verò producendi tempus, fuit Christo adueniente, qui ab ipsomet instanti beatissimæ cōceptionis suæ, cœpit flores, & fructus gratiæ, & bonitatis suæ mirabiles emittere. Vel, *in tempore suo*, hoc est, in tempore Crucis & passionis, vt plurimi exponunt, quod tempus suum ipsemet Christus appellabat. Tunc enim pretiosissimos, edidit fructus nostrę redemptionis & iustificationis: instituens septem Sacramenta, quibus nobis, passionis suæ virtus infinita, communicatur.

Arbor secus decursus aquarū, id est, maximarū gratiarum.

Secus decursus calamitatū &c.

Fructus huius arboris.

Ambros.

4. Rectè verò notat Ambr. hoc loco, arborem illam secus decursus aquarū plātatam, dare potiùs fructū, quàm ferre. *Hoc lignum*, ait, *fructū dabit in tempore suo. Ligna terrena fructum non dare, sed ferre dicuntur, sed lignum vitæ ac sapientiæ dat fructū, hoc est, largitur & donat.*

Folia huius arboris.

5. Folia huius diuini ligni, fuerunt doctrinæ, vel fidei dogmata, & secreta cælestia, quæ hominibus patefecit. Hæc folia, neque à veritatis firmitudine decident, neque silentio marcescent, sed semper virebunt per prædicationem Apostolorum, & ipsorum successorum, vsque ad consummationem sæculi. Vel per folia intelligi potest, eius oratio & prædicatio, quæ nunquā inanis fuit, sed semper efficax, vt ipse ait Ioan. 11. *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis.* Quid? quod quæcumq; in eius nomine, à fidelibus deposcuntur, semper à patre concedi, nónne est eius promissionis summè vigens atque indeficiens viror?

Prosperitas huius arboris.

6. Tandem prosperitatem operum Christi, quæ vox, quæ lingua, quis intellectus, etiam Angelicus, poterit pro dignitate eloqui, explicare, assequi, siue eius miraculorum magnitudo spectetur, siue mysteriorum profunditas, siue Sacramentorum vis, & efficacitas, siue doctrinæ maiestas & veracitas, siue Ecclesiæ stabilitas & pulchritudo, siue denique omnium suorum præceptorum & consiliorum sapientissima dispositio? hanc prosperitatem prædixerat Pater æternus, Isaiæ 55. dicens: *Et quomodo descendit imber de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Hęc de Christo esse interpretanda scribit Hieronymus in hunc locum, & de eius ineffabili prosperitate, in patris voluntate adimplenda, circa opus redemptionis humanę, & fundationis Ecclesiæ: quam prosperitatē describit statim Isaias, sub metaphoris quæ sequuntur, explicantibus indicibile gaudium, pacem, spiritualem fœcunditatem fidelium.

Nihil in Christo quod non vtilissimū.

7. *Et omnia quæcumq; faciet, prosperabuntur, id est*, ait D. August. *quæcumq; illud lignum attulerit, quæ omnia videlicet, accipienda sunt fructus, & folia, id est, facta, & dicta.* Nihil in Christo, siue verba spectes, siue opera, quod non fructuosum quod vtilissimum. Vnde Sponsa Cantic. 5. de illo loquens, ait: *Totus desiderabilis*, Hebr. *Totus desideria.* Aliquę plātæ prosunt suis radicibus, aliæ floribus, aliæ fructibus, aliæ ramis, aliæ corticibus, verùm arbor balsami omnibus hisce modis vtilis est & medicinalis, imò & lachryma ab illa fluens, pretiosissima; ita & Christus. *Totum nobis*, ait D. Bernardus, *de Christo valuit, totum salutiferum, totum necessarium fuit: nec minus profuit infirmitas quàm maiestas. Quia ex Deitatis potentia peccati iugum iubendo submouit, ex carnis tamen infirmitate, mortis iura moriendo concussit. Sed & illa eius stultitia, per quam ei placuit saluum facere mundum vt mūdi confutaret sapientiam, cōfunderet sapientes, quod videlicet cum in formâ Dei esset, Deo æqualis, semetipsum exinaniuit, formā serui accipiens, quòd diues cùm esset, propter nos egenus factus est, de magno paruus, de excelso humilis, infirmus de potente, & cætera, quæ passus est voluntate non necessitate, hæc ipsius quædam stultitia, nónne nobis fuit via prudentiæ, iustitiæ forma, sanctitatis exemplum?* Sic Bern.

Bern.

8. Sub eadem similitudine de Christo loquitur Ezech. 17. *Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam de vertice ramorū eius tenerum distringā, & plantabo super montem excelsum, & eminentem. In monte sublimis Israel plantabo illud, & erumpet*

germen & faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frõdium eius nidificabit: Quamuis sit prophetia de Zorobabele, qui in ramo tenero significatur, sub eo tamen magis intendit propheta significare Christum qui natus ex Zorobabel, vel vt Theodoret. ex medulla cedri, id est, ex Dauide qui fuit vir secũdum cor Dei, & quasi medulla cedrorũ, id est, sanctorũ in Israel, regnũ Ecclesiæ suæ instituit Hierosolymis, nec enim Zorobabel Rex fuit, nec sub eius vmbra omnes volucres requieuerũt, nisi hyperbolicè. Vndè paraphrasis Chaldæa, & ex ea Rabbi Salomon, sic vertunt: *Accipiam ego regem Meßiam, & plantabo illum super montem excelsum.* Sensus ergo Prophetæ est. Tenerũ hunc cedri ramum, & verticem Christum, plãtabo super montem excelsũ & eminentem, puta in Sion, id est, Ecclesia. Septuag. vertunt: *Suspendã illũ in monte sublimi Israel,* id est, vt Theodoret. *Crucifigam Christũ in monte Caluariæ,* vt posteà proferat fructũ & germen Christianorũ immortale in toto mundo. Prado verò sic explicat. Cedrus sublimis est Deus, qui solus habet immortalitatẽ. Cor cedri & medulla, est vnigenitus qui est in sinu patris, quem plantauit in monte excelso, id est, in vtero Virginis virtutibus excelsi quasi in paradiso, vt ibi natus homo daret fructũ pulcherrimũ & præstantissimum. Fuit autem Christus similis maximè cedro ob regnũ & Dominiũ amplissimum quod obtinuit (cedrus enim inter arbores primatum & quasi regnum tenet) ita vt sub vmbra frondium eius, id est, potestate & protectione, omnes volucres, id est, iusti qui cœlestia cogitant, & à terra ad cælum euolant, habitent.

In tenero ramo Christus significatur.

Christus in cruce suspensus protulit fructũ Christianorum.

9. De Christo etiam exponit D. Greg. 12. mor. 4. verba illa Iob 14. *Lignum habet spem, si præcisum fuerit rursum virescit, & rami eius pullulant. Si senuerit radix eius in terrâ, & in puluere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit: & faciet comam, quasi cùm primùm plantatum est. Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est?* Adduco Gregorij verba, *Per lignũ incarnata Dei sapientia figuratur, sicut de ea scriptũ est* (Prou. 3.) *Lignũ vitæ est his qui apprehendunt eam: & sicut ipsa ait: Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Habet ergo lignum spem, si præcisum fuerit, quia rursum virescit: quoniam etsi occidi per passionem potuit, per resurrectionis gloriam rursum, ad vitæ viriditatem venit. Huius rami pullulant quia ex resurrectione illius multiplicati, longè lateq́; fideles creuerunt, huius radix in terrâ quasi senuit, quia eius prædicatio Iudæorum perfidiæ despecta fuit. Et in puluere truncus emortuus est: qui in corde persequentium, quod perfidiæ suæ vento leuabatur, contemptibilis & despectus est habitus: quia carne potuit occidi. Sed ad odorem aquæ germinauit, quia per virtutem Dei extincta caro illius ad vitam rediit: iuxta quod scriptum est: Quem Deus suscitauit à mortuis. Quia enim Deus Trinitas est, extinctam carnem vnigeniti filij sancta Trinitas, id est, Pater, & idem Filius & Spiritus sanctus resuscitauit. Et fecit comam quasi cùm primùm plantatũ est: quia illa Apostolorum debilitas, quæ in morte illius expauit & negauit: negando aruit, per resurrectionis eius gloriam rursus ad fidem viruit; in cuius ligni comparatione quid omnis homo nisi puluis est? vnde & subditur, homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus atq; consumptus vbi quæso est?* Sic Gregor.

Ligno præciso posteà germinanti confertur Christus.

Gregor.

Act. 2.

10. Accipe etiam Rupert. li. 2. de operib. Spirit. sancti c. 19. hæc Christo applicantem: *Quod est hoc lignũ, nisi is ipse qui cùm præcideretur, dicebat: Quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Itaque si præcisum fuerit rursus virescit, subauditur, tertia die velocitate resurrectionis. Hoc idcirco quia nihil vnquam habuit ariditatis, id est, homo erat, absque omni corruptione peccati, imò quia non solùm homo, sed & Deus erat, cuius viror nunquam deficit. Cæterùm de homine qui tantùm homo, & non Deus est, qui in peccatis nascitur antiquæ præuaricationis, & idcirco cõparari vel coæquari non potest huic tam viridi ligno, continuò subiungit: Homo verò cùm mortuus fuerit, atq; nudatus & consumptus, vbi quæso est? Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat, sic homo cùm dormierit non resurget. Donec atteratur cælum, non euigilabit: nec consurget de somno suo. Est ergo hic homo lignum vitæ semper virens spiritu sapientiæ, quod vt nobis fructificaret & in præsenti vitam animarum, & in futuro resurrectionem corporũ quando atteretur cælum præcidi se permisit, non dubitans quod continuò post triduum reuiresceret, euacuata in semetipso præcisione eius, quam solam pertulerat mortis corporis.*

Rupert.

Luc. 23.

Iob 14.

11. Rerum Indicarum scriptorum tradunt, & qui ab ea regione venerunt attestantur, apud eos quasdam arbores adeò fructiferas & vtiles reperiri, vt omnia humano victui & præsidio necessaria administrent. Nam & fructum producunt quo Indi vescuntur, & liquorem quo vtuntur pro potu; folia gignunt quibus tanquam ex bombicibus telas faciunt ad amictum, & ne acus ad farciendum deficerent ex iisdem arboribus nascuntur spinæ, quibus acuum inopia suppletur, ac tandem pro filo cortices earundem arborum extenuantur in philyras, ex quibus fila deducantur. Sic in Christo vtpote in arbore vtilissima, omnia malorum nostrorum remedia inueniuntur: est nobis omnia in omnibus, sicut docet D. Ambrosius libro de Virginit. *Omnia, ait, nobis est Christus, si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si grauaris iniquitate, iustitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cælum desideras, via est; si auxilio indiges, lux est; si cibum quæris, alimentum est: gustate igitur & videte, quoniam Dominus suauis est.*

Christus similis illi arbori, quæ omnia necessaria administrat.

12. In hanc arborem sponsa Cant. c. 2. oculos coniiciens, sic fatur: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Duo expendit in hac arbore, nimirum vmbram & fructum. Est enim in Christo vmbra refrigerij, dum aliqua tentatione

In Christo vmbra & fructus.

tatione vel tribulatione, veluti solis ardore premimur & cruciamur. Est etiã in Christo vmbra refrigerij à labore quo laboramus, dum portamus pondus diei & æstus. *Audite*, ait Guarricus ser. 3. de Apost. Petro & Paulo, *ipsum Deum, ad vmbrarum refrigeria clementer vos inuitantem : Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Seruus enim sub sole laborans, vt ait Iob, desiderat vmbram, in quâ scilicet à labore recreetur ad laborem.* D. Gregorius per Christi vmbram intelligens Spiritum sanctum, sic conuenienter scribit: *Vmbra Christi protectio est Spiritus sancti, Spiritus quippe sanctus mentem, quam replet, adumbrat, quia omnem tentationum feruorem temperat, & dum aura sua inspirationis suauiter mentem tangit, quidquid noxij caloris sustinebat, expellit, & quam iam forsitan nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, vmbra sancti Spiritus protegens recreat, vt, dum in eius inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robustiùs currat.* Fructus huius arboris varius est & multiplex; vnde D. Gregorius exponens illa verba Cant. 2. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*, sic scribit: *Meritò per malum Christus, per syluestria verò ligna cæteri homines figurantur, quia in solo Christo cibum salutis quoties quærimus, inuenimus: in eius verbis & exemplis, animas nostras fructu suaui & salubri reficimus.* Plura de huius arboris fructibus, vide apud Cornelium in hunc locum.

GVARRICVS.

Matth. 11.

Iob 7.

GREGOR.

13. Fœlix ille Christianus, in cuius mente hæc arbor per fidem plantata: nam vt ait D. Gregorius: *Arbor fructifera ipse Christus in corde nostro plantatus per fidem existit, quam si mens nostra dignè diligit, & instanter excolit fructus, nimirum interiùs pulchros & vtiles gignit. Quos dum mens capiens auidè comedit, omnes mundi voluptates præ eius dulcedine postponit.*

Fœlix qui hanc arborem habet in corde plantatam.

14. Fœlix Christianus qui huic adhæret arbori, nec ab illa se patitur diuelli: Vis vincula quibus huic adstringaris arbori? Illa in medium adducentem audi D. Bernardum, sic enim scribit serm. de triplici cohærentia vinculorum, clauorum, & glutinorum: *Tria sunt vincula quibus ei adstringimur, & sic tria, vt sola, cum solis istis vel istorum similibus omne quod ligatur ligetur. Et primum accipite funes. Secundum clauos ligneos vel ferreos. Tertium gluten. Primum astringit fortiter & durè; secundum fortiùs & duriùs: tertium suauiter & securè. Fune quodam nodo alligatus est Redemptori, si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur: proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis, & hoc interim se fune retinet ne propositum penitus abrumpatur. Durum profectò vinculum & molestum, sed & periculosum nimis, & quod diu tenere non possit. Siquidem putrescunt funes, & pudoris vinculum, aut obliuiscimur, aut abrumpimus citò. Est autem qui clauis configitur Domino Maiestatis, quem timor Dei ligat, qui non expauescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum. Et hic quidem peccare non metuit; sed ardere. Duriùs tamen & fortiùs primò imprimitur, quia cùm ille vacillet in proposito, iste propositum non amittit. Tertius verò glutine ei conglutinatur, id est, charitate: qui tam suauiter quàm securè ligatus adhærens Deo vnus spiritus est cum eo, iste est, qui terribilius & horribilius ipsa gehenna, indicat, in re leuissima vultum omnipotentis scienter offendere.* Hæc Bernard.

Fœlix qui huic adhæret arbori.

BERN.

15. Qualiter tibi adhærendum huic arbori, qualiter illa constringenda disce ab amatrice illa quæ dicebat Cantic. 2. *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Disce ab illis fœminis qui Iesum rediuiuum sibi videbant occurrere vt legimus Matth. 28. Accesserunt & tenuerunt pedes eius, vbi D. Thomas. *Quia firmiter adhærere Christo debemus, ideò dicitur, tenuerũt pedes eius.* Itaq; non solùm tangunt pedes Iesu, sed ita firmiter tenent illos, vt nolint, imò vt maximè metuant separari ab illis. Id quod meditatus D. Ambros. lib. de Isaac c. 5. monebat: *Tene ergo & tu anima sicut tenebat & Maria, & dic: Tenui eum nec dimittam. Vade ad Patrem, sed non relinquas Euam, ne iterum labatur. Tecum eam ducito, iam non errantem, sed arborem vitæ tenentem, tecũ rape tuis pedibus inhærentem. Tecum ascẽdam noli me dimittere, ne iterum serpens venena sua fundat, ne iterum quærat fœmineum mordere vestigium, vt supplantet Adam.* Expende illa: *Ne iterum labatur, ne iterum serpens venena sua fundat*, quippe dum anima ab hac separatur arbore, mox iterum lapsus, mox venena serpentis, remeant.

Qualiter huic adhærendum arbori.

AMBROS.

16. Verùm quàm paucos habet orbis Christianos, qui taliter huic hærent arbori, qui taliter eam tenent atque constringunt, quàm multos qui peccatis suis hanc dilacerant, & quantum in ipsis est penitus conantur exscindere. Regius Vates postquam oculis nostris Christum sub imagine pulcherrimæ & fructuosæ arboris obiecisset, sic scribens: *Et erit tanquam lignum*, &c. Idem Propheta dicit: *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania. Astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersum Christum eius.* Vnde hoc arbori pulcherrimæ & fœcundissimæ quòd cõtra eam totus conspiret orbis? Respondet Rupertus: *Hoc admirans Spiritus sanctus in Dauid, subiungit, atque ait, quare fremuerunt gentes* &c. Si taliter excandescerent contra rhamnum vel rubum aliquam aculeis pungentibus plenas quibus retinent, mordent & vulnerant; nihil noui, nihil miri, sed taliter studere ruinæ & exterminationi arboris laudatissimæ quid mirabilius. Nihilominus res ita se habet, quod à plurimis hominibus Christus, modis omnibus amandus, modis omnibus diuexetur, dilaceretur, & conuellatur. O indignum facinus!

Pauci adhærẽt huic arbori multi dilacerant.

Contra hãc arborem totus conspirat orbis.

RVPERT.

17. Morum detruncare, nefas olim apud Athenienses erat, vt, scilicet beneficentiam ac benignitatem commendarent; & hac eadem de causa quercus & ficus antiqui,

Morũ detruncare nefas.

PLVTARCHVS. tiqui venerabantur. Ita Plutarch. quæst. con. l. 7. q. 4. *Non absurdè prisci, vel quercus venerabantur frugiferas, & ficum quandam vocitauerunt sacram Athenienses, & morum interdixerunt detruncare. Hæc namque non faciunt in superstitionem præcipites; vt ferunt nonnulli, sed consuefaciunt in rebus sensu carentibus, & surdis beneficentiam nostram, & benignitatem nos mutuo.* Si morum detruncare nefas apud Athenienses, quale æstimandum nefas apud Christianos, Dominum Iesum, lignum illud viride, dilacerare, conuellere & quantum in ipsis est detruncare, & vita priuare, vel vt clariùs dicam, Christum sibi iterum crucifigere & mille afficere contumelijs, prout agũt peccatores dum peccatis fræna relaxant & tam liberè Deum offendunt? Vis tibi idipsum luculenter ostendi? In sequentes §§. oculos conijce & eosdem diligenter reuolue, vt vel sic horrorem peccati tibi compares, & maximum illius odium in te excites.

Quantum nefas dilacerare arborem vitæ Iesũ Christum.

Sicut iusti bonis operibus Dei gloriam promouent, ita malis operibus, dicuntur Dei nomen polluere, blasphemare, conuitiis, ac probro afficere, ac Deo dedecori esse.

§. II.

1. SIcut iusti Deum & Christum imitantes, & suis perfectionibus & virtutibus eos exprimentes, gloriam & honorem maximè promouent, tum Dei tum Christi, ita similiter mali, malis suis moribus, probro atque dedecori sunt Deo, & Christo. Quod boni suis operibus, non mediocrem Deo gloriam pareant, patet ex Pauli & sacrorum testimonijs. Sic dixit ille 1. ad Corinth. cap. 5. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Et 2. ad Thessalon. c. 1. *Vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis.* Et Christus Dominus Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Et Ioann. cap. 15. *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.* Sic etiam Petrus epist. 1. cap. 2. *Vos autem genus electum, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annunciatis eius, qui de tenebris vos vocauit, in admirabile lumen suum.* Et cap. 4. *Si quis loquitur quasi sermones Dei: si quis ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum.* Eò etiam it id Zachariæ c. 19. *posuit eos quasi equum gloriæ in prælio.* Et Ps. 28 *afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Quæ verba expendens Basilius homil. 5. in Psalm. 28. exposcit, quomodo creatura, quæ puluis & cinis, magno Domino, gloriam & honorem afferre possit, respondet, operibus sanctis, & bonis. *Gloriam quidem per bona opera nostra, cùm opera nostra splendore probitatis irradiarint hominum oculu, sic vt perspectis operibus nostris, homines glorificent patrem nostrum qui in cælis est, sanè per sobrietatem, perque sanctimoniam, eosperculiariter corrigentem, qui se ex professo obstrinxerunt tuendæ religioni, potest quis afferre gloriam Deo, iuxta Pauli admonitionem, dicentis, glorificate Deum in corpore vestro.*

Iusti bonis suis operibus gloriã Dei promouent.

BASILIVS.

2. Congruunt his, eæ Scripturæ locutiones, in quibus à nobis Deum exaltari, magnificarique dicitur, sic namque Maria Lucæ c. 1. *Magnificat anima mea Dominum.* Regius verò Psaltes Psalm. 29. *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.* Et verò si inquiras quî fieri possit vt Dominus, qui nec augmentum, nec decrementum potest accipere, & quod est, est; à Maria magnificari dicatur: sic respondet Origenes hom. 8. in Lucam. *Si considerem Dominum Saluatorem imaginem esse inuisibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginem conditoris, vt imago esset imaginis: tunc videbo quoniam in exemplum eorum qui solent imagines pingere, & vno, verbi causâ, vultu Reges accepto ad principalem similitudinem exprimendam artis industriam commendare. Vnusquisque nostrûm, ad imaginem Christi formans animam suam, aut maiorem, aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram, atque lucentem, & splendentem ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est, animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, & sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est, in nostrâ animâ magnificatur.* Hactenus Origenes. Ad cuius etiam gustum præfata Dauidis verba pendit Basilius sic primum inquirens. *Quomodo is, qui in altissimis habitat, exaltatur ab ijs, qui humilem sortiti locum sunt? Si enim Deus in cælo sursum, & tu in terrâ deorsum, quonam pacto Deum queas exaltare?* Respondet verò, *An quod fortè ab ijs dicitur exaltari qui quæ magna, & quæ nihil Deum dedeceant, intellectu, & cogitatione apprehendunt, & vitam omnem, ad vnius Dei gloriam componunt? Qui igitur ad beatitudinem, cùm scientia properat, Deum exaltat.*

Magnificatur à iustis Deus.

ORIGEN.

BASILIVS.

3. Sed & huc etiam spectat ea Dominicæ orationis petitio. *Sanctificetur nomẽ tuum.* Matt. 6. Nam tunc Dei nomen sanctificari dicitur

Sanctificatur à iustis Deus.

AVGVST. NYSSEN. dicitur ex Augustini lib. 2. de serm: Domini, Hieronymi in commentarijs, Nysseni lib. de orat. Dominica, orat. 3. Chrysostomi, Theophylacti, & Euthymij interpretatione, cùm tanquam sanctam colitur, & honoratur. *Nam non sic petitur* (verba sunt Augustini) *sanctificetur nomen tuum, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctum quod magis offendere timeant.* Sic Augustin. PASCHAS. Sed qui id fit? Audi Paschasium hoc ex præfatis Mariæ verbis, *Magnificat anima mea Dominum.* sic apposite explicantis: *Sic sanctificatur à nobis, sicuti & magnificatur à nobis. Hinc quoque Virgo Maria gratanti animo canit: Magnificat anima mea Dominum, non quod magnus & excelsus Dominus, nullam habens consummationem, maior minorve esse possit, sed quia dum nos in eo crescimus, ille in nobis quasi magnificatur, ac si dicamus, Pater sanctificetur nomen tuum, vt tales simus, qui sanctificationem tuam, non modò intelligere, verùm capere valeamus, quatenùs tu ex nostra conuersatione spirituali sanctus appareas.* Hæc Paschasius.

NYSSEN. 4. Pulchrè cit. loco hæc elucidat Nyssen. dum enim dixisset: *Porrò caput omnium bonorum est, si per meam vitam nomen Dei glorificetur:* Post nonnulla sic ait: *Quis autem adeò est ferus, & rationis expers, qui si inter eos, qui Deo crediderunt, videat vitam puram, quæ per virtutem exigatur, ab omnibus peccati inquinamentis vacuam, atque puram, ab omni suspicione mali alienam, temperantiâ claram, prudentiâ grauem, fortem, & firmam aduersus affectuum & perturbationum impetus, & incursus, corporis voluptatibus nullo modo mollem; & effœminatam à delicijs, à torpore, & ignauia, à tumore fastus quàm maximè, remotam, temporalibus facultatibus, & reliquo sæculari cultu, quantum necessitas desideret vtentem, summo pede terram stringentem* (præstringo sententiam) *quis igitur si talem videat, nomen, quod ab eiusmodi vita inuocetur non glorificet?* Hæc Nyssenus.

5. Vnde Origenes animosè dixit, Deum de bonis iusti operibus non secus ac pater de filio, generosa eius facinora imitante, & referente se iactare. Audi illum homil. 1. in Psalm. 36. ea verba: *Et educet quasi lumen iustitiam tuam,* sic elucidantem: *Tuam iustitiam quam tu egisti in occulto, & reuelasti eam soli Deo, hanc producet sicut lumen Deus, & ostendet te iustum illuminatum sole iustitiæ, cælo & terræ, & omnibus qui in cælo sunt ostendet lumen iustitiæ tuæ & (si ita dici oportet) iactabit, se de te tanquam de filio, tanquam qui acceperis spiritum adoptionis.* Didicit opinor, hæc Origen. à magistro suo Clemente Alexandr. libro Stromatum dicente. *Vna est ab omnibus præcipua gratiæ relatio, ea facere, quæ Deo sunt optima. Nam tanquam proprij fœtus, & in aliquo cognati effectus magister, & seruator accipit utilitates, & correctiones hominum, ad propriam gratiam, & honorem.*

Iactat se Deus de bonis operibus iustorum. ORIGEN.

6. Iam verò vt bona iustorum opera ad laudem Dei cedunt, illum magnificant, & exaltant, ipsum sanctificant, & honorant, ita mala hominum facta, ipsi probro & dedecori sunt, atque illis grauiter contradicunt Christi gloriæ, honori, exaltationi, & sanctificationi.

Mala opera peccatorũ, sunt Deo dedecori.

7. Similes dicuntur polluere nomen Dei, vt Ezech. cap. 36. *Ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cùm diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt.* Vnde statim subdit Dominus. *Et peperci nomini sancto meo, quod polluerat domus Israel in gentibus, idcircò dices domui Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus, ad quas intrastis; & sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes.*

Mali polluunt nomen Dei.

8. Similes dicuntur etiam blasphemare nomen Dei, id est, efficere & occasionem dare vt blasphematur, Isaiæ 52. *Dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomen Dei blasphematur. Quàm grauis autem* (verba Saluian. lib. 4. de Prouerb.) *ac singularis piaculi malum sit nomen diuinitatis in blasphemiam gentibus dare, etiam Dauid beatissimi edocemur exemplo, qui cùm per suffragia iustitiarum suarum, æternam pro offensionibus suis pœnam, per vnam tantùm confessionem meruit euadere; huius tamen criminis veniam* (de temporali pœna intellige) *nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare. Nam cùm ei errores proprios confitenti Nathan Propheta dixisset 2. Reg. cap. 12. Transtulit Deus peccatum tuum, non morieris, subdidit statim: Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui ex te natus est morietur.* Ita ille. Quæ statim sic eleganter exornat. *Et quid post hæc? deposito, scilicet diademate, proiectis gemmis, exutis purpuris, remota omnis splendoris regij dignitate, cùm pro his omnibus, solitarius, gemens, clausus, sacco squallidus, fletu madidus, cinere sordidatus, vitam paruuli sui, tot lamentationum suffragijs peteret, & pijssimum Deum tantâ precum ambitione pulsaret, sic rogans, & obsecrans, obtinere non potuit, cùm tamen, quod fortissimum petentibus adiumentum est, & impetraturum se, quod sic à Deo peteret, credidisset.*

Mali blasphemant nomẽ Dei. SALVIAN.

Origenes homil. 17. in homil. in lib. Num. aduertit duplicem in Christum iactari blasphemiam, vnam ore, alteram opere; dum enim exponit illa verba Balaam Numeror. 24. *Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit in maledictione reputabitur:* sic habet, in illo populo Christum intelligens: *Certum est, quòd benedicentes Christo benedicti sunt, & in communione paternæ hæreditatis assumpti; qui autem maledicunt, maledicti sunt.* Et posteà: *Ego autem existimo, quòd non ille solùm maledicat Christo, qui sermonem aduersus eum maledicum profert:*

ORIGEN. Duplex in Christum iactatur blasphemia.

sed & ille qui sub nomine Christiani malè agit, & turpiter conuersatur, & inhonestis verbis, & actibus suis facit nomen eius blasphemari inter Gentes, sicut è contrario non ille qui sermonibus Dominum benedicit, ipse solùm benedicere putandus est, sed qui actibus & vita, & moribus suis facit ab omnibus nomen Domini benedici. Et *in istis magis complebitur, quòd tertia prophetia Balaam designat; quia benedicentes Christo benedicentur, & maledicentes ei, maledicti erunt. Propter quod omnimodè caueamus, ne propter actus nostros Christi nomen blasphemetur, sed magis id agamus, vt de benedictionibus eius participes esse mereamur.*

Mali Christiani in Cham designati. AVGVST. S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 2. istiusmodi degeneres Christianos, præsignatos fuisse docet per Cham, qui fuit maledictus à patre Noë, ex quo eum nudum fratribus prodidisset: Augustini sermo hic est: *Quamuis non solùm qui sunt apertissimè separati, verumetiam, qui Christiano vocabulo gloriantur, & perditè viuunt, non absurdè possunt videri medio Noë filio figurari: passionem quippe Christi, quæ illius hominis nuditate est significata, & annuntiant profitendo, & malè agendo exhonorant.*

Similes Christiani peiores infidelibus. Similes malos Christianos peiores esse infidelibus, adstruit D. Augustinus, expendens enim verba illa Psalm. 30. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis, valde, & timor notis meis*, sic scribit: *Qui sunt inimici Ecclesiæ? Pagani, Iudæi, omnibus peiùs viuunt mali Christiani. Vis videre quàm omnibus peiùs viuunt mali Christiani? De talibus dicit Propheta Ezechiel, quia comparantur sarmentis inutilibus. Pone Paganos ligna esse siluatica, extra Ecclesiam, adhuc potest inde fieri aliquid quomodo de lignis fabrilibus est lignum fabro aptum: etsi adhuc nodosum, & curuum, & corticosum, tamen quod doletur, asscietur, deplanetur, & possit venire ad aliquam fabricam vsus humani: de sarmentis verò præcisis, fabri nihil facere possunt, ea ignis solus exspectat.*

Mali Religiosi qualiter blasphement Christum. CASSIAN. Si taliter blasphematur nomen Christi à malis Christianis, quid dicendum de malis Religiosis & Sacerdotibus, quorum intererat sanctissimè viuere, nónne quod maiorem diuino nomini iniuriam, & contumeliam inferant, quàm reliqui vitiosi fideles? Abbas Serapion apud Cassian. collat. 5. cap. 26. adaptat huc illud Christi Domini, Luc. 11. de septem spiritibus nequioribus aduocatis ab alio, qui domum vacuam & mundatam repetit, aitque Abbas: *Turpior enim erit post hæc & immundior anima, ac supplicio grauiore plectetur, quæ se renunciasse huic sæculo gloriatur, dominantibus sibi octo vitijs, quàm fuerat quondam in sæculo constituta, cùm nec disciplinam monachi fuisset professa, nec nomen.* Et collat. 4. c. 19. Daniel Abbas edisserens pronunciatum Apocal. cap. 3. *Vtinam frigidus esses, aut calidus; sed quoniam tepidus es, incipiam te emouere:* hunc tepidum Dei visceribus applicitum exponit ille malum religiosum, & adijcit: *Rectissimè ergo pronunciatur esse deterior, quia faciliùs ad salutarem conuersationem, & perfectionis fastigium carnalis quis, id est, sæcularis, vel gentilis accedit, quàm is, qui professus monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens secundum regulam disciplinæ, ab illo semel spiritualis feruoris igne decessit.* Cuius rei & differentiæ ratio ibi bona redditur à lectore indigente videnda, & epist. Bernardi 96.

9. Similes dicuntur efficere vt Dei nomen malè audiat, & conuitijs afficiatur. Nyssenus enim paulò ante citata Isaiæ verba sic legit lib. de orat. Dominica orat. 3. *Nomen meum iugiter malè audit inter gentes. Audiui*, inquit, *alicubi sacram Scripturam condemnantem eos, qui in causâ sunt, vt Deo obtrectetur. Væ*, inquit, *propter quos nomen meum malè audit inter gentes. Hoc autem tale est. Qui nondum sermoni veritatis crediderunt; eorum qui fidem mysterij acceperunt, vitam inspiciunt, & obseruant. Cùm igitur nomen quidem fidei, in aliquibus fuerit, vita verò nomini quasi obloquatur, & repugnet, quippe vel per auaritiam simulachrorum cultui dedita, vel ebrietatum, & comessationum turpitudine fœdata, & more suis, in luto luxuriæ immersa: statim in promptu infidelium sermo est, non in voluntatem & institutum eorum, qui hoc sæculo, facultatibusque malè vtuntur, sed in mysterium, quasi talia facere doceat, criminationem vertens.* Hæc Nyssenus. In hanc sententiam, sed acriùs Saluianus lib. 4. de Prouid. *Magna videlicet nobis prærogatiua, de nomine Christianitatis blandiri possumus, quia ita agimus, & viuimus, vt hoc ipsum quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videamur.* Sic locum hunc etiam expendit Chrysostomus homil. 14. cùm presbyter esset designatus. *Mala bestia est peccatum, non quidem in conserua corpora malum proferens, sed in ipsam Domini gloriam effundens malitiam. Propter vos, inquit, nomen meum conuitijs afficitur inter gentes.* Sic ille. Mali efficiunt vt nomen Dei malè audiat & conuitijs afficiatur. NYSSENI.

Qui malè facit, Deo calumniam meditatur. AVGVST. Quin etiam vt affirmat D. Augustinus, peccator dum peccat, Christo calumniam meditatur, sic enim scribit explicans illud Ioan. c. 17. *Qui à semetipso loquitur, propriam gloriam quærit Dominus noster magnum nobis exemplum præbuit humilitatis, dum habitu inuentus vt homo, quærit gloriam patris, non suam. Sed tu quando aliquid boni facis gloriam tuam quæris, quando aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris.* Expende hæc postrema Augustini verba, in quibus peccatum appellat calumniam Dei. Num impius dum delinquit tacitè calumniatur mysteria fidei nostræ? Gloria beatitudinis vilis illi est, gehennæ incendia non satis videntur vrere, cùm ita ob breuem & volaticam voluptatem contemnat, videlicet in Christum Christique mysteria *calumniam meditatur*, cùm ea sic contemnit ac si forent poëtica commenta. Clemens Alexand. lib. 1. strom. agens de Christianorum moribus, quos appellat, Christianam Philosophiam, ita fatur: CLEMENS ALEX.

fatur: *Quæ est secundum traditionem diuinam Philosophia, constituit, &c. quâ sublatâ videtur fabula Saluatoris œconomia.* Nempe Christianus, qui vti Christianus non viuit, Christo Deo calumniam meditatur & Saluatoris œconomiam, seu Christianam disciplinam velut inanem fabulam æstimare videtur: nam si gehennæ ignem attentè verum crederet, si beatitudinis gloriam viuaciter veram censeret, si Ecclesiæ Sacramenta & Dei mysteria pro dignitate reputaret; non sic viueret ac si fabulæ forent & futilia Poëtarum commenta.

Peccator Christianã disciplinam pro fabula videtur assumere.

Similes dicuntur Christum maledicere. ORIGEN.

10. Similes etiam dicuntur Christum maledicere non tam verbis quàm operibus; quod considerauit Origenes problem. super caput 24. tom. 1. *Ego tamen puto*, ait, *quòd non ille solùm maledicat Christum, qui sermonem aduersus eum maledicum profert, sed & ille qui sub nomine Christiani, malè agit & turpiter conuersatur, & inhonestis verbis, vel actibus suis facit nomen eius blasphemari inter gentes, sicut è contrario non ille qui sermonibus solis Dominum benedicit, ipse benedicere putandus est, sed qui actibus, & vitâ & moribus suis faciat ab omnibus nomen benedici.*

Dicuntur Deum humiliare. BASILIVS.

11. Similes etiam dicuntur Deum humiliare, nam præfato loco Basilius, cùm dixisset Deum ab ijs exaltari, qui vitam omnem ad vnius Dei gloriam componunt, subdit: *Qui viam ingreditur huic oppositam, quod nefas quidem sit dicere, quantum hic Deum in seipso humiliet.* Similiter Origenes post citata verba, in id Virginis, *Magnificat anima mea Dominum*, addit: *Et quomodo crescit Dominus in nostra imagine, sic si peccatores fuerimus, minuitur atque decrescit.*

ORIGEN.

Dicuntur Deum probro afficere. CLEMENS ALEX.

12. Similes etiam dicuntur Deum probro afficere. Sic Clemens Alexandrinus illis verbis: *Magister & Seruator accipit vtilitates & correctiones hominum, ad propriam gratiam, & honorem*; hæc subijcit: *Sicut etiam damna, & offensiones, quas accipiunt ij, qui ipsi crediderunt, tanquam ingrati animi, in se admissa crimina, propriaque probra & dedecora existimat. Quod enim aliud probrum ac dedecus Deum attinget?*

Dicuntur Deo dedecori esse. BASILIVS.

13. Similes dicuntur Deo dedecori esse. In quam sententiam D. Basilius, de seipso, sic ait Reg. 2. ex fusiùs disputatis. *Quæ omnia, quandocumque mecum ipse considero, terribilis me quidam, cum mentis consternatione horror inuadit, metuentem videlicet, ne si aliud agendo in rebus futilibus ac vanis animum occupauero, à Dei charitate deiectus, Christo dedecori sim.*

Mali, malis operibus, & peccatis, dicuntur Christum in faciem cædere, conspuere, flagellare, conculcare, Barrabæ postponere.

§. III.

Similes Christum in faciem cædunt. BERN.

1. Similes Christum in faciem cędunt. *Sin faciem Christum cædunt*, inquit S. Bernardus serm. ad sororem, *qui ante oculos maiestatis eius, cui omnia nuda sunt & aperta, nefandissima carnalitatis crimina, occultè committunt.* Christum insuper attestante Sancto Epiphanio hæres. 39. *in faciem cædunt, qui eius Ecclesiæ contradicunt, qui vnitatem scindunt, gregem Domini dispergunt, pestiferis opinionibus animas imbuunt. Christum in faciem percutit*, inquit S. Gregorius hom. 7. in Ezechiel. *qui euidenter agnitæ veritati, ex odio contradicit. Grande scelus fateor*, inquit Sanctus Augustinus tract. 118. in Ioan. *admisit seruus ille qui Christum in faciem percussit, at videant, qui vt hominibus placeant, aut bonum omittunt, aut malum patrant, an non simili contumeliâ Christum afficiant? Et illi videntur mihi*, inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 28. in Ioann. *in faciem Christum cadere, qui non verentur diuinum eius nomen, maledicâ linguâ blasphemare. Christo alapam impingunt*, inquit S. Macarius hom. 32. *qui animas ad diuinitatis eius imaginem conditas, & salutifero sanguine tinctas pessimis exemplis, aut scandalizant, aut ad peccandum inducunt.* Tunc etiam sacratissimum os Christi ait Granat. in meditat de pass. alapis contundimus, *quando veritatem quam sacris inspirationibus suis, per Angeli boni suggestionem, nobiscum loquitur, non acceptamus. Tunc vultum eius dedecore afficimus, quando superiorum nostrorum saluberrimas admonitiones eludimus, & illis morem gerere recusamus.* Audi Origenem: *Colaphis cadit Christum, qui verbis, vel actibus suis turpibus, & inhonestis, sub nomine Christiani, lasciuijs inuoluitur, & carnalibus concupiscentijs sepelitur.*

EPIPHANIVS.

GREGOR.

AVGVST.

In faciem Christum cędunt. CHRYSOS.

Alapam impingunt. MACARIVS.

Christum conspuunt. GREGOR.

2. Similes in faciem Christi conspuunt. Audi sanctum Gregorium Magnum: *In faciem Christi conspuunt, qui sanctos & iustos in hac vita consutant & confundunt, & in eorum contumelias fluxa verba, quasi fluentes saliuas mittunt.* Audi Sanctum Augustinum lib. 1. qq. Euangel. *Christo in faciem spuunt, qui eius gratiæ præsentiam respuunt. Colaphis eum cædunt*

qui

qui suum honorem eius gloriæ præferunt. Palmas eius in faciem dant, qui perfidiâ excæcati eum nondum venisse affirmant, tanquam præsentiam eius exterminantes & repellentes. Audi Sanctum Hieronymum. *Faciem Christi conspuunt, qui conscientiam suam fœdant dant cogitationibus, & prauis actionibus: Quia enim Christus conscientiam sanctam inhabitat in quâ Dei facies est, hinc est, quod qui conscientiam suam peccatis maculat, quasi sputum in Christi faciem iactat.* Audi Rabanum Maurum in cap. 28. Matth. *In faciem Christi expuunt,* inquit, *qui præsentiam gratiæ eius, execrandis verbis, ex interna cæcæ mentis insania, conceptis, blasphemando & peierando conculcant.*

Christum flagellant. AVGVST.

3. Similes Christum flagellant, *Omnes qui Christiano nomine gloriantur, & perditè viuunt,* affirmat S. Augustinus lib. 18. de ciuit. c. 2. *non absurdè possunt videri in Cham Noë filio figurari: passionem quippe Christi quæ Noë nuditate præfigurata est, & annunciant profitendo & exhonorant malè agendo. Dominum quotidianis criminibus denuò flagellando.* Et rursum tract. 118. in Ioan. *flagellatus est Christus flagellis Iudæorum, flagellatur adhuc quotidie blasphemijs falsorum Christianorum.* Mali diuites qui ex rapinis pauperum ditescunt Christi capiti coronam spineam imponunt. *Plectentes coronam de spinis* (ait Drogo de Sacram. pass.) *ponunt super caput Iesu, cùm de rapina pauperum, spineas ei diuitias coaceruantes caput eius ad regnum elationis efferunt.*

Christi manus constringunt durissimis vinculis. FORNER.

4. Similes manus Christi constringunt durissimis vinculis. Audi Fornerum conc. 55. in passione Domini. *Manus ligant optimo Seruatori suo qui diuinis inspirationibus eius obsistunt, non permittentes vt Deus secundum voluntatis suæ beneplacitum in illis operetur. Manus ligant summo benefactori suo, qui debita gratitudine, diuinis eius beneficijs non respondent. Manus ligant beneficentissimo auxiliatori suo, qui accepta gratiarum cælestium dona, otio desidiaque torpescere permittunt. Manus ligant profusissimo bonorum suorum largitori, qui de acceptis ab illo gratijs, apud alios gloriantur, & quasi meritis suis, eas accepissent. In superbiam extolluntur, atque ita indigni euadunt, vt similibus cælestium donorum prærogatiuis cumulentur.*

Conculcant filium Dei.

5. Similes conculcant filium Dei, iuxta illud Pauli ad Hebræos c. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Quo peccati genere, delinquunt fideles, post baptismum, vt explicant Chrysost. & Theophylact. dum enim fideles quoduis peccatum admittunt, per hoc implicitè & interpretatiuè contemnunt, & quasi conculcant gratiam, redemptionem, mortem, & sanguinem Christi.

Sanguinem testamenti pollutum ducunt.

6. Similes sanguinem testamenti pollutum ducunt, id est, communem (*Commune*, enim phrasi Hebræa, idem est, quod immundum & pollutum.) Nam Christum Dei filium, eiusque sanguinem, in quo nouum fœdus & testamentum, inter Deum & homines, de æterna hæreditate eis danda, sancitum est, quoque in baptismo abluti & sanctificati sunt, conculcant & pollutum ducunt, dum eum quasi res inutilis, profana, nulliusque momenti, imò falsa & ficta foret, contemnunt, abnegant, abijciunt, & hoc ipso spiritui gratiæ, id est, Spiritui sancto, qui est auctor gratiæ, in Christi baptismo acceptæ, quâ eos Deo gratos, sanctos, Deique amicos, & filios effecit, contumeliam faciunt: vel sanguinem Christi pollutum, & communem ducunt, id est, quasi communem sanguinem æstimant, qui non differat à sanguine hircorum, taurorum, vel aliorum animalium, vel à sanguine cuiuslibet alterius hominis, & qui proinde insufficiens sit, ad delenda peccata. Iuxta Cæsarij verba homil. 27. *Prima erit in reos intoleranda sententia* (videlicet in extremo iudicio) *reuerendarum præsentia cicatricum, quando contra illius crucifixi Domini liuores, notæ peccatorum, & maculæ libidinum proferentur,* &c. CÆSAR.

7. Similes postponunt Christum scorto, carni, & minimis quibusque rebus, dum malunt Christum amittere, quàm illis carere. Pulchrè & latè hac de re D. Innocentius serm. 4. in die S. Parasceues; expendens illa verba Iudæorum. *Non hunc sed Barrabam,* sic ait, *electio quam non fecit dilectio: puto nec nec illum diligebatis quem elegistis. Nec ob aliud voluistis, quòd Barrabas liberaretur, nisi vt Christus crucifigeretur. Non hunc sed Barrabam. Non hunc, proh dolor! Latronis nomen dicitur, Christus non nomine dignus habetur. Sed grauis erat eis ad nominandum, qui grauis erat eis ad videndum.*

Postponit Christum scorto, carni &c. INNOCENTIVS.

8. *Sed, ò dilectissimi, cur ista elicimus? Cur & Pilati quæstionem, & Iudæorum responsionem tam diligenter discutimus? Ideò vtique quia ad huius quæstionis similitudinem, aliam volumus facere quæstionem. Illa quæstio facta est populo Iudæorum vt nostra fieret populo Christianorum. Sed quia in populo Christiano, sunt boni & mali, nos in præsenti sermone, non illam facimus bonis. Imò potiùs illis qui mali sunt, & fili hominum appellantur. Duo ita, quæ proponamus illis, peccatum, & Christum. Dicite ergo filij hominum: Quid vultis de duobus dimitti peccatum, an Christum? bonum, an malum? veritatem, aut vanitatem? Iniquitatem an æquitatem? Et vt dicam expressiùs, quod volumus, quid vultis de duobus dimitti, scortum, an Christum? Carnem meretricis, an carnem filij hominis? Carnem quæ vitam præstat æternam, an carnem quæ mortem afferat sempiternam? Quid melius vultis, an comedendo corpus Christi, in ipso manere, an cohærendo meretrici, vestrum & illius corpus vnum efficere? De corpore quippe suo, Christus sic loquitur: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego* in

in eo. &c. Apostolus verò de corpore meretricis sic dicit: Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Dicite filij hominum quid diligitis? Respondete quid de duobus elegistis. Adhibete si potestis discretionem, & facite electionem: & sic date responsionem. Palam vobis facio quæstionem, nec habet necessariam nec profundam discretionem. Bonum, & malum, scortum & Christum, vobis proponimus, & de his duobus, quid potissimùm eligatis inquirimus: O filij hominum quid dubitatis. Cur non citò respondetis. Cur nisi quia filij hominum estis, & quid est filij hominum, nisi filij carnalium, carnalia amantium, carnalia sapientium: Nónne illi vos estis, de quibus scriptum est: Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Certè ista est causa, quare bonum non eligitis, quod & graui corde estis, & vanitatem diligitis. Quàm bonus Israel Deus. Sed quibus. Non curuis corde. O graui corde, ô filij hominum, quid est quod supergreditur caput vestrum? Vnde in corde vestro tanta grauitas? Hæc siquidem est, de qua scriptum Zach. 5. *est: Iniquitas super talentum plumbi sedet. Sed hoc iniquitatis onere laborabat, qui in Psalmo* Psalm. 37. *dicebat: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, grauatæ sunt super me. Hoc etiam pondere premebantur* Exod. 15. *illi de quibus dicitur: Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Hæc itaq; iniquitas. O graui corde filij hominum, non solùm grauat corda vestra, sed etiam ne nobis respondeatis, opilauit os vestrum: & vtinam saltem faceretis & nihil responderetis, & contempto Christo, scortum non eligeretis. Quòd si quæritis quomodo vel quando Christum contemnitis, quomodo vel quando scortum eligitis: reducite ad memoriam tempus vestræ confessionis, mementote quid dicatis tempore communionis. Ecce ponamus aliquem ad presbyterum venientem, peccata confitentem, & dicentem: Confiteor Domine, quia peccaui, patrem & matrem offendi, mentitus sum, peieraui, aliena furto & violentiâ rapui. Ad quem sacerdos; pœnitet te ista fecisse, & si vis de cætero ista dimittere? Et ille: Ex corde istorum pœnitet, & libenter dimitto. Et sacerdos: Vide si, ait, plus fecisti. Dic mihi, si vnquam mulierem tetigisti? Et ille: Quis est, Domine qui hæc non faciat? Quis est qui se abstineat à peccato isto: Et sacerdos: Noli sic loqui amice, noli sic loqui. Nisi hoc peccatum, sicut & alia confessus fueris, & nisi de isto, sicut de alijs emendationem promiseris, scias pro certo, quod nec communionem Christi dignè percipias, nec post illam temporalem vitam ad æternam vitam peruenies. Fac igitur de isto peccato confessionem, promitte emendationem, & sic accipe communionem. Et ille: O Domine, valde infirmus sum, à muliere abstinere non possum: & ideo non audeo* Psal. 75. *promittere, quod scio me non posse seruare. Vouete, inquit, & reddite Domino Deo vestro. Et melius est non vouere, quàm vouere, & non reddere. Et sacerdos non exigo vt votum facias, quod non fecisti, sed redde quod promisisti, Nónne in baptismo, diabolo, & operibus eius abrenunciasti? Nónne fornicatio, diaboli est operatio? Itaque si secundum consilium nostrum promittis, non fornicari, facis, quod facere debes: si non promittis, semper tamen debes. Denique votum reddere, nec debere, non votum, sed gratuitas dicitur propriè. Is etenim votũ facit, qui, quod non debet gratuitò se facturũ esse promittit. At qui non fornicari promittit, votum non facit, id est, non quod non debet, promittit sed id quod debet, reddere decreuit. Ego itaque cùm te à fornicatione abstinere, & castitatẽ tenere moneo non votum exigo, sed debitum quæro. Quod autem dicis, infirmus sum, à muliere abstinere nõ possum, discute quod dicis, vide vtrum pro certo possis. Credo enim quòd posses, si velles, posses. Si tãtum Deum, quantum oculum tuum diligeres.*

9. *Ecce tibi facio quæstionem, da verum responsionem. Si modò tentatio superueniens, te ad luxuriam prouocaret, si diabolus instigaret, si caro titillaret, si etiam mulier impudenter & irreuerenter se ingereret, & se totam ad peccandum exponeret, tunc in ipso tentationis ardore, si pro certo scires, quod oculum perderes, si cum ea peccares, dic pro Deo, quid faceres? Nónne statim horror quidam, per corpus diffunderetur, & ardor ille libidinis, qui te totum occupauerat, sopiretur? Nónne ipsam mulierem abhorreres? Nónne & pugno eam percuteres? Modò attende, quid soles dicere: vellem abstinere, si possem. Ecce potes, quia oculum perdere times. Quod potes per oculum, non potes per Deum: nisi quia plus diligis oculum, quàm Deum. Nam plus valet oculus, quàm Deus. Noli itaque dicere, quod soles. Vellem videlicet abstinere, si possem: Imò dic possem, si vellem. Corrige voluntatem, & dilige castitatem, & continendi accipies potestatem. Si autem te profiteris infirmum, quare non curris ad medicum? Si pateris infirmitatem, cur non amplecteris sanitatem? Si te conspicis impotentem, quare non suscipis omnipotentem. O infelix, respice teipsum, & despice, suspice & suscipe. Ipse totum erit, si ad te venerit, ipse curabit, ipse sanabit, & ipse virtutem præstabit. Ipse enim medicus, ipse salus, ipse etiam virtus, ipse sanitas. Acquiesce nostro consilio, & dimitte fornicationem, & fac castitatis promissionem, & sic accipies communionem. Si vnum elegeris, aliud habere non poteris. Elige ergo quod vis. O filij hominum intendite, quid hic socius vester, respondeat, videte quid eligat. Si, inquit, aliter communicare nequeo, nisi castitatem promittam, melius volo differre communionem, quàm vltra meum posse ferre promissionem. O stulta responsio. O Iudaica electio. Quid responderunt Pilato Iudæi? Non hunc, sed Barrabam. Quid respondit filius hominis sacerdoti? Si verborum eius discutimus sensum, quid aliud respondet, nisi non Christum, sed scortum? Quid enim aliud dicit, quam dicit: Melius volo communionem differre, quàm castitatem promittere. O quàm periculosum differre. O infelix hic differre, quando potes scire ferre? Nónne melius tibi esset tentationem suf-*

ferre, quàm communionem differre. Sufferentia quidem tentationis, faceret te beatum, ista verò communionis dilatio non absoluit, sed auget reatum; Beatus enim qui suffert tentationem. Sed væ illi, qui pro amore peccandi, differt communionem. Abnegate filij hominum Iudaicam impietatem, sequimini Christianam pietatem, diligite iustitiam, mundate conscientiam. Si vultis æternam euadere damnationem, fugite fornicationem. At vos miseri, non solùm præsentem & insistentem non repellitis, sed quod peius est absentem quæritis, fugientem retinetis. Sed quid est fugere fornicationem, nisi euitare occasionem fornicandi, hanc ergo fugite, Christum eligite, quatenus in præsenti vita, dignè percipiatis eius communionem, & in futura vita ad ipsius possitis pertingere possessionem. Supradicta omnia ex D. Innocentio.

Iac. 1.

Postponunt Christum Barrabæ. TERTVL.

10. Similes postponunt Christum Barrabæ, imò diabolo, iuxta illud Tertulliani de pœnitentia cap. 5. *Nónne diabolum Domino præponit, comparationem enim videtur egisse, qui vtrumque cognouerit, & iudicato pronuntiasse, eum meliorem, cuius seruus esse maluerit.*

Mali, peccatis suis iterum Christum sibi crucifigunt.

§. IV.

Peccator sibi iterum crucifigit Christum.

DROGO.

1. SImiles Christum crucifigunt, qui se iterato peccato submittunt, & ea liberè incurrunt peccati damna, à quibus cruce, & morte, liberati fuêre. Quam ad rem, sic cum Christo crucifixo, opportunè locutus est Drogo de Domin. Passion. Sacram. *Fecisti ergo mihi de corpore tuo speculum animæ meæ, nesciebam contumelias, & terrores, & colaphizantem me incessanter Sathanam, nisi viderem artem medicinæ tuæ, similia similibus curantem, & appendentem in staterâ. Hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam. Dedisti corpus tuum percutientibus, & genas tuas vellentibus, faciem tuam non auertisti à conspuentibus in te. Vt alapa tua alapas meas remoueant, & flagella flagellis expientur: & opprobria exprobrantium quæ ceciderunt super te, auferant à me opprobrium sempiternũ* &c. Alapas nostras, suis alapis amouit, & opprobria nostra opprobriis suis, &c. & iterum peccato subdimus colla? Adhæc sapienter D. Gaudent. tra. 12. ait: *Itaque conseruemini, ne author malarum cupiditatum diabolus, iterum principetur in vobis: eius crudeli regno, iterum nos subijcientes, in contumeliam redemptoris, vnde meritò conqueratur exprobrans: Quæ vtilitas in sanguine meo, sine causa meus pro vobis sanguis effusus est si ita vos geritis.*

2. Vel dicito, illos rursus sibimet filium Dei crucifigere, quod quæ ipse, tanto studio, tanto labore, & dolore, in corpore suo damnauit, nam *de peccato damnauit peccatum in carne*, ad Rom. 8. Iterum approbent atque confirment, & quæ ipse probauit, vituperent: ipsumque quasi frustra cruci fuisse suffixum, si non verbis, at vitâ, & moribus testentur. Quę verò Christo acerbior crux, quæ grauior ignominia, quæ crudelior mors, quàm eum quantum est in peccatore ad peccata redeunte, prorsus interimere & ostentui habere. Iudicum 2. dicitur, *Mortuus est Iesus, filius Naue.* Cùm hic Iesus, typus fuerit Iesu Saluatoris nostri, quærit Origenes, qualiter de illo dicatur, mortuus vel defunctus est Iesus, & respondet quòd Iesus in illis dicatur mori, & crucifigi, qui sæpius pœnitent, & iterum delinquunt, accipe eius verba, sic enim loquitur hom. 2. in lib. Iud. *Recitatus est nobis etiam Iesu obitus, & ille quidem filius Naue, qui defunctus est, nihil mirum. Natura namque, quod debebatur, exsoluit. Verùm quoniam institueramus hæc, quæ de filio Naue legebantur, ad Dominum nostrum Iesum Christum referre, videndum est quomodo etiam de ipso dici cõueniat, quia defunctus est Iesus. Ego arbitror secundum scripturæ auctoritatem hoc loquens, quod in quibusdam viuit Iesus, in quibusdam verò defunctus est, in Paulo viuit Iesus, & in Petro, & in illis omnibus, qui meritò possunt dicere, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Et iterum dicit. Mihi autẽ viuere Christus est, & mori lucrum. In istis ergo talibus Iesus viuere meritò dicitur. In quibus autem defunctus est Iesus? In illis sine dubio qui sæpe pœnitendo, & iterum delinquẽdo, velut insultare morti Iesu dicuntur. De quibus scribens ad Hebræos dicit Apostolus: Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Vides ergo quia in peccantibus non solùm defungi dicitur Iesus, verùm & crucifigi ab eis asseritur & illudi: Sed & tu ipse considera apud te, siquãdo de auaritia cogitas, & cupis aliena diripere nunquid potes dicere, quia viuit Christus in me? Aut si de stupro cogitas, si furore exagitaris, si liuore succendebas, si inuidiâ stimularis, si temulentiâ debaccharis, si superbiâ extolleris, si crudelitate grassaris, nunquid potes in omnibus dicere, quia Christus viuit in me. Sic ergo in peccantibus defungitur Christus, pro eo quòd nihil in eis iustitia, nihil patientia, nihil veritas, & omnia illa quæ Christus est, operantur. A sanctis verò quæcumque fiunt, Christus ea dicitur operari, sicut & Apostolus dicit: Omnia possum in eo qui me confortat Christus, sed & ipse Dominus in Euangelijs de hoc distinctionem pulcherrimam dedit, cùm dicit. Quicumque confessus me fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cælis. Qui autem negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo. Vidisti quia confitentes in semetipso dixit confiteri, & quasi quòd ipse in eis viuat, & operetur opera vitæ. In ijs autem qui negant, non tenuit eandem verbi similitudinem vt diceret, quia qui negauerit in me, & ego negabo in eum, sed qui negauerit me, coram hominibus, & ego negabo eum coram patre*

ORIG.

patre meo, vt ostenderet quia qui negat quidem se, extra ipsum est, qui autem confitetur, in ipso est. Propterea ergo & hic scriptura dicit, quia cùm defunctus esset Iesus, exsurrexit generatio alia post eos, qui non scierunt Iesum, & opera quæ fecit in Israel, & fecerunt filij Israel malum ante Deum. Omnipotens dominator Deus, nunquam accidat nobis, vt Iesus Christus postquam surrexit à mortuis, rursum moriatur in nobis. Quid enim mihi prodest si in alijs viuat ex virtute, & in me moriatur ex infirmitate peccati? Quid mihi prodest, si in me, & in meo corde, non viuit, & si in me opera vitæ non perficit? Quid mihi prodest si apud alium, ex bonis studijs, ex bona fide, ex bonis operibus pascitur, & perficitur, apud me autem, & in meo corde, per multas cogitationes & desideria nefanda per studia pessima, suffocatur quodammodo, & necatur? Vide enim quid addit scriptura. Quia surrexit, inquit, generatio alia quæ non cognouit Iesum, & opera quæ fecit magna. Generatio illa, quæ non cognouit Dominum Iesum, ista est malarum cogitationum, & pessimarum cupiditatum, quæ procedit ex corde. Ista est generatio, quæ non recognoscit Dominum Iesum, neque opus manuum quod fecit in Israel. Vides quia peccatores, eousque perueniunt, vt & opus illud magnum & præclarum, quod fecit Dominus obliuiscantur, quòd crucifixus est pro peccatis nostris & resurrexit propter iustificationem nostram. Hact. Orig.

3. Vel dic peccatorem, Christum sibi crucifigere, quia non solùm facit ea, propterque Christus crucifixus est, sed quoniam quoties peccat, toties dat causam Crucis, & mortis Christi. Quare nisi Christi mors tam efficax fuisset, vt ad omnia omnino peccata post quantatuis sæcula, futura, & iteranda, se extendisset, oporteret Christum, toties mori, & crucifigi, quoties peccant homines, sicut Aaronica sacrificia, & victimæ, toties mactari, & offerri debebant, quoties Iudæi peccabant. Cùm ergo peccas quantum in te est, das occasionem, vt iterum Christus crucifigatur. Iustè Dominum de te conquerentem inducit D. Bernardus. *Nonne satis pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggrauant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.* Pulchrè Damascenus lib. 4. *Per nihil autem tantum Christi passio renouatur, sicut per peccati reiterationem.*

BERN.

4. Vel dic, peccatorem Christum iterum crucifigere & persequi, dum exemplo prauo, animas à Christo auertit, iuxta illud eiusdem Damasceni lib. 4. *Si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, nónne videtur tibi grauiorem ab eo sustinere persecutionem, qui exemplo pernicioso auertit animas, quas redemit, quàm à Iudæo qui sanguinem eius fudit?* Neque solùm sunt crucifigentes sibimetipsis filium Dei, sed vt ait Paulus ad Hebr. c. 6. *Et ostētui habentes*, siue secundum græca, *paradigma*, siue, *exemplum statuentes*, quod ab omnibus videatur, & rideatur, hoc est, infamantes, irrisione & ludibrio exponētes, vnde Syrus habet, *contemnētes, despicientes, contumeliā & ignominiā afficientes*, qui enim in peccata relabitur, hoc ipso contemnit, vilipendit, & ridet Christum, Christique crucem, & redemptionē, atque hoc ipso, caussa est, vt Christus, in exemplū ludibrij, gentilibus, omnibusq; hominibus proponatur, vtque gentiles dicaces, & maleuoli, irrideāt Christum, Christique legem, & Ecclesiæ, sicut Iudæi irriserunt Christum, in cruce suspensum.

DAMASC.

Quanta ingratitudo hominis Christi passionem sic renouantis.

§. V.

5. O Si Christus iam doloris capax esset, quanto iure, de peccatoribus grauiter conquereretur, ob renouatos toties sibi passionis suæ acerbissimæ dolores. Pulchrè, & piè Augustinus serm. 67. de tempore, introducit Christum exprobrantem. *Cur me grauiori criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, afflixisti? grauior enim apud me; tuorum peccatorum crux est, in qua inuitus pendeo, quàm illa, in quam, tui misertus, mortem tuam occisurus, ascendi. Cùm essem impassibilis pro te pati dignatus sum, sed tu despexisti in homine, Deum: in infirmo, salutem: in via, reditum: in cruce, vitam: in suppliciis, medicinam:* Quod pagani & infideles, qui Christum non nouerunt, in eum delinquant, illi contradicant, illum pro scopo habeant, in quem ferantur eorum contradictiones, non tanto afficit Christum dolore; at quòd Christianus, qui cognitionis eius lumine illustratus est, & tot tantisque nominibus ipsi deuinctus, insurgat in eum, & prior persequatur atque hastam validè vibret, contra eum, id plurimam molestiam adfert Deo.

Meritò conqueritur de Christianis Christus, quòd eum sibi iterum crucifigant.

AVGVST.

6. Tametsi plerique doctores Ecclesiæ S. Augustin. S. Theodoretus, Incognitus, & alij declarent verba Psalmistæ Psalm. 54. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi* &c. *Tu verò homo vnanimis*; de Iuda, & applicent ea Iesu Christo, qui causatur de Iuda, quòd cùm domesticus suus, & Apostolus esset, vendiderit, & tradiderit Iudæis: tamē paraphrasis Chaldaica, ad litteram tribuit ea Dauidi; & explicat de conspiratione Achitophel, qui cum inter antiquiores famulos Dauid primus esset, ipsi conuixisset, in consiliarium assumptus esset, Regique gratus haberetur, nihilominus aduersus eum conspirauerat, & pro filio ipsius decertabat, arma assumens aduersum maiestatem Regiā, in ipsius proprio regno: *Tu Achitophel, homo secundum ordinem*

AVGVST.

venandum zonę Basilij Macedonis Constantinopilitani Imp. infixo, eum cornibus suspensum, haud sine præsentissimo vitæ periculo, per syluarum & arborum angustias, ac densitates, sublimem gestabat. Ibi quidam accurrens, ense, dissectâ zonâ, Imperatorē eripuit: sed quam is liberatori salutis mercedem reddidit? non aliam quā capitis abscissionem; specioso sanè prætextu quod ensem, contra imperatoriam Maiestatem strinxisset. O ingratum, ô beneficij immemorem Tyrannum. Hærebas tu, ô homo, in imis dęmonis infernalis faucibus, venit Christus impensâ vitâ suâ, & sanguine sudato, te eripuit, & nullam gratæ mentis vicissitudinem sed innumeras potiùs quotidianorum criminum tuorum offensas recipiet? absit hæc à nobis ingratitudo. Sic Fornerus.

11. Dices fortasse, tibi neutiquam persuasum esse, (vt hac ratione, velut pallio, vel potiùs exiguo velo, tegas nefandam tuam ingratitudinem) quòd læthaliter peccando Christum crucifigas, quamuis probè scias quòd læthaliter peccando, animam occidas. Quòd autem Christus semel crucifixus fuit, id præsertim imputandum Adami peccato, quod posteros eius omnes, reos æternæ damnationis effecit. Sed grauissimè falleris, ô Christiane, & ob peccatum Adami, crucifixus, & mortuus Christus, & ob peccatum tuum, crucifixus, & mortuus Christus. Crucifixit eum Adam, dum peccauit, crucifigis eum, vel potiùs rursus crucifigis Christum, dum peccas: vt tibi illud persuadeam, do Doctrinam, quam eum in finem adfert Garcias, in Euangelico concionatore, discursu 107. Principio, ait, quid sit peccatum, quod mortale communiter dicitur, excutiamus. Mortale peccatum illud dicitur, rem agere, ob quam mors Christo obueniret, vel ipse, vt illud mederetur, iterum atque iterum mortem oppeteret. Scio te tam graue malum auersari, inficiarique peccatum tuum, non intulisse mortem Redemptori. O frigida respondendi ratio! Euincam, ni fallor, te Christi peremptorem nefarium extitisse: Cùm tres aduersarij, bene ad bellum comparati, vnum hominem aggrediuntur, post pauca contumeliæ verba, ad vim, ad manus, ad arma cōfugiunt. Primus cęsim humerum percussit, ab altero punctim vulnus in præcordiis excepit. Tertius verò, sublato sursum ense, plagam in caput direxit: hic caput velut malum punicum diuidit, ille armum à tergo seiungit, alter verò cor ipsum quasi spiculo confodit. Verum est, hos tres hominem istum interfecisse, sed æque verum est, quemlibet eorum, suo sigillatim vulnere, facinus perpetrasse. Nam licet alia vulnera defuissent, cuiuslibet plagā potens fuit acerbam illi inferre mortem; non secus ac formoso iuueni, & improbo Absalon fertur accidisse: nam tres lanceas, sic dux exercitus Ioab in illum intorsit, vt quamlibet in intima cordis, pariter inferret. *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.* 2. Reg. 18. Sic ergo contra Deum se habet hoc, quod sæpe, audis, & sæpius committis læthale peccatum, quod sic appellatur, non solùm quia animam spiritualiter perimit. (aliquam enim iam emortuam inuenit, per aliud peccatum priùs commissum) sed læthale dicitur, quia quodlibet, tantam in se prauitatem habet, vt Christum de vita exturbare, de medio tollere potens sit. O miser & verè deplorande peccator, quàm aduersa & absurda causa tibi est, quoties in peccatum ruis? Audi tamen, dum hanc (quæ contra te est) veritatem, ex tuis verbis extorqueo: tu in hac parobola iudex esto. Armatus eques nobilis noctu pallio obuolutus per viam ciuitatis, concursat; eâdem autem, quâ pergit viâ, occurrit illi ignobilis, & vulgatus homo, vbi post verborum contentionem, venitur ad arma; ignobilis omnem in primo ictu vim contulit, & in caput vulnus direxit: quod cùm ærea casside bene munitum esset, ictus à capite, in humerum decidens, humerum percussit. Estne hic reputandus homicida? adsint Theologi, consulantur peritiores; omnes, vno ore, homicidam vocant, & vt homicidæ crimen in confessione aperit, illique homicidij pœnitentia iniungitur: quia quod ex se fuit, læthale vulnus, prætendit, etsi non intulit. O homo ad malum audax! O fœminæ miserrimæ, vanissimarum rerum pertimidæ! ego ostendam vobis, quem paueatis. Quid est peccare? Vtique in Christum manus inijcere sacrilegas: peccando enim manus in caput Christi tulisti; sed cùm caput Christi Deus sit, galeâ diuinitatis præmunitum & tectum: vis illa nefaria, quæ in capite effectum non est sortita, in humerum humanitatis, passibilem, & inermem, plagas mortiferas intulit, ita vt nec diuinitatis gloria, nec loci immunitas, nec altissimum Deitatis effugium, ad quod quasi in sacrarium se contulerat (de quo DD. *Altissimum posuisti refugium tuum*) illi securum præsidium fuerit; quin potius ibi aram tenentem sacram ipsum Deitatis domicilium, ingressam animam Christi sanctissimam, cruci, clauis, spinis, lanceâ cōfodisti, & confixisti. Vide quo te scelere deuinxisti: vide manus nefarias, sacro madentes sanguine; lege contra te conscripta volumina quæ te criminis autorem faciunt, Sic ille. Non solùm ergo animam occidis dum peccas, sed etiam Christum crucifigis.

12. Et quid mirum quòd non parcas Christo, cùm non animæ tuæ parcas, quid mirum quòd non horreas crucifigere Christum, cùm non horreas vendere, fœdare, dila-

Non solùm ob peccatū Adami, sed etiam propter peccata nostra crucifixus est Christus.

GARCIAS.

rursum lanceis peccatorum suorum, confodiant. Si homo iste non præteriens, sed ex aduerso, Christum consideret, mox in hæc verba prorumpet, & respondebit: Etiamsi appenderetis in manibus meis, mille argenteos, imò vniuersum orbem, nequaquam mitterem manum meam in Christum, æterni regis filium, ipse enim Rex præcepit nobis, vt illum audiremus, ipsique obtemperemus.

Cur tempore carnisprivij proponat Ecclesia compendium passionis Christi.

15. Hanc ob causam proponit Ecclesia tempore carnisprivij, siue bacchanaliorũ, Euangelium summam continens, & quasi breue compendium existens amarissimæ passionis Christi, vt eam ex aduerso intuẽtes, & in ea considerantes peccati grauitatem, à peccatis abstineamus, nec iterum Christum nobis crucifigamus, quò quidem fræno nisi à peccatis deterreamur, certè testamur nos in extremam venisse dementiã. Refert Clemens, Alexandrinus Grecorum bella, maximè cùm Vlysses insaniã simulauit, & arenam arando insistebat, ipsi verò vt eius insaniam deprehenderent puerum filium inter sulcos collocare decernunt: nam si inter arandum viso filio, bestias pergere, & aratrũ figere sinit, furit sine dubio. Peccator ingrate ponit hodie Deus Pater per Ecclesiam proposito hoc Euangelio filium Iesum Christum inter sulcos nostrarum iniquitatum vt eas cohibeat & frænet, & tu interim eum proteres, pessundabis & conculcabis, ô quam extrema foret hæc insania, & quòd Christiani in eam incurrunt & incidunt meritò lamentabili voce ad patrem sic Christus declamat per prophetam Ps. 128. *Supra dorsum meũ fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.* Hebraicè, *dorsum meum arauerunt aratores & produxerunt sulcum suum.* O grauem insaniam ô nefandam ingratitudinem.

Arietis ingratitudinem imitatur Christianus.

16. Prouerbij loco est, *Aries alituram rependit*, quo extrema designatur ingratitudo, est enim ea natura arietis, vt bene pastus, & saginatus cornibus petat, & confringat muros, ac parietes stabuli. O Christiane, quàm verè de te dici potest, *Aries alituram rependit*, dum Christum à quo pasceris propria eius carne, rursum peccando vulneras, & crucifigis. Nunquid non Christus nobis est instar parietis & muri, quo humanum genus obumbratum, aduersus spicula, & sagittas, ictusque, & verbera à diuina iustitia, peccatori meritò infligenda? & quid agit peccator, dum peccat, parietem hunc, atque murum, Christum ipsum, peccatis suis, tanquam cornibus petit, & iterum confringit. O Christiane, sic alituram, & tot accepta rependis beneficia?

Ad Christum confugimus in malis constituti, illis cessantibus Christum negligimus.

17. Olim Themistocles, vt populi Atheniensis ingratitudinem exaggeraret, seipsum similem dicebat platanis, vt refert Plutarchus in apoph. sub harum siquidem vmbra, accurrunt homines afflicti tempestate, & easdem, simul vt redit serenitas, vellunt, lapidibusque petunt, iudicans hunc esse populi morem, vt belli periculis, implorent opem fortium virorum, in pace verò contemnant, vexent, in exilium mittant, & occidant, ô Christe, Saluator hominum! eorumque refugium in tempestate, & tribulationibus, quanto iure comparas te platano exaltatæ iuxta aquas, habent enim in moribus peccatores, vt dum premuntur morbis, dum ingruunt bella, dum pestis sæuit, ad vmbram & protectionem tuam accurrant, te suspiciant, & honorent: at transacta hac tempestate, dum sanitate, & pace fruuntur, hoc carnisprivij tempore, ô quam te peccatis, & sceleribus, dilacerant, & vexant!

Meritò dicere potest Deus malo Christiano quod dixit Caino: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

18. O Christiane nónne meritò æternus Pater, dum toties videt te effundentem Christi sanguinem, rursumque tibi Christum crucifigere, dicere potest, & vsurpare, quod impio dixit Caino effundenti sanguinem Abel fratris sui, *vox sanguinis fratris tui*, Christi, *clamat ad me de terra.* Et putas quòd hunc sanguinem, tam inhumaniter effusum, & contemptui habitum, non vindicabit aliquando? Impotentissima quæque & imbecilla animalcula, non patiuntur inultam transire iniuria, in paruulis illatam, & patietur æternus Pater inultam transire tantam iniuriam, filio suo illatam? Aquila raptos pullos cuniculi, detulerat in nidum suum, quem in altissima arbore fixerat: at mœsta mater, vt suis parcat, per omnes illam Deos, miserorum curatores, obtestatur, sed aquila cuniculi precibus contemptis, & despecta humilitate dilacerat pullos cuniculi, & suis præbet discerpta membra. Hic verò dolore, & irâ commotus, suo cum genere conqueritur aquilæ vim, & vt quisque sibi idem, quod ipse pertulerit, accidere posse cogitet, neque illud facinus impunè ferre aquilam sinant. Ita concordi illi studio, ad eruendam arborem, in qua nidularetur aquila, conueniunt, & egesta à radicibus illius terra, omnique circum eam solo, specubus excauato, ita impulsa arbor, leui flatu, postea in terram posternitur, at pulli aquilini, partim ruinâ; partim raptu terrestrium ferarum interire orbitati cuniculi gratissimum spectaculum, præbuere. Docet fabula, nequis potentiâ aut viribus fretus, alium quemlibet despiciat, nam & infirmitatem sæpe acceptas iniurias vlcisci. Si infirma se vlciscantur: an non vltionem sumet Deus ab eo, qui filium suum, peccatis suis, dilacerat, & crucifigit? Contremisce. O peccator, sic crucifigere filium Dei.

Absit à te, ô Christiane, vt Christũ necare audeas.

19. Semper insonet auribus tuis vox: Túne homo Christum necare iterum & crucifigere audes? de Mario refert Plutarchus quòd cùm placuisset Minturnensium principibus, atque Senatoribus,

Marium necandum, & nemo ciuium in se recipere vellet facinus, eques quidam, Gallus natione, siue Cimber (nam vtrumque fertur) sumpto gladio, ad Marium ingressus est, in cubiculo vmbroso, & lucem non admodum claram admittente, recumbentem. Fertur ibi ex Marij oculis, multas flammas emicare militi visum fuisse & ex vmbroso loco, magnam vocem exauditam. In hæc verba: *Túne homo C. Marium necare audes?* Itaque barbarus statim è domo profugit, abiectoque gladio, per fores se proripuit, id tantum vociferans: *Non possum, C. Marium interficere.* Insonet, ô peccator, hæc vox semper auribus tuis, dum ad peccandum te disponis, Túne homo crucifigere rursum Christum audes? Et mox omnis peccandi libido cessabit, clamabit, non possum, rursus interficere Christum, eumque mihi crucifigere.

Qui Christum iterum sibi crucifixit, summam habet sese humiliandi materiam.

20. Tantum autem malum est, peccatis suis, Christum denuo crucifigere, vt vel hoc solum considerato, materia abundè homini subministretur, sese humiliandi, nec alicui creaturarum, sese præponendi iuxta illud S. Francisci, relatum in eius opusculis ac verbis sacræ admonitionis cap. 5. tomo 1. *Attende, ô homo, in quanta excellentia te posuit Deus, quia creauit & formauit ad imaginem dilectissimi filij tui, secundum corpus, & ad similitudinem suam secundum spiritum. Et omnes creaturæ, quæ sub cælo sunt, secundum se seruiunt, cognoscunt, & obediunt creatori suo, melius quàm tu, & dæmones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum, & adhuc crucifigis, delectando te, in vitiis & peccatis, vnde ergo potes gloriari?*

Quanta Christi misericordia, dum peccatoribus, tam ingratos sese exhibentibus, non desinit benefacere, vt vel sic eorum corda emolliat & conuertat.

§. VII.

1. VErùm dum à peccatoribus taliter contempta, concussa & dilacerata, & omnibus modis malè excepta est arbor illa cælestis, Christus Dominus, an desinit dare fructum ingratissimis peccatoribus, an retribuit mala pro malis? Absit, verùm pro malis retribuit bona, nimirum naturam imitatur arboris fici, vel nucis, quas, quò magis percusseris vel dilacera- ueris, eò abundantiores dicuntur ferre fructus. O insignem Christi misericordiam, vnde meritò Dauid propriam excitat animam, vt gratias referat Deo, non tam ob beneficia quæ tribuebat, sed magis ob beneficia quæ pro collatis malis, retribuebat: *Benedic*, ait Psalm. 102. *anima mea Dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Expendit D. Augustinus, in hunc locum, Dauidem non dicere tribulationes eius, id est, beneficia quæ Deus absolutè confert, quamuis æternâ sint digna gratiarum actione, sed retributiones, id est, beneficia, quæ in commutationem malorum nostrorum operum, nobis confert. Quid ô peccator à te recipit Christus? Nónne omnis generis dedecora, dum exhibes omnia membra, omnes sensus, omnes potentias, seruire peccato & iniquitati? Nónne quoties peccas, Christum toties peccatis tuis iterum tibi crucifigis? Et quid pro his tibi retribuit Deus? Dat solem qui illuminet de die, lunam quæ noctis repellat tenebras; terram, quæ fructus largiatur; aërem qui refrigeret, ignem qui calefaciat, angelos qui custodiant, inspirationes suas, quibus ad cor tibi loquitur, offerens pacis fœdera, veteris amicitiæ renouationem: quod amplius, fugientem quærit, prouocantem ad iracundiam, patienter expectat ad pœnitentiam; rebellem sustinet, venundantem se sub peccato, vocat ad libertatem filiorum Dei, & sagittis suis cælum oppugnantem, afficit & cumulat beneficiis. *Noli obliuisci omnes retributiones eius.* Sed D. Augustinum hæc pensitantem accipe: *Non ait, quæ tribuit mihi; sed, quæ retribuit mihi. Retribuisti tu mala pro bonis, & retribuit ipse bona pro malis. Quomodo retribuisti tu ô homo Deo mala pro bonis? Qui prius fuisti blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, retribuisti blasphemias. Pro quibus bonis? Primo quia es cùm non esses, sed est & lapis: deinde, quia viuis, sed viuit & pecus. Quid retribues Domino pro eo, quòd super omnia pecora, & super omnia volatilia, fecit te ad imaginem & similitudinem suam? Noli quærere quid ei retribuas. Similitudinem ipsius retribue illi, non plus quærit, minimum suum exigit. Tu autem pro gratiis agendis, pro humilitate, pro obsequio, pro cultu religioso, id est, pro his omnibus bonis quæ debebas Deo tuo, pro bonis quæ accepisti, quæ dixi, retribuisti blasphemias. Quid ergo ille? Confitere, ignosco. Retribuo & ego, sed non quod tu retribuisti. Tu retribuisti mala pro bonis, & ego retribuo bona pro malis. Cogita ergo anima omnes retributiones Dei, cogita omnia mala facta tua. Quàm multa enim mala facta tua, tam multa bona retributiones eius.* Hæc Aug.

Tanta est Christi misericordia, vt pro illatis sibi malis peccatori rependat beneficia.

AVGVST.

2. Quis nescit, quàm indignos omnibus Dei beneficiis se exhibuerint primi parentes

Qualiter post lapsū, Deus benefecerit primis parentibus.

tes

tes, post diuini mandati in paradiso transgressionem? & tamen quàm benignum quàm beneficum non se illis exhibet Deus? quando in infernum detrudere debuerat, nuditatem eorum misertus: *Fecit*, ait Scriptura Gen. c. 3. *quoque Dominus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Vide diuinam benignitatem*, ait Caietan. *erga primos parentes quamuis inobedientes ei, quòd nec inter puniendum omittit prouidere singularissimâ curâ, vt qui seipsos reddiderant indigentes veste, nec haberent vnde se vestirent, habeant vestes diuinitus factas.* At, inquies, iam sibi fecerant primi parentes perizomata ex folijs fici quibus iam operti erant, quid opus ergo erat Deum illis facere tunicas pelliceas, pellesque illas de nouo creare, vt tegatur nuditas eorum? Respondeo, præuidisse Deum quòd perizomata illa licet nuditatem obtegerent, frigus tamen depellere non valerent, postquam eiecti de paradiso, venissent in terram, vbi frigori, pluuiæ, glaciei, cæterisque temporum inclementijs essent obnoxij. Prouidit itaque illis Dominus de tunicis pelliceis, quibus non solùm turpitudo celaretur, sed & pœnalitas arceretur. Pulchrè Lippomanus in catena. *Non igitur destitit à beneficijs, misericordia Dei, etiam peccatores induendo pelliceis tunicis, quas simpliciter intelligi arbitramur, non tam indignum beneficium creatori, sicut nec aliarum rerum productio, quasi diceret: Imprudenter prouidistis vobis, opportuniorem vestitus rationem indicabo vobis.*

LIPPOMANVS.

Dubitari solet, cur permiserit Dominus interesse cœnæ Iudam, illique corpus, & sanguinem suum contulerit, qui illum sanguinem vendere tantopere procurabat? Audi D. Chrysostomum hom. de Iuda: *Et præsens Iudas erat ista Christo dicente: Hic est sanguis meus. Dic Iuda, quem triginta denarijs vendidisti, iste est sanguis, de quo antea cum Pharisæis pacta fecisti? O Christi misericordia! O Iudæ dementia! Ille eum triginta denarijs paciscebatur, vt venderet, & Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat.*

CHRYSOS.

Nobis etiã post varia commissa scelera, non desinit Deus conferre beneficia.

3. Vtinam quod in Adamo expendimus, etiam in nobis ipsis consideremus. Quoties non Deum, post accepta ab eo innumera beneficia, offendimus suisque beneficijs quasi quibusdam armis oppugnamus? Quoties nô eum de nouo crucifigimus? an ideò intermittit Deus, an ideò negligit, nos varijs perfundere beneficijs? Absit. O summa Dei clementia! ô summa benignitas! ô summa suauitas! Qui fieri poterit, vt homo tam durus existat, quòd hoc videns, non sese à peccatis contineat, à peccatis abstineat, & ad Deum planè conuertat?

Consideratio diuinorum beneficiorum ingerit pudorem culpæ.

ABSOLON.

Qualiter consideratio diuinorum beneficiorum ingerat pudorem culpæ pulchrè docet Abbas Absolon serm. 12. in Epiphan. quo loco expendit Deum tres legatos mittere ad homines in Ægypto, id est, in tenebris peccati commorantibus, vt ex Ægypto velint transire ad Iudæam, id est, peccatorum suorum confessionem, hisce vsus verbis: *Dum peccatores non volunt exire Ægyptum, id est, peccati tenebras, Deus mittit eis legatos in Ægyptum tres, quos non incongruè timorem gehennæ, pudorem culpæ, præsumptionem veniæ possumus intelligere. Peccator enim in profundo vitiorum positus dum recogitat supplicia videlicet carcerem illum tenebrosum fletus & stridorem dentium, catenas ferreas, vincula indissolubilia, quibus impij membris omnibus sunt alligandi, vermem qui non moritur, ignem qui non extinguitur, terram illam obliuionis, in qua præ angustia suppliciorum damnati non possunt Dei reminisci eò quòd iuxta Prophetam non sit in morte qui memor sit tui, dum, inquam, omnia ista peccator in Ægypto vitiorum positus ante oculos suos statuit timore compungitur, & ipsa scelera sua abhorrere incipit pro quibus obnoxius tenetur tantis generibus suppliciorum. Istum nuntium, quem timorem diximus, alius in vestigio sequitur, videlicet pudor culpæ. Dum enim impius quilibet Dei recolit erga se beneficia, quòd eum in vitam istam perduxit, quòd eum sanguine suo de morte redemit, quòd eum habuit in periculis defensorem, in paupertate largitorem, quòd tot beneficijs temporalibus eum consolatur, quòd æterna præmia repromittit, dum, inquam, ista recolit pudet eum culpæ per quam offendit Dominum Deum suum quem sibi tam propitium, tam beneficum, tam plenum pietatis visceribus meminit erga se extitisse. Ex ipsa autem recordatione diuinæ clementiæ post pudorem, tertius ad peccatorem nuntius mittitur, id est, præsumptio veniæ. Quis enim peccatorum non speret veniam, quando meminit latronis illius confitentis, Mariæ lachrymantis, Publicani pectus suum tundentis, mulieris Chananeæ peccata sua lugentis, Petri denique negantis, Pauli persequentis, qui omnes in plenitudine diuinæ misericordiæ post tanta scelera, non solum veniam, sed & gloriam consecuti sunt. His legatis peccator in Ægypto admonitus transit de Ægypto in Iudæam.* Hactenus ille.

4. Væ peccatori, si tantis non emolliatur Christi beneficijs. Veniet tempus, cùm lignum hoc viride pro mollibus folijs, proferet arma ferrea, quibus quasi vas figuli confringatur. Singulare est, quòd in vitâ S. Bercharij legitur his verbis: *Beati martyris auxilio vigintiseptem virorum impetu cedentibus septingentis, sylua proxima, quàm sibi rebantur auxilio fore, fugientibus causa perniciei, cœpit furore Domini imminente existere: nam frondes vndique super eos cadentes, plurimos vulnerabant, multos interficientes: quidam autem gemitu morientium, casu ramorum, vel foliorum, adeò terrebantur, vt magis certarent, se fruticibus ingerere, quàm iter fugiendi arripere.* Ecce tibi frondes, foliaq; ipsa, si Dominus velit, grauiora telis, & gladijs esse possunt. Qualia putas futura folia, siue verba huius ligni viridis in die iudicij? qualiter putas exprobrabit peccatori detestandam suam ingratitudinem?

Nisi his emolliatur beneficiis peccator, Christus arbor vitæ, pro folijs beneficiorũ proferet illi arma ferrea quibus occidendus.

titudinem? qualiter putas arguet vitam in varijs criminibus peractam? iam non erunt mollia folia Christi, quibus demulceantur, consolentur, & inuitentur ad pœnitentiam, sed arma erunt ferrea, quibus vulnerentur & interficiantur.

5. Interim discant à Christo Christiani, non ideò contrahere manum à præstandis beneficijs ob expertam aliquam ingratitudinem. In similes inuehentem accipe Senecam epist. 81. *Quæris*, ait, *te incidisse in hominem ingratum. Si hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia: ita ne apud alium pereant, apud te peribunt. Non respondeant potiùs, quàm non dentur: & post malam segetem serendum est. Sæpè quidquid perierat assidua infœlicis soli sterilitate vnius anni restituit vbertas. Est tanti, vt gratum inuenias, experiri & ingratos. Nemo habet tam certam in beneficijs manum vt non sæpè fallatur: aberrent, vt aliquando hæreant. Post naufragium maria tentantur; fœneratorem non fugat à foro decoctor. Citò inerti otio, vita torpebit, si relinquendum est quidquid offendit. Te verò benigniorem hæc ipsa res faciat; nam cuius rei euentus incertus est, id, vt aliquando procedat, sæpè tentandum est.* Sic ille. Vide eundem hac de re lib. 1. de benef. cap. 1. & lib. 4. c. 25. 26. SENECA.

Quòd Christus seminatus in terrâ vteri virginalis creuerit in arborem vitæ.

SECTIO VIII.

Quòd Christus meritò arbori vitæ comparetur.

§. I.

1. NOn solùm Christus arbor pulcherrima, verùm & arbor est vitæ. S. Ioan. Apoc. 21. postquam descripsit cælestem gloriam sub similitudine pulcherrimæ ciuitatis, claritate Dei repletæ, habentis murum altùm & magnùm, habentis portas duodecim: *Ipsa ciuitas*, ait textus, *aurum mundum simile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata.* Prosequens deinde cælestis gloriæ materiam, ait cap. 22. *Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni: in medio plateæ eius ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Hoc fluuio symbolicè indicatur cælestis voluptatis copia, quâ sanctos omnes visio beatifica perfundit, iuxta illud Psalm. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et vnde procedit hæc voluptatis copia? *Ex sede Dei & Agni*, id est, ex visione essentiæ diuinæ, & humanitatis Christi. Atque hæ duæ naturæ, diuina scilicet & humana Christi, non solùm sunt fontes, vnde gaudium beatorũ dimanat, sed etiam sunt ipsius fluminis ripæ, quia hisce determinatur, & in hasce desinit omne cælestis ciuitatis gaudium. *Et ex vtraque parte fluminis lignum vitæ.* Per hoc lignum ex vtraque parte fluminis Christum intelligimus: de illo enim sub nomine Sapientiæ, sic Salomon Prouerb. c. 3. *Lignum vitæ est sapientia his qui apprehendunt eam.* Hunc enim locum D. Hieronymus in c. 6. Isaiæ, interpretatur de sapientia incarnata. Sic etiam D. Gregorius 12. Moral. 4. Hæc arbor vitæ ambas fluuij amplectitur partes siue ripas. Nam Christus vnà existens persona in se continet & amplectitur humanam diuinamque naturam, hac beatificans animas, illâ beatificans corpora. Hæc arbor dicitur afferre fructus duodecim, quia à Christo nobis proueniunt innumerabilia bona tam animæ quàm corporis. Christus arbor vitæ.

2. *Folia eius ad sanitatem gentium.* Nam quidquid in Christo reperitur, licet quid minimum; & instar tenuissimi folij, inseruit hominum sanitati, vitamque confert tum animæ, tum corporis. Minima, quæ in Christo reperiuntur sunt valdè salutaria.

3. In homine cuius virtutis est manuum tactus? Certè nullius: at in Christo, hoc folium, quid non operatur? Matth. c. 8. *Extendens Iesus manum, tetigit leprosum, & confestim mundata est lepra eius.* Et eodem cap. tangit Christus manum febricitantis socri D. Petri, & dimittit eam febris, *& surrexit & ministrabat eis.* Matt. 20. Tangit Christus oculos duorum cæcorum, & confestim viderunt, & sequuti sunt eum. Luc. 17. Tangit loculum Christus, *& resurrexit qui erat mortuus. Ideò*, ait Cyrillus, *non solùm verbo peragit miraculum, sed & feretrum tangit, vt cognoscas efficax esse sacrum Christi corpus ad humanam salutem. Est enim corpus vitæ & caro verbi omnipotentis cuius habet virtutem; sicut enim ferrum adiunctum igni perficit opus ignis; sic postquam caro vnita est verbo quod viuificat omnia; ipsa quoque facta est viuificatiua & mortis expulsiua.* Ipse tactus.

4. Cuius efficaciæ & virtutis est in homine oculus? Nullius prorsus: quinetiam oculi prauo humore imbuti, maximè nocent: At oculus Christi, quam non habet virtutem? Petrus Christum abnegauit, non cogitat de sua reconciliatione, respexit illum Iesus, quid subsecutum? *Egressus foras fleuit amarè.* Non mirum, oculus est & visus Christi, in ipso quidem folium, & vt prima videtur fronte res exigua, sed tamen quia arboris vitæ, ad sanitatem gentium. Ipse oculus.

5. In

Ipse halitus. 5. In homine cuius virtutis est halitus? Nullius virtutis in homine est hoc folium; imò interdum astantes inficit: at in Christo summæ virtutis est. Nónne recordaris qualiter Christus post suam resurrectionem contulerit sanctum Spiritum discipulis, ac potestatem remittendi peccata? *Insufflauit in eos dicens; Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. In Christo halitus est folium, sed quia folium arboris vitæ, confert ad sanitatem gentium.

6. Legimus Genes. c. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Cur insufflat in faciem Ambros. hominis vt vitam conferat? Audi D. Ambrosium ad Sabinum: *Nunc intelligo, quâ causâ Dominus Deus insufflauit in faciem hominis, vt sensus nostros aduersus delectationes fortiores redderet.* Similiter Christus insufflauit in discipulos, vt sensus discipulorum aduersus delectationem fortiores redderet. Quàm infirmus erat Petri auditus, qui ad vilius ancillæ vocem Dominum negabat; quàm infirmus eius oculus, dùm non videt Christum post resurrectionem in littore consistentem, quem tamen Ioannes mox ag- Chrysol. nouit. *Tardius*, ait Chrysologus serm. 78. *suum Dominum videbat, qui vocem facilè ancillæ susurrantis audiuerat.* Quàm infirmi discipulorum oculi, qui videntes Christum apprehensum omnes, eo relicto, fugerunt? at postquam insufflauit in faciem eorum Christus, an iam sensibus infirmi? absit, iam sunt robustissimi, ait enim Petrus, *Oportet nos magis obedire Deo, quàm hominibus*, iam vadunt discipuli gaudentes à conspectu concilij, quia digni sunt habiti pro Christo Iesu contumeliam pati. Clamat Sponsa Cantic. cap. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Ecce hoc vnum petit & expetit, nimirum si Dei ori appropinquet, certa quòd Nyssen. de eius halitu nihil non putum retineat, ex quo dicebat Nyssen. homil. 1. in Cantica. *Anima vult Dei ori vitam haurienti os admouere dicens: Osculetur me osculo oris sui, & qui omnibus scatere facis vitam & vult omnes esse saluos, neminem vult eorum qui salui fiunt expertem esse huius osculi, est enim eius osculum purgamentum omnis sordis.*

Ipsa saliua. 7. In homine cuius virtutis est saliua, quam vim habet ad sanitatem præsertim animæ conferendam? nullam omninò. In homine saliua est leue & vile quoddam foliolum, at in Christo folium quidem, sed ad sanitatem gentium. An non recordaris illius cæci à natiuitate qualiter eum sanarit Christus? Expuit in terram & fecit lutum & liniuit oculos cæci, & vidit cæcus ille tam oculis mentis quàm corporis. Et Marci c. 8. legimus. *Et veniunt Bethsaidam & adducunt ei cæcum, & rogauerunt eum, vt illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius, impositis manibus suis; interrogauit eum, si quid videret?* Chrysol. Quod miraculum expendens Chrysologus serm. 176. ait: *Dominico sputo vacuas oculorum replet lacunas, diuino ore luciferam dat salutem.* Ex quo deinde Chrysologus concludit: *Nemo ergo dubitet diuino imbre tota arefacta mortalia membra posse reuiuiscere: cùm videat Domini sputi gutta, arentes cæcitate oculos subitò sic suscitatos in lucem. Exurgent, inquit Isaias, mortui tui, & resurgent qui in monumentis sunt. Quomodo? Ros enim, qui à te est, sanitas est illis: quod est pluuia semini, hoc est resurrecturis Dominicus imber.* Ecce qualiter hoc folium, id est, Christi sputum, siue saliua, fit ad sanitatem gentium, vtpote folium arboris vitæ.

8. Quid precor virtutis in hominis voce? sanè exigua, at Christi vox quia folium arboris vitæ, quam non impertit sanitatem & vitam? Dicit Christus mortuo adolescenti: *Adolescens tibi dico surge, & resedit* & ad vitam redit *qui erat mortuus.* Ipsa vox. Pendens verò D. Basilius Seleuc. orat. 10. verbulum (Tibi) sic scribit: *Cur addidit illud tibi? simplicius enim dictu fuit: heus mortue surge: Sed Saluatoris vox alios fuisset etiam virtute sua mortuos excitatura. Ideò, adiecit illud. Tibi, vt ad eum tantummodò adolescentem mortuum gratiæ suæ vim explicaret.* Basilius Seleuc.

9. Cuius virtutis sunt fimbriæ vestimentorum nostrorum? nullius prorsus, imò si homo per sordida & lutosa incessit itinera, cuicumque admouentur rei, eam sordidant, & contaminant, at in Christo, hoc folium, hæ fimbriæ, maxima operantur, ob maximam quam continent virtutem. Prudens illa fœmina Matth. 9. aiebat intra se: *Si tetigero tantùm vestimentum eius salua ero.* Ecce quam vim credebat inesse vestimentis Iesu. Quid tunc? ait Luc. 8. *Tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis.* In minima & extrema parte vestimenti accepta, credidit se totū salutis fontem ad se trahere, id quod eleganter notat Chrysol. ser. 35. aiens: *Quia in Christo nihil postremum credidit, nihil iudicauit extremum, quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria: hinc est quòd mulier per dorsum peruenit ad faciem, per vestimentum penetrauit interna, & per fimbriam capitis tetigit summitatem.* Sic ille. *In eo*, ait D. Hilarius, *magna virtutis Dominicæ admiratio est: cùm potestas intra corpus manens, rebus caducis, efficaciam adderet sanitatis, & vsque in vestium fimbrias operatio diuina procederet: non enim comprehensibilis erat Deus vt corpore clauderetur. Assumptio namque corporis non naturam virtutis inclusit, sed ad redemptionem nostram fragilitatem corporis virtus assumpsit*, &c. Ipsæ fimbriæ vestimentorum. Chrysol.

10. Cuius virtutis est in homine eius vmbra? nihil tam virtute vacuum, at in Christo hoc folium magnæ virtutis est, nam sanctus Vincentius dicit vmbram Christi dum ferit & tangit latronem, cor eius emolliuisse, mentem illustrasse & conuertisse. Ipsa vmbra.

Ipsa verba.

11. Quid de Christi dicemus verbis? verba nostra quam vim habent ad sanitatem conferendam? nullam, at in Christo folia hæc quam non conferunt corporis & animæ sanitatem. Dicit surdo *Epheta*, id est, adaperire, & apertæ sunt aures. Dicit leproso: *mundare*, & statim curatur à lepra: Dicit mortuæ adolescentulæ. *Thabita*, id est, surge, & surgit quæ iacebat mortua. Dicit mortuo adolescenti. *Adolescens tibi dico surge*, *&* surrexit *qui erat mortuus*. Dicit Lazaro quatriduano: *Lazare veni foras*, & ligatus manibus & pedibus institis foras prodijt. In Christo verborum folia sunt opera. *Ipse dixit & facta sunt*, hæc est differentia inter Dei & hominum verba, quòd hæc ventus sint, illa verò facta atque opera. Exod. cap. 20. legimus, quòd cùm Deus dedisset Mosi legem in monte Sinai. *Videbat*, ait Scriptura, *omnis populus voces*, & alio loco dicit: *Vos vidistis quæ de cælo locutus sum*. Quid voci cum oculis? cum auribus quidem multum per omnem modum, nam auribus percipimus vocem. Pulchrè Philo de migratione Abrahæ, & lib. de decalogo. *Humana*, ait, *vox auditu, diuina visu percipitur. Quare? quia quæcumque Deus dicit, non verba sunt, sed opera, quorum iudicium non tam est penes aures quàm penes oculos.* Verba hominum folia sunt quę rapit ventus, verba Dei longè alia, nam & fructus sunt. *Nemo vestrûm*, ait Bernard. serm. de SS. Petro & Paulo, *sic iudicet verbum Dei, fructus vide sunt verba Dei, non folia, & si folia, folia aurea sunt*. Alludit proculdubio Bern. ad hunc Apocal. locũ, *folia eius ad sanitatem gentium. Tantum dic verbo & sanabitur puer meus*, dicebat Centurio Matth. 8. Non mirum sufficiebat verbum, sufficiebat hoc folium, quia aureum erat, & conferebat sanitatem corporis & animæ, quia folium erat arboris vitæ.

Philo.

Bern.

Verba Dei sunt folia aurea.

Thomas a Kemp.

12. Verba Dei si folia, folia aurea sunt, id est, stabilia sunt, permanentia sunt, de hominum verbis agens Thomas à Kempis lib. 3. de imitat. c. 46. ait: *Quid sunt verba, nisi verba? per aërem volant.* Et quidem qui hominum verbis fidit, non absimilis est illi, qui persequitur aues volantes; Iesu verba sunt aurea, sunt immobilia, sunt stabilia. Nónne Matth. cap. 24. ait: *Cæli & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Clamat Christus Matth. cap. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Hoc Hierosolymitanis Christus dixit, transierunt quidem illi, an cum illis etiam transierunt verba Christi? hactenus stillant laborantibus requiem & sanitatem. Id pulchris verbis explicat D. Basilius Sel. orat. 29. sic scribens: *Audiuit publicanus, venite ad me omnes qui laboratis, & eam vocem sui causa prolatam ratus currebat. Vnus sum, inquit, qui publicanorum grauantur oneribus, iugum tuum subeunt; retia tua exosculor, & factus est publicanus, publicanorum expiatio. Neque orationis Christi efficacia hactenus stetit. Quemadmodum lata sagena in latè fusum mare explicata, vndequaque piscium conuertit examina, sic & peccatorum turba in salutarem vocis illius sagenam incurrunt.*

Basilius Seleuc.

13. Verba Christi folia sunt aurea, id est, maximè medicinalia. Vnde Ambrosius expendens illa verba Lucæ 10. *Appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum*, sic scribit. *Multa medicamina medicus habet iste, quibus sanare consueuit. Sermo eius medicamentum est. Alius eius sermo constringit vulnera, alius oleo fouet, alius vinum infundit. Constringit vulnera austeriore præcepto: fouet remissione peccati: sicut vino compungit, denuntiatione iudicij.* Sic ille. O quot habemus aurea, in sacris Euangelijs, hinc inde dispersa folia? quot protulit Christus verba sanitatem corpori & animæ conferentia? Ambros.

Quòd omnia Christi, verba, sint folia ad sanitatem gentium.

§. II.

14. Vis videre verba quædam Christi sanitatem spiritualem animabus conferentia? Considera vel vnicum illud Euangelium quod proponit Ecclesia in Festo Apostolorum Philippi & Iacobi, desumptum ex Ioannis Euangelio c. 14. Sic enim incipit: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet: Creditis in Deum & in me credite, in domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ecce quot folia aurea ad sanitatem peccatorum.

15. Quid leuius, quid inconstantius, quid magis obnoxium varijs conturbationibus quàm peccator? Rectè dicebat Psalmista Psalm. 29. *Auertisti faciem tuam à me*, ob mea demerita & peccata, & quid inde secutũ? *Et factus sum conturbatus.* Lõgè aliter res se habet in iusto, in cuius persona ait Ierem. c. 17. *Et ego non sum turbatus te pastorem sequens.* Isaiæ 64. sic loquuntur peccatores: *Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Quando folia sunt suæ arbori coniuncta, accipiunt ab ea virtutem & vigorem quibus ventis & tempestatibus resistant, ab arbore verò auulsa, nullam habent cõsistentiam nullam firmitatem, sed ventorum mera sunt ludibria. Idem agitur cum homine, qui folio arboris comparari solet iuxta illud Iob c. 13. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam.* Quamdiu Deo tanquam firmissimæ adhæret arbori, poterit tentationibus resistere, quod si ab eo præcisus fuerit per peccatum, nullam firmitatem habebit, sed in omnem mouebitur ventum. Quare Regius Vates de impijs

Qualiter verba Christi sint folia ad sanitatẽ gentium. Peccator maximè inconstans & varijs obnoxius mutationibus. Folio quod vento rapitur similis.

Rotæ & stipulæ similis.

pijs agens, aiebat Psalm. 82. *Deus meus, pone eos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Quo loco, inquit, Incognitus, quod per rotam hic intelligat quoddam genus herbæ, quæ in pratis nascitur, quæ desuper in summitate producit quandam sphæram, ex omni parte rotundam & albam, habentem pilos subtilissimos ad modum lanuginis, quæ rota ad modicū flatum, statim dissipatur, & remanet calamus eius desuper rasus, ad modū cutis depilatæ. Huic rotæ, seu lanugini peccator similis est, quia sicut talis rota nulla stabilitate fulcitur: sic peccator nullam habet constantiam, sed ad ventum cuiuscumque tentationis absque vlla resistentia mouetur. Quare Sap. c. 5. dicitur: *Spes impij quasi lanugo quæ à vento tollitur, & quasi spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est.* Quid instabilius lanugine vento rapta, quid spuma maris incōstantius, quid fumo faciliùs dissipatur? Sic impiorum spes his rebus nullam stabilitatē habentibus comparatur, quia & ipsi in suis operibus inconstantes sunt & desideriorum fluctibus & flatibus incessanter mouentur. O magnam, ô periculosam animæ infirmitatem. Quid remedij vt non ampliùs turbemur, ne ampliùs fluctuemus, ne omni moueamur vento? Remedium reperies ô peccator, in verbis & folijs Christi aureis. *Creditis*, ait, *in Deum, & in me credite.* Quasi dicat: Si tanquam folia, ab arbore vitæ, id est, Christo, separata, hinc inde à ventis cupiditatum abrepti estis; iam denuò per veram fiduciam per veram fidem charitate ornatam, Christo adhærete, vt folia adhærent arbori, quæ licet adhærentia arbori, aliquatenus moueantur, non tamen à ventis abripiuntur. Idem quoque vobis continget: Non potest hæc vita pertransiri absque aliqua leui perturbatione, nam & homo frustra conturbatur, sed ventorum impetum sequi, sed à ventis in omnem ventum ventilari & abripi, illorum est qui à Christo sunt separati, non autem iustorum, qui succo gratiæ repleti Christo per veram adhærent fidem.

Ne ita fluctuet peccator, adhæreat arbori vitę per veram charitatem.

16. Quid peccator aliud quàm arundo vento agitata, quàm leuis eum mouet aura, quàm leuis mutat tentatio? hodie peccatis nuntium remittit, cras eadem repetit, ad eadem redit. O magnam & formidandam infirmitatem! Quid remedij vt ab illa sanetur? *Creditis in Deum, & in me credite.* An arundo columnæ alligata mouetur? an arundo ligno auxiliario admota, conturbatur? nullatenus, & tu ô peccator fac similiter, columnæ, baculo, vel potiùs arbori vitali Christo te alliga per veram fiduciam & charitatem & non turbaberis.

Arundini similis peccator, ne sit instabilis columnæ alligandus.

17. Mouetur, facileque turbatur arundo, quia medullâ caret: ita & peccator, quia medullâ caret considerationis. Considera, ô peccator, mansiones illas cælestes, considera æterna præmia, æternaque supplicia, & instar arundinis non moueberis. Si quis equo defertur per rapidum flumen si oculos in aquas conijciat, facilè conturbatur, & ex equo in aquas præcipitatur, si verò ab aquarum fluxu oculos auertat, & in proximam ripam terramque conijciat, non iam capite turbatur, & absque submersionis periculo flumen pertransit. Similiter si homo semper declinet oculos cordis, in fluxas huius sæculi diuitias, honores, voluptates &c. facilè turbatur, sed si oculos conijciat in cælestes illas mansiones, in terram illam viuentium, absque turbatione & submersionis periculo fœliciterque ad cælestem illam oram patriamque pertingit. Dic ergo cum Propheta: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum*, & non turbaberis.

Arundo facilè mouetur, quia medullâ caret, ita inconstans peccator, quia caret consideratione.

In cælum conijciendi oculi, ne turbemur.

18. Nihil tam proprium peccatori, quàm turbari ob commissa peccata, vt meritò dicat: *Cor meum conturbatum est*, meritò autem conturbatur cùm deseruerit eum Deus, vera & vnica animæ nostræ virtus & fortitudo. Meritò etiam vsurpare potest peccator illud Psalm. 54. *Conturbatus sum à voce inimici.* Quisnam hic inimicus, nisi propria conscientia peccata arguens & accusans. O grauissimam infirmitatem. Quid remedij ne ita conturbetur? *Creditis in Deum & in me credite.* Per fidem & charitatem in Christo habitet, nihil enim iam damnationis est ijs qui in Christo habitant, qui fide & charitate illi cohærent.

Peccator turbatur ob commissa peccata, ne turbetur, per fidem & charitatem in Christo habitet.

19. In turbatione quoque perpetua necesse est peccatorem versari, cùm à Deo moribus & affectibus longè sit remotus. Cùm enim ad Dei similitudinem facta sit anima, quæ in eo consistit, quòd Dei sit capax eiusque particeps esse possit, adeoque à Deo solo & à nullo alio Deo, minus, possit impleri, ad quem proinde, propensionem habet naturalem, hinc necessariò sequitur vt si Deo careat anima, & propensio illa finem suum non assequatur, plena sit inquietudine, plena perturbatione. *Fecisti*, ait D. August. Confess. l. 1. c. 1. *nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Comparatio quæ à cuspide & acu magnetica in horologio portatili sumi solet, egregiè id quod intenditur, explicat. Acus huius natura est, postquam ad magnetem affricta est, ad septentrionem semper vergere, hanc quippe naturalem inclinationem magneti Deus indidit. Hanc ergo acum si contempleris, videbis tam diu inquietam commotitari, & identidem verti, ac conuerti, semper turbari, donec ad septentrionem acies vergat, quo facto, illicò quiescere & subsistere. Sic porrò & hominem Deus condidit, hac, inquam, naturali inclinatione illi inditâ, vt ad ipsum velut ad cynosuram aspiceret & tanquam

In perpetua turbatione necesse est vt versetur peccator, cum affectibus à Deo longè sit remotus.

Explicatur similitudine acus nauticæ.

Dum ad Deum conuersa anima, tunc quiescit.

ad vltimum finem, semper aciem mentis dirigeret, vtpote quæ mentis affricta quodammodò, vt ita loquar est, magneti diuino, dum mens ipsa ad similitudinem Dei creata est, & taliter quidem vt eius capax eiusque particeps esse possit: quocirca quamdiu cor nostrum in Deo non posuerimus, tamdiu instar acus nauticæ inquieti & mobiles erimus, ac turbationibus multis obnoxij. Quamcumque mobilium cæli partium, nautica acus respiciet, non quiescet, vbi verò illud cæli punctum quod minimè mouetur, respectabit, fixa manet & immobilis, ita quamdiu oculos & cor, in rebus huius mundi interitui & mutationi obnoxiis, collocabis, tamdiu quietem nullam inuenies, at in Christo pone, dicente: *Creditis in Deum & in me credite*, mihique per amorem adhærete, & requiem inuenies, & turbatione noxia carebis. Vnde pulchrè idem Doctor de Spiritu & anima cap. 54. *Quid ergo per multa vagaris homuncio quærendo bona animæ tuæ & corporis tui, ama vnum bonum in quo sunt omnia bona & sufficit, desidera simplex bonum, quod est omne bonum & satis est.*

Qui fiat quòd homo illam ad Deum propensionem nō sentiat.

20. Quòd autem homo illam, ad Deum propensionem, in anima sua, non ita sentiat, nil mirum, hoc enim accidit quia animam habet occupatam terrenis desiderijs & affectionibus, quia animum habet inescatum, huius sæculi, vanis & perituris bonis, quæ omnia impediunt, ne mens, quodam suaui impetu, feratur in summum illud bonum, exonera animum hisce prauis affectionibus, & videbis, quàm concitato cursu, curret ad Deum. Ferunt, quòd si quis aciem illam, siue cuspidem acus nauticæ, quæ à magnete tacta est, & hinc vim habet, & propensionem ad septemtrionem tendendi, & polum aspiciendi, intingat in succo allij, vel caparum, quod amittet prædictam propensionem. Simile quid contingit menti humanæ. Est quidem ad Deum creata, ad Deum habet innatam propensionem, sed si hæc mentis acies, tincta est, vel infecta succo illo vitioso prauarum affectionum, & amoris inordinati ad creaturas, propensio illa incipit debilitari, refrigescere, ac penitus extingui. Verùm etiam est, quòd summum illud & vnicum bonum, Deus ipse, instar magnetis cuiusdam diuini, maximam habeat vim trahendi ad se, cuspidem illam ferream mentium humanarum, sed ne attrahat, ipse homo maximum ponit obicem. Plinius natur. historiæ lib. 37. cap. 4. sic fatur de magnete. *Adamas dissidet cum magnete lapide in tantum, vt iuxta positus ferrum non patiatur abstrahi: aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat.* Pone casum, in mensa aliqua collocari varias acus ferreas, illisque in circuitu apponantur diuersi magnetes, quilibet magnes suum attrahet ferrum, at si iuxta ferrum ponas adamantem, non patietur ferrum abstrahi, si verò iam magnes ferrum attraxerit, admoto adamante, rapiet adamas & auferet ferrum. Quisnam hic adamas qui magneti illo diuino, Christo, de se dicenti: *Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum*, tantopere aduersatur, vt aciem mentis humanæ, vel potiùs ferreum hominis, licet animum, ad se trahere non valeat, vel si traxerit mox auellatur ab hoc sacro magnete? hic adamas propria est hominis voluntas, hic adamas inordinatus est amor rerum caducarum vt temporalium. Potuit ferrum, vel potiùs potuerunt ferreæ mentes, (quid ni ferreas dixerim quibus robur & æs triplex circa pectus) attrahere ad se diuinum magnetem Deum ipsum. *Nam propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælo, & incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Et tanta est voluntatis nostræ deprauatio, vt impediat ne trahamur à Deo, vel si interdum attracti fuerimus, mox Deo relicto iterum transimus ad creaturas, abstracti & allecti à proprio sensu & voluntate. Si cinere expurgetur & confricetur acus nautica iterum recuperat priorem propensionem, sic cinere pœnitentiæ expurgatur anima & recuperat suam ad Deum propensionem.

Cuspis acus nauticæ si madescat succo allij, amittit propensionem respiciendi ad septemtrionem

Plinivs. Adamas quantum aduersetur magneti.

21. Postremò turbatur peccator, quia se suaque non committit diuinæ prouidentiæ, ne turbetur quid illi agendum? *Creditis in Deum*, ait Christus, *& in me credite*, fiduciam in me habete, meæ dispositioni cuncta relinquite, noui ego quid vestræ expediat saluti, hæc in Christum fiducia arcet omnem ab animo fluctuationem & conturbationem. Quibus hæc fiducia nitatur radicibus vide pulchrè apud Bellarm. in Psalm. 90. conc. 2.

Quòd omnia quæcumque Christum respiciunt, vitam redoleant.

§. III.

22. Non solùm minima, quæ in Christo sunt, vitam redolent, verùm & ipsæ res inanimatæ, quæ Iesum respiciunt, halant vitam, vt docet Baeza in Comment. Moral. tom. 3. lib. 14. §. 15. Creaturæ inanimes à Deo tactæ, quàm hominibus conferant salutem, vide apud Bzouium in annal. tom. 14. ad an. Christi 1328. num. 42. & 43. vide eundem to. 16. vbi

Res inanimatæ quæ Christum respiciunt halant vitā.

Baeza.

Bzovivs.

vbi agit de columna templi Salomonis, in quam appodiatus Iesus dum prædicabat, & cui adhærendo stabat, dum patri preces in templo effundebat.

23. Et si minima hæc in Christo taliter vitam spirant; quid dicemus, quid iudicabimus de illis, quæ in Christo maioris sunt ponderis, maioris momenti? Quid de spinis, quæ caput eius perforarunt? *De spinis passionis*, ait Nicolaus D. Bernardi Notarius, *rosam protulit redemptionis.* Quid de illius dicemus sanguine? Sanè vel vmbra illius incolumitatem confert. Exodi cap. I. legimus, Angelus intempesta nocte Ægyptiorum primogenita deuastantem pertransijsse valuas Israëlitarum, agniculi sanguine rubricatas. An tanta vis sanguinis agniculi? habebat eam efficaciam sanguis, non quia agni sanguis, sed quia vmbra sanguinis Christi, vt bene notat D. Chrysostomus dicens: *Ea nocte vmbram sanguinis mors horruit.*

NICOLAVS.

Vel vmbra sanguinis Christi incolumitatẽ causat.

CHRYSOS.

Æneum serpentem in stipite eleuat Moyses ex quo percussi à serpentibus hauriant salutem. *Fecit*, inquit, *Moyses serpentem æneum & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent sanabantur.* Dabat equidem serpens suspensus à ligno salutem infirmis, quia ea figura adumbrabat Christum Dominum, cuius vel vmbra vitam halat hominibus, Deuteron. cap. 28. aiebat Moyses serpentis huius comminiscens. *Videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros.* At qui pendet non vita est, sed mortuus iacet siue Christus sit, siue serpens pendens à ligno. Quomodo ergo in mortuo, in insensibili videant vitam? notanter dicit, *Vitam vestram*, licet enim qui pendet non sit in se viuus, sed vmbra sit, & figura viuentis Christi, inde habet halare hominibus vitam, ait German. Patriarcha Constantinop. orat. in adorat. Crucis. *Moysis dictum: videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros: hunc serpentem innuere videtur non quòd virtute aliqua serpentis imago prædita fuerit, sed quia typum Christi gerebat. Hinc discere potes imaginum hostis & oppugnator, magnarum rerum figuras honore afficiendas esse. Si enim serpentina hæc imago tam inuisa & odiosa ob euectionem in ligno, quæ Dei & hominis in cruce suspensionem præsignificabat adeò vitam largiebatur eis quos mors amara perdiderat, quantum proderit & quam non ministrabit viuificationem opposita Dei & hominis figura?* Sapientissimè quidem bonus Pater philosophatur, vt conuincat vitam halari à figura Christi Dei & hominis, quando serpens æneus, eo solo quòd crucifixum adumbrabat sic erat omnibus aspicientibus vitalis. Et quidem nullus non experitur quàm vitalis sit quælibet Iesu vel vmbra vel imago. Hinc Sponsa Cantic. c. 2. *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi*, & Hierem. Thren. c. 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, in vmbra tua viuemus in gentibus.* Mortuus est Iesus noster, è mundo eliminatus, at dum eius saltem vmbra maneat ob oculos nostros, ex illa vitam hauriemus, vt dicat D. Ambros. 15. in Lucam. *Nos autem quibus spiritus ante faciem Christus est Dominus in vmbra viuimus Christi: & ideò dicit Ecclesia: in vmbra eius concupiui & sedi.* Ex quo possumus habere vel Christi vmbram, ibi habemus vnde viuamus, vnde ab omni discrimine liberemur & nihil nobis ab aduersarijs timeamus.

Serpẽs quia typum gerebat Christi crucifixi vim sanãdi habuit.

GERMANVS.

AMBROS.

24. Quid de Christi persona censebimus? Numquid illa vtramque deuicit mortem, peccatum scilicet & mortem ipsam corporalem? Audi D. Bernardum sermone de Natiuit. *Duo sunt tibi hostes, peccatum & mors, id est: mors corporis, & animæ. Vtrumque debellaturus aduenit, & ab vtroque saluabit te, noli timere. Et iam quidem peccatum in propria persona vicit; quando humanam naturam sine vlla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, & reuera expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se totam infecisse & occupasse gloriabatur, ab eo penitus aliena, in Christo inuenta est. Dehinc persequitur inimicos suos, & comprehendit eos, nec conuertitur donec deficiant. Contra peccatum dimicans in conuersatione sua, verbis pariter & exemplis oppugnat, sed in passione sua alligat illud, alligat planè fortem, & diripit vasa eius. Iam verò eodem ordine mortem quoque superat priùs in seipso, cùm resurgit primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum: postmodum debellaturus eam pariter in omnibus nobis, quando videlicet suscitabit mortalia corpora nostra, & destruetur nouissima inimica mors.* Quamuis autem Christus mortem corporalem, quæ nihil aliud est, quàm separatio spiritus à corpore, ex peccato ortam, non omninò sustulit, eius tamen vim, & metum debellauit, atque confregit, vt ex omnium terribilium terribilissimo, electis reddiderit desiderabilem. Vnde D. Ambrosius lib. I. epist. 6. respiciens ad verba illa Num. 16. de Aarone dicta: *Stans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est*, nimirum dum sæuiente flamma populus vorabatur, sic de Christo, omnia per se viuificante, loquitur: *Aaron quidem semel stetit in medio, ne mors transiret ad viuentium agmina. Hic autem Iesus stat, quasi qui in hunc mundum venerit, vt aculeum mortis bebetaret, deuoratorium eius obstrueret, viuentibus æternitatem gratia daret, defunctis resurrectionem concederet*, &c. *Saluatoris mors*, ait Athanasius orat. de Pasch. & Cruce, *orbem terrarum in libertatem asseruit, causamque dedit, vt gentes Deum glorificent: Iudæorum furor, Iudæos cum ipsa ciuitate deleuit, & in Dei cognitione obcæcauit. Mors Christi mortuos viuificauit, Iudæosque suametinsidiæ vitâ spoliarunt.* Qualiter mors, mortua tunc est, cùm in ligno Crucis, mortua vita fuit,

Vtramque mortem deuicit Christus.

Imprimis mortem animæ.

BERN.

Secundò, mortem corporalẽ.

Reddidit mortem desiderabilem.

AMBROS.

ATHAN.

fuit, uide apud Salmeron. tomo 10. tract. 51. §. ad quartum.

Quam vitam Christus sit collaturus in patria.

25. Quam vitam sit collaturus Iesus in patria, sic colligit D. Paschasius lib. 4. in Thren. *Quid igitur putas, quantum nobis aperta conferre poterit claritas eius virtutis; & sol iustitiæ, cùm refulserit, si tantum contulit humilitas carnis, & exinanitio diuinæ maiestatis.*

Christo arbori vitæ nos inserere debemus.

26. Vt vitam haurias, ô Christiane, ab hac arbore vitæ, Christo ante omnia conandum tibi, vt huic arbori teipsum inseras per fidem & charitatem. Vt enim ramusculus, quamdiu propriæ radici inhæret, tamdiu emori nequit, vt qui semper vitalem humorem ex radice manantem accipiat, ita & humana substantia, quamdiu per firmissimum ad diuina consensũ permanserit theologicâ ac diuinâ perfruitur vitâ & nequaquam morietur. Vbi verò propriæ voluntati innitens à Deo secedit, mox veluti ramus à radice præcisus, vitali humore, omnibusque sanctæ vitæ officio, priuatur. Vnde Christus ait Ioan. 15. *Ego sum vitis, & vos palmites: sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: ita & vos, nisi in me manseritis.*

Christianus Christo insertus diuinas eius induit qualitates.

Non solùm surculus qui inseritur ex arbore trahit vitalem humorem & nutrimentum, verùm & illius induit qualitates; Similiter si Christianus per charitatem Christo insertus est, diuinas illius induit quodammodò qualitates: Quid surculo infirmius? & tamen dum arbori inseritur, in quàm non crescit magnitudinẽ, quas non sibi comparat vires? Similiter nihil infirmius homini, sed si in Christo inseratur, quem non acquirit vigorem & fortitudinem? Et quem ob finem putas Christo pellis, instar corticis auulsa & detracta? cur manibus inditæ plagæ, nónne vt omni Christiano, insitioni huic spirituali peragendæ locus aperiatur, & occasio detur? Dum instar paruuli surculi Christo insertus es, ô Christiane, tibi euigilandum, ne ab hac arbore vitæ excidas, quia quod insitum, quia non naturale facilè tollitur. Contra naturam est quod Christo per charitatem insertus inueniaris, ac proinde omni cura connitendum, vt ipsi hæreamus, nec ab illo vnquam deficiamus.

Ab hac arbore, Christo, rami nobis præscindendi.

Ab hac etiam arbore vitæ, velim, ô Christiane, vt sedulò ramos præscindas, id est, exempla virtutum colligas. Vnum ramum præscindisti, si Christi humilitatem attendas & imitaueris. Alterum præscindis, dum eius obedientiam perpendis & sequeris, & sic de alijs.

Quòd qui arboris vitæ, id est Christi, vult esse particeps, cauere debeat, ne sese, per prauum amorẽ inserat, mortiferæ huius mundi arbori, in quâ omnium vitiorum nidificant aues maximè noxiæ.

§. IV.

27. Caue autem, ô Christiane, quicumque arbori vitæ Christo, vis inseri, ne per deordinatũ amorem te inseras mundo, caue ne ab illo ramos præscindas. Quid enim mundus quàm arbor quædam planè noxia imò mortifera. Similis est mundana arbor arbori illi Dan. 4. *Magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cælum, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia & bestiæ, in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex eo vescebatur omnis caro.* Nisi enim illuminato oculo mundum aspicias, nihil maius, nihil fortius, nihil altius, nihil fructuosius apparet.

Cauere debet Christianus ne se inserat mundo, lætiferæ arbori.

Similis est mundana arbor illi Nabuchodonosor.

28. Vis scire quęnam illa sint animalia quæ sub vmbra mundanæ arboris requiescunt, illaq; delectantur? Per animalia hæc intelligo homines, nõ qui sanę rationis, sed qui corruptæ sunt sensualitatis, eos intelligo, qui per deprauatos mores quasi in bruta animalia sunt trãsfigurati. De quo Boëtius in li. de consol. philos. sic ait: *Euenit, vt quod transformatum vitijs videas, hominem existimare non possis. Auaritia feruet, alienarũ violentus ereptor: lupi similẽ dices. Ferox atq; inquies, linguam litigijs exercet, cani cõparabis. Insidiator occultus, surripuisse, fraudibus gaudet, vulpeculis exequetur, ira intẽperans fremit, leonis animũ gestare credatur. Pauidus ac fugax nõ metuenda formidat, cerui similis habeatur. Segnis, ac stupidus, asinum viuit. Leuis, atque inconstans, studia permutat, nihil ab auibus differt. Fœdis immundisq; libidinibus immergitur, sordidè suis voluptatibus detinetur, suem dixeris. Ita fit vt qui probitate deserta homo esse desierit, cùm in diuinam conditionẽ transire non possit, vertatur in belluam.* Hactenus ille.

Quænam animalia sub vmbra huius mundanæ arboris quiescant.

Peccatores similes animalibus.

BOETIVS.

29. Sed quas putas illas esse aues, quæ in arbore mundana dicuntur conuersari? sunt etiã ipsi peccatores, qui ob vitiosos affectus, quasi in aues, sunt transmutati, ô quot in hac

In ramis huius arboris mũdanę nidificant omnis generis aues, id est, peccatores.

hac mundana arbore conuersantur & requiescunt omnis generis aues, omnis, inquam, generis peccatores!

Aquila quæ symbolum superbiæ.

30. Imprimis conuersatur & requiescit Aquila, quæ, quoniam altius cæteris volat, visuque est acutissimo, symbolum est hominis superbi & ad altiora anhelantis. *Aquila*, ait Hugo Vict. ser. 62. *cæteris auibus altius volat, & ideo elationem congruè significat.* De aquilarum ingenio Iob agens c. 39. *Pulli eius*, ait, *lambunt sanguinem, & vbicumque cadauer fuerit, statim adest.* August. ex Septuag. *Pulli eius in sanguine volutantur.* Nónne tale etiam est superborum ingenium, quorum est crescere libenter ex aliorum ruinis & calamitatibus. Sunt nonnullæ aquilæ in pullos inhumanæ & sæuæ. Vnde illud de Aquila apud Aristotel. lib. 1. de hist. anim. c. 31. *Tres parit, atque duos nido eijcit, educat vnum*, Et lib. 9. c. 32. *Aquilæ*, ait, *alunt pullos suos, donec potestas volandi fiat, tum nido eos expellunt, post regione, quam ipsi genitores incolunt, totâ exterminant.* Simile quid videre est in superbis hominibus, vnum, nempe primogenitum liberaliter educant cæteris penè neglectis, & interdum domo expulsis.

Hugo Vict.

Aristot.

Taurus symbolum hominis insolentis. Plinivs.

31. Secundò, requiescit ibi Taurus, symbolum hominis insolentis. *Taurus auicula parua*, ait Plin. l. 10. c. 42. *magnorum boum mugitus imitatur.* Ita insolentes parui cùm sint, magnos arroganter imitari conantur. At humiles verè magni, paruos se efficere nituntur, gemmis similes, quæ pretio maximæ, mole minimæ sunt. Terræ magnitudinem longè superant stellæ, at hominibus minimæ apparent, terra videtur maxima. Eundem in modum, humiles viri, stellis similes, maximi cùm sint parui videntur. Insolentes verò terræ instar, cùm sint parui, magni existimantur.

Pauo symbolum vanæ mulieris.

32. Tertiò, requiescit Pauo, symbolum vanæ mulieris, gemmis, stibio, cerussâ fucatæ & tumidæ, pulchritudinem suam vanè ostentantis. Pauo enim caudæ syrmate expanso, ocellis pulcherrimis variegatur, & intumescit: sed dum pedes fœdos intuetur, syrma demittit, & detumescit. Vnde Martialis l. 13. *Miraris quoties gemmantes explicat alas.* Rursum in motu pennas nunc contrahit, nunc expandit, idque crebrò & variè: quocirca, *est multicolor, & discolor, & versicolor, nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa quando alia, toties denique mutanda, quoties mouenda*, ait Tertull. lib. de pallio c. 3. de pauone sic Vincent. Bell. in spec. doctrin. l. 15. c. 165. *Pauo est auis pulcherrima, & pulchritudinis amica, collum habet longum & extentum, colore saphirinum, & pectus similiter, in capite verò plumas desuper, instar coronæ vel cristæ: caudam quoque longam & oculatam, quam cùm laudatur, extendit: si pedum deformitatem viderit, mox deponit: sed & si à tacito spectetur, pennas omnes quas spectari gaudet, contractis oculis abscondit. Idem nocte cum euigilarit, seq; in tenebris constitutum intueri non poterit, clamans pauidè suam pulchritudinem amisisse se credit.* Nónne vides egregiè depictum vanæ mulieris ingenium? De pauone vide Maiolum in dieb. Can. tom. 5. colloq. 1. de dignitate hominis.

Martialis.

Tertvl.

Vincent. Bell.

Maiolvs.

Cepphus, luxuriosi symbolum. Svidas.

33. Quartò, requiescit etiam Cepphus, luxuriosi symbolum. *Cepphus autem genus est auis*, teste Suida, *quæ larus vocatur, leuis & innatans vndis, spumam marinam comedit, piscatorum verò filij, primum eminus spumam proijciunt deinde proximè, deinde manu tenent, itaque cepphum spuma inhiantem decipiunt & capiunt.* Hæc Suidas. Præ cæteris, ait Didymus, ad coitum propensa est fulica vel larus: interim congressus sortitur admodum difficiles, vociferatur namque, & vsque dum sanguinem per oculos mittat, conatur, iacetque nonnunquam quasi sensu destituta, ita vt laqueo, vel manu quoque facillimè capiatur, & parit tandem magna cum difficultate. Nónne tibi in aue ista, ad viuum depictus depictaque videtur iuuenis ac iuuencula, qui à Venere inescati sequuntur Veneris spumam, miserè decepti & capti.

Didymvs. Fulica maximè luxuriosa.

Condores, aues luxuriosorum pulcherrimum symbolum.

Luxuriosorum etiam pulcherrimum symbolum volucres quædam, condores nomine, altilium omnium maximæ, vt quæ vitulum impetant, deuorentque occidentes; quod cùm ægrè ferant armentarij, magnâ eos copiâ carnis inescant, quâ repleti illi surgere non valent; atque ita currentes tunc armenti custodes grauatos sic Condores fustibus necant. Quoties carnalibus id hominibus accidit, ingressis in ædes alienas? cùm enim iam saturati sunt carnalibus voluptatibus, ex impudico commercio cum mulieribus, & præsertim aliorum vxoribus habito, deprehensi grauissimas luunt pœnas, & infami mortis genere interdum afficiuntur.

Quanta cautio fœminis sit necessaria.

Qualiter ab omni luxuriosorum hominum consortio abstinendum, omnisque facultas deneganda à fœminis, ne vel vbera permittant tangi ab alienis, exemplo passeris cuiusdam & Capellæ illustrari potest. Scitote esse passerem quendam corpore paruum, nomine caprimulgum qui inter capellas familiariter versatur, estq; vberum earũ auidissimus. Quem cũ illæ iuxta se volitantem vident, blandientem pinnulis, ac sibilis, vbera ei libenter concedunt. Mirabile est, sed mirandum magis, quòd tacta ab eo vbera, extinguuntur protinus. Magisque mirabile, quòd capta illa oculis cæca relinquatur, quod non solùm asseuerant notæ veritatis scriptores, Pierius lib. 15. cap. de Caprimulgo & alij, sed & ipsum passeris nomen, quod ideo est caprimulgus, quòd vbera mulgeat Caprearum. Quot Caprimulgos habet mundus, qui blanditiis suis hoc solùm intendunt, vt vel tactus vberum illis permittatur? & quot reperias fœminas, multùm faciles, vt vbera tractanda similibus concedant, quasi in eo parum vel

Aaaa nihil

nihil subsit periculi? O vesaniam! ô cæcitatem! ô si scirent quam corruptionem trahāt ex eo contactu vbera, quàm virulentum venenum, quamque incurrat anima cæcitatem! Cauete vobis, ô fœminæ, ab hisce caprimulgis.

Bubo symbolum adulteri.

34. Quintò, requiescit etiam Bubo, symbolum adulteri. Bubo enim carnibus viuit, præsertim eorum animalium, quæ noctu vagantur, vt murium, & vespertilionum, præterea cuniculorum, & leporum, & anatum etiam, & similium. Bubo à sono vocis compositum nomen habet, quia ex abundantia cordis os loquitur, adulter verò cùm non nisi rebus vescatur carnalibus de illisque semper cogitet similia etiam voce profert. *Bubo*, ait Hugo Victor. libr. 1. de bestiis cap. 44. *auis fœda esse dicitur, quia stercore eius, locus in quo habitat, commaculatur, quia adulter illos, cum quibus habitat, exemplo peruersi operis dehonestat. Auis est onusta plumis, id est superfluitate carnis, & leuitate mentis, sed graui detenta pigritia & inertia, ita adulteri ad bene operandum inertes & pigri. Die, noctuque moratur in sepulchris, nam delectatur in peccato, quod est fœtor humana carnis. Habitat etiam in cauernis, nec per confessionem exit foras, sed lucem veritatis odit.* Sic ille.

Hugo Victor.

35. Qualiter in bubone adumbretur adulter sic pulcherrimè ostendit Radulphus Flauiac. lib. 8. in Leuit. cap. 3. *Bubo, vt Plinius testatur* (libr. 10. cap. 12.) *in vrbibus, aut omnino in luce visus, dirum ostentum est. Nocte pastum quærit. Cur autem die delitescat, & solis noctibus videatur, causa omnibus manifesta est, quòd scilicet aues reliquas vereatur, omnibus quippe adeò odiosus est, vt visus mox ab omnibus conclametur, aut etiam discerpatur. Quid igitur per bubonem istum intelligendum est, nisi turpitudines execranda adulteriorum? Isti namque semper noctem quærunt, quia lucis manifestationem refugiunt. Si tamen aliquando ad publicum prodire præsumpserint aues diurna, omnes scilicet honestatis amatores, facto grege, bubonem aggrediuntur: quia zelo diuino succensi, opus tenebrosum redarguere non cunctantur. Exemplo nobis est, Baptista Ioannes, qui cùm herodis adulterio obuiare non timuit, capitis abscissionem sustinuit. Cauendum est itaque ne aliquis potentiorum in aliqua huiusmodi immunditia deprehensus, perniciosi fauoris silentium sortiatur, & quasi bubo iste liberam prodeundi recipiat facultatem. Nam omnino si contigerit, dirum ostentum est. Certum est enim, vrbis illius, seu etiam regionis in proximo esse subuersionem, diuinamq; aduersus illam animaduersionem succendi, qua tanti sceleris fine obstaculo aut contradictione susceperit propagationem.* Hæc ille.

Radulphus Flaviac.

Bubo pessimi ominis. Omnia feralia in adultero.

Bubo, feralis maximè, & inauspicatæ: pessimique ominis apud gentiles qui ex auium occursu, volatu, & cantu, Dei arbitria priscis sæculis, indagarunt quàm occinens bubo mali omnis, auctor est Statius lib. 3. Thebaid. hisce carminibus.

Statius.

——— *dira strident in nube volucres,*
Nocturnaque gemunt striges, & feralia bubo
Dira canens,

Quàm infaustum & ferale si alicuius insedisset ædibus patet ex illo Ouidij libro 5. Metam.

Ovidius.

Fadaque fit volucris, venturi nuntia luctus
Ignauus Bubo, dirum mortalibus omen.

Hoc lethale præsagium expertus est Commodus imperator, Lampridio auctore, in comment. Bubo nimirum cubiculo eius insidens, fuit illi mortis ingloriæ prænuntius. Plinius lib. 10. ca. 12. ait lustratam Romam quia Capitolij cellam subijsset bubo. Bubo, inquit Seruius in lib. 4. Æneidos, si cuius ędes insederit & vocem miserit, mortem significare dicitur. Similiter omnia feralia in adultero, tam cantus, quàm incessus, & occursus, id est, tam eius lætitia, euagatio, quàm conuersatio.

Plinius.

Struthio symbolum hominis gulosi.

36. Sextò, requiescit etiam struthio, symbolum hominis gulosi atque voracis. Struthio enim magnitudine superat alias aues, ità vt elephantum æmuletur teste Diodoro lib. 3. cap. 12. equitemque equo insidentem vt scribit Plinius libr. 10. cap. 1. Voracitas eius tanta, vt vulgo ferrum concoquere credatur. Auis hæc non incubat, non spuet oua, non excludit suos, dimittit pullos, qui ob cibi defectum flent atque eiulant, quam ouorum suorum iniuriam & in pullos sæuitiam innuunt sacræ litteræ Iob cap. 39. numer. 13. 14. 15. 16. & Ierem. cap. 4. numer. 3. Est etiam struthio vespertilioni hac in re similis, vt partim referat auem, partim quadrupedem, pennas habet vt auis sed paruas & exiguas; vt non auis, pennis constat, non tam ad volandum, quod parum altè præstat, quàm ad currendum: bipes est velut auis, bisculcus tanquam quadrupes, ac pro digitis vngulæ bipartitæ ipsi sunt sicut boui. Nónne prædicta omnia exactè quadrant gulosis & voracibus hominibus, siue helluonibus, qui quidquid obuiam est colligunt, & rapiunt auideque ingluuiei donant. Quid similibus minus curæ quàm prolium honesta educatio, quæ dum carent vitæ subsidiis ob parentum ingluuiem, in perpetuo degunt gemitu & fletu. Hi similiter totâ vitâ circa terram ambulant, nil nisi terrena desiderant, quamuis interdum pœnitentia ducti videantur paululum ad cælestia sese velle erigere. Et sicut struthio, vulgari fama digerit ferrum, sic etiam helluo durum Dei iudicium, spe finalis pœnitentiæ ac diuinæ misericordiæ quodammodo concoquit, adiiciens peccatum super peccatum, dicens misericordiam Dei magnam esse, omniumque peccatorum ipsius, non recordaturum sed miseraturum.

Diodor.
Plinius.

37. Septi-

Accipiter symbolum malorum diuitum.

37. Septimò, requiescit accipiter, symbolum diuitum malorum, & potentium huius sæculi. Accipitrem ab accipiendo nonnulli deducunt, auis est famelica, voraxque, vt ipsa interdum stercora glutiat. Quamuis autem, sicut reliquæ generis rapacis aues, carne vescatur vt plurimum ac piscibus etiam, tamen deprehensum est vesci quoque frugibus ac pane. Rapax, sæuus, prædo, crudelis appellari solet, semper in armis, in omnes sæuiens aues, nullique parcens, vel æquus. Super omnes alites acutiùs videt, volatus solitarios concupiscit, nec prædam cum alio desiderat inuenire. Quæ omnia facilè malis diuitibus approprientur. *Et sicut auceps*, ait Berchorius in repert. libr. 7. cap. 3. *oculos operit accipitris ne visâ prædâ laqueos rumpat, & prædam sequatur, sic diabolus ante oculos eorum ponit corium amoris mundani, vt non videant prædam paradisi & rumpant laqueos peccatorum. Differentia*, ait idem loco citato, *est inter gallinam & accipitrem, quia accipiter dum viuit multum appreciatur & carus à Domino suo reputatur, eò quòd prædam accipit vnde viuit, mortuus verò vilipenditur & in sterquilinium proijcitur, gallina autem viuens parum appreciatur, mortua autem coràm rege in mensa honorabiliter præsentatur: Sic accipitres, id est diuites ac potentes, qui rapiunt & opprimunt innocentes quamdiu viuunt honorantur, ab aucupe diabolo magistro suo carissimè seruantur, eò quòd prædam prauorum operum capiant & faciant in qua diabolus delectatur, sed post mortem à diabolo proijciuntur in sterquilinium infernale. Ierem. 22. Sepultura asini sepelietur putrefactus & proiectus extra portas Hierusalem. Sed gallina, id est, pauperes pro certo licet in mundo parum apprecientur, tamen mortui ad paradisi conuiuium deferuntur.* Hæc ille.

Berchorius.

Monedula symbolum auaritiæ. Plinius.

38. Octauò, requiescit etiam monedula auaritiæ; est enim monedula symbolum auari, sic enim nominatur quasi monetula, eò quòd authore Plinio lib. 10. cap. 27. huic soli aui furacitas insit auri & argenti, quod tamen terræ infodit nulli vsui futurum. Eadem auaritia adumbrata in volucre hemerobios dicta, quæ cùm non vltra diem viuat, sed eadem omnino luce, quâ lucem inchoat finit, nihilominus alatum hoc quadrupes non minùs vnicæ diei alimenta prouidet, quàm si corui aut cornicis annos esset visura; mortuum autem aquis innatat, piscibus auidissimè consectantibus.

Perdix symbolum hominis aliena rapientis.

39. Nonò, requiescit perdix, symbolum hominis aliena rapientis, & ex alieno ditescentis, perdix enim alterius perdicis, id est, aliena furatur oua eis incubat, pullos excludit, qui cùm adoleuerint, & vocem excludentis audierint, ab ea quasi aliena auolant ad primam & veram matrem, quæ oua posuit, cuius vocem naturæ instinctu agnoscunt. Idem agunt, idem accidit qui aliena diripiunt, & faciunt sibi diuitias, quas aut casus aut subita mors subtrahet. Extat de hac perdicis indole ad rapacem relatum tale apud Nicolaum Reusnerum emblema:

Surripit oua salax perdix aliena, fouensq;
In nido pullos educat inde nouos.
Pullus at eductus nutricem deserit vltro
Cantantis pendens matris ab ore suæ:
Condit auarus opes, defossoq; incubat auro,
Per fas atque nefas condit auarus opes.
Vnde habeat, nihil is curat: sed oportet habere
Et citò vult fieri diues, inopsq; manet.
Nam mors aut vilem redigit communis ad assem
Eripit aut partes turpe tribunal opes.
Magnis parta malis pereunt, maiore dolore:
Quod dat cuique Deus, sorsq; benigna, sat est.

Appositum huius rei exemplum, scilicet quomodo opes malè partæ, quasi aues, imò per aues, auolent refert Gregorius Turonensis de gloria confess. cap. 109. *Quidam*, inquit, *apud Lugdunenses, vix multo labore trientem vnum acquisierat: quem cùm multiplicare vellet, de eo vinum comparat admixtisq; aquis iterum per argenteos venundans, duplicat pecuniam, hoc iterum atque iterum agit; & tamdiu turpis lucri secutor est factus donec centum solidos de hoc triente lucraretur. Post, alterius negotiatoris nundinas adit, extractoq; triente, quasi aliquid negotiaturus colloqui cum socio cæpit. Erat autem sacculus ex pelle phænicia: & ecce subito adueniens miluus, rapit eum, atque decerpere tentat, putans à colore partem carnis esse; sed cùm nil pinguedinis sentiret in eo, volans super alueum fluuij Araris (è quo fluuio hic aquam, quam vino miscuerat, hauserat) laxatum sacculum deiecit in flumen, quo conspecto, alter tristis & mœrens exclamabat: Væ mihi, sicut feci, sic recepi, qui è fluuio eos habui, ad fluuium redijsse video.* Qualiter perdix designet superbos, astutos, dolosos, libidinosos & pugnaces, vide apud Ioan. de Pinna in Eccli. cap. 11. etholog. 195. & seq.

Gregor.

Ioan. de Pinna.

Quibus passeribus similes rapaces.

Bartholomæus à Scobar.

Symbola etiam hominum aliena rapientium & ab ijs quorum bona rapuerunt, dira admodum patientium, sunt aues illæ, de quibus Bartholomæus à Scobar in Conc. Quadrag. de Captiuit. Ægyptiaca ser. 5. in hæc verba: *Sunt in Peruensibus his maritimis terris innumeri infinitorum pene passerum cunei, qui solos maris pisces habent escam. Ex his cuidam, Gauiota nomine, contigit mirabile istud, cuius testis ego sum, inter aliquot alios. Eram die quadam mensis Martij anni 1613. in maritimo portu ciuitatis Limensis in eminenti domus nostræ solario supra littus maris, cùm clangentem audiui Gauiotam; quàm curâ respiciens; vidi aquis maris incumbentem, extentisq; alis volare nitentem, detentam tamen ab eo quod non videbam impedimento. Aderat ibi nostra*

 societa-

societatis Sacerdos Barnabas de Cobo nuncupatus, qui cernens sic ligatum passerem, misit puerum Indum, Andream nomine, vt nans, mysterium intelligeret, properauit ille, qui cum Gauiotam comprehenderet manu, ab aquisque leuaret, eduxit simul Cancrum piscem, passeri mordicus hærentem. Hic quippe cum manus habeat, & eas quidem fortissimas, sentiens se à Gauiota rostro pungi, manus ei iniiciens, eam fortiter tenuit, ferreis vngulis affixus, ne dimitteret tunc nisi extractus ab aquis: cùm tamdiu tenuisset, vt suffecerit tempus ad accersendum puerum, & vt vestes ille omnes exuerit, accesserit nans ad locum pugnæ, centum circiter passibus distantem. Educta igitur ad terram pennas excidit Indus Gauiotæ, vt proprius in alis sanguis reperiretur eius, quæ sanguine piscium victitabat. Deinde hæc omnia ad tropologiam alliciens ait: *O quoties accidit vt vexator eorum qui minus possunt, potens homo aliquando tandem in alicuius vexati incidat manus ferreas vngulas habentis, qui dum ab eodem potentiore vexatur, intolerabili iam lacessitus iniuria, laxans frænum furori, arripit tantâ oppressorem excandescentiâ, vt captus sic ille clamitet ac gemat optetque ab eius vnguibus illæsus abire, quem tyrannide intendit suffocare:* Sic ille.

Similes corniculæ Hyssopi — Similes in cornicula illa Hyssopi adumbratos quis non videt? quæ cùm ex naturali constitutione satis esset deformis, detractis aliarum auium pennis sese exornauerat, sed quid postea accidit? concurrunt aues illæ multæ, sic expoliatæ, vorant corniculam & quælibet suam resumit pennam, de quo sic Græcus Gabrias canit:

> *Alienis pennis induta*
> *Gloriabatur cornicula præstare auibus.*
> *Primum donum hirundo rapit:*
> *Post eam omnes: hinc nuda inuenta est.*

Idem sæpe videmus accidere in hominibus aliena rapientibus, alienis bonis tanquam tot pulcherrimis pennis exornantur, iuxta illud Ierem. 12. aduersus oppressores miserorum prolatum. *In alis tuis inuentus est sanguis pauperum & innocentium.* Sed quoties non permittit Deus, vt similes aspoliatis etiam spolientur, vnoquoque repetente & resumente quod sibi ablatum est?

Cuculus symbolum hominis pigri & ingrati. VINCENT. BELL. — 40. Decimò, requiescit cuculus symbolum hominis pigri & ingrati. *Cuculus*; ait Vincentius Belluac, tom. 2. in speculo doctrin. libr. 15. cap. 155. *est auis improba, quæ vocem inter cantandum non mutat, sed semper eam replicat, auis pigerrima est, loco instabilis, turturis verò colorem habet, hyeme plumis spoliari dicitur. Intratque terræ latibulum, vel concauitates arborum. Illic æstate congerit, quo hyeme viuit. Oua sua in nido minoris auiculæ ponit, & de ouis illius totidem demit: ne dum illa numero superflua inuenerit, aliena repudiet. Itaque cuculus ab aliena matre, cum pullis eius fotus & educatus, dum adhuc in nido inualidus sedet, quadam tamen auiditate naturali, cæteris pullis cibos præripit, & hac satietate præ cæteris pinguescit, atque nitidior fit. In cuius elegantiam nutrix conuersa, gaudet de eius forma, miraturque seipsam quod talem peperit, adeò desipiens, vt magnitudine fœtum, à pullis minoribus non discernat, sed omnes pullos suos in eius comparatione damnat, at vbi eum eduxerit, & ad robur euolandi nutrierit ipse vice versa in nutricem insurgit, & insequendo perimit.* En habes viuacissimo penicillo depictam imaginem hominis ignaui, pigri, & ingrati.

41. Vndecimò, requiescunt hirundines garrulæ & streperæ, quæ symbolum loquacium atque dicacium hominum, qui cum aliorum fastidio semper garritibus perstrepunt, modò parentum nobilitatem, modò proprias virtutes propriaque gesta. Et sicut hirundines ædium laquearia fœdãt, sic illi aliorum famam & egregia facta plerumque dicacitate sua deturpant. Sicut etiam hirundines, nullo hospiti gratia habita, cum aliis vernis auibus sub hyemis aduentum, euolant; ita & garruli illi, qui tempore æstatis, id est prosperitatis montes pollicentur aureos, aduentante hyeme aduersitatis, amicos suos deserunt, & derelinquunt. Notat Erasmus in Adagiis chilid. 1. cent. 1. pertractans vetus Prouerbium, *Hirundinem sub eodem tecto ne habeas*, quòd hirundo carnibus victitat, & cicadas, animal maximè vocale, ac musis sacrum, venatur: præterea humi volans minutis animantibus insidiatur; deinde sola auium in tectis versatur nullam adferens vtilitatem. Nam ciconia cùm ne tecto quidem vtatur nostro, tamen haudquaquam mediocrem contubernij gratiam refert, bufones, serpentes, hostes hominum, è medio tollens. Contrà hirundo posteaquam sub nostro tecto, suos educauit pullos, abit, nullâ relatâ gratiâ communicati hospitij. Denique quod est omnium grauissimum, duo dumtaxat animalia domestica sunt, quæ nunquam humano conuictu mansuescunt, neque tactum admittunt, neque consuetudinem, neque vllius rei aut disciplinæ communionem. Musca semper pauitat ne quid mali patiatur, & ob hanc causam indocilis & semifera. Hirundo item naturâ videtur hominem exosum habere, proinde nec cicuratur, vtpote diffidens semper, semperque suspicans mali quippiam, quæ omnia facilè garrulis hominibus appropriari possunt. — Hirundo, symbolum loquacium. — ERASMVS.

42. Duodecimò, requiescit cygnus, symbolum hypocritæ. Cygnus enim albus est in pennis, cùm carne sit niger, sic hypocrita candidus externa specie, intus vitiorum labe teter existens: *Olor*, ait Hugo Vict. lib. 1. de bestiis ca. 53. *niueus in plumis designat effectum simulationis, quâ caro nigra tegitur,* — Cygnus, symbolum hypocritæ. — HVGO VICTOR.

tegitur, quia peccatum carnis simulatione velatur. Dulcem concentum dicuntur edere cygni. *Ferunt*, ait Hugo loco cit. *in hyperboreis partibus præcinentibus citharædis olores plurimos adulare, aptéq; admodum concinere.* Sic dulcia, blanda & adulatoria verba in ore hypocritæ. Cygnus prætento longo præditus est collo, sic altæ & superbæ ceruicis hypocrita. Cygnus inter amphibias est, siue in aquis ac in terra degentes, præsertim in pratis littoribusque, & in stagnis, lacubus paludibus, ob maiorem herbarum copiam & cæni, quibus pascitur, & quia illa aquarum genera quietiora natatum minus impediunt: Item vt fulmina melius vitet, quæ maximè timet. Similiter hypocrita omnibus se accommodat, non nisi terrena & fluida amat, diuinorum iudiciorum fulmina maximè formidat.

Vpupa symbolum detractoris. ARISTOT. ÆLIANVS.

43. Decimotertiò, requiescit vpupa, symbolum detractoris. Scribit Arist. lib. 9. histor. anim. cap. 15. nidum facere vpupam potissimùm è stercore hominis videlicet, circumlinendo luti vice, vt ait Ælianus lib. 6. de animal. cap 1. Addit Isidorus lib. 12. ca. 7. etiam in sepulchris immorari: vesci quoque dicto stercore, corde ipsius abuti maleficos. Vpupa quoque cristis, à capite exeuntibus est galeata: vnde Ouidius lib. 6. Metam. describens Therei metamorphosim in auem istam hoc pacto cecinit.

OVIDIVS.

Vertitur in volucrem, cui stant vertice cristæ
Prominet immodicum pro longa cuspide rostrum
Nomen epops volucri, facies armata videtur.

Postremò, querulas & mœstas emittit voces. Nónne eadem conueniunt detractoribus? Hic enim ore proprio comedit stercora alienorum vitiorum, cristis est à capite prodeuntibus, hoc est, elatus superbiâ. Corde, id est voluntate eius praua abutitur maleficus diabolus, querula & mœsta voce proximorum vitia propalat atque diffamat.

Porphyrio, symbolum hominis contumacis. RADVLPHVS FLANIAC.

44. Decimoquartò, requiescit Porphyrio, siue pelicanus, symbolum hominis contumacis. *Porphyrio*, ait Radulphus Flaniac. lib. 8. in Leuit. cap. 3. *quem Septuaginta pelicanum nominant, secundum Plinium solo morsu bibit, omnem cibum aqua subinde tingens, deinde ad rostrum pede, veluti manu afferens. Iste, vt existimo, contumaciæ nobis formam prætendit. Sunt enim nonnulli, qui nihil ad alterius imperium, nihil ad alterius arbitrium operis suscipiunt: sed solùm quod aquâ tinctum fuerit, videlicet quod voluptati suæ consentaneum, hoc manu propria, deliberatione scilicet propria, sibiipsis assumunt.* Hæc ille.

Passer symbolum hominis inconstantis.

45. Decimoquintò, requiescunt & nidificant in arbore hac passeres, qui symbolum instabilium hominum. Vnde Hugo Vict. lib. 1. de best. cap. 27. cùm retulisset illa verba Psalm. 10. *Trasmigra in montem sicut passer*, subiungit: *Sub passeris nomine designatur instabilitas mentis in quolibet homine, est enim passer auis inconstans & instabilis, & ideo designat mobilitatem mentis.*

HVGO VICT.

Noctua symbolum hominis prudentis secundum carnem.

49. Decimosextò, requiescit etiam noctua, quæ symbolum hominis sapientis atque prudentis secundum carnem vel mundum. Noctua magnis & glaucis oculorum popillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem, quò fuerit nox obscurior, eò contra auium cæterarum morem, inoffensos exercet volatus: exorta autem die, & circumfuso splendore solis, visus eius hebetatur, quasi quibusdam erret in tenebris, cùm oculos maximos habeat, nónne idem accidit sapientibus huius sæculi? mentalibus oculis nihil vident in solis luce sed solùm in tenebris, cæcutiunt circa solem iustitiæ, Christum, cæcutiunt circa cælestia, ad terrena autem atque mundana aucupanda, acutissimi & subtilissimi visus sunt. Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt, tanquam in solari luce cæcutientes. *Sicut enim*, ait D. Chrysostomus in opere imperf. homil. 5. *qui graues oculos habet, si ponas eum in aliquo obscuro, tenebrosóq; loco, melius videt: Si autem ponas eum in sole, nihil videt: quia oculus eius non suffert solis candorem: sic homo mundialis, qui oculum, id est, mentem terrenis desideriis sordidam habet, & turbulentam, si ponas eum in rebus mundialibus sapit, & astutus est, si autem trahas eum ad res spirituales, tenebrescit, ac nihil sapit; quia mens eius desiderijs corrupta terrenis, iustitiæ bonum non sentit. Non sentit, dico; non: nescit: scit autem; sed non sentit bonum iustitiæ, quia neque delectatur in eo: præoccupatum enim habet cor circa delectationem terrenam.* Noctua in parietum foraminibus se abscondit, sic sapientes illi maximè cauent, ne contractus iniqui, quos ineunt cum simplicioribus, manifestentur, in occulto quàm maximè illos agunt. Dentes habet noctua, illi verba detractoria: Lac & mamillas habet noctua, illi verba fallacia, dulcia & deceptoria: Noctua caudâ caret, sic illi mortis memoriâ: Noctua confugientem ad se passerem, dum aucupes insequuntur, perfidè opprimit, scribit Orus Apollo in Hierog. tales etiam sapientes illi se exhibent simplicioribus; noctua non ouat, imò more bestiarum pullos concipit & procreat, sic sapientes illi non pariunt oua sed animalia, id est, non faciunt opera spiritualia sed carnalia. Noctuæ solo aspectu allectas alias varij generis aues capiuntur ab aucupibus, sic sapientium hominum adiutorio, multi hominum capiuntur à dæmonibus. Noctua quamuis propter alas & volatum auis esse credatur, esse tamen magis bestia comprobatur, murique

CHRYSOS. In rebus mundialibus sapiunt mundani, in spiritualibus cæci.

planè assimilatur. Idem etiam de sapientibus illis rectè dixeris, si ingenium, si perspicacitatem, si industriam attendas, aues dixeris; si mores, si propensiones, si animi impetus, si desideria, quibus nihil sapit, nisi quod terrenum est, mures ac bestias dixeris.

Noctua hæreticorum symbolum. AMBROS. Noctuam hæreticorum esse symbolum vult D. Ambrosius lib. Hexam. cap. 34. ita scribens. *A fide deuij perpetuæ cæcitatis tenebris implicantur, habent in proximo diem Christi, & Ecclesiæ lumen, nihil videntes aperiunt os, quasi scientes omnia, acuti ad vana: hebetes ad æterna & longa disputationis anfractum producentes, inscientiæ propriæ cæcitatem, itaque dum cupiunt subtilibus euolare sermonibus, quasi noctuæ in lumine euanescunt.*

Titara auicula symbolum peccati. Postremò in arbore mundi inuenitur auicula, cui nomen Titara & quidem in tanto numero vt vix dici valeat. Hæc auicula, peccati symbolum dici potest, in quo totus positus mundus. De hac auicula sic

BARTHOLOMÆVS DE SCOBAR. Bartholomæus Scobar sermone 4. de concept. Virg. *Titara, exigua valde auicula, similis paruo culici; quæ cùm leuiter faciem pungens aculeo, manumve, seu pedem, vix vllum sui relinquit vestigium: illud tamen quod minimum impressit stigma, veneno incussit plenum: quod incipit mox paulatim serpere, donec faciem horrendâ quasi leprâ inficiat totam, seu totum pedem, manumve, quam leuiter momordit. Et (quod peius est) profundas quasdam instar neruorum mittit intra faciem manumve radices; quæ nullo vnquam euelli possunt instrumento. Huius generis muscæ in nonnullis Peruani Regni sunt locis; in quorum vno Indorum oppido, Achontama nomine, Iudam feminam ore, virum manu Hispanum, pessimo isto languore vidi laborantes.* Sic ille. An non idem affirmari potest de peccato, eiusque malitia? Paruus videtur culex, sed quàm virulenta non est eius malitia, quam tangit mentem, quàm altas in ea non agit radices.

Quàm infaustus sit mundanæ arboris fructus.

§. V.

Fructus arboris mundanæ ruina. GREGOR. 47. **V**Is videre quisnam huius mundanæ arboris fructus? Fructus eius partusque nisi ruina & excidium. Vnde D. Gregorius postquam retulisset verba illa Lucæ 22. *Videte ficulneam, & omnes arbores: Cùm producunt iam ex se fructum, scitis quia prope est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri*, &c. Eadem sic eleganter enucleat: *Sicut ex fructu arborum vicina æstas agnoscitur, ita ex ruina mundi prope esse cognoscitur regnum Dei. Quibus profectò verbis ostenditur, quia fructus mundi ruina est.* Solet quod radici immiscetur totum fructum arboris sibi assimilari, adeò vt si aroma immisceas radici pyri, verbi gratiâ, inde iam aromatica pyra nascantur; si virus radici apponas, lethalia etiam poma stabunt. Scis quid adiaceat radici mundanę arboris? Audi Christum Matt. 7. *Iam enim, securis ad radicem arboris posita est.* Arbori cuius radici adiuncta securis, an mirum quod non nisi ruinā proferat, & fructus amarissimos? Ne autem dubitet quispiam fructum mūdanæ arboris esse ruinam; Propheta postquam viuo penicillo depinxisset florentem mundi arborem, mox ait, adfuisse de cælo vigilem clamantem fortiter: Succidite arborem, præcidite ramos, excutite folia, dispergite fructus, fugiant bestiæ. Ecce quàm nihil manet intactum in mundana arbore, vt discas nihil in mundo stabile, ac per consequens, nihil amabile.

Quicunque mundanæ arbori ad quietem innixus fuerit, quantumuis polleat fortitudine, prudentia &c. idem illi continget quod elephanti: dū enim elephas, licet robustissimus, vnicum quærit lignū vt quietis soporisque fulcrum; dum lignum illud altera ex parte ad medium ferè vsque concisum fit, corruente arbore, corruit & ipse. Quicunque huic arbori innititur, idem illi accidit quod elephanti. Astum venatoris elephantem venantis sic describit P. Dam. lib. 2. ep. 18. fatus: *Quis etiam admiratione ducat indignum, quòd elephas qui turrita castra tot loricatis plena militibus portat, vnius arboris ictu depressus occumbat? Nam qui triginta duos armatos, vel plures, & cum turribus ad instar vrbium desuper eminentibus subsistendo non cedit, ad casum vnius arboris corruit. Cui, videlicet, arbori frequenter innixus in soporem se quiescendò relaxat. Nonnulli enim has instruunt propter ebur insidias, vt arborem, quam elephas innitendo frequentat, ex altera parte vsque ad medium ferè concidant, & fit arbor ad tam enormem molem corporis corruat.* PETR. DAM. De mundana arbore rectè dixeris, quod de superbia scribit S. Nilus orat. de ipsa superbia: *Arbor sublimis est; putrida tamen, atque eiusmodi ramos habens, qui facilè perfringantur, atque ascendentem in terram prosternant.*

48. Quàm mundi arbor iam hoc sæculo, in quo viuimus, sit ruinosa, ac proinde penitus deserēda, sic sub imagine ruinosæ monet D. Gregor. hom. 4. in Euang. hisce vsus verbis: *Mundus ipsis iam, & à quibus amatur, amarus est. Ipsæ ruinæ eius prædicant, quòd amandus non est. Si enim ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret: & qui stantem dilexerat, recedere quantocyus à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur, opprimi volumus potiùs, quàm habitare: quia nulla nos ratio à ruina illius separat, quod eius passionibus amor ligat. Facile est ergo nunc iam cùm destructa omnia cernimus, animum nostrum ab eius dilectione* Quàm hæc mundana arbor sit ruinosa. GREGOR.

lectione disiungere. Paucis interpositis adducta eadem flagrantis domus imagine, suadet, vt rapiamus à mundo quod valemus, loquentem accipe: *Si quando enim repentinus ignis habitaculum absumit, quisquis eius possessor extiterit, rapit quod valuerit, & fugit: lucrum deputat, si quid secum ex ignibus tollat. Ecce tribulationum flamma mundum concremat, & cuncta quæ in eo speciosa videbantur, sinu iam proximus velut ignis deuastat. Lucrum ergo, fratres charissimi, maximum credite, si vobiscum aliquid de illo rapiatis: si quid fugientes tollitis, si hoc quod perire remanendo poterat, ad retributionem vobis perpetuam largiendo seruatis. Terrena quippe omnia seruando amittimus, sed bene largiendo seruamus.*

Qualiter homines hanc ruinosam mundi arborem fugiunt.

49. Verùm quis Christianorum hanc mundanam arborem iam aridam, iam ruinosam, iam cadentē fugit, quis lucrum æstimat ex illa rapere quod ad cælum transmittat? Longè sanè aliter res se habet, vt grauiter lamentatur & deplorat: idem sanctissimus Doctor hom. 28. in Euang. *Ecce,* ait, *mundus qui diligitur, fugit. Ecce iam mundus in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur: & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ ipsas eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus.*

Gregor.

Miserum labenti inhærere mundo.

Bern.

50. Miserum planè est hominem labenti & transeunti inhærere mundo, qui priùs quàm pertransit, & ipsum hominem à se dimittit. Vnde D. Bernardus epist. 107. sic pingebat quendam Thomam præpositum de Beuerle tardantem Deo respondere: *Generositas sanguinis, proceritas corporis, forma elegans, iuuenilis decor: prædia, palatia, immensa supellex, infulæque dignitatum, adde & mundi sapientiam, de mundo sunt hæc, & mundus, quod suum est, diligit. Sed quousque? Non solùm enim non semper, vtpote qui non semper erit, verùm nec diu quidē. Diu siquidem ista in te mundus habere non potest, & te quippe ipsum in breui non habiturus: Nam breues dies hominis sunt. Mundus quidem transit, sed te priùs emittit, quā ipse pertransit. Quid te sine fine delectat amor mox finiendus?*

Quàm miserum labenti inhærere mundo.

Avgvst.

Miserrimum planè hominem, labenti inhærere mundo & fugientem amplecti, & interim reuocantem Deum, & ignoscentem contemnere vt meritò hanc dementiam in se inuentam sic defleat D. August. lib. confess. c. 12. *Et amplectendo mundum fugientem; & contemnendo te manentem, & reuocantem, & ignoscentem redeunti ad te, meretrici animæ meæ.*

51. Vt videas quàm labilis, quàm fluxa, quàm caduca, & sibi inhærentes qualiter emittat, antequam transeat huius mundi arbor discedendum paulisper à mundialibus rebus, mundique tumultu, vacandum paulisper cælestium contemplationi; & tunc videbis, quàm sint mundana omnia, fluida & transeuntia: De qua re vide, si libet, Baezam in Comment. Moral. ad Euang. to. 2. li. 6. c. 4. §. 5.

Baeza.

Non denegandum animæ, quod pro corpori præstatur.

Senec.

Vt sanam hanc haurias mentem, ne deneges animæ, quod pro corporis recuperanda incolumitate non libenter præstares, & exequereris. *Si ager esses,* ait Senec. epist. 53. *curam intermisisses rei familiaris & forensia tibi negotia excidissent: nec quemquam tanti putares, cui aduocatus in causa descenderes: toto animo id ageres, vt quàm primùm morbo liberareris.* Tandem concludit: *Omnia impedimenta dimitte & vaca bonæ menti: nemo ad illam peruenit occupatus:* Notanda nimis ea Philosophi verba: *Nemo ad illam peruenit occupatus.* Depone ergo, ô Christiane, onus mundanarum occupationum, conare vt sanam habeas mentem, hac sana mente perpende tristem exitum bonorum mundialium, & fælicissimorum laborum, pro acquirenda virtute & possessione regni cælestis assumptorum, & illa prorsus contemnes, & hosce ambies ac desiderabis.

Qui arboris vitæ, id est, Christi, vult esse particeps, cauere debet à læthali peccati arbore.

§. VI.

Cauendum à læthali peccati arbore.

Bonav.

Peccatum arbor mortis.

52. QVi vult inseri arbori vitæ Christo, cauendum etiam sibi ab arbore peccati, ab arbore mortis. *Peccatum est arbor mortis,* ait D. Bonauentura ser. 2. in hexam, *gratia est arbor vitæ. Stultus esset, qui in horto suo plantaret arborem mortis, in qua deberet suspendi. Peccatum est arbor, in qua debet peccator suspendi.* Sic ille. Vt meritò peccatum comparaueris illi arbori, à cuius ramis pependit miser Absalon, postquam radici suæ, id est, parenti conatus est immittere gladium. Quò respiciens D. Chrysostomus in Ps. 3. ait: *Ab arbore detinebatur, qui cum radice pugnabat, & tamquam fructus pendebat ab arbore.*

Chrysos.

Lavr. Ivstin.

53. Quamuis arbori mortis, comparem peccatum, nihilominus vt ait Laurentius Iustin. lib. de grad. perfect. cap. 1. *Peccatum nulla est substantia, vt res aliqua: sed est voluntas retinendi & sequendi, quod iustitia vetat. Est etiam præuaricatio legis diuinæ, & cælestium inobedientia præceptorum. Per hoc enim homo fit alienus à Deo, interemptor sui,* &c.

Quā amari prodeant ex peccati arbore fructus.

Lavr. Ivstin.

54. Quàm amari prodeant ex hac arbore fructus, sic loco citato docet Laurentius Iustin. *Per peccatum fit homo gehennæ filius,*

filius, confusionis domus, diaboli seruus, dissipator naturæ, gratiæ illusor, gloriaq́; contemptor. Nam & peccatum dona naturalia vulnerat, spoliat gratuitis, animam maculat, amaricat conscientiam, cor indurat, insensibilem hominem reddit, ad alia peccata trahit, bona, quæ fiunt, infructuosa esse facit: stultum hominem esse ostendit, & ipsam animam possidendo interit. Nemo prorsus reserare valet, quàm perniciosum sit peccatum, & quanta homini per eundem inflicta sunt mala. Vnde, quæso, pestilentiæ, fames, bella, deprædationes, furta, rixæ, æmulationes, contentiones, flagitia pessima, horrenda crimina, stupra, incestus, adulteria, homicidia, veneficia, proditiones, blasphemiæ, sacrilegia, & idololatria proueniunt, nisi ex fomite & radice peccati? Vnde, inquam, aëris intemperies, inundationes aquarum, grandines, tempestates, fragores æquoris, euersiones vrbium, prouinciarum incommoda, strages hominum tam crebrò emergunt, nisi occasione peccati? Nam ex ipsius pœna in humanis corporibus vigent febres, dolores capitis, obturationes aurium, oculorum & luminis amissio, fœtor anhelitus, cruciatus ventris, stomachi repletio, humorum ebullitio, libidinis ardor; lepra, scabies, podagra, iliorum, cordis, pulmonis, & iecoris passiones, & penè innumerabilia morborum horum similium genera, quæ profectò vniuersa minimè accidissent, si peccatum esse desiisset. Postremò corporis resolutio dira, gehennale incendium, dentium stridor, insolabilis fletus, palpabiles tenebræ, dæmonum horridus aspectus, desperatio veniæ, cruciatus perpetuus, vniuersale iudicium, extremaque animaduersio iudicis, nequaquam essent facienda, si præcepti transgressio defuisset. Pro eodem denique deordinatum est cælum, ceciderunt angeli, de paradisi amœnitate expulsi fuere primi parentes, inundauerunt diluuij aquæ, in fauillam redacta sunt Sodoma & finitimæ ciuitates, submersus est in mari rubro Pharao, in seruitutem sæpe traditi sunt filij Israel, crucifixus est Dominus, atque in diuersis temporibus iudicia facta sunt maxima. Hactenus ille.

CHRYSOS. 55. *Ex peccato*, ait D. Chrysostomus homil. 5. de pœnit. *tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes quotquot nos premunt passiones. Vnde Dominus ostendere volens malorum omnium causam esse peccatum, paralytico dicit, vbi anima & corpore paralyticum vidisset; vade, sanus factus es, noli ampliùs peccare, ne tibi aliquid deterius fiat.* Qualiter ex peccato morbi generentur, vide D. Chrysostomum homil. 37. in cap. 5. Ioan. tom. 3. (IDEM.) Quòd ob peccata soleat Dominus immittere pestilentiam, famem, bellum, vide apud Iacobum Marchantium in horto past. tom. 2. tract. 2. & seq. quod omnes miseriæ sunt peccati vectigalia vide apud Didacum de Celada in Iudith cap. 5. vers. 10. §. 28. & cap. 11. vers. 5. §. 16. 17. 18. 19. 20. 21. (DIDACVS DE CELADA.) Quæ mala inferat peccatum tum in hac, tum in altera vita, vide Lessium de perfect. Diu. (LESSIVS.) libr. 13. cap. 28. vt meritò dixerit Eliphas apud Iobum cap. 5. *Nihil in terra sine causa fit, & de terra non oritur dolor.* In quæ verba sic Diuus Gregorius 6. Moral. 5. adducens & illud Sapient. 5. (GREGOR.) *Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos*, id est, creaturæ, quæ nos malis impetunt, non pro seipsis hoc faciunt, sed tamquam vindices iniuriæ Deo illatæ: *In quibus*, ait Diuus Gregorius, *nimirum cunctis patenter aspicitur, hoc, quod quidam sapiens de Domino testatur, dicens: Et pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos, cum Domino pugnat, quando, & in pœna delictorum elementorum aduersitas militat: sed tamen de humo dolor non egreditur, quia res qualibet insensibilis ad afflictionem nostram stimulo nostræ actionis excitur. De humo dolor non egreditur, quia nequaquam de ea pœna nascitur, creatura quidem percutit; sed ea proculdubio, quæ peccando vim percussionis extorsit.*

Expende vltima verba Gregorij. *Sed ea proculdubio, quæ peccando vim percussionis extorsit.* Extorquent peccata nostra à Deo vindictam, quam si velimus suspendere, vel depellere, vitia & peccata depellenda, vt verissimè dixerit Saluianus, lib. 4. de gubernat. Dei. (SALVIANVS.) *Nihil itaque mirum est, si deteriora quotidie patimur, qui quotidie deteriores sumus: Et noua enim quotidie mala faciunt, & vetera non relinquunt: Surgunt recentia crimina, nec repudiantur antiqua. Quis ergo est causationis locus? Quamlibet aspera & aduersa patiamur, minora patimur, quàm meremur. Quid querimur, quòd durè agat nobiscum Deus? multò nos cum Deo duriùs egimus. Exacerbamus quippe Deum impuritatibus nostris, & ad puniendum nos trahimus inuitum. Cumque eius natura sit mens Dei atque maiestas vt nulla iracundiæ passione moueatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, vt per nos cogatur irasci. Vim, vt ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ. Cumq́; eius benignitatis sit, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare.*

56. Si arbor peccati tam noxia, & tam amaros proferat fructus, qui fieri potest, vt eam in corde suo plantet homo; qui fieri potest, vt hac arbore delectetur homo? (Quid agat diabolus vt inducat hominem ad pestiferam hanc arborem degustandam.) Scis quid agat diabolus, vt inducat hominem ad pestiferam hanc degustandam arborem? In primis, excitat in homine appetitum & concupiscentiam rei vetitæ, cui cùm obsequitur, non iam amara, sed dulcis videtur peccati degustatio. De quo sic pulchrè Diuus Gregorius 15. Moral. 38. exponens enim locum illum Iob capite 21. (GREGOR.) *Dulcis fuit glareis Cocyti*, de diabolo, & per glareas siue lapides cocyti intelligens reprobos, qui per terrenam concupiscentiam, more glareæ, quotidianis lapsibus ad ima delabuntur, sic ait: *Alijs namque*

que gustum suæ dulcedinis per superbiam: alijs per auaritiam: alijs per inuidiam: alijs per fallaciam: alijs per luxuriam porrigit: & ad quanta vitiorum genera pertrahit, quasi tot suæ dulcedinis potus propinat. Nam cùm aliquid superbum in mentem persuadet, fit dulce, quod dicit: quia videri prælatus cæteris hominibus peruersus appetit. Dum menti auaritiam infundere molitur, fit dulce, quod occultè loquitur, quia per abundantiam necessitas vitatur. Dum aliquid de inuidia suggerit, fit dulce, quod dicit: quia peruersa mens dum alium decrescere viderit, exultat se eo minorem minimè videri. Cùm aliquid de fallacia persuadet, fit dulce, quod suggerit: quia eo ipso quo fallit cæteros, prudens videtur sibi. Cùm luxuriam deceptæ menti loquitur, fit dulce, quod suadet: quia in voluptate animum resoluit. Quot ergo vitia carnalium cordibus inserit, quasi tot potus suæ eis dulcedinis porrigit. Bene ergo dicitur: Dulcis fuit glareis cocyti: quia amarus electis, & suauis est reprobis. Hactenus Gregor.

Vt Euam ita & inducit in peccatum diabolus.

57. Legimus Genes. c. 3. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Quæ verba expendens Moses Bar-cepha in comment. de paradiso part. 1. sic accommodatè ad rem de qua agimus scribit: *Viderat quidem fœmina arborem illam etiam priùs quàm illam serpens adijsset, neque enim poterat lege inhiberi ipsi arbor non visa. Quod verò Moses iam ait: vidisse mulierem quòd pulchra esset arbor ad vescendum, & quæ sequuntur alia, ostendit alio modo ante dæmonis accessum visam ab illa fuisse arborem, alio post: antea enim simpliciter intuita ipsam fuerat: at posteaquam à serpente decepta est, atque ad fidem huius verbis habendam inducta, tum demum vidit arborem esse pulchram ad vescendum, & spectatu expetibilem; quippe immoderato dissolutoque appetitu tunc arborem aspexerat: Solet enim huiuscemodi cupidinis immoderatio, si quando animum inuasit, ea in quæ intenditur, omnium pulcherrima, gratissimaque ducere, sicuti euenire videmus ijs, qui improbo fœminæ alicuius amore detinentur, ea enim, etiam si sæpe sit fœdissima, deformissimaque, tamen bene pulchra & venusta in illorum oculis habetur, adeò vt illorum cæcitas iis sit ostentui, qui ab ea permotione animi aduersus illam fœminam vacui sunt.* Hactenus ille.

Rupert.

Hac de re etiam scitè & eleganter Rupertus, qui postquam annotauit, non dixisse scripturam: Vidit mulier, & tulit, sed, *vidit quòd bonum esset lignum, subiungit: Vidit igitur, id est, considerauit, diligenter intuita est, curiosiùs attendit, & Iudex eorum quæ audierat ipsa esse voluit: Audierat quòd dixisset Deus: in quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini: audierat serpentem è contrario dicentem: Nequaquam moriemini; inter hæc anceps naturam ligni propriis sensibus diiudicare voluit, vt sciret, cui potissimùm, Deo videlicet, vel serpenti palmam concederet veritatis: at illi qui de hoc iudicare debuerant interiores oculi, exteriorum iam erant oculorum concupiscentiâ præpediti, vt non viderent, neque solam mortem corporis, vel quòd duplicem illatura esset mortem, non natura ligni, sed transgressio mandati* &c. Ecce malè iudicauit mulier, maleque interioribus oculis inspexit, quia exteriores passione obtenti, ad se interiores rapuerunt. Concisiùs de eadem re Chrysostomus lib. 1. de prouidentia, vbi expendens verba illa Gen. 3. *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis.* &c. sic scribit: *Nec quidem diaboli solius est omnis illa seductio: sed suâ etiam concupiscentiâ mulier, corrupta corruit: atque hoc scriptura sacra indicat, quæ dicit, vidit,* &c.

Chrysos.

58. Postquam viderit diabolus nos appetitu prauo & deordinato in rem aliquam vetitam ferri, iam taliter nouit eam depingere & fuco quodam obducere, vt planè aurea videatur, & omnibus expetenda modis. Scribit Nouarinus lib. 1. Sacror. elect. sect. 9. ex chronico Misnensi, quòd Henricus Landgrauius hastiludia instituit, arborem aureis & argenteis folijs erexit: singulis concurrentibus & frangentibus hastas, sed in sessione permanentibus, argenteum folium, si quis autem aduersarium, ex equo deiecisset, ei aureum folium dabatur. Nouit diabolus etiam difformem & turpissimam peccati arborem, argenteam imò auream reddere, oculis prauâ concupiscentiâ præoccupatis. Quòd diabolus totus sit in deaurandis peccatis ne appareant vide apud Baezam, in com. moral in Euang. tom. 2. lib. 6. cap. 3. §. 7.

Diabolus ingeniosus pictor.

Novarinus.

Nouit turpissimam peccati arborem, reddere argenteam.

Baeza.

59. Quam veritatem etiam ethnici agnouisse videntur. Nam finxerunt poëtæ in ipso introitu inferni, collocatam esse auream arborem, aureis ramis plenam, à qua cùm vnum decerpsisset Æneas cum eo ad tenebrarum regnum accessit, quam arborem, vt ab ea aureum ramum decerperet, dicuntur illi ostendisse geminæ columbæ vt canit Virg. 6. Æneid.

Inordinatus appetitus & concupiscentia ostendunt hanc arborem peccatori.

—— liquidumque per aera lapsæ
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt
Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.

Quid enim illa aurea designat arbor, quàm ipsum vitium, ipsamque iniquitatem. Aurea hæc arbor, rectè dicitur in introitu inferni collocata, quia per peccati degustationem ad infernum homo transmittitur. Auream peccati arborem, cùm alioquin vitium nocentissimum haberetur vt patet ex Plutarcho in conuiuio, ostendunt homini geminæ columbæ, id est inordinatus appetitus, & praua concupiscentia rei vetitæ.

60. Verùm idem diabolus, qui homini in viuis constituto, nouit peccati arborem auream obijcere, idem in morte eam obijcit squallidam prorsus, & sordidam, sublato omni fuco, & fallaci splendore, vt homo planè cernens, quam ob vilem

In morte diabolus offert peccati arborem non auream sed nigerrimam

rem Dei summam maiestatem ad iram prouocauit à desperatione absorbeatur. Rem sic in particulari exprimit Aelredus, serm. 9. in Isaiam, aiens: *Apparente enim dæmone fornicationis immundo cuilibet morienti, non poterit non stupere qui viderit. Quod blandum cernitur, & iucundum, dum suadetur, amarum sentitur, dum improperatur: stupetque miser durum inuenire & immitem, quem sæpe expertus fuerit suauem.* Sic blanda peccata, sic blandæ voluptates, tunc temporis videbuntur à miseris adeò terribiles, vt illos in stuporem & horrorem rapiant. Idem loco cit. expendens illud Is. cap. 13. *Et replebuntur domus eorum draconibus.* Sic conuenienter scribit serm. 10. *Tunc replebuntur domus eorum draconibus, quando vitia quæ nunc iucunda videntur & dulcia, in hominis conscientia draconis speciem præferent, cuius & faciem horreat & flammam non ferat. Dicuntur enim hi bestiæ terribilis esse vultus, naturæ tam igneæ, vt flammas ex se emittere videantur. Ita profectò vitia, & peccata, quæ nunc delectant, damnatis apparebunt horrenda, & materiam æterni incendij ministrantia.* Sic ille. O infælicissimam, & maximè infaustam peccati arborem.

AELREDUS. IDEM.

61. Vis scire quænam sit huius infelicissimæ arboris radix vt semper illam præscindas, nec vllatenus germinare & pullulare in corde permittas? Radix est praua cogitatio, hanc si mox vt præsenseris, præsciderìs nullatenus peccati arbor in corde tuo crescere poterit: *Istis fomitibus,* ait Laurent. Iustin in lib. de ligno vitæ, de orat. c. 4. *quasi quibusdam gradibus, omne peccatum coalescit. Cogitatio enim praua delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. Ex quo patet, quòd resecta cogitationis radice cuncta peccati arbor exsiccatur.*

Radix huius infelicis arboris est cogitatio. LAVRENT. IVSTIN.

62. Sin autem eò res deuenerit, vt cogitatio in consensum imò in actum transierit, & peccati arbor in corde excreuerit, conandum est, vt dum parua est & antequam robustior euadat, penitus euellatur. Cùm enim parua est arbor tunc manibus poterit summa tellure reuelli, si verò radices egerit, nunc stat in immensum viribus nixa suis, & nonnisi cum magna tollitur difficultate. Audi Ambrosium in psalm. 1. *Vt in stipulam ignis exiliens inhæret & permanet, donec omne quod corripuit, absumat, ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat. Cauenda ergo prima sunt vitia, ne in plura, deinde grandiora proserpant. Etenim sicut ij, qui se in luto versant, quò magis volutantur, eò ampliùs inquinantur, ita qui semel se luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velociter exiliat, grauius sibi dedecoris sui cœnum per singulos dies, lutulentæ conuersationis obducit.* Sic ille. Vide quædam huc spectantia apud Baeza in com. mor. in Euang. tom. 1. lib. 3. c. 7. §. 8.

Dum parua peccati arbor est, euellenda. AMBROS.

63. Quantumuis autem excreuerit peccati arbor, quantumuis altas egerit radices, omni nihilominus conatu conandum & laborandum vt exscindatur & à corde euellatur, quod qua ratione peragatur subindicat D. Anselmus lib. de simil. cap. 145. *Est*, ait, *sciendum, quem magni alicuius pœnitet criminis, sibi esse agendum, more arborem magnam succidere volentis. Sicut enim ille minora in circuitu arbusta priùs curat succidere, ne sibi arborem ipsam succidenti possint obesse: sic & huic vitia minora, illi crimini vicina priùs sunt extirpanda, ne quæ sibi crimen ipsum destruenti ferat impedimenta.*

Quantumuis excreuerit peccati arbor, euellenda, & qualiter id fiat. ANSELM.

64. Neque sufficit, si peccati arborem superficie tenus radas nisi intrinsecus etiam eradices. Nam vt ait D. Bernardus serm. 2. de Assumpt. Virginis. *Excisam non extirpatam arborem, in syluam pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos. Non solùm inueniatur in nobis exercitatio corporalis ad modicum valens, sed inueniatur vtilis ad omnia pietas.*

Hæc arbor non superficie tenus eradicanda.

65. Semel radicitus excisam peccati arborem, vis impedire ne ampliùs in te germinet & crescat? hortus sit anima, diuinæ gratiæ aquis irriguus, non autem sterile, siccum, & arenosum desertum. Nihil enim tam est contrarium huic mortiferæ & læthali arbori, quàm diuinæ ac vitalis gratiæ succus, & humor. Comparari enim potest arbor peccati arbori illi quæ apud Iapones inuenitur, de qua sic Ioan. Petrus Maffæus lib. 12. Histor. Indicæ: *Arbores vel ad amœnitatem, vel ad fructum ferunt haud absimiles nostris. Vnius tamen, quæ palmam imitatur, ignoto nomine, admirabile prorsus ingenium: siquidem (vti perhibent) humorem quemlibet reformidat: si fortè maduerit, contrahit illicò sese, ac veluti pestifero contactu marcescit: remedio est, auulsam radicitus, in sole siccare, & in vacuum scrobem, scoriam ferè contusam, vel sitientem arenam infundere: ibi, postquam aruerit, rursus depasta reuirescit, ac pristinum nitorem decoremque recipit.* Sic ille. Vt arbor illa reformidat quemlibet humorem naturalem, ita peccati arbor reformidat omnem humorem gratiæ supernaturalem, qui quamdiu rigat hortum animæ, non est peccato alicui mortifero locus.

Semel excisa peccati arbor, impediendum ne crescat. PETRVS MAFFÆVS

66. Deserta, aridosque campos amat peccatum, non loca viridia & amœna, nemoribus, folijs, floribus, fructibus. Cùm Cain Abeli fratri mortem moliretur, his verbis adoritur Genes. 4. *Egrediamur foras. Cumque essent in agro consurrexit Cain contra fratrem suum Abel, & occidit eum.* Ambrosius lib. 8. de Cain & Abel cap. 8. legit: *Egrediamur in campum, & in agrum.* Vtrumque autem nomen ex ipsius sententia significat locum horridum, squallidum, & sine arboribus, deinde formata hac interro-

Desertos, aridosque campos amat peccatum. AMBROS.

interrogatione: *Quid igitur sibi vult, quod ait, eamus in campum?* Respondet, *Nisi quia locus nudus gignentium eligitur parricidio, meritò ipse dicit: Eamus in campum, non dicit: eamus in paradisum, vbi poma florent, non in aliquem cultum, & frugiferum locum.* Nihil peccato commune cum virenti & amœno loco, cùm ipsum maximè sit horridum & squalidum, nedum cum humano animo, diuinæ gratiæ succo irriguo & virtutum viriditate decoro.

Sicut granum synapis est maximè medicinale, ita etiam Christus, qui qualiter humano generi medelam & salutem attulerit, per similia, quibus perierat, fusè demonstratur.

SECTIO IX.

Christus salutem attulit per similia. Synapis granum medicinale. AMBROS. LIVINUS LEMNIUS.

SYnapis granum maximè medicinale: *Synapis*, ait Ambrosius serm. 1. *iniquos humores decoquit corporum*, & paulò superiùs: *Sæpe etiam ex hoc, capiti adhibent medicinam, vt si quid inualidum, si quid ægrotum fuerit, synapis igne curetur. Synapismus*, hoc est, *cataplasma ex contuso Synapis*, ait Liuinus Lemnius in herbis biblicis cap. 32. *membris stupidis, vel lethargo, vertigine, apoplexia, paralysi, epilepsiâ oppressis motum, sensumque excitat, atque inulcerata nonnihil cute sanitati restituit.* Similiter ad conferendam animæ sanitatem atque salutem, quid efficacius, quid conducibilius Christo? *Per sapientiam*, ait Sapiens, Sap. cap. 9. *sanati sunt, quicumque tibi placuerunt à principio.* Et quænam hæc sapientia nisi ipse Christus? nam de salute spirituali per Christum & fidem in ipsum, omnes hunc locum interpretantur. De sanitate per Christum collata sic conuenienter Clemens Alex. Pædag. lib. 10. cap. 11. *Per exiguum granum, quod allegoricè dicitur, vniuersæ humanæ naturæ plurimam salutem largitur. Atque mel quidem cùm sit dulcissimum, bilem generat, quemadmodum quod bonum est, contemptum: quod quidem causa est peccandi. Synapi autem & bilem diminuit, hoc est, iram: & phlegma exscindit hoc est fastum atque superbiam. Ex quo verbo, vera animi sanitas, æternaque bona temperatura accedit.*

Confert Christus sanitatem. CLEMENS ALEX.

2. Vis scire, quâ viâ quâve ratione Christus humano generi sanitatem siue salutem restituerit? *Christus*, ait D. Augustinus de sanctis serm. 19. *Ea bonitate quâ nos condidit, eâdem nos reformare voluit: & ad hoc medicamentum nunquam forte posuit, sed quàm lenius complexioni ægrotantis competere perspexit, apposuit. Solent quippe medicinæ periti, ægritudines, quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria, aliquando per similia. Hoc fecit Dominus noster Iesus Christus, sua paupertate nos ditans: sua humilitate, nos subleuans: sua infirmitate nos sanans, sua morte nos viuificans. Sic ratione medicinæ, sicca humidis, humida siccis, calida frigidis opponuntur, & minùs fortia contraria, à fortioribus contrarijs superuenientibus superantur. Simili ratione similia similibus apponuntur, cùm secundum quantitatem vulnerum, vel tumorum mensuratur longitudo vel latitudo epithematum. Sic scorpionum carnes oleo coctæ percussionibus medentur scorpionum, sic theriaca de serpentis carne confecta, morsibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas in potu sumpta expellit. Ad hanc similitudinem medicus noster mortem carnis nostræ de serpente venientem, carnis suæ morte sanauit, & ad immortalitatis suæ speciem in tempore restitutionis complendam reformauit.* Sic Augustinus.

Per similia & per contraria curauit genus humanum Christus. AVGVST.

3. Sed hæc omnia latiùs & fusiùs expendenda, vt diuini verbi sapientia, in redimendo homine impensa, magis elucescat, nam in prædicta redimendi ratione cõsistit varia & multiformis illa Sapientia Dei quam D. Paulus ad Ephes. cap. 3. per Ecclesiam innotuisse dicit principibus & potestatibus in cælestibus, teste Gregorio Nyssen. homil. 8. in Cant. vbi sic scribit: *In prioribus solam simplicem & vniformem Dei sapientiam temporibus nouerant supramundanæ potestates, congruenter suæ naturæ facientem miracula. Nec in ijs quæ cernebantur erat quicquam varium, in eo quod cùm esset virtus ac potestas naturæ diuinæ, liberè omnem faceret creaturam solo motu & impulsu voluntatis, & rerum naturam deducens ad generationem, omnia faceret valde pulcra manantia ex fonte pulchritudinis. Varium autem hoc ac multiplex genus sapientiæ, quod constat ex connectione cum contrarijs, nunc apertè ostensum est per ecclesiam, nempe quemadmodum suo liuore, suisque vibicibus nostra sanauit vulnera: quemadmodum imbecillitate crucis, vires expugnat aduersarij: quemadmodum redimit captiuos, tum ipse sit qui emat, & sit ipse pretium: seipsum enim dedit pro nobis morti pretium redemptionis: quemadmodum & est in morte, & à vita non recedit: quemadmodum & miscetur seruituti, & manet in regno: Quomodo facta fuit vita per mortem, & per peccatum*

Multiformis Dei sapientia elucescit in redemptione hominis impensa. GREGOR. NYSSEN.

tum iustitia, & per maledictionem benedictio, & per ignominiam gloria, & virtus per imbecillitatem. Hactenus Nyss. Primò videamus qualiter per similia, postea videbimus, qualiter per contraria, cælestis medicus Christus nos restituerit sanitati.

4. Vis videre qualiter per similia, nos sanitati, siue æternæ saluti restituerit Dominus Iesus?

Per verbum damnati, per verbum viuificati sumus.

5. Primò, Deus verbo suo perditionem hominum fuerat executus, dum mortis falce ferimur, ad idem verbum recurrit, vt inde negotietur nostram salutem. Non ipse pater sibi hoc munus attribuit, nec ad id tertia Trinitatis persona mittitur: *Quoniam*, ait D. Athanasius, *Deus locutus erat in verbo, terra es, & in terram abibis, probè, & congruenter per idem illud verbum, & libertas, & rescissio condemnationis perfecta est.* Sic ille serm. 3. contra Arianos.

ATHAN.

Imago Dei fuit in homine deturpata, vt reformetur, filius Dei, ipsa imago Dei inuisibilis ad hominē venit.

6. Secundò, imago Dei in homine per peccatum fuit deturpata, vt reformetur filius Dei, ipsa imago Dei inuisibilis, vt loquitur Paulus Col. 1. ad visibilem imaginem Dei, peccato deformatam venit, vt restituat; *Imago, id est, verbum Dei* (ait D. Ambrosius in Psalm. 118. octon. 10. in ea verba: *manus tuæ fecerunt me*) *Ad eum qui est ad imaginem, id est, hominem venit, & quærit imago eum, qui est ad similitudinem sui, vt iterum signet, vt iterum confirmet. Non erat*, inquit Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 13. *possibile, aliter terrestris hominis imaginem, id est, corruptionem quam peccando induimus, effugere, nisi cælestis hominis imago, & eius pulchritudo vocatione adoptionis nobis impressa esset: participes enim ipsius facti per Spiritum sanctum & suo signati sigillo, ad similitudinem eius, & in primitiuam imaginis figuram conscendimus.*

AMBROS.

CYRILL.

Homo oppetierat similitudinem diuinam, & ideo damnatus naturalis similitudo patris eum redemit.

7. Tertiò, homo cùm Dei similitudinem in seipso gereret, diuinitatis appetitu diuinam similitudinem inuaserat, atque hinc ad iumentorum similitudinem delapsus est, vt ait Dauid psalm. 48: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ratio exigebat vt filius, qui naturalis patris similitudo est ad hominis lapsi similitudinem descenderet, vt & illius similitudinem repararet, & vtraque, & Dei & hominis similitudo in homine existeret. *Certè*, ait Richardus Victor. lib. de verbi Incarnation. cap. 10. *Per præsumptionem vetiti., & quasi per rapinam gestiuit homo ascendere ad similitudinem Dei: vt igitur modus satisfactionis responderet modo præuaricationis: ratio exigebat, vt ruinæ nostræ reparator, per exinanitionem descenderet de similitudine Dei, ad similitudinem lapsi. Filius autem est imago & figura Patris. Ipsum itaque iuxta congruum debitæ expiationis modum oportuit descendere, & assumere similitudinem hominis: vt vnus atque idem haberet similitudinem Dei ex generatione diuina, & similitudinem hominis ex generatione humana.*

RICHARDVS VICT.

8. Quartò, homines in Adamo, Dei scientiam plus æquo appetierunt, consenserunt enim serpenti dicenti: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*, ac proinde grauiter in diuinam sapientiam, quæ filio propria est, peccauerunt, ab ipsa sapientia Dei filio, à casu sunt erecti. *Omnes*, ait D. Bernardus serm. 1. de Aduentu, *in Adam peccauimus, & in eo sententiam damnationis accepimus omnes: quid agit filius videns pro se zelare Patrem, & nulli penitus parcere creaturæ. Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit: altitudinem meam primus Angelus affectauit, & populum qui sibi crederet, habuit: sed continuò Patris zelus grauiter vindicauit in illum, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, surripere voluit homo, & nec ille quidem misertus est, nec pepercit oculus eius* &c. *Ergo vt sciant, quia & ego diligo patrem, per me recipiat, quos quodammodo per me amisisse videtur.*

Homo in diuinam sapientiam peccauit, ab ipsâ Dei sapientiâ à casu fuit erectus.

BERNAR.

9. Audi etiam Richardum Vict. *Quid est filius nisi sapientia Dei? Specialiter itaque in sapientiam peccauit, qui scientiam per rapinam obtinere voluit. Pensate, si potestis: ex vno quàm iustum, ex altero quàm pium fuit, vt filij sui iniuriam Pater vindicaret, filius ignosceret.*

RICHARDVS VICT.

10. Quintò, vicerat diabolus hominem, ipse quoque diabolus victus est ab homine Deo. Quod optimè sic deducit D. Augustinus lib. Cur Deus homo cap. 6. *Subtilem subtiliter voluit Deus inimicum expugnare, & quasi sub esca humanitatis, hamum celauit Deitatis, quatenus ille, qui omnem carnem subegerat, talem inueniret, quæ sibi prorsus nihil deberet quàm dum illicitè contingeret, meritò eam, quam licitè quodammodo possidebat, amitteret. Sic quippe serpens antiquus deludendus erat, vt qui homines deluserat, per hominem Deum delusus & ipse fieret.* Idem Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 18. *Pertinebat*, inquit, *ad iustitiam & bonitatem creatoris vt per eandem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat, & de ipso quod victum fuerat genere assumeret hominem Deus, per quam generis humani vinceret inimicum.*

Vicit hominem diabolus, Diabolus quoque victus ab homine.

AVGVST.

11. Pulcherrimè quoque hac de re D. Leo, ser. 1. de natiuit. *Dei namque filius secundum plenitudinem temporis, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo, naturam generis assumpsit humani, vt inuentor mortis diabolus, per ipsam quam vicerat, vinceretur, in quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis iure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sæuissimo hoste, non in sua maiestate sed in nostra congreditur humilitate,*

S. LEO.

militate, obijciens ei eandem formam eandemque naturam.

Obiectu diuinitatis hominē in fraudem induxerat diabolus, obiectu humanitatis deceptus est diabolus. GREGOR. NAZIAN.

12. Sextò, obiecta diuinitatis spe hominem in fraudem induxerat diabolus, diabolo obijcit Christus humanam formam & carnem, vt carnis prætextu inescaretur & deciperetur. *Quoniam*, ait Gregorius Naz. Orat. 39. *ille vitij pareus, & effector, ideo se inuicto quodam robore præditum esse existimabat, quia nos diuinitatis spe obiecta, tanquam illecebra quadam in fraudem induxerat. Ideo ipse quoque carnis prætextu inescatur, vt dum quasi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat, atque ita nouus Adamus pristinæ saluti & incolumitati veterem asserat, sententiaque aduersus carnem pronunciata, rescindatur, morte nimirum à carne oppressa, & interempta.*

Fæmina causa perditionis: fœmina causa salutis. AVGVSTI.

13. Septimo, Fæmina causa perditionis, fæmina causa salutis, dum vnigenitum Dei concepit, & peperit. Pulchrè Augustinus lib. 3. de Symbol. ad Catech. cap. 4. *Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura à Iesu Christo Domino nostro reparata est. Adam superbus, humilis Christus per fæminam mors, per fæminam vita: per Euam interitus, per Mariam salus. Illa corupta secuta est seductorem, hæc integra peperit Saluatorem. Illa poculum à serpente propinatum, libenter accepit & viro tradidit; ex quo simul mererentur occidi: Hæc gratia cælesti desuper infusa, vitam protulit, per quam caro mortua posset resuscitari. Quis est qui hæc operatus est, nisi virginis filius, & virginum sponsus, qui attulit matri fœcunditatem, & non abstulit integritatem.* Sic August.

IDEM.

14. Idem serm. 17. in natali Domini. *Cùm per plerasque temporum gyrantium rotas, mundiale curriculum volueretur, neque quisquam mederetur & ingrauescentibus culpis ruinæ præcipitis, ictu & fremitu, totius orbis membra puluescerent, & nemo succurreret: ad fæminam causa reuertitur, & origo per originem detruncatur, origo peccati; per genitricem Christi: prosapies impietatis, per prosapiam pietatis: stirps mortis, per stirpem vitæ percutitur.*

BERNAR.

15. Prodeat quoque in medium mellifluus doctor, ac de tam dulci mysterio, dulce conferat colloquium, sic enim loquitur homil. 2. Super missus. *Quid dicebas, ô Adam? mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam. Redditur ergo fæmina pro fæmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis fructum tibi porrigat vitæ. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis & dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo. O admirandam, atque omni honore dignissimam virginem! O fœminam singulariter venerandam, benedictam inter omnes fœminas!*

Diabolus cum muliere aggressus est Adamum, ita Christus cum virgine superauit diabolum.

16. Cùm autem diabolus non solus aggressus sit Adamum, sed cum muliere; cuius infirmitate vsus virum sibi subiecit, vt æquali ratione Christus diabolum aggrederetur, de illoque obtineret victoriam, non solus debuit eum petere, sed cum fœmina: Ideo nasci de Maria voluit, vt vnà cùm matre prosterneret hostem. *Nec enim*, ait D. Irenæus lib. 3. aduers. Hæreses, *iustè victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semetipsum contrarium statuens homini. Propter hoc, & Dominus semetipsum filium hominis confitetur.*

Femina nos decepit, diabolus à fœmina & ipse deceptus est.

17. Octauò, neque id etiam caret mysterio, quòd ad virginem desponsatam mittitur angelus, nimirum, vt maior esset congruentia inter lapsum & restaurationem hominis, vt sicut diabolus seduxit fœminam, ipse similiter à fœmina sed virgine deciperetur. Ad desponsatam viro missum esse angelum, vt principem huius sæculi, incarnationis filij Dei, lateret mysterium, plurimi Patres vno consensu testantur, quorum primus D. Ignatius, quem honorificis verbis citant atque sequuntur Origen Ambrosius in Lucam, Basilius homil 53. de natiuit. Saluat. BASILIVS.
Damascenus lib 4. cap. 15. idipsum his DAMASC.
verbis testatur. *Quia ergo obseruabat virgines nostræ salutis inimicus, propter Isaiæ prædictionem dicentis: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus, vt deciperet eum qui semper in sapientia gloriatur, ipse qui deprehendit sapientes in astutia eorum, in desponsationem puella Iosepho à sacerdotibus traditur, vt nouus liber litteras scienti. Nam desponsatio custodia virginis erat, & virgines obseruantis depulsio.*

Per Euæ aures mors intrauit, per aures Mariæ vita. AVGVSTI.

18. Decimò, Per Euæ aures mors intrauit in mundum; sic per aures Mariæ vita est ingressa. D. Augustinus serm. 9. in natali Domini. *Quomodo diabolus per serpentem Euæ loquens, per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum, ad Mariam protulit verbum, & cunctis sæculis vitam effudit. Angelus sermonem eiecit, & Christum virgo concepit. O coniunctio sine sordibus facta, vbi maritus sermo est, & vxor auricula.* Idem serm. 6. de eadem nat: *Fecit grauidam virginem ipse qui erat nasciturus è virgine, expauit in partu suo mater, Deus per Angelum loquebatur, & virgo auribus impregnabatur. Audiat omnis ætas, quod nunquam audiuit, Virgo partu suo nupsit, virginitatem dum pareret, duplicauit, filium quem genuit, adorauit.* Athanasius in serm. ATHAN.
de Sanctiss. Deipara, ait: *Simul ac aperirentur aures Virginis, per angelicum sonum introgressa est in eam diuina filij essentia.* Damascenus. *Per auditum quidem conceptio, sed natiuitas, per consuetum parientium egressum.* Vt meritò dicatur Virgo per au- DAMASC.

rem concepisse, vt cantat Ecclesia, inquit enim

Gaude Virgo, mater Christi,
Quæ per aurem concepisti
Gabrielis nuncio.

Dicitur autem per aurem concipere, hoc est, per fidem. Nam vt ait Apostolus Rom. 10: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Vnde in Cantic. cap. 5. sic loquitur virgo: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum illius.* Id est, Deus misit Angelum suum, annunciantem, & per aurem suggerentem, Dei verba, quasi per foramen: & post assensum præstitum, verbum incarnatum est, atque illo contactu diuino ac mundissimo non solùm intremuit præ reuerentia & animus & corpus Mariæ, verùm etiam exultauit, iuxta illud: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum meum.*

Angelus malus interuenit ruinæ, angelus bonus interuenit reparationi. IRENÆVS.

19. Vndecimò. Angelus malus interuenit perditioni & ruinæ hominis, angelus bonus interuenit similiter reparationi & saluti, vt bene notauit Irenæus Martyr lib. 5. contra Valentin. cap. 19. *Quemadmodum Euà per angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: Ita & Maria per angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum, obediens eius verbo, vt sicut illa seducta est vt effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo, vt virginis Euæ, virgo Maria fieret aduocata.*

FVLGENTIVS.

20. Congruentiam hanc tangunt alij quoque Patres. Fulgentius de dup. natiuit. *Venit ad Euam diabolus, vt vitam maliginus auferret: venit ad Mariam Gabriel, vt vitam reddendam hominibus nuntiaret.* Beda super Lucam: *Aptum videlicet humanæ restaurationis principium, vt angelus à Deo mitteretur ad virginem partu consecrandam diuino, quia prima perditionis humanæ fuit causa, cùm serpens à diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam.* Bernardus serm. 2. de Pent. *Missus est coluber tortuosus à diabolo vt venenum per aures mulieris, in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Missus est quoque angelus à Deo, & verbum Patris per aurem virginis in mentem & ventrem ipsius eructaret, vt eadem via intraret antidotum quà venenum intrauerat.* Petrus Chrysologus serm. 2. de annunt. *Audisti agi, vt homo cursibus eisdem quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam: agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Euâ angelus egerat de ruina, vt nostræ perditionis initio nostræ principium reparationis responderet.*

CHRYSOL.

Vespere abscondit se Adam & venit ad eum Dominus, ita in nouissimo tempore venit Christus. IRENÆVS.

21. Duodecimo, vespere abscondit se Adam & venit ad eum Dominus; ita Christus nouissimo tempore venit liberare hominem. *Quemadmodum*, ait Irenæus lib. 5. contr. Valentin. *de Adam dicit scriptura, significans quòd futurum erat, quòd vespere se abscondit, & Dominus ad eum venit, quærens vbi esset, ita etiam nouissimo tempore, venit aduocare hominem Dei verbum, recommemorans in eo opera sua in quibus degens, absconditus fuerat Domino, & visitauit per eandem vocem exquirens genus eius.*

Iisdem tentationibus quibus diabolus est superatus hominem, est etiam ille superatus à Christo. GREGOR.

22. Decimotertiò, iisdem tentationibus diabolus hominem primò aggressus est & superauit, iisdem à Christo est superatus, vt bene animaduertit D. Gregorius hom. 16. in Euang. *Si ordinem ipsum tentationis eius aspicimus, pensemus quanta magnitudine, nos à tentatione liberamur. Antiquus hostis contra primum hominem parentem nostrum, in tribus se tentationibus erexit, quia hunc videlicet gula, vana gloria, & auaritia tentauit, sed tentando superauit, quia eum sibi per consensum subdidit. Ex gula quippe tentauit cùm cibum ligni vetiti ostendit atque ad comedendum suasit. Ex vana autem gloria tentauit, cùm diceret: Eritis sicut dij, & ex prouectu auaritiæ tentauit, cùm diceret: Scientes bonum & malum, auaritia enim non solùm pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Rectè enim auaritia dicitur, cùm supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad auaritiam honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de vnigenito Dei filio diceret: non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. In hoc autem diabolus parentem nostrum ad superbiam traxit, quo eum ad auaritiam sublimitatis excitauit. Sed quibus modis primum hominem strauit, eisdem modis secundo homini tentator occubuit. Per gulam quippe tentat dum dicit: Dic vt lapides isti panes fiant. Per vanam gloriam tentat cùm dicit: Si filius Dei es mitte te deorsum: per sublimitatis auaritiam tentat, cùm omnia regna mundi ostendit, dicens: hæc omnia tibi dabo si procidens adoraueris me. Sed iisdem modis à secundo homine vincitur; quibus primum hominem se vicisse gloriabatur, vt à nostris cordibus ipso aditu captus, exeat, quo nos aditu intromissus tenebat.* Hæc Gregorius.

Adam in desertum eiectus, in deserto exulat Christus. AMBROS.

23. Decimoquartò. Adam de paradiso in desertum eiectus est: vt eum ab exilio reuocet Christus, in deserto exulat, in desertum à spiritu agitur. *Agebatur Iesus*, ait D. Ambrosius lib. 4. in Lucam, *consilio in desertum, vt diabolum prouocaret: mysterio vt illum Adam de exilio liberaret, qui de paradiso in desertum eiectus est.*

Falsa fide perijt homo, vera fide sanatur. ALGERVS.

24. Decimoquintò. Falsa fide homo perijt dum accepit & comedit de vetito cibo, vera fide per sumptionem corporis Christi sanatur, vt ritè notauit Algerus Abbas Cluniacensis libro de veritate corporis & sanguinis Domini. *Quia*, ait, *falsa fide mundus perijt quando Adam plus diabolo credidit, quam Deo, dum in ligno scientiæ boni & mali vetito plus sperauit diuinitatem assequi, quæ ab hoste promittebatur, quàm incurrere mortem quam Deus minabatur: sicut ergo diabolus, non vmbram, in ligno obedientiæ, sed ipsum verum & visibilem fructum exhibens*

exhibens, promisit id quod non videbatur: sic & Deus non vmbram sed ipsum qui in ligno pepẽdit obedientiæ, in suo visibili sacramento exhibens promittit vitam æternam, quæ non videtur; vt dum in ea re plus eo modo creditur, quàm hosti, vt dignum est, sanetur hac vera fide illa perfida fides, quà olim plus diabolo quàm sibi iniustè creditum est. Sic ille.

Credidit homo diuinitatem inesse cibo, credere iam debet filium hominis subesse speciebus panis. RVPERT.

25. Quia intellectus humanus adductus fuit, vt crederet diuinitatem inesse cibo scientiæ boni & mali, adducendus etiam erat intellectus humanus vt credat filium Dei subesse speciebus panis. Rem acutissimè ponderans Rupertus lib. 12. de victoria c. 12. sic inquit: *Quia cùm non viderent nisi pomum, quantumlibet suaue, aut visu pulchrum, crediderunt in illo esse diuinitatis effectum, crediderunt diabolo dicenti, si comederitis eritis sicut dij. Contra cibum illum, qui cibus fuit mortis, dictante ratione iustitiæ dari oportebat cibum alium, qui esset cibus vitæ, & simili ordine, vt scilicet inesse illi mens crederet, quod oculus non videret, crederet esse cibum, & potum veraciter communicandæ diuinitatis. Per hanc fidem sibi Deus ab homine satisfactum esse indicat, dum non minùs sibi credit, quàm diabolo crediderat.*

Finxit dæmõ non diuinitatem subesse cibo, id verum reddidit Christus in Sacramẽto RVPERT.

26. Cibo etiam delusit diabolus hominem sub prætextu diuinitatis acquirendæ, vt hominum rideret stultitiam, dicens: *Eritis sicut dij.* Verùm quod confictitium & ridiculum nefarissimus Angelus putauit, id verum effecit cibus ille diuinus corporis Christi. Vnde Rupertus lib. 6. in Ioan, ait: *Perspicuè diuinitatem pollicetur, carnem suam manducantibus, & illusionem nequissimi nebulonis, qui dixit: comedite, & eritis sicut dij, non sine magno cruciatu eiusdem seriò loquens, in verum effectum conuertit.* Rideat serpens antiquus hominum stultitiam; qui putant per fidem posse ad diuinitatem peruenire, risus enim illius in serium versus est, quando quod ridiculum putauit, videt magno suo cruciatu quotidie fieri: dum enim diuinissimus Eucharistiæ cibus sumitur, quidquid humanum est, exuitur, & in sortem transitur diuinitatis.

Venditi eramus sub peccato: venditus etiam Christus. RVPERT.

27. Decimosextò. Venditi eramus sub peccato, venditus etiam Christus. Audi Rupertum de diuinis offic. lib. 5. cap. 3. *Sic*, ait, *pro nobis perditis dignatus est pati, vt pro venditis quoque non dedignaretur venundari. Venditi quippe fueramus nos venditione miserabili, sicut & ipse per prophetam dominus dicit: Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Vera & diuini ponderis sententia. Gratis, inquit, venundati estis, id est, falsis promissionibus decepti. Quid enim saltem temporalis emolumenti miser assecutus est homo pro eo, quòd recessit à Deo, seipsum tradens diabolo? & sine argento redimemini. Quid enim captiua filia Sion pro redemptione tua dedisti? nullis præcedentibus meritis; sed solâ gratiâ, Christus venditus, venundatos redemit.*

In horto sumpsit initium præuaricatio, sumpsit etiam redẽptio. CYRILL.

28. Decimoseptimò. In horto illo siue paradiso initium sumpsit præuaricatio, ac humani generis perditio, in horto quoque cœpit operari Christus humani generis salutem. *Se comprehendendum*, ait S. Cyrillus lib. 11. in Ioann. cap. 31. *in hortum recepit, vt ibi initium esset nostræ libertatis, vbi nostra cœpit captiuitas.*

Funibus peccatorum adstrictus homo, Christus vt eum soluat ligatus est. AVGVSTI.

29. Decimooctauò, funes peccatorum circumplexi sunt primum hominem dum Dei legem transgredi præsumit: Nónne etiam de Christo legimus: *Comprehenderunt Iesum & ligauerunt: illum ligant*, ait Cyrillus, *qui vt eos solueret, aduenerat. Illum ligant*, ait D. Augustinus *à quo solui deberent.*

In sudore vultus operatur terram Adam, sudor Christi factus sanguineus.

30. Decimononò, dictum erat primo homini, in sudore vultus tui pasceris pane tuo, nónne de Christo legimus *factus est sudor eius sanguineus*; &c. Ob peccatum primorum hominum collocauit Deus ante paradisum voluptatis Cherubin & flammeum gladium, ad custodiendam viam ligni vitæ. Quis hominum audebit aduersus tam validum custodem ire? quis de ostio paradisi tantum contrarium auertet, vt liberum habeat ingressum? Sanè ipse, ipse Cherubin tam validus custos paradisi, vbi vidit Deum terga dantem flagellis pro hominibus liberandis, & ipse statim terga dedit, & liberum reliquit ingressum. Huc respiciens Germanus Constantinopolit. Orat. de festo crucis in media quadragesima sic scribit: *Terga autem vertet flammea romphea, conspectis nobis, pro quibus Dominus dorso suo flagella excepit.* GERMANVS.

Terra repleta spinis ob hominum peccata, Christus spinis coronatus.

31. Vigesimò, Per peccatum accidit vt terra multis cruoris vndis esset imbuta, vt esset spinis plena, & ob chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, vt diabolus in omnes tamquam sibi subiectos tyrannidem exerceret Quid Christus, vt hæc è medio tolleret mala? sustinet purpuræ, coronæ, & arundinis opprobria. *Miraculum*, ait Athanasius ser. de Cruce & passione, *nouum, & incredibile, quem per ludibrium, subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, coronam spineam, & calamum. Nam tametsi ea quasi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen inde, vt ab eo latenter spoliarentur dæmones. Cùm enim sanguine terra per diabolum funestata, & multis vndis cruoris esset imbuta, & vbique spinæ ob execrationem miscerentur, & hoc chirographum nactus inimicus noster omnes inuaderet, tyrannidem in omnes exerceret: ea de causa cùm eum omnibus spoliasset Dominus, hoc genere vestimenti indutus ad mortem processit, vt ostenderet victoriam de morte, non temerè, sed pro nostra salute partam esse. Gestabatque in coccinea chlamyde speciem sanguinis, spinasque in corona, & chirographum in calamo: quo instrumento iam olim nos diabolus æri suo rationibus inscriptos habebat,* ATHANASIVS.

habebat, vt vnà cum morte ista simul demoliretur, & rerum naturam ab illis malis purificaret, & pro spinis lignum vitæ largiretur vtendum & pro sanguine peccatorum, suo sanguine, & terram, & omnes emundaret, ideo enim nostrum sanguinem gestans, in veste coccinea suum omnino sanguinem in terram profudit. Vnde factum est. Vt in ea pro spinis bona & vita repullulascerent. Hæc Athanas.

Obtinebat diabolus dominium in hominem, Christus coronatur spinis, vt hoc ei auferat dominium

32. Obtinebat in hominem imperium diabolus, sibique per peccatum tenebat obstrictum. Christus coronatur spinis, vt dæmoni hoc auferat dominiũ & hominem in libertatem asserat. Qua de re sic Elias Nazianzeni Scholiastes in Apologetico orat. 1. *Spineâ coronâ dominicum caput cinxerunt, cùm eum vt regem ludibrio haberent, vt hac ratione diaboli robur atque imperium extingueret, hoc est, peccatum, spina enim peccatum designat, in peccato porrò omne dæmonis robur atque imperium est. Neque enim alia ratione regimen in nos obtinere potest, quàm si peccatis constrictos, nos teneri sinamus. Christus itaque spineâ coronâ redimitus (hic enim peccata nostra suscepit, & morbos nostros portauit, cùm tamen ipse nihil omnino admiserit, quod medicinâ dignum esset) dæmoni imperij coronam detrahit. Quonam autem pacto spina peccatum designet, Chrysostomus multis locis docuit, ait enim: Quòd quemadmodum spina, vndecumque conuersa fuerit, tenentis manum pungit, sic etiam peccatum, eius qui peccauit conscientiam lancinat, vt singula ista sapientissimo consilio extiterint.*

ATHANASIVS.

Porrò S. Athanasius tract. de passione & cruce docet Christum spinis coronatum, vt maledictum illud terræ erueret & auferret Gen. c. 3. *Maledicta terra in opere tuo spinas & tribulos germinabit tibi.* Vnde etiam Isidorus Pelus. lib. 1. Epist. 95. *Quia*, inquit, *execratione illius, qua terra post mandatum à nobis violatum, mulctata est, seges spinea erat: Dominus autem vt omnem in seipso morbum curaret, aduenerat, idcirco spinea corona, vt victor redimitus est.*

Per lignum vetitum venit ad hominem mors, per crucis lignum superata est.

33. Vigesimoprimo. Per lignum vetitum venit ad hominem mors, per crucis autem lignum superata est, & venit nobis vita, conuenienter Chrysostomus orat. in crucem Domini in Parasceue apud Gretserum tom. 2. *Lignum & mors cladis nostræ fuerunt symbola, sed attende rursus, Lignum & mors victoriæ symbola extitere: nam loco ligni scientiæ boni & mali, lignum Crucis; loco mortis Adami, mors Christi. Vides enim per quæ vicit, per eadem & victum esse? circa arborem prostrauit Diabolus Adamum, circa Crucem debellauit diabolum Christus*, &c.

CHRYSOS.

Portat Christus lignum propter vetitum lignum.

SIMON DE CASSIA.

34. Simon de Cassia lib. 13. postquam fecisset Christo crucem baiulanti hanc interrogationem: *Quare defers Domine hanc lignorum sarcinam? nonne nosti quòd affigeris in eis, vt affigaris in omnibus membris corporis? en cruciaberis in eis, vt fias omni populo in derisum, demum expirabis in eis?* Hanc efformat vice Christi responsionem. *Sed porto lignum, propter vetitum lignum, pœnale lignum propter vetitum pomum, porto lignum vt vincat in illo ligno inuisibilem hostem, qui victus est in illo. Porto lignum, vt propter humanas artes ex ipso faciam gradus ascensionis in cælum. Porto lignum suspendendus in illo, vt omnia traham penitus ad meipsum. Porto lignum mortis & vitæ, porto lignum experientiæ prædamnatæ.* Sic ille.

35. Confirmant hæc omnia ab auctore lib. Sapient. qui c. 10. sic ait: *Cùm aqua deleret terram, sanauit iterum sapientia, per contemptibile lignum, iustum gubernans.* Quamuis enim secundum literam loquatur de mundo aquis diluuii perdito, & per lignum siue arcam restaurato, non dubium tamen quin historicus ille cataclysin, & inuentum per arcam remedium, & mundi reparatio, præter historiam futura quoque remedia portendebat, mysticumque peccatorum diluuium, & adhibitum naufrago mundo, non sine ligno remedium salutare signabat. Id quod nemo profectò inficias iuerit, nisi mente peruersus sit, vt eleganter demonstrat Augustinus lib. 25. de ciuit. cap. 26. & 27. vbi de diluuij, & arcæ mysterijs multa edisserit, in quibus illa ad rem nostram è capite 27. desumpta. *Nemo putare debet, aut frustra hæc esse conscripta, aut tantummodo rerum gestarum veritatem, sine vllis allegoricis significationibus, hîc esse quærendam. Quis enim nisi mente peruersus inaniter scriptos esse contendat libros per annorum millia, tanta religione, & tam ordinatæ successionis obseruantiâ custoditos? aut solas res gestas illuc intuendas, vbi tot sunt Sacramenta?*

Liberatio mundi per arcam adumbrabat mundi redemptionem per crucem.

AVGVST.

35. Eadem ferè habet Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 38. *Quisquis*, ait, *hæc non peruerso animo legerit, sic oportet moueatur, vt aliquid ea significare non ambigat. Nam si causâ euadendi diluuij opus erat fabricari arcam; quid opus erat, mensuras eius, aut ipsas potissimùm fieri, aut etiam scriptis ad religionem posteritatis propagandis commemorari? aditum ad arcam fieri, necessitas vtique cogebat: In latere autem fieri, vel etiam memoriæ commendari per litteras, quid cogebat?* &c. Quare non solùm Augustinus, loco citato intelligit, in illo generali cataclysmo, naufragium mundi, in arca crucem saluationis eius instrumentum, in Noe Christum per crucem vniuersi reparatorem & instauratorem, sed omnes ferè quotquot sunt Patres, D. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 13. si ait: *Vbique per lignum salus, & Noë tempore per ligneam arcam vitæ conseruatio fuit.* Et Alexandrinus 8. in Ioan. cap. 17. *Crux*, ait, *est arca Noë, per quam saluamur à diluuio inundantis aquæ vitiorum, & incolumes seruamur.* Et D. Isidorus in cap. 14. Genesis, mysterium idem obseruans. *Lignum*, ait, *& aqua diluuij crucem designat: sicut enim ille cum suis per lignum & aquam saluatur, sic familia Christi per baptismum & crucem.* Idem alij patres passim aduertunt.

IDEM.

CYRILLVS HIEROS.

CYRILLVS ALEXA.

36. Obser-

Per contemptibile lignum saluatus mundus, per vile Crucis lignũ saluatum humanum genus.

36. Obseruandũ verò est, inter alia quæ eo cap. Sap. 10. recẽsentur insignia, sapiẽtiæ opera, hoc ex præcipuis esse, vt terrã aquis deletã iterũ sapientia per cõtemptibile lignũ sanarit. Vbi sapientiæ nomine nõ dubitarim, primò quidẽ Iesu ac germano, Dei filiũ, qui sapiẽtia Patris est, significatũ, & quidẽ, per contẽptibile lignũ, quod appositũ est, nimirũ ad commendandũ ipsius sapientiæ opus, ne sc. quisquã putaret tãtùm sanationis siue saluationis vniuersi opus instrumẽto, ac ligno vili & humili acceptũ referri debere, sed potiùs in tenui ligno (sic enim legũt Græca) siue in vili & humili præcipuã agẽtis potentiã ac sapientiã eluxisse, quæ omnia mirũ in modũ quadrant ligno crucis, contẽptibili, tenui, vili & humili, quo ad commendationẽ suæ sapiẽtiæ ipsa incarnata sapientia vsus est, vt iterum sanaret siue saluaret terrã, id est, homines in terra existẽtes, quę stulta enim sunt mũdi elegit Deus, & infirma mũdi & ignobilia mundi, & contemptibilia, & ea quæ nõ sunt, vt ea quæ sunt destrueret, atq; adeò verbũ & lignum crucis, quod pereuntibus quidẽ stultitia est, cõueniẽtissimũ diuinæ sapientię instrumentũ fuit, sapientiã huius mũdi stultã facientis ac reprobãtis, vt meritò Patres passim crucẽ appellẽt, *Sapientiæ ineffabilis argumentũ*. Vt meritò in hãc sententiam exclamet D. Athanas. ser. 5. in S. Parasceuem. *O diuina sapientia! O cæleste inuentũ!*

Primi parentes manus extenderũt, Christus manus extensas habuit in Cruce. AVGVST.

37. Vigesimosecũdò, Adã & Eua, manus ad lignũ vetitũ extẽderũt ac de illius fructu cõtra Dei sui pręceptũ comederũt: Quis referat quàm multis & grauibus doloribus secũdi Adami, manuũ harũ extensio, fuerit persoluta. Rectè Aug. ser. 45. in app. t. 10. *Sacrarũ*, inquit, *manuũ in ligno crucis extensio, & reuerẽda confixio, quæ cõdemnabat Adam & Euæ manus ad interdicti ligni cibũ ingemiscenda sæculi trãsgressione porrectas.*

PETRVS DAM.

Sic Aug. *Primus homo* (ait Petr. Dam. in ser. de Inuẽt. crucis) *cùm manũ ad arborẽ, diabolo suadente, porrexit, tanquã lignea tabula chirographũ seruitutis inscripsit. Secũdus verò homo, cùm in cruce manus extendit cautionẽ illã latiferæ passionis obliterãdo deleuit* &c. Deleuit præsertim sãguine in cruce effuso. *Fuso sãguine sine culpa* (ait D. Aug. l. 2. de pecc. mor. c. 30.) *omnium culparũ chirographa deleta sunt, quibus homines à diabolo antea tenebãtur.*

Totius corporis nisu extẽdit Eua manus, toto corpore in ligno extẽsus Iesus.

38. Vigesimotertiò, dum Eua extendit ad vetitũ fructũ manus, totius corporis nisu atq; conatu id peractũ est. Imò sunt qui opinãtur Euam cãcellatis in crucis morẽ manibus, collegisse fructũ, cùm enim vna manu flectebat & deprimebat ramũ, cui adhærebat, altera super priorẽ, in transuersũ protẽsa, eundẽ colligebat: Similiter toto corpore, fuit in ligno extẽsus Dominus Iesus, & quidẽ tãta cum violẽtia, vt dinumerari potuerint omnia illius ossa.

AVGVST.

Diligenter, ait D. Aug. de Sanctis, *attendendũ est, quòd mors, quæ per lignũ venit, per lignũ superata est. Et ipsa ligni forma lõgitudini & latitudini, & altitudini humani corporis cõfigurata est, quorũ sicut totum corpus motũ est, vt manus ad vetitũ extenderetur, ita corpus per omnia membra sua in cruce distenderetur: & totũ quod reatu paterni delicti cõtractum fuerat, hoc emplastri malaxatione, consolidaretur.*

39. Vigesimoquartò, duo populi, nimirum Iudæorũ & gentiũ voluerũt Deo per superbiam pręripere dignitatẽ propriã, quorũ vt è medio tollat malitiã inter duos latrones crucifigitur Christus, hęc sic meditãte D. Bonau. in c. Luc. 2. *Propter mysteriũ significationis Christus inter duos crucifigitur latrones, nam per duos latrones secundum allegoriam intelliguntur duo populi, inter quos & pro quibus passus est Christus: vnus scilicet Iudæorũ, & alter gẽtium, qui rectè latrones dicuntur, quia vterque Deo per superbiam in Adam, voluerunt præripere dignitatem propriam. Sed populus Iudaicus tanquam latro sinister adhuc blasphemat, gentilis autem confitetur & orat.*

Duo populi in Adamo voluerunt Deo præripere propriam dignitatẽ, inter duos latrones etiam Christus crucifixus. BONAV.

Absconditus Adam in medio paradisi, Christi vultus absconditus in Cruce. *Isa.* 53.

Abscõditus erat primus Adam in medio ligni paradisi? Sic etiã secũdus Adam in medio ligni S. Crucis abscõditus erat. Isaias enim dicit de illo: *Quasi absconditus vultus eius, atq; despectus, vnde nec reputauimus eum.* Abscõdita enim erat in cruce diuinitas eius, fortitudo, & decor illius: ita vt possent ei sancti eius dicere: *Adam vbi es?* Quis enim crederet, quòd Deus esset in ligno crucis, & in eo nudus moreretur, & tormẽtis cõsumptus: nisi qui oculis fidei abscondità à sæculis sacramentũ agnosceret crucis: in qua, vita mundi, Christus, exaltatus est, vt totam causam humani generis ad se trahens, ipsum genus humanum redimeret, ac repararet? Primus Adam, nudus erat sub vmbra ligni in paradiso: & Christus in ligno crucis nudus mori voluit; qui nudus etiam de Virgine nasci dignatus, vt sua nuditate nos veterem hominem exuere faceret, & nouum indueret in iustitia, & sanctitate.

Eodem die, & hora quibus labitur Adam mortuus quoque Christus.

41. Vigesimoquintò, eodẽ die & eadẽ hora, quibus primus labitur & moritur Adam, secũdus quoq; mortuus est, vt morte sua illum eiusq; posteros reuocaret ad vitã. Sicut enim Adamus sexto die à prima orbis molitione, & sexta hora eiusdem diei, sui morbum sceleris contraxit; ita æquum fuit vt eodem tempore adesset medicus, & à suo morbo ægrũ in pristinam salutem repararet, & quod attinet ad diem ita sentit Tertul. l. 2. carm. sup. Marc. 4. TERTVLL.

Qua die, quóve loco cecidit clarissimus Adam
Hac eadem redeunte die, voluentibus annis
In stadio ligni fortis congressus Athleta
Extenditq; manus, pœnam pro laude sequutus
Deuicit mortem &c.

Quod verò attinet ad horam, ita docuit Procop. in c. 3. Gen. *Christus*, inquit, *amarã passionẽ passus est ipsis horis quibus Adam edit, scilicet, ab hora sexta, vsq; ad horã nonam. Adamus enim hora sexta comedit. Est enim eá horã quasi certã regula hominibus cõstituta vt cibũ capiãt*, &c. Ita quoq; Raban. in c. 3. Gen. *Aptè*, ait, *Dominus crucẽ meridie ascẽdit, vt quã horã primus homo lignũ prævaricationis attigerat, secũdus homo lignũ redemptionis ascẽderet.* PROCOP.

42. Neq; solùm eodẽ die quo homo Christus crucifixus, sed etiã eodẽ conceptus & incarnatus in vtero Virginis, vt redemptio & reparatio lapsui planè responderet. De quo vide si libet Salmeron. tom. 1. prolegom. 38. SALMER.

Lateri Adami respondet Christi latus.

43. Vigesimosextò, ex latere Adami processit Eua, per quam præuaricatio viam inuenit: vt tollatur præuaricatio, in latere percussus Christus, ex quo profluit sanguis & aqua. Appositè hac de re S. Cypr. Expos. in symb. Apost. CYPRIANVS.

post. *Quòd si & hoc quæris*, ait, *cur non ex alio mēbro, sed ex latere potiùs produxisse dicatur aquā & sanguinē? Videtur mihi in latere per costā mulier indicari, quia fons peccati & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adam costa, processit, fons redemptionis & vitæ de secūdi Adam costa producitur. Per costam*, ait D. Chrysost. ho. in 40. mart. apud Phot. in biblioth. *peccatū intrauit. Peccatū enim nō est fœmina, ipsa etenim etiā de creatura est, sed quia per eam præuaricatio viam inuenit, ideò saluator in latere hastam suscepit, & exiuit sanguis & aqua, quo mundus ablutus est, & antiquum vulnus depulsum.*

Eodem die quo moritur primus Adam, etiā sepultus est secundus.

44. Vigesimoseptimò, eodē die quo labitur & moritur primus homo, secūdus Adam non solùm mori, sed etiā sepeliri voluit. Sed quid opus erat thesaurū illū cælestē, à cruce depositū terræ mandari? Cur, amātissime Iesu, vis nigro claudi sepulchro? Cùm latronibus moreris in cruce sufficiat id, rectè operatus es nostrā salutē per lignū, cur cum fœtētibus peccatorū cadaueribus vis sepeliri? Nónne impletū est paternū præceptū in cruce? Sic ait D. Paulus ad Phil. 4. *Factus obediēs vsq; ad mortem, mortē autē crucis*. In crucis morte soluitur & obedientiæ & nostræ salutis opus, cur adhuc vadis ad sepulchrū. Eleganter Chrysol. ser. 59. *Crucifixus est Iesus, vt quia per lignū mors venerat, rediret vita per lignū, & sepultus est, vt officia tota mortis impleret*. Expēde illud: *Officia tota mortis*, quasi enim integratur mors, & completur doloribus, exhalatione animæ corporis sepultura. Vnde Iesus qui se morti pro nobis tradidit, nihil mortis voluit dimittere, sed & post mortem sepulturam accepit, ne dimidiaret, sed tota mortis impleret officia.

Chrysol.

Fœmina suggessit interitum, fœmina vitæ renunciauit remedium.

Odilon.

45. Vigesimo octauo. Sicut fœmina suggessit interitū: ita & fœmina vitæ renūciauit remediū, quod his verbis affert S. Odilon Abbas Clun. de ascēs. dom. *Mulieri se deuotissimè requirenti, nō absq; admirabili ratione, & rationabili admiratione, primū apparere dignatus est: decebat enim, vt sexus, qui primū hominē, diabolo se fallēte, fefellit, eiq; mortis suggessit interitū, prior hominibus renūtiaret remediū. Ecce humani generis culpa* (ait D. Gregor. ho. 25.) *ibi absconditur vnde processit, quia enim in paradiso mulier propinauit mortē, à sepulchro mulier viris annūciauit vitā & dicta sui viuificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis verba narrauerat.*

Lavr. de a Ponte.

Per aërem infectus primus homo, per aërem etiam sanatus.

46. Vigesimononò, obseruat Laurent. de à Ponte to. 1. in Sap. ho. 14. Quòd sicut per aërem illum infectum, quem superbus spirabat dæmon, dū primis parētibus persuasit: *Eritis sicut dij*. Illi in perditionē cecidere. Sic etiam per S. Spiritum, in vento, qui nihil aliud est quàm aër motus, descendentem, humanum genus ad vitam gratiæ rediјsse.

Per similia operanda nobis salus.

47. Vides, ô Christiane, qualiter per similia Christus mūdo salutē attulerit, vade ergo, & imitando Christi sapientiā, fac & tu similiter. Quid peccatū? nónne serpens quidā maximè venenosus? Quàm facilè mordemur ab hoc serpente, quàm leniter cordi virus nocentissimū suffundit, ita vt mox emoriatur anima & priuetur diuinę gratię vita? Quid? An patieris animā diutiùs in tam infausta degere morte? absit, idē peccatū quod mortē intulit sit vitæ recuperādæ instrumentū. Plin. l. 29. c. 4. scribit: *Constat omniū serpentū ictus, quamuis insanabiles, ipsarū serpentiū exta imposita auxiliari: eosq; qui aliquādo vipera iecur coctū hauserint, nunquā postea feriri à serpēte*. Quo loco etiam scribit: *M. Varronem 88. vitæ anno, prodidisse, aspidū ictus, efficacissimè curari haustā à percussu, ipsarū vrinā*. Si itaq; ô Christiane, peccatū instar serpētis, blāditijs & lenocinijs suis, & ementita sua, quam promittit, dulcedine ac delectatione te momorderit & mortē animæ intulerit, superimpone vulneri illius exta, expende seriò illius malitiam, & quàm infinita trahat post se mala, quodve in malorū omnium barathrū hominē præcipitet, & quod anteà lęsit peccatū iam auxiliabitur ad vitā, sic peccati remediū, ex ipso peccato, putà ex cōsideratione fœditatis, & noxæ peccati, petiere S. Paulus. S. Magdalena, cęteriq; pœnitētes & sancti. Sic cuiusuis aduersitatis remedium, petendū ab ipsa aduersitate. Si enim cogites aduersitatē exilem & breuem tibi creare coronam æternam, facilè eam tolerabis, quantumlibet grauem & molestam.

Peccatum quod mortē intulit sit vitæ recuperandæ instrumentū.

Plinivs.

Expendenda peccati malitia, vt ab illo liberemur.

48. Deinde, sicut exhibuimus mēbra nostra seruire immūditię & iniquitati ad iniquitatē, ita exhibeamus illa seruire iustitiæ ad iustificationē. Vis scire qualiter id assequemur? Audi Iac. de Vitriac. Dom. infra oct. Epiph. *Corde peccauimus per malam volūtatem, corde satisfaciamus per contritionē. Ore Deum offendimus per indebitam locutionē, ore satisfaciamus per cōfessionem. Opere peccauimus, exhibētes corpora nostra arma iniquitatis, & omnibus mēbris Deum impugnātes: opere satisfaciamus, exhibētes corpora nostra arma iustitiæ, & omnibus mēbris Deū placātes. Satisfaciamus pedibus infirmos visitādo, & loca sanctorū adeamus peregrinādo, & Ecclesiarū limina frequēter terendo. Genua autem nostra Domino offerimus, dum illa coram ipso flectimus. Renibus satisfaciamus, dum in Ecclesia ad verbū Domini, & diuinum officium diu sedemus. Manus Deo offerimus, dum eas ad pauperes extendimus, dū manibus proprijs laboramus, dū pedes pauperū abluimus, dū eis mēsam ponimus, & lectū præparamus. Pectore satisfaciamus, frequēter ipsū tundendo. Oculis pauperes & infirmos intuendo. Auribus verbū Dei audiendo. Sic igitur ad honorē Dei mēbra hostiæ nostræ offeramus, corpus nostrū castigando, & redigēdo in seruitutē, vt ipsū spiritui seruire cogamus.*

Sicut exhibuimus mēbra nostra seruire immunditiæ, ita exhibeamus illa seruire iustitiæ.

Iac. de Vitriaco.

Sicut granū synapis maximè est medicinale, ita & Christus, qui qualiter humano generi salutem attulerit, viâ contrariâ, quâ perierat, & in mortē deuenerat, insinuatur.

SECTIO X.

1. Qvod videmus in mūdi creatione, videmus etiam in eius recreatione siue reparatione. De creatione fatus Sapiens Eccli. c. 33. sic ait: *Intuere omnia opera altissimi, duo & duo, & vnum contra vnum*. Duo & duo, id est, bina, quorum vnum opponitur alteri. Vnde

Per contraria Christus humano generi salutem attulit.

Vnde Tigurina, *in omnibus operibus altissimi bina quæque videas, quorum vnum repugnat alteri.* Quod non solùm verum est in ijs, quæ propriè vocantur contraria, sed in naturalibus etiam rerum antipathijs. Nimirum animalia non omnia, cum omnibus exercent inimicitias, atque cùm multa alicui videantur aduersari, non tamen æquè omnia illa: sed est quod aduersetur præcipuè cuicumque, quoddam certum: velut leporem canis insectatur, non ita lupus, aut leo; non ita canis felem, aut murem; felis murem, non ita aliud quodpiam animal. In inanimis quoque rebus perinde euenit: cùm enim sint quædam antidota & simplicia & composita, quæ censentur pluribus venenis aduersari, vt lapis bazahar, & theriaca: tamē sunt singulis venenis singula antidota propria; quia est quod cuique peculiariter ac propriè aduersetur, veluti aconito, ruta; opio generosum vinum, lepori marino, lac: Simili quoque ordine processit Deus in mundi reparatione: Quid humanum corpus, quàm corpus quoddam peccati, id est, corpus in peccato conceptum, nutritum & peccare solitum; corpus, inquam, omnibus repletum peccatis, vt de illo dici possit illud Isaiæ c.1. *A planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* In capite huius corporis habitat superbia, in oculis auaritia, in lumbis luxuria, in corde ira, in gutture gula, in pectore inuidia, in manibus & pedibus pigritia, nihil est in hoc corpore quod non laboret peculiari macula, tamque corruptam inuenit Apostolus humanam naturam, vt dicat ad Roman.c.7. *Non est in carne mea bonum.* Venit Christus in hunc mundum, vt ait Paulus Rom.6. *vt destruatur corpus peccati.* Destruatur, inquam, non substantiâ, sed qualitate. Vnde Tertullianus libro de resurr.carnis cap.47. hunc locum sic legit & explicat: *Vt euacuetur corpus delinquentiæ, per emendationem vitæ, non per interitum substantiæ.*

Destruxit Christus corpus peccati.

Tertvll.

2. Sed qualiter destructionem hanc conatur assequi Christus? Sanè non aliter, quàm per contraria. *Duo & duo, & vnum contra vnum.* Corpori peccati opponit corpus suum sanctissimum, operâ diuini spiritus in virgineo vtero formatum. Vnde sic loquitur Christus Psalm.39. *Corpus autem perfecisti mihi, tunc dixi, ecce venio.* Pro quibus legunt Septuag. *Corpus autem aptasti mihi*, id est, aptè & congruenter coagmentasti, concinnasti, & perfecisti corpus meum, ita scilicet vt corporis mei partes & membra inter se, & cum toto corpore aptè congruant, planeque aptata & composita sint, ad suum vsum & finem, scilicet, vt illud tibi in sacrificium pro peccatis offeram, & hac ratione corpus peccati destruam. Quare, *dixi*, & dico: *Ecce venio*, ecce ego, en adsum, presto sum, vt faciam voluntatem tuam Deus, vt scilicet, me pro peccatis victimam offeram, quâ homines tibi reconciliem, victimam, inquam, offeram vt sicut in corpore peccati nihil sine culpa, ita in corpore meo nihil sit sine pœna, & quidem tali, quæ prędicti corporis correspondeat culpæ. *Duo & duo, & vnum contra vnum.* Nam vt destruat superbiam Christus, caput habet spinis coronatum, vt destruat auaritiam, oculos habet velatos, vt destruat luxuriam humeros habet, & dorsum, flagellis exaratos; vt destruat gulam, felle & aceto potatur: vt destruat pigritiam, pedes & manus habet cruci affixos. Vt destruat inuidiam, latus habet perforatum. Vt destruat iram, cor habet angustijs & angoribus oppressum.

Corpori peccati, opponit Christus corpus suum.

3. Sed libet hæc altiùs perpendere, & considerare, qualiter viâ prorsus contrariâ processerit Christus ad conferendam salutem, quàm processerit Adam, ad incurrendam damnationem.

4. Imprimis, Adamus inter paradisi voluptates deliciatus, miserè præcipitatur in barathrum peccati. Verbum diuinum mundum ingrediens eligit abiecta, humilia & dolorosa. Audi Nazianzen.orat.apolog.1. *Idcircò generatio, & Virgo: idcircò præsepium, & Bethlehem, generatio propter effectionem, Virgo propter mulierem, Bethlehem propter Edem, præsepium propter paradisum. Res paruæ, & conspicuæ propter magnas & ab oculis remotas.*

Adam inter delicias precipitatur in peccatum, Christus inter abiecta iacet vt eum liberet à peccato.

Nazianzen.

5. Secundò, Adamus inter paradisi delicias, amœna, & splendida mundi, salutem perdidit, Christus per labores & dolores, eam recuperauit. Vnde in ipsa conceptione omnia dura & laboriosa meditatur. Ait D.Paulus ad Hebr.c.10. *Ideò ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocautomata, pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio.* Non ante descendit verbum Dei in Virginis vterum, non antea venit ad carnem humanam, quàm sciuit illam sic aptatam esse, vt victimarum veterum loco, occidi posset. Simul carnem accepit, & simul carnem deuouit Cruci suspendendam, Nihil enim in puncto incarnationis meditabatur, quod mortem, crucemque non oleret. Ex quo D.Epiphanius serm.de laudib.Mariæ, sic ait: *Dico illam esse cælum, thronum, & crucem, extendens enim sanctas vlnas Dominum portabat. Thronus Cherubicus, cruciformis, & calestis.* Non equidem vacauit verbum, dum in carnem venit, à conspectu crucis, quando vel vterus virgineus illi cruciformis extitit.

Adam inter amœna seipsum perdidit: Christus inter labores eundem recuperauit.

Epiphanivs.

6. Tertiò, per lignum vetitum, viride prorsus, & floribus, fructibusq; amœnum, in mortem adducti primi parentes, per aridum Crucis lignum genus humanum saluti & vitæ restitutum. Vnde Chrysostomus de S.Hieronymo premens verba illa 3.Reg.cap.15. *Extendit*, Ieroboamus in Prophetam excandescens, *manum suam de*

Per lignum viride in mortē adducti primi parētes, per lignū crucis aridū saluti restituti.

Chrysos.

altari, dicens, apprehendite eum, & exaruit manus eius, sic ait: *Extendit manum suam Rex, & exaruit. Quando arida facta est, tunc fructum tulit, considera mihi exemplum quod occurrit in ligno, quod in paradiso fuit, & in ligno quod fuit in Cruce. Quemadmodum enim lignum illud, cùm esset viride, mortem peperit, lignum verò Crucis cùm esset aridum, vitam genuit: sic manus Regis quando viridis erat, impietatem peperit, quando arida facta est, tunc obedientiam produxit.* Tam efficax autem extitit aridum lignum Crucis, ad auferenda omnia mala quæ viridans illa, & amœna paradisi arbor produxerat, vt meritò defleat D. Paulinus epist. 8. hominis posthac infirmi vicem, dicens: *Infælix ego, qui venenatum inimicæ arboris gustum, nec crucis ligno, digessi.*

Serpens fulgidus in peccatũ traxit, Christus instar horridi serpentis illi salutem restituit.

7. Quartò, serpens fulgidus, mediante vetito ligno, in damnationẽ traxit homines, Christus verò instar horridi, sed tamen sapientissimi serpẽtis, è cruce pendens, serpentem consultorem illum arboris paradisi, consumpsit, illius insidias confregit, nobisque vitam restituit. Quò referri potest illud Claudiani, in Victoria Stiliconis, vbi delitijs enectum Glaucum, memorans vitæ fuisse restitutum, beneficio herbæ deductæ ex serpentis ore, ait:

CLAVDIANVS.

——— *Miræ nam munere sortis*

8. *Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.*

Sanè horridus ex crucis ligno anguis, Christus Dominus, & mortem & venena consumpsit, quæ nobis, intulerant voluptatis locus, amœna arbos, serpens fulgidus.

Homo iumentis cõparatus, Christus horridi serpentis speciẽ induit, vt hominẽ pristinæ restituat dignitati.

9. Quintò, homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Quid tum Christus vt hominem iumentis comparatum, pristinæ restituat dignitati? Sanè horridi & nigri serpentis, in cruce, speciem ac similitudinem induit, vt hac ratione homini posset opitulari. Legimus Num. cap. 21. *Fecit ergo Moyses serpentem aneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Cur serpentis imago proponitur ad salutem? Cur non potiùs vel testamenti arca, vel Mosis virga, vel saltem Patriarcharum veterum imagines, proponuntur, vt ex illis visis, salus acquiratur? Dum hominum salus quæritur, nil illustre, nil conspicuum, & gloriosum, sed vilia & horrida & mortis imagine plena, Dei filius meditabatur. Accipe Germanum Constantipol. orat. in viuificam crucem apud Gretserum tom. 2. *Qua de causa, cùm populus à serpente morderetur & moreretur, præcepit Deus vt spem vitæ suspensam haberent ab aneo serpente, in altum elato? Cur non permisit Deus, vt oculos conuerterent ad venerandam illam, & miraculorum effectricem arcam, sicq; curarentur? vbi verò virga Mosaica, quæ serpentes Magorum deuorauit? Priùs quidem salus præfigurata fuit in vnigenito filio Abrahæ, in eo qui ex promißione, in illo, benedicto. Et rursum in Iosepho illo formoso in omnibus. Verùm, quia istæ figuræ illustres erant, insigniaque ferebant benedictæ ac beatæ stirpis, non contentus fuit hac præsignificatione diuinus sermo, sed sciebat, Christum cum iniquis reputatum iri & inter maledictos numerandum, propter crucis supplicium, eam ob causam adsciscit quoque effictam speciem serpentis, tanquam nigri cuiusdam coloris, qui maledictis, & deuotioni obnoxijs, proprius est, taciteque per serpentem mundi salutem insinuat. Priùs enim assumpsit execrationi subiectam naturam nostram, eamque salutis causam, & vitæ immortalis fontem, & originem esse ostendit.*

GERMANVS.

In Cruce lignum aduersus lignum.

10. Sextò, in Cruce per contraria Christum operatum fuisse humanam salutem optimè expendit Gregorius Nazianzen. in apolog. orat. 1. dum ait: *Idcircò lignum aduersus lignum, & manus aduersus manum, illæ, inquam, fortiter extensæ, aduersus incontinenter extensam: Illæ clauis confixæ atque constrictæ, aduersus remissam & solutam: illæ orbis fines coniungentes aduersus eam quæ Adamum è paradiso exturbauit. Idcircò sublimitas aduersus lapsum, & fel aduersus gustum, & spinea corona aduersus prauum imperium, & mors aduersus mortem, & tenebræ propter lumen, & sepultura aduersus illam in terram reuersionem.* Sic ille.

NAZIANZEN.

ELIAS.

11. Quæ Nazianzeni verba ita elucidat eius Scholiastes Elias. Quoniam Adamus per lignum è paradiso deturbatus est, idcircò Dominus ipse, eorum loco, qui à diuino mandato recesserant, pœnas luens, crucis mortem suscipit, atque per Crucis lignum, condemnationem eam, quæ interdicti ligni esum secuta est, primis parentibus soluit, dum scilicet ipse, qui alioqui, & omni peccato, & etiam passione sublimior erat facinorosorum hominum mortem suffert. Ita Crucis lignum, aduersus scientiæ lignum fuisse reperitur, nimirum maledictionem eam, quæ hinc secuta est, soluens: & Dominicæ manus aduersus manum eam, quæ petulanter extensa fuerat, & vetitam plantam attigerat, contractam nempe hinc damnationem, soluentes. Hoc autem non alio modo explebatur, quàm per Crucis mortem. Etenim in solo hoc mortis genere, extensis manibus quispiam moritur. In qua scilicet Cruce, Christus tum extensis manibus, petulanter extensæ manus, condemnationem sustulit atque orbis terrarũ fines, quos peccatum à Deo diremerat, per huiusmodi figuram conciliauit. Quin clauis quoque transfixus est, vt vitij ramos qui in membris nostris adnati fuerant, atque humanum genus peruastabant, & inficiebant radicitus euelleret. Per sublimitatem autem tanquam ex parte totum, crucem rursum significat, quâ conscensa Saluator iacentem hominem excitauit. *Cùm enim exaltatus fuero, inquit, omnia traham ad meipsum.* Per fel illud aceto permixtum, quòd Iudæi ipsi, siti flagranti, obtulerunt,

gustui illi primorum parentum, ob quem morti damnati sunt, mederi voluit, & per spineam coronam, quâ Dominicum caput (cùm eum vt Regem ludibrio haberent) cinxerunt, diaboli robur atque imperium extinguere voluit. Sic etiam eo tempore, quo Christus patiebatur, tenebræ lucis loco constiterunt. Sic enim scriptum est in Euangelio: *Erat autem quasi hora sexta, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.* Hæ igitur tenebræ quibus sol sese induit, propter iustitiæ solem ortæ sunt. Neque enim solis lumen, terram, vt priùs splendore afficere sustinebat, cùm verum lumen, certa dispensatione, contrahebatur, ac tenebris obducebatur, Creatorem nimirum, hac ratione velut luctu prosequens, mors aduersus mortem. Mortis enim stimulus, vt ait Apostolus, peccatum erat, non secus videlicet ac scorpio perexiguo animali vis omnis in aculeo posita est, cæterùm mors, nullum in Domino peccatum nacta, infirma & imbecillis deprehensa est, sicque Domini mors mortem necauit. Quoniam verò post transgressionem Adamus istud audiuit: *Terra es, & in terram reuerteris,* idcircò sepulturâ Christus afficitur, atque in monumento collocatur, vt Adamum hac condemnatione liberet. Hactenus Elias.

Inter honores est perditus homo, inter opera paupera inuentus.

12. Septimò, quia inter gaudia, delicias, honores &c. homo vitam perdidit: *Per omnia opera paupera* (ait Theodot. homil. de Natiuitate) *graditur Dei filius, vt per huiusmodi ad salutem hominem venaretur.*

Theodot.

Præterea Adamus manus extendit ad fructus, quibus vesceretur, ad folia quibus indueretur. Quid inde? Verus Rex noster, vbi nil tulit de mundo expugnauit mundum, ascendens Crucem sine vestibus & prorsus apparens nudus. Legimus enim Lucæ cap. 23. *Crucifixerunt eum & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris, diuidentes autem vestimenta eius, miserunt sortes. Victus est Adam* (ait D. Ambrosius apud D. Thomam in Cat.) *qui vestimenta quæsiuit; vicit ille, qui tegumenta deposuit.*

Ambros.

Christi virtutes per quas saluatus homo contrariæ illis vitijs quibus se homo demersit in infernum.

13. Octauò, si expendas Christi virtutes, quibus mediantibus humani generis fecit expiationem & restaurationem, inuenies eas planè & ex diametro contrarias vitijs illis per quæ homo sese demersit & præcipitauit in interitum & perditionem. Quid in hominis præuaricatione magis lucet, quàm intolerabilis quædam superbia, dum creatura non veretur offendere suum creatorem, & quid in Christi passione ita splendet, quàm summa & abyssalis quædam humilitas? Quid hominem perdidit nisi sua inobedientia, quid saluauit nisi Christi summa, prompta, & expedita obedientia? De vtroque sic S. Leo serm. 5. in Natiuit. Domini. *Quid sanandis agris, illuminandis cæcis, viuificandis mortuis aptius fuit, quàm vt superbiæ vulnera, humilitatis remedijs curarentur? Adam præcepta Dei negligens, peccati induxit damnationem: Iesus factus sub lege, reddidit iustitiæ libertatem. Ille diabolo obtemperans vsque ad præuaricationem, meruit vt in ipso omnes morerentur: hic patri obediens vsque ad crucem, fecit vt in ipso omnes viuificarentur. Ille cupidus honoris angelici, naturæ suæ perdidit dignitatem: hic infirmitatis nostræ suscipiens conditionem, propter quos ad inferna descendit, eosdem in cælestibus collocauit. Postremò, illi per elationem lapso dictum est: Terra es & in terram ibis, huic per subiectionem exaltato dictum est: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Leo.

Dei sapientia suscepit opus redemptionis, quia per insipientiã venerat homo in perditionem.

14. Cur putas Christum ipsum Dei sapientiam suscepisse onus redemptionis humanæ, nónne quia per insipientiam in ruinam ceciderat homo? sanè sic sentit Richard. Victor. lib. de Incarn. c. 11. dum exclamando dicit: *O pietas stupenda, charitas inæstimabilis. Vt contraria contrarijs curentur, attendite quàm congruum, quàm artificiosum videtur, vt qui per insipientiam ceciderat, per sapientiam resurgat. Par fuit, vt cui falsitas fuit causa perditionis, veritas fieret via salutis, par fuit vt qui mortem incurrerat per verbum diaboli, ad vitam rediret per verbum Dei &c.*

Richardus Vict.

15. Nonò, vis etiam in quibusdam alijs, sine quibus non est peracta hominis reparatio, videre hanc contrarietatem.

Ex colloquio diaboli cum Eua, omnia mala exorta, ex colloquio Mariæ cum Angelo, omnia bona.

16. Primò, ex colloquio diaboli cum Eua, orta sunt omnia mala: ex colloquio Angeli cum Maria, orta sunt omnia bona, quæ verbum caro factum attulit hominibus. Legimus Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem,* scilicet, vt obseruat Petrus Chrysologus serm. 142. *vt homo cursibus ijsdem, quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina.* Ita Chrysol.

Chrysol.

Eua inobediens, Maria obedientissima.

17. Secundò, Eua per inobedientiam, sibi & nobis mortem intulit, Maria per suam obedientiam ad vitam nos reuocauit. Irenæus lib. 3. cap. 33. *Sicut Eua inobediens facta, & sibi & vniuerso generi humano causa facta est mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen Virgo obaudiens & sibi & vniuerso generi humano, causa facta est salutis,* &c. Et paulò inferiùs: *Quod alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.* Rursus idem Irenæus lib. 5. cap. 9. sic scribit. *Quemadmodum Eua per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: ita & Maria per Angelicum sermonem, euangelizata est, vt portaret Deum obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est, vt effugeret Deum: sic hæc suasa est obedire Deo, vti Virginis*

Irenæus.

Idem.

ginis Eua Virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum morti adstrictum est genus humanum, per Virginem, soluatur per Virginem, aqua lance disposita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Hæc Irenæus. Accedat etiam D. Augustinus in homil. 3. de

AVGVST. assumptione. *Hæc, inquit, prima matris damna resoluit, hæc homini perdito redemptionem adduxit: Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem edidit mundo: auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria: Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit: illa percussit, ista sanauit,* &c.

Mulier prima audiuit fraudē mulieris mulieres enim primò accepērūt Christi resurrectionis nūtium.

18. Tertiò, post resurrectionem, quibus primò apparuit Christus, nónne mulieribus? quosnam misit ad discipulos, vt resurrectionem Dominicam, illis nuntiarent, an non mulieres? Matth. vltimo legimus, quòd mulieres dum pergerent, ad annuntiandum discipulis Christi, resurrectionem occurrerit illis Christus in viâ: *Et ecce Iesus occurrit illis dicens: Auete, illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum: Tunc,* ait, *illis Iesus. Nolite timere: ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam ibi me videbunt.* Dixit autem illis Auete, siue vt Græcè habetur χαίρετε, quod est, gaudete, saluete, valete, & plaudite. Sed cur post mortem & resurrectionem mulieribus dixit, auete, gaudete? Audi Gregor. Nyssen. orat. de resurrect.

GREGOR. NYSSEN. *Etenim oportebat primum muliebrem sexum, & ab Angelo bonum resurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primam ab eo vocem audire, saluete, quoniam mulier quoque prima audiuerat fraudem serpentis, & contra præceptum viderat ligni interdicti fructum, & pœnæ tristitiæ & doloris condemnata fuerat. Quapropter etiam adorare Saluator, & pedes apprehendere & contrectare permittebat, vt ijs quæ primæ desciuerant, & alienatæ erant ab eo: & discipulis gaudium annunciare iubebat, cùm mulierem quæ tristitiæ ministra Adamo fuerat, gaudij nuntiam viris esse vellet, contrarijs contraria curans.*

GREGOR. 19. D. Gregorius homil. 25. in Euangel. premens illa verba Ioan. cap. 20. *Venit ergo Maria Magdalena annuntians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi,* sic scribit: *Ecce humani generis culpa ibi abscinditur, vnde processit. Quia enim in paradiso mulier, viro propinauit mortem, à sepulchro mulier viris annuntiauit vitam, & dicta sui viuificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis verba narrauerat. Ac si humano generi non verbis Dominus, sed rebus dicat: De qua manu vobis oblatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum vitæ,* &c.

Per contraria debemus operari nostram salutem.

20. Sicut Christus per contraria salutem nostram operatus est, ita etiam, nos per contraria eam operemur. Vis scire qualiter id assequemur. Audi Iacobum de

IAC. DE VITRIACO. Vitriaco serm. in die Epiphan. vbi expendens quod Magi per aliam viam regressi dicantur in regionem suam, sic ait: *Qui relicto Herode, id est, diabolo, venit ad Iesum, non reuertatur ad diabolum. Qui ingressus est per superbiam, reuertatur per humilitatis viam, qui cecidit contemnendo resurgat & redeat obediendo. Qui egressus est ad Herodem per inuidiam, reuertatur per benignitatem & compassionem, qui per odium & iram, reuertatur per charitatem & patientiam. Qui per accidiam reuertatur per fauorem spiritus & diligentiam. Qui per auaritiam reuertatur per liberalitatem & largitatem. Qui per gastrimargiam, reuertatur per sobrietatem. Qui per luxuriam, reuertatur per continentiam. Et quoniam contraria contrarijs curantur, pœna voluptatem redimat, sitis ebrietatem, paupertas luxum, labor otia, passio fluxum, vt sic per viam virtutum reuertamur ad patriam superiorum ciuium.* Hæc ille.

Sicut granum synapis curat lepram carnis; ita Christus curat lepram iniquitatis.

SECTIO XI.

1. SYnapis vim habet curandæ lepræ vt docet Plinius lib. 20. c. 22. *Vtuntur,* ait, *ad alopecias cum rubrica, psoras, lepras,* &c. inter alia instrumenta ad morbos curandos adhiberi solita à chirurgis refert Tertullian. in Scorpiaco cap. 5. etiam synapi, eò quòd incendio suo mordeat, id est, exedat, corrodat consumatque corruptam & putidam carnem, qualis præsertim illa quæ leprâ aliquâ est infecta, sic enim scribit: *Est planè quasi sæuitia, medicina de scalpello, deque cauterio, de synapis incendio, non tamen secari, inuri, & extendi, morderique idcircò malum, quia dolores vtiles adfert.* Similiter nihil tam proprium Christo, quàm curare lepram peccati, corporali illa multò fœdiorem, magisque detestandam. Nihil sanè communius, quàm peccati quoddam eximium speculum, symbolumve, esse corporalem lepram, ob vtriusque varias analogias siue conuenientias, nominatim verò propter tumorem ardorem, languorem, fœtorem & horrorem, de singulis paucula in medium adferenda.

Synapis curat leprā. PLINIVS. TERTVLL.

Quæ-

Quædam analogiæ inter lepram & peccatum.

§. I.

Leprosus tumet in cute, peccator in mente.

2. IN primis, peccatum in lepra adumbratur, propter tumorem. Sicut enim leprosus in cute intumescit, ita & peccator in mente, quâ quidem ratione lepra symbolum est superbiæ, quâ intumescit homo & extollitur, ob dona sibi à Deo concessa, puta ob pulchritudinem, elegantiam, generis nobilitatem scientiæ subtilitatem, virtutum amœnitatem, status sublimitatem, bonorum temporalium fœcunditatem, ob hunc mentis tumorem superbus solet etiam comparari vesicæ inflatæ, quæ si pungatur acu, quantumcumque sit inflata, deinflatur & deturgescit, sic & superbus, quantumcumque sit inflatus ob diuitias, delicias, honores, &c. ad modicum punctum mortis deinflatur, & deturgescit, ob eundem tumorem solet etiam superbus comparari bufoni, nam & ipse maximè inflatus est, magisque inflatur, dum vel leuiter illum tangis, quod superbis maximè proprium.

Quàm superbi sint vitandi.

3. Quàm similes leprosi sint vitandi, exprimit Regius Vates Psalm. 100. dum ait: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Et eodem Psalm. *Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam*, id est, iuxta S.Basilium: *Neque superbiâ vtentes meos sodales faciebam.* Et sub hoc sensu capit Chrysostomus in Psal. 130. ea ipsius Dauid verba. *Neque ambulaui in magnis*, quasi à sua omninò consuetudine eos, qui magnos se esse putarent, reijceret, sic namque ait Chrysostomus: *Quid est in magnis? in hominibus, inquit, tumidis, diuitibus, arrogantibus*, vnde subijcit: *Vidistis, quanta sit humilitas. Non solùm erat ipse à morbo alienus, sed eos etiam qui erant tumidi, fugiebat, & à talibus resiliebat cœtibus, propter magnum quod in arrogantiam conceperat odium. Quoniam enim offenso erat in eam animo, non solùm ab ea resiliebat, nec permittebat, vt in prædium animæ esset ei vllus aditus, sed eos etiam qui illam sectabantur, longissimo interuallo fugiebat vt ab eis nihil detrimenti caperet. Neque verò inter parua rectè facta dicendum est fugere arrogantes, odio habere tumidos, & insolentes, eosq; abhorrere & auersari, sed est maxima virtutis securitas, humilitatis maxima custodia.*

BASILIVS.

CHRYSOS.

4. *Qui communicauerit superbo induet superbiam*, ait Eccli.c.13. *Harebit tumor*, ait Seneca epist.104. *quamdiu cum superbo conuersaberis.* Causam, cur præ cæteris vitijs superbia se affricet communicanti cum superbo, pulcherrimam vide apud Cornelium in cit. Eccli. locum.

Ardore plenus leprosus: ita etiam peccator.

5. Secundò, peccatum in lepra adumbratur, propter ardorem, sicut enim ardore plenus est leprosus, ita & peccator, ardor autem sicut in leproso varia adfert incommoda, ita & in peccatore.

Leprosus semper sitit, ita etiam peccator, præsertim auarus.

Primò enim ob ardorem, semper sitit leprosus, ita & ob interdum ardorem semper sitit homo vitijs mancipatus, præsertim auarus, dicente Salomone Eccles.c.5. *Auarus non implebitur pecuniâ.* Et c.4. *Nec saciantur oculi eius diuitijs*, & Eccli.c.14. *Insatiabilis est oculus cupidi.* A quo dicendi modo nibilum discrepat illud Eccles.c.1. *Non satiatur oculus visu.* Maximè cùm oculorum concupiscentia à Ioanne epist.1. cap.2. ad auaritiam, & habēdi cupiditatem omninò referatur. Similiter Ezech.c.7. de auro & & argento locutus subijcit: *Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur.* Nec non iterum Salomon sub terræ imagine, vt plurimi exponunt Prouerb.30. *Terra non satiatur aquâ.*

Auarus inferno similis.

AVGVST.

6. Eandem veritatem varij Patres varijs illustrant similitudinibus. D.Augustinus lib. de salutar.docum.cap.10. auarum, parem facit inferno: *Auarus*, inquit, *vir, inferno est similis, infernus enim quantoscumque deuorauerit, numquam dicit satis est: sic etsi omnes thesauri confluxerint in auarum, numquam satiabitur.* Fusiùs eadem de re Sanctus Theophilus Alexandrinus epist. Paschali 3. in hæc verba: *Infernus mortuis non expletur, sed quantò plures susceperit, tantò plures desiderat, imitatur ergo eum auaritia, nec satiari potest: sed quidquid habuerit, plus requirit: minus putat ab eo, quod cupit, omne quod possidet; semper immensa, semper immodica; ardorem, peccatoris, opum magnitudine non restinguens, in conuiuijs, non cibos curat, sed iustitiam.*

THEOPHILVS ALEX.

Auarus morti similis.

CHRYSOS.

7. Auarum morti comparat Chrysostomus homil.29. in Matth. *Auarus*, ait, *in omnes, vt mors insiliens, communis generis humani hostis, quippe qui nullum hominem esse vellet, vt omnia possideret.*

Auarus similis dolio perforato.

NYSSEN.

8. Nyssenus orat. funeb. in obitu Placillæ, eam comparat dolio perforato. *Sunt ista, pecuniæ studium, nónne verè dolium perforatum est, cui si vel totum mare effundas, ea natura est, vt expleri non possit.*

SENECA.

9. Accipe etiam quædam ab æterna schola, externisque doctoribus. Sic namque primum Seneca lib.2. de benef. c.27. *Numquam enim improbæ spei, quod datur satis est, & maiora cupimus, quò maiora venerunt: multoque concitatior est auaritia in maiorum opum congestu conflata, vt flammæ infinitè acrior vis est, quò ex maiore incendio emicuit.* Et epist.119. *Qui multum habet, plus cupit, quod est argumentum nondum illum satis habere; qui satis habet, consecutus est, quod numquam diuiti contingit, finem.* Et Plutarchus lib. de cupiditate diuitiarum, scitè illas sic improbrans: *Quo autem alio malo diuitiæ liberent, si ne cupiditatem quidem diuitiarum tollunt?*

PLVTARCHVS.

10. Sicut

Lepra difficillimæ curationis: ita etiam auaritia.
LAVR. DE A PONTE.
MAXIMVS.

10. Sicut lepra difficillimæ est curationis, ita & auaritia: vt rectè probat Laurent. de à Ponte tom. 2. in Sapient. homil. Curationis tamen rationem insinuat S. Maximus hom. 1. de passione, nimirum si Christum cruci affixum consideremus: *Habentes Dominum Iesum, qui nos passione sua liberauit, in ipsum aspiciamus semper, & ipsius signo speremus nostris vulneribus medicinam; si fortè nobis venenum auaritiæ se diffundit, ipsum consideremus & sanat.* Consideratione paupertatis Christi hanc lepram curari docet D. Augustinus lib. de agone Christ. c. 11. *Quæ*, inquit, *auaritia sanari potest, si paupertate filij Dei non sanatur.*

AVGVST.

Vitandus auarus.
SENECA.

11. Quàm auaritiæ leprâ infectus sit vitandus, ne inficiaris, indicat Seneca epist. 104. dum ait: *Herebit tibi auaritia, quamdiu auaro, sordidoq; conuixeris.* Vide quàm auaros detestabatur Dauid. Psal. 100. *Insatiabili corde cum hoc non edebam*, quod ad auaritiam plerumque omnes referunt.

Pruritum patitur leprosus, ita etiam luxuriosus.

12. Secundò, ob ardorem, pruritum patitur leprosus, ita ob internum ardorem concupiscentiæ pruritum carnis, patitur luxuriosus, quàm hic fugiendus disce à D. Paulo dum monet Ephes. cap. 5. *Omnis autem fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis.*

Lepra etiam designat iracundiam.

13. Tertiò, ob ardorem adustum habet sanguinem leprosus, ita ob internum ardorem interiùs aduritur iracundus. Ira enim est ebullitio sanguinis circa cor, lepram hanc maximè fugiendam docet Sapiens Prouerb. c. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.*

Leprosus adumbrat inuidum.

14. Quartò, ob ardorem leprosus habet cutem candidam foris, intus verò nigram, idem possumus dicere accidere inuido, inuidia enim sub specie zeli se pallians, foris apparet lucida, quasi habens virtutum candorem, sed in corde intus habet nigredinem, vide quàm lucida & candida cute, id est, sub quàm specioso prætextu, & colore vomat inuidus detractionis venenum apud D. Bernardum ser. 24. in Cant. *Alij*, inquit, *quodam simulatæ verecundiæ fuco, conceptam malitiam quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas, præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis supercilijs, & voce plangente egredi maledictionem, & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab ijs qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum.* Vides candidam cutem sub qua latet intus nigerrima. Pergit Bernardus & aliam candidam cutem, nouumque velamen reuelat. *Et alius: mihi quidem*, ait, *bene compertum fuerat, de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta res est, veritatem negare non possum. Dolens dico, reuera ita est: & addit, grande damnum. Nam aliàs quidem in pluribus valet, cæterùm, in hac parte (vt verum fatear) excusari minimè potest.* Hactenus Bernardus viuaci penicillo depingens candidam inuidi cutem, sed sub qua latet tetra cordis & animæ nigredo.

BERN.
IDEM.

Leprosus habet oculos subobscuros: ita etiam inuidus.
GREGOR.

15. Ob ardorem habet leprosus oculos subobscuros, languidos, deficientes, an non idem bellè conuenit inuidis? Audi D. Gregorium 5. moral. 4. *Cùm deuictum cor liuoris putredo corruperit: ipsa quoque exteriora indicant quàm grauiter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur.* Ad quem modum Basilius homil. 11. quæ est inuidia ait: *Aspectus illis est aridus & obscurus, gena subtristis, supercilium demissum.*

Quàm nequam sit oculus inuidi.

16. De inuido ait Eccli. cap. 14. *Nequam est oculus inuidi*, nimirum tum mentis, tum corporis. Quàm iniurius sit oculus inuidi internus, inde colligitur, quòd gaudeat de malis, contristetur autem de bonis proximi. Vnde meritò comparandus oculus eius oculo onagri, siue asini siluestris, qui delectatur tempestate, contristatur aëris clementiâ & serenitate. Vnde sub Onagri imagine pulchrè inuidum depingit Cyrillus lib. 2. apol. Moral. c. 29. cui titulus, *contra inuidos.* Cuius verba transscripta inuenies apud Cornelium ad præcitatum Eccli. 14. locum.

Etiam ipse oculus corporalis inuidi nequã.
BASILIVS.

17. Quàm iniurius, malignus ac maleficus sit oculus inuidi corporalis docet Basilius loco citato, dum ex aliorum sententia dicit, inuidi oculum fascini venenum emittere, quo alijs exitium adfert, ex proprio verò sensu affirmat, dæmones inuidorum oculis tanquam instrumentis, ad mala inferenda vti: sic namque ille: *At inuidos existimant nonnulli, non solùm rebus alijs, sed oculis etiam officere, incommodaque inferre. Vnde, & corpora vegeta pubescentium, aliorumve ætate, formaque florentium prosperam habitudinem inficiunt, atque debilitant, statim vt ex eorum luminibus, pernicie quadam defluente, ac contaminante videas contacta membra pulchra, in siccitatem, ac valetudinem venire. Ego verò horum sententiam dimittam. Illud autem dico, quòd dæmones osores omnis boni posteà quàm voluntates inuidorum deprehenderint sibi esse conformes, illis prorsus ad suam libidinem, atque ita, & illorum oculis ad instrumentum, ac ministerium propriæ voluntatis abutantur.*

Lepra depascitur carnem, inuidia tum carnẽ, tum mentem inuidi.
BERN.
LAERT.

18. Ob ardorem lepra depascitur carnem leprosi, sic inuidia exedit & depascitur, tum carnem, tum mentem inuidi. De carne sic Eccli. 30. *Zelus & iracundia minuunt dies.* Vnde etiam D. Bernard. epist. ad Adam monach. *O quisquis es, qui saluti inuides alienæ, parcito vel tuæ, si enim vbi inuidia, ibi mors, profectò, non potes simul, & inuidere & viuere.* Sic & Bias apud Laërt. l. 1. c. 6. *Vt ferrum*, inquit, *rubigine absumitur, ita inuidus suo ipsius vitio contabescit.* Quasi dicat: Sicut ferrum ex seipso

gignit

gignit rubiginem, quæ ipsum excedit, sic inuidus concipit inuidiam, quæ ipsum exedit & consumit. De mente siue animo sic S. Bern. de interiori domo c.42. *Inuidia,* ait, *est animi tinea: sensum comedit, pectus vrit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit, & cuncta bona ardore pestifero deuorat.* Et S. Basilius hom. in aliquot scripturæ locos: *Hic est alius morbus vitæ hominum peculiaris, & animis nostris à natura insitus, & corda magis consumere aptus, quàm rubigo ferrum.*

BERN.

BASILIVS.

19. Quàm inuidi vitandi disce ex Salomone, qui in lib. Sap. c.6. sic ait: *Neque cum inuidia tabescente iter habebo.*

Leprosus cibi auidus, ita & gulosus.

20. Quintò, propter ardorem, leprosus est cibi maximè auidus. An non idem planè accidit guloso? Sed monentem audias Siracidem Eccli. c. 37. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnẽ escam. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram, propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est adijciet vitam.* Quã facilè inficiamur hac leprâ, si cum gulosis & ebriosis conuersemur subindicat Senec. l.3. de ira: *Sumuntur,* inquit, *à conuersantibus mores, & vt quædã in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit, ebriosus conuictores in amorem vini traxit* &c. Quoniam gulosi fugiendi insinuat Hieron. monens Paulinum ep.13. *Conuiuia, velut quasdam catenas fugias voluptatum.*

SENEC.

HIERON.

Lepra symbolum hypocrisis.

21. Sextò, propter ardorem est leprosus in facie rubicundus, quamuis autẽ in illius facie appareat rubedo, non est tamen pulchritudo, quia intuẽti insuauis est, & ingrata: An non quid simile videmus in hypocrisi laborantibus? Cùm pleni sint corruptione, in facie tamen, id est, externa conuersatione, miram præ se ferunt rubedinẽ, quæ ab interno vanæ gloriæ causatur ardore. Hanc spiritualem lepram monuit nos Dominus cauere Luc. c.12. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.*

Leproso vox rauca, ita etiam detractori.

22. Septimò, propter ardorẽ est leprosis vox rauca & submissa, similiter detractori, propter ardorem internæ inuidiç, odij, inimicitię &c. vox planè rauca est & submissa, plerumque enim detractor, non publicè sed secretò & clanculariè detrahit proximo. Quo sensu dicebat Dauid Ps.63. *Exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amarã vt sagittent in occultis immaculatum,* Et Ps.10. *Parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Et Patri consentiens Salomon Eccl. c. 10. *Si mordeat serpẽs in silentio: nihil illo minus habet, qui occultè detrahit.* Quàm fugiendi detractores disce à Dauide, qui ait Ps. 100. *Detrahẽtem secretò proximo suo hunc persequebar.* Non modò detractori non aures pręebat, sed acriùs prosequebatur, & à se repellebat. Sic id expendente D. Chrysost. in cit. Ps. *Eos qui nihil tam cupiunt, quàm detrahere persequamur, & longissimè à nobis depellamus: ne alienis malis consentientes, nobis ipsis conciliemus perditionẽ.* Et hom.42. in Gen. adductis hisce verbis, subijcit: *Vidisti virtutis eminentiam? non solùm non recipit, quæ dicuntur, sed & abigit volentẽ fratri suo maledicere.* Qualiter abigendus, qualiter repellendus detractor docet idem Chrysost. hom.3. ad populum modum insinuans, quo obuiam eundũ detractori, qui talis est: *Habes aliquem quem laudes ac cõmendes? aures aperio, vt vnguenta suscipiam. Si verò malè velis dicere, verbis ingressũ obturo. Non enim stercus, & cœnũ suscipere patior. Quod mihi lucrũ, si didicero quod ille improbus? maximũ igitur nocumentũ ex hoc, & extrema iactura, Loquere ad ipsũ, curemus nostra.* Detractio quàm odiosa Deo & qualiter detractor aliquando puniendus, vide apud Baeza de Christo fig. t.2. l. 5. c.29. §.8. & 9. vide etiã Ioan. de Piña to.2. in Eccli. Etholog.144.

CHRYSOS.

IDEM.

BAEZA.

Grauem reddit hominem lepra, ita etiam peccatum.

23. Tertiò, peccatum lepræ comparatur propter languorem. Sicut enim lepra, grauem, desidiosum, & fastidiosum reddit hominem, ita & peccatum. Lepra eneruat lumbos, manibus & pedibus chiragram ac podagram iniicit, simile quid operatur peccatum in anima.

Fœtet leprosus, fœtet etiam peccator.

24 Quartò, peccatum lepræ comparatur propter fœtorem, fœtet leprosus, fœtet homo peccatis obnoxius, itur aliquando ad ciuitatem aliquam celebrem, S. Catharina Senensis, fœtorẽ eius, ad quadraginta milliaria sensit, addens nullum ei fœtorem parem esse. Scribit D. Greg. virum diuitẽ, sed impudicum, in templo S. Faustini Brixiæ sepultum fuisse, apparuisseque S. Faustinũ custodi præcipientem, vt Episcopum accederet, dicens: vt cadauer illud fœtidũ peccatoris istius, è templo proijciat, alioqui illũ intra triginta dies moriturum. Vide Wadding. in annal. mun. an. Christi 1222. n.8. & an.1236. n. 15. de fœtore peccati vide Ant. Velazq. in epist. ad Philip. c. 3. v. 19. & 20. annot.4. mor. num.9. & seq.

WADDINGVS.

Lepra deformem reddit hominem ita & peccatum.

25. Quintò, peccatum lepræ assimilatur propter horrorem, lepra enim speciem hominis tollit, eumq; deformem reddit, imò abominabilẽ: Ita vt vel contingere horreamus quidquid leprosus tetigit, peccatum ita difforme est, vt ex angelis speciosissimis, fœdissimos fecerit dæmones, vt hominum pulcherrimas animas mutet in dæmones, tamque abominabiles eas reddit, vt absque horrore cerni nequaquam valeant.

Lepra contagiosa: ita & peccatum.

26. Sextò, peccatum lepræ assimilatur, propter contagionẽ & infectionẽ, est lepra morbus maximè contagiosus, ideoque vitandus. Tamberlanes vt refert Chalcocondylas, leprosos omnes, quotquot inueniret, trucidabat, ne & ipsi diutius miseri essent, & alios inficerent. Accidit vt leprosi omnes vbicumque reperirentur flãmis addicerentur, rem & causam habet, quin & tempus. Ioan. Gerbrand. l.27. Chron. Belg. c. 3. *Anno,* inquit, *Domini 1309. omnes leprosi comburebantur per vniuersam Christianitatem, pro eo,* quòd

CHALCOCONDYLAS.

GERBR.

quòd latenti proposuerunt pacto, homines sanos, lepra veneno, intoxicare, inficiendo quasi omnes fontes, suo sanguine leproso, per diminutionem emisso. Similiter nullus morbus peccato cõtagiosior, tum propter sui delectationem, tum propter nostram infirmitatem, dupliciter enim quis ab alio inficitur, vel quia morbus ex se contagiosus est, qui aerem & corpora inficiat, vt pestis, vt venenum, vel quia corpus tenerum est, & facilè læditur. Peccatum verò vtrumque habet, nam & ipsum in se delectabile est habetque boni speciem, & nos infirmi sumus, ad malum potiùs inclinati quàm ad bonum.

Leprosi fugiendi, ita etiam omnes peccatores.

27. Quemadmodum leprosi omnes fugiẽdi, ita & ab omni genere peccantiũ hominum sumus separãdi. Ideo enim lex vetus à leproso imperabat separationẽ, vt doceret omnem à nobis submouendã esse, hominis delictis commaculati communicationem, vt rectè notauit Tertull. lib. 4. cont. Marc. c. 9. *In exemplo*, inquit, *leprosi non contingendi, imò ab omni commercio submouendi, communicationem prohibebat hominis delictis commaculati: cum qualibus & Apostolus cibum vetat sumere.* 1. Corinth. 15. *participari enim solent stigmata delictorum.*

TERTVL.

SENECA.

Quinam in amicos deligendi.

28. Senec. l. de tranquil. anim. c. 6. inquirens, quinam in amicos nobis sint deligẽdi? sic respondet: *Quos scilicet vacuos, quantum fieri poterit, à cupiditatibus, eligemus, serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliũt, & contactu nocent, itaque vti in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuq; ipso laborabimus, ita in amicorum legendis ingenijs dabimus operam, vt quàm minimè inquinatos assumamus.*

Cauendum ne anima nostra inficiatur.

CHRYSOS.

29. Nónne anima, plus est, quàm carnis huius officina? Si ergo corrupto aëre non pateris infici carnem, an patieris eodem infici animam. *Tu autem*, ait Chrysost. *si in ciuitate aliqua sis habitaturus, de aëre curiosè inquiris, an non sit salubris, non temperatus, non siccus. De anima autem rationem initurus, non es solicitus de eorum consuetudine, qui cum ea sunt congressuri, sed temerè & incõsideratè, eam omnibus permittis.* Sic ille scribens in illud Psal. 4. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*, quo loco quædam etiam alia adfert huc spectantia.

Lepra peccati, etiam polluit ipsas creaturas.

30. Quid mirum lepram peccati inficere sua contagione, sibi appropinquantes, sibique vicinos, cùm etiam inficiat & cõtagio suo polluat creaturas cæteras? Legimus Gen. c. 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo, & subuertit ciuitates has & omnem circa regionem.* Quòd Sodoma & Gomorrha sulphure & igne periêre, dignum & iustum fuit, erant enim plena abominatione, at cur eâdem plagâ simul inuoluta omnis circa regio, cur pœnæ participat regio, quæ non participauit peccato? Rectè ibidem Hugo Cardin. *Subuertit omnem circa regionem, quasi mala vicinitate infectam puniuit.*

HVGO CARD.

THEOPHILVS.

31. De feris scribit S. Theoph. Antioc. *Nec tamẽ feræ à rerum primordiis noxia, & exitiales creata sunt, nam nihil noxium ab initio à Deo creatũ est.* Vnde ergo leoni iam sua ferocia, lupo sua voracitas, serpenti suũ venenum, vulpi sua vafricies? Respõdet Theoph. *Hominis delictum conditionẽ creaturarũ deteriorem reddit. Vbi primũ homo legẽ Dei transgressus est, etiã reliqua præuaricata sunt, & degenerauerũt.*

Cur diluuium excreuerit supra montes.

COMEST.

32. Moyses de diluuio fatus, ait Gen. c. 7. *Quindecim cubitis altior fuit aqua, super omnes mõtes, quos operuerat.* Cur aquæ taliter increuere, vt quindecim cubitis superarent mõtes? Respõdet Petrus Comest. in hist. Scholast. *Super montes excreuit aqua, altior cubitis quindecim, vt ablueret fordes aëris, vsquequo ascenderant opera hominum; vsque ad eundẽ locum ascendet ignis iudicij ob aëris purgationem.* Ecce quantum peccati contagium, sic aërẽ inficiens, vt purgatione aquæ & ignis indigeat: Mat. c. 3. dicit de baptismo Ioan. *Tũc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannẽ, vt baptizaretur ab eo;* Et quidẽ venit Iesus non vt ipse mundaretur, sed vt mundaret aquas. At aquæ nullam incurrerant maculam, sola terra maledictionẽ sustinuerat post peccatum, dicẽte Domino: *Maledicta terra in opere tuo.* Et quando non aqua, sed terra maledictionis incurrerat labem, vnde necessũ erat, quòd Iesu præsentiâ mundarẽtur aquæ? Fateor, aquas non maledictas esse, nulla maledictionis infectas labe secundũ se, at quando terræ maledictæ proximæ erant, ex maledictæ vicinitate adeò inficiebantur, vt egerent purgari. D. Aug. l. 3. de Mirab. sacræ Script. c. 5. *Ad Baptismũ descendit Dominus Iesus? nõ quòd baptismi Sacramento & lauacro egeret, sed vt aquas, quas, quamuis in delicto Adæ Deus nõ maledixit, terra, quâ continebãtur, maledictione infectas, purgaret.* Non fuerunt aquæ à Domino maledictæ, at quia terræ maledictæ approximant, inde eâ infectæ sunt tabe, quâ egeant à Domino purgari.

Iesu præsentiâ mũdata aqua

AVGVST.

33. Legimus Gen. 7. vbi diluuij malum expenditur: *Consumptaq; est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantiũ, bestiarum, omniumq; reptilium, quæ reptant super terram.* Ecce tibi quodcunque animal, quod super terram mouebatur, diluuio periit; verùm animal, quod non in terra, sed in aquis mouebatur, tũc securus agebat. Et cur solùm animalia terrena, & non aquatilia experiuntur communem calamitatẽ? De hac quæstione pulchrè D. Aug. l. 1. mirab. sacræ Script. cap. 4. ait: *Quamobrem terrena animalia humana vindicta plusquam aquatica succumbunt? In peccato primi hominis, terra de qua gustauerat, statim maledicitur. Per diuinum namque oraculum ita infertur: Maledicta terra in opere tuo. Quæ in re notandum ipsa animalia, quæ maledictam terram manducauerunt, expertia maledictionis esse non posse.* Perierunt equidem non aquatilia, quibus nil fuit commune cum fructibus maledi-

AVGVST.

Cur aquatilia non extincta diluuio.

maledictæ terræ, sed terrestria omnia, quæ vt in cibo cum terra maledicta communicauerunt; sic maledictionis infectione non caruerunt. Quis iam credat se leprosorum, id est, peccatorum posse contubernio vti, & interim non infici, non commaculari?

Deus agens cũ peccatoribus quodammodo exponitur periculo pollutionis.

34. Quod amplius Ezech. c. 22. volens Deus causam insinuare cur deserturus esset templum Hierosolymitanum, sic ait: *Sacerdotes eius contempserunt legem meam & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & prophanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt, & à Sabbathis meis auerterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum.* S. Bernardin. ser. de societ. bona & mala c. 1. premens vltima verba ait: *Admirabile verbum & omni stupore dignum.* Verè res se ita habet. Quid? An Deus agens cum peccatoribus exponitur periculo vt eorum contaminetur peccatis? An solis radij sordescũt ex contactu luti? An aurum æruginem contrahit ex cineris & terræ vicinitate? an corporalis pulchritudo detrimentum aliquod patitur, ex confinio rei alicuius turpis atque difformis? Quomodo ergo possibile, vt Deus ex contubernio peccatorum coinquinetur? Pulchrè S. Bernard. *Coinquinabar*, inquit, *non quòd vlla inquinationis via sit inquinamentũ ad ipsum Deũ, sed quoniam se abstulit ab eis, ac separauerit, ac longè fecit quemadmodum facere consueuerunt, coinquinari timentes.* Deinde concludens ait: *Vide igitur quanti periculi sit, malorum consortium, vt ipse Deus quodammodo coinquinari pertimescat à sordibus impiorum.*

BERNARDINVS.

BERN.

De quibusdam aliis analogiis inter lepram & peccatum & de ratione curandi lepram spiritualem.

§. II.

Omnibus sensibus nocet lepra: ita peccatum omnibus animæ viribus.

CORNEL.

Obest oculis & naribus, ita peccatum excæcat.

35. Lepra omnibus corporis sensibus præstat nocumentum; ita & lepra peccati omnibus internis potentiis, atque animæ viribus. De lepra corporali fatus Guilielmus Ader Medic. lib. de ægrotis Euang. part. 3. quæ est de lepra apud Cornelium in Luc. c. 17. v. 12. docet eam maximè obesse oculis & naribus: *Certum signum lepræ ait, est oculorum & aurium rotunditas, corrumpitur enim pyramidalis natiua in oculo figura; carne scilicet in esse lachrymali, ad radicem nasi iacente siccitate marcida, & oculorum musculis contabescentibus, quorum deformitate in orbem fastigiatur oculi figura, eademq; de causa rotundantur aures, absumpta nempe pinnula.* Sic ille. Quid similiter tam proprium peccato, quàm excæcare internos oculos? Sap. 2. *excæcauit eos malitia eorum.* Quales tenebras oculis fidei offundat peccatum, nemo non nouit. Quàm peccata surdos reddant peccatores ne obaudiant diuinis vocibus, & aggrauent aures eorum internas, clamat vbique scriptura.

36. Lepra corporalis nocet naribus & olfactui. *Signum lepræ*, ait citatus Guilielmus, *est in dilatatione narium, quia nempe narium partes (quæ Rufo Ephesio alæ & pinnulæ dicuntur) exteriùs amplificantur & dilatantur, interiùs comprimuntur & subsidunt. Illud ab humorum influxu, hoc autem à carie, & interstitij narium putredine dependet.* Sic ille. Similiter peccata inficiunt animæ odoratum spiritualem, vt non percipiat peccati fœtorem, non percipit quoque virtutum, rerumque cælestium odorem. Vide Barad. to. 1. concord. Euang. l. 7. c. 14. paulò post initium.

Obest naribus, ita & peccatum.

37. Lepra corporalis officit maximè tactui. Nam vt ait citatus Auctor: Signum lepræ est stupor & abolitus sensus partium extremarum. Similiter peccata reddũt hominem quasi insensibilem diuinis percussionibus, vnde sic de peccatoribus conqueritur Deus Isa. 1. *Super quo percutiam vos addentes præuaricationem.* Quasi dicat, interprete D. Hieron. *Nullas inuenio plagas, quibus vestram frãgam duritiam. Quantò enim tormenta maiora sunt, tantò crescit impietas.* D. Basilius ita: *Percussu omnibus plagis, omnes contempsistis; nihili duxistis flagra, quæ ad conuersionem vestram facere debuerant, prorsus vos manet vna confractio.*

Obest tactui, ita & peccatum.

38. Lepra etiam maximè obest gustui, nam vt ait auctor citatus: *Signum lepræ est grandines & tubercula sub lingua à retorrido calore humido ex humore crasso congesta; vt & illic varicosæ venæ, vnde lingua intumescit.* Similiter, quis referat qualiter peccata corrumpent spiritualem animæ gustum, taliter sanè, vt dicant peccatores malum bonum, & bonum malum; vt ponant dulce in amarum, & amarum in dulce, vt sub sentibus esse delicias computent?

Lepra obest gustui, ita & peccatũ.

39. Lepra maximè obest manibus, ac præsertim pollici: nam vt ait auctor cit. *Signum lepræ, musculorum manus, maximè pollicis consumptio & tabes: pollici enim tota manus innititur: nec ineptè*, inquit, *pollice excisos, indeque animosâ vi cordis carentes, timidosq;, vocant poletruncos, Italicè Poltroni: Gallicè: Poltrons.* Similiter, quis nescit quàm peccata reddant animam in bonis operibus peragẽdis eneruem & languidam? quis non videt omnem vim bene operandi in peccatoribus esse cõsumptam. Anima existens in gratia, similis est mulieri illi forti, de qua Sapiens Prou. 30. *Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderũt fusum.* At nihil tale meditatur & operatur anima peccatrix. Quid mirum, habet digitorum & pollicis extremitates consumptas & tabescentes, & ideo non habet manus ad operandum expositas, sed in sinu, vna super alteram absconditas, vt meritò poletruncis sit annumeranda.

Lepra obest manibus, ita & peccatum.

Lepra obest voci ita etiam peccatum.

40. Lepra etiam maximè officit voci; nam auctor ille citatus: Signum lepræ constituit in voce rauca, clangosa, & tubarum more sonora. Quàm rauca vox peccatoris dum nihil, nisi vana, turpia, & inhonesta nouit effutire, cùm hominis Christiani naturalis vox sit, de cælestibus ac diuinis rebus sermones texere &c. quàm clangosa & sonora vox peccatoris in propalandis aliorum vitiis & defectibus.

Leproso niger sanguis; ita peccatori nigræ affectiones &c.

41. Lepræ quoque signum, sanguis arenosus, luridus, plumbeus & niger; quod sanguis in homine, id desideria & affectus in mente: sanguis dicitur animæ vesiculum, & desideriis anima fertur, quocumque fertur. Quàm hæc desideria in anima peccatrice sunt arenosa, lurida, plumbea, & nigra? Elephas quia frigidum habet sanguinem leprâ laborat, vnde morbus hic vocatur elephantiacus: similiter lepra peccati ex frigidis desideriis rerum cælestium & æternarum oritur, quæ postquam animam occupauit reddit hæc desideria quàm maximè nigra & difformia.

Lepra non vult interiùs coërceri, ita nec peccatum.

42. Lepra eius est naturæ, vt si interiùs coërceatur, neque sinatur exteriùs prodire, grauiùs grassetur, & duriùs sæuiat, & magis exteriùs se prodat: Similis est natura peccati, quòd magis exteriùs publicatur dum magis satagimus illud occultare, vt obseruauit Hugo Card. in Lucæ 17. *Lepra,* ait, *quantò reprimitur studiosiùs, tantò tandem ebullit turpiùs: sic peccatum quantò diutiùs occultatur, tantò turpiùs apparebit.*

Lepra graueolentiam, peccatum infamiam immittit.

43. Lepra longè latéque graueolentiam immittit. Ita peccatum infamiam peccatoris longè lateque spargit, serpit enim in vulgus statim, ac quis crimen aliquod commisit, neque ire obuiam possumus, quin longè latéque diffundatur. Ergo quia serpit, & quia grauiter olet, optimè lepra peccatum designat. Audi Hugonem Card. in cap. Matt. 8. *Item leprosus fætet & peccator per infamiam, Iob 20. Quasi sterquilinium in fine perdetur.*

Hugo Card.

Serpit lepra: ita & peccatum.

44. Lepra semper serpit, crescit, & maiores sumit vires: Ita peccatum quotidie crescit, multitudine & malitia, id adnotante Hugone in Lucæ c. 5.

Lepra difficilis curationis, ita quoque superbia & ambitio.

45. Lepra corporalis difficilis curationis: ita & lepra superbiæ & ambitionis. Vide Baeza de Christo fig. tom. 2. libr. 5. cap. 4. §. 19. Similiter & lepra auaritiæ. Vide eundem de Christo figur. tom. 2. lib. 5. c. 3. §. 14.

Qualiter curetur lepra.

46. Lepræ peccati malitiam indicauimus, restat vt de illius curatione quædam in medium afferamus.

Debet leprosus habere vestimenta dissuta, in quo denotatur confessio.

47. Primò legimus Leuit. 12. quòd leprosus corporaliter debebat habere vestimenta dissuta: *Quicumque ergo maculatus leprâ fuerit, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum.* Similiter qui maculas peccati contraxit, vestimenta debet habere dissuta: quia peccata aperire per omnia necessarium est peccatori, aliter enim in pristinam sanitatem redire non potest. Hoc dixerim ex Origene homil. 8. in Leuit. his verbis: *Per quem designat eum, qui in anima leprosus est, non oportere assuere sibi tegumenta, dissuta sunt, nudam atque intectam gerit turpitudinem corporis; ita oportet eum, qui peccatis aliquibus obseptus est, mala sua & flagitia, nullis verborum assumentis, nullis excusationum velaminibus operire, vti ne fiat sepulchrum dealbatum, quod deforis quidem apparet omnibus speciosum: intus autem plenum est ossibus mortuorum, & omni spurcitia.*

Orig.

Oratione curamur à lepra peccati.

48. Secundò humili oratione liberamur à lepra peccati, legimus Matt. 8. *Ecce leprosus veniens adorabat eum dicens, Domine, si vis, potes me mundare:* Lucas ait: *Procidens in faciem suam.* Hac humili sua oratione sicut assequitur hic leprosus corporalem sanitatem, ita peccator humili oratione obtinet animæ incolumitatem. Disce, ô peccator, vel ab hoc leproso, qualiter deprecari debeas peccatorum veniam: Procide in faciem coram illa immensa, quam offendisti, maiestate, tanto perfusus pudore, vt oculos ad cælum leuare & erigere non audeas. Qualiter peccatores cum Deo conuersari debeant docet Esdras 1. Esd. 9. vbi sic loquitur: *Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea & scisso pallio, & tunica, curuaui genua mea & expandi manus meas ad Dominum Deum meum, & dixi: Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque ad cælum, à diebus patrum nostrorum. Sed & nos ipsi peccauimus grauiter, vsque in diem hanc* &c. Ecce qualiter sese gesserint Moyses & Aaron Num. c. 16. quando intercedebant pro populo, vt eos repentè non disperderet Deus: *Qui ceciderunt proni in faciem atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet?* 2. Reg. 2. *Deprecatusq; est Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram.* Cùm enim Rex esset, probè nouerat qualiter agendum cum Regia maiestate, nimirum simili ratione, quâ cum illo agebant qui beneficia aliqua exorare volebant. Vt Christus in horto qualiter orauit? Lucæ c. 21. legimus: *Positis genibus orabat.* Et Marci c. 14. *Procidit super terram & orabat*: Et Matth. 26. *Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans.* S. Ambrosius lib. 5. in Luc. c. 5. expendens illa verba: *Procidens in faciem*, sic scribit. *Iste in faciem procidit, quod humilitatis est atque pudoris, vt vnusquisque de vita sua maculis erubescat.*

In facie procidendum dum oramus.

Opus est sanguine Christi.

49. Tertiò vt emundemur à lepra peccati, opus habemus sanguine Christi. Leprosus die octauo aspergebatur sanguine victimæ, eoque mundabatur ab immundi-

tia

tia legali, quæ arcebat eum quasi irregularem à templo, hominumque conuictu, quâ hucusque ob lepram irretitus fuerat. Leuit. 14. Leprosus typicè figurabat peccatorem, qui à lepra peccati mundatur per aspersionem, id est, applicationem sanguinis Christi, quæ fit per Baptismum aliaque Sacramenta; item per fidem, contritionem, & bona opera. Hoc est quod prædixit Isaias c. 52. *Iste asperget gentes multas.* Quasi dicat: Christus suo sanguine, per aquam baptismi, multos abluet à peccatis, iustificabit & sanctificabit. Hoc est quod orat Dauid Psalm. 50. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor.* Quasi dicat; Sicut olim leprosus typicè mundabatur per aspersionem hyssopi sanguine victimæ tincti; ita aspersione sanguinis Christi, qui verè est hyssopus sanguineus agni immaculati mundans peccata elue & emunda meum reatum homicidij & adulterij. Orat enim per sanguinem & merita Christi venturi, per hyssopum, sanguinem & agnum persigurati, sibi remitti peccata. Ita S. Ambrosius de Apolog. Dauid cap. 12. Sic Apostolus Hebr. 10. *Aspersi*, ait, *corda à conscientia mala*, id est, in cordibus sanguine Christi per baptismum lustrati & purgati à peccatis. Vnde explicans subdit: *Et abluti corpus aqua munda* baptismi. Aspersio ergo sanguinis, idem est quod lustratio & purificatio à peccatis, quæ fit per sanguinem Christi. Porrò hæc aspersio, id est, applicatio sanguinis Christi, adhibetur animæ, per baptismum, aliaque Sacramenta, præsertim Eucharistiæ: in ea enim realiter comedimus corpus, & bibimus sanguinem Christi. Secundò, per fidem & orationem; obsecrando scilicet vt Deus per merita sanguinis Christi nobis peccata remittat, gratiam donet, virtutes largiatur & augeat. Sic Ecclesia omnes orationes & collectas concludere solet dicendo: *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. Tertiò, per rememorationem & meditationem passionis Christi: hac enim gratos nos exhibemus Christo, eiusque pretiosam redemptionem celebramus, ac per eam beneficia speramus, & poscimus & impetramus: Atque hac causa Christus sacrificium Missæ & Eucharistiæ instituit, vt eo iugiter tantam passionis eius dignitatem recoleremus, & cum omni gratiarum actione celebraremus, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*, Et: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniam.* 1. Corint. 11. Quartò, vniendo operationes, & passiones nostras, actionibus & passionibus Christi; hoc enim Christo perhonorificum, patri gratissimum, nobis vtilissimum est: dum enim nostra exilia opera vnita operibus diuinis Christi, iisque quasi vestita & inaurata, eiusque sanguine purpurata, Deo patri offerimus, conciliamus eius oculos (vt respiciat in faciem Christi sui) & gratiam, ac impetramus quod obsecramus. Vnde viri pij & sapientes idipsum studiosè factitant. Hoc est quod ait D. Paulus Hebr. 12. *Accessistis*, &c. *ad testamenti noui mediatorem, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel;* quia sanguis Abel clamat vindictam, Christi misericordiam.

Quando Christi sanguis nobis applicetur.

50. Quartò, vt à lepra peccati emundemur, nobis opus est humili pœnitentia, in Iordane nobis adumbratâ. Erat Naaman Syrus leprâ profusus, ac veterno incurabili possessus. Vnde inquit illi Eliseus 4. Reg. 5. *Vade & lauare septies in Iordane, & mundaberis.* Quis est iste Iordanis? Audi Guarricum serm. 4. de Epiph. Dom. *Iordanis, vt aiunt, interpretatur, descensus eorum: Quorum? Illorum vtique, qui humiliantur ad pœnitentiam, qui nimirum, quantò profundiùs descendunt, tantò se penitiùs mergunt, & pleniùs abluunt spiritalis alueo Iordanis.* Deinde sic monet & excitat seipsum: *Descende & tu, ô anima mea, de curru superbiæ in salubres aquas Iordanis, qui de fonte domus Dauid, toto iam profluit orbe, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Hæc est nimirum humilitas pœnitendi* &c.

Humili pœnitentiâ indigemus in Iordane adumbratâ.

GVARRICVS.

Verùm sicut Naaman Syrus, difficilem se præbuit, vt obsequeretur prophetæ mandato. *Nunquid*, ait, *non meliores sunt fluuij Damasci, omnibus aquis Israel, vt lauer in eis & munder:* Ita plurimi Christianorum recusant lauari medicinalibus pœnitentiæ aquis. Nam vt ait Guarricus loco cit. *Tandem vix egrè obtinetur à superbo peccatore, vt descendat in Iordanem & lauet.* Verùm quid serui, Naamo indignati aduersus virum Dei qui dixerat, *Vade, & lauare septies* &c. *Pater*, inquiunt, *& si rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras* &c. Idem meritò dicitur superbo peccatori, recusanti descendere in humiles pœnitentiæ aquas: *Quid enim graue est in præcepto*, ait Guarricus, *vbi salus est in promisso.*

51. Verùm an sese semel lauasse sufficiat, in medicinalibus pœnitentiæ aquis, vt ad perfectam innocentiam & puritatem regeneremur? Haud eamdem puto. Audi Guarricum loco cit. tum deplorantem hominum segnitiem in intrandis hisce medicinalibus aquis, tum explicantem qualiter intrandæ vt quemadmodum caro Naami restituta est, sicut caro pueri paruuli, ita anima nostra reuertatur ad innocentiam puerorum, & corpora nostra sibi puerilem vindicent puritatem: *Proh dolor*, ait, *quanta est huius nostri miseria temporis, quia non solùm diuites, sed etiam pauperes leprosi, ita inueniuntur delicati, vt vix vsque ad talos salubribus intingi patiantur aquis: aut si semel lauerint, mox sibi plenissimè videntur mundati. At Eliseus non ita sentit: sed signanter exprimit, septies lauare & mundaberis.* Sic ille. Hæc tam mirabilis conuersio, vt peccatorum grandium exuuio posito, quisquam

Non semel sese lauisse sufficit, sæpius lauandum.

GVARRICVS.

in tantam procedat innocentiam, vt quasi modò genitus infans, & in Christo renatus censeatur, ita vt antiqui mali characteres sint deleti, non est vnius ablutionis fructus: O quoties lachrymandum est, quoties dolendum, si modò lepra abigenda sit! Septies igitur descendat Naaman in Iordanem, repetat frequenter aquas, creber sit, importunus; ita mundatur lues totum hominem deturpans. De lepræ spirituali emundatione vide plura in duobus paragraphis sequentibus.

Qualiter curetur lepra Peccati.

§. III.

Corporalis lepra curatur sanguinis humani balneo. PLINIVS.

1. Restat vt de lepræ spiritualis, id est peccati, remediis quædam in medium adducamus. De lepra fatus Plinius libr. 26. c. 1. sic scribit: *Ægypti peculiare hoc malum, & cùm in reges incidisset, populis funebre: quippe in balneis solia temperabantur, humano sanguine, ad medicinam eam.* Hæc ille de lepra elephantiaca, sic nominata, quòd leprosi cutem, contrahat in rugas, & nigrescere faciat, ad similitudinem pellis elephantinæ. Vnde ad curationem lepræ huius, Constantinus imperator, etiam iussit sibi præparari solia infantium sanguine redundantia. Similiter spiritualis peccati lepra, non curatur, nisi balneo, non ex puerorum, sed ex Christi sanguine confecto, qualia balnea rectè dixeris sanctæ Ecclesiæ sacramenta.

Lepra peccati curatur sanguine Christi.

Lex de emundatione lepræ corporalis, qualiter mysticè accommodetur curationi lepræ spiritualis.

2. Qualiter sanguis Christi, ad curationem huius lepræ necessarius patet ex lege quæ de corporalis lepræ emundatione lata Leuit. c. 14. sic enim illa loquitur. *Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad sacerdotem, qui egressus de castris præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos passeres viuos pro se, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyssopum. Et vnum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili, super aquas viuentes: alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco & hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum qui mundandus est, septies, vt iure purgetur: & dimittet passerem viuum, vt in agrum auolet. Cumque lauerit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aquâ, purificatusque ingredietur castra.* Quid hæc sibi volunt, nónne vmbræ sunt futurorum, nónne docent quæ conuenientia, quæ necessaria ad nostram emundationem? Accipite ergo horum verborum sensum spiritualem à Rudolpho Flauiac. qui lib. 10. comment. in Leuit. c. 1. sic scribit.

RADVLPHVS FLAVIAC.

Vnus passerum significat Christum.

3. *In vno passerum, quos leprosus iubetur afferre ipsum intelligo Christum, quia & ipsius vox in Psalm. 101. habetur: Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto & Ps. 83. Passer inuenit sibi domũ, quod scilicet, æternum cæli Redemptor noster intrauerit habitaculum. Hyssopus quæ cum passere offertur fides nostra est. Hyssopus namque cum sit herba humilis, radicibus hæret in petra, & interiora nostra mundare consueuit. Si petram quæris in qua fides nostra radicata est, ab Apostolo audies* (2. Corint. 10.) *Petra autem erat Christus, scriptum est etiam fide mundans corda eorum. Cedrus quæ ad alta se tollit, spei nostræ designat certitudinem, quæ non terrena & transitoria, sed cælestia & semper mansura nobis repromittit. In vermiculo qui ignei coloris agnoscitur, flamma dilectionis exprimitur, offert itaque homo passerem vnum viuum cum hyssopo, cùm Christum pro nobis hominem factum, & hic primò cum mortalibus vixisse, & nunc apud Patrem credit immortalibus viuere, iungit vermiculum cùm illum diligit, sed & lignum credrinum, si de eo præsumit.*

Hyssopus fidem designat.

Petra Christus.

4. *Sed vbi immolabitur passer iste? In vase fictili, Quid autem vas fictile nisi corpus Christi, quod terrenum de Virgine sumpsit, accipiendum est? in hoc autem mori pro hominibus homo voluit, quia in suæ diuinitatis essentia mori non potuit. Et addidit lex: Super aquas viuentes. Quas viuentes aquas nisi scripturarum fluenta intelligimus. Præcipiat ergo sacerdos vt super aquas viuentes passer immoletur, id est, vt iuxta scripturarum authoritatem, Dei filius passus credatur. Super aquas etenim viuentes passio illius consummata est, quando pranunciationi propheticæ rerum exhibitio superaddita est, & hoc effectus ostendit quod sermo prædixit.*

Vas fictile corpus Christi.

Aquæ viuæ scripturarũ fluenta.

5. *Primo passeri secundus est iungendus, nimirum ipse spiritus hominis, planè humiliatus. Humilitas namque siue paupertas sanctorum per passerem solet designari, sicut in Psalmo de cedris (id est potestatibus huius sæculi, quas Deus in sancta Ecclesia plantauit) scriptum est (Psalm. 105.) Illic passeres nidificabunt, quia scilicet pauperes Christi à diuitibus huius mundi necessaria vitæ percipiunt. De quo passere subditur.*

Secundus passer est ipse spiritus hominis.

6. *Alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo, tinget in sanguinem passeris immolati, quâ asperget illum qui immundus est septies, vt iure purgetur, & dimittit passerem viuum in agrum vt auolet. O beatus sanguis, cuius aspersione lepra nostra mundatur, cuius redemptione qui captiuus fuerat liber dimittitur, cuius tactu mortui suscitantur. Ecce immolato passere primo, alius viuit, quem immolati sanguis contingit. Leprosus quoque septies eodem respersus iure mundari perhibetur, & passer viuus qui violenter priùs, detinebatur, post intinctionem sanguinis, vt in agrum liber auolet, relaxatur. Viuit enim passer secundus, dum primus immolatur, quia per Christi mortem vniuscuiusque fidelis spiritus ad vitam resurgit & eo moriente, spes nostra redditur vitæ æternæ. Tingitur autem viuus passer in sanguine passeris immolati, cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo, quia spiritus noster, tunc primùm viuere incipit,* cùm

Per Christi mortem ad vitam resurgimus.

cùm sacramenta Dominicæ passionis, pia fide susceperit, tingitur verò cum illo & hyssopus, cùm fides nostra super tantis mysterijs informatur. Tingitur lignum credrinum, cùm omnis spes nostra in redemptoris nostri sanguine ponitur. Tingitur etiam coccus cùm ex recordatione passionis Dominicæ, & erga ipsum, & ad inuicem charitas in nobis amplior excitatur.

Septies aspergimur sanguine propter septiformem gratiam S. Spiritus.

7. *Præcipitur deinde vt sanguine eodem ille qui immundus est, septies aspergatur, vt sic iure purgetur. Septenarius numerus spiritui sancto consecratus est, propter septiformem eius gratiam, cui etiam remissio peccatorum adscribitur, ipse est enim qui dimittit, ipse qui veniâ dignos nos facit: Accipite, inquit Dominus (Ioan. 20.) spiritum sanctum; & continuò subiecit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: hanc discipuli potestatem habere non potuissent, nisi spiritum sanctum prius accepissent.*

Ager, bonorum operum exercitium.

8. *Et dimittet passerem viuum in agrum vt auolet, agrum bonorum operum exercitium & laborem Deo dicatum, intellige. In hunc agrum auolare non potest, quisquis cupiditatibus suis tenetur ligatus quem iugum premit inimici, cui facultas non suppetit sese expediendi.*

Vestimenta, exterior conuersatio.

9. *Cumq; lauerit homo vestimenta sua radet omnes pilos corporis & lauabitur aquâ. Lauat homo vestimenta sua, cùm iam peccatorum præteritorum remissione percepta, ac bene agendi libertate recepta, quiescens agere perversè & bene facere consuescens, exteriorem suam conuersationem sanctificat. Per pilos verò corporis intelliguntur vitiosorum affectuum importunitas, & cogitationum inutilium superfluitas. Notandum tamen quòd pili radi præcipiuntur, non euelli, quantalibet namque hominem virtus sanctæ conuersationis euexerit adhuc ei de vetustate vitæ nascitur, quod & tolerandum, & quotidie pro viribus amputandum sit.*

Per pilos corporis intelliguntur vitiosi affectus.

Barbam radunt qui in seipsis, minimè confidunt.

10. *Iubebat etiam lex vt leproso barba raderetur, cum superciliis. Beatus Gregorius cum de viris Sichem loqueretur, qui rasi veniebant de Samaria, Barbam, inquit, radunt, qui sibi de proprijs viribus fiduciam subtrahunt. Si in barba virtus exprimitur hanc psalmista radebat, cùm diceret* (Psalm. 17.) *Diligam te Domine virtus mea* &c. Et Psalm. 70. *Quia memorabor iustitiæ tuæ solius, magnæ ergo perfectionis argumentum est, si homo post multos scientiæ virtutisq; profectus, totum Deo applicet, non sibi, ne si fortè se aliquid esse existimat cùm nihil sit, seipsum decipiat. Quid in superciliis nisi superbia designatur, hæc planè amputanda.*

Supercilia designant superbiam.

11. *Homo iam purificatus castra ingreditur, cùm in sanctorum societatem à qua prius merito suæ iniquitatis fuerat eiectus, recipitur.* Hactenus Rudolphus.

Allegorica præcedentis legis expositio ex Origene.

12. Origenes ad allegoriã alliciens prædictã Leuitici legem hom. 8. in Leu. c. 12. & 13. per lignũ cedrinum intelligit lignum crucis, per coccum sanguinem Christi: *Indiget, ait, vt per lignum cedrinum purificetur is qui purificatur, impossibile namque est, sine ligno crucis peccati lepram posse purgari nisi adhibeatur & lignum in quo Saluator (sicut Apostolus Paulus dixit) exuit principatus & potestates triumphans eos in ligno. Iungitur tamen ad emundationem lepræ huius etiam coccus tortus, sociatur & hyssopus. Coccus tortus figuram sacri sanguinis continet qui de eius latere per lanceæ vulnus exortus est.* Quòd autem occiditur vnus passer in vasculo fictili, in quo vase, aqua viua sit missa, quâ leprosus etiam aspergebatur, putat designari Origenes, mysterium aquæ & sanguinis qui dicuntur exiisse de latere Saluatoris, in hyssopo non incongruè designatur humilis pœnitentia. Nam Origenes loco cit. naturam hyssopi insinuans ait: *Hoc genus herba naturam habere medici ferunt, vt diluat & expurget, si qua illa pectori hominum sordes ex corruptione noxij humoris insederint, vnde & necessariò in expurgatione peccatorum, huiuscemodi graminis figura suscepta est.* Similis quoque est pœnitentiæ virtus, expurgat quippe à læthalibus peccatorum humoribus.

Pro superiorum omnium pleniori intelligentia, sciendum quòd is qui à lepra mundabatur sanguine passeris, & aquâ illâ viuâ, septies aspergebatur, asperforio nempe hyssopi, cuius asperforij manubrium ex ligno cedrino conficiendum erat, cui alligabatur hyssopus filo rubeo, cocco tincto.

Alia ratio curandæ lepræ spiritualis.

§. IV.

13. Vis habere aliam rationem curandæ lepræ huius spiritualis? Vide qualiter se gesserint decem illi viri leprosi quos curatos à Christo legimus Lucæ cap. 17.

Decem illi leprosi imitandi si quis velit à lepra peccati liberari.

14. Imprimis, se leprosos esse agnouere, similiter peccator debet se leprosum, id est peccatorem agnoscere. Vis scire quare simus tam tardi in procuranda animæ sanitate? Rationem reddit Plutarch. in Lib. cui titulus, *Vtrum, grauiores sint animi morbi, quàm corporis. Animi morbi,* ait, *plerosque ita fallunt, vt non habeantur pro malis, nimirum ob idipsum periculosiora sunt, quòd sui sensum adimant ægroto: siquidem corporis morbos ratio sana præcipitat, animi morbos, ipse simul ægrotans non potest indicare, è quibus laborat. Propterea quod ægrotat ea pars, cuius erat indicare. Sanitatis initium est, si qui laborat sentiat sibi opus esse remedio. Qui non videt quibus eget, propterea quod non credat se esse ægrotum, etiamsi præsto sit, qui medeatur, tamen non admittit curationem.* Sic ille, *initium salutis est cognitio peccati,* ait Seneca epist. 29. & epist. 6. *Signum est meliorati animi, cùm vitia sua cognoscit. Sicut quibusdam ægris congratulamur, cùm seipsos ægros esse senserunt, sic hominibus congra-*

Quare tam tardi simus in procuranda animi sanitate. PLVTARC.

congratulandum est, quando sua vitia cognoscunt. Ideoq; ipsi, qui vt plurimum suos defectus non aduertunt, correctores quærere debent, qui eos admoneant & doceant, imò & qui eos castigent quando delinquunt, & peccant.

Hanc peccati cognitionem ab anima postulat Deus per Ierem. dum ait: *Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei penes te, dicit Dominus Deus exercituum.* Et Deum ita loquentem inducit D. August. *O homo si te videres, tibi displiceres, & mihi placeres, sed quia te non vides, mihi displices, & tibi places.*

Vnde Dauidi initium salutis, nónne à cognitione peccati? Psalm. 50. ait: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Quid eum mouit ad implorandam Dei misericordiam? *Quoniam*, ait, *iniquitatem meam egò cognosco, & peccatum me contra* (coram) *me, est semper*, nimirum me accusans & condemnans. Vnde in persona peccatoris ait Hierem. c. 31. *Postquam ostendisti mihi percussi femur meum.* Septuag. *Postquam cognoui, ego ingemui.*

Debet se leprosum agnoscere. 15. Secundò, occurrerunt Christo, quod tunc peccator peragit dum recedit à peccato, dum nuntium peccatis remittit & ad Deum sese conuertit; occurrere autem debemus Christo ad ostium cordis nostri, ibi enim stans pulsat, & te expectans dicit illud Apoc. 3. *Ego sto ad ostium & pulso. Si quis aperuerit mihi intrabo ad eum & cænabo cum eo.* Non oportet, te igitur vt Bernardus ait, ô homo, maria transfretare, non transalpinare terram, sed vsque ad ostium cordis & oris occurrere Deo tuo.

Debet occurrere Christo.

Debet stare per firmum propositũ. 16. Tertiò, steterunt leprosi, in quo signatur, firmum in posterum, non peccandi propositum. Nihil iuuat peccata vetera detestari, si non animum habeas firmum, futura quoque peccata cauendi.

Debet stare à longè, id est verecundari. 17. Quartò, steterunt leprosi à longè. In quo signatur peccatoris verecundia & erubescentia, hoc modo Publicanus in templo orans, stabat à longè non audens leuare oculos in cælum. Maria quoque soror Marthæ verecunda, retro secus pedes Domini accessit. *Est enim confusio*, vt ait Eccli. c. 20. *adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.* Quapropter his qui non erubescunt peccata sua per Hieremiam c. 3. à Domino dicitur: *Fons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Vide hac de re plura si libet apud Antonium Velazquez tom. 2. in epistol. ad Philip. cap. 3. vers. 19. & 20. annotat. 4. moral. num. 6. & seq.

ANTONIVS VELAZQVEZ.

Desiderium adsit. 18. Quintò, leuauerunt vocem leprosi, quo desiderij magnitudo insinuatur.

Adsit contritio. 19. Sextò, dixerunt lachrymabili voce, *Iesu præceptor, miserere nostri*, in quo signatur internus cordis dolor atque tristitia.

Confitenda peccata. 20. Septimò iuerunt & ostenderunt se sacerdotibus in quo peccatorum confessio signatur. Nam quomodo in veteri testamento sacerdoti necesse erat vt ostenderetur plaga lepræ, vt possit iudicare: ita in nouo, si peccator debeat absolui ac pronunciari mundus à sacerdote, necesse est, vt audiat primùm peccatum eius sacerdos: vtpote illius iudex à Deo constitutus. Nemo enim iudicat de eo, quod nescit: Nec otiosè Petro & Apostolis Christus dedit potestatem absoluendi & claues, quibus quæso quomodo vterentur, aut quando, seu ad quid, si nemo confiteretur peccata sua?

21. Octauò, leprosi postquam lachrymosam illam dedere vocem, *Iesu præceptor, miserere nobis*, visi sunt à Christo. Cordis vera contritio & peccatorum lachrymæ rapiunt ad se oculos Christi. Non solùm dignatur eos aspectu verùm & alloquio. *Ite, ait, ostendite vos sacerdotibus.* Contritio rapit ad se oculos Christi.

22. Nonò, de leprosis legitur. *Dum irent mundati sunt.* Quo docemur quòd in contritione Deus mundat peccatorem, & in proposito confitendi. Nam quia voluntatem habuerunt ostendi se sacerdoti, & iam ad perficiendam hanc voluntatem erant in itinere constituti, mundati sunt. Nunquam enim ita alligauit Deus gratiam, & misericordiam suam sacramentis, vt non possit gratiam aut virtutem sacramenti dare etiam sine sacramento, puta vbi sacramentum baptismi aut confessionis non posset obtineri, aut vbi, vt hic, quis accinctus est animo iam recipiendi. Itaque dum irent mundati sunt: Deus enim per internam contritionem, per operationem suã internã & gratiæ infusionem, hominem iustificat, antequam veniat ad confessionem; imò ad perfectam confessionem peccatorum opus foret aut deceret, vt antequam sacerdoti reuelare inciperet peccata sua, iam per contritionem, & internam Dei operationem, esset iustificatus. Contritio mundat peccatorẽ.

23. Postremò, vnus ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, sic conuenit peccatorem pro iustificationis dono ingentes Deo referre gratias. Gratiarum actio referenda pro emundatione.

Si autem leprosi illi pro acquirenda salute & sanitate coporali supra enarratas impenderint diligentias, quid conuenit facere homini Christiano pro obtinenda animæ incolumitate? O quàm veloces & strenui sunt homines, pro acquirenda & tuenda sanitate corporali quàm desides & supini pro acquirenda sanitate spirituali. Pro acquirenda sanitate corporali, quid non facit homo, quæ non suffert, quæ non patitur ferra, non ignes, cùm tamen prorsus incertum an proderunt sanitati & fælicem sint habitura successum, illâ verò obtentâ quantã non adhibet diligentiam, & à noxiis cibis abstinẽtiam ne in pristinum relabatur morbum, pro animæ salute obtinenda quæ medijs peragitur facilli- Si tantum pro aliis, quid deberet homo non præstare pro animæ sanitate.

facillimis & quidem certam salutem operantibus, vix aliquid vult subire laboris. CHRYSOS. *Febricitantibus* (ait Chrysost. hom. 35. in Matth. c. 23.) *medicos conuocamus, cubiculum certum tribuimus & medicinæ legibus parere impellimus, quas si negligunt, & irascimur & custodes apponimus, qui eos medicorum præceptis viuere cogant. Quòd si magni pretij medicina fuerit, libenter impensam subimus, & medicis ipsis non paruam mercedem deponimus: quando verò nos ipsi ægrotamus, semper enim saltem animâ ægrotamus, ne medicum quidem accurrere volumus, nullas pecunias impendere, sed quasi publico quodam inimico, & hoste nostro iacente, sic animæ laboranti afficimur.* Sic ille. AVGVST. Similes sumus D. Aug. dum adhuc in tenebris peccati degebat: *Cogitationibus*, ait lib. 8. conf. c. 5. *quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine, remerguntur. Non erat quod tibi responderem, dicenti, surge qui dormis? nisi verba somnolenta, modo, ecce modo, sine paululum. Sed modo, & modo non habebat modum, & sine paululùm, ibat in longum.* Iam verò obtentâ per gratiam sanitate, quâ cautelâ viuit homo, qua vtitur cautione, ne amittat gratiam & in antiqua & iam deplorata relabatur scelera? An de illo dici potest quod de Simeone legitur: *Erat vir iustus & timoratus?* An cum Dauide orat illud Psal. 85. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum?* An obaudit illi monito diuino Deut. 4. *Custodi temetipsum & animam tuam sollicitè?* An obaudit sancto Spiritui monenti Prouer. 4. *Omni custodia custodi cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.*

24. Si quis plura ad lepram spiritualem spectantia desideret, videat D. Hieronymum epist. 39. vbi agit de diuersis lepræ generibus, Rudolphum Flauiacensem lib. 9. in Leuit. cap. 1. & seq. & lib. 10. cap. 1. & seq. habetur in bibliot. Patr. tomo 10. D. Bonauenturam Dom. 3. post Epiphan. to. 3. Berchorium in diction. mor. part. 2. verb. *Lepra*. Ioan. à S. Geminiano in summa lib. 6. c. 10. Ioan. Lanspergium Dom. 14. Trinit. serm. 1. & 2. A costa Dom. 3. post Epiph. co. 1. & 2. Barnabam Kearnæum Dom. 3. post 3. Epiph. Ioan. Quintinum in serm. mor. ser. 9. Cuius verba reperies apud Petrum Canonherium in interpret. mor. in sept. Aphorism. Hyppoc. libros, volum. 2. fol. 365. Barradium tom. 3. lib. 1. cap. 6. Maximilianum Sandæum in Theologia medica lib. 2. comment. 29.

Sicut granum synapis curat paralysim corporalē, ita Christus curat paralysim spiritualem.

SECTIO XII.

Quædam conuenientiæ inter paralysim corporalem & spiritualem.

§. I.

1. *Synapismus*, (hoc est, cataplasma ex contuso synapis semine) *membris paralysi oppressis motum sensumq; excitat*, ait Leuinus Lemnius in herbis biblic. cap. 32. Similiter quid Christo tam proprium, quàm animas spirituali peccati paralysi oppressas, ab eadem liberare & motum sensumque præbere. *Synapis, sanat paralysim.* LEVINVS LEMNIVS.

Vis videre quanta sit conuenientia inter paralysim corporalem, & paralysim peccati spiritualem?

2. Imprimis corporalis paralysis, nihil aliud est quàm membrorum corporalium dissolutio: Ita spiritualis peccati paralysis nihil aliud est quàm dissolutio virium spiritualium, puta appetitus, intellectus, voluntatis, & sensuum omnium tam internorum quàm externorum. *Paralysis dissolutio membrorum: peccatum dissolutio viriū spiritualiū.*

3. Quænam est illa anima, quæ non sentiat quàm appetitus, circa bona opera langueat, & circa ea quæ spectant ad salutem animæ procurandam, & promouendam, sit dissolutus; quàm paralyticus sit, vt ad concionem veniat, ad audiendum sacrum accurrat, vt ieiunet, vigilet, & seipsum à malis cohibeat, non videnda non videat, non audienda non audiat, non gustanda non gustet, non tangenda non tangat. *Quàm appetitus langueat circa bona opera.*

4. Quænā est illa anima, quæ si seria cōsideratione visitet & examinet huius sui serui statum, conditionēque, non exclamabit cum Centurione: *Domine puer meus iacet in domo mea paralyticus & malè torquetur.* Puer meus, appetitus meus, iacet in domo mea, in corpore meo, torpidus, confractus, piger, negligens, planè dissolutus animæ neruis, & malè torquetur, id est, cruciatur vario æstu, libidinum, diuitiarum, honorū, vindictæ &c. quæ vt acquirat, immensos percur-

rit labores, cùm tamen ad cælestia sit pigerrimus.

Quàm fortis appetitus noster ad mala perpetranda.

5. Quis dicere queat, quàm appetitus noster, famulus noster, laborans hac spirituali paralysi, langueat circa bona opera, & quàm incolumis sit & efficax, vt imperio rationis resistat, ipsamque, magno cum impetu, quasi indomita fera, ad illicita quæque trahat? testatur vita plurimorum adolescentium, qui tam immenso voluptatum turpissimarum incendio flagrant, vt penè ad insaniam redigantur. Testantur nouæ & inauditæ libidinum inuentiones, quibus concupiscentia hominum longè superat concupiscentiam bestiarum; testantur vigiliæ, ieiunia, sacci, humi cubationes, spinarum aculei, aliaque id genus, quibus viri sancti, tanquam armis cælestibus, vt hunc famulum suum paralyticum, æstuantem varijs cupiditatibus, & nociuis desideriis reprimerent, vsi sunt. Testantur horribiles tragœdiæ, quæ singulis ætatibus, & in omnibus mundi partibus, occasione carnalis concupiscentiæ acciderunt. Certè in scripturis sanctis, horrorem incutiunt, quæ de Sampsone, Salomone, & Dauid, leguntur exempla, quorum primus fortitudine, secundus sapientiâ, tertius ad fortitudinem sapientiam, sanctitatem & pietatem planè singularem adiunxerat, patet ergo spiritualem hanc paralysim, seruumque nostrum paralyticum, ad bona opera torpere, ad mala quæque peruigilem & diligentem esse, sicut is qui corporali paralysi premitur, membra confracta habet & dissoluta, plenus interim variarum rerum cupiditate, & desideriis.

Tardus appetitus ad cælestia conquirenda alatus ad terrena.

6. Quis nescit, quàm tardus appetitus noster, circa cælestia conquirenda, & aucupanda bona: quàm velox & alatus ad inquirenda terrena? Vidit Rex ille Baltasar sacrâ scripturâ referente Dan. 7. quatuor bestias grandes, ascendentes de mari diuersas inter se, *Prima*, inquit, *erat quasi læna & alas habebat aquilæ*, inusitata quidem effigies, & hactenus non visa, quis enim vnquam vidit leænam aquilarum alis pennatam. Læna namque terrestre quoddam animal est, & quadrupes, aquilarum verò alæ, aëra secant, illisque ipsa aquila in altum, celeri quodam, vehementique volatu, tollitur, quis ergo res inter se disiunctas, & absimiles, pedes scilicet leænæ, & alas aquilæ, copulauit? Sanè in paralytico nostro seruo, appetitu dico, copulatio ista reperitur, qui quidem immanis bestia meritò nuncupari potest: Is enim tanquam leæna multum habet roboris, & neruorum, vt vulnera, cædes, iniurias, damna inferat, & alis etiam præditus est, non vt ad altissimarum ac diuinarum rerum contemplationem, efferatur: sed vt terrestria viliaque bona, aucupetur, atque ad libidinem suam explendam aquilæ pennas desiderat. Quàm industrius, solers, velox & laboriosus est appetitus paralyticus, ac terreus, hominis auari, in pecuniis comparandis, quàm celer hominis superbi, in honoribus affectandis, quàm promptus atque alacer iracundi in vlciscendis iniuriis. At verò tardus, stupidus, & iners est, in his quæ diuino cultui, obsequioque deseruiunt?

Tam tardum esse ad bona opera pessimum signum.

7. Quod quidem, dum in se quilibet Christianus experitur, grauissimo supplicio se à Deo affectum esse, æstimare debet. Quocirca has ille minas per Zachariam cap. 12. iactat: *In illa die percutiam omnem equum in stuporem, & ascensorem eius in amentiam.* Originale Hebræum ita habet, *percutiam equos stupore & ascensorem percutiam amentiâ.* Diuus Gregorius asserit, in diuina scriptura equi nomine, corpus nostrum intelligi, ascensor equi anima est, quæ veluti insidens corpori, orbem lustrat. Minitatur ergo omnipotens Deus, supplicium improbis, tam in corpore quàm in animo, corpus videlicet stupore, animum autem amentiâ afficiendum esse. At quo pacto hæc verba, cum illis coagmentari possunt, quæ à Ieremia cap. 28. de eisdem peccatoribus scribuntur. *Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium*, qua ratione connécti possunt inter se velocissimus exultantium equorum cursus, & eorumdem stupiditas, aut quî celer cursus, cum torpore coniungi potest? Rectè tamen vtriusque prophetæ verba conciliabimus. Improbi enim prompti & alacres sunt ad malum, appetitus eorum impetuosus est ad illicita ad bonum verò exequendum, stupidi sunt & inepti appetitus eorum, iacet in domo paralyticus. GREGOR.

Etiam intellectus & voluntas laborant paralysi.

8. Quid mirum est hunc animæ nostræ famulum, appetitum scilicet, paralyticum esse, cùm & superiores vires, intellectus scilicet, & voluntas, per peccatum originale, quæ nihil aliud est, quàm carentia iustitiæ originalis, multa vulnera contraxerunt, atque in grauissimam paralysim inciderunt.

Intellectus quàm torpeat in exquirendis rebus ad salutem pertinentibus.

9. Et quidem quod ad intellectum spectat, quanta est illius paralysis, quàm torpet, quàm negligens est, in perquirendis rebus ad salutem necessariis, quàm tardè progreditur ad eorum considerationem, quæ excitare valent animam, vt virtutis viam alacriter perambulet, quàm caro figit oculos in vltimi finis sui considerationem? quis nostrûm est, qui diligenti intellectus consideratione, percurrit ea, quæ sibi euentura certò, imò certo certius, ipso lumine fidei credit? quotus est qui de futura beatitudine cogitat, de

inferno

inferno meditatur, de morte secum disputat ac extremum Iudicium seriò perpendit? Tandem tanta est intellectus nostri paralysis, vt nec seipsum homo intelligat, vix sciat se puluerem & cinerem esse, & peccatis obnoxium, in hisce intellectus noster, paralyticus est, tardus, negligens: verùm diligens valde ac strenuus, vt obtrudat animo leuia, inania, inepta, turpia etiam dictu. Idque alienissimo tempore: diligens est in alienis factis, ac præsertim erratis obseruandis. S. Chrys. in libr. 1. de comp. cordis affirmat vix inueniri etiam inter eos, qui perfectiorem vitam profitentur, qui non laborent eo vitio, vt videant in oculo fratris festucam, trabem autem in suo non videant. Tandem quid viuacius, diligentiusque intellectu nostro in perquirendis rebus, quæ spectant ad huius vitæ solatium, delicias, atque voluptatem, de nocte, in oratione, in templo, non piget eum, hæc secum meditari, atque reuoluere. O morbus! ô infausta paralysis!

Voluntas maiori laborat paralysi, quàm intellectus.

10. Quid de humana dicemus voluntate? hæc certè, præ intellectu maiori adhuc laborat paralysi, nam quod intellectu duce atque magistro ei proponitur, tanquam vtile, bonum, ac salutare, omnibusque modis amplectendum, ad hoc tardo gradu progreditur.

Causa paralysis corporalis.

11. Causa autem superioris paralysis spiritualis, eadem prorsus est, cum ea quæ inducit paralysim corporalem, corporalis illa membrorum vel potiùs neruorum dissolutio, oritur secundum medicos, eò quòd meatus, per quos, vitales spiritus fluunt ad omnia membra, quo spiritu mouentur & sentiunt, præcludantur, adeò vt via impedita, quâ animalis spiritus tendebat ad membra, vel membrum, necesse sit & ipsum membrum motu, & sensu carere. Iam verò via hæc, siue hi meatus, præcluduntur variis ex causis, ac primo quidem frigido vento, percutiente collum hominis, constringente neruos, & spiritus congelante. Deinde nimio humore generato in humano corpore, ex nimietate cibi & potus, quo opilantur nerui, ac tantopere replentur, vt vitalis & animalis spiritus in illis præcludantur: Quandoque accidit paralysis ex vulnere neruos incidente & diuidente. Quartò, accidit ex naturali quadam passione, præcludente viam sanguini quo minus sese omnibus membris distribuat.

Causa paralysis spiritualis.

12. Pari ratione paralysis, viriumque nostrarum dissolutio oritur, eò quòd viæ & rationes, piaque exercitia, quibus anima in se recipiebat diuinæ gratiæ influxum, quâ agilis & facilè mobilis efficitur ad omne opus bonum, illi per humani generis hostem, præcludantur, intercipiantur atque impediuntur, quod accidit similiter ex quatuor causis. Primò per superbiæ inflantem spiritum, quo perflante corda nostra, efficit ea ad omne opus bonum torpentia, impeditque in illis vndequaque influxum diuinæ gratiæ, penitusque illa constringit & infrigidat. Secundò, ex multitudine humorum carnalis delectationis, qui causant summam in homine pigritiam summumque torporem, ad ea operanda, quæ saluti sunt necessaria, vnde Glossa ait, *Paralysis typus est corporis quo piger iacet in mollitie carnis.* Tertiò, per vulnera inuidiæ, iræ, vindictæ &c. quibus dum anima nostra saucia, nullum in se experitur motum vel sensum, ad bene operandum. Quartò, per omne mortiferum peccatum, vidistis paralysis spiritualis causas, videamus etiam aliquos effectus.

Glossa.

Paralysis spiritualis effectus.

13. Imprimis paralysis corporalis, membra quæ occupat, priuat propria operatione, similiter paralysis spiritualis priuat animæ nostræ potentias propria operatione, intellectus cessat à contemplatione rerum spiritualium, voluntas ab earumdem amore & desiderio supersedet, Appetitus quæ bona & pia sunt appetere desinit; oculos habent hi paralytici & non vident; aures habent, & non audiunt: linguas habent & non loquuntur, quando, vel quomodo oportet, adeò vt si minùs hæc paralysis, omnes sensus auferat, illos tamen ita deprauet, & ad omne bonum stupidos & ineptos reddat, vt meliùs cum aliquibus ageretur si omnino sensuum vsu priuati essent. Satius enim esset ei, qui libidinosos oculos habet, oculorum lumine orbari, præstaretque eum qui verbis impudicis ac detractoriis vtitur, penitus obmutescere, quàm huiusmodi linguâ præditum esse, & illum qui impuris cantilenis, inhonestisque sermunculis, beneuolas aures præbet, surditate laborare, quàm audiendi sensum habere. Atque hoc pacto spiritualis hæc paralysis exteriores corporis sensus inficit atque deprauat.

14. Qualiter superior in homine portio, sua priuetur operatione, per peccati paralysim, sic pulchrè prosequitur Granatensis Dom. 5. post Pent. Con. 2. *Hanc affectuum nostrorum peruersitatē consideranti mihi, apparet planè internum hominem nostrum, in quandam spiritualis paralysis ægritudinem, peccati vitio, incidisse. Euenit enim aliquando vt homo sic hoc morbo corripiatur, vt altera corporis parte integra atque illæsa manente, altera vi morbi oppressa omnis motus & sensus expers iaceat, hinc fit vt si eam quæ sana est vel aciculâ leuiter pungas acri doloris sensu afficitur, morbida autem si vel ferrum adhibeas & ignem, nihil sentiat. Idem igitur mihi interno homini nostro euenisse videtur. Cùm enim duplex sit eius portio, quorum altera spiritualia & diuina contuetur, altera verò terrena & ad corporis commodum pertinentia captat: sic tamen natura per peccatum deprauata & inuersa fuit, sic ius suum altera eius pars retinuit, altera amisit, vt inferior hæc portio, ea quæ ad corporis*

Granatensis.

commodum pertineant, ardentissimo amore prosequatur: superior autem illa, quæ spiritualia & diuina prosequi debebat (quæ tantò flagrantiori studio amplectenda erant, quantò humanis diuina, terrenis cælestia, & caducis æterna præstant) nihil ea faciat, nec illorum iacturis quamlibet maximis perturbetur, imò in plerisque hominum velut saxum, immota manet.

15. Secundò in paralysi corporali perditur sensus & motus: Idem contingit in paralysi spirituali. *Paralysis*, ait Raulinus, ser. quad. 62. *est membrorum dissolutio, in qua quis perdit sensum & motum, sic peccator per peccati morbum perdit motum ad bonas operationes & sensum quoad pericula morbi sui, quæ non sentit. Exod. 15. Fiant immobiles quasi lapis: immobiles quoad motum, quasi lapis ad sensum*, deinde in medium adfert triplicem insensibilitatem peccatoris, Primam, quâ non sentit seipsum. Secundam, quâ non sentit infirmitatem proximi. Tertiam, quâ non sentit diuinam bonitatem.

RAVLINVS.

Sicut paralysis corporalis grauem reddit hominem, ita iniquitas grauissimum reddit peccatorem.

§. II.

Paralysis peccati grauem reddit peccatorē.

16. TErtiò, grauem & ponderosum, reddit paralysis paralyticum grauem & ponderosum reddit iniquitas peccatorem, homo quamdiu per gratiam Deo adhæret, leuis est, sibi minimè grauis, separatus autē à Deo iam grauis efficitur. Quod sic pulcherrimè docet Holkot in Sap. c. 2. lect. 25. hoc est imaginandum, quòd si ferrum magnū, vnà cum magnete ponatur in vno appēdulo æquilibris, non erit sibimetipsi graue, hoc est sua grauitas in nullo promouebit descensum suum, sed tantum descendet, quantū permiserit grauitas magnetis. Cuius causa est, quia magnes naturaliter attrahit ferrum ad se, per modum finis, vel per modum efficientis. Vnde non plus ponderabit ferrum cum magnete, quā magnes solus. Ferrum durum & ad diuidendum difficile, est homo vtens ratione, & arbitrij libertate quæ licet difficultari potest, vinci non potest secundum Aug. de libero arbitrio. Magnes autem Deus est, *Quoniam Deus magnus Dominus*. Psal. 94. Iste magnes naturaliter trahit ferrum, id est, hominem, quia summi boni cupiditas homini naturaliter inserta est. Quādiu ergo Deus & homo se tenent simul & coniunguntur in trutina huius vitæ, per gratiā & charitatē. Homo non est sibi ipsi grauis, sed Deus eū confortat & supportat, vnde Apostolus ad Phil. 4. *Omnia possum in eo qui me cōfortat.* Sed si separetur à Deo & ponatur in contrario appendulo libræ per peccatum mortale, statim fit homo sibi grauis, intantum quòd si moriatur, statim ad infernum descendit, & hoc est quod signanter dicitur Iob c. 7. *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis, quare non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam.* Quasi diceret, Aufer iniquitatem meam & statim ero in alio appendulo æquilibris, & nullo modo ero mihimetipsi grauis, imò tunc ponas quidquid volueris in parte contraria, & ego quamdiu tibi adhæsero, non curabo, hæc Holkot.

HOLKOT.

17. Nihil tam peccato proprium quàm grauem & ponderosum reddere peccatorē, quàm eundem grauare, onerare, opprimere. Qualiter premat & oneret auaritia ac pigritia sic viuaci penicillo depingit D. Aug. hom. 22. in illa Apostoli verba Gal. 6. *Alter alterius onera portate. Videte hominem oneratum sarcinâ auaritiæ, videte eum sub hac sarcina sudantem, anhelantem, sitientem, & laborando, sarcinam addentem. Quid exspectas, ô auare, amplectens onus tuum, & sarcinam sub humeros tuos? quid exspectas? quid laboras? quid inhias? quid cōcupiscis? nempe satiare auaritiam, illa te potest premere, tu illam non potes satiare. An fortè non est grauis? vsque adeò sub hac sarcina sensum etiam perdidisti? non est grauis auaritia? Quare ergo te de somno excitat, quæ te aliquando etiam dormire non sinit. Et fortasse habes cum illa alterum onus pigritiæ, & ista duo nequissima onera sunt, secumq́ pugnantia premunt te & dilaniant te. Non enim paria imperant, non enim similia iubent: Pigritia dicit, Dormi: auaritia dicit, Surge: pigritia dicit, noli pati frigidos dies: auaritia dicit, Tolera in mari etiam tempestates: illa dicit, quiesce: illa non sinit quiescere, iubet, non solùm, procede, sed & nauiga trans mare, quære terras quas ignoras.* Sic ille. Et quod ille de duobus affirmat, multis aliis conuenit peccatis.

Peccato proprium grauem reddere peccatorem.

AVGVST.

18. Insuper taliter onerant peccata, vt faciem peccatoris deprimant & decidere faciant, vnde Deus ad Cainum peccatorem primū dixit: *Cur cōcidit facies tua? Ira in odium versa*, ait Rupert. l. 4. in Gen. c. 4. *trabali pondere declinauit in terram vultum & oculos eius.* Nónne clamat Dauid Ps. 37. *Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem.* De Achab quoque legimus 3. Reg. 21. quòd demisso collo incesserit, quòd demisso capite ambulauerit. Quod eius factū expendēs D. Chrysost. hom. 32. ad pop. ait: *Graue, & onerosum est peccatum, sic & Achab postquam hoc sensit, deorsum inclinatus ambulabat.* Ad depressam faciem peccatoris respiciens Iob c. 11. ait: *Si iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula*, peccati enim onere deprimitur orātis facies, & per

Peccatum faciem peccatoris deprimit.

CHRYSOS.

per pœnitentiam & gratiam eleuatur, ideoque Iob c. 22. dicitur: *Eleuabis ad Deum faciem tuam.* Vbi Hieronymus ait: *Iam non ream, neque incuruatam deorsum.*

Non facilè explicatu quanta peccati grauitas.

19. Quanta autem sit peccati grauitas quâ premitur & opprimitur peccator, non facilè explicatu. Regius vates grauitatem expendens peccati, illud fasci lignorum comparat. Vnde pro illis verbis Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*, legit D. Augustinus: *Sicut fascis grauis grauatæ sunt super me.* Siracides Eccli c. 22. comparat peccatorem tribus rebus valde ponderosis, arenæ, sali, & massæ ferri, quinetiam rei ponderosissimæ, nimirum plumbo. *Super plumbum*, ait, *quid grauabitur, & quod illi aliud nomen quàm fatuus? Arenam & salem, & massam ferri facilius est ferre quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium.* In quæ verba sic Palacius. *Grauissima in mundo, sunt plumbum, arena, sal, & ferrum, at his grauior est stultus; si enim deorsum ferri grauitatis est signum: fatuus in infernum descendit, quo plumbum & alia grauissima descendere nequeunt. Et quidem fert Deus omnia, quia in manu eius sunt omnes fines terræ & fert omnia verbo virtutis suæ, fatuum tamen non sustinet, ait enim: Laboraui sustinens, & tandem pondus in infernum excutiet.*

AVGVST.

Peccatum comparatur fasci, arenæ, sali, & massæ ferri, plumbo.

PALAC.

20. An putas allatis similitudinibus satis explicatam peccati grauitatem? falleris. Nam vt eius grauitatem exponat Zacharias c. 5. talento plumbi comparat peccatum Iudæorum, *Ex quo significatur*, ait Hieronymus, *pondus grauissimum peccatorum.*

Nihil capax ad ferendum peccati pondus. Non terra.

21. Tam graue est peccatum, vt nihil sit ponderis tanti ferendi capax, imprimis non terra, nam Dathan & Abiron, peccatores, viuos adhuc deglutiuit. Et licet modò quàm plurima scelera dissimulare videatur, & peccatores ferre cogatur, tamen grauitate eorum pressa, corruet, ac deficiet, sicut apud Isa. c. 24. habetur. *Confractione confringetur terra &c. & grauabit eam iniquitas sua, & corruet & non adiiciet vt resurgat.* Legimus Ps. 105. *Aperta est terra & deglutiuit Dathan. Sic vindicatum est*, ait Philo Iudæus, *vt terra patefacta, atque dehiscens, eos vt grauia sibi tunc pondera corriperet, atque absorberet.* Legimus Leuit. 18. *Nec polluemini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego eiiciam ante conspectum vestrū.* Et post pauca: *Cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos.* Et iterùm: *Cauete ergo ne & vos similiter euomat.* Dicitur terra euomere peccatores, quæ eorum peccatis grauatur atque torquetur. Et quidem sicut turbatione stomachi homo affligitur, quousque per vomitum quiescat; sic terra inhabitantium angustiata delictis, illis veluti vomitu vastatis, è stomachoque eiectis, manet hilaris & quieta.

Terra angustatur inhabitantiū delictis.

22. At quod neque peccatorem ferre possit mare, iam in Iona fuit expertū sicut in eius habetur historia c. 1. Quamprimum enim nauem est ingressus mare conturbari cæpit, fluctus suos vsque ad cælum excitās, nautæ procellam intuentes nauem alleuiare conantur, iactum vasorum & mercium in mare fecerunt, nauis verò nequaquam alleuiabatur, sed depressa onere peccatoris magis mergebatur. *Arbitrantur nauem*, ait Hier. in c. 1. Ionæ, *solito onere prægrauari, & non intelligunt, totum pondus esse fugitiui prophetæ.* Sic ille. Videndus etiam est Chrysost. hom. de Iona propheta ad finem, vbi ponderat tempestatem, quâ iactabatur nauis, dicens: *Nautæ nondum agnitâ causâ naufragij, nauem aliquantulum rerum iactatione subleuari arbitrabantur, & nihilominus nauigium turbabant; apud se enim periculi sarcinam retinebant, & magis magisq́, prophetæ corpore grauabantur, non corporis magnitudine sed peccati, nihil enim graue aquè & onerosum inuenies, quā peccatum.* Sic ille. Naue nitebantur onera nauis tollere, dum non tollebant Ionam, in quo erat onus peccati, longè aliis omnibus oneribus grauius, & valens submergere nauem. Vnde etiam Tertullianus carmine de Iona sic nautis consulit.

Non mare.

HIERON.

CHRYSOS.

Quin date præcipitem causam, nauemq́, leuantes
Vnum onus hoc magnum pelago iactare volentem.

Expende verba illa, *Vnum onus hoc magnum*, quæuis enim alia onera, etsi importabilia videantur, onera non sunt, si cum peccati onere comparentur, quod solum onus magnum est.

23. Matt. 8. legimus: *Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Vnde orta precor hæc tempestas? audi D. Ambros. serm. 62. in Dom. quintam post Pent. *Hæc*, ait, *est causa, erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Iudas, quamuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen eam perfidia conturbabat: tranquillitas est vbi solus Petrus nauigat; tempestas vbi Iudas adiungitur, licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnius ergo delicto cunctorum merita quatiuntur.* Sic Ambros. Qualiter iniquitas grauet nauem ita vt vltra non possit progredi licet prosper adflet ventus, qualiterque mare prematur pondere peccatoris vide pulcherrimum exemplum apud Sophronium in prato spirit. cap. 67. quod similiter refertur in magno theatro vitæ humanę tom. 6. ad lit. P. Verbo *Peccatum*, ad Titulum *Demersio.*

AMBROS.

24. Quinimò ne quidem ipsum cælum, licet solidissimum, & quasi ære fusum, non potest sustinere peccatum, vnde mox atque in eo peccauit angelus illum à se excussit, tanto non valens premi onere, quin & ipse angelus, licet tot donis & præeminentiis dotatus, ponderi peccati succubuit, & quia peccati pondere nihil grauius, quàm ocyssimè, nimirum instar fulguris, è cælo cecidit,

Non cælum.

dit, & ad profunda inferni descendit.

Peccatum infinitæ grauitatis. HOLKOT.

25. Infinitæ quodammodo grauitatis dici potest peccator, ipsumque peccatum, quod sic, probat Holkot loco cit. Quantò aliquid est grauius tantò velociùs diuidit medium & descendit ad centrum terræ. Et si esset aliquod graue, quod in instanti descenderet, diceretur quòd illud foret infinitæ grauitatis, quia sine proportione velociùs descenderet, quocunque graui quod in tempore moueretur, sicut patet 4. Phis. c.6. Sed sic est quòd moriens peccator descendit ad infernum iuxta illud Iob 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* In puncto, hoc est in instanti, quia quod punctum est in magnitudine, hoc est instans in tempore: ergo peccatum est onus infinitæ grauitatis. Sic ille. An ergo mirum quòd nec terra, nec mare, nec cælum, vel quælibet alia creatura, par sit tanto sustinendo ponderi?

Peccati onus non nisi ab infinita virtute sustineri potest. ALCAZ.

26. Tale est pondus peccati, vt non nisi ab infinita Dei virtute sustineri posse videatur. Sunt qui Deum volunt innixum fuisse scalæ illi quàm vidit Iacob Gen. c. 28. non in vertice scalæ, sed ad imos illius gradus & terræ vicinos, sic sentit Alcazar notat. 1. in c. 4. Apoc. *Mihi, ait, verisimile valde est, Deum non in summa, sed in ima scala parte esse innixum, quasi scalam teneret, atque firmaret, quo angeli ascendere, atque descendere possent securiùs.* Ecce ipse creator assistit ad firmitatem scalæ ne fatiscat & frangatur sub onere, angeli enim illi dum ascendunt, iustorum, dum descendunt peccatorum imaginem referunt, atque ob hosce posteriores cum ob iniquitatem, intolerabilis, & quasi infiniti sunt ponderis, suffulcienda ab ipso Deo est scala, ne frangatur scala, succumbens vastissimo oneri.

Ipse Deus pondere peccati grauatur.

27. Imò ipse Deus pondere peccatoris se aggrauatum significat, dum se mulieri prægnanti propter ipsum peccatum comparat Isaiæ cap. 46. dicens: *Audite me, domus Iacob & residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, & gestamini à mea vulua.* Itaque ille qui est portans omnia verbo virtutis suæ, qui solo verbo condidit vniuersa, dicit per Isaiam de peccatis loquens c. 1. *Facta sunt mihi molesta, &c, laboraui sustinens,* & per eundem prophetam, *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Neque Deus hanc molestiam & grauitatem peccatoris sustinet absque multa patientia, vt Paulus docet, inquiens Rom. 9. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* O ergo immensam peccatoris grauitatem, vnde molestiam & grauamen recipit diuina potentia.

Quò etiam referri possunt verba Ieremiæ c. 44. sic peccatoribus loquens: *Ascendit super cor eius, & non poterat Dominus vltra portare propter malitiam studiorum vestrorum.*

Peccata grauant & torquent cor Dei.

Quasi dicat; Peccata vestra grauant, premunt, & torquent cor Dei, & ego vobis denuncio, quòd Dominus non potest vltra portare, vt sicut homo, qui magno pondere grauatur gaudet atque lætatur, dum illud potest excutere, ita Deum inducit scriptura lætabundum, dum peccatorem dispergendo illius onere se liberat. Legimus Deut. 28. *Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosq; multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens, vt auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam.*

28. Vis videre ad viuum, tanquam in pulcherrimo speculo expressam peccati grauitatem? In Deum incarnatum, in Christum humani generis Saluatorem oculos coniice. Postquam enim Christus in humeros suos nostra suscepit peccata, iam legimus eum in terram cecidisse, iam crucis grauatus & oppressus pondere in terra prostratus iacuit, non enim ligno tantopere grauabatur Christus, quā peccatis nostris, in ligno, tanquam in quodam repositorio, congregatis & coadunatis, *Peccata nostra*, ait D. Petrus 1. Petr. 2. *ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Cur putas Christo in cruce pendente terram contremuisse? Audi Hilarium l. 3. de Trinitate. *Terra, ait, ad onus Domini ligno pendentis intremuit.* Imò peccati pondere grauatus Christus ad ipsum descendit sepulchrum, à quo vt resurgeret, opus habuit diuinâ omnipotentiâ, vnde Petrus act. 2. *Quem Deus suscitauit.* O immensam peccati grauitatem & quæ nullis satis valet exaggerari verbis! sub illius pondere premitur Christus qui tribus digitis molem sustinet terræ, qui magna facilitate montes ponderat, & terram palmo concludit.

In Deo incarnato patet peccati grauitas.

29. Mira & noua tibi fortasse refero, ô infælicissime peccator, dices forsitan, te in peccatis vitam traducere imò vt aquam iniquitatem bibere, & tamen nullam peccati grauitatem nullumque pondus sentire: Non abnuo, sed dico te peccati paralysi correptum ad grauitatem hanc percipiendam insensibilem factum, deinde respondeo idem accidere in peccatis quod in elementis: Elementa enim in sua sphæra non sunt grauia, si autem extra sphæram suam educantur, statim pondus eorum sentitur: amphora enim aquæ, quousque ad superficiem putei perueniat, nullo negotio educitur, at quando per aëra subleuatur iam grauitatem illius & pondus experimur, in mare demersus quamuis lateat sub tanta aquarum mole, tamen ille minimè grauatur: Idem de peccato tibi dicimus, peccatum enim in peccatore, præsertim inueterato, quasi in proprio suo & naturali centro existit, quia consuetudo peccandi quasi in alteram est conuersa naturam, & hinc ortum habet quod peccata non sunt tibi onerosa, nec tu tibimetipsi grauis, tu quoq; si è peccati emerseris aquis, quibus iam vndique immersus es, senties quàm optimè

Cur peccata non videātur peccatori grauia.

optimè eius maximam grauitatem, ad vitam gratiæ reuocatus clamabis cum Dauide, *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum & sicut onus graue grauatæ sunt super me.*

Consideratio huius grauitatis arcet hominem à peccato.

30. Vis, ô Christiane, à peccatis præseruari? illius perpende grauitatem, quotiescumque occurrit peccandi voluptas, occurrat simul animo illius grauitas; dum sentis peccati aculeum simul obuersetur animo ponderosum peccati plumbum, dum conatur te trahere diabolus ad peccati barathrum, sume efficacissimum huius plumbi remedium. Plinius lib. 34. c. 18. dicit plumbo inesse vim refrigeratiuam, & alligatis lumborum & renum parti laminis, cohiberi Veneris impetus, vt probat exemplo Calui oratoris, qui nocturno seminis profluuio ad morbum vsque laborans, non alio modo, quàm plumbi laminis motus illos compescuit. Simile refert Cælius Rhodig. lib. 15. lect. ant. c. 6. vbi sic loquitur: *Scribit Galenus Gymnistarum quempiam se vidisse qui Athletæ cuiusdam renibus plumbi laminam superposuisset, quo nocturnis imaginibus careret.* &c. Præfatus etiam Plinius refert Neronem lamina plumbea pectori imposita vocem corroborasse, idque forsitan ob eamdem vim refrigeratiuam quâ calor internus per antiperistasim frigidæ laminæ augebatur, & ad canoros modulos vocem quoque augere poterat, vnde habes plumbo inesse vim refrigeratiuam: Sanè si plumbum nostrorum scelerum assiduis meditationibus cordi nostro applicemus, non tantùm noxios motus comprimet, sed etiam omnem ardorem & peccandi appetitum extinguet.

PLINIVS. Plumbum habet vim refrigeratiuam, ita consideratio grauitatis peccati.

CÆLIVS RHODIG.

Sicut paralysis reddit hominem inutilẽ, ita & iniquitas peccatorem.

§. III.

Peccatum reddit peccatorem inutilem.

31. Quartò, quid inutilius paralytico, quibus deseruit vsibus? certè nullis. Idem de peccatore affirmari potest, vnde passim in scripturis inutilis dicitur ac nominatur. *Quantò magis*, ait Iob c. 15. *abominabilis & inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Concinit Regius vates Psalm. 13. de omnibus affirmans peccatoribus, *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* De similibus etiam Diuus Paulus ad Tit. 1. *Cùm sint*, ait, *abominati, incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*, id est, inutiles.

Comparatum culmo

32. Quàm inutilis peccator passim insinuatur dum variis iisque inutilibus rebus comparatur, vtpote pulueri, paleæ, & huiusmodi aliis quisquiliis, quæ nihil aliud sunt quàm rapidis ludibria ventis. Per Oseam cap. 8. comparatur culmo, sed cui nullum adest germen, id est nulla spica quæ faciat farinam, quo quid potest excogitari inutilius: Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam, *Culmus germen non habet*, ait D. Gregor. 8. mor. 28. *cùm vita virtutum meritis caret, farinam culmus non facit, cùm is qui in præsenti sæculo proficit, nullum boni operis fructum reddit, sed sæpe & cùm fecerit, hanc alieni comedunt, quia & cùm bona opera hypocritæ ostendunt, de his malorum spirituum vota satiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, sed alienos pascunt.*

cui nullum adest germen.

GREGOR.

33. De Israele variis peccatis obnoxio ait idem propheta loco citato: *Factus est Israel quasi vas immundum*, vel vt alij vertunt interpretes. *Factus est Israel quasi matula.* Hebræi matulam vocant, ait S. Hieronymus, quo ad proiicienda stercora vti solemus, ecce quibus deseruiat vsibus immundus peccator, diaboli matula est, quam omnium peccatorum replet sordibus & ignominiis, vide si libet Cornelium in hunc loc. Sept. vertunt. *Factus est velut vas inutile.*

CORNEL.

34. Loquens Deus per Ieremiam c. 22. de Iechonia rege peccatore his vtitur verbis. *Nunquid vas fictile atque contritum vir iste Iechonias? Numquid vas absque omni voluptate.* Hebraicè est, *vas contemptibile & fractum.* Vatabl. *Truncus*, Symmach. *Purgamentum*, siue *quisquilia.* An non idem affirmari potest de quolibet Christiano peccatis obnoxio. Rectè autem vasi contrito siue fracto comparatur peccator, quia qui ante peccatum per Dei gratiam erat instar solidissimi vasis, horribili culpæ pondere frangitur & comminuitur atque consequenter inutilis planè redditur, restaurari & renouari potest peccator per peccatum confractus, per veram ad Deum conuersionem, per veram iustificationem, per sacramentorum susceptionem. Vnde Gregor. Naz. orat. 40. quam de encomiis baptismi composuit, Sacramentum illud nuncupauit. *Figmenti correctionem*, quam eius dictionem explicans Nicetas, propterea vocasse, figmenti restaurationem, putat, *Quoniam* (dicit) *recreatio est & renouatio hominis à peccato confracti & vsque ad veteris imaginis dignitatem reformatio.*

Comparatur vasi contemptibili & fracto.

GREGOR. NAZIAN.

35. Sed nemo inutilitatem hanc peccatoris melius depingit & exprimit quàm ipse Deus per Ezec. c. 15. dicens: *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum, numquid tolletur de ea lignum vt fiat opus, aut fabricetur de ea paxillus, vt dependeat ex eo quodcumque vas? Ecce igni datum est ad escam* &c. Quàm bene hæc conueniunt peccatori, an peccator aliquid deseruire potest & accommodari

Comparatur ligno vitis præciso.

Peccator ad omnia inutilis.

commodari vsibus, nunquid tolletur de eo lignum vt fiat opus? An poteris de illo facere Religiosum? nequaquam, non enim obedientem, & morigerum se præbebit, non castum, non pacificum, omnia perturbabit.

Vt sit prælatus.

An poteris facere prælatum? minimè, nam decet prælatum esse benignum misericordem, & aliis prælucere vitæ exemplo, non terrenis esse addictum, & nihil horum præstabit peccator.

Vt sit iudex.

An iudicem agere poterit & magistratū gerere? nequaquam. Quia iudex debet esse syncerus, incorruptus, alienus ab auaritia, quorum nihil exequetur peccator, & qui Deo non seruat fidem, quomodo seruabit hominibus? Baron. in annal. ad an. Christi 304. narrat ex Eusebio in vita Constantini. l. 2. c. 9. & 10. sic Constantium Imperatorem expertum fuisse an quos apud se habebat in obsequiis Christianos, verè essent Christiani, & tales vt regni illis credi possent negotia. *Nam illi qui in regia ipsi inseruiebant, libera data optione (quæ etiam illis qui aliquem dignitatis gradum, in familia eius obtinebant, delata sunt) hanc tulit conditionem: vt vel dæmonibus immolando, integram haberent potestatem, tum apud ipsum commorandi, tum consuetis honoribus perfruendi: vel si minus hoc exequerentur, aditu ad ipsum prohiberentur, & à consuetudine ipsius penitus repellerentur, reiicerenturq;. Postquam igitur in duas partes dirempti fuerunt, alij in hanc, alij in illam segregati: Illico singuli, quo animo essent & instituto perspicuè ostenderunt. Ibi tum admirabilis ille Constantius, commento, quod celatum erat, statim pòst patefacto, quorumdam timiditatem & nimium amorem, quo ipsi se suamq; vitam complectebantur vehementer coarguit, alios ob sinceram & integram erga Deum mentē approbauit plurimum. Illos deinde, tanquā Dei proditores imperatoris seruitio indignos censuit: Quomodo enim,* (inquit) *fidem erga imperatorem seruare poterunt inuiolatam, qui aduersus Deum optimum, maximum, perfidi esse manifestò conuincuntur? Quapropter hos procul à regali suo domicilio statuit amandandos: illos verò qui veritatis testimonio digni Deo fuere comprobat.* Hæc Eusebius loco cit.

BARON.

Ecce quales velit Moyses eos qui populum gubernent, sic enim loquitur populo Exod. c. 18. *Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iurgia. Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, id est, prudentes, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis principes.* Optimè Aristot. polit. l. 6. *Prauos facere Dominos, non est securum, quia ipsi magis indigent custodiâ aliorum quàm possint alios custodire.* Vnde legimus de Simone 1. Mach. 1. *Confirmauit omnes humiles populi sui, & legem exquisiuit, & abstulit omnem iniquum, & malum, & sancta glorificauit, & multiplicauit vasa sanctorum.* Cedro digna sunt dicta illa grauissimorum virorum, apud Iustinum: *Tunc bene respublica regebatur, quando non poterat esse maior, nisi qui melior.* An peccator idoneus vt Dominum agat? At hic plenus esse debet prudentiâ, quâ si careat, an non quilibet seruus potest conqueri cum seruo illo Aristophani:

Quàm molesta res est, ô Iupiter, vosq; dij,
Seruum fieri dementis Domini.

36. An poteris facere mercatorē? At hic plenus debet esse fide, vt stari possit illius promissionibus & contractibus cum ipso initis, peccatori autem nulla subest fides, & quis ab improbis hominibus fidelitatem expectet? numquid colliguntur de spinis vuæ aut de tribulis ficus? Sed libet huius rei fideiussorem adducere D. Chrysost. orat. 72. vbi malorum hominum promissionibus docet minimè fidendum quod fide careāt. *Quemadmodum,* ait, *fasciæ, quæ ventum indicant, semper iuxta venti flatum attolluntur, nunc quidem sic, rursus verò in alteram partem: eo modo & malorum animus, ad omnem impetum affectus est. Seruis nemo credit pacisci volentibus, eò quòd sui potestatem non habeant, multò magis credendum non est horum pactis. Omnino enim longiùs absunt à libertate homines propter malitiam. Minoribus tot annis, lex non concedit contractum facere tamquam insidis, neque mulieri apud Athenienses, nisi vsque ad hordei modium propter consilij infirmitatem. Atqui à valde minoribus nihil differunt mali, imò neque ab infantulis, nisi potentiâ & astutiâ, vnde minus his credendum est, quàm illis.* Hæc ille. CHRYSOS.

Vt sit vtilis seruus hero.

37. An poteris à peccatore idoneum & vtilem hero facere seruum? vix credo. Iulium Agricolam virum magno ingenio & egregiis moribus laudat gener eius Cornelius Tacitus, quòd talem in deligendis sibi administris, delectum habuerit, vt eum sibi fidelissimum speraret, qui optimus esset: sic namque Tacitus: *Nihil per libertos, seruosq; publicæ rei, non studiis priuatis, nec ex commendatione, aut precibus centuriarum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare.* Sanè si non probus & bonus fuerit seruus, nec fidelis, sed similis est illis Leonis custodibus, de quibus sic Luitprandus de rebus per Europam gestis lib. 1. c. 3. & 4. Leo, inquit, Porphyrogenitus Imperator, vt sui corporis custodias exploraret, noctu quidem quasi lasciuus iuuenis ad lupanar pergens, in eas incidit, à quibus comprehensus, argento dato, transire permissus est. In secundam iterum impingens, pari ratione se liberat. A tertia verò deprehensus verberibus iuxta Imperatoris decretum cæsus, in carcerem coniicitur, manè Imperatori præsentandus. Hos igitur postremos bonis præcedentium donauit, alios verò quos corruperat, cæsos vrbe expelli iussit. LVTPR.

Vt det recta consilia.

38. Sed fortassis vtilis erit peccator ad recta consilia aliis danda? nec id equidem autumo, qui enim sibi consulere nescit, aliis rectum consilium præbere nesciet, quod rectè D. Laurent. Iustin. lib. de casto LAVR. IVSTIN.

connub.

connub. verb. & animæ c. 2. ostendit, dicens: *Qui sibi ipsi consulere ignorat, quomodò alteri vtilis erit? quis enim prudentem eum causæ alienæ iudicabit, quem inutilem cernit vitæ suæ? quis enim in cœno fontem requiret? quis de turbida aqua potum petet? Itaque vbi intemperantia, vbi dominandi libido, vbi morum inordinatio, vbi confusio vitiorum, quis sibi inde aliquid salubre hauriendum existimabit? nam qui sibi nequam est, cui bonus erit.* Deinde concludit: *Impudica vita famam commaculat, & vitiorum deformitas consulentis auctoritatem intermittit.*

39. Quid ergo fiet de peccatore? Ad nihilū valet vltra, nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus, est enim instar illius putridi lumbaris quod Deo præcipiente abscondit Propheta, nullis vsibus aptum, nisi vt in sterquilinium proijciatur. Quid fiet de ligno vitis, quid fiet de peccatore? Ecce igni datum est ad escam, cùm enim peccator nullis vsibus sit vtilis, igni tandem non inutulis futurus est, est enim aptissima materia diuinæ Iustitiæ æternique supplicij.

Peccator instar paralytici, segnis & deses.

40. Quintò, paralyticus vbique describitur iacens, *Domine puer meus*, ait Centurio, *iacet in domo mea paralyticus*, & Matth. 9. *Ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Sic etiam peccator segnis est & deses iacens in lectulo languoris sui atque socordiæ: *Qui aliqua*, inquit D. August lib. de Pastor. cap. 6. *cupiditate mala, amatores mundi, ab ipsis bonis operibus reuocantur, languidi & ægroti iacent, quippe in ipso languore tanquam sine vllis viribus nihil boni possunt operari, &c.* AVGVST.

Qualiter homo liberetur à paralysi peccati.

§. IV.

41. VIs videre qualiter ab hac peccati paralysi liberetur homo? De paralytico sanato per Christum Matth. c. 9. legimus, *Ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Similiter Christiani, præsertim Prælati, seniores, atque parentes si viderint quempiam spiritualiter paralyticum, debent illum offerre Christo orando pro eius conuersione, seu hortando eum ad emendationem, & loquendo ei de pertinentibus ad salutem, item ducendo eum ad Ecclesiam, ad sermones, & ad homines spirituales, quorum exemplo, doctrina, meritis & precibus possit conuerti.

Offerendus Christo hic paralyticus.

Marcus c. 2. dicit hunc paralyticum à quatuor fuisse portatum, quatuor portitores spirituales animam paralyticam ad Christum portantes, sunt diuinus instinctus hominem ad bonum instigans, Angelica inspiratio, piorum exhortatio & naturalis instinctus ad bonum, quia synderisis semper monet ad bonum.

Quinā sint quatuor portitores qui portant ad Christū paralyticū.

43. Item per quatuor hosce portitores possunt intelligi, quatuor nouissimorū diligentes considerationes, præterea per hos quatuor portitores possunt intelligi bona & deuota societas, quæ homini valdè cooperatur ad bona, sicut & societas praua maximè nocet & trahit ad vitia. Bachiar. ep. ad Ianuar. de recip. lapsis, ideo contendit, neque in delictorum pœnam iniquum à iustorum pellendum cœtu, quia bonorum consortium maximam habet vim ad perditissimos homines reformandos: *Nolo*, inquit, *vt eum longè segreges à Christi membris, quia ipse consortio meliorum erubescet; & resurget ad vitam.* Modum autem huius emendationis insinuans, ait: *Nónne emendationis paruum putas esse tormentum, si peccator asciscitur in consortium beatorum, quia illorum præmia sua sentit esse tormenta? Si quis laudatur, erubescit, si quis vituperatur agnoscit. Inter hæc flagella verborum constitutum satisfactioni emendationiq; semper approximat.* Eleemosynarum largitio & cæterorum operum misericordiæ exercitatio; item preces & merita deuotorum. Nam & paralytico huic Christus subuenit merito fidei & virtutis eorum qui eum tulerunt: Item paterna visitatio, quâ Deus per aduersa visitat hominem. BACHIA.

44. Vel generaliter dicere possumus, portitores paralyticum iacentem eleuantes esse tribulationes, Ps. 24. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*: Ex Heb. vertit Hieron. *Tribulationes cor meum sursum ferre fecerunt*, q. d. prospera mundi cor deijciunt, ad ima demergunt pedibus inimicorum substernunt, & in finem vsque incuruant: sed aduersitates cor eleuant, sursum ferunt, & animam Christo præsentem sistunt vt ab illo medelam accipiat. Pulchrè ad hanc rem Idiota l. 2. contemp. c. 1. sic loquens: *O vniuersorum creator & gubernator, multas & diuersas tribulationes & aduersitates mihi miserabili peccatori misericorditer dedisti, nō ex odio sed amore, vt me retraheres ab iniquitatibus meis, & cor meum prostratum ad te eleuares, vt mala relinquerem, & te quærendo humiliter, bona & mihi profutura opera exercerem.*

Tribulationes portant paralyticos ad Christum.

IDIOTA.

45. Similes sunt plerumque homines Acantho, herbæ, quæ nullo pondere grauata serpit humi, & pondere depressa, surgit humo. Hinc est quod Callimachus famosus statuarius, cœperit occasionem taliter efformandi columnas Corinthianas, vt capitella earum referrent similitudinem calathi, seu astellæ ac vasis viminij, ex quo prodeūt circūquaque acanthi folia, factū autem cuiusdam nutricis vt narrat Vitruuinus l. 4. c. 1. ansam præbuit suæ inuentioni. Nam illa cùm aliquam virginem Corinthianā, quam educauerat, cerneret mortuam, & in horto sepultam, iuxta sepulchrum posuit corbem, plenum delicatissimis cibis quibus in vita nouerat libentissimè eam vesci, magno autem illum operuit lapide. Accidit autem hunc corbem impositum fuisse herbæ,

Peccator, pondere depressus surgit.

VITRVV.

quæ acanthus dicitur, quæ more aliarum herbarum, non fuit pōdere depressa, sed vires exerens, germinauit, & folijs dilatatis, in altum sese erexit, corbemque vndique vestiuit virore, cum eo tamē moderamine, vt corbis extimam partem, non vndique tegerent, sed hinc inde nudam & spectandam exhiberent. Similibus autem Corinthianis colonis, ob capitella in hunc modum efformata, dictum appositum. *Depressa resurgit.* Quò etiam postea Poëta respexit, canēs:

Pondere sic pressus surgit Achantus humo.

Tribulatio è terrenis ad cælestia eleuat. GREGOR. NAZIAN.

Quid peccator dum floret, dum nulla premitur aduersitate? Similis acantho serpit, & iacet humi, si pondus illi imponatur morbi, inopiæ, infamiæ vel alterius tribulationis, depressus resurgit, & ad cælestia eleuatur.

46. Prosperitas quasi quibusdam vinculis nos terræ affixos tenet, iuxta illud Gregor. Naz. orat. 16. *Quid enim,* inquit, *fecissemus si prosperitas nobis summa & perpetua esset, cùm licet fluxa & fragilis sit, vsque eo tamen ipsi, tanquam vinculis quibusdam adstricti sumus, eiusque voluptate atque impostura in hanc seruitutem redacti, vt nihil præsentibus rebus melius atque excellentius cogitare possimus.* At tribulatio & aduersitas, dum temporalia nobis auferuntur, hæc dissoluunt vincula, & è terrenis ad cælestia eleuant animum, atque eam Deo siue Christo efficiunt propinquam. Vnde idem Nazian. orat. 17. Cæsarium hortatus, vt qui ex graui quodam corporis periculo nempe ingenti quodam terręmotu, qui Niceæ Bithiniæ acciderat, liber euaserat, ad salutem animæ solicitus festinaret, sic scribit: *Neque terrores inutiles sunt, imò vehementer vtiles & salutares, licet enim illos deprecemur, perterriti tamen erudimur: anima namque afflicta* (aliàs ægra) *Deo vicina est, inquit Apostolus Petrus, vbi hac de re præclarissimè disserit.* Cùm autem in neutra D. Petri epistola hæc verba extent, suspicio est, ex aliquo eius libro, vel apocrypho, vel iniuriâ temporis iam abolito desumpta fuisse. Vndecumque tamen deciderint optimo sensu referuntur ad animam per afflictiones non labi in interitum, sed ad Deum per hasce eleuari Deoque qui est vita ipsius animæ, appropinquare.

Labores currus ignei quibus ad cælum vehimur. AMBROS.

Sunt labores currus ignei quibus ad cælum vehimur, ad similitudinem Heliæ, vnde currus illos Heliæ igneos ad tropologiam vocans D. Ambros. de interpellatione Iob l. 1. c. 1. sic ait: *Helias famem, insidias, mortis terrores, & calorum acerba tolerabat, & tantùm solus ille igneis curribus, & equis igneis de cælis deductus ad terras, & de terris reuectus ad cælum. solus meritum huius militiæ abscondit, atque vltra humana omnia gratiam pij ascensoris euexit. Itaque ærumnæ quæ nos hîc adurunt, in currus & equos vertuntur, qui nos ad superna deducunt.*

47. Paralytico iam sanato ait Christus, *Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuā,* quæ sic ad tropologiam allicit Salmeron tom. 6. tract. 14. *Debet surgere à somno peccati, & à praua lecto consuetudinis, considerando vbi prostratus fuerat, quod fit per confessionem. Vt enim qui surgit ita & qui confitetur se prodit. Debet tollere lectum quod pertinet ad satisfactionem: quæ cùm iniungitur, quasi onus quoddam portatur. Caro etiam quæ vt lectus delectabat, & portabat spiritum mortuum post remissionem & satisfactionem debet esse homini instar oneris vt illi erat qui dicebat Rom. 7. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Postremò debet ire in domum suam, nempe conscientiæ, vt in ea habitet, extra quam erat peccator, qui enim à Christo sanantur ad se redeunt, vt prodigus & apud se habitant. Debet etiam paralyticus dirigere pedes suos in viam pacis, id est, cælestis Hierusalem, ad quam Dei gratia possidendam & creati & regenerati sumus, ita vt dicere valeamus: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus* Ps. 121. Sic ille.

Moralis verborum illorum explicatio: Surge, tolle lectum, &c. SALMER.

De allegorica huius miraculi significatione, sic D. Augustinus de quæst. Euangelij secundum Lucam lib. 2. cap. 4. *De paralytico potest intelligi anima dissoluta membris, hoc est, operationibus Christum quærere, id est, voluntatem verbi Dei; impediri autem turbis, nisi tecta, id est, opera scripturarum aperiat, & per hoc ad notitiam Christi perueniat, hoc est ad eius humilitatem, fidei pietate descendat. Hi autem à quibus deponitur, bonos in Ecclesia Doctores possunt significare. Quod autem cùm lecto deponitur, significat, ab homine in ista carne adhuc constituto Christum, debere cognosci. Quem tamen lectum sanus postea iubetur portare, & ire in domum suam: vt remissionem peccatorum conualescentibus per spem bonam membris animæ, hoc opus restaurare intelligat, vt non iam in carnalibus gaudijs, tamquam in lecto requiescat infirmitatis animi, sed magis ipsa contineat affectiones carnales, & tendat ad requiem secretorum cordis sui.* AVGVST.

48. *Quid est,* ait D. Greg. 23. mor. 23. *quod in Euāgelio sanato cuidam Dominus dicit: Surge, tolle grabatum tuum & vade in domum tuā, nisi quòd per grabatum voluptas corporis designatur? & iubetur vtique vt hoc sanus portet, vbi infirmus iacuerat. Quia nimirum omnis qui adhuc delicijs delectatur, infirmus iacet in voluptatibus carnis, sed sanatus hoc portat, vbi infirmus iacuerat, quia diuino adiutorio ereptus à vitijs, eiusdem carnis contumelias postmodum tolerat, in quibus prius desiderijs requiescebat.* Ita vt conuersi iam delicijs premamur, quibus antea delectabamur. GREGOR.

49. *Hic lectus qui tolli iubetur,* ait D. Ambr. lib. 5. in Luc. *quid est aliud nisi quod humanum corpus attolli iubetur? Ipse est qui per singulas noctes lauatur à Dauid, lectus doloris, in quo anima nostra graui conscientiæ ægra cruciatu iacebat. Sed si quis secundùm Christi præcepta se gesserit, iam non lectus doloris est, sed quietis, miseratione enim Domini cæpit quies esse quod mors erat, qui nobis soporem mortis vertit in gratiam voluptatis.* Sic Ambrosius. AMBROS.

50. Christum paralytico dixisse: *Vade in domum*

GREGOR. *domum tuam* vult D. Gregorius 4. mor. 28. vt ibi tacitus meditetur, quo tantam benefactori gratiam rependat, sic enim scribit: *Vnde sanato cuidam dicitur: Vade in domum tuam, ac si apertè audiat: Post exterius miraculum ad conscientiam reuertere, & qualem te intrinsecus Deo debeas exhibere perpende.*

Sicut granum synapis curat hydropisim corporalē: Ita Christus curat hydropisim spiritualem.

SECTIO XIII.

Synapi, salutare hydropicis. PLINIVS. 1. SYnapi maximè salutare etiam hydropicis, sic docet Plinius lib. 20. c. 22. Synapi hydropicis imponitur cum fico & cumino tusum. Similiter Christus maximè salutaris etiam grauissimis peccatoribus, & omni genere iniquitatis repletis, quos rectè exprimunt & adumbrant hydropici. Septem sunt enim proprietates hydropici, per quas septem peccata mortalia designantur.

Quòd in septem hydropisis proprietatibus, adumbrantur septem peccata mortalia.

§. I.

Tumor hydropici designat superbiam. 2. PRima est, tumor corporis ac membrorum, præcipuè ventris, sicque per hydropicum designantur superbi, quia superbia est quidam animi tumor, erectio siue elatio, iuxta illud Iob c. 15. *Quid tumet contra Deum spiritus tuus?* Quemadmodum econtrariò, humilitas est quædam inclinatio ac depressio mentis, & resilitio eius in propriam paruitatem. Hinc sicut aquam colligi nequit in monte siue monticulo, sed in concauo loco, ita dona cælestium gratiarum recipi ac seruari non valent in corde CHRYSOS. superbo, sed humili. D. Chrysostomus homil. 3. de Ozia: *Quod*, inquit, *in corporibus est inflatio, hoc in animis est superbia*, &c. *Sicut*, ait BASILIVS. D. Basilius in Psal. 41. *quod immodicè turget, sanum non esse, ita & tumidos carere sanitate dicimus.* Superbiam comparat Sandæus in SAND. theolog. med. l. 2. com. 30. paralysi quæ vocatur Tympanites, nomen habens à tympano instrumento musico cùm corpus spiritu magis & flatu quàm aquâ distenditur, pulsatumque tympano sonum reddit.

Qualiter curetur superbia. AVGVST. Si roges, quonam modo hæc curetur hydropisis? Audi D. Augustinum homil. 34. postquam enim dixisset: *Moles superbi non magna, sed tumida. Magnitudo enim soliditatem habet: tumor inflationem. Non sibi magnus tumidus videatur, detumescat vt magnus sit*, &c. subiungit: *Accipiat humilitatis medicamentum, bibat contra tumorem poculum amarum, sed salubre; bibat poculum humilitatis.* Varia remedia contra hanc hydropisim vide apud Sand. loco cit.

Compressio in hydropico designat inuidiam. 3. Secunda proprietas hydropici, est compressio spirituum, per quam designatur inuidia; inuidi quippe aliorum bona opera pro posse abscondunt, & si bona sint manifesta, quantum possunt ea denigrant, detrahendo atque in peius ea interpretando. Inuidus quoque eo ipso quo alteri inuidet, paruum, vilem, ac defectuosum se esse ostendit, quoniam bonum quod inuidet alteri, fatetur sibi deesse, sicque inferiorem se efficit eo cuius inuidet bono. Propter quod fertur in Iob cap. 5. *Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.* Quocirca scribit D. Gregorius: *Inuidere* GREGOR. *non possumus, nisi his quos nobis in aliquo meliores putamus.* Paruulus ergo est qui liuore occiditur, quoniam ipse testimonium sibi perhibet quod eo minor sit, cuius torquetur inuidia.

Ardor hydropici designat auaritiam. 4. Tertia proprietas hydropici est ardor sitis, sicque per eum designantur auari, qui quantò plura acquirunt, tantò plura desiderant, & semper sunt pauperes, quia se reputant indigentes. *Hydropicus*, ait D. Gregorius lib. 14. mor. c. 6. *quò amplius biberit, amplius sitit, & omnis auarus ex potu sitim multiplicat, quia cùm ea quæ appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius, & amplius anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit, huic sitis ex potu crescit.* Sic ille. *Rectè*, ait D. Gregorius hom. GREGOR. 15. in epist. 1. ad Corinth. *quidam dixit auaros esse hydropicos: quomodo enim illi multam aquam ferentes in corpore magis vruntur, ita etiam auari multas circumferentes pecunias, plures concupiscunt. Causa autem est; neque illi in quibus conuenit locis aquam habent, neque isti diuitias in quibus conuenit affectionibus & cogitationibus.* Asserit S. Chrys. hydropicos aquâ vri, quia scilicet in eis aqua quæ stomachum & vitalia refrigeraret, trahitur ad extima, vt resideat inter carnem & cutem; quo fit vt vitalia refrigerio aquæ destituta, calore ardeant & sitiant assiduè: sic & auaritia, quò maiores habet opes, eò maiores appetit, & quasi ardens sitit. Vnde S. Chrysostomus homil. de Lazaro, auarum dicit magis ardere & sitire, quàm diues epulo in CHRYSOS. inferno, qui petijt guttam aquæ vt linguam flammantem refrigeraret, Lucæ 16. Idem homil. 28. in Matthæum auarorum cupiditatem

ditatem confert cum ardore sitique febricitantium.

Insatiabilitas auari elucidatur apologo. CYRILL.

5. Quocirca rationem à priori huius sententiæ ex eadem hydropisi petitam, per apologum vulpis hydropicæ & mustelæ medicæ, physicè & eleganter assignat Cyrillus lib. 3. Apolog. moral. c. 8. cui titulus: *De causa & cura insatiabilis auaritiæ: Vulpes*, ait, *hydropis onere squallida languens, reparandæ sanitati medicinam & medicum inquirebat. Verùm cùm mustelam obuiam habuisset, eius gnara diligentiæ, ipsi mox proposuit languoris querulam quæstionem: Memor sum, inquit, qualiter olim dente tuo vitam de laqueo mortis, quasi noniter nata receperim, quare nunc grauis morbi lethalis obsessa periculis, pristinis tuis confisa beneficijs, ad consilium sagacitatis tuæ recurro.* Cui mustela non ingratè respondit: *Quod si cuipiam profuerim, nescio; si verò beneficium suscepi, huius semper reminiscor. Expone ergo morbum, quia si sciuero, lubens pandam curationis modum. Tunc vulpes gratias agens dixit: Languorem, mi soror, inextinguibilis sitis patior, in quo hæc duo potissimùm miror: vnum est, quòd cùm bibo, plus sitio: aliud est, quòd extenuatis vitalibus, deforis sola cutis intumuit. Cui magistra respondit: Putabam certè tanta te, soror, arte calliditatis aliquantulum in medicinalibus eruditam; sed video te Hippocraticæ disciplinæ totaliter esse ignaram.* Causam deinde veram hydropis ex principijs Physicæ & Medicinæ, eiusque curationem assignat: *Languor enim tuus, non vt æstimas, sitis; sed fames membrorum est: quoniam in te flamma temperati caloris infra suum modum remissa, minor fit hepatis digestio, & tunc aquam pro sanguine gignit, suoque membra incremento priuantur, atque arefacta membra vitalia, famescentia pro cibo sanguinem concupiscunt. Verùm tu errans in huiusmodi iudicio, appetitus famem putans corporis sitim esse, dum pro cibo laticem donas, eò magis digestiuam facultatem debilitas. Propter hoc charissima, etiamsi Danubiam ebiberes, minimè hanc sitim extingueres, sed potiùs augeres; cùm iuxta Galeni sententiam, latex organa carnis substantialiter non humectet.* Deinde hæc omnia adaptat auaritiæ, quæ spiritalis, sed vera & mera est hydropisis: *Nam*, inquit, *cùm in anima eius* (auari) *per cupiditatis excessiuum incendium, charitatis proportio corrumpatur, ac digestiua vis electionis aberret; perdito humoris substantialis sanguine, sitibunda statim ariditas deriuatur in mentem. Verùm cùm cæcutiens mentis appetitus fluxa bona tẽporalia, quasi potum pro cibo cupiat, & pro substãtialibus & æternis bonis peruersa cura pecuniæ poculum subministret, sitis magna cupiditatis accenditur. Quoniam mundanis opulentijs spiritus ariditas non minuitur sed augetur. Accendunt enim affectum eò grauiori auiditate, quò fallunt boni apparitione: quia cùm bonum solidum affectetur, & apparens tribuatur, bonitatis solida substantia minimè reperta affectus vehementiùs inflammatur. Natura quippe prouocat desideria mentientia desideratum. Igitur si mundus esset possessio animæ cupiditatis crescentis, rapax auaritia plus sitiret, ac mentis substantia tabescente, foris tãtùm, inanis gloriæ cutis tumesceret. Quemadmodum ergo auarus, si charitatis largitate cupiditatem extinxerit, sanatur: si hydropicus naturali calore confortatus, si arida membra citò rorauerit, mox curatur.*

Ratio quâ curatur auaritia.

Alia ratio curandę hydropisis. PLVTAR.

6. Aliam huius hydropisis curãdæ rationem refert Plutarchus, dum ait: *Sitientem qui nondum biberit, spes est potu sitim aboliturum; qui verò continenter bibens, sitire non desinat, non impletione, sed purgatione censemus opus habere, & vomere iubemus; quia non indigentia eum vexet, sed acrimonia, aut calor aliquis contra naturam inhærens, eodem ergo modò pauperem, & indigum, apparet finem habiturum, si domum nactus sit, aut thesaurum inuenerit. Qui verò plura necessarijs possidens, plura expetit, eum non aurum, & argentum sanare possunt; sed iacturâ opus habet, & purgatione.* Sic ille.

Hydropici sectione curantur. HYPOCR.

Hydropicos statim secare oportet, ait Hypoc. 6. epidem. par. 7. Cùm enim hydropisis generetur ex colluuie humorum, si restagnent tantùm in aliqua corporis parte, & non sese per totum diffundant corpus; ex quo fit vt partes corporis intumescãt. Huic malo non aliunde succurritur, quàm sectione facta infra vmbilicum, vt egerat aquas noxias, saluti iniurias, quia in locum incongruum confluxerunt. Quid opes congestæ ab auaris in arcis & sacculis, quàm aquæ in locum incongruum congregatæ, quæ auarum tumidum & superbum efficiunt, & morti animæ proximum reddunt: non meliùs auarus sibi consulit, quàm secatione, id est, apertione sacculi; atque ita aquas hasce effluere patiatur in manus pauperum, nimirum in similitudinẽ escę, quam etsi solus ventriculus absorbeat, non ideo tantùm saginatur ipse, sed diffundit illam substantiam, & hepati hanc commendat, quam hepar trãsmittit in omnes corporis oras indigas huius humoris, quo membra omnia, & totum corpus vegetatur. Quam quidem similitudinem sic diffundit D. Chrysost. ho. 10. in ep. ad Cor. *Cibus corporis, membris communiter distributus, si in vnum membrum venerit, ab illo quoque alienus fit, cùm digeri nequeat, neque præbeat nutrimentum. Si autem cum alijs communicauerit, & illius, & omnium proprius erit. Sic in pecunijs, si tu solus his frueris, etiam tu eas amittes, non enim earum fructum accipies, si cum alijs possideris, tunc longè magis tuæ erunt, tunc accipies vtilitatem. Nónne vides quòd manus ministret, os mandit, venter accipit. Nunquid venter dicit: Postquam accepi, ego omnia mihi seruare debeo. Noli igitur & tu hoc de pecunijs dicere: accipientis namque est, vt in alios conferat. Quemadmodum igitur ventris vitio fit, vt cibi in eo desideant, neque digerantur in membro, siquidem toto corpore corrumpuntur; sic suo ipsorum vitio diuites quæ habent, si seruant, & se, & alios perdunt.* Sic ille. Eandem veritatem alijs adductis exẽplis sic illustrat in sequentibus: *Oculis item totam lucem accipit, non tamẽ ab hoc in suum dumtaxat vsum, sed totum illuminat corpus. Nares præterea odoris sensu mouentur, sed non sola detinent, verùm ad cerebrum mittũt,*

Auari sanatur sacculi apertione.

CHRYSOS.

&

& stomachum in odoris partem admittunt, & totum ex se hominem recreant. Soli pedes ambulant, non tamen se ipsos tantùm mouent, sed & vniuersum corpus. Sed & tu quæcumque habes, noli in tuum vsum recondere, quoniam totum corrumpis, & te primum. Neque solùm in membris id videre licet, sed & in artibus. Etenim si faber nulli tradere vellet artis suæ opera, & seipsum, & reliquas artes euerteret. Dicat igitur pauper diuitem indigitans; ille meam filiam nuptui tradidit, alius filium meũ virũ euadere fecit, alius verò calamitate me, alius periculis liberauit. Hæc autem aureis coronis præstantiora sunt verba, longè satius est hos propriæ benignitatis in ciuitate præcones habere, quàm innumeros, qui te præcedant, satellites. Hæ voces suauiores sunt vocibus præconum præcedentium Principes, cùm scilicet, & saluator, & beneficus, & patronus, quæ Dei nomina sunt; appellaris, non cupidus, non insatiabilis, non superbus, non pusillanimis. Et si in hac vita hæc verba adeò clarum hominem reddunt, cum in cælo scribatur, & Deus ea in venturum diem prædicet, intelligas velim quantâ fueris gloriâ. Hæc omnia D. Chrysost.

Pallor hydropici signat impatientiam.

7. Quarta, est continuus in facie pallor ex recursu & recessu sanguinis ad cor; sicq; per hydropicum designatur impatiens & iracundus, Ira enim ad se interiùs ex omnibus partibus allicit sanguinem, eumque accendit: Vnde iratis extimæ partes pallent. *Nam his qui ad vindictam anhelant, ita circum præcordia sanguinis feruet, quasi vi ignis ebulliat & exæstuet*, ait S. Basilius hom. de ira. BASILIVS.

Defectus digestionis in hydropico designat appetitum vindictæ.

8. Quatenus verò hydropisis est error seu defectus digestiuæ virtutis, non in stomacho, sed in hepate, vbi fit secunda digestio, quæ quãdo non celebratur vt oportet, trãsmittit ad membra crudos & indigestos humores, quibus non nutriuntur membra, sed superfluis humoribus onerantur. Symbolum est hominis vindicatiui, qui ob defectum amoris & charitatis, in hepate, id est in affectu non potest digerere iniurias illatas, nec potest cõcoquere, quos patitur ad se vindicandũ prauos naturæ impetus, dæmonumq; suggestiones, intellectu quidem, qui est stomachus animæ, ista omnia digerit, dum facilè iudicat, videtque patientiam heroicam, Deoque gratissimam valdè esse virtutem, dum perpendit Dei legem præcipientem inimicorum etiam dilectionem. Sed quoniam in hepate, id est, affectu, caret calore charitatis, hinc accidit, quòd in affectu remaneat plenus crudis humoribus moribusque vindictæ, quos deinde trãsmittit ad omnia mẽbra, oculis toruis inimicũ aspiciẽs, ore mille infamias cõtra ipsum eructãs, &c.

9. In eo quoque symbolum retinentis & vindicantis iniuriam est hydropicus, quòd digitis impressa in cute vestigia reseruat; ita & vindicatiuus acceptas iniurias animo profundè imprimat & longiùs reseruet.

Hydropicus etiam gulosum designat.

10. Quinta proprietas, quod hydrops oriatur ex nimia intẽperantia, ac voracitate cibi & potus, quæ cùm non possit concoquere calor naturalis, conuertuntur vt plurimum in crudos & indigestos humores, in quo designatur gula.

11. Sexta proprietas, fœtor, præsertim oris, est sanies defluens, & humor abundans, in quo designatur luxuria. Hydropicus etiam luxuriosum refert.

12. Septima proprietas, est tarditas pedum ad incedendum, sicque per hydropicũ designantur acediosi, qui nec summi boni accenduntur amore, nec diuinæ maiestatis reuerentiâ prouocantur ad agẽdum viriliter, nec quanta beatitudo ac merces sit fruentibus Dei ministris præparata perpendũt, sed ad bene agendum tædio afficiuntur tartareo, neque in spiritualibus delectãtur. Inter aphorismos Hypocratis & hic reperitur; *Si hydropicus tussim habeat, est desperatus*, quia signũ est aquam corruptam, & auctã ad pulmonem peruenisse: sic peccator peccati hydrope laborans, si de peccatis suis glorietur, si illa prædicet & publicet, desperatæ quodammodo salutis esse videtur, quia signum est vitiorũ hydropisim in peruersam & obcæcatam voluntatem radicem fixisse, à medico tamen nostro cælesti, sicut aliæ inueteratæ animarum infirmitates, etiam similes hydropes curari atque sanari possunt. Refert etiam pigrum & acediosum. HYPPOC.

Qualiter curetur hydropisis spiritualis.

§. II.

13. VIs scire qualiter curetur hydropisis spiritualis: Imprimis de quodã hydropico legimus Lucæ 14. *Ecce homo quidam hydropicus erat ante eum.* Ita peccator, festinet se præsentẽ exhibere Christo. Et sicut hydropicus iste oculis in Christum conijciebat, oculis Christo loquebatur, & pro sanitate deprecabatur: Ita peccator oculos in Christum conijciat, eumque pro conuersionis & iustificationis gratiâ deprecetur, sequatur monitum Ierem. Thren. 2. *Ne taceat pupilla oculi tui.* Curatur peccati hydropisis si peccator se Deo exhibeat.

14. Secundò, *hydropicus stabat ante eum.* Cogitandum peccatori Deum omnia illius videre scelera, & quamuis à Deo seipsum conetur abscondere quòd tamen sit Deo præsentissimus. *Sanabitur hydropicus*, ait Theophylact. *si ante Christum fuerit. Nam qui ante Christum fuerit cogitans semper, quomodo ab ipso videatur, minimè peccabit*, Sic ille. Si cogitet Deum sua videre scelera. THEOPH.

15. Tertiò, *hydropicus stabat ante eum.* Stet similiter ante Christum peccator, & consideret, quòd cùm Christus millies eum possèt occidere, non tamen occidit, sed insuper millena ei cõtulerit beneficia: nisi sit bestijs durior hæc consideratio commouebit eum ad verã pœnitentiã, veramq; conuersionẽ, vt rectè docet & expendit Laur. de à Pont. to. 2. in Sapient. hom. 38. num. 15. & seq. Si cogitet Deum se millies perdere potuisse.

16. De Heraclio Ephesio, legitur, quod cùm vndique aqua intercute esset fœdè decoloratus, vt pristinam recuperaret sanitatem, aquamve illam desiccaret, se stabulo incluserit, obliniueritque vndique,

que, stercore boum, eo calore arbitratus noxium, exundátemque humorem exhauriri posse. Animaduertens autem nihil se proficere, corpusculum illud ita stercore oblitum soli exposuit. Sed nihil illi hæc profuêre, tanquam ad corporis pellendam hydropem inania. Sed quæ non profuere corporis tumori, efficacissima sunt ad spiritualem vitiorum hydropisim curandam, deprimendam & exsiccandam. Vis illâ, ô Christiane, liberari? ad stabula & sepulchra mortuorum te confer, hæc ingredere, ibi te cadauerino fimo circumline, vide qualis sis, si secundum corpus te consideres, quàm fœtidus, quàm stercoreus, & qualis tandem tuus sit futurus exitus; & mox detumescet & desiccabitur peccati hydrops.

Curatur stercore hydropisis peccati, id est consideratione mortis.

17. Mortem si præ oculis habeant, qui corporali hydrope laborant, non ideo sanitatem recuperant, sed nihilominus de illis morbus morsque triumphant, at qui animo hydropicus est, mortis consideratione plerumque ab ea liberatur. Legimus in Theatro vitæ hum. tom. 7. ad lit. V. Verbo *vrbanitas*. quòd Vendelinus Parochus Schliengensis, in Marchionatu, Basiliæ vicino, homo festiuissimus, exacta iam ætate hydropicus Ioan. Huberum, Basiliensem medicum acciri curarat. Vbi adfuit: An verò non indignum hoc est, exclamauit, me, qui tot expeditionibus, dum per ætatem licuit; sacerdotis cum dignitate, interfuerim in hac postrema penè decerptum, ad tympanistæ officium, non tam abiectum, quàm inuisum cogi? Qui aderant delirantis hæc omnia esse credebant. At medicus nasum eius intelligens: minimè verò, inquit, nam quò maior hic est, cuius nunc castra sequi cogitas, Imperator, eò etiam munus hoc licet infimum, altero illo vel honestissimo, splēdidius erit, teque dignus. Ergo respondit Vendelinus ad vasa & arma excitandi mihi estis: Moxque reiecto tegmine, ambabus manibus ventrem, velut tympanum, intercute aqua, extensum feriens, inquit: Sequimini volentes, nolentes sequimini. Paucis post diebus obijt. Ecce quàm nihil illi profuerit ad curationem mortis memoria, verùm animo hydropicus si ad sepulchra mortuorum se conferens dicat sequeris volens, nolens sequeris: Statutum est omnibus hominibus semel mori: Ingredienda semel via vniuersæ carnis, sperādum planè quòd consideratione mortis ab interna peccatorum hydropisi liberabis.

Qui mortem præ oculis habet liberatur à peccato.

THEATR. VIT. HVMAN.

18. Insuper si teipsum, soli Iustitiæ, & pennis, id est, radijs virtutum eius exposueris, sperandum planè te breuì ab omni peccati hydrope liberandum. Nam vt bene ait D. Augustinus epist. 58. *Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filij Dei non sanatur? quæ auaritia sanari potest, si paupertate Filij Dei non sanatur? quæ iracundia sanari potest, si patientia Filij Dei non sanatur?*

AVGVST.

19. Quintò. Refert Ioannes Gemin. in Sum. exemp. lib. 6. c. 5. accidisse in terra originis suæ, scilicet in castello Sancti Geminiani quod est in partibus Tusciæ 15. milliarijs distās à ciuitate Senarum. Quòd ibi fuerit, quidam vir nobilis & pauper, qui factus est hydropicus, & toto fere corpore tumidus. Cumque siti insatiabili cruciaretur, nec potus & petenti, ab aliquo porrigeretur: cū iaceret prope locum, vbi quoddam ædificabatur palatium, quadam die cùm solus esset, vidit ibi tinam magnam aquâ plenam, in qua veteres lateres mollificabantur, vnde ex admixtione calcis lateribus adhærentis, aqua dealbata erat: ad quam aquam ille accedens in magna quantitate bibit, & post potum in lecto se ponens, & paululum obdormiens, post somnum ex virtute illius aquæ, seu ex calcis adustione, tam magno fluxu ventris solutus est, vt hydropisis, euacuatâ suâ materiâ, & causâ, penitus ab eo tolleretur, & etiam sitis cum ea. Vis, ô Christiane, euacuare omnem materiam, & causam hydropisis spiritualis, omnem deordinationem affectionum, vis liberari ab omni peccatorum, quam efficiunt hydropisi? habes & tu ad manum vas, siue cisternam plenam aquis, de quibus si biberis, quia calidissimæ sunt, non poteris non curari & liberari ab omni peccatorum hydrope: *Bibe*, ergo, *aquas de cisterna tua*, vt monet Salomon Prou. c. 5. Ad quæ verba sic Hugo Card. *Aquas de cisterna propria bibere, est lachrymas de corde effundere.* Ad quæ verba etiam respiciens D. Ambrosius in titulo Ps. 37. sic ait: *Misisti aquam lachrymarum, aquam pœnitentiæ: bibe aquam de tuis vasis, bibe aquam de tuis fluctibus, vt dicas, & potum meum fletu temperabam: Fletus ergo tuus, potus est tuus.* O quot saxea & obdurata in peccatis corda in hisce aquis sunt mollificata! An mirum hisce aquis hydropisim animarum curari? sanè si pura foret aqua, nihil mirabilius, sed aqua hæc calce, id est pinguedine diuinæ gratiæ est saginata.

Aqua cui calx admista sanatur hypocrisis corporalis, sic etiam &c.

IOAN. GEMIN.

HVGO CARD.

AMBROS.

20. Sextò. Gisbertus Horstius medicus experientissimus auctor est, vt refertur in theatro vitæ hum. tom. 7. ad lit. V. ad verbum *Venefici*. Romæ quemdam hydropicum diu decubuisse, cuius vxor tādem expensarum pertæsa, veneno illum tollere decreuerat. Quare bufonis in olla vsti puluerem ægroto propinat, vnde ille copiosum reddit lotium: huic denuo eumdem puluerem exhibet, vt citiùs ille ærumnosam, sumptuosamque vitam cum præcipite commutaret morte. Qui multo vberiore exonerata per vesicam saburra aquea, conualuit, præter coniugis expectationē. Nam bufo etiam certæ alicui particulæ applicitus, hydropicorum aquas, per meatum vrinarium expellit. Sic Ibi. *Licet bufo*, ait Berchorius in reduct. mor. lib. 10. cap. 14. *sit venenosus, tamen incineratus & combustus, amittit vim veneni, & virtutem recipit medicinæ, quæ mirabiliter valet ad carnis, & cutis reparationem*

Bufonis in olla vsti puluere sanatur hydropisis corporalis: Ita &c.

GISBERT. HORST.

BERCHO.

tionem) & neruorum consolidationem, & vulnerum desiccationem. Vis, ô Christiane, curari ab hydrope variorum peccatorum? Cineres incineratorum busonum ne despicias, sed eosdem tanquam panem medicinalem sume & manduca. An desint nobis busones incinerati? Sanè peccatores omnes dum in peccatis degūt sic busonibus comparat Berchor. loco cit. *Buso est vermis frigidissimæ naturæ, & virulentus, ad omnem tactum se animat & inflat, & quantò plus tangitur, plus inflatur. Vnde etiam secundum Phisologū aranea quandoq; busonem dicitur interficere, ascēdit enim super eum & crebris ictibus eum pungit. Ille autem videns se non posse vindicare, nec de aranea expedire, in tātùm magis ac magis inflatur, quod præ inflatura rumpitur & crepat. Sic rectè mundi peccatores cùm sint frigidi per indeuotionem, virulenti per malitiam & infectionem, quando tanguntur per prædicationem & correctionē inflantur per superbiā & elationē. indurātur per duritiam & obstinationem, vt quātò magis prædicatorum vel prælatorum iaculis sunt percussi, tantò per obstinationē & duritiam potiùs sunt inflati.* Sic ille. Verùm hi busones tunc sunt incinerati, dum pleni igne contritionis & dilectionis, per veram pœnitentiam & humilitatem ad Deum sunt cōuersi, & iam magnopere nobis valent suo patrocinio & exemplo ad omnium prauorum humorum euacuationem & desiccationem.

BERCHO.

21. Septimò. Sabbatho sanatur hydropicus, vt insinuetur tempus sanationis internæ hydropisis aptissimum & conuenientissimum esse Dominicale & festiuale. Tunc enim si quis sacris intersit concionibus facilè intelliget qualiter aliquando in peccatores sæuiet diuina Iustitia, qualiter æternus ille ignis vastaturus sit impios, Psalm. 118. *Factus sum sicut vter in pruina.* Chald. vertit: *factus sum sicut vter suspensus ad fumū* &c. eximiū hoc est remedium, vt detumescat hydropicus, si dum tartarei ignis fumus à prædicatoribus, diebus Dominicis & Festiuis, populo proponitur, ad illum fumum se suspendat cogitando & considerando æterna tormenta, fumus enim ille, ille æternus ignis vim habet magnam ad exsiccandam intercutem aquam.

Sabbatho sanatur hydropisis peccati.

22. Octauò, Christus videns maximum sanitatis adipiscendę desiderium in hydropico, non se continere potuit, quin sanaret: Similiter dum videt in peccatore conuersionis. pœnitentiæ, & salutis desiderium, mox illius annuit votis, & desideratam libenter infundit gratiam. De hydropico illo legitur: *Ipse verò apprehensum sanauit.* Idem agit etiam Christus cum peccatore, varijs peccatis inquinato. Apprehendit Deus peccatorem manibus, cùm auxilium præbet & sanat. & quidem dum dicitur apprehensum sanasse, significatur tali peccatori magnum Dei necessarium esse auxilium.

Desiderio salutis sanatur.

23. Nonò. Apprehensum & separatum à turba sanauit Christus hydropicum, similiter quicumque sanandus est à vitiorum hydrope, à turba & præsertim à malo consortio debet separari.

Sanatur separatione à turba.

24. Decimò, sicut oritur naturalis hydrops ex defectu caloris in hepate, qui si confortetur, curatur morbus. Similiter cùm hydrops spiritualis oriatur in animo ob defectū caloris diuini & charitatis in affectu: si diuinus hic calor confortetur, pellet etiam ipsam hydropisim spiritualem, vt non incongruè affirmat Paulinus Domin. 17. post Pent. *Si,* inquit, *ignis charitatis deficit, sicut deficiente calore naturali crudi & indigesti humores ad membra transmittuntur; ita & inordinati moras ad omnes animæ sensus, & inde spiritualis hydropisis, id est, mala concupiscentia generatur; quia necesse est vt deficiente amore æternorum, qui est charitas, succedat cupiditas terrenorum. Cura autem hydropisis est confortatio virtutis digestiuæ.* Sic ille, in sequentibus quatuor in medium adferens, quibus cōfortatur calor charitatis.

Calor charitatis pellit hydropisim peccati.

PAVLIN.

25. Vndecimò, sanitati restitutus homo, caueat ne iterum hydropisim spiritualem incurrat: Scribit Pallad. in hist. Patr. quòd Abbas Beniamin laborabat intolerabili hydropis dolore, cumque præsentes eius cruciatum fixis oculis intueri non possent, dixit: *Orate, ne interior meus homo hydropicus fit. Hoc enim corpus, neque cùm benè se habuit, mihi profuit, neque cum malè, me læsit.* Similiter peccator sanitati restitutus, hoc vnicum oret, ne interior suus homo hydropicus fit.

Caueat sanatus ne iterum in peccatum relabatur.

PALLAD.

Sicut granum synapis calidæ & igneæ est naturæ: Ita Christus in sua ex Virgine Sacratissima natiuitate, totus igneus, & diuinus quidam Amoris Deus.

SECTIO XIV.

1. GRanum synapis, calidæ & subtilis est naturæ: *Synapi,* ait Plinius, *est calidus & subtilis naturæ, ita vt principatum habeat, teste Pythagora, inter ea quorum in sublime vis feratur.* Similiter Christus, siue diuinam siue humanam eius spectes naturam, planè calidus est atque igneus, hominum animos ad cælestia subleuans. In diuinam eius naturam oculos conijciens Moyses, ait Deuter. 5. *Deus noster ignis consumens est,* nimirum peccata ac errata hominum, ac consequenter

Synapi, calidæ naturę.

PLINIVS.

Christus, totus igneus siue diuinā siue humanam consideres naturam.

sequenter ignis planè viuificus, & vitam tum gratiæ, tum gloriæ conferens. Quid ignis ille in rubo, quam diuinitatem adumbrat, commorantem in Virgineo vtero? Si Christum secundum humanam consideres naturam, an non planè per amorem igneus, & quasi ardore huius ignis, planè combustus? Cælestes spiritus, Cant. 3. Christum considerantes è Virgine natum, & in præsepis ferculo siue lectulo, reclinatum, ob summum eius in homines amorem, nominant paruulum Iesum, in abstracto, ipsam charitatem: *Media*, aiunt huius lectuli, *charitate constrauit*. Transferunt Hebræi: *Et medium tenet ipse accensus, propter filias Hierusalem.* Vt autem ardor hic Christi, carne nostra induti, magis elucescat, libet in gratiā Concionatorum in sequenti sectione verba illa Cant. 3. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon, de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit*, sigillatim enucleare, & explicare.

Christus recenter natus, charitas.

Elucidatio illorum verborum Cantic. 3. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon, &c.*

Rectè Sapiens de diuina prouidentia loquens, affirmat, eam à fine vsque ad finem attingere, & suauiter omnia disponere; hæc si vsquam alibi, multum sanè lucet in Incarnatione Dominica, opere omnium præstātissimo. Nascendus erat Christus, in Bethlehem, iuxta prophetica vaticinia: Maria verò cum Iosepho in Nazareth habitabat, vbi Christus conceptus, vbi in vtero Virginis gestatus; quo consilio vtitur diuina prudentia, vt suaui quadam dispositione nascatur in Bethlehem? Permittit Deus terrarum orbem summā cum pace possideri à Romanis, permittit exire edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis; cui vt satisfaciant, necesse est, quod singuli vadant in ciuitatem suam, ad profitendum nomen suum. Cogitur ergo Ioseph proficisci in Bethlehem, & quamuis aliquorum sit opinio valdè probabilis, mulieres hoc edicto non comprehendi, comitatur tamen illum Maria; comitatur autem, vt reliquas silentio prætereamus rationes, impulsa atque incitata à Spiritu Sancto, qui cernens, fælicissimi sui partus adesse tempora, ciuitatemque Bethlehem ab æterno electam esse, in Natale solum Saluatoris, suauissimis illis verbis Virginem interiùs compellit, Cantic. 2. *Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Compellit, inquam, Virginem, Spiritus Sanctus, vt secum tendat in agrum Bethlehemiticum, vt ibidem suum pariat filium, & ibidem Sol iustitiæ ex ea oriatur. Pro illis autem verbis, *In foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, Septuaginta transtulerunt: *Veni tu columba mea in tegmento petræ iuxta promurale.* In Hebræo autem sic legitur: *In fixuris illius petræ, in secreto illius gradus.* Quibus verbis, non tantùm in genere, locum vbi Christum paritura esset, ostendit; sed in particulari locum illum, quasi digito Virgini ferè indicat, nempe speluncam illam, quæ in dicto agro Bethlehemitico, excauata esset in rupe ac petra, quæve esset iuxta præmunitionem & promurale ipsius oppidi Bethlehem. Porrò quod in agro, & in spelunca, à B. Maria, editus sit Christus Dominus, compertissimum apud Patres est. Nam & Iustin. Martyr in dialogo contra Triphonem post medium, sic de ea loquitur: *Cùm puer nasceretur in Bethlehem, quia Ioseph non erat locus in castello, quò diuerteret, in speluncam quandam, castello propinquam, diuertit, ibi Maria Christum, recèns natum, in præsepe deposuit, ibi & à Magis inuentus est.* Idem testatur Origenes lib. 1. contra Celsum, Euseb. Cæsarien. lib. 7. demonstr. Euangel. c. 5. Epiphan. lib. 1. contra hæreses, hære. 20. sed præ reliquis Hieronym. epist. 18. ad Marcel. *Quo*, inquiens, *sermone, qua voce speluncam Saluatoris exponam, & illud præsepe, in quo infantulus vagijt? Silentio magis quàm infirmo sermone honorandum est.* Cùm igitur compertissimum sit Christum natum in spelunca quæ erat in agro Bethlehemitico: quæve erat oppido Bethlehem propinqua, quis iam dubitat, his verbis, speluncam illam signari, in qua ipsum peperit filium suum? & sanè congruentissima ratione, spelunca, in petra excisa, à Deo electa, in qua nasceretur, quando ab immortalitate caro factus, deuenit in vitæ huius mortalitatem: nam & quando mortuus, per resurrectionem, de mortalitate, noua generatione, ad perennem nasci voluit immortalitatem: in spelunca item, & monumento exciso in petra, exortus. Congruum autem admodum fuit, vt duæ illæ generationes, quæ in Christi humanitate contigerunt, ambæ parificerent in loco, in spelunca, atque in petra, vt exinde colligere fas esset, vnum, eundémque Deum exstitisse, qui & in nocte Natiuitatis, nasci voluit ad mundi huius miserias, & in mane Resurrectionis nasci de miserijs, ac procedere voluit ad gloriam. Ad hanc itaque speluncam inuitat Spiritus Sanctus Mariam, ibi videre vult faciem eius suauissimam, diuinisque radijs, vndique coruscantem; ibi vult sonari vocem Virginis in auribus suis, vult audire suauissimas illas Virginis gratiarum actiones, quas referet Spiritui Sancto, cuius obumbratione, absque virili opere, concepit Christum, & absque integritatis læsione, eumdem parit mundo. Et ne Virgini mirum videatur, quòd non inuento hospitio, cogatur ad speluncam diuertere, ad foramina petræ, filiumque reclinare in præsepio, indicant Virgini Angelici spiritus, illam concomitantes, vel potiùs Spiritus Sanctus, Christum Regem pacificum, hunc locum, ac lectulum præsepij, ab æterno elegisse, ac præparasse, vt in illo iaceret oriens in mundo: lectulum, inquam, qui

HIERON.

Christus natus in spelunca.

qui pariter pro throno sibi deseruiet, vt in eo, se vestibus mortalitatis, ac charitatis, spectandum exhibeat mundo, vnde subiungitur: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit, propter filias Hierusalem,* &c.

Ferculum, siue thronus Christi præsepium.

3. *Ferculum fecit sibi rex Salomon*: D. Ambrosius lib. 3. de Virgine legit: *Lectulum fecit sibi.* Per ferculum, thronum regium cum suo tabernaculo intelligunt Genebrard. & Lesionen. Quisnam hic lectulus, hic thronus? Non alius quàm præsepium illud ligneum, quod in spelunca, in petra excauata, collocatum erat, in quo animalia comedebant; hunc lectulum sibi elegit, qui ex te nasciturus est, ô Maria, Rex Salomon, constructum quidem è lignis, sed quæ omnem Libani gloriam in se contineant. Cur quæso hunc lectulum elegit Christus? erat æternum verbum in celsissimo sinu patris, quò repens homo ascendere non valebat: quia non valebat homo ascendere, incarnatũ verbum, vsque ad brutarũ animantium præsepium descendit. Iumento similis homo, effrænatas animi appetitiones, ratione veluti carés, sequebatur: Vt igitur rationis restituat vsum, in præsepium iumentorum, carnis fœno tectum, magnum verbum sese abijcit, & hominum fit pabulum. Pulchrè D. Augustinus serm. 9. de Natiuit. *Vt panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum factus est homo. O rem stupendam, panis angelorum in præsepio iacet: nunquid panis angelorum factus est fœnum?* Id fatetur D. Bernardus serm. 3. de Circonc. *Dominus,* ait, *panis est viuus, de quo viuere debuit homo, sed quia homo iumentum factus est, & panis factus est fœnum, vt vel sic viuat de eo,* &c. Et serm. 1. de Epiphan. *Quid ita pietate plenum, quàm quòd Dei verbum propter nos factum est fœnum,* &c. Omnis caro dicitur fœnum, Isaiæ 40. *Verbum, pro nobis factum est caro, ergo factum est fœnum, quod mundorum rumiantiumque animalium fit cibus, quod comedens bos cognoscat possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, id est, Iudæus & ethnicus Christum regem suum.*

Cur præsepio iaceat Christus. AVGVST.

BERNAR.

Columnæ ferculi Ioseph & Maria.

4. *Columnas eius fecit argenteas.* Quemadmodum terrestris Salomon, vt legimus 3. Reg. 7. columnas duas in porticu templi erexit, ad illius templi ornatum duntaxat inseruientes, ita & verus Salomon loco sanctificationis, ante præsepis lectum, duas quoque statuit columnas, B. Virginem, sanctumque illius sponsum Ioseph, columnas præfortes, in fide & charitate fundatas, columnas non quidem æneas, vt illæ Salomonis, sed argenteas, vtpote pudicitiâ ac pietate, candorem præ se ferentes argenti.

Reclinatoriũ aureum ipsum fœnum in quo decumbit Iesulus.

5. *Reclinatorium aureum.* Reclinatorium eiusdem præsepis, haud aliud crediderim significatum, quàm paleam & fœnum illud, quod intra præsepe erat appositum, in cibum bouis, & asini, super quo inclinatus est Christus Iesus. Bene verò istiusmodi reclinatorium, aureum fuisse dicitur, tum propter coloris similitudinem, quam cum auro fœnum habet & palea, tum propter eximiam eius gloriam, quâ auro quolibet illustrius redditum est, ob contactum sanctissimi corpusculi. Si enim solem istum corporeum eam vim habere fatemur, vt intimas terræ partes penetrans, influxu suo, terram ipsam aurum reddat, cur non fateamur & verum iustitiæ Solem, carnis contactu, fœnum reddidisse aureum; multoque auro quolibet pretiosius & præstantius. Nónne & in corallijs obseruamus statim ac aëris vim percipiunt, obdurata, fieri lapides pretiosos, cùm tamen quando intra mare existerent, nihil aliud essent quàm viles & fragiles herbæ? Cur igitur idipsum, fœno illi denegemus, quod corporis Christi fuit reclinatorium, vt etsi antea esset herba vilis, cùm tamen vim sentit diuinæ præsentiæ, pretiosius redditum sit fulgentissimo auro?

Admirabilis Christi in præsepio reclinatio.

6. *Reclinauit eum in præsepio,* ait Euangelista. O admirabilem inauditamque reclinationem! O inclinatam maiestatem! ô sublatam ad Deum vsque humilitatem, eum qui sedet super Cherubin, qui ponit nubem ascensum suum, qui ambulat super pennas ventorum, amor in præsepio reclinauit! O verè aureum reclinatorium præsepe Domini! Si enim charitatem adumbrat aurum, totum aureum est, id est, charitate plenissimum præsepij reclinatorium. Reclinauit eum in præsepio Virgo, & reclinauit eum in præsepio hominum, quos dilexit, amor. O amabile præsepium, in quo ardentissimus hominum amator recubat! O opulentissimum præsepium, in quo orbis totius pretium iacet! O fulgentissimum præsepium, in quo sol splendidissimus mundo est ortus! O cœleste præsepium, in quo cœli Dominus in paleis iacet! O felices paleas, rosis omnibus, lilijs, cæterisque floribus pulchriores, quæ vos, quæ genuit tellus? quæ seges beata protulit, diuini ignis non tenuem materiam? Non palearum momentaneum, sed perpetuum, menti incendium, suppeditatis quod nulla aquarum flumina extinguant.

Vos ego complectar, gelidaque in mente locabo
Subijciet flammas qui iacet ignipotens.

Reclinatur Christus, vt nos erigeret.

7. *Reclinauit eum in præsepio. Nemo potest,* ait D. Augustinus serm. 206. de tempo. *iacentem erigere, si se noluerit inclinare: potuit tamen diuinum verbum, etsi se non inclinasset, iacentem hominem erigere, sed modum hunc aptiorem, vt se proderet, inuenit amor.* Mortalium enim amorem, Dei inclinatio maximè conciliat, rapit, & accendit. Quocirca Gregorius Mag. lib. 29. Mor. cap. 1. *Deo,* ait, *tantò magis homo debitor fuit, quantò pro illo Deus etiam indigna suscepit.* Et D. Bernardus

GREGOR.

BERNAR.

dus serm. 5. de Epiphan. *Quantò minorem se fecit in humanitate, tantò maiorem exhibuit in bonitate; & quantò pro me vilior, tantò pro me charior est.* Sponsus vt sponsæ placeat, aureis ornamentis, vestibusque sericis, se exornat, & si quid habet pulchritudinis, ostentat: at Ecclesiæ sponsus, longè aliter sponsæ suæ amorem, sibi captandum vidit, non auro, sed paupertate, non bombicina veste, sed humilitate, vnde D. Augustinus homil. 36. *Amemus*, ait, *sponsum, quantò magis deformis nobis commendatur, tantò charior, tantò dulcior factus est sponsæ.*

AVGVST.

In multorum cordibus non est locus Christo quia in illis vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos.

8. Reclinauit Virgo Iesum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. O quot hodie adhuc reperias, in quorum cordis diuersorio non est locus, pro Christo, hominibus nato? *Vulpes foueas habent*, ait Christus Matth. cap. 8. *& volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum.* O quàm verè hoc competit Christo recenter nato, dolo & superbiâ repleta sunt hominum corda, ac proinde non est Christo vbi reclinet caput suum, neque enim requiescit, nisi in humili & contrito corde: vnde citata Christi verba, dicta cuidam adolescenti, qui typho superbiæ inflatus, Christum miracula facientem sequi volebat, sic interpretatur D. Augustinus in psal. 90. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Vulpes in te foueas habent, volucres cæli in te nidos habent. Vulpes dolus est, volucres cæli superbia est. Sicut enim volucres alta petunt, sic superbi: & vt vulpes cauernas habent dolosas, ita omnes insidiatores. Quid ergo respondit Dominus: Potest in te habitare superbia & dolus, Christus non habet in te vbi habitet, vbi reclinet caput suum: quia reclinatio capitis, humilitas Christi est. Nisi reclinaret caput, non iustificareris.*

AVGVST.

Ascensus purpureus suprema præsepij pars.

9. *Ascensus purpureus*, Ascensus hic suprema est ipsius præsepij pars, quâ id operiebatur, purpureus factus asseritur, propter rutilantes splendoris radios, qui eo emittebantur, tum è splendidissimo Christi corpusculo, iuxta illud D. Vincentij serm. de Natiuit. *Quando Christus natus est, corpus eius resplenduit vt sol quando oritur, & nox facta est sicut meridies.* Ex nato Christo tantum fulgorem prodijsse, vt vix illi sol conferri possit. S. Birgittæ ab ipsa Virgine reuelatum, vt legimus in eius reuelat. lib. 7. cap. 25. Tum à multitudine cœlestis exercitus, qui ibi astabat. Quæ omnia reddebant speluncam hanc ipso Salomonis templo augustiorem & sanctiorem; etsi fulgeat auro Hierosolymitanum templum, Cherubinis, propitiatorio, arcâ Dei, candelabris, mensis, vasisque aureis splendeat, atrijs amplissimis, sacrificijs, sacerdotumque ministerio exornetur, stabulo tamen Bethlehemitico inferius est, stabulũ enim hoc in cœlum est conuersum. D. Epiphan. in orat. de Virg. Deipara: *Stabulum*, inquit, *visum est, esse cælum in terra, neque verò in hoc cælo angeli defuerunt*. Idem D. Epiphan. eodẽ loco: *Virgo*, ait, *in spelunca citra laborem prægnans, cæli & terræ Dominum deposuit in præsepio: tunc etiam ordines angelorum circumstabant Virginem, cum clamore dicentes: Gloria in altissimis Deo*, &c. Tota ergo superior pars præsepij, quâ id operitur, ardentissimis splendorum radijs, erat purpurea, & splendore nitens.

VINCEN. Splendidissimum fuit Christi corpusculum.

BIRGITTA.

EPIPHA.

10. *Media charitate constrauit*, Id est, media huius ferculi constrauit corpusculo, exorhauitque totum semetipso, qui charitas dicitur, in hoc ferculo verum se exhibens amoris simulachrum, vt vel hoc pacto, filias Hierusalem, id est, pias quasque animas, pelliceret, ad sui dilectionem. Qua ratione autem Christus Dominus, qui quatenus Deus ab æterno extitit charitas substantialis, carne indutus, & in præsepio reclinatus, ita factus sit charitatis simulachrum, vt propterea, nomen ipsum sortitus sit charitatis, facilè intelligi potest ex similitudine quam ille habet, cum eo amoris simulachro, quod ab antiquis Philosophis picturæ, aut sculpturæ traditum est, quamquam id falsò ab ignorantibus pro Deo amoris coleretur. Erat quippe illud istiusmodi, effigiem habens pueruli, cœcum, non quia oculos non haberet, sed vittâ illos opertos; nudum, quia amans nihil sibi reseruat, sed omnia in gratiam amati expendit: alatum, pharetramque gestans atque sagittas, quarum aliquæ habebant cuspides auratas, aliquæ plumbeas, illis in percussis, accendebat amoris, hisce, accendebat odij & abominationis flammas. Porrò si amor puerulus est, ob id quod instar pueruli blandiatur; En Christum, cùm esset, vt legimus Psalm. 76. *Deus magnus* in præsepio infantem exhibitum, iuxta illud Isa. cap. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Natus est paruulus, vt nobis blanditijs blandiatur amoris, nimirum iuxta promissum suum, quod legimus Isa. cap. 66. *Quomodo si cui blandiatur mater, ita & ego consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini.* Paruulus quoque iste qui natus est, etsi ita oculatus alioquin existat, vt oculos eius lucidiores dicat Sapiens Eccli. 23. super solem, & intueri dicatur abyssos, & intima cordium perscrutatur, à sui tamen ipsius amoris vi, vel vittâ quadam (si dicere liceret) ita obcœcatus quodammodo est, vt propter hominem, quem ardentissimè deamabat, carnem induerit, quasi non videns, neque considerans miserias quibus se subijciebat, cruciatus qui ipsum manebant, & expensas ingentes, quibus pretiosissimus persoluendus sibi esset pro homine sanguinis sui thesaurus. Hinc videmus ipsum, qui iuxta Apostoli dictum, constitutus est hæres vniuersorum, in extrema nunc reclinari paupertate; per quem facta sunt sæcula, factum in tempore, & tempore omnium asperrimo. Hinc est vt ipse, qui est splendor gloriæ, in tenebris, media natus

Media charitate id est: seipso constrauit.

Qualiter amoris simulachrum conueniat Christo.

Cur instar pueri pingebatur amor.

Cur cæcus.

Accommodatur Christo amoris simulachrum.

fit,

sit nocte; vt ipse, qui est figura substantiæ patris, nunc figuram & formam susceperit serui; vt ipse, qui portat omnia verbo virtutis suæ, nunc imbecillis iaceat in præsepio; vt ipse, qui purgationem omnium peccatorum facit, nunc peccatoris habitum præ se ferat: vt ipse, qui sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, nunc in medio brutorum animalium reclinatus sit in præsepio. O quàm verè Christus in præsepio positus, dici charitas potest.

11. Cæcus etiam pingebatur amor, quia nulla apud eum est personarum acceptio, omnes petit, omnia vulnerat, omnia ad se conatur trahere. Idem planè est videre in Christo, vnde sic pulcherrimè D. Augustinus ser. 120. de Temp. *Audi quomodo amatus es turpis, fœdus, antequam esset in te quod amari dignum esset. Etenim Christus, vt ait Apostolus, pro impijs mortuus est. An fortè impius amari merebatur? Quid merebatur impius? Damnari. Dilexit immundum, vt faceret mundum, dilexit fœdum, vt faceret pulchrum; dilexit impium, vt faceret pium; dilexit sceleratum, vt faceret beatum; dilexit captiuum, vt liberaret; dilexit perditum, vt reficeret; dilexit ægrum, vt sanaret; dilexit mortuum, vt vitam ei sempiternam donaret.* Sic ille.

AVGVST.

12. Quod si simulachro illi addebantur alæ, quibus significaretur celeritas admirabilis, quâ amor quocunque vellet aduolaret: nec Christo nostro charitatis simulachro, eas deesse censendum est, quamuis iacentem illum inspiciamus & reclinatum. Quomodo enim tanta celeritate in mundum venisset, vt accelerationis nomen propterea assecutus sit apud Isaiam cap. 8. vbi legimus: *Voca nomen eius accelera*, nisi alas habuisset, quibus à summo cœlo egressio eius, & occursus eius extitit vsque ad summum eiusdem cœli? Quas alas multis ante sæculis Malachias cap. 4. in eo præuidens, dixit in persona Dei: *Orietur vobis timentibus Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* seu (vt est in Hebr.) *in alis eius.* Tales autem sunt pennæ istæ, & alæ eius, vt nullus sit qui eas non videat, dummodo cœcus non sit: alæ enim sunt solis, quæ vt nil celerius, sic nil splendidius; pennæ istæ radij illi sunt, qui è corpusculo illius micant, quibus instar solis huius visibilis, vt primùm exortus est, conspicuum se exhibuit mundo.

Alatus pingebatur amor.

13. Denique, pharetram quoque, in Christo paruulo videre licet: ea verò est ipsa eius caro, de qua, iuxta expositionem Cyrilli & Procopij, Verbum diuinum, ait, *in pharetra sua abscondit me.* O pulcherrimam & diuinam pharetram, vnde educuntur tot aurea, & amorem excitantia iacula. Quis non amore vulneretur dum videt Deum infantem. *Infantia,* ait Chrysologus, *quam barbariem non vincit? quam feritatem non mitigat? quam duritiam non resoluit? Quid non amoris expostulat? quid non amoris extorquet? Si ergo nasci voluit, qui voluit amari?* Hæc ille.

Amor cum pharetra pingebatur.

CHRYSOL.

14. Quis autem explicare posset, qualem excitet amorem, ipsum Christi corpusculum, in medio præsepio reclinatum? Ipsius ocelli, nunc oculis matris obuiantes, eamq; ie liquefacientes; nunc ad Ioseph respectantes, siue illius senectam renouantes; nunc pastoribus lumen suum exhibentes, eorumque corda ad se trahentes, nunc ad cœlum & ad patrem sese eleuantes, vt nobis tam regni cælestis, quàm ipsius patris fruitionem polliceri viderentur? Quod ferreum cor præ amore non emollirent lachrymæ illæ amorosissimæ quibuslibet gemmis fulgentiores, quæ ex ijsdem profluebant ocellis, vt iam ex tunc purgationem peccatorum nostrorum facere incipiens. Qualia amoris iacula emittebantur ex illis mutuis osculis, quæ inexplicabili suauitate sibi inuicem mater ac filius imprimebant? Quid dicam de paruulo ore suo, summa cum grauitate aliquando ridente? Quid de paruulis manibus, ac cæteris eius corpusculi partibus? quid de cælesti angelorum melodia? quid de pastorum eximia deuotione? Hæc atque innumerabilia alia istiusmodi, quid aliud quàm tot aurea iacula è pharetra carnis Christi prodeuntia, & amoris suauissima vulnera excitantia?

Quem amorem non excitet Christi corpusculum.

16. Hisce sagittis vulnerata sponsa, clamabat Cant. cap. 4. *Dicite dilecto meo, quia amore langueo.* Siue vt vertunt Hebræa: *Quia vulnerata charitate ego sum.* O fælicem illam animam, quæ aureâ charitatis sagittâ vulnerata, languet amore, & in se mortua, viuit Christo, iuxta illud Platonis: *Amator animus in proprio corpore mortuus, in alieno corpore viuit, ac in se mortuus, in alio reuiuiscit.* Hac sagittâ vulneratus Paulus, planè sibi mortuus, non alteri viuebat quàm Christo: Vnde dicebat Galat. 2. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* Sagittæ diuini amoris auferunt & enecant vitam carnalem & sensualem, inducunt verò vitam planè diuinam ac spiritualem.

Sagittis Christi vulnerata sponsa.

17. Ex hac pharetra etiam procedunt plumbeæ sagittæ, inducentes odium & abominationem peccatorum, voluptatum, deliciarum, rerumque caducarum ac temporalium. Hinc Ieremias cap. 31. *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram. Fœmina circumdabit virum.* Quasi dicat: Consentaneum planè est, vt vniuersi mortales delicijs omnibus abdicatis, depositisque superiorum temporum sceleribus, nouam vitæ rationem suscipiant, castitatem colant,

Ex pharetra Christi procedunt aureæ, & plumbeæ sagittæ.

colant, laxamque ac dissolutam morum disciplinam, euangelicæ doctrinæ perfectione deuinciant; quo tempore Deus tantam est nouitatem effecturus, vt filium hominem factum, vteri angustijs, Virgo concludat. Stimulos ad omnem sanctitatem sectandam, & omnem malitiam abominandam esse Christi in carne aduentum vult D. Chrysostomus scribens in illud 2. Corinth. 16. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha: Cogita*, inquit, *vel hoc vnum, & habebis idoneum ad omnem virtutem ingressum, & demoliri peccatum omne facillimum erit. Quis vnquam*, ait D. Bonauentura serm. 1. de Conuersione S. Pauli, *cupidus esse audeat, dum Christum videt nasci in stabulo, poni in præsepio, iacere in fœno, omni carere temporali subsidio, & nudum suspendi in ligno?* Væ illis qui in delicijs & voluptatibus suis perseuerant, & illis omne tempus vitæ impendunt, eò quòd hoc adamandum Dominicæ incarnationis, non considerent, nec perpendant, quæ consideratio ad omnem virtutem amplectendam, & omnes voluptates abominandas, stimulos & calcar adderet fortissimum. *Væ*, clamat Isaias capit. 5. *qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis: cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Infelicissimi sunt*, ait Glossa Ordin. *qui ad senectutem gulâ, & ebrietate, & diuersis voluptatibus occupati, non intelligunt in se opera Domini.* Vis scire, ô homo, quid in opere hoc Incarnationis sit respiciendum, & in paruulo Iesu expendendum? Audi D. Bernardum: *Videte quia venit medicus ad ægrotum, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita.*

BONAV.

GLOSSA ORDIN.

18. *Media charitate constrauit.* Alia translatio hæc verba sic vertit: *Medium eius combustum charitate.* Alij legunt: *Et medium tenet ipse accensus.* Quod nomen Christo incarnato meliùs conuenit, quàm combusti, vel accensi? Quid Deus, nónne ignis consumens? *Audi Israel*, ait Moses Deuteron. 4. *Dominus Deus tuus, ignis consumens est*, vel vt legunt Hebræa; *Ignis comedens.* Sicut enim ignis materiam, in quam agit, in suam substantiam conuertit; ita Deus animas, quas amat, ad se trahit, & per amorem in seipsum conuertit, iuxta illud: *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans.* Si Deus ignis consumens, & *in Christo*, vt ait D. Paulus ad Coloss. capit 2. *inhabitet omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, id est, substantialiter, & realiter, non secundum energiam & operationem, non figuratiuè, quod nomen illi magis conuenit quàm accensi? Hinc frequenter Sancti Patres, vnionem verbi diuini cum humana carne, per carbonem ignitum, vel per ferrum candens explicant; nam sicut ferrum, & carbo realiter distinguuntur ab igne, & ignis natura minimè in ferrum, nec ferri substantia in ignem mutatur; & tamen ita inter se vniuntur, vt nulla pars ferri sit, quæ non sit ignita: ita humanitas & diuinitas in Christo, realiter, distinctæ, & impermixtæ manentes, intimè adeò inter se vnitæ sunt, vt nulla sit pars humanitatis, quæ diuitatis igne succensa non sit. Sic D. Basilius expendens illud Isaiæ 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim: & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari: & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Per carbonem intelligit Christi humanitatem: sicut enim carbo, materia est crassa, & terrestris, quæ flaua efficitur ex concepta flamma, cùm & calorem illum atrum in flauum mutauerit, & iam nihil aliud, quàm ignis videatur; non aliter Christi humanitas licet naturâ ab alijs hominibus non discernatur; tamen quia intrinsecus Deum habet corporaliter inhabitantem, iam tota Deus videtur, & nihil omnino pristinæ naturæ retinere; audi D. Basilium: *Accipit ergo Seraph ille forcipe carbonem de altari. Tecum reputa, quantæ fuerit amplitudinis altare illud, quod quidem vix adiri poterat, vt ne illud auderet Seraph manu attingere; sed forcipe ignem in manu accepit. Quis ignis hic, qui pennata expurgat? An fortè ille congener ei, de quo scriptum est: quia ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne? Quandoquidem carbo ignis etiam nunc est, sed ex materia priùs crassiori, & magis terrestri, & in ea permanens. Carbones enim nominantur tunc, vbi floridus ille flammæ aspectus pertransit, qui versatur circa concretionem crassioris materiæ, & ignitæ. Fortè figuratè innuit Christi aduentum in carnem: ait enim Ioannes: Verbum caro factum est. Et caro hæc excepta à natura per diuinitatis illustrationem, iuxta id quidem, quod erat corporeum, sensibilis erat; secundum verò vnionem eius cum Deo pellucida erat, & radijs diuinitatis effulgens: perinde illa caro tulit peccata mundi, & iniquitates nostras repurgauit.* Carnem quoque siue corpus Christi adumbratum in calculo illo existimat Anastasius Sinaita lib. 8. anagog. contemp. in Hexam. sic enim scribit: *Hunc carbonem Dei verbi priùs descripsit, ac figurauit ille quoque carbo, quem vidit Isaias in medio esse forcipe, & purgare eius peccata: forceps autem Christi per duas pinnulas eum tenens, est intemerata eius mater, & sanctissimum eius corpus.*

Christus incarnatus, combustus, accensus.

Christi humanitas carbo.

BASILIVS.

ANASTA. SIN.

19. Si

19. Si contingeret Deum, per absolutam potentiam, concludere crystallino ac maximè translucido vase, omnem ignis cœlestis sphæram, quis sermone explicare posset, quàm accensum esset vas illud interiùs, quasve exteriùs vibraret vndique flammas? Simile quid, imò in infinitum ampliùs cogita, in Christo accidisse, dum in ipso cœpit habitare omnis diuinitatis, & solis increati plenitudo. Si pulcherrima & purissima nubes, omnem inuolueret solis splendorem & ardorem, quos non illa emitteret lucidos & flammantes radios? Quid Christus nisi nubes illa magna, ignem inuoluens diuinitatis, de qua Ezech. cap. 1. An mirum ergo quòd nihil emittat, quàm scintillas æris candentis, ardentes carbones, atque accensas lampades?

Christus accensus non solùm ob ignem diuinitatis, sed etiam ob amorem quo fertur in homines.

20. Neque solùm dicendus Christus accensus, ob ignem quem continet diuinitatis, sed etiam ob amorem quo fertur in homines. Quò respiciens sponsa Cantic 5. ait: *Dilectus meus candidus & rubicundus*, id est, charitate & amore incensus. Legimus in illo solemni hymno: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum*. Cùm vellet Deus in terram descendere, & pro hominibus homo fieri, atque in Virgineo vtero carnem nostram assumere, virgo autem ipsa esset purissima, imò cœlum superans puritate, quid in illius reperiebatur vtero, quod Christo horrorem aliquem posset inijcere, quo deterritus, vterum virgineum potuisset subterfugere? Respondet Iacobus de Valentia: *Non horruit Virginis vterum, ratione hominis, vtero Virginis assumpti, inquantum ille homo erat mortalis, & passibilis. Nam licet passio, & mors est omnibus hominibus trepidanda, & horrenda, & fugienda, tamen filius Dei non horruit tale corpus assumere propter vtilitatem totius generis humani: & sic charitas coëgit eum, imò roborauit ne tale corpus passibile abhorreret.* Expende vltima verba, & vide quàm accensus charitate Christus in sua incarnatione. Legimus Isaiæ cap. 63. *In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & angelus faciei eius saluauit eos: in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos.* Pro quibus vertunt Septuag. *Saluauit eos, & ipse redemit & suscepit illos, & exaltauit, eò quòd deligeret illos.*

Christus ob charitatem repræsentatus in angelo illo Apoc. c. 1.

21. Quantus sit ardor charitatis Christi, erga hominem, pulcherrimâ illâ visione explicat D. Ioan. in Apoc. capit 1. Vidit enim Christum, vel potiùs Angelum Christi figuram gerentem, in medio septem candelabrorum aureorum, vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zonâ aureâ, oculi eius tamquam flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti; & habebat in dextera stellas septem, & facies eius sicut sol lucet in virtute sua. Vide quàm flammeus, quàm accensus, quàm rutilans vndique amoris radijs atque ignibus, Christus, carne hac humanâ indutus.

Christus sic accensus propter fideles animas.

22. Vis scire, in quem finem, sic incensus charitate Christus? Propter filias Hierusalem, id est, fideles animas, nimirum vt & ipsæ charitate erga Christum accensæ redderentur. Abacuc cap. 3. legimus: *Cornua in manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius.* Septuag. legunt: *Cornua in manibus eius, & posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.* In quæ verba sic D. Hieronymus: *Nimirum, idcirco Deus pater operuit cælos gloriâ, & terram repleuit laude, & cornua, id est, regnum posuit in manu filij sui, vt faceret dilectum suum ab hominibus diligi, & diligi non leuiter, sed vehementer.*

Æquissimũ vt hunc cælestem regem diligamus.

23. Et quid rationi magis consentaneum, quàm vt cœlestem hunc regem diligamus cùm tantopere ab illo diligamur. Quid magis subditorum amorem conciliat, quàm ipsius regis amor? *Habes amicos*, ait Plinius in panegyrico Traiano dicto. *Quia amicus ipse es. Neque enim vt alia subiectis, ita amor imperatur: neque est vllus affectus tam erectus, & liber, & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. Potest fortassis princeps iniquè, potest tamen odio esse nonnullis, etiamsi ipse non oderit; amari, nisi ipse amet, non potest. Diligis ergo quum diligaris, & in eo quod vtrique honestissimum est, tota gloria tua est, qui superior factus, descendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum, ex imperatore submitteris: immò tunc maximè imperator, cùm amicum ex imperatore agis. Etenim cum plurimis amicitijs fortuna Principum indigeat, præcipuum est principis opus, amicos parare. Placeat tibi semper hæc secta, & cùm alias virtutes tuas, tum hanc constantissimè teneas, nec vnquam persuadeatur humile esse principi, nisi odisse.* Hæc Plin. Si ergo Christus amicus noster est, cur nos non habebit amicos; si amauerit, quidni amoris vires meritò exigit? Si ex rege regum, & Domino dominantium amicum agit, quis tam amens vt eum redamare retractet?

Humano nomine indignus qui Christum non amat

24. O humano nomine, ô humano consortio indignum hominem, qui Christum, tanto amore accensum non diligit! 1. Corinth. 16. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha.* Id est, Dominus venit. *Quia*, ait Caietanus, *Dominus noster iam venit, propterea amandus est; & anathema est, qui eum non amauerit.* Videlicet qui tanto Dei amori non respondeat. Quo loco, anathema, non excommunicationem significat, vt passim à Doctoribus accipitur; neque enim existimandum est, eos omnes qui non sunt in charitate, dici excommunicatos à Diuo Paulo, sed illud tantùm significatur, Christia-

Christianos non respondentes, tanto Christi amori, indignos esse consortio bonorum Christianorum, Christum ob tantum amorem redamantium.

25. Quoniam verò hic amoris defectus, accidit ex considerationis defectu, hinc Christus conuersus ad filias Hierusalem, sic eas alloquitur · *Egredimini filiæ Sion, & videte regem vestrum Salomonem.* Duo postulat; primum vt egrediantur; secundum, vt videant: nisi enim egrediatur homo, non est mirandi illius spectaculi, quod in stabulo Bethlehemitico nobis spectandum & contemplandum proponitur, idoneus contemplator. Egredimini ergo filiæ Sion, & egredimini sapienter, nam vt ait Hugo Cardin. in prologo, qui Psalmorum explicationi præfixus est. *Est egressus malus, & est egressus bonus. Egressus malus tripartitus est, id est, de veris ad erronea, de permanentibus ad caduca, de honestis ad turpia. Primo egressu, egreditur quis à Deo; secundo, à proximo, tertio à seipso. A Deo, per superbiam. A proximo, per auaritiam. A seipso, per luxuriam. Primus est hæreticorum. Secundus cupidorum. Tertius voluptuosorum. De primo dicitur Cant. 1. Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum, id est, subditos tuos erroneos iuxta dogmata hæreticorum. Secundo egressu, egressus est Iudas, Ioan. 13. Qui cupiditate ductus, abijt, & vendidit Dominum suum. Tertio egressu, egressa est Dina*, Genes. 34. *Quæ inuenta, corrupta est à Sichem, filio Hemor. Hic egressus ducit in Babylonem, in regionem dissimilitudinis.* Vis scire quisnam sit egressus bonus, quo egrediendum? inter alios quos adfert citatus auctor; egressus bonus est, quo exitur de carne ad spiritum, de quo egressu sic pulcherrimè D. Bernardus serm. 2. in festo Epiph. Domini: *Vobis dicimus filiæ Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ filiæ non filij, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi, egredimini de sensu carnis, ad intellectum mentis, de seruitute carnalis concupiscentiæ, ad libertatem spiritualis intelligentiæ, egredimini de terra vestra, & de cognatione vestra, & de domo patris vestri, & videte*, &c.

Defectus amoris erga Christum oritur ex defectu considerationis, vt postulant angeli vt egrediamur.

Duplex egressus, bonus & malus.

Hvgo. Card.

Bernar.

26. *Transeamus*, aiunt pastores, *vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est.* Idem & nos dicamus: Transeamus vt Hebræi, non typici, sed veri, id est, transeuntes (hoc enim Hebræum nomen significat) transeamus à domo famis, id est, mundo, vsque Bethlehem, id est, domum panis ac satietatis. Non te satiabit mundus, fames te anget semper: Et videamus hoc verbum quod caro factum est, & habitauit in nobis, vt nos habitaremus in illo. Transeamus, & videamus, transeamus terrena omnia, aërem, ignem, astra cælos; transeamus angelos, Cherubinos ac Seraphinos, transeamus creaturas omnes; non enim creatura est hoc verbum, sed creaturarum conditor: transeamus sensum, transeamus etiam intellectu ipsum intellectum; transeamus vsque ad fidem, & fidei oculis videamus hoc verbum, quod Dominus ostendit nobis; fides hoc verbum videt, illius dignitatem fides agnoscit, etsi in præsepio paleisque infantem videt, Deum tamen esse omnipotentem nouit.

Transeundo à mundo ad Christum.

27. Videamus quomodo eum coronauit mater sua. Quænam est hæc corona? quodnam hoc diadema, quo à matre sua B. Virgine, Christus coronatus est in die desponsationis & lætitiæ cordis illius? Diadema hoc non est aliud, quàm caro Christi: nam à matre sua, id est, sacratissima Virgine ideo coronatus fuisse dicitur, quia ab ea carnem virginalem accepit, quasi materiam & segetem bonorum omnium, meritorum, & gaudiorum. Sic nomine diadematis humanitatem Christi accipit D. Gregorius in hunc locum, dum ait: *Mater Christi B. Maria esse creditur, quæ coronauit eum diademate, quia humanitatem nostram ex ea ipse assumpsit, sicut in Euangelio recitatur, & hoc in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius factum esse dicitur; quia quando vnigenitus filius Dei diuinitatem suam humanitati nostræ copulare voluit, quando per bonam voluntatem suam, tempore opportuno, Ecclesiam sponsam suam sibi assumere placuit: tunc cum charitatis exultatione carnem nostram ex matre Virgine suscipere voluit: in qua cum doloribus pro tempore viuens, de redemptione nostra vehementer exultauit.* Obijcit deinde S. Gregorius, simulque respondet: *Sed cùm diadema pro gloria assumatur; in humanitatis autem susceptione, non gloria verbi Dei, humilitas esse cognoscitur; quomodo humanitate nostra quasi diademate coronatus fuisse dicitur? Sed cùm ipsa eius incarnatio verè gloria nostra fuerit, quia membra eius sumus, propter communionem corporis, diadema membrorum, bene capitis, scriptura prædixit. Hic itaque quia à sponsa laudatur, & ipse vicissim sponsam laudare dignatur.*

Videndum qualiter Christus à matre coronatus.

Coronatus Christus à matre, dum ab illa carne indutus.

Gregor.

28. Deinde huic sententiæ patrocinatur D. Ambrosius lib. de instit. Virginis capit 16. vbi ita inquit: *Beatus est Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit. Coronauit eum, quando generauit. Quia etsi eum sine aliqua sui operatione formauerit: tamen hoc ipsum, quod eum ad omnium salutem concepit, & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis, imposuit. Bene*, ait Gilbertus serm. 20. *quasi diadema accipitur corpus immaculatum, corpus triumphi, corpus honoris, & gloriæ, corpus cuius cruore peccati deletur chirographum, iustitiæ & salutis signatur conscriptio: corona nobis est incarnatio.*

Ambro.

Videndum quid Pater dedit Christo, quid mater. HVGO VICTOR.

29. Sed nunquid & pater coronauit Christum? Quàm maximè: nam vt ait Guilelmus abbas: *Pater coronauit eum ante omnem diem, mater coronauit eum in die desponsationis suæ.* Et Hugo de S. Vict. lib. Sententiar. Sent. 69. tit. de duplici gloria regis Salomonis, ita scribit & commentatur super his verbis: *Egredimini & videte in eo, quod mater dedit. Ingredimini, & videte in eo quod pater dedit. Quod enim mater dedit, foris est: quod pater dedit, intus est. Mater dedit infirmitatem: pater dedit Maiestatem. Mater substantiam carnis, pater dedit consortium deitatis. Mater dedit, in quo vicit, pater dedit in quo regnauit. Mater dedit in quo victor coronatur: pater dedit in quo regnans adoratur*, &c. quæ prosequitur in eandē sententiam. Si igitur diadema, quo pater redimiuit, gloriosa diuinitas est, cùm hæc in infinitum & sublimior & antiquior sit coronâ humanitatis, quamobrem non ad contuendam diuinitatem vocantur filiæ Sion, sed ad contuendam humanitatem? Quia mirabilius est, & magis stupendum, Christum nasci secundum humanitatem ex Virgine, quàm secundum diuinitatem ex patre; quid enim mirum, si Deus pater qui generationem omnibus tribuit, in splendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum generet filium sibi planè consubstantialem: & cùm infinitus sit, infinitum partum gignat; & cùm sempiternum sit lumen, lumen generet sempiternum: verùm, quòd, qui Deus existit, nascatur ex Virgine, par cæteris hominibus, temporaneus, mortalis, cum forma serui, hoc planè inusitatum, rarum, peregrinum, & vt dicebat Vates, alienum opus. *O benignissime Domine Deus meus* (ait Idiota lib. 3. contempl. cap. 3.) *magnum quidem est, quod creasti; nam creando factus est homo ad imaginem & similitudinem tuam; sed redimendo, factus fuisti, Domine, totius bonitatis, & clementiæ, ad imaginem & similitudinem hominis, quia teipsum exinaniuisti formam serui accipiens; magnum autem est habere similitudinem tuam; sed maius est quod tu assumpseris imaginem, & similitudinem nostram; maius, inquam, ratione dignitatis, & etiam vtilitatis.*

IDIOTA.

Nihil magis stupendum quàm videre Christum coronatum coronâ humanitatis nostræ.

30. Quid magis stupendum tum angelis tum hominibus, quàm videre Christum coronatum coronâ humanitatis nostræ? quando, vt ait D. Augustinus serm. 7. de Natiuit. *Immensus capitur, diues pauper efficitur, incorporeus carne vestitur, videtur inuisibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incomprehensibilis, numeratur in seculo, qui est ante secula, & quem cœlum, & terra venerantur, in præsepio angusto collocatur.* Loquentem etiam accipe D. Gregorium Nazianzenũ orat. in Christi Natiuit. *Qui est, fit; qui creationis expers est, creatur; qui nullo loco contineri potest, interuentu animæ intellectualis, inter diuinitatem, carnisque crassitiem continetur; qui locupletes alios facit, eget: carnis enim meæ paupertatem subijt, vt ipse illius diuinitate ditescam, qui plenus est, vacuatur; exhauritur, vt plenitudinis ipsius ego particeps efficiar.*

31. Transeamus etiam & videamus, summisque laudibus celebremus Deum, ob bonitatem, sapientiam, potentiam, ac iustitiam, quas in Christo nato manifestauit, imitatores facti angelorum. Nam vt scribit Toletus ad illa verba Lucæ 2. *Facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus, canentium: Gloria in altissimis Deo: Angeli in cœlis habitantes Deum glorificant, & summis encomijs laudant bonitatem, sapientiam, potentiam, ac iustitiam, quas in Christo nato manifestauit.* TOLETVS.

32 Transeamus, & videamus. Psalm. 68. *Videant pauperes & lætentur.* Quid videant? Christum in stabulo natum, pannis inuolutum, in præsepio reclinatum, in fœno iacentem, & carentem omni temporali subsidio. Et lætentur, quòd in sua paupertate sint fratres & socij Christi. *Deus pauperrimus fuit*, ait D. Bonauentura serm. 1. de conuers. S. Pauli, *quia parum in ortu, minus in progressu, sed nihil omnino in obitu est inuentus habere, & propterea dicitur pauperibus in Psalmo; Videant pauperes & lætentur. Quid videant? Christum egentem, Christum mendicantem, Christum nihil penitus possidentem. Videant, inquit, & lætentur, cùm in paupertate sint fratres, & socij: non cuiuscunque vilissimi, sed filij altissimi Domini nostri Iesu Christi. Quis veretur vlterius esse pauper, si videat Dei filium mendicare? Ergo videant & lætentur.*

Videant pauperes Christum in stabulo natum, & lætentur. BONAV.

33. Videant humiles, & lætentur. Quid videant? Deum inclinatum, & vsque ad susceptionem carnis nostræ humiliatum; videant Christum, sese humiliantem, cùm esset in forma Dei, sese exinanientem vsque ad formam serui: videant Deum inter animalia commorantem, & lætentur quòd in humilitate sint fratres & socij Christi.

Videant humiles & lætentur.

34. Videant obedientes & lætentur. Quid videant? Christum patri obedientem nec abijcientem seruile corpus, vt illo indutus posset miserum liberare hominem. Ecce quàm promptus fuerit Christus ad obsequendum diuinæ voluntati: Psalm. 39. ait: *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato, non postulasti, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Videant & lætentur, quòd in obedientia sint fratres & socij Christi.

Videant obedientes & lætentur.

35. Videant sobrij & lætentur. Quid videant? Quàm omnia sobria in Christi natiuitate, quàm paruo pascatur lacte, &c. Videant & lætentur, quòd Christi sint fratres & socij in sobrietate.

Videant sobrij & lætentur.

36. Videant Virgines, & casti homines & lætentur. Quid videant? Christum è purissima Virgine natum, virginum sponsum sese exhibentem; & lætentur, quòd in virginitate sint socij, & fratres Christi, & sic de reliquis.

Videant casti & lætentur.

37. Videant

Videant peccatores contriti, & lætentur.

37. Videant etiam peccatores contriti, & lætentur. Quid videant? Qualiter æstimentur à Christo, dum vt reparentur, & primæ imagini restituantur, non dubitat Christus, seruili se comparare formæ. *Diuinam imaginem accepi*, ait Gregorius Nazian. orat. in Christi natiuit. *Nec sartam, tectamque habui, ille meam carnem accipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat, secundum consortium nobiscum init, & quidem priore longè admirabilius; non enim id quod præstantius erat nobis impertijt; at nunc eius, quod deterius est particeps ipse fit, hoc priori illo diuinius, hoc apud cordatos, & prudentes viros multò sublimius.* Et lætentur se taliter æstimatos à Christo, *Exultent*, ait Leo Papa in ser. huius festiuit. *in laudem Dei corda credentium, & mirabilia eius confiteantur filij hominum, cùm in hoc præcipuè Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eam æternus conditor æstimauerit, quod cùm origini humano multum dederit, quod nos ad imaginem suam fecerit, reparationi nostræ longè ampliùs tribuit, cum seruili formæ, ipse se Dominus comparauit.*

Gregor. Nazian.

Videant diuites & confundantur.

38. Isaiæ cap. 26. *Videant & confundantur.* Videant diuites, superbi, & pompatici: quid videant? Quod Dominus Iesus domum sibi constituens, hæc non sit alia, quàm stabulum, quòd picturæ & tapetia, quibus eam adornat, non sint alia, quàm palea & fœnum, aranearum telæ, &c. quod pro lecto, auro ostroque elaborato sit animalium præsepe. *Nulla domus ambitio*, ait D. Cyprianus serm. de Natiuit. *nisi reclinatorium in stabulo, mater in fœno, filius in præsepio.* Et erubescant, dum dormiunt in stratis eburneis, & parietes vestiunt aureis stromatibus, & vano sæculi typo turgescunt. *Quid enim*, ait D. Bernardus serm. 1. de Natiuit. *magis indignum, quid detestandum amplius, quid grauius puniendum, quàm vt videns Deum cæli paruulum factum, vltra apponat homo magnificare se super terram? intolerabilis impudentia est, vt vbi se exinaniuit maiestas, vermiculus infletur & intumescat.*

Cypria.

Videant deliciosi & confundantur.

39. Videant deliciosi homines, & voluptatum amatores, & confundantur. Quid videant? Puerum Iesum illachrymantem, in præsepio vagientem, frigore trementem, &c. Et confundantur, dum tanta ebrietate, tantis comessationibus, tantis tripudijs, tantis impudicitijs, tantis dissolutionibus peragunt etiam ipsa natalitia festa. Audiant Gregorium Nazianz. loco cit. docentem quali gaudio, quali tripudio hoc festum celebrandum: *Quocirca*, ait, *non ostentatoriè, sed diuinè, non mundi ritu, sed supra mundi ritum, non res nostras, sed Domini; non ea quæ infirmitatis sunt, sed quæ curationis; non ea quæ creationis, sed quæ recreationis, instaurationisque celebremus. Id autem hac demum ratione consequemur, si nec domus limina sertis coronemus, nec choreas agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum pascamus, nec aurem cantu demulceamus, nec olfactū effeminemus, nec lenocinijs gustum titillemus, nec tactui obsequamur, nec teneris, & circumfluentibus gestibus emolliamur, nec gemmarum splendoribus, nec auri fulgoribus, nec colorum artificijs natiuam pulchritudinem ementientibus, atque aduersus imaginem diuinam excogitatis, nec comessationibus, & ebrietatibus, nec thoros altos struamus, veneri delicias sternentes, nec vina generosa coquorum lenocinia, liquore perfusas magnificentias in pretio habeamus, nec terra, ac mare charum nobis, ac pretiosum stercus efferant, hoc est delicias, nec alius alium intemperantiâ superare contendamus. Verùm hæc prophanis, atque ethnico fastui, solemnitatibusque relinquamus, qui cum ijs deorum nomen tribuant, qui sacrificiorum nidore oblectantur, congruenter profectò eos belluando colunt mali vtique malorum dæmonum, & fictores, & sacerdotes, & cultores. At nos à quibus Verbum adoratur, verborum delicijs (si quid tamen delicijs dandum est) indulgeamus, atque ex lege diuina, & narrationibus cum alijs, tum ijs præsertim, quibus præsentis festi mysteria explicantur, voluptatem capiamus; ita enim commodè, minimeque ab eo à quo vocati sumus, alienæ deliciæ nostræ fuerint.* Hactenus ille. Videant vindicati, & confundantur, quid videant? Christū, pro homine, cùm adhuc esset inimicus natum, & confundantur, &c.

Gregor. Nazian.

40. Videant obdurati peccatores, & confundantur. Quid videant? Inclinantem sese Christum, vt nos subleuet, ipsum nostræ salutis causa deiectum atque terrenum factum, vt nos euectos, & erectos reddat. *Ipso*, ait Gregorius Naz. loco citato, *nostræ salutis causâ deiecto, ac terreno facto, nos propter ipsum euecti, ac cœlestes facti sumus. Hoc factum nostrum est*, ait Naz. vbi suprà, *hoc hodierno die celebramus, Dei nimirum ad homines accessum, vt ad Deum proficiscamur, abiectoque veteri homine nouum induamur.* Et confundantur ob summam socordiam & desidiam, dum Christo auxiliares manus præbenti, vel in minimo renuunt cooperari, dum malunt in fæcibus suis requiescere, & à terra deuorari, & veteris Adami perizomatibus inuolui, quàm cœlestes fieri nouumque hominem induere. Vtinam monenti Gregorio Nazianz. obaudiant, dum sic monet loco cit. *Christus gignitur, glorificate; Christus è cælis, obuiam prodite; Christus in terra subuehimini.*

Videant obdurati peccatores & confundantur, &c.

Gregor. Nazian.

41. Videant frigidi peccatores, & confundantur. Quid videant? Summam illam maiestatem Dei. Vultis scire quanta illius sit maiestas? Refert Wadingus tom. 2. Annal. ad annum Christi 1262. nu. 15. quòd, duo fratres Prædicatorij instituti venerunt ad inuisendum fratrem Ægidium, cumque inter se admodum diuina miscerent colloquia, & oblata occasione alter ex eis diceret, S. Ioannem Euangel. in sui Euangelij exordio sublimia, & quæ comprehendi non possint, dixisse de Deo; Ægidius ait: *Immo verò S. Ioannes nihil dixit de Deo.* Dicenti autem Dominicano: *Quid tu loqueris pater? cùm testetur D. Augustinus, si sublimius esset locutus*

Videant frigidi, & confundantur.

Wadingus.

cutus S.Ioannes, totum mundum eum capere non potuisse: ne sic ergo dixeris, nihil eum dixisse de Deo. Fr.Ægidius respondit: *Equidem permaneo in sententia, rursusq; aio, propè eum nihil dixisse de Deo.* Cùm autem id indignè ferret Dominicanus, mentem suam Fr.Ægidius tali declarauit similitudine. *Vides altissimum hunc montem? Is si totus ex milij semine constaret, & exigua auis quotidie inde comederet, quantam putas eius portionem, etiam centum annis, absumeret?* Respondit Dominicanus: *Etiamsi mille annis inde ederet, nihil tamen id esset, comparatione reliqui montis. Sic ergo,* inquit Fr.Ægidius, *etiam se habet immensa Deitas, tamquam ingens & infinitus est diuinæ perfectionis mons, vt S.Ioannes, instar paruæ auis, nihil dixerit de Deo, si respicias ad summam eius maiestatem.* Vidistis, ô peccatores, Dei maiestatem, videte illius inclinationem, amore hominis peractam. *Ama,* ait D. Augustinus lib. de Catech. *amorem illius, qui in amorem tuum descendit in vterum Virginis, & ibi amorem suum, amori tuo copulauit, humiliando se, sublimando te, coniungendo lumen suæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis.* Videant peccatores & confundantur, dum tanto nolunt respondere amori.

Descendit medicus vt homines sanaret quomodo ergo non amatur.

42. *Vtinam disrumperes cælos & descenderes,* clamat Isaias c.62. *à facie tua montes defluerent* (id est, ad intuitum huius tuæ humiliationis, superba etiam corda demitterent se vtique) *& aquæ arderent igni* (id est, frigidi in tui amorem vtique exardescerent.)

43. Descendit iam Deus, venitque tamquam medicus ad ægrotum. Audi D.Bernardum serm.1.de Aduentu: *Iacentes paralytici in grabato,* ait, *diuinam illam non poteramus attingere celsitudinem, propterea benignissimus Saluator, & medicus animarum descendit ab altitudine sua.* *Medicos illos* (ait Theodoret. serm.6. de Græc. affect. cura) *maximè laudare soletis, non quidem qui nos ministris suis curandos ægros committunt, sed qui pallium deponunt, linteolumque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, vlcusque, si sit opus, incidunt, nec fœtorem vlceris auersantur, imò autem profluentem saniem accipiunt, atque vnguentis compingunt.* Nónne idipsum præstitit humano generi Christus? *Venit,* ait D. Augustinus ser.11.de verbis Apost. *ipse grandis ad paruulum, Saluator ad saluandum, viuus ad mortuum. Et quid fecit? Iuuenilia membra contraxit, tamquam seipsum exinaniens, vt formam serui susciperet; paruum se paruo cooptauit, vt efficeret corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ.* Quid, ô sanctissime Doctor, illum mouit? Responsum accipe à S.Bernardo serm.21. super Cant. *Ego hanc arbitror præcipuam inuisibili Deo fuisse causam, quòd voluit in carne videri, & cum hominibus homo conuersari, vt carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò, ad suæ carnis salutarem amorem, affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem.* Videant peccatores, quid non attentauerit Christus, vt eos ad suum pelliceret amorem; & confundantur, ob summam suam ingratitudinem, frigiditatem, & cordis duritiem.

BERN.

THEODORET.

AVGVST.

Cur tanto amore non accendātur homines.

44. Vultis scire, ô frigidi homines, cur non accendamini tanto igne? humore peccatorum sunt corda vestra repleta, non potest hic diuinus ignis in illis accendi, pellite noxium humorem per desiccantem contritionis ignem, vt illo exsiccati, apti reddamini, ad concipiendum diuini amoris ignem.

Puellus quantam vim habeat calefaciendi.

45. Refert Galenus lib.7.methodi, quòd, si contingat quempiam ob abundantiam humoris frigidi & crassi, paralysi, aut simili morbo, impedita habere membra, remedium esse; si cum eo, qui patitur huius caloris defectum, cubet boni habitus puellus, nam licet vis & efficacia ignis maior sit, quàm puelli bonæ & sanæ complexionis, nihilominus non tam naturalis est, nec taliter symbolizat cum humano calore, ideóque non operatur illa, quæ operatur & assequitur calor pueri naturalis. O frigore nimio constricti peccatores! ô homines miseranda, eaq; spirituali percussi paralysi! vultis ab hisce frigidis liberari humoribus? Cubet vobiscum paruulus Iesus, ascendite seriæ meditationis & considerationis lectulum, internis eum amplectimini brachijs, pectori frigido puellum hunc admouete, cubet vobiscum paruulus Iesus, à frigido humore liberabimini si contingat vos cubare cum paruulo Iesu.

Qualiter Christus, in assumpta humanitate, se exhibeat instar ducis, amoris armaturâ obarmati, vt mortalium sibi deuinciat corda.

SECTIO XV.

1. IN præcedentibus audiuimus, qualiter diuini spiritus excitent filias Sion, ad videndū Regem Salomonem, in diademate humanæ carnis, quo coronauit eum mater sua: nunc libet iisdem vocibus excitare easdem filias Sion, ad videndum, qualiter eadem mater, illum obarmauerit armatura carnis humanæ. Egredimini ergo, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in armaturâ carnis nostræ, quâ eum obarmauit mater sua, in die exultationis & lætitiæ cordis illius: quemadmodum diadema illud, nihil nisi amorem spirat; ita & hæc armatura, vt sequentia fusè edocebunt.

Armaturâ amoris indutus Christus in vtero Virginis.

Christus in Virgineo vtero instar ducis pulcherrimis armis instructi.

2. Dum in Virgineo vtero Christus humanam naturam assumit, non solùm specimen cuiusdam amoris Dei, exhibet; verùm & cuiusdam ducis fortissimi, armis pulcherrimis instructi, vt hisce vendicet humanum genus à perditione, & liberet ab omnibus, sub quorum imperio tenebatur, hostibus & inimicis. Sic Christum considerabant Angeli è Virgine natum. Lucæ c. 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis.* Quid militiæ cælestis exercitus cum humili præsepio, cum humillimis pannis? Audi Bedam. *Bene chorus adueniens Angelorum militiæ cælestis vocabulum accipit, qui & duci illi in prælio, qui ad debellandas aëreas potestates apparuit humiliter obsecundat.* Sic Christum considerabat in vtero Virginis commorantem D. Zeno serm. 3. de Natiuit. dum ait: *Etenim Dei filius ab æterna sede profectus, in prædestinatæ Virginis templo, sibimet castrametatur.* Expende illud: *Sibimet castrametatur.* Quid hoc rei? Vt vim inferant hosti, castra Reges constituunt, castrametantur. Cur ergo diuinũ Verbũ sibimet castrametatur, in se desæuiens, se premens? In vtero Virginali, non hosti vim illaturus, sed sibimet, castrametatur diuinum Verbũ, seipsum oppugnans, & quasi perimens, vt sic amoris suauissimis armis meliùs expugnet hominum corda. Vis videre qualiter in vtero Virginis diuinum Verbum sibi castrametatus sit, & quasi à semetipso defecerit? Audi Guarricum Abbatem ser. 3. de Annunt. sic loquẽtem; *Omnium humanarum infirmitatum, vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humanitate ferè maximam existimo, quod in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempore maiestas illa circumscripta, passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitus à semetipso defecisse visus est? Tanto illo tempore, nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili maiestas, quæ clausa latet, proditur. Nam sic in cruce visus infirmus, vbi quod infirmum illius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificat latronem, & expirans, inspirat Centurionem. In vtero autem sic est, quasi non sit, sic omnipotentis virtus vacat, quasi nihil possit, & verbum æternum sub silentio se premit.*

Zeno.

Sibimet castrametatur filius Dei in vtero Virginis.

Gvarricvs.

3. In quibus Guarrici verbis, illud premendum: *Verbum æternum sub silentio premit.* Silenter Verbum diuinum in vterum Virginis descendit, & in vtero Virginis sub silentio se premit. Cur quæso vocalissimum verbum tam silenter descendit, & sub silentio se premit? Cùm primum audita fuit vox ea in paradiso, fugit homo, iam ne in primo diuini verbi aduentu, fugam captet, tacito gressu, & latenter, & quidem in forma serui appropinquauit, id quod egregiè meditatur Theodotus orat. de Christi Natiuitat. *Non terrens*, inquit, *tamquam Deus, neque tonitruis auditus percutiens, neque nube circumamictus, & ignem in nube demonstrans, neque tuba sono audientes terrens, sicut aliquando Iudæis apparuit, timorem incutiens indeuoto, nec concutiens famulum, sed gratiâ magis & bonitate euocans eum. Propterea non venit cum imperiali fastigio, nec obsequium deduxit Angelorum, non mouit Archangelorum exercitus, sed venit, omnium Dominus in serui forma, paupertate circumamictus, vt venationem non effugaret.* Vt venator prædam trahat ad laqueos, quàm sese deijcit, quàm nudatur, absconditur ramis: sic homines Deus vt traheret prædandos, fastum omnem exuit imperialem, sese humi prostrauit, paupertate amicitur, vt vel sic prædam faceret. Vt meritò hoc ipsum meditatus D. Chrysostomus homil. de Ioan. Baptist. apud Metaph. dicat: *Non habemus ampliùs suspectam exilij exprobrationem, non extimescimus ampliùs claustra portarum paradisi, non ampliùs à ficu accipimus folia, non ampliùs ad sonum gressus contremiscimus.*

Silenter Christus in vterum Virginis descendit, ne deterreat hominem.

Theodotvs.

Chrysos.

4. Silenter accedit, ne gressu prædam fugaret, blandè accedit, vt homines ad suam reuocaret obedientiam. Militibus in principem suum rebellantibus, & diffugientibus, vt Princeps fugitiuos reducat, sub nocturnò silentio eos accedit, petit admitti in socium, admissus, non arguit, non increpat, non obiurgat, non exprobrat, non comminatur, non furit; sed blandè cum illis agit, vt spreta rebellione, imperium subeant legitimi & naturalis Principis. Sic meditare, & diuinum agere verbum, accipe Theodotum Episc. Ancyrens. hom. de Natiuit. Christi. *Adiungit se fugitiuo, seruus enim ad ipsum venire non poterat, accedit ad seruum, non maiestate herili, non Angelorum satellitia præmittens, non igneos globos vibrans, non elementa concutiens, sed quo fugitiuum capiat, propriamque possessionem recuperet, blandè accedit.*

Silenter accedit vt alliciat.

Theodotvs.

5. Mirificè Christi commendat charitatem Theodotus dum ait *Adiungit se fugitiuo.* Miratus D. Petrus Chrysologus, quod Euangelistæ, diuini pueri fugam, scriptis celebrent: *Quid sibi vult*, ait, *Euangelista, quòd hæc scribit ad memoriam sempiternam? Deuoti militis est Regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, tacere timores, aperire fortia, infirma reticere, aduersa delere, prædicare victorias.* Verùm sapientior Euangelista, fugam æterni ducis decantat, & memorijs hominum commendat, vt homines inde rimari possent, æterni Regis erga se amorem, qui etiam fugitiuo se adiungit. Idipsum idem Theodotus eleganter expendit homil. contra Nestorium, sic dicens: *Nos à pio Domino aufugimus, ad vsum paradisi delicias acceperamus; sed legem violantes, & infesto hosti morem gerentes, ex honore excidimus, & in terrestrem hunc locum fugitiui illius serui vitio, depulsi sumus. Quid ergo? Nunquid mea tarditas pulcherrima huius possessionis, quæ homo est, iacturæ afficiet Deum? Absit: nefas enim erat, vt inuidia gratiam Domini superaret. Ecquid igitur Dominus facit? Adiungit se fugitiuo.* O amorem! ô misericordiam!

Adiungit se fugitiuo Christus.

Chrysol.

6. Loquens

6. Loquens Iosephus lib.8. antiq. c.3. de senioribus Israel, quādo Roboamo consilium dederant, sic ait: *Suaserunt vt comiter populum alloqueretur, & posito aliquantisper fastu regio, ad captandam multitudinis gratiam, se accommodaret; hac enim arte captos, facile illum amaturos: quod naturâ ipsâ comparatum est, vt subiecti delectentur regibus mansuetis, & de suo fastigio non nihil dimittentibus.* Quò non demisit se diuinum Verbum, ad captandam hominum gratiam? In primis, posito Regio fastu, & paupertate circumamictus, & omni satellitio nudatus apparet, vt pauperculi hominis gratiam venetur, illique fiduciam ingerat ad eum appropinquādi. *Vide*, ait Theodot. loco cit. *quomodo paupertas eum, qui pro nobis homo factus est, accessibilem vniuersis ostendit. Nullus enim metuens superbas Christi diuitias tardus fuit, nullum accedere ad eum imperij celsitudo prohibuit; sed communis apparuit & pauper, semetipsum offerens ad salutem. In præsepi namque Dei proponitur Verbum, vt licentiam habeat rationalis, & irrationalis participari cibo salutis.* Vide quàm ingens diuini Verbi in primo aduentu lucescat amor, elucescat pietas.

Quò se demisit diuinum Verbum, vt captaret hominum beneuolentiā.

7. Verùm hæc multò maiorem emittent splendorem, si perpēdere velis quod Deus, obdurato peccatore, & homine tacēte, primus venit ad hominem. Antipater expendens Christum adhuc in vtero Virginali latentē, sese Ioanni offerentem, vt illū sanitate donaret, miratus, ait: *Licebat videre lutū salutari à figulo, excipi Regē in tabernaculo militis, & venisse Dominū in serui domunculā.* Rebellat miles Deo, Deus venit ad tabernaculū militis. Quid corpora nostra, nisi tabernacula, siue tentoria. Sic loquitur D. Paulus 2. Cor. 5. *Si terrestris domus nostra huius habitationis*, id est, huius tabernaculi, aut tētorij, *dissoluatur*, &c. Alius dicit: *Scio, quia velox est dispositio tabernaculi mei.* Habitat ergo anima in corpore, velut in tentorio. *Tabernaculum autem habitaculum est militum*, ait D. August. enar. 3. in Psal. 30. *in expeditione positorum.* Et alio loco enarr. 2. in Ps. 26. *Tabernaculum, metantium, & aduersus hostem pugnantium est.* Vis iam videre qualiter summus Imperator Deus, priùs veniat ad tabernaculum militis, militi pacem offerens. Expende illud Ioan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, pro quo Græcè est: *Et tentoriū fixit in nobis.* Tētorium autem quod fixit, tabernaculū ad quod accessit, tabernaculum & corpus fuit militis, siue hominis rebellantis. O Dei amorem! ô magnam misericordiam! Venire Deum, tam mirando modo, ad tabernaculū militis, priùs offerre pacem rebellanti, obdurato, & tacenti militi, vt meritò dicat Tertullianus. *Quod Deus priùs pœnitentiam in se dedicauit ipse offensus, & omnipotens offensorem adit; & beneficijs allicit.* Id quod maximè perspicuum fuit Genes. 3. vbi Adamum sub peccato fugientem, his verbis suauissimis trahit. *Adam vbi es?* De quibus D. Chrysostomus: *Obstupescite ad eminentem Dei misericordiam, non solùm quòd vocauit, sed quòd per seipsum vocauit, id quod homines nunquam facere vellent inter se.* Explicatiùs adhuc ad rem nostram Lippomanus: *Docemur hic benignitatem Dei, qui pertinaciter adhuc fugientē recipit in gratiam; ex misericordia enim prior vocat ad pœnitentiam.*

Deus, primus venit ad hominem. ANTIPATER.

Ipse Deus venit ad tabernaculum militis.

Corpora nostra tabernacula. AVGVST.

TERTVLL.

CHRYSOS.

8. Quòd autem ad tabernaculum militis venit æternus cælorū Imperator, quòd, inquam, carnem induit, & habitauit in nobis; factum etiam, vt homines, tamquā strenuus miles, propugnaret. Eleganter D. Chrysost. in illud Ioan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: Quid*, ait, *inducit, & habitauit in nobis, tentoria fixit in nobis? Significat inhabitationem, & quasi in tabernaculo mansionem.* Non aliter in nobis sciuit Deus habitare, nisi vt in militari tabernaculo & tentorio; non tam vt habitet, quàm vt excubet pugnaturus, & debellaturus, quascumque potestates hostiles, quæ in nos insurgant.

Factus homo Deus vt homines strenuè propugnaret. CHRYSOS.

9. In quem sensum etiam interpretatur Incognitus illa verba Ps. 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* Per solem enim Virginem matrem, & per tabernaculū corpus Christi intelligens, sic scribit: *Nomine Solis intelligitur Virgo Maria, tabernaculū significat corpus Christi & humanitatem. Quoniam tabernaculum dicitur militantium; & Verbum in homine habitauit, vt hic militaret contra dæmones, vnde hîc ait Glossa. Per tabernaculum accipe corpus Christi, in quo Verbum venit aëreas expugnare potestates; & tunc est clarus sensus: In sole posuit tabernaculū suum; quia scilicet corpus suum in gloriosa Virgine collocauit, quando de ipsa Spiritus sancti virtute carnem assumpsit.* Sic ille.

In sole posuit Christus tabernaculum quando è Virgine corpus sūpsit humanum.

10. Fuit autem caro nostra à Christo, in Virgine assumpta, non solùm ipsi loco tabernaculi, vt in eo pro homine contra dæmones militaret, verum & loco pulcherrimæ armaturæ, qua mediante, instar ducis cuiusdam cataphracti, hostes omnes vinceret, & nos ex eorum tyrannide liberaret, vt pulchrè insinuat Macharius, dū apud Corderum in Catena in Luc. 2. sic loquitur: *Inimicus Adamo subacto, ipsius corpore armorum loco vtens, per illud omnes homines expugnabat, & superabat. Non absimili nunc modo Dominus armaturæ loco hominem indutus, peruersi illius spiritus muros deiecit. Idem bellator, armatura victor.* Sic Machar. Methodius quoq; Patharensis Episc. & Mart. in homil. de Simeone & Anna, quò die sibi in templo occurrerunt, affirmat Christum per Mariam, corpore tanquam armaturâ indutum, sic enim Virginem alloquitur: *Tu armasti potentem illum decorâ corporis armaturâ, per quam oculis nostris conspicuus redditur, vt quę eum libero deinceps accessu mihi intueri liceat, conceditur, quā etiam armaturâ omnia mali ignita tela extinguentur*, &c. Sic Methodius.

Fuit corpus nostrum non solùm Christo pro tabernaculo, sed etiam pro pulcherrima armatura. MACHARIVS.

METHOD.

11. Sed quid rei quòd diuinum Verbum tali voluerit armari armaturâ; tali vestiri panopliâ, carnis nimirum & sanguinis humani? *Tu armasti potentem illum decorâ corporis armaturâ* ait Methodius. Quid

Cur verbū diuinum voluerit vestiri tali armatura.

quæso decoris & pulchritudinis in carnea hac ac fragili armatura? Bellum aggressurus, vel cùm inimico in particulari certamine manum collaturus, carni teneræ, corporique imbelli, ferrea, fortiaque aptat desuper arma, quæ aduersariorum excipiant ictus, vt hac ratione interior, quę latet infirmitas, protectionem & securitatem accipiat ab externa duritie, externaq; vi & fortitudine. Cur ergo diuinum verbum, durissimum diuinitatis æs, durissimam illam & inuiolabilem diuinæ naturæ armaturam, ibi abscondit sub molli & tenera carne? An non id miratus Habacuc ait c.3. *Ibi abscondita est fortitudo eius.* Nihilominùs bene sapienterque summus cælorum Rex absconditа diuinitatis fortitudine eam vestiuit, & quodammodo armauit carne, atque mortali corpore, tamquam decora quadam panoplia & armatura. Modum enim hunc tamquam aptiorem inuenit diuina iustitia, diuinaque vt se proderet, inuenit sapientia. Carne nimirum voluit hostem superare, vt vt qui carnem superasset, carnemque vicisset, per carnem superaretur & vinceretur, vt ipsa caro quæ fuerat inimico causa victoriæ, esset eidem quoque causa ruinæ. Pulchrè D. Leo serm. 2. de Natiuit. dum ait: *Verax namque misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus, ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit: quâ ad destruendum opus diaboli, non virtute vteretur potentia, sed ratione iustitia: nam superbia hostis antiqui non immeritò sibi in omnes homines ius tyrannicum vendicabat, nec indebito dominatu premebat, quos à mandato Dei spontaneos, in obsequium sua voluntatis allexerat. Non itaque iustè amitteret originalem dedititij generis seruitutem, nisi de eo quod subegerat, vinceretur. Quod vt fieret sine virili semine, editus est Christus ex Virgine, quam non humanus coitus, sed Spiritus sanctus fœcundauit.* Hæc Leo.

Carne voluit hostem superare Christus, qui carnem superasset.

Leo.

12. Alteram rationem, & quæ mirum in modum commendat eius charitatem, adducit S. Augustinus serm. 1. de Natiuit. Christi: *Sed,* ait, *ad hoc descendit Christus in vterum Virginis, vt exinde acciperet membra, quæ traderet cruci, mortemque induceret antiquo draconi. Vide quibus armis tegitur aduersus draconem: vide quæ ornamenta elegit Pontifex, ea nempe, quibus plagas, clauos, verbera, & mortem accipere valeat, & qualiter dæmon Christum ausus fuisset aggredi, & aggrediendo qualiter fuisset deuictus, nisi diuinum Verbum illi obiecisset corporis fragilem panopliam.* Sic ille. Vide si libet S. Leonem loco cit. hæc pulchrè diffundentem.

Dæmoni obiecit fragilem corporis armaturam vt audeat eum aggredi.

Avgvst.

13. O decoram, quàm induit, cælestis Rex, & amator hominum, panopliam; *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem vestrum Salomonem in armatura & panoplia,* quâ illum obarmauit mater illius, vt hac meliùs corda hominum expugnet cælestis ille Imperator. Noua bella certè elegit Dominus: antiquitus supplicijs expugnabat genus humanum Deus; nunc millia millium hominum eadem nocte interficiens; nunc fame & peste vexans, atque integra regna deuastans: nunc grandinem, sulphur, & ignem de cælo deijciens, & pene innumeris alijs supplicijs orbem contristans. Si tamen Deum interrogemus, quem in his scopum conspexerit, quem finem sibi præfixerit respondet, hunc fuisse, vt hominibus ditioni, ac dominio suo planè subiectis, facilius eorum, quæ sibi gratissima erat, societate potiretur, quia deliciæ eius esse cum filijs hominum. At cùm homines blanditijs magis, quàm minis & terroribus alliciuntur, noua bella elegit Dominus, vt dixerunt Debbora & Baruc Iudic. 5. non iam ense trucidante, non grandine deuastante, non igne absumente, sed osculis, & amplexibus gratissimis, omnium ocilis factus infans, obstinatos animos decora & amorosa corporis sui expugnat panoplia. *Noli fugere,* ait D. Bernardus serm. 1. de Natali, *noli timere, non venit cum armis, non ad puniendum, sed ad saluandum requirit, infans est, sine voce, tacet.* Quia Deus non habet quid amplius dicat; antea enim aut pollicebatur, aut comminabatur, iam promissa expleuit, tacet; iam enim est natus iudex, tacet; sed ipso tacente, loquuntur omnia, & nihil nisi illius erga homines amorem & & beneuolentiam contestantur. Audi D. Bernardum serm. 5. de Natiuit. *Infans quidem est, Verbum, cuius ne ipsa quidem infantia tacet; clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lachrymæ, clamant panni.*

Noua bella elegit Dominus, vt meliùs expugnet hominum corda.

Bern.

Idem.

14. Quis mortalium pectus habere poterit, tam triplici munitum ære, vt non cedat huic armaturæ, huic panopliæ? Sanè Isaias præuidens Christum aliquando ex Virgine suscepturum humanam carnem, existimauit hac ratione taliter eum expugnaturum esse hominum corda, vt nemo futurus esset, qui hisce non cederet armis, qui non suauiter vulneraretur, nimirum, assumpta humanitate, & quam in illa exhibuit humilitate, benignitate, & charitate, dum in illa tot experitur tormenta, imò ipsam mortem pro hominum salute. Numquid, ait Isaias cap. 7. *parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Septuaginta transferunt: *Numquid parum vobis agonem exhibere hominibus, & quomodo Domino exhibetis agonem?* Quod Tertullianus lib. contra Iud. c. 9. ita legit: *Num pusillùm vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat agonem?* Eodem modo legunt Irenæus lib. 3. cont. hær. cap. 26. & D. Cyprian. lib. 2. cont. Iud. Itaque videntur isti patres aliqua exemplaria habuisse in quibus aliter legeretur, quàm modò habeatur. Etenim modò Septuaginta habent. *Quoniam Domino exhibetis agonem.* Citati verò Patres legunt: *Quoniam Dominus præstat agonem siue certamen.* Quæ sanè lectio mysterij est

Quis non cedat huic armaturæ.

Tertvll.

Certamen amoris indictum à Christo hominibus.

est plenissima, significat enim Deum per mysterium Incarnationis quod eo loco promittebat, certamen quoddam cum hominibus committendum præstitisse, non armorum tamen sed amoris certamen. Quid enim quæso aliud fuit Dei filium, non necessitate vlla sed amore dumtaxat incitatum in Virginis descendisse vterum per assumptionem humanitatis, deinde in tanta paupertate & humilitate natum in terris apparuisse &c. Denique ad humanum genus ex dæmonis seruitute in libertatem vindicandum sublatū in Crucem, mortem oppetijsse, quàm nouum certamen, ad omnium amorem sibi conciliandum suscepisse Itaq; iuxta prædictam lectionem ita locum Isaiæ interpretari licet: Parum, inquit, vobis est, certamen habere cum hominibus, etiamne cum Deo ipso belligerare contenditis? sit planè ita, iam hinc vobis spondeo, Deum, nouo quodam genere bellandi, in aciem prodituram, mirandumque certamen omnibus oblaturum. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, hoc est ipse Deus homo factus natus ex Virgine sese bellatorem exhibebit, amorisque certamen vniuersis mortalibus denunciabit, vt eos ad se amandum fortiter simulque suauiter alliciat?

Triumphat hac armaturâ de hostium suorum voluntatibus Christus.

15. Vis videre, quàm hoc bellandi genus, benè cesserit Christo? Quid illi corpusculo, quid illo infantulo imbecillius, qui in antro Bethlehemitico vagiebat, & tamen iam inde, ab eo humili incunabulo de suorum hostium voluntatibus triumphabat. *Antequam*, inquit Propheta Isaias c.8. *sciat puer vocare patrem suum & matrem suam auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Quod adimpletum putat D. August. serm. 3. de Epiphan. quo tempore, Magi apertis thesauris suis obtulerunt Regi sæculorum, aurum, thus, & myrrham, contemptisque gazis, se tanti ducis milites designarunt. *Debellaturus enim*, ait, *Dominus regnum diaboli hæc prima puer spolia, idololatriæ dominationi detraxit.* Hic tota fortitudo Damasci contrita est, dum aurum pro Christo didicerunt potentes sæculi aspernari. Vnde Francon. Abbas lib. 8. de gratia respiciens ad illa verba Isaiæ c.8. voca nomen eius accelera, festina prædari, sic pulcherrimè scribit. *Multum bellator iste accelerat, multum festinat: qui in cunis vagiens arma robustorum, imò robustorum fortissima corripit, bellum spiritualium nequitiarum indicit: ac dum magis in castra suis militare imperat electis tyrannum armis spoliat.* Abstulit autem fortissimus infans, fortitudinem Damasci, non temporalibus bellis & armis, quibus corpora captiuantur, sed spiritualibus quibus animi capiuntur est assecutus vt rectè conuincit Tertull. lib. cont. Iud. c.9. nimirum decora illa armatura, infantili pulchritudine, infantilibus lachrymis, denique naturæ lenitate & mansuetudine.

AVGVST.

16. Quinetiam hoc bellandi genere persuadet sibi Christus, se totum, in suum obsequium, attracturum mundum. Vnde in ipsius persona sic Regius Vates Psal. 57. *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt*, cuius loci explicationem, rei de qua agitur conuenientem, vide apud Incognitum & Carthagenam de Arcan. Christ. relig. lib. 10. hom. 15. dum tractat illa verba Psal. 44. *Specie tua & pulchritudine* &c.

Hac armaturâ in obsequium suum traxit Christus totum mūdum.

INCOGNIT. CARTHAGEN.

17. Si hæc ita se habeant, quid est quod hisce non superamur armis? O durissimum hominum genus! Si homo Deum oppugnet vel leuissimis rebus mox vulneratur; *Vulnerasti*, ait Cantic. 4. *cor meum, ô sponsa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Si sponsum vel vno oculo pij affectus conspicis, læditur. Si piam aliquam cogitatiunculam in illum dirigis, feritur & nos tot amoris petiti iaculis minimè vulneramur. Si oppugnet nos suis armis mundus, si oppugnet diuitijs, &c. heu quàm molles & cerei, quantos mox suscipimus labores, noli telis mundi, carnis, vel diaboli, ô Christiane, denudare pectus, iaculis, quibus confixi, turpissimi redduntur; sed vt quodam loco ait Origen. *Denuda membra tua iaculo formoso, vbi ipse Deus est sagittarius.* Cùm tribus hisce regibus herbam da victori Christo, procide cum illis in terram & adora puerulum Iesum in signum interioris affectus. Deinde offer illi aurum, thus, myrrham, &c.

Sicut granum synapis, calidæ & igneæ est naturæ; ita & Christus, in sanctissimi Sacramenti institutione.

SECTIO XVI.

Christus igneus toto vitæ decursu.

BERN.

1. CHristum igneum fuisse, in totius vitæ decursu, id est, actuosum, operosum, & omnia superantem, sic docet D. Bernardus in illud: *Sapientia vincit* &c. *Carbo mortuus, in præsepe iacens, igneus dæmonia expellens: mortuus, in Ægyptum fugiens, igneus vendentes & ementes columbas de templo eijciens: mortuus, dormiens in naui; igneus imperans ventis & mari: mortuus subditus parentibus, igneus quatuor satians hominum millia de septem panibus: mortuus ad puteum Iacob rogans potum, igneus circa Iericho illuminans cæcum & sanans leprosum:*

sum: *Carbo erat mortuus dum à diabolo tentaretur, igneus dum ei ab Angelis ministraretur: mortuus in proditione discipuli, igneus in filio Reguli: sopitus ante Præsulem, igneus circa Tyberiadem: sopitus dum ei Herodes illuderet, igneus dum mortuorum suscitator magnificus fieret: sopitus dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur, igneus dum ab eo decem leprosi mundarentur, sopitus dum à Iudæis se absconderet, sopitus dum cum publicanis & peccatoribus ederet, igneus dum ambularet super vndas, igneus dum ex aqua facto vino, lætificaret conuiuas: sopitus iacens in cunabulis, igneus fulgens miraculis; sopitus ante tribunal Præsidis, igneus in filia Chananitidis: sopitus in Cruce, igneus in monte.* Hactenus ille. Quibus addo, Christum fuisse carbonem mortuum & sopitum dum ante institutionem sanctissimi Sacramenti, vestimenta sua deponit, linteo se præcingit, aquam in peluim infundit, lauatque non solùm discipulorum, sed & ipsius Iudæ proditoris pedes. Igneus verò maximè extitit in ipsa Sacramenti institutione, non solùm dum ibidem summam exerit potentiam, sed etiam dum maximum mortalibus testatur amorem.

Igneus Christus in Sacramenti institutione.

2. Vnde passim à sanctis Patribus Christus in Sacramento Eucharistiæ ignis nomine, cognominari solet. Primò, in igne illo perpetuo, qui in altari semper debebat ardere, Eucharistiam adumbratam & designatam existimat Capponus apud Lorin. in Leuit. cap. 6. vers. 12. in fine.

In igne illo perpetuo adumbrata Eucharistia.

3. Secundò, adumbratus Christus in Eucharistiâ, in Agno illo Paschali, cuius carnes assæ igni edebantur in nocte iuxta illud Exod. cap. 12. *Et edent carnes nocte illa assas igni.* Sicut enim Christus per Spiritum sanctum qui est ignis amoris nobis datus in Incarnatione, sic etiam in Eucharistiâ, quæ extensio quædam est Incarnationis, accidit, nam hæc virtute Spiritus sancti conficitur, quia multò amore flagrans Deus hoc Sacramentum condidit. Vnde torrentur igni carnes. Audi Rupertum lib. 2. in Exod. cap. 10. *Ampliùs autem, quia de Spiritu sancto qui æternus est ignis, Virgo illum concepit, & ipse per eundem Spiritum sanctum vt Apostolus ait: Obtulit semetipsum hostiam viuam Deo viuenti. Eodem igne assatur in altari, operatione namque Spiritus sancti, panis corpus, vinum fit sanguis Christi.*

Adumbratus Christus in Eucharistiâ, in agno illo Paschali, cuius carnes assæ igni comedebantur.

Rupert.

4. Quòd agnus assus igni, comedebatur, designari existimat Eligius homil. 15. quòd sicut ignis mollia indurat, sic Eucharistiam virtutibus nostris, quæ plerumque molles sunt, more ignis conferre eximium robur: in quem finem adducit illud Psalm. 21. *Aruit tamquam testa virtus mea.* Do illius verba. *Eius carnes assas comedimus, si nihil in nobis fluidum, relinquamus, sed totum virtutibus solidatum, & igne sancti Spiritus decoctum approbamus, velut Psalmista: Exaruit, inquit, velut testa, virtus mea. Quid namque est testa ante ignem, nisi molle lutum?*

Eligius.

5. Quòd carnes assæ, nocte comedebantur, sic ad moralem sensum traducit Rupertus, loco citat. nimirum non licere nobis aliorum conscientias discutere, an dignè, an verò indignè ad hoc Sacramentum veniant, an rariùs, an frequentiùs accedere oporteat, sed vnusquisque sibi prospiciat, aliorum verò curam relinquat, & missam faciat. Vnde pulchrè Paulus 1. Corinth. cap. 11. *Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat.* Seipsum probet non alios, de se sit sollicitus, aliorum curam negligat. Audi Rupertum: *In nocte quippe agnum comedimus: quia in Sacramento modò Dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad lucem conscientias nostras non videmus.* Hæc ille. Vel certè hunc sensum habent eiusmodi verba Ruperti. Viatores & beati eodem quidem pane vescuntur, cæterùm beati in luce hunc panem captant, nos verò sub tenebris, quia accidentibus velatum accipimus, quòd illi perspicuè vident.

Rupert.

6. Tertiò, obumbratus Christus in Eucharistia, rubo illo ardenti, de quo Exod. cap. 3. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet & non combureretur.* Hic ignis imminebat plantæ nec tamen exurebat, flammas emittit, & longè lateque rutilat & coruscat, tamen sine adustione, ita Eucharistia vt docet Basilius Cæsariensis in cap. 6. Isaiæ. Deum sanè continet tanquam ignem, sed qui non vrat, neque consumat, sed qui illuminet, longè lateque rutilet, quia Eucharistia secum bona trahit, non autem mala, nisi ex praua recipientis dispositione. Vnde qualiter ad illam sit accedendum subindicat, dum ait: *Ne appropies huc solue calceamentum de pedibus.* Vt enim dignè ad hunc accedas ignem, soluenda & deponenda calceamenta; & quidem varia.

Christus in Eucharistiâ adumbratus in rubo illo ardenti.

Basilius Cæsar.

7. Inprimis calceamenta carnalium concupiscentiarum, iuxta illud Cardinalis Vitalis in Speculo Morali sacræ Scripturæ, titulo de Confessione. *Calceamentum soluit qui carnalibus concupiscentijs abrenuntians, à se peccata per confessionem expellit, vel certè calceamentum soluitur, quando confitens à peccatis absoluitur.*

Hunc ignẽ vt dignè accedamus, calceamenta carnalium concupiscẽtiarum deponenda.

Vitalis.

8. Secundò, calceamenta rerum temporalium, quibus nequaquam affectu adhærendum, de quo sic Antoninus 1. p. summ. cap. 6. de exercitio intellectus possibilis titul. 3. §. 14. *Instruxit ad temporalium abrenun-*

Item calceamenta rerum temporalium.

Antoninus.

abrenuntiationem cùm dixit: Solue calceamentum de pedibus tuis. Calceamenta quæ fiunt de animalibus mortuis & terræ inhærent, signant ista temporalia, quæ in terra sunt, & de inanimatis scilicet elementis oriuntur, à quibus pedes affectuum extrahi debent. Sicut enim puluis impedit visum, si oculum intret, ita & temporalia mentis intuitum erga diuina, & ita deprimunt affectum, vt ad superna euolare non possit, sicut viscus implicat pennas auium vt in altum volare non possint. Sic Antoninus.

AMBROS. Cui præcinentem accipe D. Ambrosium lib. de fin. sæc. cap. 5. *Transi sicut Moyses, videas Deum Abraham, Isaac, & Iacob, & videas visum magnum; sed si videre vis, solue calceamentum pedum tuorum, solue omne vinculum iniquitatis, solue vincula sæculi, relinque calceamentum, quod terrenum est. Ideò Iesus sine calceamento, auro & argento, Apostolos destinauit, ne secum terrena portarent.*

Item calceamenta naturalis cognitionis. VITALIS. 9. Tertiò, deponenda calceamenta naturalis cognitionis, de quo sic Card. Vitalis loco citat. tit. de fide. *Nota quòd volenti videre veritatem occulti Sacramenti, dicitur: Solue calceamenta de pedibus tuis, quia omnis naturalis argumentatio, quibus calceatur ratio, in his quæ sunt fidei, tollenda, quia debemus firmiter credere, & simpliciter confiteri, quia fides humana non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Sic ille. *Sacramentum Dei altissimi*, ait S. Bernardus epist. 77. *suscipiendum non excutiendum, venerandum, non diiudicandum, fide sortitum, non inani traditione sancitum, non adinuentum ratione.*

Cùm humilitate accedendum. RVPERT. 10. Hanc calceorum depositionem refert Rupertus ad humilitatem cum qua ad hoc accedendum Sacramentum. *Ille quidem*, ait, *corporaliter, nudis pedibus incedere iussus est, quod est solemne humilitatis instrumentum, nobis autem spiritualiter, ita vt prædiximus, agendum est.*

Eucharistia adumbrata in panibus propositionis, qui calidi semper ponebãtur. EPIPHANIVS. 11. Quartò, in panibus propositionis, qui calidi semper ponebantur, in mensa illa aurea, adumbratus in Eucharistia Christus. Vis scire in quo clibano hic decoctus panis? Epiphanius de laudibus Virginis, eam Clibanum appellat, sic fatus: *Clibanus spiritualis, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in esum attulit, de quo Saluator mundi Christus ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.* Panis ille qui in mensa propositionis offerebatur, licet foret initio calidus, paulatim tamen reddebatur tepidus, & tandem fiebat frigidus, non sic panis Eucharisticus quem decoxit clibanus ille mysticus. De hoc

AMBROS. enim pane sic D. Ambrosius: *Panis est caloris continui status integri, qui sapore dulcissimo, & candore purissimo semper perseuerat.*

Christus in Eucharistia adumbratus in calculo illo igneo. 12. Quintò, Christus in Eucharistiâ, præfiguratus in calculo illo igneo, de quo Isaiæ cap. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Vnde in Iacobi Liturgia Sacerdos populum sic alloquitur: *Dominus nos benedicat & dignos nos faciat, qui puris forcipibus accipiamus igneum carbonem & imponamus in ora fidelium, in renouationem animarum ipsorum & corporum. Amen.*

13. Chrysostomus quoque scribens in citata Isaiæ verba sic ait: *Ne putetis quod accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsius Seraphini forcipe ignem.* CHRYSOS.

14. S. Ephrem similiter respiciens ad prædictum calculum igneum, sic scribit lib. de natura Dei non scrutanda: *Esto fidelis atque innocens, participa corde immaculato corpori Domini tui, fide plenissima sciens, quòd agnum ipsum integrum comedis. Ignis immortalis sunt mysteria Christi, noli ea temerè perscrutari, ne in ipsorum participatione comburaris.* Et infrà: *Hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem & omnem sermonem quod fecit nobis vnigenitus filius Christus Saluator noster, ignem & spiritum manducandum & bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus scilicet & sanguinem suum.* EPHREM.

15. Quidni calculum igneum dixerim Christum in Sacramento Eucharistiæ, cùm ipsemet Christus Psalm. 68. patri loquens, Eucharistiam dicat esse opus diuinæ suæ zelotypiæ, ait enim: *Zelus domus tuæ comedit me.* Quasi dicat, ait S. Bernardinus tom. 2. serm. 54. cap. 1. artic. 1. *Immensus animarum zelus, & zelans amor me comestibilem fecit.* Vult dicere: Pater æterne, cùm per gloriosam assumptionem meam, ad dexteram tuam, debuerim, relicto mundo, carere hominum, à me summoperè amatorum, consortio, viam inuenit amor quâ me & præsentem Angelis exhiberem in cælo, & etiam hominibus in solo, zelus domus meæ comedit me. O zelum mirum in modum accensum & inflammatum, calculo igneo meritò comparandum. Vnde Nazianzenus Eucharistiam nominat, *magnum amoris inuentum.* Sacramentum enim hoc instituit, vt iturus ad Patrem, nobiscum nihilominùs remaneret, adeoque dici possit absens præsentia, & præsens absentia. Eucharistia opus diuinæ Christi zelotypiæ. BERNARDINVS.

16. Dum carbo iste os hominis tangit, iniquitatem abigit, quia dum hoc Sacramentum, ore percipimus, totus noster animus mutatur, & purus redditur. Illud etiam obseruandum, nimirum, hunc carbonem non manu contigisse angelum, sed forcipe: quia corpus Christi multa animi & corporis puritate & religione tractandum est. Dum carbo iste os tangit, iniquitatem abigit.

17. Vide etiam qualis fuerit ille Angelus, qui forcipe tulerit, de altari calculum illum, fuit sanè de ordine illorum qui Seraphini dicuntur, vt sciat Sacerdotem Eucharistiam administrantem multò esse debere amore accensum.

18. Deinde, quotquot Isaiæ cap. 6. assistunt

sistunt Domino, sedenti super solium excelsum & eleuatum, quem locum Chrysostomus homil. de Christi mirac. exponit de Eucharistia, sunt Seraphini. *Seraphin stabant super* (id est, iuxta) *illud.* Quid hoc sibi vult, quàm amore accensos nos debere accedere, ad hoc Sacramentum, frigida enim accessio valde periculosa.

CHRYSOS.

19. Legimus Tobiæ cap. 6. *Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: Obsecro te, Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt ista quæ de pisce seruari iussisti: & respondens Angelus dixit: Cordis eius particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.* Quem locum ad tropologiam adducens D. Thomas opusc. 58. cap. 20. docet ex eodem per Eucharistiam pelli dæmonis tentationem, si modò animi calore accensus ad eam accedis. Do illius verba: *Si cordis particulam super carbones posueris, fumus eius extricat omne genus dæmonum. Flumen, in quo pisces sunt, significat mundum: omnes pisces eius diuersa genera hominum: piscis ille magnus gentem Iudæorum: cor piscis, quasi membrum nobilissimum ex quo tota vita procedit, beatam Virginem: particula cordis significat corpus de Virgine sumptum. Hoc debet super carbones poni, id est, fidelibus accensis igne amoris donari, tunc fumus eius, id est, fumus spiritualis fugat tentationes dæmonum.*

Eucharistia cum ardore sumpta, pellit omnem dæmonis tentationem.

D. THOMAS.

20. Si cum ardore accedendum ad Eucharistiam, cum ardore etiam à mensa Eucharistica recedendum, nimirum tanquam leones ignem spirantes vt monet D. Chrysostomus homil. 61. ad pop. Quid enim tam rationi consentaneum, quàm vt tantus amoris ignis animum nostrum inflammet? Audi Damascenum lib. 4. de fide orth. cap. 14. *Apponentes oculos, & labia, & frontem, diuinum carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderij assumens ex eo carbone ignitionem comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis, igniamur, & deificemur.* Ab eo autem non inflammari, læthale signum est, ait Bonauentura. *Si post communionem non sentis aliquam dulcedinem signum est, aut spiritualis mortis, aut infirmitatis: mel in ore, & non sentis dulcedinem? ignis in sinu & non sentis calorem?*

Cùm ardore accedendum ad Eucharistiam & recedendum.

CHRYSOS.

Quòd Christus sanctissimum instituens Sacramentum, ob igneum planè amorem meritò comparetur botro camphoræ.

SECTIO XVII.

1. Talis Christi amor, tempore institutionis sanctissimæ Eucharistiæ, vt nullis peccatorum nostrorum aquis obrui potuerit, atque ideò meritò comparari possit illius amor, igni vehementissimo, & mirando montis Gibel, qui teste Plinio lib. 2. cap. 106. aquæ infusione, non extinguitur, sed vehementiùs, accenditur.

Botro camphoræ Christus comparatur in Eucharistiâ.

PLINIVS.

2. Quò etiam respiciens sponsa, sic loquitur Cantic. cap. 2. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, pro quo vertunt alij: *Racemus Camphoræ dilectus meus mihi.* Racemi enim Camphoræ si accipias granum & accensum in mediâ colloces aquâ, non extinguitur; sed nitentem & claram emittit flammam. Vis videre quanta cum ratione, dum sponsa considerat Christum, relinquentem mortalibus Sacramentum corporis & sanguinis sui, eum comparat botro cypri, id est, botro balsami, vel botro copher? Expende sequentia.

3. *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi.* De botris Engaddi loquitur Sponsa. Vnde ex botris quibus locus ille, aut ager abundat similitudinis Christi cum botro Cypri, intelligentia inuestiganda est. Cùm autem locus ille abundaret & floreret balsamis, qui nullibi alibi nascebantur, arbuscula autem hæc ramusculos emittat floribus plenos, quos modum formamque botri tenere, possumus existimare, per botrum Cypri commodissimè, intelligimus botrum balsami. Itaque dum sponsa, sponsum botro Cypri comparat persuasum nobis esse debet quòd eum compararit balsami botro. *Botrus balsami dilectus meus mihi.*

4. Sed quænam, inquies, similitudo inter Christum, Sacramentum Eucharistiæ instituentem, & balsami botrum? multum per omnem modum. Nam quamuis omnis liquor qui ex huiusmodi arbusculis distillat, balsamum sit pretiosum, illud tamen pretiosissimum est, vt vnguentum optimum, quod flos, acuto lapide, incisus distillat. Acuto enim gladiolo ex lapide, vitro, vel

Christus botrus Cypri, quia concisus à Iudæis, emisit misericordiæ suauissimum vnguentum.

ossibus

ossibus flos incidendus. Nam teste Plin. lib. 12. c. 25. ferrum arborem perdit & exsiccat. Ecce naturam & conditionem botri balsami, qui pretiosius vnguentum tunc emittit, quando gladio inciditur, & feritur: vnguentum, inquam, sanandis omnibus vulneribus aptissimum, summa suauitate fragrantissimum.

5. An non tibi videtur synagogam dicere posse: Botrus balsami dilectus meus mihi? Cùm enim ipsa variis peccatorum generibus, quasi acutissimis gladiis, contra Deum egisset, ille non indignationem perimentem, aut absumentem, aut flammam ignis eructauit, sed pretiosum balsamum, misericordiam scilicet, sanantem eius peccata, mundantem eius malitiam. An non tibi videtur, quòd anima recenter conuersa, dicere possit Christo, botrus balsami dilectus meus mihi? Quid enim egit, circa sponsum suum, illum Nazarenum, floridum illum botrum, aut ramusculum balsami floribus suauissimis redundantem? Illum totum incidit, caput spinis, manus & pedes clauis, corpus flagellis, latus lancea. Quid ille emisit? balsamum pretiosissimum sanguinis sui, quo sponsam sanaret & mundaret, omnique macula nitidam exhiberet. Quid percussus & incisus emisit botrus iste, in cruce leuatur? Orationis balsamum suauissimi odoris, quo iram diuinam continuit dicens: *Pater ignosce illis*, nónne Paulus dicere potuit, Botrus balsami dilectus meus mihi? Cùm enim nihil efficacius contenderet lapideo corde, & viribus rabidis, quàm Christum incidere, imò planè exscindere. Non Christus ex se ignem sicut super Sodomam, non vrsos sicut in pueros, Elizeum irridentes, non leones, sicut in Samaritanos, ex se emisit, sed vnguentum pretiosum misericordiæ suæ, nónne prodigus ille dicere potuit botrus cypri dilectus meus mihi? Postquam Patris honorem quasi exscidit, inuenit illum suauissimum balsamum spirantem. Atque hoc quotidie peccatoribus accidit, qui Deum quantum ex se est exscindentes & sanguinem suum pollutum ducentes, ac eum sibi rursum crucifigentes, inueniunt tamen Deum, instar odoratissimi balsami, tunc fundentem, & emittentem, suauissimum misericordiæ vnguentum.

Balsamum corporibus mortuis tribuit incorruptionem, ita Eucharistia incorruptionem tribuit tam animæ quã corpori.

6. Sed Christum esse botrum balsami nusquam meliùs elucescit quàm in institutione venerabilis sacramenti. Quid precor commune Eucharistiæ cum botro balsami? multum per omnem modum. Imprimis balsamum, si frequentiorem illius attendamus vsum, corporibus mortuis tribuit incorruptionem, atque hinc principum corpora, balsamo condiuntur vt diu maneant incorrupta: Sic etiam Eucharistia incorruptionem tribuit & immortalitatem, non animæ tantùm, sed & corpori, quod ex natura sua corruptibile est. Hunc enim, velut præstantissimum Sacramenti huius effectum, Dominus assignauit apud Ioan. cùm diceret: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et proprerea concilium Nicænum appellauit hoc sacramentum, symbolum resurrectionis. Et S. Ignatius epist. 124. Pharmacum illud vocauit immortalitatis.

Nullum vnguentum balsamo præstantius sic Eucharistia &c.

7. Secundò, notum est, inter vnguenta illa quæ vulnerum curationi adhiberi solent, nullum esse balsamo præstantius, quod ex ipso exprimitur botro, sic etiam sacramentum istud, est peccatorum medicamentum: nam & peccata venialia remittit & à mortalibus præseruat, conferens, ex opere operato, actuale Dei auxilium, & fauorem, ad illa vitanda, & ad superandas tentationes; quamquam & per accidens, hoc sacramento, curantur peccata mortalia iam commissa, quæ inter vulnera alia primum locum tenent, & ab homine, per obliuionem, vel ignorantiam rationalem, non sunt confessa, præsupponit enim hoc sacramentum hominem esse in gratia constitutum, & à peccatorum mortalium vulneribus liberatum, & per se primò ac directè ordinatur, ad perficiendam vnionem cum Christo, atque cum eius corpore, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 10. *Vnum corpus multi sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus*, quem effectum (vt bene animaduertit D. Aug. tract. 26. in Ioan. ac Cyprianus serm. de cena Dom. & alij) significant ipsæmet species sacramentales, quæ constant, ex pluribus rebus, in vnum coalescentibus.

Inter odores balsamum primatum tenet, sic etiam suauissimus odor Eucharistiæ &c.

8. Tertiò, inter odores, balsamum primatum tenet, sic etiam suauissimus odor Eucharistiæ, omnem sacrificiorum odorem, in infinitum superat, ad cælum vsque ascendit, & Deum nobis placat, imò propter infinitam eius fragrantiam, reliqui orationum, & sacrificiorum odores Deo sunt grati. Quare meritò Christus Dominus in hoc sacrificio & sacramento, sicut & in sacrificio cruento crucis, repræsentatur per angelum illum de quo Ioannes ait Apoc. c. 8. *Alius angelus venit & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium, super altare aureum, quod est ante thronum Dei.* Christus igitur habens thuribulum aureum, id est (vt explicant Origenes homil. 9. sup. Num. ac Diuus Augustinus sermone 98. de tempore) corpus plagis tanquam quibusdam fenestris perforatum, accedit ad altare aureum diuinitatis, & Deo offert, tanquam summus sacerdos, omnes orationes sanctorum, quæ illi datæ sunt, quarum odores instar thuris, coniuncti cum fragrantia odorum Christi, qui in eius thuribulo incenduntur, valde grati sunt ante conspectum Dei, & AVGVST.

quod petunt, in nomine Christi, propter ipsum impetrant. Hoc igitur agnoscens sponsa meritò ait: *Botrus balsami dilectus meus mihi.* Quia non solùm mihi salutem & incorruptionem præstat sed etiam ita flagrantem reddit, vt per ipsum Patri æterno placeam, & ideo inter vbera mea commorabitur, & à me illum numquam separabo. Ecce qualiter Christus sub sacramento Eucharistiæ, se nobis relinquens, botrus sit balsami, & eo quidem vel maximè, quia balsamum hoc corporis & sanguinis sui nobis dedit: *In qua nocte tradebatur*, nimirum, quando mortale hominum genus, peccatis suis, summaque sua ingratitudine, tanquam tot petrinis cultris, maximè cor Christi amorosum vulnerabant.

Ambros. 9. D. Ambrosius respiciens ad supradictam arboris, vel botri balsami naturam, vt compuncta, suauiorem & meliorem emittant liquorem, Christum in cruce confixum, & sanguinem dantem, comparat botro copher, id est, balsami quod nascitur in vineis Engaddi, sic enim scribit ser. 3. in Ps. 18. *Quemadmodum in illis vineis lignũ est, quod si quis pungit, vnguentum emittit, quod fructus est ligni, quòd si non incidatur lignum non ita flagrat & redolet, cùm autem compunctum fuerit, per manus artificis, tunc lachryma distillat: Sic & Christus in illo tentationis ligno crucifixus, illachrymabat populum, vt peccata nostra dilueret, & de visceribus misericordiæ suæ mittebat vnguentum, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Tunc ergo in ligno cõpunctus est lãceâ. & exiuit de eo sanguis & aqua, omni vnguento suauior, accepta Deo hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effundens, & quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat à corpore. Compunctus igitur Iesus odorem remissionis peccatorum & redemptionis effudit.* Hæc Ambr. Sed quod ille de Christo affirmat sanguinem fundente in cruce, dum pungitur lanceâ, nimirum quòd sit botrus balsami, meritò sponsa de Christo etiam affirmat, carnem & sanguinem dante, sub speciebus panis & vini, sed in qua nocte tradebatur, & homines maximè in dilectum sæuirent Saluatorem.

Balsami lignum incisum vnguẽtum mittit, sic etiam Christus in ligno crucis &c.

10. Sed ad sponsæ mentem meliùs explicandam & assequendam, quæ nimirum tota in eo est, vt quàm potest fieri, aptioribus metaphoris & similitudinibus, explicet, & designet sponsi sui charitatem, & misericordiam etiam illo tempore, dum homines, se illi maximè, ingratos exhibẽt, magis spectare videtur sensus horum verborum, quem adfert Agathius, scribens in cap. 1. Cant. per botrum copher, intelligens eam vuam quam Arabes vocant caphuram, & corrupto vocabulo, camphoram, & apud Hispanos, Alcamphor, non quidem qui est succus quidam frigidus ad reddendas mulieres steriles aptus, de quo S. Isidor. & alij, sed quæ est planta aromatica, vt Hebræorũ doctores volunt, inquit Agathius, producẽs racemos cum granis, ad modum botri, aut racemi vuarum. Et certè lingua Arabica proxima est Hebrææ, vtpote eius proles, & quod Hebraicè dicitur copher, Arabicè dictum videtur caphura, vt sponsa voluerit dicere: *Botrus camphoræ dilectus meus mihi.* Et quidem Philippus Diez quodam loco sic scribit: Vbi nos legimus in cãticis: *Botrus cypri dilectus meus mihi*: Alia littera habet: *Racemus camphoræ amor meus mihi.* Deinde subiungit: *O diuina atque appositissima similitudo! Alcamphor arbor est quædam, cuius gummi hanc habet proprietatem, vt si granum eius incendatur igne, & in lampade, plena aqua, collocetur, ardet, ex se claram & nitentem flammam emittit. Res quidem admirabilis est, aqua illam flammam non extingui, sed ardere, & clariùs coruscare. Granum igitur, & non solùm granum, sed etiam racemus camphoræ est Iesus Christus redemptor noster, siquidem aqua illa ingratitudinis suorum inimicorum, & aqua illa tot ac tantorum tormentorum, quæ intrauerunt vsque ad animam eius, non solùm non extinxerunt eius amorem, verùm etiam illum nitescere & magis coruscare fecerunt, dum magis suum ineffabilem amorem patientiam, mansuetudinem & liberalitatem ostendit, cùm ea nocte, quã tradebatur, altissimum Sacramentum sui sanctissimi corporis & sanguinis instituit, & in cruce pendens, pro suis inimicis orauit, ô igneam, vigorosam & maximè actuosam Christi charitatem!*

Per botrum copher vua intelligitur quæ dicitur caphura, vel camphora, cuius grana ardent in aquis.

Aquæ tantæ ingratitudinis non potuerunt in Christo extinguere charitatem.

11. Nihil tam laboriosum quàm amare, & non redamari, bona præstare, mala recipere. *Ingratitudo*, teste Bernardo, *ventus est vrens, & exsiccans fontem diuinæ pietatis.* Amauit Christus non redamatus ab hominibus, bona dedit, mala recepit. Poterat quis in dubium vocare, an Christi erga homines amor, durante vitæ suæ curriculo, non fuerit factus remissior, imò in teporem versus, præsertim cùm ab hominibus tam malè fuerit exceptus, cùm in propria venit, sui eum non receperunt, nascẽti locus non fuit in diuersorio, vix natus est, & ecce Herodes quærit interficere puerum, in Ægyptum exulare cum matre cogitur, omnis eius vita persecutionibus Scribarum & Pharisæorũ, fuit obsita &c. nihilominus in amore perseuerauit, ad finem vsque vitæ dilexit, & quod amplius est, nitidiorem & clariorem tunc emisit charitatis flammam, vt meritò exclamet sponsa: *Racemus camphoræ dilectus meus mihi.*

Tam malè ab hominibus exceptus Christus in fine eos dilexit, imò in fine clariorem emisit charitatis flammam.

12. Ps. 34. aiebat Dauid: *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Et quid inde sequutum? *Sterilitatem animæ meæ.* Quasi dicat: Illorum ingratitudo fuit instar vrentis venti, exsiccantis fontem, vel potiùs sterilem reddentis, hortum animæ meæ, ex quibus antea profluebant & germinabant, tot hisce ingratis hominibus, bona. Habes quid acciderit Dauidi, sed, ô immensa Christi charitas, non hominum tanta ingratitudo, illi ligat manus, quo minus illis benefaciat, quin potiùs illi videtur esse, instar

Hominum ingratitudo videtur Christo fuisse instar stimuli, vt potioribus maiora præstaret beneficia.

instar stimuli vel calcaris, vt plura præstet, & prioribus longè maiora. Ecce, *in qua nocte tradebatur.* O summa ingratitudo! *Accipiens panem & gratias agens & benedicens dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* O summa liberalitas, summa bonitas, summa misericordia! ô verè botrus balsami, Botrus camphoræ Christus hoc sacramentum instituens! *Cùm dilexisset suos, in finem vitæ, dilexit eos.*

Hominum amor lucernæ instar est, longè alius amor Christi.

Hominum amor vt paruus lucernæ ignis est, modico oris flatu extinguitur, si opponas pericula, damna, labores, cruciatus &c. mox deficit. At longè aliter, de Christi amoris igne, sentiendum: hic instar maximi ignis, flante etiam maximo ingratitudinis hominum aquilonari vento, verbis illis expresso. *In qua nocte tradebatur,* non extinctus, non diminutus, sed mirabiliter auctus, & concitatior atque ardentior redditus relinquens ingratis hominibus carnem & sanguinem suum. O quàm verè nobis botrus camphoræ Christus.

Amoris Christi flamma, latior est in fine.

13. Ignis corporei flamma, latior est in principio, instar piramidis, ac imminutior in fine. Amoris Christi flamma, latior est in fine, quàm in principio apparebat. Motus naturalis, vt tradit Aristoteles, in fine velocior est, contrà motus violentus, in fine tardior. Amoris Christi motus in fine vitæ, non erat violentus, sed ab ardentissima voluntatis promptitudine profectus, non itaque tardior in fine, sed longè velocior euasit. Probatio dilectionis exhibitio est operis. Summus amoris effectus est, in qua nocte Christus tradebatur, carnem suam nobis relinquere in cibum, & sanguinem suum in potum sub speciebus panis & vini. O verum camphoræ botrum, in aquis frigidissimis, humanę ingratitudinis, fortiorem flammam emittentem.

Est amor Christi instar alicuius fluminis fortissimi.

24. Est amor Christi, instar cuiusdam fluminis fortissimi, & cum summo impetu decurrentis, vt longè latèque irriget agros, fertiles reddat, & innumeris cumulet beneficiis. Huic violento fluuio si obijcias aggeres, variaque repagula, an impetum, & fluxum continebis? Haud opinor, sed ex obiectis aggeribus, occasionem sumens magis magisque sese intumescendi, atque augendi, omnia sternet & perrumpet repagula & abundantiùs solito, aquis suis, omnia irrigabit. Sic Christi erga homines amor, fuit instar fluuij violenti, quem spiritus cogebat Domini: vult humanum genus, cumulare beneficiorum suorum dulcissimis vndis, illud verò quæ non obijcit repagula, quos non aggeres, quam non ingratitudinem, quæ non peccata? Expende illud: *In qua nocte tradebatur.* Sed an hæc omnia cursum fluminis impediuere, an amoris fluuium fecerunt retrocedere, cursumque sistere? absit. *In qua nocte tradebatur.* Igneus ille amoris fluuius, vehementiùs exurgit, abundantiùs inflatur, & perrumpens omnes aggeres, nouis beneficiorum aquis perfundit mundum, dans hominibus seipsum in cibum & potum. O nouum camphoræ botrum!

Nullæ tormentorum aquæ potuerunt Christi flammam extinguere. LVDOVICVS BLOSIVS.

15. Nullis tormentorum & pœnarum aquis, potuit flamma amoris Christi restingui, vt pulchrè notauit Ludouicus Blosius in explicat. pass. cap. 18. expendens illud Ioan. 19. *Sciens quia iam omnia consummata sunt, dixit, sitio,* sic ait: *Sitio; habuit aliam sitim, puta ampliùs patiendi, atque euidentiùs nobis suum demonstrandi amorem, ac si diceret homini: Aspice vt tuæ salutis gratiâ exhaustus & consumptus sum, vide quàm horribiles sum perpessus dolores & cruciatus, sæua hominum crudelitas totum me reduxit in nihilum, ebiberunt omnem sanguinem meum peccatores terræ, & tamen adhuc sitio. Nondum satisfactum est cordis mei desiderio, amoris mei flamma neutiquam restincta est. Etenim si fieri posset & patri gratum foret, vel millies ob salutem omnium vestrûm, crucifigi optarem.* Hactenus ille. Imò tantum abfuit, vt consideratione & perpessione tot tormentorum charitatis flamma foret extincta; vt hinc potiùs augmentum cœperit, & in maiores flammas eruperit, instituendo sanctissimum hoc Eucharistiæ Sacramentum. Hinc illud Eligius homil. 10. in cæna Domini, vocat, *natalis calicis,* natalis corporis consecrati, & sanguinis sacramentalis Iesu Christi. Quasi dicat, natalis illius amoris, qui Christum adegit, vt hoc Sacramentum institueret, natalem siue originem traxit ex passione & morte, quod subindicare videtur D. Paulus, dum ait: *In qua nocte tradebatur.* ELIGIVS.

Amor Christi similis igni montis Æthnæ.

16. Ignis vulgaris, ab aqua facilè extinguitur, verùm montis Æthnæ ignem, quæ extinguunt aquæ? Ignis, vulgaris hominum amor, facilè extinguitur, minima perfusus iniuriâ, tamquam aquæ guttula. At Christi amorem instar Æthnæ ardentis, nullæ potuerunt extinguere tormentorum aquæ. Incendium dilectionis, hominum, etiam inimicorum, quo Christi viscera flammabant, instar Naphtæ, tam erat vehemens, vt inundantium calamitatum oceano, non obrueretur, sed etiam magis accenderetur. *In qua nocte tradebatur, accepit panem, &c. Deditq. discipulis suis, dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* An non, Domine, in qua nocte tradebaris, tamquam ad latronem exierunt homines, vt te comprehendant? An non latera, collum, manus, catenis & vinculis, durissimè constrinxerunt? An non conspuerunt? An non in faciem ceciderunt? An non opprobrium factus es, & abiectio plebis? Certè hæc omnia, & quæ postea toto tempore passionis Christus passus est, sunt instar oceani inundantium calamitatum,

mitatum, an Christi dilectionem, tanquam in Æthna exardentem ignem, extinguere potuerunt, & impedire, ne eadem nocte daret hominibus corpus edendum, & sanguinem bibendum? absit. Botrus est Camphoræ in mediis exardescit aquis.

Amor Christi adumbratus in igne illo qui de cælo descendit super Heliæ sacrificium.

17. Huius amoris, verissimum typum, habemus in illo igne, qui de cælo descendit, super Heliæ sacrificium, de quo 3. Reg. 18. *Ædificauit*, ait textus, *de lapidibus altare in nomine Domini, fecitq́ aquaductum, quasi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, & composuit ligna, diuisitq́ per membra bouem, & posuit super ligna, & ait: Implete quatuor hydrias aquâ, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumq́ dixit: Etiam secundò hoc facite. Qui cùm fecissent secundò, ait: Etiam tertiò hoc ipsum facite. Feceruntq́ tertiò, & currebant aquæ circum altare, & fossa aquaductus repleta est. Cumq́ iam tempus esset vt offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham & Isaac & Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me: vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquaductu lambens*, &c. Adeò vt aqua, cui naturale est, ignem extinguere, illi vires auxerit, magisque accenderit. Expende illa verba: *Aquam quæ erat in aquaductu lambens.* Talis enim erat natura huius ignis de cælo descendentis, & figuram amoris Christi gerentis, vt non nisi, è contrario, vires incrementaque suscipiat, & quò maiores aquæ, eò magis exardescat; vt mirum non sit, quod, in qua nocte tradebatur Iesus, vsque in finem dilexerit suos, dans eis corpus & sanguinem in cibum & potum, vt sponsa verè dicat: *Botrus camphoræ dilectus meus mihi.*

Amor Christi designatus in igne de quo l. 2. Mach. 1.

18. Idem ignis charitatis Christi designatus fuit in illo igne, de quo lib. 2. Machab. 1. sic enim ait textus: *Facturi quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis: vt & vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato templo & altari, obtulit sacrificia. Nam cùm in Persidem ducerentur Patres nostri, sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus. Cùm autem præteriissent anni multi, & placuit Deo vt mitteretur Nehemias à rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam. Et iussit eos haurire & afferre sibi: & sacrificia quæ imposita erant, iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita. Vtq́ hoc factum est, & tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Ecce qualiter hic ignis, pluribus sese conseruabat annis, in fundo putei, aquis pleno, & aquis sibi maximè contrariis & inimicis irrigatus, magis augebatur & eleuabatur, ex ipsa morte, vitam: ex aduersario auxilium, ex contrario sui augmentum, & incrementum hauriens, vt planè referat similitudinem amoris Christi, qui non nisi ex aquis peccatorum nostrorum, nostræque ingratitudinis nouit vires sumere, sese magis exercere, & efficaciùs inflammari, vt meritò & iure dicat sponsa: *Botrus camphoræ dilectus meus mihi.* Designatus etiam hic ignis charitatis Christi in illo igne de quo Deut. c. 4. *In terra ostendit tibi ignem suum maximum.*

Viam amoris cucurrit Christus vsque ad vltimam metam.

19. Ecce qualiter, amoris viam, cucurrerit Christus, vsque ad vltimam lineam, transiliens colles, transiliens montes, id est, impedimenta omnia, ipso cursu & labore, vires assumens. Non frustra de eo, amoris viâ, in finem percurrente, scribitur in Apocal. cap. 1. *Pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ignis ardentis.* Tam longo enim, tam aspero ac senticoso ac duro itineri perficiendo, pedibus igneis, vt ita dicam, opus erat durissimoque simillimis metallo, durus ad tolerandum, & igneus amor, duros pedes, & ardentes assumpsit, & viæ, quam decursurus erat adaptauit, vt itineris terminum ac finem attingerent, nam vsque in finem suos diligebat, & taliter diligebat, vt amor plus ascendere non potuerit.

Maxima est ignis & aceti fortitudo, similiter amoris Christi etiam amantis eos, qui peccatis suis, amaricabant animam eius.

20. Quem tantus non vincet amor, quæ tam dura & aspera rupes, hoc non emollietur igne? En tibi summus, cum summo aceto, coniunctus ignis, vt lapidea peccatorum possit emollire pectora. Est autem ignis & aceti fortitudo, vt prægrandes lapides dissoluat, quos ferrum quassare non valuit, hac arte vsus est Hannibal dum ab Hispania exercitum traijceret in Italiam, & Alpium rupibus impediretur, vt testis est Titus Liuius, qui sic scribit: *Milites cùm cedendum esset saxum arboribus circa immanibus deiectis struem ingentem lignorum faciunt eamque succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt.* Ita ardebat & ardet Christi amor, in durissimos peccatores, vt ad illorum lapidea corda frangenda, etiam acetum voluerit admittere, id est illos adamare, dum peccatis eum maximè infestabant, dum ad amaritudinem eum prouocarent, dum ingratitudine sua eum veluti felle & aceto potarent. In qua nocte enim tradebatur, dat eis carnem in cibum, sanguinem suum in potum.

Ad Christi corpus non accedunt nisi amici.

21. Quamuis autem Christus, cùm inimici essemus, in illa nocte quâ tradebatur, corpus in cibum, sanguinem in potum dederit, tamen ad hunc panem & sanguinem sumendum, nonnisi admittuntur amici.

mici. Inuitat Ecclesia antiqua Christum, vt in hortum suum veniat, & poma sua carpat atque edat Cantic. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Fructus enim qui in horto Ecclesiæ sunt, poma Christi sunt, Respondet Dominus: *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Venit in hortum suum Dominus, id est, in synagogam, plenum reperit myrrhâ, id est, tormentis & doloribus, messui myrrham, id est, tormenta, dolores, & opprobria, cum aromatibus suis, id est, cum multis infinitisque meritis, ac donis, multa enim nobis messuit merita, & dona, pretij infiniti. Antequam myrrhæ amaritudinem demeteret, conuiuium exhibuit dulcissimum, comedit sub specie panis, conuiuisque comedendum apposuit corpus suum, quod fauo, melle referto, est simile, bibit vinum, cum lacte suo, id est, bibit sanguinem suum, sub specie vini, cum lacte suo, quia vinum hoc, & vinum est, & lac. Instar vini sobriam adfert & sanctam ebrietatem, hominum corda lætificat iuxta illud Psalm. 103. *Et vinum lætificat cor hominis.* Instar lactis innocentes, dolo, crimineque carentes conuiuas, nutrit. Addit. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Amicos & charissimos inuitat, est enim hoc conuiuium amicorum & charissimorum, his ait, *Comedite & inebriamini*, id est, sancta quadam ebrietate capti, à mundi curis & cupiditatibus ad cælestia abstrahamini, inebriamini amore meo, ita vt extra vos rapti in me diuinam quandam vitam traducatis. Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Psalm. 22. *Calix meus inebrians quàm præclarus est.*

Meritò ad amoris sacramentum cum amore acceditur.

22. Vocatur hoc sacramentum à patribus. *Sacramentum Sacramentorum, amor amorum*, ad illud ergo non alio pede accedendum, quàm pede amoris, hinc illud Hugonis Card. explicans illa verba Sapientiæ Prouerbior. 9. *Venite & comedite panem meum*, ait: *venite pede amoris, comedite dente fidei panem meum in sacramento altaris.*

Similes esse debemus herbæ quæ vocatur Aproxis.

23. Et quis precor, recusabit Christi amicus esse, quis recusabit pede venire amoris? quis non facilè se totum tradet absorbendum & consumendum ab igne illo diuino, qui sic in mediis aridet aquis? Vtinam ergo similes nos exhibeamus illi herbæ quæ vocatur Aproxis, tantam habens cum igne simpathiam ac conuenientiam, vt vel à longè posita, eum ad se trahat illique se totam consumendam tradat. Fælix ille qui cognoscit, supereminentem scientiæ, ignem charitatis Christi, atque in illo se consumit igne vt instar phœnicis, fælicius renascatur & resurgat. In quem finem putas se tibi totum dat Christus, qua intentione putas dat se tibi in cibum? Audi Senecam de beneficiis. *Qui totum dat, totum petit, vel commodat sibi.* Totum se dat Christus in Eucharistia, totum te petit, totum te sibi dari desiderat. Vis scire quare se totum dederit in Sacramento Deus? Rem acu tangit D. Chrys. ser. 147. dicens: *Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, ita Dei amore voluit possideri, vt hominis mundanus non haberet quod violaret affectus.* &c. *Deus*, ait S. Bern. ser. 83. in Cant. *cùm amat, aliud non vult quàm vt ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amauerint ex integro corde.* Quidni ergo amore mutuo & reciproco, quodammodo cum illo contendamus? quid turpius quàm amoris certamine superari? *Vinci in amore turpissimum*, ait Plin. 4. epist. 1. Et Sydonius Apollinaris epist. 11. libr. 9. *Mutuo in amore certandum est, quia cum in cæteris rebus tum fœdissimum perquam est dilectione superari.* Amore ergo, dilectione, & amicitia cum Christo decertemus vt fecit S. Virgo Theodora, cum suæ virginitatis seruatore. Rem in hunc sensum memorat S. Ambrosius libr. 2. de Virginibus. *Illa, ait, Antiochiæ ob Christi fidem in prostibulum trudebatur, miles ignotus, Christianus tamen, primus eam adiens, persuasit, vt mutatis secum vestimentis, virili habitu euadens virginitatem intactam seruaret. Cumque ipse muliebri veste deprehensus, ad supplicium traheretur, non sustinuit illa, vt cuius ope pudicitiam tutata erat, ei necis causa fieret; Palam itaque proclamat, se esse ei pœnæ addictam, non ipsum. E contra ille, imò se iudicis sententiâ damnatum, non illam. Diu certarunt, vterque alterum sua morte redimere cupientes. At verò quoniam Christum confitentibus mori viuere & lucrum erat, Deo disponente ambo simul capitis obtruncatione gloriosum martyrium peregerunt, ne eos tyranni gladius separet, quos Christi amor copularat.* Hæc S. Ambros. Dominus Iesus te perseueranter diligens, vsque in finem, corpus tuum & animam seruauit à gehennæ incendiis sempiternis, quoniam mutui amoris certamine tantum ei beneficium recompensas? Eia viri & genuini Christiani, diligamus eum etiam in finem, sit amor noster constans, sit perseuerant vsque in finem.

SENEC. *Qui totum dat, totum petit.*

CHRYSOS.

BERN.

Mutuo in amore certandum.

S. Theodora imitanda.

AMBROS.

Pondus ignis, id est amoris Christi ponderandus.

HOLKOT.

24. Vt autem ad hoc certamen amoris exciteris, vt legimus 4. Esd. 4. Pondera in statera pondus ignis vt monet Holkot in lib. mor. mor. 29. Pondera, in primis amorem Dei Saluatoris tui, qui nos tantum dilexit, vt cùm excelsus esset, propter nostrum amorem assumpsit infirmitatem, cùm esset æternus, assumpsit temporalitatem; cùm esset diues, assumpsit paupertatem: cùm esset immortalis, assumpsit mortalitatem: qui in nocte qua tradebatur, tibi seipsum dedit, qui tibi factus est botrus camphoræ. Secundò, pondera tuum erga

Christum amorem, an illius respondeat amori; pondera bene an Christum plus diligas quàm mundum, vel minus: & si plus, tunc bene ponderasti: sin minus, remoue illum amorem quem habes respectu mundi, & coniungere ad amorem Dei, qui est super omnia diligendus. Pondera etiam pondus ignis infernalis, quo cruciaberis, si Christum non diligas. O quàm ponderosus hic ignis, certè tam ponderosus erit homini, quod eius grauitatem non poterit aliquis sustinere; cuius & tanta violentia, quod secundum D. Bernardum, si in ipsum vniuersitas marium influeret, nihil ipsum refrigeret.

Sicut granum synapis est calidæ & igneæ naturæ, ita Christus totus igneus in passione & sacratissima morte, vt meritò comparari possit igneo speculo.

SECTIO XVIII.

Igneus Christus in passione & sacratissima morte. Ardenti rubo similis.

1. Similiter totus igneus Christus, in cruce, & sacratissima morte, vnde comparari solet in cruce, nostræ peragens salutis negotium, rubo illi ardenti, de quo legimus Exod. cap. 3. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi. Dixitque Moyses: Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Sicut rubus plenus est spinis, sic Christus in cruce plenus est carnis nostræ doloribus, vt vult D. Gregorius 1. Moral. 5. plenus etiam est spinis nequitiæ nostræ quas suscepit. *Filius peccata non habuit*, ait Gregorius hom. 7. in Ezech. *spinas tamen nequitiæ nostræ suscepit, atque vsque ad passionem pro nobis humiliari dignatus est.* Plenus quoque est spinis dum peccatorum nostrorum pœnas, tamquam rubi spinas admisit. Neque deest grauissimus huic rubo ignis; in primis magnæ cuiusdã tribulationis & passionis. *Dignatus est*, ait Greg. loco cit. *in semetipso ignẽ tribulationis nostræ suscipere. Sed arsit, & non arsit, quia ex humanitate est mortuus, & tamen immortalis ex diuinitate permansit: suscepit à nobis, vnde sacrificium fieret pro nobis, & tamen impassibilis permansit in proprijs*, &c. Secundò arsit igne maximi & ardentissimi amoris, tunc enim de illo affirmari potest illud Deuter. 33. *In dextera illius ignea lex, dilexit populos. Ignea lex*, ait Rupertus lib. 2. in Deuter. c. 10. *in dextera illius, ardentissima charitas est, in fortissimis operibus illius, quâ dilexit populos: non, inquam, vnum Iudaicum populum, sed omnes populos.*

GREGOR. — RVPERT.

Dulcis tyrannus nominatur amor à D. Gregorio Nazianz. orat. 28. *Amorem*, ait, *dulcem tyrannum agnoscere cæpi.* Vis scire quis fuerit ille tyrannus, quis ille carnifex, à quo tam crudeliter exceptus Dominus Iesus? Non fuit Herodes, non Pilatus, non Iudaicus populus, sed amor in primis hic ligauit Christum.

Dulcis tyrannus, amor. GREGOR. NAZIAN.

Rupertus lib. 6. in Genes. cap. 31. expendens qualiter Isaac gesserit figuram Christi, pro humano genere sese offerentis in mortem scribit, sicut enim Abraham ligna holocausti imposuit super Isaac filium suũ; ita & Christus exiuit baiulans sibi crucem. Sicut Abraham portauit ignem & gladium; ita etiam Deus Pater per charitatis spiritum pro nobis omnibus obtulit. *Gladius non solùm mortem, sed & potestatem significat imperialem. Gladium ergo Pater ipse portabat, quia videlicet in manu fuit non Iudæorum, sed Dei Patris gladius, id est, potestas Dominicæ mortis: vbi, quando, vel quo mortis genere deberet interimi.* Sicut Abraham colligauit Isaac filium suum, & posuit eum super struem lignorum: ita & Deus Pater colligauit, & collocauit in arbore crucis proprium filium. *Colligauit planè*, ait Rupert. *verùm non imbecillitatis vinculo, sed magnæ charitatis imperio: ne seipsum defenderet, ne oblatum calicem passionis mori dedignatus abigeret.* Expende illa verba; *Magnæ charitatis imperio*, vnde sic Christum alloquitur Diuus Bernardus: *Video oculis mentis te, Domine Iesu, tam diris nexibus adstrictum, tanquam latronem trahi ad iudicium principis sacerdotum, & iudicem Pilatum: video & perhorresco, & admiror & admirando deficerem, nisi quod liquido cognosco te prius in corde charitatis nexibus fuisse constrictum, qui ad deteriora vincula sufferenda te libenter attrahere potuerunt.*

RVPERT.

Legimus Lucæ 22. *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quis hunc expressit sanguinem? Amor. Audi S. Bernardinum serm. 53. de Pass. Dom. art. 1. cap. 2. *Immensus, ac feruentissimus amor in hoc manifestatur, sæpe enim, feruens ebullitio emittit ad extra. Proinde quantum animo Christi charitatis, igne in intimis bulliendo ferueret, scaturitio sanguinis clariùs manifestat.*

Amor expressit sanguinem Christi in hortor. BERNARDINVS.

Vulneratus est Christus, quis hæc inflixit vulnera? Amor. *Si tentationum sentis aculeos*, ait D. Bernardus epist. 351. *exaltatum in ligno serpentem æneum intuere & suge non tam vulnera, quàm vbera.* Cur Christi plagas non vult D. Bernardus vocare vulnera, sed vbera, cùm non lac sed sanguinem

Amoris est quòd sanguinem fundant Christi vulnera. BERN.

nem

nem fundant, adeoque non vbera, sed vulnera sint? Nimirum vt significet, amoris fuisse quòd sanguinem fundant vulnera, non autem Iudaicæ crudelitatis; sanguinemque illum, qui solet ferro trahi, non tam sanguinis quàm lactis habere rationem, quod maternus amor in materno habitans pectore, ex maternis subministrat vberibus in paruuli nutrimentum.

Amor Christum vestibus nudauit. IACOB. A VORAGINE.

Quis Christum vestibus denudatum suspendit in arbore crucis? Amor. Audi Iacobum de Voragine serm. 2. de pass. *Vestes in cruce ferre non potuit, sed nudus ascendit, ac si ipso facto diceret: Tanto igne charitatis ardeo, quòd vestes aliquas ferre non valeo.*

Morti addixit Christum amor.

Legimus Ioan. 19. Christum tradidisse spiritum. Et Lucæ 23. dicit. *Expirauit.* Quis morti addixit immortalem? Amor. Audi Innocentium tertium de laudibus charit. *Hæc est charitas quæ tantum in Deum praualuit, quod eum de sede maiestatis ad infirmitatis nostra humilitatem adduxit; vulnerauit impassibilem, ligauit insuperabilem, traxit incommutabilem, æternum fecit mortalem.*

Amoris fuit quod taliter Christus sanguinem fudit in passione.

De Christo sic loquitur Isa. cap. 53 *Tradidit animam suam in mortem.* Pro quo legit Pagninus: *Effudit in mortem animam suam.* Effundimus ea quæ nullius apud nos sunt pretij & valoris, atque vili à nobis æstimantur. Quo sensu dicit Psalmista de tyrannis Psalm. 78. *Effuderunt sanguinem eorum in circuitu Ierusalem.* Simile quid in

OLEAST.

Christo factum videmus, vnde sic Oleaster in cit. locum Isaiæ: *Nónne dicebam tibi Deum suo more nimium in operibus salutis, nónne videtur vitam prodigere? Quæ enim funduntur non reputantur, videtur ipse suam vitam pretiosissimam non reputasse, postquam eam tradidit pro ijs, qui morte digni erant.* Idipsum confirmat Christus dum ait Psalm. 21. *Sicut aqua effusus sum. Non potuit melius explicare*, ait Oleaster loco cit. *quàm parui ipse fecisset vitam eius, quàm dicendo, sicut aqua effusus sum. Si enim oleum effundas vereris, & semper in vase aliquid hæret; itidem de balsamo, vino, & alio liquore. Aquam verò sine aliquo timore effundis, & nihil, non solùm liquoris, sed neque odoris, vel saporis, in vase relinquitur; vt ergo ostenderet quàm sine horrore, & timore vita eius in morte effusa sit, comparat se aquæ effusioni, similiter vt ostenderet nihil sibi reliquisse, quod pro te non effunderet, dicit se effusum vt aquam.* Sic ille. Cui adscribendum quod Christus se taliter in morte effuderit? scias amoris fuisse quod plenitudo effusa sit.

De Christo legimus apud Ioannem c. 19. *Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura; & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua.* Quòd crura frangerentur crucifixis, in eum erat finem, quia multo tempore. licet crucifixi, superuiuerent, & lenta morte in cruce moriebantur; vnde accidebat, vt recedentibus ministris, proximi siue amici crucifixi eum de cruce tollerent, concepta spe sanationis, quod ne accideret, frangebantur à ministris crura; quibus fractis, & ossibus comminutis, iam nulla supererat spes sanitatis consequendæ, vnde nemini iam cordi erat crucifixum, cui nulla spes vitæ reliqua, de cruce tollere, vnde cùm viderunt Christum mortuum, non fregerunt eius crura. Verùm cur lancea latus eius vulnerauerunt, cur id permisit Dominus? Audi D. Bonauenturam in stimulo amoris: *Præ nimio tui amoris feruore voluit lanceâ suum latus aperire, vt demonstraret, quod ibi tradidit cor suum.* Numquam miles lanceâ cor Domini vulnerasset, nisi illud priùs vulnerasset amor, vt pulcherrimè & mellifluè diffundit D. Bernardus de pass. Domini cap. 3. *Latus & sanctissimi cordis intima furoris lanceâ perforauerunt, quod iamdudum amoris lanceâ fuerat vulneratum. Vulnerasti, inquit, in Canticis amoris sponsus, cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. Vulnerat cor tuum Domine Iesu sponsa tua, amica tua, soror tua, quid necessarium fuit illud ab inimicis vltra vulnerari? Quid agitis ô inimici? Si vulneratum est, imò quia vulneratum est cor dulcis Iesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis, quòd vno vulnere tactum cor emoritur, & fit insensibile? Mortuum cor Domini Iesu, quia vulneratum possedit vulnus amoris, possedit mors amoris Domini cor sponsi Iesu. Quomodo mors altera introibit? Fortis est vt mors, imò verò fortior quàm mors dilectio. Non enim potest prima mors expelli, id est, dilectio malorum mortificatrix à domo cordis, quam sibi inuiolabili iure, suo vulnere acquisiuit.* Sic D. Bernar. expende vltima verba: *Suo vulnere acquisiuit.* Habet enim non solùm miles gladium & lanceam, quibus vulnera & mortem inferat: verùm & ipse amor, ipsa charitas, iuxta illud D. Ambr. in Ps. 118. oct. 15. *Habet clauum suum charitas, habet gladium suum.* Vides opinor, quanto amoris igne Christus in passione & morte sua arserit, vnde sic Christum alloquitur Diuus Bernardus de pass. Domini. *Mirabilis passio tua, Domine Iesu quæ passiones omnium nostrûm propulsauit: In hac passione fratres, tria specialiter conuenit intueri: opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur.*

BONAV. Præ feruore amoris Christus voluit lanceâ vulnerari.

BERN.

Cant. 4.

AMBROS.

2 Moyses dum in deserto vidit rubum ardentem & non comburentem, dicebat: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Alij vertunt: *Vadam & videbo speculum magnum.* Magna sanè visio, magnum speculum, spinosus rubus ardens, sed non exustus: multò verò maior Deus nostri amore spinis in cruce coronatus, spinis nequitiæ nostræ circundatus, igne tribulationis & passionis ardens, sed tamen non combustus.

Magnum speculum Christus spinis coronatus & igne tribulationis ardens & tamen non combustus.

3. Si quæras, cuius speculi rationem habeat

beat Christus, pendens & patiens in cruce: respondeo esse speculum aureum, concauum & igneum.

Christus in cruce habet rationem speculi aurei.

4. Aureum imprimis, propter summam puritatem illius, qui patitur. Agnus enim erat Christus, sine macula, & in cuius ore non fuit inuentum mendacium: Pontifex noster est, sed purus & impollutus. Tanta vitæ puritate præditus Christus, vt ante mortem non dubitauerit Pharisæis & scribis infestissimis suis hostibus dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

5. Aureum deinde speculum, propter summam suam in perferendis tantis tormentis patientiam: Aurum enim quamuis variis ictibus tundatur, non tamen frangitur, sed magis extenditur: Ita Christus in cruce, quamuis grauissimis percussionibus vndique impetatur, summâ vtens patientiâ non frangitur, sed magis extenditur, orans pro ipsis crucifixoribus suis.

6. Præterea aurum dum percutitur, silet: ita Christus in mediis tormentis constitutus, & sicut agnus ad occisionem ductus, coram tundente se non aperuit os suum.

Quàm bellè describat sponsa Christum ad insinuandam eius patientiam.

Ecce qualiter describat nobis sponsum sponsa Cantic. cap. 5. *Caput eius aurum optimum, manus illius tornatiles aureæ, crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super bases aureas.* Cur sponsa sponsum describit aureum, & non potiùs carne, sanguine, & ossibus constantem, cùm verus sit homo? Bene Hugo Cardinal. *Iesus fuit aureus per patientiam, quia non murmurauit in flagellis, sicut aurum non crepat sub malleis.*

HVGO CARD.

Hæc Christi summa patientia etiam expressa in serpente illo æneo illius expressissima figura, vnde ait Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Cur voluit Deus vt serpens Christum repræsentans esset æneus, non carneus, non sanguineus ad imitationem serpentium in terra viuentium? Respondet B. Isaias orat. 25. *Propter omnia passus est, neque immutatus est, neque irâ commotus in eos, à quibus tot iniuriis afficiebatur, nihil respondens; sed ad ænei serpentis similitudinem immobilis manens.*

B. ISAIAS.

Christus per Dauidem Psalm. 34. locutus de crudelissima sua flagellatione, sic ait: *Congregata sunt super me flagella, & ignorani.* Vis scire qualiter congregata, & qualiter ignorata? De primo sic S. Bonauentura de vita Christi cap. 76. *Fluit vndique regius sanguis de omnibus partibus corporis superadditur; reiteratur, & spissatur liuor super liuorem, & fractura super fracturam, quousque tam tortoribus, quàm spectatoribus fatigatis, solui iubetur.* De secundo sic Diuus Ioannes Chrysostomus homil. 12. in Acta: *Sic contemnebat flagella, quasi in alieno corpore pateretur; ac quemadmodum si adamantinum possideret corpus.* Nam pientissimus Dominus quamuis maxima pateretur tormenta obarmatus patientiâ & hominum amore, vix illa sentiebat; iudicabatque non tam se flagellari, quàm alterum, vel potiùs se corpus habere insensibile & adamantinum, & sic dicit se tanta tormenta ignorasse.

BONAV.

CHRYSOS.

Ad miraculum vsque omnibus stupenda fuit Christi patientia. Imprimis Pilato, vnde ait: *Ecce homo*; quasi clariùs dicere voluerit, ait Paulus de Palatio in cap. Matth. 27. *Homo est, non lapis, non ferrum, non æs, quæ sustinuit, vix credibile est quomodo sustinuerit.* Secundò ipsi Iudæ, de quo legimus Matth. 27. *Videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Cur Iudas se propria occiderit manu, hanc adducit rationem D. Chrysostomus sermone 4. fer. 5. pass. *Supplicium non potuit videre damnati*, nimirum quòd tantâ cum patientiâ, imò insensibilitate patiebatur agnus innocentissimus, & coram tundente se non aperiens os suum. Tertiò ipsi latroni, dixit namque Christo Luc. cap. 23. *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. Videns Christi patientiam*, ait Liranus, *pœnituit, & misericordiam petiit, & inuenit.* Quartò, ipsis cælestibus spiritibus, vt docet S. Germanus Patriarcha Constantinop. lib. rerum Eccl. Theor. hisce vsus verbis: *Dicimus igitur semper, & insuperabiliter adfuisse virtutes cælestes vnà cum Domino Christo, præcipuè verò in illa nocte, quâ traditus est. Eæ igitur cernentes adductionem ad Caipham, præsentationem coram eo, falsa testimonia, alaparum incussiones, colaphorum inflictiones, ludibrium illud Iudæorum, militum coccineum indumentum, spineam coronam cum risu coniunctas geniculationes, aliaque omnia, quæ tam diuinorum Euangeliorum historia narrat, tam quæ propter multitudinem fortasse prætermissa sunt, in singulis, quæ fiebant admirantes. & stupentes longanimitatis, & patientiæ magnitudinem, velantes facies suas, se auertebant.* Sic ille. Et Petrus Dam. sermone 40. expendens illud c. 63. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de bosra*, illudque referens, post alios Patres ad triumphum Christi ascendentis in cælum, ita vt sit vox & interrogatio Angelorum, sic scribit: *Videntes enim eum sanguinei ruboris vndique perfusum, mirantur eius patientiam.* Exempla sanctorum qui hanc Christi patientiam sequuti. Vide apud Cornelium in Isaiæ c. 53. v. 7.

Ad miraculum vsque fuit Christi patientia.

PAVL. DE PALAT.

CHRYSOS.

GERMANVS.

PETRVS DAM.

7. Concauum etiam fuit in cruce speculum propter summam humilitatem & exinanitionem, quam in cruce sustinuit. Sicut enim speculum gibbosum symbolum est hominis superbi & tumidi; ita speculum concauum & depressum, symbolum est hominis humilis atque animi demissi.

Habet rationem speculi concaui.

8. Specula gibbosa obiectum referunt, quantumuis magnum, tenue ac pusillum: sic

Specula gibbosa superbi.

sic tumidi ac superbi, seipsos tantum extollentes, Dei obliti, non modò paruum, sed quasi nullum Deum esse, & re, & verbis, mentiri videntur. Tales illi apud Dauid Psal. 11. *Linguam nostram magnificabimus.* En tumet speculorum instar. *Labia nostra à nobis sunt.* Subdit, Deum nullum agnoscens, *quis noster Dominus est.* Verùm Christus in cruce speculum fuit cauum, cuius natura est, vt imaginem, quæ illis objicitur, ingentem efferant, ingenti corpore omnibus aspiciendam. Similiter Christus Dominus in cruce, menti sibi objiciens deperditum hominem, & quasi ad nihilum redactum, visus est nihilominus tantus, tantæque dignitatis, vt non dubitauerit pro eodem omnem perfundere sanguinem. In eo autem Christus concaui speculi similitudinem gessit in cruce, quod oblatæ sibi & illatæ grauissimæ pœnæ, maximaque tormenta, illi visæ sunt paruæ & exiguæ: vnde post resurrectionem dum se itineris comitem exhiberet duobus discipulis in Emaus tendentibus, vt legimus Luc. 24 illis dicentibus: *Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Respondit; Quæ?* Quasi parua illa reputans, exigua, & nullius momenti: tam parua, præ amoris magnitudine visi sunt Christo omnes pro hominum salute suscepti labores, vt nullis saturari potuerit, & quantumuis magnos sustinuisset, semper tamen vlteriores desiderabat & sitiebat, in cruce à tormentis perpessis, qualiter sitis eius augeatur, ad maiora pro animarum salute perferenda, ipse exprimit, dum ait: *Sitio.*

Christus speculi concaui in cruce similitudinem gessit, quia maxima tormenta sibi parua videbantur.

Quam Christi patiendi sitim sic exprimit S. Bernardinus tom. 2. ser. 49. art. 4. c. 3. *Christus habens aspectum ad fructus suæ sanctissimæ crucis, tantum in mente doluit quod non potuit in perpetuum cruciari, quantum intelligebat se dolendo mereri, & quantum intelligebat suum meritum in fructu augmentari; proinde per voluntatem, & desiderium dilatabat totam vitam suam ad quoddam viuere infinitum, & ad tolerantiam infinitæ mortis.*

BERNARDINVS.

9. Imò & breuissimi tẽporis, vnde Christus cũ triginta tribus annis vixisset in maximis laboribus, & triduo passionis tolerasset & degustasset maximos dolores, antequam in cruce animam in manus paternas traderet, sic eumdem cum admiratione allocutus est: *Consummatum est?* Sic enim legit aliqua littera; Quasi dicat: An fieri potest, ô Pater æterne, quòd tantillo tempore tormenta finem acceperint, quæ iustitia tua mihi perferenda statuerat, ad exhaurienda totius mundi peccata?

Tormenta Christo videbantur esse breuissimi temporis.

10. Sunt specula, quæ rem vnam, sibi obiectam, multiplicant, vt si pomum vnicum objicias, decem, pluraque appareant, vt ex vitro atque cristallo, velut ex arbore nasci videantur. Non tale speculum Christus; speculum quidem est in cruce existens, sed quod pœnarum & tormentorum numerum non auget, sed minuit, & in vnum veluti contrahit; quod pœnarum tempus non extendit, sed diminuit. O quàm homines dissimiles Christo, quæcumque à Christo illis agenda proponuntur, difficillima & maximè ardua imaginantur; dicunt cum mulieribus illis: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti.*

Specula quædã obiecta multiplicant, non sic Christus in cruce.

Sic Exodi cap. 3. Moyses iussus proficisci in Ægyptum, ad liberandum populum Israel, præ timore periculorum, diu, quicquid erat officij, detrectault, & nunc causabitur suam impotentiam, nunc suam ruditatem, & ineloquentiam, nunc populi incredulitatem, nunc aliorum industriam, qui magis, quàm ipse, idonei essent, ad peragendum illud ministerium. Sic Ieremias vocatus ad functionem propheticam, vt deuastationem Iudæorum & Gentium prædicaret, vehementer exhorruit, dicens: *A, A, A, Domine Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum.* Hoc modo Ananias Act. 9. meticulosè tergiuersabatur, respondens Christo iubenti ei quærere in domo Iudæ Saulum, nomine Tarsensem; *Domine audiui à multis de viro hoc, quanta fecerit mala sanctis tuis in Hierusalẽ, & hic habet potestatem à Principibus Sacerdotum, alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.* Quid mihi mandas Domine? Objicisne me lupo diripiendum? Tradisne me carnifici mactandum? Hic enim Saulus, ad quem me mittis, non aliter in sanctos tuos sæuit Hierosolymis, quàm lupus in gregem ouium. Et huc quoque ad Damascum cum Pontificum diplomatibus venit, vt oues tuas ad macellum in Hierusalem vinctas ducat. Itaque si ipsum accessero, & de nomine tuo vel mutiero, confestim me vinculis constringet, & ad Hierusalem, Sanctorum tuorum carnificinam, vinctum trahet. Cur igitur tu me illi prodis? Timere solemus in obsequio Dei, ne multitudine aduersitatum obruti pereamus, & interim in obsequio Satanæ omnia nobis tranquilla & pacifica somniamus, cùm tamen perspicui cognoscamus, Dominum Deum nostrum obsequentibus, sibi omnem benedictionem, Satanam verò obsequentibus sibi omnem parare maledictionem. Moyses somniabat sibi maxima nescio quæ pericula, si obiret munus liberationis Ægyptiacæ, ad quod à Deo vocabatur, & nõ somniabat sibi vlla pericula, quando apud aquas contradictionis, verbo Dei non credendo, nomen Domini in populo Israel prophanauit. Sic etiam plurimi Christianorum cùm agitur de obsequendo diuinæ vocationi.

Timemus vbi agitur de obsequio Dei, omnia nobis promittimus prospera in obsequio mundi.

Dicunt cum pigro illo: *Leo est in via, & leæna in itineribus.* Si horulam impenderint diuinis obsequijs, putant longissimo tempore in illis peragendis detentos fuisse. O frigida mortalium corda! Non mirum, nam specula sunt tumida, Deum parui æstimantia, & ad concipiendum diuini amoris ignem inepta.

Christus in cruce speculum ignitum.
Cuspin.

11. Postremò, Christus in cruce non solùm speculum concauum; sed etiam ignitū, quod in sibi obiecta flammas excitat. Narrat Cuspin. in Anastasio Imperatore, huic fuisse artificem, Proclum nomine, qui ingentia quædam fecerit specula, exquisitâ adeò arte, vt in maritimorum portuum turribus posita, emissis à se flammis, numerosam nauium classem combusserint. Similiter Archimedes speculo soli obiecto, directoq; in naues Marcelli, illas combussit. Speculum quoque ignitum Christus in cruce, ſuc enim omnes amoris sui radios in vnum cogens, eos omnes in vnam vnit flammam flammantes, de seipso eiaculans radios, ad inflammandum mortalium corda efficacissimos.

Septē Christi verba tot radij.

12. Quid precor sunt septem illa verba à Christo in cruce prolata, quàm tot ignei radij, ad liquefaciendū corda nostra, quàm aptissimi, iuxta Sponsæ Cant. 4. *Liquefacta est anima mea, vt dilectus locutus est.*

Vis videre hoc ignito speculo Christi crucifixi, eximio amore accensos? Conijce in D. Paulum clamantem oculos: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Conijce oculos in S. Franciscum sic orantem: *Da Domine Iesu vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* Conijce oculos in sanctam illam Virginem, quæ Christum crucifixum fixè intuens, æstuans & ebria amore exclamabat: *O Deus, ô amor, ô ebrietas amoris, da mihi tantam vocem, qua audiatur ab Oriente vsque ad Occidentem, à cælo ad infernum, vt te amorem omnibus inclamem.*

Christi vulnera flammantes radij.

13. Quid Christi vulnera, quàm tot flammantes radij diuinæ pietatis, charitatis, misericordiæ, sapientiæ, ac iustitiæ è Christo crucifixo erumpentes, vt corda nostra exurant salutari igne compassionis, doloris, compunctionis; &c. Legimus in vita S. Elizabethæ Hungariæ Regis filiæ, quòd, cùm quadam die ornatu & comitatu regio Ecclesiam ingressa esset, statim vbi crucem vidit, Christumque in ea pendentem, cœpit in lachrymas solui, & dolore acerrimo torqueri, cogitans dicensque sibi: *Deus & saluator meus in patibulo moritur, ego gemmis, auro, purpuraq; fulgeo: Ille spineam coronam gestat, ego auream: Ille inter latrones, hostes, & derisores, ego turbâ famulorum me colentium cingor.* Quare cùm se propterea infælicem, miseram, ac penè damnatam appellaret, quòd tam malè suum imitaretur creatorem, exanimis in terram corruit, ægreque ad se reuersa, statim vitam mutare, Christique humanitatem, & crucem imitari, vti re ipsa præstitit.

Exemplum Elizabethæ

Christi vulnera mirandum excitant imitationis ignem.

14. Mirandum quoque excitant imitationis ignem, flammea hæc Christi vulnera. Sanctus Elzearius Comes Arriani crucifixum semper intuens nullâ iniuriâ, nulla afflictione, nullâ molestiâ mouebatur ad iram vel impatientiam, sed omnia placidè immoto vultu & inuictâ patientiâ tolerabat. Cumque vxor eius Delphina miraretur istam apathiam, & causam quæreret, respondit: *Explicabo tibi arcanum pectoris mei. Noueris me interdum sentire aliquam indignationem in animo aduersus infestantes me, sed illico me conuerto ad cogitandas iniurias Christo illatas, eumque imitari cupiens dico mihi ipsi: Etiamsi famuli tui barbam tuam conuellerent, & colaphos tibi infringerent, nihil esset ad Dominum tuum, qui maiora perpessus est; certumque habeas Delphina, me nunquam cessare à commemorandis iniurijs Saluatoris mei, donec animus meus plenè sit tranquillatus.*

Exemplum S. Elzear.

15. *Vadam*, ait Moyses, *& videbo speculum magnum:* Tu quoque, ô Christiane, vade pede amoris, & vide oculo fidei, Christum in cruce vulneratum, speculum priore illo longè maius, & ardentioribus ignibus inflammatum. Stupefactis Apostolis in gloria Iesu ascendentis in cælos, dicunt Angeli Actor. 1. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Quasi vellent ab ascendentis gloria oculos eorum reuocare. Sed cur reuocentur à conspectu tantæ gloriæ? nimirum quia spectaculo sublimiori volebant eos intentos. Quod verò illud? Stupendus Christi amor, stupenda Christi clementia, stupenda Christi demissio, ob hominum amorem exhibita dum pendebat in cruce. Audi Diuum Epiphanium orat. in Ascensione Domini: *Quid cælum oculis defixis intuemini? eum potiùs qui cælum condidit, vestræ mentis luminibus vsurpate, atque stupendam illius clementiam, animiq; demissionem summi miraculi loco ducite.*

Speculum hoc magnū Christiano imprimis inspiciendum.

Epipha.

16. Si tali oculo hoc speculum intuearis, non aliter fieri poterit, quin flammantibus eius radijs, vel potiùs sagittis, accendaris, neque aliquod tam validum excusationis scutum, quo te ab illius amore defendas, poteris inuenire, quin ab igne amoris illius, id mox exustum & consumptum videas. Legimus Ps. 45. *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Christus enim in cruce pendens & moriens pro te, ô Christiane, te amauit plusquam se. An non qui sic pro te patitur omnes tibi aufert excusationis clypeos, quibus obarmaris quo minus illum ames & diligas? Antequam pro te Dominus mortem subiret, erat fortasse aliquis excusationi, quo minùs illum amares, locus. Verùm nunc Christus in cruce moriens, omnia aufert excusationum velamina, & quæ obtendimus & obijcimus scuta, comburit flagrantissimo amoris sui igne: *& scuta comburet igni.*

Si hoc speculum aspicias exurit omnia excusationum scuta, quo minus Christum ames.

17. Narrat Plutarchus lib. de curiositate, Democritum Philosophum speculo ignito, sibi oculos eruisse, ne vagarent. Quanta in te reperiuntur, ô Christiane, quæ te scandalizant, & sunt sempiternæ ruinæ causa,

Ad speculū exurenda quæcūque nos scandalizant.

causa? Nũquid non oculus tuus scandalizat te? nunquid non pes tuus tibi præstat offendiculum? quid consilij vt hæc auferas scandala? vade & vide speculum hoc magnum, & maximè ignitum, Christi crucifixi, vide quales euomat amoris flammas, accede ad ignem hunc, & illius calore facilè oculi, pedes, cæteraque membra, taliter exurentur vt in posterum, nullum inferant animæ nocumentum: sed seruiãt illi, qui pro toto homine saluando, morti sese exposuit, pedes in cruce extensos habuit, oculos velatos, caput spinis obductum &c. Exurit quidem speculum hoc ignitum si propiùs inspicias oculos externos, pedes externos &c: sed mirum insuper in modum illuminat internos animæ oculos, mirum in modum corroborat internos amoris pedes, maximèque vegetat internas omnes vires. Peluem ardentem aspiciens vrsus, cœcatur. Quid homo luxuriæ & voluptati deditus, nónne vrsus? Verùm si vrsus hic oculos illos impudicos in ardentem Christi crucifixi conijciat effigiem, mox excœcabuntur hi oculi, exsiccabuntur pedes ad malum currentes, exsiccabuntur omnia membra prauo voluptatis humore imbuta.

Vt anima ex hoc speculo flammam amoris cõcipiat necesse est vt se detineat in attenta vulnerum Christi cõsideratione.

18. De ignito speculo dicitur, quòd vt oppositam sibi rem exurat, necesse est, vt res illa non tremulis, sed firmis ac immotis illi objijciatur manibus, si enim tremulæ sint manus, & res illa in continuo sit motu, non concipiet aliquam ex ignito illo speculo flammam. Similiter vt anima diuini amoris flammam ex Christo crucifixo suscipiat, necesse planè vt quietè consistat, & in attenta consideratione plagarum Christi sese detineat. *Si quis perspexerit*, ait Iacobus c. 1. *in legem perfectæ libertatis* &c. sic perspiciẽdum, id est, attentè considerandum hoc ignitum speculum, vt cor nostrum suis flammantibus radijs accendat.

Vt cor nostrum hisce radijs accendatur debet esse opacum.

19. Deinde, vt obiectam rem accendat, igneum speculum, non oportet eam pellucidam esse vel transparentem, tunc enim perfluunt radij nec retinentur, vnde non nisi leuem calorem inducunt, vt patet in puro speculo, vel cristallo ignito speculo obiecto. Si verò illi rem opacam, v.g. pannum obieceris, mox calor inducitur, fumus elicitur, pannus exuritur, retinet enim & conseruat, minimeque transmittit susceptum à speculo ignito calorem. Similiter vt cor nostrum accendat Christus in cruce suspensus non oportet cor nostrum esse pellucidum, id est, mundanâ lætitiâ, mundanoque gaudio occupatum & deditum, sed debet esse opacum, debet solidè in seipso consistere, & maturis grauibusque cogitationibus insistere, & vanis occupationibus & rebus ludicris nuntium remittere.

Quarum rerum imagines, ad intuendum oculis humanis obijciat Christus crucifixus, tanquam eximiũ speculum.

SECTIO XIX.

Quod nusquam abundantiùs appareat hominis dignitas quàm in Cruce.

§. I.

In cruce apparet hominis dignitas.

PHILO.

1. *Vadam & videbo speculum hoc magnum.* Philo in vita Moysis dicit in medio rubi flammantis visam formam præstantissimam, seu diuinissimum simulachrum, Loquentem accipe: *Erat rubus planta scilicet spinosa, & debilissima, quæ à nemine admoto igne, repente tota accendi visa est, quam cum ignis à radice, vsque ad cacumen occupasset multa flamma, ea tamen perinde illæsa manebat ac si supernè fons dilaberetur, incendiumque reprimeret, & quasi materia incorruptibilis esset, non ea esset igni pabulum, sed contra ea nutriretur ab igne. In media verò flamma forma præstantissima visa est, quæ nulli harum rerum, quæ videntur, esset similis, diuinissimum simulachrum.* Sic ille.

Repræsentat speculũ crucis quã æstimanda anima.

Quod quamuis improbetur ab Eugubino, quòd eius in Exodo mentio expressa non fiat, rei tamen per rubum repræsentatæ ac speculo nostro maximè conuenit. O quàm pulchras repræsentat hoc speculum formas!

2. Vis videre, ô homo, quàm pulchra, quàm decora, quàm æstimãda anima? eam cõtemplare in speculo hoc ignito, in Christo crucifixo & pro hominibus in manibus, pedibus, & latere vulnerato. Varia habet homo specula in quibus videat dignitatem & præstantiam suam, sed nullum clariùs eam ostentat quàm speculum Christi crucifixi, & vulnerati.

Hominis dignitas colligitur ex præstãtia artificis.

HECTOR PINTVS.

3. Primò, colligitur inita hominis dignitas ex præstantia & peritia artificis, sic eam colligit Hector Pint. dialog. 5. de veris & falsis bonis c. 1. Illius trãspono verba: Multa, ait, præclara sunt opera, quæ magno pretio

tio & æstimatione censentur, non tam propter eas ipsas, quàm propter illum qui eas est operatus. Vnde fit tabulam, subtilissimam, rectissimo, politissimoque artificio à Michaele Angelo elaboratam esse non ignoramus, intuentes, magna quidem æstimatione & pretio habemus, tantùm ob artificis memoriam qui inter huiusce nostræ tempestatis pictores, sine controuersia primas tenet. Narrat Plin. l. 7. nat. histor. Regem Attalum tabulam Aristidis Thebani pretio centum talentorum æstimasse, quæ iuxta Budæi supputationem in secundo de Asse, sexaginta millia scuta faciunt. Octoginta talentis duas tabulas mercatus est Iulius Cæsar, quorum iuxta Budæi in eodem libro de Asse, numerum, pretium erat sexcenta scutorum nostri temporis, magnamque auri ac argenti copiam, vt ab hoc eximio pictore Timomacho Bizantio effingeretur: vt narrat Plin. lib. 35. nat. hist. Quo loci etiam refert picturam Protogenis tanto pretio à Demetrio Macedonum Rege habitam, quippe qui opus erat à viro exquisitissimo & rarissimo affabrè factũ, & ex totius orbis præstantissimis pictoribus, vt ne illam incendio aboleret à Rhodiorum mænijs imminentes flammas extraxit, quæ obsessa erat: hoc tempore tam opulenta ciuitas, vt dicat Poëta Pindarus, aurum purum in ea pluere, certior factus fuit Rex, si hac in parte mænia conflagraret, comburebat etiam templum, vbi hæc tabula asseruabatur, quod in cineres & fauillas erat redacturus vt vrbem vi expugnaret: maluitque vrbem perdere, vt picturam cõseruaret, quam eam lucrifacere, vt perderet. Cùm itaque ex artificibus opera ponderemus, cur non animam nostram pluris facimus, siquidem altissimi Dei sit opus, huius magni cælestis artificis, cuius potentia est infinita, bonitas immensa, magnitudo incircumscripta, eiusque sapientia omnes humanæ sapientiæ terminos ac limites transilit. Hæc ille.

Colligitur hominis præstantia ex eo quòd Dei propria manu fuit conditus. TERTVL.

4. Secundò, præstantiam hominis colligit Tertullianus lib. de resur. quòd cùm omnia cætera, iussu & voce creauerit Deus, hominem manu propria formauerit: faciamus inquit, hominem, & manu fecit, ne vniuersitati creaturarum compararetur, sed magna esset differentiæ ratio, siquidem homini fiebant, cui mox à Deo addicta sunt, meritò igitur, vt famula, iussu & imperio & sola vocali potestate, vniuersa processerant.

Colligitur hominis dignitas ex cõsilio quo Deus vsus legitur in sua formatione. GREGOR. NYSSEN.

5. Tertiò, præstantiam hominis colligi vult Greg. Nyssen. orat. 1. in verba, *faciamus hominem* &c. ex consilio & deliberatione, quâ Deus vsus legitur in sua formatione, dum ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Postquam enim hæc verba in medium adduxisset mox subiungit: *Hinc incipies teipsum cognoscere, nondum in vlla molitione hæc vox scripta est. Facta fuit lux, sed simplici Dei mãdato dicentis, fiat lux, cælum, sed sine consultatione stellæ, sed nulla præcessit deliberatio, pelagus, atque innumerabilia maria ad iubentis vocem extiterunt: Eodem modo, omnium piscium genera, bestiæ & cete, quæ natant, quæque volant animalia, Dei iubentis verbo facta sunt. Hic nondum est homo, & de homine habetur consilium. Non, vt alijs in rebus, dixit: Fiat homo. Disce pretium ac dignitatem tuam. Non proiecit mandato, & iussu procreationem, sed consilium, ac deliberatio fuit in Deo, quo modo tale animal produceretur in vitam. Faciamus, sapiens consulit, artifex, meditatur. Ecquid deest arti eius? Quanam difficultate adductus consulit, vt absolutum ac perfectum, elaboratumq́, charum faciat opus suum? an vt ostendat te perfectum esse apud Deum?* Hactenus Nyssen.

6. Consentanea sunt quæ scribit Basilius hom. 19. in hex. hoc ipsum perpendens ait: *Erudire homo, ac edisce, quanti vnus tu æstimandus venias, neque enim generationem tuam, velut pretij vulgaris, communi creaturarum mandato censuit attexendã, in Deo prægreditur consultatio, quemadmodũ tantùm hoc animal prouehi debeat ad vitam, faciamus, ait, en consultat Sapiens, vt quid secum statuerit artifex, proponit decernendũ.* BASILIVS.

7. Ex eodem capite etiam rimatur præstantiam hominis D. Gregor. l. 9. Mor. 27. *Cuncta, ait, quippe dixit, & facta sunt, cùm verò facere hominem decernit, hoc quod reuerenter pensandum est præmittit, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, videlicet quia rationalis cõdebatur, quasi cum consilio factus videretur, quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, vt scilicet non per iussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret qui ad conditoris imaginem fiebat.* GREGOR.

8. Cæteris adstipulatur D. Ambros. tract. de dignit. homin. c. 1. *Tanta ait, dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, vt non solo iubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio Sanctæ Trinitatis, & opere maiestatis diuinæ, creatus sit homo, vt ex primæ conditionis honore, intelligeret, quantum deberet suo conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis priuilegium præstitit ei conditor, vt tantò ardentiùs amaret conditorem, quantò mirabilius se ab eo esse conditum, intelligeret.* Hæc Ambros. AMBROS.

Colligitur præstantia hominis ex imagine & similitudine Dei ad quam creatus. BERNAR. *Psal. 147.*

9. Quartò, colligitur hominis pręstantia, ex imagine, & similitudine Dei, ad quam creatus est, de quo sic D. Bernard. in medit. c. 1. *Recognosce ergo, ô anima mea, quàm mira & inæstimabilis dignitas est esse non solùm vestigium creatoris, quod est commune omnibus creaturis, sed etiam esse imaginem, quod est proprium creaturæ rationalis. Lauda igitur anima mea Dominum, lauda Deum tuum Sion. Expergiscere & lauda, exulta & gaude, quia insignita es Dei imagine, & decorata similitudine, particeps rationis, capax æternæ beatitudinis. Sed quia hæc modica, non immeritò, fortè iudicarentur, si morte finirentur, exulta & lauda, quia cum prædictis dedit tibi naturam immortalem, substantiam incorruptibilem, durationem interminabilem, vitam perpetuam. Imago enim æternæ Trinitatis non esses,*

esses, si termino mortis precludi posses. Quibus coloribus exornata hæc imago, disce ex Gregorio Nyss. lib. de opif. hominis cap. 5. *Quemadmodum pictores coloribus quibusdam figuras humanas in tabulis exprimunt, omniq; studio colores proprios, & conuenientes addere picturæ suæ conantur, vt pulchritudinem eius, quod exprimunt, exemplaris, accuratè in imaginem ipsam transferant; sic nostrum etiam Conditorem existimabis, videntem virtutes animis nostris, iisdem veluti coloribus imaginem suam ad similitudinem propriæ pulchritudinis ornasse.*

Colligitur dignitas hominis ex amore quo erga eum Deus afficitur. Avgvst.

10. Quintò, colligitur à S. Augustino apud S. Bonauenturam in Soliloq. c. 1. ex amore quo Deus erga eum afficitur, sic enim scribit: *O anima aduerte, quòd Creator tuus post illud esse, dedit tibi perpetuum esse, post hoc dedit tibi viuere, sentire, discernere, sensibus te decorauit, sapientia illustrauit. Tuam ergo pulchritudinem attende, vt intelligas, qualem debeas in te pulchritudinem diligere. Quòd si te metipsam, vt expetit, contemplari non sufficis, cur saltem quid de te æstimare debeas, ex iudicio alieno non perpendis? Sponsum habes de cuius pulchritudine, si non dubitares, scires, quod tam pulcher, tam formosus, tam vnicus Dei filius, tuo aspectu captus non esset, si eum singularis decor, & vltra cæteros admirandus non traxisset.*

Colligitur dignitas hominis ex cura, quâ Deus afficitur erga eũ. Bern.

11. Sextò, præstantiam & magnitudinem hominis colligit Diuus Bernardus ser. 5. in dedic. Eccl. ex cura quâ afficitur erga hominem Deus, sic enim scribit: *Quomodo penitus nihil, quem magnificat Deus? Quomodo nihil erga quem appositum est cor diuinum? Respiremus fratres, & si nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis, scio, scio, vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ; quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus; quomodo non magnus apud illum, cui tam magna cura est de eo? Ipsi enim cura est de nobis.*

Colligitur hominis dignitas ex Dei æstimatione, eum cæteris omnibus præferentis. Chrysos.

12. Septimò, dignitatem & excellentiam hominis colligit Diuus Chrysostomus ex Dei æstimatione, eum cæteris omnibus præferentis. *Nihil est*, ait homil. 3. in 1. ad Corint. *quod animæ possit æquari, nec vniuersus quidem mundus.* Et hom. 35. ad Pop. *Apud Deum, visibilium, nihil homini par, nam & cælum, terram, & mare propter eum fecit, & in eo magis, quàm in cælo delectatur, inhabitãs.* Petrus Damian. lib. 5. epist. 2. animam nominat pretiosissimam Deo pecuniam. Nihil pretiosius arbitrantur homines, quàm pecuniam, vnde sibi & alia bona prouentura confidunt: continet enim, vt ait Aristoteles 3. Ethicor. causaliter eminenter omnia: ita homo pretiosissima est Deo possessio, hæreditas, & pecunia.

Quòd Deus eum inuisere fuerit dignatus. Nazian.

13. Octauò, dignitatem hominis colligit Diuus Gregorius Nazianzenus orat. 10. ex eo quòd Deus illum inuisere dignatus fuerit, iuxta illud Dauidis Psalm. 8. *Quis est homo quòd memor es eius; aut filius hominis quoniam visitas eum?* Quemadmodum si Rex plebeium hominem inuiseret, cogitandi causam haberent cæteri, & dicendi; sine dubio non contemnendus vir ille, magni momenti est, nobili genere natus, à Rege inuisitur, vnde sic loco citato Gregorius: *Quidnam hoc nouum circa me mysterium? paruus sum, & magnus, humilis, & excelsus, mortalis, & immortalis, terrenus & cælestis. Nobilis*, inquit, Diuus Augustinus in Psal. 2. *& illustris princeps est, aut futurus, cùm Imperator summus illum inuasit.* Avgvst.

Colligitur ex eo quòd Deus illi filium dederit vnigenitum. Leo.

14. Præstantiam hominis inde rimatur S. Leo serm. de Nat. Domin. quòd tanti nos æstimauerit Deus, vt filium suum vnigenitum daret, & hominem faceret pro nostra salute, do illius verba: *Exultent in laudem Dei corda credentium, & mirabilia eius confiteantur filij hominum, quoniam in hoc præcipuè Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eam suus conditor æstimauerit. Qui cùm origini humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem suam fecit, reparationi nostræ longè amplius tribuit, cùm seruili formæ ipse se Dominus coaptauit.* Quò etiam respiciens Diuus Augustinus in Psalm. 66. sic scribit: *Fecit Christum participem priùs mortalitatis nostræ, vt crederemus nos posse esse participes diuinitatis eius. Attendamus pretium nostrum.*

Bern. Colligitur ex ratione quâ reparatus dũ erat perditus.

15. Nonò, D. Bernardus sermon. 1. de Aduent. colligit hominis dignitatem ex ratione, via, & ordine, quibus cùm esset perditus, fuit homo quæsitus à Deo: primò expendit, quis sit qui venerit, magna nimirum & ineffabilis Maiestas: Secundò expendit, vnde venerit, & quò, vtique venit de corde Dei Patris in vterum Virginis; venit, à summo cælo, in inferiores partes terræ. Tertiò expendit, ad quid venerit, scilicet, ad quærendã ouem centesimam, quæ errauerat, de montibus properauit, propter nos venit. Deinde verò mellifluus Doctor sic concludit: *Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsiti.*

Colligitur ex Christi lachrymis quas fudit. Hugo a S. Vict.

16. Decimò, præstantiam hominis colligit Hugo à S. Vict. l. 1. de anima c. 3. ex Christi lachrymis, quas præ compassione pro illo fudit. *Fudit*, ait, *ipse lachrymas pro te. Noli ergo vilipendere animæ tuæ valorem cui à tanta Maiestate tantam vides exhiberi compassionem.*

Luculētiùs colligitur ex eo quod Christus pro homine sanguinem fuderit. Ambros.

17. Sed multo luculentiùs hominis præstantia elucet, dum Christus pro homine sanguinem fudit: Vnde D. Petrus 1. Petr. 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis: sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi.* Hoc ergo est aurum mundissimum, atque optimum, quo nos Deus redimere voluit, & ornare, atque ditare, quemadmodum D. Ambrosius dicit in præfatione Psalmi 35. *Bonum aurum est sanguis Christi, diues ad pretium, perfluus ad lauandum omne peccatum. Auro seruum redimis, & auro ornas,* &c. Et D. Chrysost. hom. 71. ad Pop. *Hic sanguis, salus est animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc inflammatur, hoc ornatur. Empti estis*, ait Diuus Paulus 1. Corinth. 6. Chrysos.

pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. *Amauit vtique*, ait Tertull. in carn. Christ. cap. 4. *qua magno pretio* (sanguinis) *redemit.*

TERTVL.

Vide homo, quàm pretioso sanguine sis redemptus, vide quantum valeas, & caue ne ad miseræ seruitutis statum redeas. *Noli*, ait S. Leo serm. 1. de Nat. Domin. *iterum te diaboli seruituti subijcere, quia pretium tuum sanguis Christi est.* &c. Vide quantum valeas, & quantum debeas, & tibi vilis esse desine. *Agnoscat homo*, ait D. August. ser. 120. de temp. *quantum valeat, & quantum debeat, & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat. Custodiamus ergo solicitè, quod tanti sui cruoris commercio Christus redemit: Reus itaque erit non parui pretij sed sanguinis Christi, qui violat & commaculat animam, Christi sanguine, & passione mundatam.* Hæc August.

Vtinam agnoscat homo quantum våleat. LEO

AVGVST.

18. Vide ô Christiane, vt tanto pretio te nequaquam reddas indignum. *Eramus oppignorati*, ait D. Ambrosius lib. 3. de Virgin. *malo creditori, peccatis. Contraximus chirographum culpa: pœnam sanguinis debebamus. Venit Dominus* IESVS, *suum pro nobis sanguinem obtulit. Sed non potes sanguinem reddere. Bonus quidem seruus debet pretium suum reparare Domino suo. Sed si non potest pretium reddere, vel hoc faciet ne pretio videatur indignus. Ergo & tu dignum te gere tali pretio, ne veniat Christus qui te mundauit, qui te redemit: & si te in peccato inuenerit, dicat: Quæ vtilitas in sanguine meo?* Sic Ambrosius.

Videat Christianus ne tanto pretio se reddat indignum. AMBROS.

19. Pungentem etiam accipe Chrysost. *Vis scire*, ait, *quantum sit pretium animarum? redempturus eam Vnigenitus non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem. Vidisti magnitudinem pretij, quãdo ergo eam tanti emptam perdideris, quomodo poteris eam deinceps emere?* Deinde subiungit. *Vidisti quàm sit pretiosa anima, & quanta sit eius dignitas, ne ergo eam negligas & captiuam efficias.*

Vtinam talẽ animam non negligat homo. CHRYSOS.

Tantum abesse debet à Christiano, vt redemptus Christi sanguine, ad seruitutem diaboli redeat, eoque pretio se reddat indignum; & tanto pretio emptum, se iterum perdat, quin potiùs eo nomine debet Christo liberatori suo firmiùs inhærere, amoris igne acriùs accendi, & omne voluntatis & amoris pondus abundantiùs ad eum inclinare, glorificantes & portantes Christum in cordibus nostris, iuxta præclarum D. Pauli monitum 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Qualiter corda nostra meritò trahi debeant à sanguine Christi, atque ad eum amandum totaliter inclinari, probat efficaciter D. Augustinus tract. 7. in Ioan. ex superstitiosa quadam cuiusdam festi obseruatione in certa prouincia, de qua sic scribit: *Fratres mei, si agnoscamus pretium nostrum quia sanguis est agni, qui sunt illi qui hodie celebrant festiuitatem sanguinis, nescio cuius mulieris? & quàm ingrati sunt? Raptum est aurum, dicunt de aure mulieris, & cucurrit sanguis, & positum est aurum in trutina vel statera, & præponderauit multum præ sanguine.* Id est, plus ponderauit sanguis quàm aurum, ex quo inauris illa, siue illud ornamentum aureum fuerat composita atque conflata; quod quidem qualiter diaboli adminiculo factum fuerit, & cur festum hoc sibi institui diabolus procurauerit: sic docet eodem loco Diuus Augustinus: *Et quidem ille spiritus* (nempe malignus) *nescio quis, vt premeret pondus, placatus est sanguine. Immundi spiritus nouerant venturum Iesum Christum, audierant ab Angelis, audierant à Prophetis, & sperabant* (id est expectabant) *eum venturum.* Nimirum cuius sanguine solo homines redimi poterant. Quo loco sic etiam scribit de quodam alio spiritu maligno: *Nescio quid simile imitatus est quidam spiritus, vt sanguine simulachrum suum emi vellet, quia nouerat pretioso sanguine quandoque redimendum esse genus humanum.* Sed quò spectat superioris festi insinuatio siue relatio, vt ex illa sequentem trahat conclusionem D. August. *Si pondus ad inclinandum aurũ habuit sanguis mulieris, quale pondus habet ad inclinandum mundum sanguis agni, per quem factus est mundus?* Quod concludit D. Augustinus, hoc verbis illis concisiùs exprimit D. Paulus 1. Corinthior. 6. cùm ait: *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Duo dicit Paulus; primum, *empti estis pretio magno*; secundum, *glorificate & portate* &c. dum dicit nos esse emptos, nimirum pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi idem est; ac si dicat, hunc sanguinẽ in vna stateræ lance; id est, intellectu collocatæ; in altera verò lãce hoc sanguine redemptos ponite, & videte quãti homines æstimauerit Christus. Certè quicumque id fecerit, dicet cum Euseb. Gallic. ho. 6. in Pasch. *Magnum mihi quidem est de Deo, quod esse me sentio opus suum: sed multò plus, quod transisse ipsum video in pretium meum, quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur.* Sed sufficitne, ô sancte Apostole, quòd videam sanguinem redemptionis meæ pretium esse, & quòd in admirabili illo commercio homo Deum valere videatur? Absit; inclinare ad se debet sanguinis agni omnem lancem, omne pondus nostræ voluntatis, nostrique amoris, & omne quod sumus: quod accidit, quando obsequitur homo verbis illis D. Pauli, quæ immediatè illis subiungit: *Empti estis pretio magno*; nimirum, *glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

Quòd meritò corda nostra trahantur sanguine Christi. AVGVST.

AVGVST.

AVGVST.

IDEM.

EVSEBIVS GALLIC.

20. Clariùs adhuc elucescit hominis præstantia & dignitas, si expendas Deum Patrem vt hominem redimeret, proprium & naturalem filium, in mortem tradidisse. Vnde D. Paulus ad Romanos 8. volens eos in spem salutis firmissimè erigere, hoc vtitur argumento. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Proprio filio, id est vnigenito dilecto, qui natura

Clariùs patet hominis dignitas si expendas Deum pro hominis salute filium Deum dedisse. THEOPH.

THEOPH. tura ex ipso est, vt ait Theoph. Ecce quanta hominis apud Deum æstimatio, vt malit sine proprio esse filio naturali, vnigenito, dilecto, quàm sine homine. *Considera*, inquit AMBROS. Ambros. lib. 1. de Iacob & vit. beat. c. 6. *affectum patrium, quod pietatis est, quasi morituri filij suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis.* Sic EVSEBIVS GALLIC. ille. Audi etiam Euseb. Gallican. hom. 2. de symbolo: *In trutina crucis, non aurum vel argentum, nō corpus aliquod Angelorum, sed semetipsum passus est, auctor salutis, appendi, vt homini, qui ab statu degenerauerat, naturæ suæ dignitatem, vel ipsa ostenderet pretij magnitudo.* Deinde verò sic hominem pungit. *Quid ergo te, ô homo, erubescendis cupiditatibus inhonoras? Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam, quàm pretiosus sit, si factori fortè non credis, interroga Redemptorem.*

Pretiosum animal homo tanto dignum pretio. SYNESIVS. AVGVST. 21. *Pretiosum animal est homo*, ait Synesius epist. 57. *pretiosum enim si propter ipsum Christus in crucem elatus est. Sacculum* (vel vt alij legunt, Siclum) *carnis suæ*, ait Diuus Augustinus libro 2. de Symbol. ad catech. cap. 6. *in crucis ligno soluit, & pretium nostrum exactori reddidit. Aduersarius*, inquit Diuus AMBROS. Ambrosius super cap. 12. Lucæ, *tanquam captiua mancipia, vilioris pretio æstimationis addicit Dominus, vt speciosa seruitia, quæ ad imaginem & similitudinem sui fecit: idoneus operis sui æstimator, magno nos pretio, quod ære scilicet non æstimatur, sed sanguine pretioso, de vana nos conuersatione, de maledicto legis, & de perpetua impietatis morte redemit*, &c. Expende illa verba, *speciosa seruitia*, Pende & illa: *Idoneus operis sui æstimator.*

AVGVST. 22. Quocirca sic meritò Diuus Augustinus in Psalm. 66. monet animam: *O anima, pretioso redempta sanguine agni immaculati, quanti valeas, quid pro te datum sit cogita.* Et LAVR. IVSTIN. Laurentius Iustinianus: *Te*, ô homo, qui teipsum tam parui æstimas, vt ob leuem voluptatem, teipsum vendas diabolo) *agnosce in Christo.* Et Diuus Bernardus serm. 1. BERNAR. de Epip. *Quanti te fecit, ex his quæ pro te factus est agnosce:* Et Chrysologus homil. 70. CHRYSOLOGVS. *Homo*, inquit, *redi ad Deum, sic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te, ad suam deduxit iniuriam, & voca patrem fidens, quem tantò amore tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem.*

Ne tibi amplius vilescat homo Christo tā pretiosus. AVGVST. 23. *Postquam intellexi*, ait Diuus Augustinus, *me pretioso Christi sanguine redemptum, nolui amplius me exhibere venalem:* Idem cum Augustino dicat omnis Christianus. Is enim, non vltimus est Passionis & crucis Christi fructus, quod inde colligere valeat homo, quantus sit apud Deum, quantique Deus eum faciat, ne sibi in scelere vilescat. Dicat cum Hugone. *Amplius mihi* HVGO. *esse vilis non debeo, quia tantùm Deo placui, vt mori pro me eligeret, ne perderet. Dicito*, ait Am- AMBROS. bros. de Elia & ieiun. *si fortè vides pugnare aduersum te diaboli tentamenta. Quid tibi & mihi est belial? Ego Christi seruus sum, illius redemptus sanguine, illi me totum mancipaui. Quid mihi & tibi est? non noui opera tua, nihil tuum quæro, nihil tuum possideo, nihil tuum desidero.* Sic ille. Dicito cum Chrysost. hom. 12. in 2. ad Corinth. *Cùm per Iesum Christum mortuum viuamus, ei vtique ob quem viuimus, viuere debemus.*

O vtinam homines obsequantur præclarissimo illi monito D. August. serm. 114. de AVGVST. temp. *Agnosce homo*, inquit, *quantum valeas & quantum debeas, & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccati pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur iustitia pro iniquo, misericordia affigitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, adducitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Expauit scelus hominum natura rerum, & quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, & cœli Regem sol fugiens confitetur.*

24. Vltimò, hominis præstantiam auspicatur Guarricus, non solùm ex Christi morte, sed etiam ex missione Sancti Spiritus, sic enim loquitur sermone 1. de Pentecost. *O Deum, si fas est dici, prodigum sui, pro desiderio hominis! An non prodigum, qui sicut proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, sic nec Spiritui Sancto pepercit (vt ita loquar) sed noua & mira largitate, super omnem carnem effudit illum. Parum erat Patri tradidisse filium vt redimeret seruum, nisi daret Spiritum Sanctum quo seruum adoptaret in filium. Dedit filium in pretium redemptionis, dedit spiritum in priuilegium adoptionis. Se denique totum seruat hæreditatem adoptatis.* Sic ille. Ex missione S. Spiritus etiam pensanda hominis dignitas. GVARRIC.

25. Vt autem ex hoc speculo ignito, id est, Christo crucifixo, in cognitionem adducaris propriæ dignitatis ac præstantiæ, vide quo lumine ad illud accedas. Monet Erasmus in Adag. *Ne te in speculo contempleris ad lucernæ lumen.* Similiter admonitum te velim, Christiane, ne te in hoc diuino speculo, contempleris, ad lucernæ, id est, rationis, subobscurum & tenue lumen, verùm ad solis, id est, fidei præstantissimum & diuinissimum lumen, teipsum in hoc speculo contemplare, & sic facilè disces, quantæ sis excellentiæ, quantæ dignitatis. Lumine fidei debet se homo in hoc speculo, id est, in Christo crucifixo intueri. ERASM.

26. De speculis refertur corporalibus, quantò longiùs ab ijs distas, eò minor appareas: similiter quia longè per considerationem distamus à diuino & ignito illo speculo Christo crucifixo, hinc est quòd tam submissè & tenuiter de nobis sentiamus, & tam facilitèr nos aduersarijs vendamus. Per considerationem ergo quam potest fieri de proximo in illo, nosmetipsos, non superficia- De proximo hoc speculum intueri debemus.

ficialiter, sed pensiculatiùs videamus, & fieri non poterit, quin magnam opinionem de innata nobis dignitate, concipiamus, & si quæ vincula peccatorum nos premunt, quin ea rumpamus, vt ad filiorum Dei libertatem perueniamus. De leone refertur, vt si in speculo seipsum videat, mox reminiscens suæ dignitatis, ferocior factus, non patitur se hominum subijci dominio. Idem accidit homini, dum in hoc speculo, cernit propriam dignitatem.

Quòd in Christo crucifixo tanquam speculo aspiciendus proximus vt de illius dignitate, rectè iudicare possimus.

§. II.

In crucifixo etiam aspiciendus proximus, vt illũ magnifacias, & diligas.

27. NON solùm hoc speculum ignitum Christi crucifixi inseruit, vt ex eo eliceamus propriam præstantiam, & dignitatem, verùm etiam, vt inde colligamus dignitatem cuiuscumque hominis, etiam exteriùs miserrimi, & despicatissimi. Solent homines secundum externam faciem, & visionem oculorum, de hominibus iudicare: vnde contingit, vt fiant iudices cogitationum iniquarum, iuxta illud Iacobi c. 2. *Si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens in veste cãdida; introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste praclara, & dixeritis ei: Tu sede hic, bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabellum pedum meorum, nónne facti estis iudices cogitationum iniquarum. Quemadmodum stultus est*, ait Seneca epist. 37. *qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frænos: sic & stultissimus est, qui hominem, aut ex conditione, qua vestis modo nobis circumdata est, æstimat. Seruus est? sed fortasse liber animo. Seruus est? hoc illi nocebit, alijs non nocebit?* De eodem argumento sic etiam Seneca epist. 77. *Gladium bonum dicis, non cui deauratus est balthæus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui est ad secandum subtilis acies. Regula non quàm formosa, sed quàm recta sit quæritur. Ergo in homine nihil ad rem pertinet quantum aret, quantum fœneret, à quàm multis salutetur, quàm pretioso incumbat lecto, sed quàm bonus sit. Nemo istorum quos diuitiæ honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? cum basi illum sua metiris. Paruus pumilio, licet in monte constiterit, colossus magnitudinem suam seruabit, etiamsi steterit in puteo: hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus, eò quòd est, sed adijcimus illi, & ea quibus ornatus est, imò ex illis ipsum æstimamus & metimur.* Sic ille. Quia verò homines se vident ex vestibus æstimari potiùs quàm ex moribus, impendunt totos se ad vestium elegantiam comparandam, vt ait Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 10. præsertim fœmineus sexus, vt dixerit D. Cyprian. lib. de bono pudicit. *Mirum negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas, auri scilicet, gemmarum, ac vestium fortiores sunt vires.* Noli, ô Christiane, secundũ visionem oculorum iudicare, non desunt tibi specula, in quibus clarè tibi perspicienda proponitur, interna hominis dignitas, secundum quam venit æstimandus, neglecto genere, diuitijs, dignitatibus, alijsque humanis respectibus, quæ omnia meritò fallacia dixeris specula, quia longè aliter homines, nostris obijciunt oculis, quàm reuera sunt coram Deo.

SENECA.

SENECA.

CYPRIA.

Speculum in quo aspiciẽdus proximus est illius humanitas.

28. Primum speculum in quo aspiciendus proximus, est illius humanitas, hanc quia non attendis, hinc despicis pauperes, & nihili facis miseros. *Attendis pauperem*, ait D. August. ser. 225. de temp. *& despicis, & non cogitas, quoniam homo est.* Deinde verò exponens, quantæ dignitatis sit hominem esse, sic ait: *homo chara & amica possessio Dei: homo, cuius causa formatum est cælum, & extensum est mare, fundata est terra, propter quem sol oritur & occumbit*, &c. Quid senserint de hominis dignitate antiqui Philosophi, passim obuium. Celebrat D. August. lib. 10. de ciuit. c. 12. dictum illud Trismegisti: *Magnum miraculum homo. Multis videmur*, ait Seneca epist. 71. *maiora promittere, quàm recipit humana conditio; non immeritò, ad corpus enim respiciunt. Reuertantur ad animam, iam hominem Deo metientur.*

AVGVST.

Speculum in quo aspiciendus proximus est humana natura, sed quatenus est assumpta à Christo.

29. Vult autem D. Leo serm. 4. de collectis, vt non nuda humana natura, nobis sit pro speculo, in quo proximum intueamur, sed quatenus est assumpta à Christo Redemptore nostro, sic enim magis nos vrget, vt eum magni faciamus, & necessitatibus eius occurramus, loquentem & monentem accipe: *Faciles*, ait, *sunt in alimenta miserorum, qui cupiunt ad societatem peruenire fidelium. Non sit vilis homini homo, nec in quoquam despiciatur illa natura, quam rerum conditor suam fecit. Cui enim laborantium licet negare, quod Christus sibi profitetur impendi. Iuuatur conseruus, & gratiam refert Dominus. Cibus egeni, regni cælestis est pretium: & largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. Vnde autem exigua ista impendia, tanta æstimari taxatione meruerunt, nisi quia pondera operum, charitatis lance pensantur, & quum amatur ab homine, quod Deus diligit, meritò in eius ascenditur regnum, in cuius transitur affectum.*

LEO.

30. Secundum speculum est, Angelorum custo-

Secundum speculum est angelorum custodia.

custodia: *Videte*, ait Christus Matth. 18. *ne contemnatis vnum ex pusillis istis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* An enim non magni faciet homo eum, cui à Deo destinatum videt, vnum ex aulæ suæ principibus, vt eundem defendat & protegat, imò inseruiat & ministret? Sunt enim Angeli omnes administratorij spiritus.

3. Speculum est hæreditas cælestis illi præparata.

31. Tertium speculum in quo aspiciendus, & iuxta cuius dictamen iudicandus est homo, cœlestis est hæreditas, quæ illi præparata à Domino. *Filioli*, ait S. Ioan. 1. Ioan. 3. *nondum apparuit quid sumus; cùm autem apparuerit, similes ei erimus.* Esto, sit homo in hac vita obrutus miserijs, sit instar Lazari, mendicus & vlceribus plenus, sit despectui omnibus; veniet dies in qua illud in illis verificabitur: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & similitudinem improperij*, &c. *Ecce quòmodo computati sunt inter filios Dei*, &c. Quàm parui æstimas paruulum mendicum, nudum, discalceatum: si quis te conueniret, & diceret: Vides paruulum illum? Scias illum filium esse cuiusdam præpotentis regis legitimum, ac consequenter maximi regni hæredem & successorem futurum, veniet, tempus quo illum purpurà indutum cernes, & pretioso diademate in capite redimitum, in qua iam eum non haberes æstimatione? Legimus 4. Reg. 11. quòd, *Athalia mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, surrexit & interfecit omne semen regium. Tollens autem Iesaba filia regis Ioram, soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio: & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini.* Dum sic incognitus agebat Ioas cum amita, à nemine magnifiebat nulloque in pretio erat: verùm cùm postea accidit, summum sacerdotem è latebris educere, & producere filium regis, ponereque super caput eius diadema, & vnctum proponere populo Israelitico, tamquam legitimum eorum regem, in quam admiratione nõ rapiebatur tunc populus, qui antea eum latentem, & insignibus regalibus vacuum, parui penderant, nec alicuius momenti reputauerant.

4. Speculum est passio Christi.

32. Quartum speculum, & quidem anterioribus multò augustius & fulgentius, est passio Christi, & crux Christi. Pro proximo enim nostro, Dei filius humanam naturam assumpsit, opprobria & flagella sustinuit, crucem pertulit, mortem gustauit, & ad inferna descendit. Ac proinde in homine non considerandum, quod pauper sit, quòd nudus, quòd despectus, quòd peccator, sed quòd Christus Dominus pro illo sanguinem suum fuderit, & omnia sua vendiderit. Sanguinem puta, animam, vitam, corpus, personam, merita, Sacramenta, Apostolos, martyres, angelos, vt eundem deperditum recuperaret, & iterum compararet. In hoc speculo considerat D. Paulus Onesimum seruum fugitiuum: vnde licet in carcere Romæ constitutus, nihilominus omnem mouet lapidem, vt eum reconciliet domino suo Philemoni, in eum finem integram illi scribens epistolam, plenam suauissimis argumentis, non secus, ac si pro propria vita, res illi foret. Quæ omnia expendens D. Chrysostomus, sic scribit homil. de profectu Euangelij, quæ habetur post epist. ad Philippens. tom. 4. *Quotidie curæ ei erat, quid Corinthij, quid Macedones, quid Philippenses: quòmodo Cappadoces, quomodo Galatæ, quomodo incolentes Pontum, quomodo omnes homines, valerent. Et licet totius orbis curam suscepisset, nihilominus tamen non solùm pro gentibus integris, sed & pro homine solicitus erat. Et nunc quidem propter Onesimum epistolam mittebat, & propter eum, qui apud Corinthios stuprum commiserat. Non enim hoc considerabat, quòd vnus esset qui peccauerat, & præsidio egeret, sed quòd homo esset. Homo dignissimum Dei animal, & propter quem nec Vnigenito suo pater pepercit. Non enim mihi hoc dicas, quòd sit fugitiuus quispiam, vel latro, vel fur, vel facinorosus, vel quòd sit pauper, abiectus, vilis, & nullius frugis: sed cogites, quòd & pro ipso mortuus est Christus, sufficiatque tibi, vtpote idonea solicitudinis causa. Cogita, quantum illum esse necessarium sit, quem tantus Christus ita appreciatus est, vt nec sanguini suo pepercit. Neque enim opinor, si rex pro aliquo occidi vellet, quæreremus argumentum aliud, num magnus quispiam ille sit, quem rex tanti facit. Non autem ego tantùm opinor, sed sufficiens est mors eius, qui mortuus est, vt ostendat quanta charitatis fuerit erga illum. Nunc verò, cùm non homo, non Angelus, non Archangelus, sed ipse cælorum Dominus, ipse vnigenitus Dei filius, carne vestitus tradit semetipsum pro nobis ad mortem: si non omnia fecerimus, & attentauerimus, vt homines tanto pretio redemptos, in omni cura habeamus, quâ nos tuebimur defensione? quam veniam impetrabimus? Et hoc ipsum Paulus indicans, dicebat: Ne cibo tuo perde illum, propter quem Christus mortuus est.* Rom. 14. *Volens enim eos qui despiciebant & contemnebant fratres infirmos castigare, & in officio continere, vt persuaderet eis habendam proximorum curam, hanc vnicam rationem pro omnibus dedit.* Hactenus ille.

Chrysost.

Guilhelmus.

Guilhelmus apud Martinum Delrio expendens illa sponsæ verba Cantic. 8. *Quid mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deosculer te, & me iam nemo despiciat.* sic scribit: *Quis poterit despicere homines in Deo homine facto? Quis vilem iudicabit hominem, precio sanguinis tui pro hominibus dato?*

Quòd in Christo crucifixo tanquam speculo appareat quanta sit peccati fœditas.

§. III.

In crucifixo apparet quanta peccati fœditas.

33. TAm peccator est sui ipsius, & omnium earum rerum, quæ ad salutem eius, aliqua ratione spectant, ignarus, vt nequeat absque speculo, vel propriam fœditatem, vel peccatorum suorum turpitudinem agnoscere. Vnde libet illi speculum aliquod clarissimum ob oculos ponere, in quo propriam aspiciat fœditatem, & peccatorum suorum turpitudinem. Et quodnam hoc erit speculum? Non aliud, quàm speculum hoc ignitum Christi crucifixi, de quo in præcedentibus multa diximus. O pulcherrimum speculum, in quo ad viuum spectanda sese offert peccatorum nostrorum fœditas. Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrûm. Ipse quoque Christus in se luenda recepit omnia delicta nostra, vt mirum non sit, si sit speculum exprimens eorum fœditatem.

24. Vis scire, ô homo, quàm fœda sit, quà intumescis superbia? Illam in spinis illis caput Christi perforantibus & dilacerantibus contemplare. Vis scire, ô homo auare, quàm fœda sint iniqua tua commercia vsuræ, doli, fraudes &c. Illa contemplare in manibus Christi clauis durissimis transfixis. Vis scire, ô voluptuose, quàm fœda sit luxuria & carnalis immunditia? Illa contemplare in corpore Christi purissimo, vndique dilacerato, & sanguine perfuso. Vis scire, ô peccator, quanti sit peccati fœditas & turpitudo? Illud contemplare in omnibus Christi anxietatibus & amaritudinibus, in conuitijs & sputis, in alapis, & subsannationibus: in exprobrationibus & flagellis: in clauis & vulneribus, & cæteris omnibus quæ pro salute hominum, Christus pati dignatus est.

In crucifixo peccata sua contéplabatur. AVGVST.

25. Sic peccata sua, in Christo crucifixo contemplabatur D. Augustinus in man. cap. 7. dum lachrymarum suarum perfusus imbre sic fatur: *O mirabilis censuræ conditio! O ineffabilis mysterij dispensatio! Peccat iniquus, & punitur iustus, delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat seruus, exoluit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus.* Deinde ad Christum conuersus, sic eundem alloquitur: *Quò nate Dei, tua descendit humilitas? quò tua flagrauit charitas? quò processit pietas? quò excreuit benignitas? quò peruenit compassio? Ego iniquè gessi, tu pœnâ mulctaris: ego facinus admisi, tu vltione plecteris: Ego crimen edidi, tu torturæ subijceris: Ego superbiui, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis: ego gulæ parui, tu inediâ afficeris: me ad illicitam rapuit concupiscentiam ardor, te perfecta charitas duxit ad crucem: ego præsumpsi vetitum, tu subijsti equuleum: ego delector cibo, tu laboras patibulo: ego fruor delicijs, tu laniaris clauis: ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem,* &c.

Corpus Christi speculum animæ. DROGO.

36. *Fecisti Domine de corpore tuo*, ait Drogo, *speculum animæ meæ*, in quo scilicet videat, quàm turpia, fœda, & abominanda sint sua in te commissa peccata. Quibusdam iratis (ait Sextius apud Senecam lib. 2. de ira capit. 36.) *Profuit aspexisse speculum. Perturbauit illos, tanta sui immutatio. Veluti in rem præsentem adducti, non agnouerunt se*, &c. Similiter profuerit omnibus peccatoribus, si Christum crucifixum, tanquam speculum, in quo turpitudo peccati, & animæ peccatricis, expressa, aspexerint, in illo enim facilè percipient, qualiter animam suam deturpent, disforment, immutent, ac proinde non poterit non peccata excutere & ex animo pellere.

37. Dicitur Minerua, cùm tibia caneret, inflatas buccas in amne conspexisse, vultusque illa deformitate offensa, abiecisse tibias: Atqui multò deformior est peccatoris anima, quam si diligenter in hoc speculo aspiciat, mox peccati fœdissimum monstrum, pellet & velis remisque ab eo fugiet.

Peccatum serpens si illud adspexeris enecabis. VIVES.

38 Tam venenatus est aspis, vt quæque visu inficiat, imò etiam solo visu animantia interimat, quin & seipsum quoque visu proprio interimit: armatus enim homo, sese speculo contectum, exhibet basilisco, ille sese prospectans, reflexu radiorum suorum perimitur, vt scribit Viues scholio ad S. Augustinum de ciuit. Dei lib. 8. capit 13. Solet peccatum serpenti atque aspidi comparari, si accesseris ad illud inficieris ab illo. Vis hunc enecare aspidem? obarmare diuino hoc speculo, id est, Christo crucifixo iuxta illud D. Pauli: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Mox verò atque pulsaris aliquibus peccati illecebris, peccato, hoc obijce speculum, in quo propriam conspiciens fœditatem, propria deformitate quasi deterritum, fugam captabit, insuper proprio enecabitur veneno.

Quòd

Quòd in Christo crucifixo tanquam speculo appareat peccati grauitas, & quanto illud prosequatur odio Deus.

§. IV.

In crucifixo apparet peccati grauitas.

TERTVL.

1. IN hoc speculo, etiam perspicuè videtur, quanta sit peccati grauitas, & quàm graue vulnus animæ inferat; pro eo enim curando necessarius fuit sanguis, immo mors Domini nostri Iesu Christi. Vnde Tertullianus lib. de fuga in persecut. cap. 12. cùm dixisset: *Qui filio suo non pepercit pro te, vt fieret maledictum pro nobis, qui tamquam ouis ad victimam ductus est, & tanquam agnus ante tundentem, sic non aperuit os suum, sed posuit dorsum suum in flagella, maxillas autem in palmas, & inter iniquos deputatus est, & traditus in mortem, mortem autem crucis*, subiungit: *Totum hoc vt nos à peccatis lucraretur.*

AVGVST.

2. Hac de re sic D. Augustinus Psalm. 102. *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est: grauis animæ casus, quæ non nisi cruce Christi potuit reparari.* Et serm. 29. Tom. 10. sic idem prudenter expendit: *Et ille quidem pretiosum sibi hominem, pretij ipsius dignitate perdocuit, vt hinc quoque intelligamus, quàm grandes apud se æstimet Deus noster humanorum criminum causas, propter quas non angelum, non Archangelum, sed Deum misit ad terras.*

BERNAR.

3. Audi etiam D. Bernardum serm. 3. de Natiuit. Domini. *Ex consideratione remedij periculi mei æstimo quantitatem, filius altissimi iubetur occidi, vt vulneribus meis, pretioso sanguinis balsamo, medeatur. Agnosce homo quàm grauia sint vulnera illa, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari.* Pende illa verba, *ex consideratione remedij;* Sunt quidem pœnæ infernales, & damnatorum horrenda illa supplicia, pulcherrimum speculum, in quo videas peccati grauitatem: sed in Christo sanguinem fundente, & mortem subeunte, eorum magis grauitas elucescit. Non enim supplicium, quod damnatis infertur, adeò graue & acerbum est, ac illud quo Christus in passione, propter hominum scelera mulctatur, quia damnati sunt digni his & grauioribus pœnis. Innocentissimus verò Iesus nullam vnquam suscepit culpam, ob quam tam grauiter & atrociter puniretur, & quidem supplicia illa ab homine petuntur, & ab homine qui meritas sui peccati pœnas luit; hæc verò ab ipso Deo optimo, maximo, & qui nullius culpæ particeps est, aut esse potest. Quocirca hæc multò grauiora sunt, & in illis peccati fœditas & grauitas plus, quàm in quibuscunque alijs pœnis aut supplicijs elucet; ex quo fit vt nihil aliud æquè peccati malitiam exprimat, ac Saluatoris nostri mors, cruciatusque grauissimi.

Sunt pœnæ infernales grauitatis peccati speculum, sed clarius mors est Christi.

4. *Tua metire delicta in eius* (Christi) *afflictionibus*, ait Laurentius Iustin. Crux enim, claui, & lancea Christi, denique omnia eius tormenta sunt instar trutinæ, quæ ad æqualitatem librat peccata nostra: sunt instar regulæ ac mensuræ, secundum quam grauitas eorum examinanda.

Metienda nostra delicta in Christi afflictionibus.

LAVRENT. IVST.

5. In hoc speculo etiam videmus, quanto odio Deus ipsum prosequatur peccatum, cùm videns Christum filium dilectissimum illud in humeros suos, vt nos illo exoneraret, suscepisse, tam acerbè illud in illo vindicet & puniat. Non desunt nobis varia specula, in quibus ad oculum patet, quantum Dei sit in peccatum odium, & quantopere illud detestetur & vindicet.

In crucifixo etiam videmus quanto odio Deus peccatum prosequatur.

6. Primum speculum sit ipse homo. Nemo non nouit, quanti Deus faciat hominem, ad imaginem suam creatum: nihilominus si maculatum peccato illum cernat mauult diabolo illum tradere, quàm sibi retinere, cum illo, creaturam, vt rectè ponderauit Origenes homil. 1. super caput 1. Hierem. *Putas, ait, quantum malum est peccare, vt tradamur Sathanæ captiuanti animas eorum, qui relinquuntur à Deo.* Quæ quidem ponderatio ingens, si semel animæ dignitatem, excellentiam, nobilitatem, valorem consideres, & ad cuius instar sit producta, & insuper quæ, & quanta pro illo Deus egerit expendas, & quod tamen potiùs iudicat Deus eam diabolo, crudelissimo suo tradere inimico, quàm eam cum peccato apud se retinere. O pulcherrimum speculum in quo perspicias Dei in peccatum odium.

Magni quidem facit Deus hominem, sed si reperiat in eo peccatum mortale diabolo eum tradit.

PINTVS.

7. Secundum speculum, sit grauis illa Dei vindicta, quam sumpsit de peccato primorum parentum, ex qua innumera promanarunt in genus humanum mala. *Attende*, inquit Hildebertus epist. 56. *miserias hominum, intuere cineres, vectigalia peccati sunt, peccatum tot sequutæ sunt vltiones, quot ex eo incommoda pullularunt. Iussit Deus*, ait Theodoretus quæst. 40. in Genes. *Adam è regione Paradisi agere, vt pristinam vitam, dolore carentem, reuocans in memoriam, odio prosequeretur peccatum, tamquam auctorem laboriosæ, & erumnosæ vitæ.* Sic ille.

Quàm graue delictum colligere licet ex vindicta quam sumpsit Deus de primi hominis delicto.

HILDEB.

THEODORETVS.

8. Tertium speculum sit generale diluuium, quo Deus mundum ob peccata deleuit. De diluuio fatus Rupertus lib. 4. Genes.

Generale diluuium speculum

gravitatis peccati.

RVPERT.

nes. cap. 16. rogat: *Quid in hoc maximè intendit Deus?* Respondet autem, *Hoc scilicet, vt scirent ventura sæcula, quantum Deus peccatis aduersetur.*

Inferni grauissima pœna speculum grauitatis peccati.

9. Quartum speculum sit, inferni grauissima, & nunquam terminanda pœna, quâ plectitur anima, si contingat illam ex hac vita migrare cum aliciuus peccati mortalis macula. Videbis quempiam habentem phialam aliquam auream gemmis pretiosissimis ornatam, accidit autem veneni alicuius guttulam, in eam cadere, quo percepto, mox ille manibus excutit phialam, in mille eam comminuit partes. Quis ex illo facto non colligat, hominem illum summopere execrari, summoque odio ferri in liquoris illius guttulam. Idem esto de anima iudicium. Fateor, est Dei possessio pretiosissima, est Dei thesaurus, vt docet D. Bernardus serm 5. de dedicatio. Eccl. Nihilominus si contingat eam è viuis discedere, cum peccati mortalis reatu, tantopere peccatum execratur & odio tanto prosequitur, vt eam eo nomine in æternas proijciat flammas.

BERNAR.

Quantum Dei in peccatum odiū patet ex morte Christi.

10. Verùm cæteris omnibus præstantius speculum, in quo clariùs perspicimus, summum Dei, in peccata odium, est Christus Dominus, pro peccatis hominum cruci & morti adiudicatus. Abundè hoc patebit, si semel considerauerimus, quæ Deus ad destruendum fecit peccatum, nam potiùs existimauit filium suum amantissimum mortem subire, quàm non delere peccata. *Hoc autem scientes*, inquit S. Paulus ad Rom. 6 *quòd vetus homo noster* (*hoc est*, vt inquit Tolet. *qui peccatum, & concupiscentias nascentes, ex veteri Adamo traxit*) *simul crucifixus est.* Quid est simul? *Id est, cum Christo*, inquit S. Thomas, *crucifixus est:* ad quid ergo? *Vt destruatur corpus peccati*, hoc est, vt inquit Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Ansel. tota peccatorum massa, quæ quasi vnum est corpus hominis veteris, cuius membra sunt, libido, auaritia, fornicatio, &c. moriatur & destruatur. Ob hoc ergo Christus crucifixus est, ob hoc mortuus, vt corpus peccati moreretur & destrueretur, pluris faciens Deus peccati mortem, quàm vitam filij sui, & ideo vt peccatum moreretur, & ampliùs non esset, voluit, vt vita filij sui perderetur.

D. THOM.

Quia hæc non conferant peccatores, bibūt tanquam aquam iniquitatem.

11. O vtinam, in specula hæc, conijciant oculos, peccatores! quia verò specula hæc, longè ab oculis eorum posita, hinc accidit vt non fugiant, nec detestentur peccata, sed bibant, sicut aquam, iniquitatem, iuxta illud Iob cap. 15. *Abominabilis, & inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Cur sicut aquam? Audi Liranum. *Iniquitatem, sicut aquam bibit, qui committit peccata absque freno timoris: Ille enim qui bibit vinum quia timet inebriari, bibit temperatè: sed bibens aquam hoc non timet, propter hoc non curat de tali temperamento.* Audi etiam D. Gregorium 12. mor. 18. *Hoc, quod comeditur, cum mora glutitur, quia manditur vt glutiatur: quod autem bibitur, tantò ad glutiendum moram non habet, quantò nullam, & ad mandendum, necessitatem habet: culpa ergo quia à stulto homine, sine vlla retractione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur. Quia enim illicita sine timore facit, quasi potum iniustitiæ sine obstaculo glutit.*

LIRAN.

GREGOR.

Qui inferni pœnas considerat, redit ex illis plenus peccati odio.

12. O peccator, vis non sicut aquam bibere iniquitatem? vis illam detestari? vis odium illius grauissimum in te accendi? vis ab ea fugere tamquam à facie colubri? In regionem damnatorum descende, ibi intuere æternas, easque grauissimas damnatorum pœnas quas ob peccata tolerant. Crede mihi, vacuus ex illa regione non redibis, sed spiritualibus mercibus onustus, inter quas non vltima erit, verissimum peccati odium. Pulchrè ad hæc Petrus Damian. serm. 60. in die S. Nicolai. *Totus*, ait, *tremo atque horreo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis qui non succenditur, vermis qui non moritur, frigus horrendum, illic fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, obtusæ tenebræ cumulatiùs indensantur, illic confusio peccatorum, horribiles facies dæmonum, inextricabilium vinculorum fertilis multitudo, ibi fletus & stridor dentium, planctus & gemitus, & alternantia mala impios sine pietate decerpunt, nihil sic valet ad extirpandas voluptatum radices quàm istorum memoria, curre per has tumultuantes nundinas, vt viuens descendas ad infernum, & fac sarcinam tuam odium peccati.*

PETRVS DAMIAN.

13. Oculos quoque conijce in quæ Christus pertulit, vt destruatur corpus peccati, & tale concipies peccati odium, vt malis mori, quàm illo fœdari, vt malis in ipsam incidere gehennam, quàm peccati aliquam contrahere maculam.

Christus crucifixus oculis carnalibus maximè deformis speculum est animæ in peccato existentis

Vide etiam in Christo crucifixo qualiter difformetur, & malè tractetur, per peccata tua, anima tua. Quid Christo patienti & crucifixo, si oculis illum aspicias carnalibus, magis difforme, turpe, despectum, ac visu horridum? Cogita, ò homo, Christi corpus funibus constrictum, plagis saucium, sanguine tabidum, & doloribus vndique obrutum viuacissimum sit animæ tuæ in peccatis constitutæ speculum, iuxta illud Drogonis, in lib. de Sacrament. Dominica pass. sic namque ibi Christum in cruce pendentem, loquentem inducit: *Plus animarum vestrarum quàm corporis mei cruciatus me tenet. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus. Attendite dolorem meum, vt in dolore meo videatis dolorem vestrum, dolor meus imago*

DROGO.

imago vestri doloris est. Quod attenditis in corpore meo, attendite & vos, si similis dolor non sit, in corde vestro, transitis à vobis ad me, transite à me in vos, & videte si similis dolor in vobis sit sicut dolor meus. Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete filiæ Ierusalem. Nam ille dolor quem transitis, & non attenditis, magis est flendus quàm dolor meus, propter scelus enim vestrum percussus sum. Deinde sic Christum alloquitur idem Drogo. *Hæc nobis de cruce tua clamas, ô benigne Iesu, & si non verbis, tamen ipsa re; quid tibi respondeam? quid loquar? aut quid retribuam? fecisti ergo mihi de corpore tuo speculū animæ meæ. Nesciebam contumelias & terrores, & colaphizantem me incessanter satanam, nisi viderem artem medicinæ tuæ similia similibus curantem.* Et paulò pòst: *In domo ergo Principis Sacerdotum, velata facie colaphizatur Iesus, quia in domo conscientiæ, cæcata mente colaphizatur Christianus. Quod enim Christus in publico, ego patior in occulto, quod ille foris à ministris Caiphæ, ego intus à negotijs Satanæ, quia supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: faciem mihi velauerunt, faciem meam in terra defixerunt, & dorsum incudem suam fecerunt, & supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Hactenus Drogo.

IDEM.

Quænam auguria, ex Christo Crucifixo tanquam speculo capere liceat, & de spirituali totius hominis, ad Christi Crucifixi imitationem, crucifixione.

SECTIO XX.

Nisi nos videamus cum Christo crucifixos, argumentum est damnationis.

§. I.

Ex speculis capta auguria.

IOAN. SERASBERIENSIS.

1. DE speculis antiquitus solebant capi auguria, hac de re sic Ioan. Serasberiensis lib. 1. de nugis curialium cap. 12. *Specularios vocant, qui in corporibus leuigatis & tersis; vt sunt lucidi enses, pelues, cyathi, speculorumque diuersa genera, diuinantes, curiosis consultationibus, satisfaciunt, quam & Ioseph exercuisse, aut potiùs simulasse describitur, cùm fratres argueret surripuisse scyphum, in quo consueuerat augurari.* Vt ille vanè auguria captabant è speculis; ita nos verè & catholicè auguria, vel potiùs argumenta, captare possumus, è speculo Crucis igneo, futuræ vel saluationis, vel damnationis vitæ vel mortis.

Ex crucifixi speculo captamus signa saluationis, vel damnationis.

2. In primis, si accedens ad hoc speculum ignitum Christi crucifixi, nullum percipis caloris diuini sensum, sed in tuo perseueras frigore: argumentum est te non viuum, sed penitus mortuum existere; si enim vitæ alicuius esses particeps, qui fieri posset, vt ad tantum ignem non incalesceres?

Qui amore Christi crucifixi non accenditur, pessimum signum.

3. Secundò si pulcherrimarum virtutum Christi imagines & formas, quas spectandas exhibet hoc diuinum speculum, tibi displiceant, & nauseam ingerant, argumentum est animi pessimè dispositi, atque grauibus morbis interioribus oppressi.

Cui displicent Christi virtutes, is pessimè dispositus.

4. Tertiò, si in hoc speculo oculos conijciens, cernis te planè Christo dissimilem, ille cùm humilis sit, si te superbum videas, &c. argumentum est, te à Christo, & illius regno, maximè alienum esse.

Qui planè Christo crucifixo dissimilis, in pessimo est statu.

5. Quartò, si cernens pro te Christum corporaliter crucifixum, tu abnuis illi concrucifigi spiritualiter, argumentum est, nihil tibi præter nudam fidem esse commune cum Christo, ac reuera inimicum esse crucis Christi: Nam qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.

Qui spiritualiter Christo non crucifigitur, is malè se habet.

Quænam debeant in Christiano esse spiritualiter crucifixa.

§. II.

6. VIs scire, quæ in Christiano, cum Christo, debent esse spiritualiter crucifixa?

7. In primis, vetus noster homo, vt monet D. Paulus Rom. 6. Hisce verbis: *Hoc scientes, quia vetus homo noster, simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* De veteri homine crucifigendo, sic pulcherrimè monet, imò vnumquemque Christianum sic acriter pungit D. Bernardus in medit. cap. 9. *Scio quendam, qui annos plurimos tecum familiariter vixit, ad mensam tuam sedit, cibum de manu tua sumpsit, in sinu tuo dormiuit, cùm voluit, tecum colloquium habuit, hic iure hæreditario*

Vetus homo debet crucifigi.

BERNAR.

ditario seruus tuus est. Sed quia ab ineunte ætate delicatè nutristi eum, & virgæ pepercisti, contumax effectus est, leuauit calcaneum suum super caput tuum, & te in seruitutem redegit, & tui crudeliter dominatur. Sed fortassis dices, quis est hic? Vetus homo tuus, qui conculcat spiritum tuum, qui pro nihilo habet terram desiderabilem, qui sola quæ carnis sunt sapit. Homo iste à natiuitate cæcus est, sed surdus, & mutus, inueteratus dierum malorum, rebellis virtuti & veritati, inimicus crucis Christi, deridet innocentem, & simpliciter transeuntem, ambulat in magnis & mirabilibus supra se, arrogantia eius est plusquam fortitudo eius, nullum reueretur, dicit in insipientia sua, non est Deus, tabescit bonis, & malis pascitur alienis: immundis cogitationibus pascitur, non fatigabitur in illis, transgrediens vsque ad finem: dispergit & dissipat propria, sicut prodigus: cupit & rapit aliena, sicut auarus, turpitudinem & ignominiam congregat sibi, simulans & callidus prouocat iram Dei. Homo iste totus in peccatis natus est, & sic nutritus, amicus iniquitatis, filius mortis, vas iræ in contumeliam, aptus ad interitum. Qui cùm talis sit, enarrat iustitias Dei, & enarrat testamentum eius per os suum. Odit disciplinam, proijcit Dominum suum post dorsum suum. Cùm videt furem, currit cum eo; & cum adulteris portionem suam ponit; aduersus filium matris suæ ponit scandalum, super terram etiam thesaurisat iram in die iræ: vult à te hæreditatem tuam tollere, & desuper terram auferre, & tu tantam iniuriam non vindicas, sed dissimulas: nec ei verbum loqueris, nec vultum iratum ostendis, sed blandienti tibi arrides? Ludis cum illusore, nescis quia Ismael est, qui tecum ludit? Ludus iste non est pueritiæ, nec simplicitatis vel innocentiæ, sed ruina est animæ, sed persecutio, sed mors. Iam te in foueam quam fecit præcipitauit; iam effæminatus es, iam iugo miserrimæ seruitutis pressus, sub pedibus eius, miserè & viliter conculcaris. O miser & miserabilis homo, quis te liberabit de vinculo improperij huius? Exurgat Deus, & cadat armatus iste, cadat, & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor sui, amator mundi, seruus diaboli. Quid tibi videtur? Si rectè sentis, mecum dices; Reus est mortis, crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere; sed festinanter, audacter, instanter crucifige hominem iustum, sed cruce Christi, in qua est salus & vita: ad quem si ex corde clamaueris, crucifixus tuus audiet te, benignè respondens; hodie mecum eris in paradiso. Hactenus Bernardus.

Vetus homo cùm fit triplex, in triplici cruce crucifigendus.

8. Veterem hominem in tres alios distinguens homines, nimirum in terrenum, carnalem, & animalem. Balduinus in allegorijs & tropologijs locorum vtriusque testamenti, tres etiam adfert cruces, in quibus eorum quilibet crucifigendus. Contraho quàm possum maximè illius verba, & sic transpono: *Homo, ait, terrenus, vetus est homo. Cœpit enim à diebus antiquis, à diebus præuaricationis Adæ; huius imaginem portant, qui terrena sapiunt, qui solum cogitant quæ sunt mundi, qui nimis amant terrenam substantiam, & terrenam gloriam, quorum conuersatio in terra est, non in cælis.* &c. *Hic est enim qui contra Christum clamat dicens: Tolle, tolle, crucifige eum. Terreni nempe erant qui dicebant: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem,* &c. *Quænam, inquis, est crux hominis istius? æstimo quòd contemptus mundi. Quæ quidem crux quasi ex duobus lignis aptatur, contemptu scilicet terrenæ substantiæ, & contemptu terrenæ gloriæ. Totus ergo extendatur in cruce, in longum & in latum, in contemptu terrenæ gloriæ hoc est, in voluntaria vilitate extendatur altitudo eius.*

Austeritas regularis disciplinæ crux, in qua vetus homo crucifigendus.

9. *Est alia crux, in qua appendendus est homo carnalis: homo iste amat vinum & pinguia, otium, & securitatem, indui purpurá & bysso, quotidie splendidè epulari. Quæcunque desiderant oculi eius, non negantur eis, omnia desideria sua in impetum voluptatis relaxat. Quoniam verò ad carnalem hominem dictum est: Tu verò odisti disciplinam: nulla dignior crux inuenitur, quàm austeritatis regularis disciplina, quà crucifigitur carnalis homo, cui cruciatus est disciplina, quam odit; hæc crux ex legibus abstinentiæ & continentiæ, quasi ex duobus lignis extruitur. Abstinentia enim gulam temperat, & lex continentiæ in omnibus sensibus mentis & corporis luxum frenat, & in his est omnis carnalis homo.*

Animalis homo qualiter crucifigendus.

10. *Animalis autem homo quis sit, Apostolus declarat dicens: Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei. Animalis autem homo vel sensu, vel affectu cognoscitur. Animalis est sensu, qui non sapit ea quæ sunt spiritus Dei. Animalis est affectu, cui non sapiunt ea quæ sunt spiritus Dei. Qui animalis est sensu, ignorat, & errat, in tenebris ambulat, nescit quò vadat. Qui animalis est affectu sine affectione est, diuini amoris affectum in se non sentit. Crux igitur huius hominis est æmulatio Dei secundum scientiam. Scientia Dei est crucis altitudo, quæ in captiuitatem redigit omnem intellectum, in obsequium Christi. Latitudo verò crucis, est affectus deuotionis in latitudinem charitatis, quo refrænatur hominis animalis affectus, per illicita, in via quæ ducit ad perditionem, vagari solitus.* Hactenus Balduin.

Caro crucifigenda. AMBROS.

11. Secundo, carnem crucifixam habere debemus. Audi D. Ambrosium Octon. 15. in Psalm. 118. *Qui diligit, ait, Domini testimonia, configit clauis carnes suas, sciens quia vetus homo suus cum Christo confixus cruci, luxuriam destruat carnis, ne cupiditates eius indomito feruore lasciuiant, ne radix auaritiæ serpentibus se fundat radicibus. Confige ergo clauis, & destrue fomenta peccati, moriatur in carne tua omnis illecebra delictorum, libertatem vagandi cupiditas voluptatum*

cruci

cruci affixa non habeat. Est quidam clauus spiritalis qui patibulo crucis Dominicæ affigat has carnes.

Cor & opera crucifixa habere debemus. AMBROS.

12. Tertiò, cor & opera crucifixa habere debemus, vt peccato mortua sint. Quò respiciens D. Ambrosius Octon. 15. in Psam. 118. dicebat: *His configitur clauis, qui mortificationem Domini Iesu in corpore suo portat. His clauis configitur, qui meretur audire: Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum in brachium tuum. Infige ergo pectori suo, & cordi tuo hoc signaculum crucifixi; infige & brachio tuo, vt opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reuiuiscat, nihil erroris resurgat.* Qualiter debeat Religiosus cor, id est, voluntatem crucifixam habere sic pulchrè insinuat D. Hieronymus ep. 4. ad Rusticum monachum. *Non facias*, inquit, *quod vis: comedas, quod iuberis: vestiare, quod acceperis; operis tui pensum absoluas: subijciaris cui non vis: lassus ad stratum venias: ambulansque dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris, seruias fratribus, hospitum laues pedes, passus iniurias taceas. Finis cœnobitæ est*, ait Cassianus coll. 19. capit 8. *omnes suas mortificare & crucifigere voluntates, ac secundum perfectionis euangelicæ mandatum, nihil de crastino cogitare, quam perfectionem prorsus à nemine, quàm à cœnobita posse impleri, certissimum est.* Fælices qui ita habent cor crucifixum. Nam vt ait Christus: *De corde* (id est propria voluntate) *exeunt cogitationes malæ*, &c. *Hæc sunt quæ coinquinant hominem.*

HIERON.

Carnales cogitationes crucifigendæ. AMBROS.

13. Quartò, carnales cogitationes etiam crucifigendæ, vt monet Diuus Ambrosius loco citato: *fortassis*, ait, *sunt carnes quædam animæ, sicut corpus est animæ. Carnes animæ, sunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor Domini, iudiciorum eius, & seruituti redigat. Quod si carnes istæ reijciunt clauos Domini timoris, haud dubiè dicitur: Non permanebit spiritus meus in his hominibus, quoniam carnes sunt. Nisi igitur affigantur cruci hæ carnes, & configantur clauis à timore Domini, non permanebit in his spiritus Dei.*

Sensus crucifigendi. BRVNO.

14. Quintò, sensus etiam crucifixos habere debemus, iuxta illud D. Brunonis, in illud D. Pauli ad Rom. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Vetus*, ait, *homo noster simul cum Christo affixus est cruci: ad hoc vt destruatur in nobis corpus peccati, & ita destruatur corpus nostrum in eo, quod peccabat, vt vltra non seruiamus peccato, sed imperium habeamus super peccatum. Dominus Iesus aliud genus mortis eligere posset: sed non sine mysterio cruci affigi magis voluit, significans nobis, vt quemadmodum manus & pedes, sensus, scilicet, humanos affixos habuit; sic & non solùm opera, sed etiam sensus affixos habeamus, ne cogitemus, vel operemur mala.*

Nisi sensus nostros crucifigamus, per illos tanquam per fenestras intrabit in animam mors peccati, iuxta illud Ieremiæ: *Ascendit mors per fenestras, ingressa est domus nostras.* Origenes homil. 3. in Cantic. *Quomodo ascendit mors per fenestras? si oculi peccatores videant mulierem, & mœchentur eam in corde suo: sic mors ingressa est ad animam, per fenestras oculorum. Sed & cùm recipit quis auditum vanum, tunc per aurium fenestras mors intrat ad animam.* Chrysostomus homil. 22. ad pop. *Animæ tuæ ianuas munire festina, non oculum tantùm, verùm & aures & os. Istæ enim sunt fenestræ, per quas, pro sententia, vel bona prodeunt vel mala: vide ne mors tibi subeat per fenestras tuas, sed sint tibi semper in oculis honestatis mandata, in auribus Dei præceptorum testamenta, in ore laudum cantica, & antiqui nouique testamenti meditatio. Has fenestras Deo quidem aperire, sed peccato occludere debemus.* Hieronymus. *Sensus noster illud cogitat, quod videt, audit, odoratur, gustat, & ad eius rei trahitur appetitum, cuius capitur voluptate. Vetus sententia est. Difficile, imò impossibile est, delitijs & voluptatibus affluente, non ea cogitare quæ gerimus. Sensus corporis quasi equi sunt sine ratione currentes: anima verò in auriga modum retinet frænum currentium, & quomodo equi absque rectore præcipitanter ruunt: ita sensus sine ratione & imperio animæ in suum feruntur interitum.* Augustinus lib. 50. homil. homil. 15. *In his omnibus* (sensibus) *si incauti fuerimus, subrepentibus concupiscentijs malis, animæ virginitatem corrumpi permittimus.*

Per sensus tanquam fenestras, ascendit mors. ORIGEN.

15. Sextò, membra omnia crucifixa habere debemus, iuxta pulcherrimam doctrinam Germani Constantinopolitani Orat. 1. in viuificam crucem apud Gretserum tom. 2. de cruce, vbi sic scribit: *Imitatur Christum qui diuinæ morti, carnem suam clauis affigit, mundo crucifixus & mortuus claude tuos oculos, cùm quid delectabilium occurrit. Claude os tuum cùm consistit aduersum te peccator calumnians; liga manus tuas ne extendantur ad actiones animæ damnosas. Colliga simul & pedes, si conentur currere ad deuia, & vt paucis dicam, confige manus & pedes timore eius, qui manibus & pedibus ligatus, ad pœnam expositus est.*

Omnia membra crucifixa habere debemus. GERMA.

16. Vis videre manus crucifixas? Refert Marulus, quòd Paulus cognomento Simplex, vxorem suam cum adultero deprehendens, ne tantam iniuriam vlcisci cogeretur, domo excessit, & se monachum fecit, magnique Antonij dignus euasit discipulus. Denique manus illas, quas à vindicandâ ignominiâ

Exemplum manus crucifixæ. MARVL

miniâ continuerat, ad Deum porrigens, nihil petijt, quod non impetrarit, maximeque in faciendis miraculis insignis fuit.

Exemplum pedis crucifixi HIERON.

17. Vis videre pedes crucifixos? In Asellam virginem Romanam oculos conijce, quam ita laudat sanctus Hieronymus Epistola 15. ad Marcellam. *Vnius cellulæ clausa angustijs, latitudine paradisi fruebatur. Idem terræ solum & orationis locus extitit, & quietis. Ita se semper moderatè habuit, & intra cubiculi sui secreta custodiuit, vt nunquam pedem efferret in publicum, nunquam vir nosset alloquium: & quod magis sit admirandum, sororem virginem amaret potiùs, quàm videret. Ad martyrum limina penè inuisa properabat. Vt cùm gauderet proposito suo, in eo vehementiùs exultabat, quod se nullus cognosceret; vt solitudinem putaret esse delicias, & in vrbe turbida inueniret eremum monachorum. Sermo silens, & silentium loquens.*

Os, oculi, nares & facies crucifixa. RAYM.

18. Vis videre os, oculos, nares, totamque faciem crucifixam? in Catharinam Senensem oculos conijce. Refert Raymundus Capuanus lib. 2. vitæ illius capite 9. quòd quædam soror ordinis S. Dominici, quam Andream vocabant, cancri morbo laborabat in pectore, illud valde deuastante, tantus autem ex eo vulnere exhalabat fœtor, vt nemo nisi obstructis naribus, posset ad eam propiùs accedere. Inde fiebat, vt vix vllam posset obtinere quæ ei vellet ministrare. Audiens hoc virgo Christi, intelligensque eam sibi derelictam, mox eam adijt, & iucunda facie suum ei seruitium, donec curaretur obtulit. Valde hoc miseræ illi gratum fuit, maximè cùm se cerneret omnium penè ope destitutam. Seruiuit itaque iuuencula seni viduæ & licet increscerет fœtor intolerabilis, nihil omisit eorum, quæ essent ægrotæ impendenda. Adstabat ei assiduè nihil obstructis naribus, vulnus detegebat, abstergebat, abluebat, pannis obligabat, nullum interim horrorem, nullum tædium præ se ferebat, sed hilari animo, & iucunda facie omnia efficiebat, etiam ipsa ægrota stupescente, ad tantam iuuenculæ constantiam & charitatem. Vidit autem hæc, & inuidit coluber tortuosus, & vt impediret, summam nauauit operam. Cùm autem voluntatem sanctæ virginis mouere non posset, quippe in Christo fundatam, quodam die, sancta virgine vulnus detegente, fœtore intolerabili stomachum eius propè euertit, ita vt ad vomitum propenderet. At sancta virgo sibi ipsi irata, sic alloquebatur corpus suum: Itane abominaris tu sororem tuam Christi sanguine redemptam, cùm possis in eundem, vel etiam deteriorem morbum incidere? Viuit Dominus, non feres istud impune; simulque faciem in pectus ægrotæ inclinans, os & nares, horrendo illi vulneri applicuit, sicque permansit diu, donec sentiret spiritum, iam sibi carnem calcitrantem subdidisse, & illam nauseam extinxisse. Videns autem hoc ægra fœmina; exclamauit: Cessa, cessa, charissima filia, noli teipsam tam immani pædore corrumpere.

19. Septimò carnalia desideria etiam crucifigenda, iuxta illud Diui Pauli ad Galat. capite 5. *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cùm vitijs & concupiscentijs.* Vbi Hugo Cardinalis per concupiscentias intelligit carnalia desideria ad quæ sicut nec ad mala opera vult moueri Christianum. *Qui crucifigunt se* ait, *ne in eis oriantur vitia & concupiscentia crucifigunt se sicut dicit Apostolus. Legimus 2. Regum capite 22. Dentur nobis septem viri de filijs Saul vt crucifigamus eos Domino. Saul interpretatur, abutens, vel petitio, hac est caro cuius filij sunt desideria. Nota, quidam nolunt omnino crucifigi, vt Christus, tantùm manus, non pedes, crucifigentes se vitijs, sed non concupiscentijs. Sed nota quòd Christus duas manus duobus clauis habuit affixas, pedes tantùm vno, significat quòd mala opera & verba omittenda sunt propter Deum & propter homines & cor solum crucifigendum est propter Deum, qui solus illud videt.* Sic ille.

Carnalia desideria crucifigenda. HVGO. CARD.

20. Guarricus Abbas Igniacensis serm. 2. in Ramis palm. expendens verba illa D. Pauli: *Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*, per vitia intelligit interiora cordis vitia, per concupiscentias autem externa corporis desideria, vultque D. Paulum his verbis insinuare Christianum tam interna cordis vitia quàm externa desideria crucifigere debere. Transpono illius verba: *Nouerat vir multæ scientiæ & experientiæ, multos esse aut fore, qui crucifigerent concupiscentias carnis, & finerent regnare vitia cordis, multos è contrario, qui fiduciâ pacati cordis, negligerent mortificationem corporis. Sed sicut non nunquam diuina iustitia spiritum sibi non subditum contumelijs carnis licet afflicta flagellat: sic plerumque corpus incrassatum calcitrat, recalcitrat, & noua bella spiritui iam quieto resuscitat. Eapropter vult Apostolus, vt crucifixis tam vitijs interioribus quàm concupiscentijs exterioribus, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctimoniam in timore Dei.* Sic ille.

Interna cordis vitia & externa desideria crucifigenda. GVARRI.

21. Idem loco citato expendens verbum illud *crucifixerunt*, sic scribit: Si nondum præuales, vt vitia extinguas, *in hoc* vult te esse solicitum Apostolus, vt crucifigas. *Non*, ait: *qui Christi sunt extinxerunt vitia, quæ virtus paucorum est, sed crucifixerunt, sine quo salus nulla*

Crucifigenda vitia quamuis ea extinguere non valeamus.

nulla est. Ideo namque redemptor ad operandam & informandam salutem nostram, hunc passionis modum elegit, vt redemptionis sacramentum, iustificationis fieret exemplum: vt quomodo videlicet ipse similitudinem carnis peccati crucifixit, de peccato damnans peccatum: sic nos, imò multò magis nos, carnem peccatricem cruciemus crucifigentes, & si nondum extinguentes in ea peccatum.

De spirituali cruce, in qua homo crucifigendus.

§. III.

Superiora crucifigenda in cruce quadam spirituali.

22. SEd in quam crucem, inquies, hæc omnia agenda, & cum Christo crucifigenda? An in crucem aliquam materialem? Haud opinor: prorsus æstimo illa agenda in crucem quandam spiritualem, expressam & præfiguratam in sanctissima illa Christi cruce externa & corporali, vt pluribus explicat Diuus Innocentius Papa sermone 1. de vno martyre, hisce verbis: *Crux autem & spiritualiter & materialiter tollitur: Spiritualiter quidem, per carnis afflictionem, propter quod dicit Apostolus: Crucifixerunt membra sua cum vitijs & concupiscentijs. Cùm enim quis cruciatur in corpore affligendo seipsum, tum cum Apostolo crucem tollit, qui ait: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Fuerunt autem in cruce Dominica ligna quatuor, stipes erectus, & lignum transuersum, truncus suppositus, & titulus superpositus. Quatuor crucis spiritualis ligna, sunt quatuor mentis virtutes, fides, spes, perseuerantia, patientia, de quibus inquit Apostolus ad Ephes. 3. Vt comprehendatis cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Longitudo crucis est perseuerantia, de qua Dominus dicit: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Latitudo crucis est patientia, de qua veritas ait: In patientia vestra, possidebitis animas vestras. Profunditas crucis est fides, de qua dicit Apostolus: fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Sublimitas crucis est spes, de qua dicit Psalmographus: In verbo tuo supersperaui.*

Innoc.
Gal. 5.
Crux spiritualis & materialis.
Matth. 10.
Luc. 21.
Hebr. 11.

De quatuor ligni partibus & quid significent Bonav.

23. De hisce quatuor ligni partibus, sic D. Bonauentura sermone 2. de S. Andrea: *In materiali cruce, primò debemus considerare ligni ipsius imum siue profundum: secundò, ligni altum; tertiò ipsius ligni latum: quartò verò ipsius longum. Iuxta hac quatuor, crux spiritualis quatuor habet, profundum humilitatis, altitudinem paupertatis, latitudinem charitatis, & longitudinem longanimitatis.*

Crux spiritualis habet profundum humilitatis.

24. *Primò, habet profundum humilitatis: sicut enim in materiali cruce lignum imum totius crucis est fundamentum & sustentamentum: sic humilitatis bonum crucis pœnitentiæ est fundamentale principium: quia sicut aqua semper fluit ad valles, sic Dei gratia semper ad humiles. Vnde peccator qui se non humiliat, & se ad gratiam humili mente non præparat, quantum est de lege communi, gratiam Dei non accipit, quia in eo locus in quo gratiam teneat, non existit. Vas enim quod vno liquore est plenum, non capit alterum, nisi prius illo fuerit vacuatum.*

25. *Secundò, crux spiritualis habet altitudinem paupertatis, & debet paupertas esse alta, eò quòd à terra, quæ loco est infima, tota sit eleuata, & Christo sit proxima. Nam altitudo paupertatis primò in Christo rege nostro resplenduit, si attendatur quomodo in præsepio sit collocatus, quo modo super fœnum panniculis inuolutus, quomodo modico lacte nutritus, quomodo corpore nudus in cruce eleuatus. Bernardus, si totam vitam Domini aspexeris, à partu Virginis vsque ad patibulum crucis, non inuenies nisi stigmata paupertatis.* Habet altitudinem paupertatis.

26 *Tertiò, crux spiritualis debet habere latitudinem charitatis. Latum est enim mandatum Dei nimis: nec enim amor vnquam sic probatur, si sit verus, sicut si pro amore alterius, alius moriatur. Maiorem, inquit Dominus, hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vnde dum filij Zebedæi peterent à Domino regnum, quod est solum amantium, Dominus ait ad eos: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Quasi dicat, nunquid sic amatis, vt pro hoc regno habendo mecum mori parati sitis? Nam de ipso Domino dicitur: Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem omni confusione contempta. Tantò enim ardore ardebat, quòd mori pro nobis, & confundi non solùm contemnebat, sed praoptabat.* Habet latitudinem charitatis. Ioan. 15. Hebr. 12.

27. *Quartò, crux spiritualis ad suum complementum, debet habere longitudinem perseuerantiæ, siue longanimitatis. Nemo enim valet aliquid incipere, scutum ad bellum arripere, lanceam fortiter agitare, fortiter hostem inuadere, si non de obtenta victoria contingat scutum obijcere. Vnde dicitur, quòd contra Haì eleuatum clypeum, tam diu eleuatum tenuit, quousque attrita omnis hostilis potentia fuit. Nemo, iuxta Dominicam sententiam, debet turrim fundare, nisi habeat vt possit perficere; nec bellum corripere, nisi habeat milites, cùm quibus possit aduersarijs obuiare. Ob hanc causam cùm principes sacerdotum dicerent: Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Dominus ob hoc descendere noluit, sed quod cœpit, vsque ad finem tenuit, & opus redemptionis humanæ compleuit.* Hactenus D. Bonauent. Singula hæc ostendens locum habuisse in S. Andrea Apostolo, ac proinde eundem perfectissimè crucifixum spiritualiter fuisse Habet longitudinem perseuerantiæ. Luc. 14. Matt. 27.

eundem si libet, consulat lector.

Quibus clauis hæc crucifixio spiritualis peragatur. INNOC. Cant. 5.

28. Vis etiam scire quibus clauis hæc spiritualis crucifixio peragenda? *Quatuor claui*, ait Diuus Innocentius loco citato, *sunt quatuor principales virtutes, iustitia; fortitudo, prudentia, temperantia. Pedes sunt mentis affectus, de quibus sponsa dicit in Canticis: Laui pedes meos, quomodo iniquinabo eos? Et Dominus dicit Apostolis: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et iterum: Excutite puluerem de pedibus vestris. Sunt igitur duo pedes, duo mentis affectus; metus & appetitus. Præcipuus enim mentis affectus, aut est in fugiendo quod metuit, aut in eligendo quod appetit. Pes timoris, clauo fortitudinis debet configi, ne timidus propter aduersa succumbat. Metus enim dum in Petro clauo fortitudinis confixus non extitit, ad vocem ancillæ negauit: cùm autem clauo fortitudinis confixus extitit, ante reges & præsides nomen Domini prædicauit. Sed & ipse timor quidam clauus est, de quo dicit Psalmographus: Confige timore tuo carnes meas. At clauus clauo configitur, cùm timor fortitudine roboratur? Pes appetitus, clauo iustitiæ debet configi, ne cupidus euagetur ad illicita desideria. Appetitus enim si confixus non fuerit, tunc caro concupiscit aduersus spiritum, si fuerit confixus, spiritus concupiscit aduersus carnem. Sicut itaque Christianus pedes suos debet affigere cruci ne timidus succumbat, vel cupidus euagetur. Manus autem sunt opera, de quibus dicit Psalmista: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium. Et Salomon: Dedit ei lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Sunt igitur duæ manus, duo genera operum; opus videlicet voluntatis, & opus necessitatis. Quodlibet enim opus est voluntarium, vel necessarium. Manus operis voluntarij configi debet clauo prudentiæ, ne curua faciat opera tenebrarum. Quum enim in Saulo, clauo prudentiæ confixa fuit, Saulus persequebatur Ecclesiam: cùm autem in Paulo clauo prudentiæ confixa fuit, Paulus passus est pro Ecclesia. Manus operis necessarij, configi debet clauo temperantiæ, ne laxa nimis ad superflua extendatur. Opera necessaria sunt, dormire, comedere, & similia quæ cum modestia temperare debemus, vt somnum temperemus orationibus, & vigilijs, cibum temperemus eleëmosynis & ieiunijs.*

Ioan. 13. Quatuor claui sunt quatuor principales virtutes.

Psal. 118.

Psal. 143.

Prouerb. 31.

AMBROS. Duplex clauus, timoris & amoris.

29. D. Ambrosius loco citato, duos in medium adducit clauos, quibus sumus crucifigendi, nimirum clauum timoris, iuxta illud Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas*; & clauum amoris, siue charitatis: *Claui*, ait, *non solùm timoris, sed etiam charitatis affigunt; quia valida est vt mors charitas, durus sicut inferi zelus. Non te ergo offendat duritia clauorum, quia est duritia charitatis, nec validus clauorum rigor, quia valida est etiam charitas sicut mors. Charitas enim culpam, & omnia peccata mortificat, charitas sicut mortis ictus interimit. Denique morimur flagitiis atque peccato, dum Domini mandata diligimus. Charitas est Deus.* Et cætera quæ ille prosequitur.

AVGVSTI. Clauus amor filialis.

30. D. Augustinus scribens in illa verba Ps. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui*, existimat timorem non seruilem, sed filialem siue charitatem clauis comparari, vel similem iudicari, vnde cùm dixisset; *Confige timore tuo carnes meas*, non subdit, à iudiciis enim tuis confixus sum: sed, *à iudicijs enim tuis timui*: scilicet, amor hominem ad pietatem, quasi quibusdam clauis figit, firmat, immobilemque reddit. Timor verò non item, sed qui illo ad pietatem agitur, nutat, labat, & quouis vento circumfertur. Sed adducenda verba Diui Augustini: *Confige clauis à timore tuo carnes meas. Sed quid sibi vult, quòd cùm dixisset: Confige clauis à timore tuo carnes, addit: à iudicijs enim tuis timui? Quid est enim confige à timore tuo, timui enim? Si enim iam timuerat, vel timebat, cur autem vt à timore suo Deus configeret carnes suas orabat? An addi sibi volebat timorem: vt tantum timeret, quantum sufficeret crucifigendis suis carnibus, id est, concupiscentijs, affectibusque carnalibus? Tanquam si diceret, perfice in me timorem tuum, timui enim à iudicijs tuis. Sed est hic alius altior sensus, quantum Deus donat exscrutato sinu scripturæ eius eruendus. Confige enim clauis à timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui: hoc est; timore tuo casto, qui permanet in sæculum sæculi, carnalia mea desideria comprimantur: à iudicijs enim tuis timui, cùm lex mihi minaretur pœnam, quæ mihi non poterat dare iustitiam, sed hunc timorem, quo pœna metuitur consummata charitas foras mittit, quæ non timore pœnæ, sed delectatione iustitiæ liberos reddit. Timor enim iste, quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, seruilis est, quia carnalis est, & ideo non configit carnem, viuit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cùm verò pœna speratur sequutura, latenter viuit, viuit tamē, mallet enim licere, quod lex vetat: quia non spiritualiter delectatur eius bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur.* Expende verba illa D. Aug. *Carnalia mea desideria comprimantur.* Id est, non modò mala compesce, verùm, & omnino occide, & dele. Timor enim à malis cohibet, ipsa verò mala, viua relinquit; at verò amor peccata, & malorum radicem omnino delet, & internecat. Hoc enim est quod ait Dauid: *Confige timore tuo carnes meas*, &c. Id est, concede mihi amorem, quo vitia crucifiguntur, enecantur.

Lancea quâ latus vulnerandum charitas. INNOC.

31. *Lancea*, ait Diuus Innocentius loco citato, *quâ latus est vulnerandum, est charitas, de qua sponsa dicit in Canticis: Vulnerata charitate ego sum. Latus enim est cordi contiguum, beneficio cuius diligimus, quod ideo vulnerandum est, vt affectus exeat, non solùm ad amicos, sed ad inimicos, iuxta quod Dominus præcipit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus*

quentibus & calumniantibus vos.

Quænam sit corona spinea, quâ coronandi. INNOC.

32. *Corona spinea*, ait idem Innocentius loco cit. *ipsa quidem est pœnitentia, circumponenda capiti, id est, menti, de qua dicit Psalmista: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Hæc corona de tribus spinis complectitur, scilicet, contritione, confessione, satisfactione. Prima pungit cor propter vanam cogitationem: secunda pungit os, propter vanam locutionem: tertia pungit manum, propter iniquam operationem. Prima pungit per dolorem, secunda per pudorem, tertia per laborem.*

Crux spiritualis virtutis propositum. AVGVST.

33. Per crucem, siue crucifixionem spiritualem, intelligit D. Augustinus serm. 32. de sanctis, vitæ, virtutisque propositum, sic enim scribit: *Numquid omnes virgines qui sequuntur agnum Dei, crucifixi sunt, vt sequantur? Nunquid Paulus crucifixus fuerat, cùm dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hoc autem dicit, vt intelligas, crucem non ligni esse patibulum sed vitæ, virtutisq́; propositum.* Ita Augustinus.

Non solùm ad Religiosos, sed ad omnes Christianos, spectare spiritualem hanc crucifixionem.

§. IV.

Ad omnes Christianos spectat hæc crucifixio.

34. SPectat autem hæc crucifixio non ad solos religiosos, vt quidam opinantur, sed ad omnes baptizatos & Christianos, vt planè manifestum est ex illo loco Pauli Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* vel vt Græcè legimus: *Quicunque baptizati sumus, in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus*, prout Tertullianus lib. de resurrect. carnis, & alij legunt, sensumque augent. Nam baptizati in Christum, & mortem eius, id est, in corpus Christi mysticum inseri, & ad instar Christi, seu ad similitudinem mortis eius, commori: vt sicut ipse in carne moriens noster est sanctificator, & consummator: ita nostrum quoque sit exemplar & prototypus. Ita est locum interpretatus D. Chrysost. hom. 10. in epist. ad Rom. & post eum alij: *Quid est*, inquit, *in mortem ipsius baptizati sumus? Ad hoc vt & ipsi moriamur.* Sic ille. *Crux enim est Baptisma. Quod igitur Christi crux & sepulchrũ, hoc nobis baptisma fuit, quamuis non ijsdem in rebus. Ille enim carni & mortuus & sepultus est, nos autem peccato. Propterea*, ait D. Anselmus hoc loco, *in similitudinem mortis eius baptizati sumus, vt sicut ille mortuus est, mortui simus peccato: & sicut pedes & manus Christi cruci sunt affixi, vt in nullam partem moueri possint: ita manus & pedes nostri debent imitatione mortis eius ligari, vt non possint ad peccatum moueri: vt ita nihil aliud intelligamus esse baptismum, quàm mortis Christi similitudinem. Verè ergo in mortem Christi sumus baptizati, id est, in baptismo similes morti eius effecti.*

CHRYSOS.

35. Loquentem etiam audiamus Diuum Augustinum, hanc crucifixionem ad omnes omnino Christianos extendentem: *Quidquid*, ait in Enchir. cap. 53. *gestum est in cruce Christi, ac sepultura, ita gestum est, vt his rebus, non mysticè tantùm dictis, sed etiam gestis configuretur vita Christiana, quæ hic geritur. Nam propter eius crucem dictum est: Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitijs & concupiscentijs. Propter sepulturam sepulti sumus cum Christo per baptismum in morte.* Et serm. 66. ad Nouitios: *Crucifixus est, vt in cruce ostenderet veteris hominis nostri occasum: resurrexit, vt in vita sua ostenderet nostræ vitæ nouitatem:* AVGVST. Gal. 6. Rom. 6.

Omnis Christianus debet esse huius crucifixionis particeps. CHRYSOS.

36. Quicunque Christianorum huius non est particeps crucifixionis, sed ab illa alienus, hunc vocat D. Paulus Philip. cap. 3. *inimicum crucis Christi.* In quæ verba sic D. Chrysostomus: *Quoniam erant nonnulli qui Christianismum simulabant, sed in otio, ac delitijs viuebant, id verò aduersatur cruci, idcirco ita dicebat: Crux propria animæ est in acie stantis, mori cupientis, nullam sibi oblectationem postulantis. Illi verò contrariam vitæ rationem sequuntur. Quamobrem tametsi dicant, se Christi esse, inimici tamen sunt crucis: alioquin si crucem amarent, id quoque studerent, vt crucifixam vitam viuerent.* Hæc D. Chrysost. Vnde in hos crucis Christi inimicos sic statim inuehitur: *Nónne in crucem actus est Dominus tuus propter te? Si illius modum non potes, imitare alia ratione Dominum tuum. Ipse te crucifige, etiam si nemo te figat. Cruci, inquam, te ipse fige, non vt ipse te interimas: absit (impium enim est) sed prout Paulus dicebat. Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo. Si Dominũ tuum amas, morte illius morere.* Et post nõnulla: *Consueuit Dominus, passiones, nomine crucis appellare, vt cùm inquit: Nisi quis tollat crucem suam & sequatur me, id est, nisi quis rectè se comparauerit ad mortem: isti verò degeneres, vitæ, & corporis amantes profectò crucis Christi sunt inimici, & quisquis deliciarum, mundanæq́; tranquillitatis amator est, inimicus est crucis, in qua Paulus gloriatur, quam complectitur, cui nititur inseri.* Hæc omnia Chrysost. Similiter D. Anselmus inquiens: *Ipsi sunt inimici crucis Christi, qui contra crucem semper faciunt. Cùm enim crux Christi in omnibus electis carnem affligat, & crimina mortificet, illi è contrario carnem voluptatibus fouent, & vitia nutriunt.* IDEM.

Non est de Christi familia qui alienus ab hac cruce spirituali.

37. Sanè non spectant ad Christi familiam, qui alieni ab hac cruce spirituali: *Qui enim*

enim Christi sunt, ait D. Paulus, *carnem suam crucifixerunt*, &c. *Ipsa sancta crux*, ait Pepin. conc. 1. in exalt. S. Crucis, *efficit hominem de familia Christi, qui ipsam portat. Nec pro certo potest quis inter seruos Christi computari, nisi qui eam portat, iuxta illud eiusdem Christi verbum: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est non dignus. Vnde in signum huius imprimitur in fronte omnibus baptizatis, qui de nouo adscribuntur militiæ Christi. Et ideo, sicut milites cognoscuntur esse de familia, & seruitio talis, vel talis principis, aut capitanei per scutum, quod desuper deferunt; ita in proposito Christiani cognoscuntur esse de familia Iesu Christi per signum sanctæ crucis.* Ita vt extra omnem sit controuersiam, hanc crucifixionem non tantùm esse religiosorum, sed omnium Christianorum.

PEPIN.

Matth. 10.

Agitur hæc crucifixio commodiùs in claustro quàm in sæculo. HVGO CARD.

38. Fateor hanc crucifixionem multò commodiùs & faciliùs peragi in claustro, quàm in sæculo: sunt quidem in sæculo varij milites hominem crucifigentes, sed multò plures in claustro, quorum aliquos enarrans Hugo Cardin. scribens in epist. ad Galat. cap. 5. sic ait: *Quatuor milites crucifixerunt Dominum principaliter, multi tamen alij fuerunt cum eis, quia propter quatuor causas principaliter debet quis se crucifigere in cruce religionis, & tamen propter multa alia. Primus miles opportunitas benefaciendi, secundus necessitas benefaciendi, tertius promotio ad bonum, quartus cautela. De primo dixit Pharao Exod. 8. Ite & sacrificate Domino Deo vestro in terra hac. Sic multi dicunt. Bene viuatis in hoc sæculo, & sufficit. Sed respondet Moyses, non potest ita fieri, sed in deserto, id est, in claustro. Item propter necessitatem benefaciendi, quia remissi & tepidi sumus in sæculo, debemus nos ponere in arcto religionis, vt sic quasi necessitate cogamur benefacere. Luc. 10. Porrò vnum est necessarium. Item propter promotionem ad bonum, per bonum exemplum quod inuenitur in claustro. Ferrum enim inter carbones viuos calescit, sed tu es inter frigidos lapides in sæculo, quomodo ergo calefieri poteris: qui autem inter ignitos est in claustro, & tamen cor habet frigidum, similis est diabolo, cui improperat Dominus Ezech. 28. Posui te in monte sancto meo in medio lapidum ignitorum. Hoc autem maximè coaggrauauit peccatum diaboli, quia inter bonos angelos cùm ipse esset, in se etiam innocens, & tamen factus est ibi diabolus. Sic qui inter viros sanctos fuerunt mali, & maximè quibus Dominus conseruauit innocentiam suam. Quartus miles per quem crucifigi debemus in cruce claustri, est cautela, & in bono & in malo, quia si quis faceret dimidium bonorum in sæculo, quæ facit in religione, pro magno & sancto reputaretur, & sic bona sua essent ei occasio superbiendi, sed in religione non sic, quia multò meliores sunt ibi. Item ibi est cautela à malo, quia ibi fit homo animal occultatum ex omni parte, sicut dicitur Apocalyp. 4. Cùm enim prius non haberet nisi duos oculos, & de illis malè se videret, modò quot sunt fratres, tot habent oculos qui eum inspiciunt, corrigunt viam egressuum eius.* Hactenus Hugo.

Quænam sint conuenientiæ inter corporalem crucifixionem & spiritualem.

§. V.

Conuenientiæ inter corporalem & spiritualem crucifixionem.

39. VIdimus quinam sint crucifigendi, & in quam crucem agendi, restat, vt in medium afferamus quasdam analogias inter corporalem illam & spiritualem crucifixionem.

Prima analogia. BASILIVS.

40. Prima analogia quæ reperitur inter crucifixionem spiritualem & corporalem indicatur à S. Basilio hom. 2. de baptismo, his verbis: *Quemadmodum qui crucifigitur mortis subiectus condemnationi, ab illis disiungitur, cum quibus aliquando vita commercium habuit, sublimior iam illis qui in terra adhuc repunt, factus: ita & qui cum Christo crucifigitur, ab omnibus in vniuersum, qui secundum hoc sæculum viuunt, abalienatus est, sublata iam mente, ad cælestem conuersationem exaltatus, vt queat verè & cum fiducia, quæ in Christo est, dicere; nostra conuersatio in cælis est. Et iterum subdit Apostolus: Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato, hoc est, absolutus est, liberatus est ab omni peccato, repurgatus est non solùm, quod operibus ac verbis, sed quod & ipsis cogitationum affectibus sit commissum*, &c. Hæc ille.

Secunda analogia. BASILIVS.

41. Secundò, qui clauis stipiti affixus est, non potest inde se mouere, neque à ligno se auellere: eadem prorsus ratione clauis spiritualibus crucifixi, firmi in virtutibus redduntur, stantque firmiter in via mandatorum Dei, non fluunt post vitia & carnis pruritus, nec post mundi concupiscentiam abeunt. Pulchrè de hac analogia idem Basilius exponens illa verba Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas*, & adducens verba Psalm. 33. *Timete Dominum omnes sancti eius*, id est, vt sancti sitis, & virtutem stabilem faciatis, timete Deum, sic ait: *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Nisi timor instituendæ vitæ nostræ fundamenta iaciat, impossibile fuerit castitatem, sanctimoniamque legitimè obseruari. Confige, inquit, timore tuo carnes meas. Nam quemadmodum qui corporis membra habent clauis transfixa ad actionem quamlibet immobilia, ea retinent: sic hi, quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstreperam occasionem vitant. Timenti itaque non est inopia, hoc est, nulla ad contemplandam virtutem desit facultas, cùm per timorem ab indecora omni, & absurda*

surda actione remoueatur, & impediatur, sed perfectus est nullo bonorum, quod humana natura conueniat, destitutus. Sic ille. Quę omnia haud dubiè assequitur non timore seruili, sed filiali & sincero erga Deum amore: vnde D. Augustinus adducens verba illa ad Gal.c.5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*, rogat: *Vnde autem crucifixerunt?* Et respondet: *Nisi timore illo casto permanente in sæculum sæculi, quo cauemus offendere illum, quem toto corde, tota anima, tota mente diligimus.* Et infrà: *De quo timore crucifigi se orat Propheta cùm dicit: Confige clauis à timore tuo carnes meas? Ista crux est de qua Dominus dicit: Tollat crucem suam, & sequatur me.*

42. Eadem verba Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas*, sic subtiliùs exponit D. Basilius hom. 12. in principium Prouerbiorum, scilicet, vt is qui vulnere aliquo, seu dolore pungitur, timet prorsus corporis illam partem mouere, quæ illo afficitur, & præ dolore magnâ curâ vitat, si quid nocere possit, ne propiùs accedat; non aliter ille qui timore Dei configitur, ad omne pauet periculum peccandi, & terretur, si quid vel eminus emineat. *Animæ*, ait, *purgatio, timor Domini, secundum Prophetæ preces, ac desiderium dicentis: Confige timore tuo carnes meas: quia sic vbi timor habitat, ibi omnis animæ residet mundities, omnis iniqua noxiáq; actio fugatur, membris corporis ad enormes actus moueri, (quod timore quasi quibusdam clauis confixa sunt) nequeuntibus. Sicut enim qui clauos corpori affixos habet, doloribus pressus, non facilè quidquam agere potest, sed Dei timore confectus, non oculo vti præter decorem, non manu ad nefarias mouere actiones, non denique aliud, aut paruum aut magnum citra officium agere poterit, quasi tristitia quadam minarum, ac suppliciorum vinctus expectatione, atque pressus.* Sic ille. (BASILIVS.)

43. Tertia subindicatur à Pinusio abbate apud Cassianum lib. 4. de instit. renunt. hisce verbis: *Crux nostra timor Domini est; sicut ergo crucifixus quis iam non pro animi sui motu membra sua quoquam mouendi, vel conuertendi habet potestatem: ita & nos voluntates nostras ac desideria, non secundum id quod nobis suaue est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini quò nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is qui patibulo crucis affigitur, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino sollicitudine curáq; distenditur; nulla possidendi concupiscentiâ permouetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet iniurijs, non præteritarum iam recordatur, seq; cum adhuc spirat in corpore cunctis elementis credit esse defunctum, illuc præmittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat ilico transiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est, non solùm carnalibus vitijs, verùm etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quò nos sperare debemus momentis singulis migraturos.* (Tertia analogia. CASSIAN.)

44. Quarta analogia in eo sita, quòd sicut corporaliter Christus cruci affixus, in illa perseuerauit, nec à cruce descendere voluit: ita in hac cruce ferenda, nobis ad exitum vsque vitæ perseuerandum. Vnde sic grauiter monet Pinusius Abbas loco citat. cap. 36. *Caue ne quid aliquando eorum resumas, quæ renuncians abiecisti, & contra Domini interdictum, de agro Euangelicæ operationis reuersus, inueniaris tunicâ tuâ, quâ te expoliaueras, reuestiri: neque ad humiles terrenasque mundi huius concupiscentias, ac studia reuoluaris, & contra Christi mandatum de perfectionis tecto descendens, tollere aliquid præsumas ex his quæ abrenuncians abdicasti. Caue ne parentum, ne affectionis pristinæ recorderis, & ad curas huius sæculi, sollicitudinesq; reuocatus, secundum saluatoris sententiam, ponens manum tuam super aratrum, aspiciens retro, regno cælorum aptus esse non possis. Caue ne quando superbiam quam nunc incipiens ardore fidei, ac plena humilitate calcasti, cùm cæperis Psalmorum, vel professionis huius quandam notitiam degustare, paulatim elatus resuscitare mediteris, ac secundum Apostoli sententiam, quâ destruxisti, iterum reædificans, præuaricatorem constituas temetipsum, sed potiùs vt in hac nuditate, quam coram Deo & angelis eius professus es, ad finem vsque perdures. In hac quoque humilitate ac patientia, quâ vt susciperetis in monasterio, decem diebus pro foribus perseuerans, multis lachrymis implorasti, non modò persistas, verumetiam proficias atque succrescas. Satis enim miserum est, vt cùm debeas à rudimentis, ac primordijs tuis prouehi, & ad perfectionem tendere, etiam ab ipsis incipias ad inferiora recidere. Non enim qui cæperit hæc, sed qui perseuerauerit in his vsque ad finem, hic saluus erit.* Hactenus ille. (Quarta analogia. IDEM.)

45. Quintò, qui cruci externæ configitur, non vno pœnæ genere, sed variis afficitur, quinetiam moris erat antiquitus crucifigendos diris excipere flagellis, in ipsa cruce aceto potari, & crurium fractionem pati. Sic etiam in hac crucifixione spirituali, si perfecta sit, qualis esse debet monachorum & religiosorum, non vnum genus martyrij, non vnum mortis genus, sed multa & varia, vt optimè docet Platus lib. 2. de bono stat. relig. cap. 12. *Non vnum*, ait, *tantummodo martyrium, sed plura in vna religione inueniemus. Aliud est enim ex paupertate, aliud etiam ex castitate, maximam verò ex propria totius voluntatis abnegatione, aliud ex carne edomanda & affligenda, aliud denique ex perpetua lucta, & pugna cum serpente callido, qui nobis Christum præripere conatur. Hoc sensu Paphnutius Abbas, non ille, de quo in vitis Patrum crebra est mentio, sed alter celebri ipse quoque sanctitate & auctoritate, hic Diocletiani tempore ab Ægypti præside, cui nomen erat Arianus, comprehendi iussus cùm equuleos, scorpiones, sartagines, quas in conspectum afferri man-* (Quinta analogia. PLATVS.)

ri mandarat, minitaretur, ni dijs sacrificaret, ridens ille: Putásne, inquit, tua hæc tormenta adeò mihi horribilia videri, vt propterea Deum verum negandum putem? Quinimmo scito, nostras monasticas constitutiones multò plura in se tormenta continere, quoniam in multis exercitationibus assiduè tentamur. Sed saluator noster ita nos corroborat, vt omnia perferre & superare possimus: quare idem etiam nunc corroborabit ad tuam hanc sæuitiam superandam. Iucundè autem hoc ipsum & festiuè declarauit D. Bernardus, qui cùm in Theobaldi principis viri, ditione, magna turba occurrisset, quæ insignem latronem ac sicarium ad patibulum deducebat, ad eum in medio agmine accedens, dedi sibi postulauit hominem, velle eum se propriis manibus suspendere, inter quæ Theobaldus ipse de sancti viri aduentu certior factus, cùm accurrisset: ratus eum ignorare quis ille esset, ingentia eius crimina commemorare cœpit, & magnopere contestari, se eum capitali supplicio dignissimum. Tum verò subridens Bernardus: Noui, inquit, noui hæc omnia, atque ob hanc ipsam causam, quia non vna mors eius sceleribus sufficit, plures ei mortes inferre statui. Sic igitur solutū & liberum ad suum perduxit monasterium, in quo monachus effectus, per triginta annos quotidie, vt ait Apostolus, moriens, supplicium quod alienis manibus semel persoluturus erat, ipse à se multiplicatum exegit. Hæc Platus.

Sexta analogia. 46. Sextò, crucifixio corporalis paulatim peragebatur, ita vt lento mortis genere moreretur, qui in crucem agebatur: ita & crucifixio spiritualis paulatim peragitur; nemo enim repente fit summus, vel in vera sui abnegatione & renunciatione perfectus: & sicut is qui crucifixus est, non vno ictu moritur, sed sensim extinguitur: sic tu non vnico tractu omnes inordinatas tuas passiones mortificabis, sed paulatim atque per partes, vti Dominus Deus sese Chananæorum gentes terram promissionis inhabitantes exterminaturum pollicebatur. Lōga, quin immò, spe, patientiaque in hoc spiritus cum carne certamine pergendum, donec hoste expugnato, te omnino carni ac mundo mortuum persentiscas. Sicut denique cruci acclauatus, non seipsum ferro configit, sed alius id præstare consueuit: sic etiam nulla conuenientiori via spiritualis hæc crucifixio peragitur, quam aduersantium tibi & iniquorum hominum exagitationibus, hisce enim, permittente Deo, nobis immissis, & à nobis grato animo acceptatis, & ob eius amorem toleratis, quàm maximè opportunè & fructuosè hæc peragitur spiritualis crucifixio.

Qualiter in Christi crucifixione, tanquam in speculo, videre liceat, quales conditiones habere debeat nostra pœnitentia.

§. VI.

47. PEr crucem siue crucifixionem hanc spiritualem, potest etiam intelligi vera & idonea pœnitentia, idque ob varias conuenientias, quas pœnitentia cum cruce communes habere inuenitur, quarum subiungo catalogum. Crucifixio Christi speculum veræ nostræ pœnitentiæ.

48. Primò Christus passus est in cruce dolorem vehementissimum, iuxta illud Thren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite*, &c. Sic dolor veri pœnitentis debet esse amarissimus, iuxta illud Ezech. 27. *Plorabunt te in amaritudine animæ, ploratu amarissimo*, quod exponit Glossa de dolore pœnitentiæ. Et nota, quod dicit ploratu amarissimo quia ploratus pœnitentiæ debet esse amarissimus. Prima analogia inter Christi crucifixionem & pœnitentiam.

49. Secundò, Christus cruci affixus, assiduè sua cruce cruciabatur: sic pœnitentia assiduè sensum & carnem cruciari debet, vtpote eius desideriis & concupiscentiis repugnans, easque rescans & mortificans. Secunda.

50. Tertiò, suspensus non curat homines transeuntes, spectacula, pompas, delicias; sic pœnitens ea curare non debet, nec iis cor affigere. Tertia.

51. Quartò, suspensus nulla pecuniæ aut possessionum cupiditate tenetur: ita nec pœnitens. Quarta.

52. Quintò, suspensus licet in corpore spirans, cura tamen & cogitatione rebus omnibus est mortuus, ea verò tantùm cogitat, ad quę paulò pòst migraturum se sperat: sic & pœnitens, non solùm vitiis & concupiscentiis, sed & ipsis mundi elementis, rebusque omnibus affectu sit mortuus oportet, totumque cor ad Deum conuertat, & cælum, quò singulis momentis sperat se peruenturum: vnde fiat vt mundi actibus & desideriis defunctus, iam non viuat ipse, sed viuat in eo Christus, qui crucifixus est pro eo. Quinta.

53. Sextò, suspensus exaltatus est à terra: sic verus pœnitens debet habere affectum eleuatum ab omnibus terrenis sollicitudinibus & curis, ad Coloss. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite,* Sexta.

quærite, non quæ super terram. Ac si apertè diceret: Si consurrexistis cum Christo à morte peccati per pœnitentiam, terrena relinquatis.

Septima. 54 Septimò, suspensus in cruce non potest pro libitu manus & membra mouere, sed ea affixa habet ligno: ita & pœnitens, non potest ad libitum se suaque membra mouere, sed ea debet confirmare, & quasi affigere legi Dei, & Christo.

Octaua. 55. Octauò, Christus in cruce totum corpus & cuncta membra extensa habuit: sic & pœnitēs omnia, quæ in se sunt, debet ad pœnitentiam applicare. Et sicut Christus singulis suis membris peculiares cruciatus pœnasque assignauit, vt peccata nostra, quæ in se susceperat, plecteret & depelleret: ita etiam verè pœnitens, non perfunctoriè pœnitentiam peragit, aut festinanter, sed paulatim & debitis momentis ac numeris conficit, & peccati membra dignis castigationibus & pœnis addicit; nimirum, vt sic destruatur corpus peccati. Talem pœnitentiam à virgine lapsa exigebat Diuus Ambrosius, vult enim vt singula membra singulis affigeret crucibus, hunc in modum: *Pœnitentia ergo non verbis agenda est, sed & actu. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis & mens, ac membra singula, digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam, occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lachrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuriâ maceretur: cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens sicut cera, ieiunijs inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem malo cessit imperio.* Hæc D. Ambros. in exhort. ad Virginem lapsam cap. 8. Ad quem sanè modum Gregorius Mag. hom. 33. in Euang. beatam illam mulierem, *quæ fuerat in ciuitate peccatrix*, Lucæ 7. corpus peccati instrumentum afflixisse scribit, ad illa verba. *Attulit alabastrum vnguenti*, &c. do illius verba: *Attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*: sic considerat. *Liquet, quòd illicitis actibus priùs mulier intenta vnguentum sibi pro odore carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit lectamenta, tot de se inuenit holocausta.* Sic ille. Quia verò peccati membra singula non sic à nobis dignis castigationibus addicuntur; hinc accidit, nos facilè ad vetera peccata redire, & in vetera crimina relabi.

Ambros.

54. Nonò, Christus in cruce palmas extendit; & fidelis in pœnitentia largas manus & perforatas ad subleuandam inopiam habet. Nona.

55. Decimò, Christus in cruce cor patens habuit; & in pœnitentia sinceritas generatur, & veritas duplicitati & falsitati contraria. Decima.

56. Vndecimò, Christus in cruce omnibus cor præbuit; & pœnitentia mitigat animos, aspera lenit, inimicitias pellit. Vndecima.

57. Duodecimò, Christus in crucem matrem mulierem appellat, vt in pœnitentia Dei fetuus carnis & sanguinis deliciis renuntiat, & solam spiritualem cum Christo cognationem æstimat. Duodecima.

58. Decimotertiò, Christus in cruce sitim animarum habuit; pœnitentes proximorum saluti studiosi sunt. Decimatertia.

59. Decimoquartò, Christus in cruce caput altissimo patri demisit, qui omnibus capite celsior erat: sic pœnitentes paruipendunt primatum & dignitates. Decimaquarta.

60. Decimoquintò, Christus in cruce paradisum concedit latroni; & in pœnitentia sic purgantur homines, vt possint Deo associari, & comites fieri ad regna cælorum. Christus denique in cruce in morem exilientis pedes copulauit, brachia extendit, pugnos plicauit, & oculos in terminos fixos habebat: & in tribulatione positus, saltum facilem super mortem, vltra sepulchrum, imò vltra omnia mundana fecit: nam pedes vix nisi in miseriis subsistunt, manus doloribus, ad dexteram & sinistram plenæ, oculi in præmio, in fine & in gloria defixi, quam expeditus homo consequitur & experitur, quod Tertullianus scripserat, crucem intestinum trophæorum esse gratiæ & gloriæ. Decimaquinta.

61. Decimosextò, Christus è cruce descendere noluit, sed in ea ad vesperam vsque perseuerauit; mortuus verò de cruce fuit depositus: sic pœnitenti in cruce ad vesperam vsque vitæ perseuerandum. Decimasexta.

62. Decimoseptimò, in cruce pendens Dominus magna fiducia spiritum suum in manus commendauit Patris, ita in pœnitētiæ cruce perseuerans & moriens magnâ fiduciâ spiritum cælesti patri commendare poterit. *Quanta fiducia*, ait Guarricus loco cit. *de cruce filij, in manus patris spiritum commendabis, imò quantâ clementiâ Pater suscipiet quem filius commendabit. Vade securus, vade gratulabundus, vbi iudex tuus est aduocatus tuus: tantummodo signum crucis, mortificationem Iesu quā circumfers in corpore tuo, secum deferat spiritus tuus.* Decimaseptima.

Qua

Quâ iniectâ farinâ dulcoretur spiritualis hæc crucifixio.

§. VII.

Quibus dulcoretur hæc spiritualis crucifixio.

63. HAbes, Christiane, quos crucifigas, habes crucem in qua crucifigas, habes conuenientias inter corporalem & spiritualem crucifixionem, quid restat quàm vt illud Diui Pauli ad Romanos cap. 6. in te locum habeat. *Vetus noster homo simul cum Christo crucifixus est, vt destruatur corpus peccati* (cuius nimirum membra sunt omnia vitia) *vt vltra non seruiamus peccato*. Et illud Galat. 2. *Ego enim per legem, legi mortuus sum, vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus*. Et si ita loquendum Christiano, quid dicendum Monacho & Religioso? Certè huic nihil magis amicum esse debet quàm spiritualis hæc crucifixio, toties illi à Sanctis Patribus inculcata. Sed dura sunt, inquies, hæc & aspera, multúmque insuauia, & fortasse cùm hæc cæperis audire, ne dicam degustare, clamabis cum discipulis Elisæi: *Mors in olla vir Dei*. Quærenda ergo farina Elisæi, quâ iniectâ & permixtâ hisce doctrinis tantopere carni aduersantibus paululum possint dulcorari & interno mentis palato non planè displicere.

Dulcoratur consideratione crucifixionis Christi.

64. Imprimis farinam hanc administrat Diuus Paulus Hebr. 12. dicens. *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini, animis uestris deficientes, nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes*. Idem hortans Philippenses capite secundo sic ait: *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu*. Id est, hunc animi sensum, hoc propositum induite quod cernitis in Christo. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo*. Quasi dicat: Cùm Christus tam resolutè & generosè pro vobis passus sit & crucifixus vt peccata vestra & vitia crucifigeret, vos similiter ea in vobis simili animi resolutione & efficaci proposito, crucifigite, etiamsi id fiat cum passione & dolore. Farinam hanc etiam nobis suppeditat Diuus Petrus 1. Petr. 4. sic fatus: *Christo igitur passo in carne & vos eadem cogitatione armamini*. Græca habent. *Eandem cogitationem armamini*. Id est, velut arma induite, eaque vos armate, quasi dicat: Cùm Christus tanta passus sit pro vobis, cogitate, æstimate, & concludite, quanta pro eo, imò pro vobis ipsis, puta pro fuga peccati & sequela virtutis, quam vobis sua passione conciliauit, agere & pati debeatis.

65. Sed nusquam hæc farina, ad temperandam huius doctrinæ acerbitatem copiosiùs suppeditatur quàm à Diuo Paulo scribente & admonente Ephesios cap. 3. ne deficiant in tribulationibus, sed in illis virtute corroborentur. In quem finem? *Vt possint comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum crucis*, nimirum Christi. Ecce qui stimuli nobis addantur, vbi agitur de tolerandis cùm Christo laboribus, de crucifigendo veteri homine, de peragenda vera sui abnegatione, quasi dicat secundum mentem Cornelij in hunc locum, Oro Deum vt in vestra cruce & tribulatione, det vobis cogitare ac mente comprehendere crucis Christi (vt ea vos solemini & animetis) profundum, id est, intensionem dolorum & ignominiarum Christi crucifixi, & longitudinem, quâ scilicet per 34. annos quibus vixit, hanc crucem, hos dolores, vel in corpore vel in animo, vel in spiritu, eos sibi imminere, præuidens, passus est, & latitudinem, qua scilicet omnibus membris & animæ potentijs, ab omni hominum genere imò à Deo, & angelis, à quibus fuit derelictus, & omnia pœnarum genera passus est Christus, omnibusque bonis & fortunæ & famæ & honoris & vitæ est spoliatus. Et sublimitatem, quâ Christus crucifixus sublimi consideratione & perfectissima cognitione, tum Dei offensi, tum grauitatis offensæ nostræ, tum crucis & pœnarum, sibi, suæque personæ vel illatarum, vel inferendarum, tum plurimorum damnandorum quibus omnes sui dolores inutiles futuri erant, non solùm in cruce, sed in tota vita grauissimè doluit & discruciauit se. CORNEL.

Dulcoratur consideratione innumerabilium seruorum Dei qui eam adamarunt.

66. Farinam hanc etiam suppeditat innumerabilis seruorum Dei multitudo, qui cùm nobiscum ossibus constarent & carne, nihilominus fortiter & generosè carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis suis, & quod illi tam cumulatè præstitere, cur tu, fauente numine, aliquatenus, id ipsum assequi non poteris.

Crucifixæ curiositatis exemplum. CASSIAN.

67. Vis videre crucifixæ curiositatis exemplum? accipe cuiusdam Anachoretæ qui Apollo vocabatur, de quo memorat Ioannes Cass. l. 5. de spiritu Gastrimargiæ c. 32. Quòd cùm ei post annos quindecim seruitij diuini, ingens litterarum fasciculus, à parentibus & amicis, è patria transmitteretur, curiositatis affectionibus, vt eas legeret impellentibus. Quantarum, inquiebat intra se, cogitationum causa erit mihi hæc lectio, quæ me vel ad inane gaudium, vel ad tristitias infructuosas impellent? quot me diebus à diuinis contemplatio-

templationibus auellent? Hæc intra se voluens, fasciculum ne quidem resignauit, sed igne excitato: Ite, inquit, cogitationes patriæ concremari, nec me vlteriùs ad ea quæ fugi, reuocare tentens, atque ita sui victor euadens, litteras exussit.

Crucifixæ malæ verecundiæ exemplum. CRANTZIVS.

68. Vis exemplum crucifixæ malæ verecundiæ? accipe quod de Adolpho Holsatiæ Comite S. Francisci Ordinem ingresso refert Albertus Crantzius lib. 8. Saxoniæ c. 7. in hæc verba: Monasterium sui ordinis proprijs manibus in vita molitus, in oppido, Kyl, vbi nunc requiescit, curauit erigere, eleemosynas suorum quondam subditorum humiliter poscens & accipiens, cumque multum sollicitè laboraret in erectione dicti monasterij, ibat ostiatim in prædicto oppido Kyl, lac in hydria mendicans, vt haberent operarij & fratres, quo inter laborandum per æstum reficerentur. Mediâ iam plateâ vbi declinare iter non poterat, ibat hydriam baiulans lacte plenam: & cùm obuios habuisset filios, sublimes in equis, comitum more sæcularium, passus est humanum aliquid, vt rubore cœperit perfundi. At ille infremuit, & robur mentis aduocans, cùm adhuc in conspectu essent filij, hydriam leuatam super caput euertit, sese totum lacte perfundens, à vertice, dixitque: Infœlix erubuisti Christi pauperiem, lac baiulare in manibus, nunc vel in capite ostende, quid baiulaueris. Quis non miretur tantam sui humiliationem & sensualitatum mortificationem? Sic vir iste Sanctus Christi exemplo omnes animi sui motus inordinatos compescebat, sic eos cruci affigebat.

Exemplum crucifixæ iracundiæ. SVRIVS.

69. Vis exemplum crucifixæ iracundiæ? Accipe illud à S. Ioanne Gualberto, naturâ & complexione alioquin, suprà modum, cholerico & iracundo. Incidit is semel (vt legimus apud Surium 12. Iulij) in hostem & interfectorem propinqui sui, cuius diu exoptauerat interitum loco tam angusto, vt neuter posset de via deflectere. Cùm verò hostis eò quòd inermis esset nil nisi mortem propinquam expectaret, conceptâ tamen fiduciâ desilijt ex equo humique prostratus amore crucifixi Iesu iunctis manibus veniam precabatur. Audito crucifixi nomine compunctus Ioannes eius amore pacem illi obtulit, iussumque è terra surgere hominem liberum dimisit. Ingressus posteà Ioannes Ecclesiam S. Miniati, quæ nunc arce Florentina obducitur, cùm coram crucifixi imagine flexisset genua, videt à Cruce pendentis caput ad se inclinari, tamquam ipsi gratias agentis, quòd proeius amore, ac in eum pietate, hosti capitali pepercisset. Visitur etiamnum hodie illa post quingentos annos Christi crucifixi statua, exporrecta fronte longiùs à ligno remota, quasi Ioannem salutaret atque de obsequio præstito gratularetur.

Exemplum crucifixæ gulæ. PETRVS DAM.

Vis exemplum crucifixæ gulæ? Refert Petrus Damianus Episcop. Host. de quodam Abbate, qui suauis edulij concupiscentiâ ductus, lampredam sibi acquiri præcepit. Cumque ministri dicerent, hoc genus eo loco difficilè posse reperiri, extitit qui diceret, vnam tantum in naualibus se vidisse propositam nullo minùs quàm viginti nummorum Papiensium solidis coëmendam, iussit Abbas dari pecuniam. Coquorum autem diligentiâ lautè decoctus piscis Abbati apponitur, sed antequam tangeretur, ecce pauper ad ianuam, hoc potissimùm sibi dari, quod Abbati appositum erat, anxiè postulabat. Mox, vt erat, integrum piscem non hæsitans vir Domini mittit ad pauperem, illicò pauper qui videbatur, cùm ipsa paropside plena pisce in sublime se extulit: & librata manu, velut xenium portans, cælum cunctis videntibus penetrauit. Vnde liquidò comprobatur, quia quod indigentibus datur Deo transmittitur, & quod in sinum pauperis occultamus, in cælo reponimus. Illud etiam quod nunc addimus, quamquam non sit miraculum, ab ædificatione tamen non vacat, cui famulatur omne quod scribimus. Episcopus quidam lampredam sibi parari præceperat, qui paulò pòst dum inter missarum solemnia, sacris altaribus deuotus assisteret, ecce lampredæ memoria illecebrosi gustus eum tentauit affectu. Vt autem erat animi insignis talia se pati posse in obtutibus occulti & omnipotentis inspectoris erubuit; expletis itaque officijs regressus febriticum animæ piscem pauperi tradendum esse mandauit. Sic profectò canicula voluptatis, quæ sub mensa corporis vtcumque potuisset viuere ad sancta Sanctorum impudenter irrumpens pœnitentiæ fuste mactata meruit interire. Sic ille epist. ad Gregor. 7.

Dulcoratur, sincero erga Christũ affectu.

70. Vis aliam farinam? eam trahere poteris, si libet, ex sincero erga Christum amore, ex sincera cum Christo amicitia. Conare vt sis de numero amicorum Christi, vt illi amicitiæ vinculo iungaris, vt amoris illi adhæreas glutino. Hac ratione non permolestum, sed periucundum, mortis illius referre similitudinem. Amici Iob illius ærumnam obstupescentes cap. 2. *Exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum, in cælum, & sederunt cum eo.* Id quod expendens Origenes lib. 3. sic ex illorum mente loquitur. ORIGEN.
Quæ fecisti, inquiunt, ô Iob, facimus, & quæ gessisti gerimus, vestimenta nostra scindimus, & terram super capita nostra spargimus, sic namque & tu fecisti ante paululum, vt aiunt, ô Iob, & vtinam cæteros dolores tuos tecum diuidere possimus. Ecce qualiter amici Iob quia amici, quæ in Iob peracta noscunt, in se peragunt, quantùmque fieri potest, miseram illius in se conditionem transscribunt. Sedet ille,

sederunt cum eo; vestimenta scidit ille, scindunt & amici; terram super caput sparsit ille, spergunt & amici; quæ ille fecit, faciunt & amici. Ita veri Christi dilectores & amici, cum Christo crucifixo sunt crucifixi, cum moriente mortui, cum sepulto spiritualiter sepulti, in se transfigurantes quàm potest fieri maximè dilecti similitudinem. *Amicus speculum*, antiquo dictũ proverbio. Et qualiter speculum? nimirum quia dilecti in se transfert formam, figuram, similitudinem, sedet cum sedente, flet cum flente, dolet cum dolente, moritur cum moriente. O vtinam veri essemus Christi dilectores, quàm facilè & iucundum cum crucifixo corporaliter, crucifigi spiritualiter.

Amicus speculum.

De varijs, ijsque præstantissimis fructibus huius crucifixionis, quorũ consideratione, omnis illius tollitur amaritudo.

§. VIII.

71. Vis aliam farinam? Eam, si libet, sume & collige ex prestantissimis fructibus qui homini proueniunt ex hac spirituali crucifixione.

Dulcoratur considera-tione fructuum.

72. Primò, quid ipsa perfectione desiderabilius? Vis illam assequi? amator esto spiritualis crucifixionis. Audi S. Hieronymum in epist. ad Iulianum. *Si vis animò perfectus esse, mundum relinque, desiderijs eius renuntia, pristina vestimenta contemne, & vt euadas Ægyptiam Dominam, seruuli pallium relinque. Helias ad cœlorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundi, in mundo, vestimenta dimittit. Contemnis aurum? contempserunt & multi Philosophi, è quibus vnus multarum possessionum pretium in Pelagus proiecit. Abite, inquiens, in profundum, malæ cupiditates, ego vos submergam, ne ipse submergar à vobis. Multa reliquisti, si desiderijs etiam mundanis & quibuscumque huius sæculi vanitatibus renunciasti. Totum Deo dedit, qui seipsum eius seruitio totum mancipauit, & carnem cum concupiscentijs suis crucifixit.* Sic ille.

Hac crucifixione assequimur perfectionem. HIERON.

73. Secundò, quid iucundius hilari & tranquilla vita? & vbi illa inuenitur? non sanè in delicijs, voluptatibus, honoribus, concupiscentijs exequendis, sed sui abnegatione, concupiscentiarum extirpatione & veteris hominis crucifixione. Exemplo & dictis Sanctopij Morau Regis, id confirmari potest, de quo refert Platus lib. 2. cap. 16. quòd prælio victus ab Arnulpho Imperatore, Regijs insignibus abiectis in remotissimam solitudinem profugit, vbi in monte qui Sambrius vocabatur quibusdam monachis se adiunxit. Et monasticâ veste acceptâ aliquot annis eandem vitam in ieiunijs, vigilijs cæterisq; corporis austeritatibus incognitus egit. Morti vicinus, conuocatis fratribus, quis esset aperuit, religiosamque vitam regiæ dignitati longissimè præcellere grauiter asseuerauit. *Hic enim*, inquit, *securè ac sine metu somnum cepi, hic mihi herbarum radices & aqua potus multò iucundior ac suauior fuit quàm olim regiæ dapes, quæ scilicet multo felle curarum & periculorum aspergebantur, itaque hoc quidquid fuit temporis quod vobiscum duxi longè mihi fœlicius visum est, quàm cùm olim regnans omnibus voluptatibus affluebam, ex quo vel meo ipso vsu didici, vitam illam huic comparatam mortem potiùs esse dicendam quàm vitam.* Hæc egregius ille Christi crucifixi sectator.

Assequimur hilarem & tranquillam vitam. PLATVS.

74. Tertiò, quid desiderabilius, quàm securum esse à lapsu, & securas disponere ascensiones in cælestem illam Hierusalem? & qualiter id assequemur, si nunc illud quod in nobis viuit humanæ originis & veteris hominis cruci affigamus, & Deo immolemus. *Ecce ascendimus Hierosolymam* dicebat Christus Marc. cap. 10. *Et filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis*, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum. Quibus expressum habes quid faciendum sit de filio hominis, vt ascendat Hierosolymam securusque reddatur à lapsibus. Quippe tunc securè ascensiones parantur in cordibus humanis, cùm ibi origo interit humana, cùm filius hominis & cruci & morti traditur. Id quod ibi docebat Isaac Abbas apud Tilmanni allegorias, aiens: *Itaq; ad pacis visionem properantibus, hoc est enim Hierusalem, tradendus est filius hominis, homo interior ac exterior, gentibus alienis, abstinentiæ, vigilijs, cineri, ac cilicio, laboribus & alieno imperio vt ab his affligatur & cruci affigatur, donec funditus à proprio sensu & veteris vitæ consuetudine moriatur.* Tunc solùm firmaberis in Dei pace, tunc in huius vitæ conflictu minimè deficies, minimè cades, cùm in te filius hominis iugi mortificationi & Cruci fuerit traditus. Verùm quàm hic filius hominis adhuc in nobis viuit, ostendunt crebri lapsus, crebrique defectus.

Securi redimur à lapsu. TILMANNVS.

75. Quartò, quid desiderabilius plenaria securitate & tutela ab hostium omnium insidijs & incursionibus? Vis illa assequi? Porta signum Crucis, sicut in fronte, ita & per imitationem in corde. Antiquitus qui à latronum insidijs & prædonum incursionibus defendere se volebant, Imperatoris sui sigillum deferebant, vt ob Imperatoris honorem timoremque eius signaculum gestan-

Assequimur tutelam ab hostibus.

gestantibus parcerent. Opportunius id Crucis sigillo consequemur, si quis enim hoc secum assiduè deferat, si carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigat (hoc namque est Crucem portare) se ab hostium latronumque vi facilè eximet, qui viso Imperatoris sigillo vertentur in fugam. Audiendus Hugo Cardinalis qui in c.14. Lucæ ita scribit: *Si quis vult tutus incedere per viam; in quâ sunt latrones, defert secum sigillum Imperatoris sui, & ita multoties tutus incedit. Ita cùm nobis contingat transire viam plenam offendiculis, scilicet viam regiam: per quam debemus sequi Regem nostrum, præambulum nostrum, non possumus tuti transire sine Imperatoris nostri sigillo, id est, sine Crucis vexillo, quod semper in periculo prætendemus. Crucem autem portat, qui pro Christo sanguinem suum effundit. Præter hunc modum; duobus modis baiulatur Crux sicut dicit Gregorius. Vel cùm per abstinentiam caro affligitur, vel per compassionem proximi, animus affligitur. Debemus enim crucifigere membra nostra; manus ne ad percutiendum moueri possint vel ad sanguinem effundendum, sicut ille qui habet manus affixas Cruci non potest eas mouere, & ita cætera membra.* Sic ille. Igitur contra hostium omnium incursum, aduersus grassantium latronum violentiam & insidias, Imperatoris nostri sigillo vtamur. Cæterum non solùm manu formemus, sed mortificatione exprimamus.

Hugo Card.

76. Quintò, quid fœlicius, quàm ex signis aliquibus prævidere, omnia nobis fore prosperè successura? vis scire qualiter id continget? Sumebant antiquitus gentiles prosperitatis auspicia ex varijs rebus. Vis scire, ô Christiane, quæ signa tibi consulenda, vt inde sumas omnimoda prosperitatis auspicia? Non aliud sanè signum tibi consulendum, quàm Crucis sacratissimæ signum, vide, an illud sicut in fronte ita & in corde expressum geras. Si ita sese res habeat, nihil time, intende, prosperè in omnibus procedes & in omnibus prospero frueris successu. Ad quæ sic pulcherrimè D. Ambrosius serm.43. *Nonne cùm adhuc gentilis esses solebas signa perquirere: quæ signa quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? Iam nunc nolo erres in numero, scito quia in vno signo Christi omnium rerum est tota prosperitas. Qui in hoc signo seminare cœperit vita fructum consequetur æternæ. Qui in hoc signo iter facere aggreditur ad cælum vsque perueniet.* Ne autem existimaueris Crucis signum pro prosperitatis auspicio esse etiam impijs & inimicis Crucis Christi, qui externè quidem illud gerunt in fronte, sed diaboli partes sequuntur in corde; expende quid scribat Anastasius Sinaita Hexamer. lib.3. *Dixit Ecclesia, vt germinet lignum Crucis, sed nobis solis* (iustis scilicet hominibus & imaginem Crucis Christi in corde gestantibus) *fertile, & bonum omnium causam abundantiam.*

Promittuntur nobis omnia prospera.

Ambros.

Anastas.

Sextò, quid optabilius, quàm frui precum & votorum suorum exauditione? Vis scire quibus id contingat? Sanè illis qui Christo in cruce ferenda similes. Legimus Lucæ 23. latronem cum Domino crucifixo clamasse è Cruce: *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Vndè latro vilissimus audet à Rege postulare memoriam sui? Cur non magis timet à iustissimo Rege vapulare? Ideò dicebat ille, *Memento mei*, id est, similiter crucifixi. Ait D. Cyrillus Hierosol. Catech.13. Non dico vt operum meorum memineris, hoc enim metuo, sed omnis homo afficitur ad comitem suum, simul tecum eò ad mortem, memineris comitis tui. Nil aliud proponebat, quàm id in quo habebat aliqualem cum Christo similitudinem, de similitudine enim venire sciebat, quod obtinere posset à tanto Rege munera. Nihil hominem ita assimilat Christo, quàm malorum in hac vita tolerantia. Vnde Theodorus Studita ser.30. scribit beatum Ignatium, se Deiferum vocasse, quòd Christi in se supplicia ferret. Si in morte perferenda externa non datur tibi vt sis similis Christo, conare saltem vt imaginem crucis & mortis eius, intimè, nimirum in ipso corde exhibeas, sic enim contracta cum Christo similitudine, iam annuet ille votis, annuet desiderijs.

Parit omnium precum nostrarum exauditionē.

Cyrillus Hieros.

77. Septimò, quid melius, quid vtilius excogitari potest, quàm carnem habere consentientem spiritui, quàm carnem habere spiritualem ac volatilem? Vis scire quibus id contingat? qui cum Christo pariter crucifixi sunt, atque Christi crucifixi in se transtulere similitudinem. Audi Chrysostomum homil.13. in epist. ad Roman. *Quemadmodum ferrum ab igne assiduo vsu, & ipsum quoque ignem in ignem euadit, propriâ in naturâ remanens, sic fidelium spiritus habentium caro, in illam demum efficientiam tota transmutatur, tota spiritualis, vndique crucifixa, atque vnà cum anima, & ipsa volatilis reddita, quale quidem erat corpus Pauli qui dicebat. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, vnde omnes, ille, delicias, voluptatesq; ridebat, flagellis autem, fame, & ergastulis delectabatur, nec dolebat, illa dum toleraret.*

Carnem reddit spiritui cōsentientem.

Chrysos.

78. Octauò, quid pulchritudine optabilius? Si Christo concrucifixus fueris, certè pulcherrimus in Dei oculis apparebis, similis prorsus pellibus Salomonis de quarum similitudine gloriatur Sponsa, dum ait Cant. cap.1. *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Sed cuius Salomonis? an illius qui fecit sibi thronum ex ebore grandem, & vestiuit illum auro fuluo nimis, qui magnificentiâ suâ rapiebat in stuporem Reginam Sabæ, ita vt vltra non esset spiritus? Absit, huius enim gloria vincebatur ab vnico agri lilio. Sicut pelles ergo Salomonis veri, nimirum Regis pacifici Christi, & quænam pulcherrimæ illæ illius pelles, vt cum eis nulla

Pulchritudinem summam confert animæ.

alia pulchritudo valeat comparari? Pelles illius sunt sancti, qui pellium more extensi, & quodammodò crucifixi. Hinc D. Paschasius lib. 3. in Threnos inquit: *Non de Salomone illo, sed de Christo, cuius pelles sunt omnes sancti, qui se mortificauerunt crucifigendo cum Christo carnem suam, ad instar pellium mortuarum quatenus possint in se Christi portare similitudinem passionis.* Certè nihil nitidius, nihil pulchrius illis, qui se conformant Christo crucifixo, sine ruga enim inueniuntur, & sine macula.

PASCHAS.

Ingerit securitatem de cælo possidendo.

79. Nonò, quid optabilius, quàm adhuc in mundo existere, & de cælo potiendo securum esse, quàm spe saluum iam factum esse? & qualiter hoc assequemur? nimirum, si crucifixorum cum Christo degamus vitam, vt deuotè grauiterque docet D. Arnoldus Abbas Bonæuallis in tract. de septem verbis Domini in illo verbo *Pater ignosce illis*, vbi postquam dixit Crucis altitudinem, spem Dei significare seruorum, talia de simili conclamat spe. *Restat*, ait, *altitudo, quam vsque ad summum intimat pars porrecta, hæc est bonæ spei confidentia, quæ crucifixos mundo* (signa verbum) *cælestibus inuehit, & ex bonæ conscientiæ testimonio securos, certosque illos gloriæ consociat. Iam iamque bonis illis manum intentat, iam gustat, iam os aperit, iam delibat, iam conuersatur cum Angelis, iam illa prosequitur agmina, iam agnoscit, iam liquescit, iam amat, iam iubilat, iam lætatur & delectatur, hilarescit & quiescit, intelligit & diligit.*

ARNOLD.

Salutem largitur.

80. Decimò, quid optabilius salute? Et quinam hanc consequuntur, præseruati à morte & damnatione æterna; nónne spiritualiter crucifixi? Audi Dominum Ezech. c. 9. *Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem; & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit, audiente me: Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & Virginem, paruulum, & mulieres interficite vsque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis.* Quid hæc sibi volunt, quàm nos per crucem Christi à morte, à gehenna, ac dæmonum tyrannide liberandos; præsertim eos, qui crucem Christi fronti & animo imprimunt, id est, vt ait Isidorus lib. Allegor. cap. 25. crucem Christi post eum tollunt, acriùs se edomant, & erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Habebat enim littera Thau ante Esdram apud Hebræos priscos figuram Crucis, eratque similis litteræ Thau Græcorum & Latinorum. Quocirca Syri codices hîc pro signo Thau, legunt, *signa Crucem*, vti refert hoc loco Cornelius, vbi etiam probat, litteram Thau symbolum fuisse vitæ sicut Theta mortis. Quicumque ergo crucem Christi, non solùm in fronte, sed etiam in corde per imitationem signatam habent, salui erunt, & in numerum beatorum computandi. Parum enim proderit Christiano, si in frŏte portet signum humilitatis Christi, nisi illud etiam portet per veram imitationem in corde, iuxta illud D. Augustini serm. 20. de diuersis: *Si portas*, inquit, *in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi.* Qui in fronte, & non in corde portant signum Crucis, sic eos pungit idem sanctissimus Doctor in Ps. 85. *Christi signum te in fronte portare asseris, & de corde perdidisti.* Denique putant nonnulli, teste Salmer. in c. 24. Matth. cruce quasi tessera & trophæo, in frontibus insigniendos omnes beatos in cælo; vt significetur eos merito crucis, tam Christi, quàm suæ, cælum possidere: idque allegoricè, vel potiùs anagogicè hîc significari, cùm dicitur: *Signa thau super frontes virorum gementium*, litteraliter verò idipsum dicere S. Ioannem Apoc. 7. dum ait: *Signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.*

ISIDORVS.

81. Vndecimò, quid Christi præsentiâ suauius vel optabilius excogitari potest? Vis scire quos ille visitet, ad quos veniat, in quibus libenter requiescat? Sanè in illis, in quibus, videt aliquam crucis suæ formam, vel similitudinem. D. Chrysol. ser. 83. expendens illa verba Ioan. 20. *Cùm esset serò die illa vna Sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum*, sic ait: *Erant clausi propter metum Iudæorum, non erat domus illa, sed carcer, sed sepulchrum: tunc tota ad discipulos pœna Dominicæ transierat passionis, & non solùm lateribus eorum; sed & cordibus doloris lancea tota figebatur, tunc tristitiæ clauis affixæ manus eorum, pedesque tenebantur.* Ecce qualiter discipuli, qui, vt amicum & Dominum sepulchro conditum, eiusque pedes manusq; transfossas norunt, sic se ipsi afficiunt, vt domi sepulti transfixis pedibus teneantur. Quid inde secutum? Intrat ad hosce Christus, pacem illis offerens, vulnera purpurea in cruce fulgida ostendens. Vis ad te trahere Christum? Mortis suæ stemmata illi spectanda exhibe, nulla equidem res eum tantoperè allicit, quàm crucifixi & morientis, & sepulti Christi imitatio. Hanc illecem obijciebat sponso, vt eum attrahat, illa, quæ dicebat Cant. 5. *Surrexi vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt myrrham.* Si contingat sponsæ manus, id est, opera, distillare myrrham, id est, referre similitudinem mortis, & imitationem Christi crucifixi; ne tardet, sed confestim surgat, sint reserata & patentia ostia, nam iam iam aduentat, imò accurrit Dominus; nam tali delectatur hospitio. Ita D. Ambrosius lib. de Isaac c. 6. præfata commentatur verba: *Surrexit*, inquit, *aperire, & opera eius & facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima, quæ verbum est receptura, vt moriatur mundo, consepeliatur Christo.* Sic enim Christus inuenitur, & tale quærit hospitium. Quis non libenter

Adest Christus iis qui sese crucifigunt.

CHRYSOL.

libenter referat similitudinem crucifixi Iesu, vt dulcissimâ illius perfruatur præsentiâ?

82. Ecce nihil pulchrius, nihil vtilius, nihil optabilius hac spirituali crucifixione; quis ergo eam non ambiat, non consectetur, quis illius non amator existat? Nihilominus quàm pauci sunt, quibus illa arridet, quàm rari qui commoriuntur Christo, qui crucifixionis eius imaginem extimè & intimè exprimant, quàm rari qui dicere possunt: Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Audi Dorothæum doct. 1. quæ est de Renuntiatione: *Postquam quæsiuit, quo pacto mundus crucifigatur homini*, & respondit; *id fieri, cùm homo abrenunciat mundo, mundum deserit, & exinde solitarius fit relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copiâ.* Postquam deinde quæsiuit, *quo pacto homo crucifigatur mundo*, & respondit; *Id fieri per abrenunciationem, cùm scilicet homo, postquam mundi rebus excessit, certat aduersus mundi concupiscentias, aduersus voluptates, aduersus propriam voluntatem, subigitq; innatas passiones.* Tandem subdit, Religiosos exhortans ad hanc abrenunciationem: *Nos, inquit, videmur quidem nobis ipsis mundum crucifixisse, quia relinquimus eum, & ad monasteriũ diuertimur: at nolumus nos mũdo crucifigere. Adhuc enim in animo nostro vigent illius blãditiæ, adhuc in nobis ipsius affectum abscondimus, compatimur illius gloriæ, compatimur delicijs & voluptatibus, compatimur ornamentis & vestibus, & ob viles & inanes res delabimur, plerumque in pristinas eius passiones, quod sanè non nisi ex amentia multa prouenit, vt qui pretiosas ac magnas res relinquimus, ob minimas plerumque perturbemur, fitque id à nobis pessimè, vt enim mundo & rebus eius abrenunciamus, ita & pristinis eius passionibus abrenuntiare debemus.* Hæc Dorotheus.

Rari, qui commoriuntur Christo.

Dorothævs.

83. Paucitatem eorum qui verè Christo crucifixi sunt, & quibus mundus est crucifixus, & ipsi mundo, collige ex Cæsario lib. 8. dialog. cap. 18. vbi narrat, quòd in aliquo monasterio sui Cisterciensis Ordinis fuerit magnus quidam & eximius Dei seruus Rodolphus nomine, professione laicus, multis insignis reuelationibus: hic post matutinum in Ecclesiâ orationibus instans, vidit Dominum Iesum crucifixum, concomitatum quindecim sui Ordinis Religiosis, qui & ipsi similiter crucifixi apparebant; tantus verò splendor spargebatur è corpore Christi, vt omnes noctis depelleret tenebras, adeoque omnes posset clarè videre & agnoscere, prout & re ipsa agnoscebat, vtpote omnibus adhuc præsenti aura perfruentibus, dicebatque decem esse conuentuales, quinque verò reliquos esse laicos. Cùm autem visio hæc magnam illi incuteret admirationem, ex ipsa cruce illi dixit Dominus Iesus: Rodolphe an agnoscis hosce, quos circum me vides cruci affixos? Respondit ille: Noui Domine quinam sunt, sed ignoro quid sibi velit, & significet visio mihi oblata. Dixit verò tunc illi Dominus: Hi in omni ista religione solummodò sunt qui mecum crucifixi, conformantes vitam suam meæ passioni.

Paucitas eorum qui verè sunt crucifixi.

Cæsarivs.

Sicut granum synapis est igneæ naturæ, ita Christus totus futurus igneus in extremi iudicij die.

SECTIO XXI.

De igne furoris & indignationis quo accensus Christus in iudicio.

§. I.

1. Svperiùs comparauimus Christum speculo ignito ob amoris ignem, quo in primo suo ad homines aduentu vndiq; vestitur; ne autem tanto Christi amore, qui in primo eius relucet & splendescit aduentu, abutatur homo, & in quandam propriæ salutis negligentiam eum pertrahat, non incongruum visum est, quædam in medium adferre de igne furoris, indignationis, iustitiæ, ac zeli, quo instar speculi cuiusdam igniti Christus repletus vndique, apparebit, in secũdo suo ad homines aduentu. Sanè tam vehemens in secundo aduentu erit ignis furoris, vt correspondere videatur, & quasi pari passu procedere cum præcedenti igne amoris; ex primi enim aduentus amore solent colligere SS. Patres, secundi aduentus iram, indignationem, atque furorem. *Quanta*, ait D. Augustinus serm. 29. de temp. *malorum discussio erit quâ damnabuntur, solicitudo indicat quâ redimuntur. Quàm facilis modò*, ait D. Bernardus serm. 1. in Epiphan. *reconciliatio, tam difficilis erit posteà, & sicut modò nemo est, qui reconciliari non possit; ita post paululum nemo qui possit: quoniam sicut benignitas apparuit vltra omnem spem, vltra omnem æstimationem, similem expectare possumus iudicij districtionem. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis iustitiam, sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorem. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua*

Christus plenus igne furoris in iudicio.

Ignis furoris in secũdo aduentu respondebit igni amoris in primo aduentu.

Avgvst.

tua corripias me; vt enim scires quanta districtio succedit, tanta illa mansuetudo præuenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem vltionis attende. Immensus est enim Deus, & infinitus in iustitiâ, sicut & in misericordiâ. Multus ad ignoscendum, multum ad vlciscendum. Sed misericordia quidem priora sibi vindicat; vt si voluerimus, districtio inueniri non possit, in quem sæuiat. Sic Bernard.

Quàm aliter se geret Christus in secundo quàm in primo aduentu.

2. Heu quàm mutatus in secundo Christus, ab illo, quem se exhibuit hominibus in primo aduentu: in primo totus igneus est charitate; in secundo totus igneus seueritate. *Qui priùs venit*, ait Rupertus lib. 9. de oper. Spir. sancti c. 8. *in spiritu mansuetudinis, sicut ostendit species columbæ, quæ super eum apparuit, tunc veniet in flamma ignis. Reuelabitur de cælo cum Angelis virtutis suæ in flamma ignis, inquit Apostolus, dantis vindictam his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi. Illo igne, cæli soluentur, mare siccabitur, vt Patrum quidam arbitrantur, & hinc fortè in Apocalypsi Ioannes inquit, & mare iam non est. Cælos verò calore soluendos Apostolica scriptura non tacuit. Cæli, inquit, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis hominum impiorum.* Sic ille.

In primo venit in spiritu mansuetudinis, in secundo veniet in flāma ignis. 2. Tim. 1. RVPERT. 2. Pet. 3.

3. Qui in primo aduentu, *descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*, vt prædicebat Regius Propheta Psalm. 72. Quæ verba Isidorus clariùs de primo aduentu interpretatus, pertinere putat ad dona supernaturalia, quæ suo aduentu mundo attulit. *Vt pluuia*, inquit, *refectam herbam crescere facit, ita Christus veniens, suos copiosis perfudit donis.* Vatablus existimat significari; *Sicut herba desecta adueniente pluuia crescit: ita futurum vt omnia bona per aduentum Christi florescerent & germinarent.* Sequuntur namque Isidorus & Vatablus non tam nostram vulgatam translationem, quàm paraphrasim Chaldaicam, quæ sic vertit: *Descendit sicut pluuia spontanea super herbam corrosam à locustis, sicut stillæ pluuiæ serotinæ stillantes super terram.* Liranus verò interpretatur, & dicit significari his verbis mansuetudinem Christi; in primo aduentu summa cum humilitate & mansuetudine venientis, sicut pluuia in vellus nullo strepitu descendit: in secundo aduentu veniet cum stridore & clamore, Amos c. 2. *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fæno, & peribit fuga à veloce.* In quæ verba sic optimè D. Hieronymus: *Idcircò*, inquit, *sicut plaustrum stipula vel fæni onere prægrauatum, stridore & sonitu longè exulat, sic ego peccata vestra vltra non sustinens, & quasi stipulam tradens incendio, clamabo & dicam; perijt fuga à veloce*, &c. Rectè autem notat Cornelius verbo illo, *Stridebo*, non tam significari vocem & stridorem Dei sub onere gementis quàm indignantis, vindicantis, punientis. Gemitus enim in Deo non est signum animi fracti, aut imbecillis; sed infesti sese intendentis, & excitantis ad plagam. Aliter enim gemit qui grauiùs portat onus, quàm vires ferant; aliter gladiator, aut lignator, qui tunc gemunt, cùm se ad firmitatem & conatum intendunt: ille vt hostem feriat, hic vt quercum securi deiiciat. Sed in Deo videre est vtrumque, & gemitum ac stridorem ex fastidio, & ex offensione suspirium, quo se Dominus excitat ad anhelatam plagam.

In primo descendit sicut pluuia in vellus, in secundo veniet cum stridore. ISIDORVS.

4. Qui in primo aduentu, *ascendit sicut virgultum coram eo*, instar tenelli & lactentis infantis, *& sicut radix*, nimirum planè humilis & abiectus, *de terra sitiente*, id est, Sacra Virgine, vt legimus de Christo Isaiæ c. 53. In secundo aduentu plenus erit furore & indignatione, iuxta illud Isaiæ c. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius impleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans, spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum.* Hæc enim omnia iuxta S. Hieronymum, S. Thomam, Hugonem & Liranum referuntur ad diem iudicij. *Ecce nomen*, id est, maiestas, potentia, & vindicta irati Dei, quam ipse in die iudicij exercebit in reprobos, longo post tempore veniet, vnde sequitur; *Ardens furor eius.* Mysticè Sanchez: *Vindicta*, ait, *Dei venit de longinquo, quia venit de peccatorum nostrorum duritie, quæ longè abest à Deo, cogitq́; eum prosilire ad vindictam, cùm ex se & natura sua, sit clementissimus, & à puniendo alienus ac remotus. Ardens furor eius.* Est pulchra hypotyposis Dei irati: solent enim irati oculis scintillantibus, fumante naso, & lingua & labiis flammis emicantibus, spirare furorem. *Spiritus eius velut torrens inundans.* Quasi dicat, halitus, qui efflabatur ab ore indignabundo Dei, tam erat vehemens, vt solus prostraturus videretur omnes hostes; non aliter atque incitatus torrens, qui ad medium vsque collum intumuit, homines prosternit, obruit, & mergit. Ita Sanchez. Nota, *torrens inundans*: Est prouerbium, significans maximam tum copiam, tum celeritatem, tum impetum, tum stragem, & cladem, hæc enim inuoluit torrens, præsertim inundans. Sic Seneca in Oedipo:

In primo aduentu ascēdit sicut virgultū: in secundo erit furore plenus. THOMAS.

Aurea torrenti deducens flumina ripa.

Torrenti, id est, exundante, per catachresin, *ad perdendas gentes in nihilum*, vt iam non sint in terrâ, sed in inferno, in terra ergo erunt nihil: in inferno cremabuntur & annihilabuntur, quantum est ex vi ignis & combustionis: sed Deo eos conseruante ad æterna tormenta, nunquam erunt nihil, vel annihilati.

5. Qui in primo Aduentu tam fuit patiens & mansuetus, vt Isaiæ cap. 42. de illo dicatur: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Quasi dicat, Christus tam erit patiens & mansuetus, vt calamum quassatum, quem homines plerumque abiiciunt, quia inutilis est, & quia

In primo aduentu patiens, in secundo peccatorem destruent.

tenentem

tenentem suis fracturis & aculeis pungit & lædit. Et linum, siue ellychnium non ardens, & vix lucens, sed fumigans, quòd homines mox extinguunt, quia nocet & oculis & naribus (fœtet enim) non confringet, vel extinguet, id est, infirmos & imbecilles in fide, spe, & charitate, non abiiciet, nec contentiosè, nec clamosè increpabit, & opprimet: sed quia in illis adhuc aliquid luminis & ignis remanet, sua mansuetudine eos sustentabit, fouebit, sanabit, & accendet. Iam in secundo aduentu peccatorem planè destruet, iuxta illud Isaiæ c.65. *Qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres, qui habitant in sepulchris,* &c. *isti fumus erunt in furore meo ignis ardens tota die.* Christiani, qui immolant in hortis, dijs suis, non Priapo, aut Ioui, sed gulæ, ventri, veneri, & cupidini suo: *qui immolant super lateres*, qui in vasis testaceis, non ferreis, vel æneis, ne inde contrahant aliquid mali, si non saporis, saltem coloris, elixant & coquunt delicatissimas carnes. *Qui habitant in sepulchris*, qui sunt hypocritæ, exteriùs quidem præ se ferentes speciem pietatis, cùm intus essent pleni dolo & auaritiâ. *Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Id est, ibunt in fumum, & ignem, hoc est, in ignem non lucentem, sed fumantem, tetrum, fœtidum, & caliginosum gehennæ.

In hac vitâ mala immittit guttatim.

6. In primo aduentu, & in hac vitâ, quæ Christus immittit mala, quantùmcumque grauia, guttatim ea immittit. Huc spectat id quod dicitur Apocal. c.15. *Vnum de quatuor animalibus dedisse septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiâ Dei.* Per phialas Pannonius intelligit iudicia Dei, in quibus ira reseruatur, id est, supplicia improbis suo tempore inferenda. Supponendum phialam in inferiori parte latam esse, versus superiorem verò partem, strictior est, & in angustum os desinens. Phialæ plenæ ira Dei, dicuntur aureæ, quoniam ex amore, tamquam ex aurea phiala diuina in nos ira, atque animaduersio procedit, cùm nos in hac vitâ castigat, vt corrigat. Deinde seruatur ira Dei in phialis, indeque effunditur; nam cùm phiala os angustum habeat, non potest ira inde nisi guttatim pluere. Quò pertinet illud Ezechiel. c.20. *Stilla ad Africam*, non dicit, *effunde*, sed *stilla*. Et Ezech.2. *Filij hominis stilla ad sanctuaria.* Et Daniel c.9. *Stillauit nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Mosi, serui Dei, quia peccauimus.* Stillare ergo hæc mala dicuntur, quia ex phialis funduntur, quæ angusto sunt ore, hoc est, ex diuinis iudicijs, quorum ora misericordia comprimit, & ideò angusta sunt & stricta, ne fundant, sed stillent iram.

In secundo aduentu pluet laqueos.

Basilius.

7. Verùm in secundo aduentu complebitur illud Psalmi 10. *Pluet super peccatores laqueos ignis*, &c. Intendit D. Basilius in Scholijs horum verborum, iisdem verbis Prophetam quatuor indicasse circumstantias, quæ maximè augent vim inferorum tormentorum, quibus Deus feriet in die iudicij ipsos impios. Duas sub nomine pluuiæ indicat, duas alias ignis nomine protendit. Ergo dicitur pluuia, vt pœna hæc indicetur ineuitabilis, vt enim pluuiam desuper defluentem, ne decidat, nulla hominum vis prohibere potest; non aliter inferorum pœnam, nemo arcere potest, nemo subterfugere. Secùdò, eadem pluuia ostendit supplicij abundantiam, sicut enim pluuia facilè irrigat totam regionem, quòd vix deductis è flumine riuis, & cum multo labore fieri posset, haud aliter, magnam hæc pluuia suppliciorum copiam indicat. Ignis etiam in primis ostendit supplicij promptitudinem: etenim ignis, breui tempore materiam, & fomentum absumit, & quasi ablingit: eadem ratione, nullâ interpositâ morâ in infernalem carcerem detrudendi sunt damnati. Non diutiùs protrahenda causa, non iudex interpellandus, non adhibendi testes, non conueniendi lictores, &c. ignis adest paratissimus, qui omnem traditam sibi cateruam sine mora discruciet. Tandem ignis etiam significat vim consumendi; multa quidem sunt quæ hominibus necem inferant, vtputa, gladius, pestis, febris, &c. At ista licet vitam auferant, corpus tamen integrum relinquunt: ignis verò & vitam adimit, & corpus absumit, & in puluerem redigit. Alia hominibus illata supplicia, non omninò hominem obliguriunt; pœna verò infernalis omninò absumit, eaque tantùm ratione vitam conseruat, vt possit diutiùs viuos punire. Cuncta hæc Basilius premit his verbis: *Pluet super peccatores laqueos; per hæc nomina multam habentia supplicij condemnationem, & ineultabilem supplicij abundantiam, plagæ promptitudinem, vim consumendi, exprimere volens, significauit.*

Quatuor circumstãtiæ maximè augent vim tormentorum.

In hac vitâ Deus continet iram suam, in futura effundit.

8. In primo aduentu, siue in hac vitâ, Deus continet iram suam, ne simul erumpat in perniciem totius hominis, sibi Deus quodammodo vim infert, dum coercet furorem & indignationem, quæ laxatis habenis vellent in peccatorem ruere; iam patitur quasi angustias in corde, ex lucta quam sentit inter iustitiam & misericordiam. Verùm in secundo aduentu illud quod per Ezechielem c.5. Deus comminatur, implebitur: *Ego complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor.* Quasi dicat, Consummabo, siue, consummatè effundam, & ad rem referam furorem conceptum. Supponit illam D. Pauli sententiam; *Tu autem secundum impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram, in die iræ.* Rom.2. Peccata enim quò magis ac magis crescunt, & quasi in thesauros compilantur diuinæ iustitiæ, eò magis accendunt bilem, & indignationem Domini, & prouocant eius iustitiam, vt vlciscatur tanta facinora. Hic est ille clamor sanguinis Abel, & scelerum Sodomitarum, qui ascendebat coram Domino, Deus interim, vt est patiens

tiens & longanimis, expectat, silet, tacet, temperat iram; *Et abundauit, multiplicauit, vt auerteret iram suam*, id est, sæpiùs auertit, reuocauitque iram suam iam iam sese exerentem, continuit torrentis impetum iam effusum, extinxit flammam iam accensam; *Et non accendit*, permisit accendi & feruescere, *omnem iram suam*, &c. Hoc autem non fit sine lucta, & agone molestissimo; angitur enim cor dum iram comprimit, non secus atque tormentum æneum, quod concepto igne, nec displosa pila, rumpitur. Exemplum est in Psalmo 38. *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*, &c. *Obmutui, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Et iterum: *Ignis accensus est in furore meo.* Luctam describit Isaias cap. 57. *Non in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar, ego indignabundus, quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.* Id est, effundam furorem cum flatu & saliuis. Eadem etiam lucta in thesaurizando & concipiendo furorem, & effusio iræ habetur in Genesi cap. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Vel non luctabitur, non litigabit, non erit sicut in vaginâ, non disceptabit ira mea contra hominem concepta, non coercebit in perpetuum, non patiar hanc litem tam diu durare, inter meam iustitiam & misericordiam, angunt me, & discrutiant tanti conflictus sibi aduersantium affectuum. *Furore Domini plenus sum, laboraui sustinens.* (Ierem. 6.) Non dissimulabo, non patiar vltra, non erit coacta ira mea, do illi habenas, non continebo in vagina ensem amplius, distringam illum, & effundam naso flatum, vultu flammas, manu hostium meorum sanguinem. *Vsquequo adhuc?* subaudi continerem furorem. *Effudit, quasi ignem indignationem meam.* Hæc ita, est illa, *olla succensa*, vel ebulliens, & feruescens, de qua idem Propheta: *Ecce indignatio mea conflatur*, vel effunditur quasi conflatum argentum, *& consolabor.* Humanò more loquitur, vindicta sumpta de vobis, quiescam, & solatio afficiar. Solet enim esse vindicta leuamen acceptæ iniuriæ, aut contumeliæ, vt apud Isaiam c. 1. *Consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Vnde dicitur Eccli. 25. *Nouem sunt insuspicabilia*, quæ non possunt nisi experientiâ cognosci, *homo qui iucundatur in filijs viuens, & videns subuersionem inimicorum suorum.* Vnde Poëta: *Vindicta bonum vitâ iucundior ipsâ.* Et Seneca in tragœd. *Liquido melle dulcior bilis cordi meo influit.* Dum scilicet animo verso vindictam. Et in Psalm. 57. *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

(Ierem. 13. Thren. 2. Ierem. 1.)

Nihil occurret in extremi iudicij die, quòd non grauissimi doloris ignem excitet in peccatoribus, inprimis autem humana natura in quâ apparebit Christus.

§. II.

9. Totus igneus in iudicio Christus, vt meritò dixerit Nahum c. 1. *Indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.* Nihil enim occurret in illo extremo iudicij die, quod non impijs referat similitudinem acerrimi & exurentis ignis, id est, grauissimæ indignationis, & asperrimæ tribulationis. (Torquebitur peccator in iudicio ex apparitione Christi.)

10. Imprimis, vt legimus Lucæ 21. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & maiestate, & omnes Angeli eius cum eo. Tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ.* Ad quid impijs deseruiet apparitio Christi in iudicio, nisi vt sit illis Christus instar acerrimi ignis, iniustos & peccatores suâ præsentiâ grauiter discruciantis & exurentis. Vt enim in hac apparitione magis torqueantur mali, prætermisso, quòd Dei erat in Christo, id solùm perfidis hominibus pandetur, quod hominis esse videbatur, sic enim loquuntur Euangelistæ. *Tunc videbunt filium hominis venientem*, &c. *Cùm venerit filius hominis.* Quid perniciosius miseris peccatoribus ostendi potest, quàm filius hominis veniens in nube cum potestate magna & maiestate. Naturam hominis ideò à verbi diuini persona assumptam putat Theodotus homil. de Natiuit. vt persona diuina humanæ naturæ rigorem temperaret. Quia in Christo Domino erat persona diuina & humana, humana hæc absterreret peccatorem, quâ est in vindicandis iniurijs seueritate. Ideò persona diuina illi admiscetur, ne deterriti à natura hominis, peccatores caderent, sed diuinæ personæ affabilitate illecti, starent. Sola enim hominis natura, ex se horrenda est & summoperè metuenda in castigando. Id quod in vno Elia perspicuè cernitur, qui populi peccatis offensus ait 3. Reg. c. 17. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Ecce quid comminetur, & qualiter vindictam peccatorum

torum

torum sibi reseruat, premens populum seuerissimè, extrema fame, vt mitescat quid agit Deus? permittit & ipsum fame affligi, vt opus illi sit, vt panem recipiat, ad pauperem recurrere viduam, quem accipiens dicebat. *Hydria farinæ non deficiet vsque in diem quo Deus daturus est pluuiam super faciẽ terræ.* Incipit, inquit Chrysost. mitescere, & intra se misericordiam exercere, dicit enim non deficiet oleũ donec det Dominus pluuiã. Antequã fame domaretur, misericordiam in danda pluuia, Deo permittere nolebat, nunc autem Deo permittit. Et quidem vbi Deo permittitur vindicta, statim misericordia incipit clarescere. Cùm autem totum supplicij ius penes hominem, iuxta Eliæ verba erat, nil seuerius, nil districtius, nulla penitus misericordiæ scintilla apparebat. Quo patet seuerissimum se exhibiturum Christum in ipso iudicij die, quando dissimulata omni diuinitate, solum id quod hominis erat, exhibetur.

Forma filij hominis apparentis in iudicio grauiter premet peccatores.

11. Væ vobis, væ iterum vobis; ô miseri peccatores, quibus non Deus sed homo monstratur. O quàm longè à diuina miseratione estis, si iuxta verba hominis affligendi estis! Quis non deterrebitur hoc spectaculo in quo Deus sub offensi hominis figura totus latet. Equidẽ apud Matt. c. 19. dicit quidam ad Iesum. *Magister bone, quid faciam vt habeam vitam æternam?* Qui dixit ei, quid me interrogas de bono, vnus est bonus Deus. Quasi diceret non ab homine iniuriâ affecto expectes bonitatem, sed rigorem, vnus Deus est qui inter iniurias nouit bonus iniuriantibus esse. Ita D. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 13. *Quid me interrogas, inquit, de bono? Id est istam formam quam vides quid interrogas de bono, & vocas me secundum quod vides magistrum bonum. Hæc forma filij hominis est. Hæc forma apparebit in iudicio non tantùm iustis sed etiam impijs, & huius formæ visio non erit in bonum eis qui malè agunt. Nimis enim scit homo misereri quàm Deus*, vt vel ex hoc capite maximè timeri debeat homo iniuriâ tactus. Et quidem illud maximè expendo, nimirum: *Huius formæ visio, non erit in bonum eis, qui malè agunt.* Quippe hæc ipsa humana saluatoris figura, maximè in iudicio torquebit malos. Alij expauent Absolonem à quercu suspensum & lanceâ transuerberatum, ego adstupeo magis quòd in eum lanceam contorserit Ioab: Ioab, inquã, ille amicissimus, ille qui toties pro illo intercesserat apud Dauidem patrem, 2. Reg. 28. id quod ponderans D. Chrysost. in Ps. 7. sic ait: *Quod est admirabilius, qui patrem ei reconciliauit, is ipsum interfecit, propemodum instans, vehemens accusator. Planè ea ipsa saluatoris figura, quæ nobis Patrem reconciliauit, nos in iudicio & accusabit & damnabit & tradet flammis.* Sic ille. *Indignatio eius effusa est, vt ignis.*

AVGVST.

CHRYSOS.

Si homo iratus tam seuerus,

12. Sed si natura hominis irati, licet inferioris conditionis, & nulla potestate excellentis tam seueram, & tam crudelem se exhibet inimicis, vt nulla ab eo expectanda sit misericordia, quid futurum si homo ille iam irâ accensus, & ad vindictam sumendam propensus, præpotens sit & excellens, simulque magnanimus, non ita in homines exitialis diabolus est, vt sæuus & exitialis talis homo inuenitur. Accipe vtriusq; rei exemplũ in Saule 1. Reg 18. inuasus à spiritu malo accersiuit Dauidem qui docto cantu & citharæ pulsu sopiebat per singulos dies spiritus illius sæuitiam. Quid tunc? Dum Dauidis carmine sopitur spiritus malus. *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans quòd confìgere posset Dauid cum pariete.* Vidisti rem incredibilem, sæuitia spiritus mali sopiebatur carmine, & sæuitia hominis magis irritabatur. Argutè D. Basil. Sel. orat. 16. ait: *O nouum inauditumq́; facinus, dæmon pellebatur, & dæmone liberatus arma capiebat.* Dæmon vincebatur & hominis mores plus sumebant audaciæ. Quò non se proripiat sæuitia hominum quando dæmonis sæuitiam excedit? nulla fera sic sæua, nulla pestis sic nociua, vt homo hominibus est, si iratus potens sit atque magnanimus. Si ita res se habet in tali homine, quid de Christo & filio hominis irato, & ad iracundiam prouocato, imò exasperato à peccatoribus, expectandum? *Indignatio eius effusa sicut ignis.*

quid de Deo irato iudicandũ.

BASILIVS SELEVC.

Quàm meritò sibi caueat homo à Deo irato.

13. Pulchrè de Christo tanquã filio hominis ad iudicium veniente ait Isaias c. 2. *Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse.* De Christo prophetia est, teste Origene, Hieronymo & veteribus Rabbinis. Quasi dicat propheta: Iam audistis sub typo excidij Chaldaici, qualiter in extremo mundi excidio, in illo Chaldaico, & vastatione, à Babyloniis Ierosolymę & Iudææ inferenda, designato & obumbrato, cõplenda sunt illa verba: *Et introibunt in speluncas petrarum & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terrã,* hac de causa vos seriò moneo & præcipio vt quiescatis à vexando & occidendo Christo homine, cuius spiritus in naribus eius est, cuius maxima in die iudicij erit ira, indignatio, & vindicta, furor enim naso flammante sæpe se prodit. Hinc dicitur 2. Reg. 22. *Ascendet fumus de naribus eius.* Et de equo Virgil. lib. 3. Georgic.

Stare loco nescit, micat auribus & tremit artus
Collectumq́; premit, voluit sub naribus ignem.

Quod S. Iob c. 39. ait: *Gloria narium eius terror.* Vnde per vocẽ spiritus hic furor significari potest, vt Isa. c. 30. *Spiritus sicut torrens inundans.* Et Iudic. c. 8. *Et requieuit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.* Et quidẽ tantò maior illius erit furor, quò excelsior est, vnde subdit: *Quia excelsus reputatus est ipse.* Vel vt Hebræa habẽt: *Ipsa celsitudo est & sublimitas.* Tantò ergo maior erit illius in peccatores excandescentia, quò magnanimior

nior est, & plenior maiestate. *Indignatio eius effusa sicut ignis.*

Facies Christi in iudicio plena igne furoris.

14. In extremo iudicij die, videbitur facies illa Christi hominis tam benigna, tam blanda tam humana, plena igne furoris & indignationis, ita vt damnandorum nullus eam possit sustinere. Quis enim eorum stabit ad videndum eum, tantum erit supplicium hanc faciem intueri, vt maluerit Chrysostomus infinita fulmina sustinere, quàm illam, nos auersantem, videre. Ne illam videant reprobi, quærent sese abscondere, idcirco dicent montibus; *Cadite super nos; & collibus, operite nos.* Obseruate interim quantæ sint fortitudinis, qui tantæ sint formidinis. Precantur mali vt montes cadant in eos, & colles illos operiant: libenter, inquam, montes portarent; qui nec vel minimam iniuriam & pœnitentiam, dum hîc viuerent, ferre voluerunt. Petent cooperiri collibus, qui renuerunt vilibus indui vestibus, saxosaque libenter eligerent tegumenta, qui non nisi serica deferebant indumenta, montium optarent sepiliri præcipitijs, qui respuerunt vestiri cilicijs.

Qualiter Christus occurret peccatori in iudicio.

15. Sed quis peccatorum stabit ad videndam hanc Christi faciem furoris & indignationis plenam, cùm cœperit arguere peccatorem, increpare illius contumaciam, exprobrare illi summam suam ingratitudinem? Isaiæ 42. dicitur: *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir prælíator suscitabit zelum, vociferabitur & clamabit, super inimicos suos confortabitur, Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo & absorbebo simul* &c. O verba non verba, sed horrendum in modum flammantia fulgura. *Dominus sicut fortis egredietur.* Ecce vnum fulgur. *Sicut vir prælíator suscitabit zelum.* Ecce secundum. Iam patienter Christus cum hominibus agit, patitur leges suas violari & conculcari à peccatoribus, in die iudicij suscitabit zelum vt proprium propugnet honorem à malis iam penitus oppressum. *Vociferabitur & clamabit:* En tertium fulgur, iam silet Dominus, tot adulteria, tot homicidia, tot furta &c. cernens, nequaquam terræ præcipit vt os suum aperiat & peccatores viuos deglutiat & ad inferna transmittat. Veniet tempus, ô peccator, in quo rumpet diuturnum silentium & vindictam acerrimam sumat de iniurijs sibi illatis. *Vociferabitur & clamabit,* quid putas erit audire in publico illo consessu à Christo illud Psalm. 49. *Peccatori autem dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum, si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris & aduersum filium matris tuæ ponebas scandalum* &c. Arguit & increpat imprimis, quòd diuinam legem non obseruauerit, oreque tantùm tenuerit non opere: enarras, inquit, iustitias meas & præcepta, opere non seruasti. Nam odisti disciplinam & vitæ correctionem &c. Arguit deinde de impiis operibus. *Si videbas furem* &c. De impiis quoque verbis. *Os tuum abundauit* &c. De dolis & detractionibus, de scandalis, *Ante filium* &c. Qui similis est peccatori, similiter peccat, ideoque illum non arguit, nō increpat, similia namque perpetrat. Ideo Dominus ait: Existimasti inique peccator me similem tibi esse, atque adeò peccata tua non arguturum? non ita est, similis tui non sum, non placent mihi iniquitates, summo eas odio habeo, idcirco arguam te, & proponam teipsum ante oculos tuos, vt fœditatem tuam cernas & turpitudinem.

Qualiter Christus alloquetur peccatorem in die iudicij. AVGVST.

16. *Sicut parturiens loquar.* Sic enim alloquetur peccatorem in die iudicij Christus vt scribit D. August. serm. 67. de tempore. *Ego te, ô homo, de limo manibus meis formaui, ego terrenis artubus infudi spiritum, ego tibi meam imaginem conferre dignatus sum, tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi quàm Deum maluisti. Cùm expulsus de paradiso mortis vinculis propter peccatum tenereris, carnem assumpsi in præsepio expositus, & pannis inuolutus iacui, infantiæ contumelias humanosque dolores pertuli, irridentium palmas & sputa suscepi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus expiraui: En clauorum vestigia quibus pependi, en perfossum vulneribus latus, cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrate, redemptionis tuæ munera renuisti? Cur habitaculum quod mihi in te sacrauerat, luxuriæ sordibus polluisti? cur me grauiore criminum tuorum cruce, quàm illa in qua olim pependeram, affixisti? grauior enim apud me, peccatorum tuorum crux est, in qua inuitus pendeo, quàm illa in qua tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Et quia post omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari, despexisti enim in iudice veniam.* Hactenus D. Aug.

Qualiter Deus exprobrabit in iudicio peccatori sua beneficia. CHRYSOS.

Audi etiam Christum in iudicio peccatori exprobrantem beneficia illi collata apud Chrysostomum. *Creaui vos ad imaginem & similitudinem meam, & eam turpiter prophanastis: angelorum meorum custodiam dedi vobis, & vos eorum monita contempsistis: Patriarchas, prophetas, Apostolos misi vobis, & eos audire noluistis: Insuper homo factus sum, pro vobis triginta annis seruiui, vobis salutem vestram procurando, discurrendo, ieiunando, prædicando, in oratione pernoctando, mea monita derisistis, neglexistis, contempsistis. Insuper pro vobis venditus, ligatus, consputus, flagellatus, crucifixus, felle & aceto potatus mortuus sum. Vbi est tantarum iniuriarum fructus? Ego paradisum vobis aperui, gratiam meam dedi, semper iuuare paratus fui, regni mei gloriam vobis repromisi. Non coëgi vos, sed libertatem spiritus vobis dedi, amorem solummodo & bonam volunta-*

voluntatem à vobis exquisiui. Quid vltra debui vobis facere & non feci? Ecce ista columna, ad quam alligatus fui pro vobis: Ecce flagellum quod me cecidit: Ecce hoc caput quod pro vobis spinis coronatum est: Ecce crux in qua pro vobis pependi, vos omnes me contempsistis, & res terrenas plus quàm meam iustitiam amastis.

Viderunt impij Christi humanitatem maximè humilem. *Venit enim cum humilitate,* ait Scotus serm. 1. de temp. *paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, iacuit in præsepio, inuenietis infantem pannis inuolutum, positum in præsepio.* Verùm impij, quid vtilitatis traxere, ex hàc Christi, benigna & humili humanitate? nullam prorsus, verùm illâ grauiter sunt abusi. Hunc enim Dei amorem erga ipsos, & benignitatem contemplantes, plus quàm par erat, fidere cœperunt, opera negligentes, quo factū est vt operandi oblitos, & peccatis oneratos, mors interceperit. Cùm ergo taliter abusi sint Christi humillimâ humanitate, an mirum, quòd eadem in iudicio tantum impiis ingeret dolorem & confusionem, & quod iustis inseruit ad præmium, iniustis seruiat ad cruciatum? *Omnes,* ait Scotus loco cit. *eum videbunt, non solùm in forma humanitatis, sed etiam diuinitatis, vt gaudeant iusti. Reprobi autem videbunt eum in forma humanitatis, secundum Isidorum, in forma in qua iudicaturus est, videbunt eum mali, vt doleant.* Sic ille. Isidori autem verba apud Scotum hæc sunt. *Quamuis Christus sit benignus secundum veritatem, tamen apparebit terribilis reprobis: in aspectu enim eius mali multum confundentur.*

17. O si attenderent homines, quid sit habere Christum districtum accusatorem, districtum & seuerum iudicem! proculdubio antequam vita finiretur per veram pœnitentiam commutarent eum sibi in benignissimum patrem.

Crux Christi, eius vulnera, ac passionis omnia instrumenta, cum quibus Christus appariturus grauissimi doloris igne cruciabunt damnandos.

§. III.

Instrumenta passionis affligent peccatorē.

18. IAm verò quis exprimat qualiter instar vehementissimi ignis cruciabit peccatores in extremo iudicij die crux Christi in nubibus apparens, & solis splendorem longè superans Matthæi 24. dicitur. *Et tunc parebit signum filij hominis, & tunc plangent omnes tribus terræ.* Et quid ni plangant? Nam causam reddens cur crux in iudicio sit aspicienda D. Thomas Add. quæstion. 90. artic. 2. ad 3. *Apparebit,* ait, *signum crucis vt per hoc iustior condemnatio eorum appareat, qui tantam misericordiam neglexerunt.* Auctor Imp. hom. 49. hanc assignat causam vt dolores mortemque & opprobria quæ tantus rex pro hominibus pertulit, ante oculos eorum ponat, & increpet ingratitudinem. D. Thom.

19. Quem doloris ignem non progignent in impiorum cordibus, Christi ab iis visa vulnera, atque illis ob oculos posita? Apocalyp. cap. 1. *Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Ex quo manifestè colligitur Dominum venturum ad iudicium, cum signis vulnerum quæ in cruce accepit, aliàs enim quomodo agnoscent Iudæi illum ipsum iudicem crucifixum fuisse eique latus apertum, nisi vulnerum appareant cicatrices. *Inimicis,* inquit D. Augustinus libr. de symbolo, *vulnera demonstraturus est sua, vt conuincens eos dicat, ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ infixistis, agnoscitis latus quod pupugistis quoniam per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.*

Dolorem maximum ingerent vulnera Christi.

Avgvst.

20. *Prima,* ait Diuus Cæsarius Arelat. homil. 27. *in reos intoleranda sententia, reuerendarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sunt, quando contra illos, crucifixi Domini liuores, nota peccatorum nostrorum, & macula libidinum, proferentur? Aut quo putas vultu respiciat redemptio nostra perditionem nostram? Tantò grauiora erunt humana delicta, quantò maiora se ostenderunt Dei beneficia. Verendum est autem ne illam vocem resurrectionis, pretiosæ crucis vestigia protestantis, etiam in iudicio suo, ad vasa iniquitatis prolaturus sit scilicet: Infer digitum tuum huc & vide manus meas, affer manum tuam & mitte in latus meum, & agnosce quæ pro te impio, pietas diuina perpessa est.* Sic ille. Preme illa verba. *Prima erit in reos intoleranda sententia, reuerendarum præsentia cicatricum.* Hæc enim vulnera sunt tanquam tot ora contestantia & clamantia quòd Christus nihil intactum reliquerit vt salutem homini impertiri posset, & quælibet sanguinis gutta ex hisce fontibus saluatoris profluens, testis est omni exceptione maior quantopere Christo cordi fuerit hominum salus atque redemptio. Cæsar.

21. Reuerendus Pater Gotschalcus ser. Dom. *Reminiscere,* refert quendam morbo grauiter afflictatum, cui amici, vt suæ conscientiæ maculas, salutari pœnitentiæ sacramento elueret, frustra persuadere conati sunt. Imò salubre respuens consilium, veluti in extremam efferatus rabiem, Gotsch.

Stabit sanguis Christi contra peccatorē.

ausus dicere: Nescitis me omnium mortalium pessimum? Quid ergo confiteri prodesset, aut pœnitentiam, iam serò instituere, cùm certò damnatus sim? Cumque incassum astantes, ab hoc proposito eum reuocare conarentur, ecce (quæ tanta Dei benignitas est) adfuit statim desperabūdo Dominus Iesus, illi dicens: Sum ego Iesus Christus qui tui causâ crucē subij, cuius misericordia longè tuas superabit iniquitates, quare bonam institue confessionem, & tibi meam impertiar misericordiam. Sed miser Dei contempsit monita. Instat tamen Christus, aperiensque, quo tegebatur, pallium, omnia sibi vulnera, nostri causâ inflicta ostendens, ecce inquit, quænam passus sum tui causâ, nolo te proinde perdere, cùm vt te saluem è sinu Patris in hunc mundum descenderim, modò te peccatorum tuorum pœniteat. At ille obstinato animo & cum contemptu omnia reiecit salutis remedia. Quare Christus sui lateris sanguine pugnum implens, in eius faciem illum coniecit, aiens: in die Iudicij, in conspectu vniuersorum hoc mei sanguinis signum, tibi modò impressum, contra te vt efficax testimonium stabit, iudicabitque omnia me tentasse, vt te ab iniquitatis cæno, misericorditer extraherem, & te id noluisse, &c. O quàm stabit sanguis Christi tam vbertim fusus, contra peccatorem in illa die tanquam sonora & vocalissima vox quæ testimonium reddet & publicè contestabitur quàm dura fuerint & obstinata peccatorum corda qui renuerunt vel neglexerunt ex Christi vulneribus tanquam salutaribus fontibus trahere iniquitatum suarum suauissimam medelam. Iam vulneribus suis Christus pacem nobis annuntiat in Iudicio iisdem denuntiaturus terribile bellum. Vide Baeza de Christo fig. tom. 5. fol. 103.

Aderit in iudicio columna, claui, funes &c.

Vigver.

22. Omnia etiam passionis instrumenta, columnam, clauos, verberum funes, ab angelis tunc ferenda existimat D. Thomas opusc. 2. c. 224. *Veniente*, ait, *Domino ad iudicium, signum crucis & alia passionis insignia demonstrabuntur* &c. Item Viguerius cap. 21. §. 2. vers. 6. *Dicunt*, ait, *contemplatiui, quòd inferiores angelorum ordines Christum præcedent, & alij sequentur secundum dignitatem suam. Primus infimi ordinis portabit funes, quibus ligatus fuit Dominus. Primus secundi feret columnam. Primus tertij ordinis feret flagella & virgas. Primus quarti feret scalam. Primus quinti ordinis vestem quâ illusus est. Primus sexti, clauos. Primus septimi spongiam. Primus octaui hastam. Primus noni coronam spineam* &c. Et quem putas dolorem & terrorem hæc omnia inijcient peccatoribus? Baron. an. 388. n. 53. & seq. narrat quem terrorem hostibus indiderunt superhumerale & baculus Senuphij sanctissimi viri, nimirum talem vt Theodosius Imperator, pro galea assumpto superhumerali, pro lanceâ verò illius

Baron.

baculo copias suas præcedens, sicque visus ab innumerabili hostium exercitu, in fugam omnes egerit. Vide, si libet totam rei gestæ seriem apud Baron. Si superhumerale & baculus Senuphij tantum incusserunt inimicis terrorem, quid terroris non incutient impiis, vulnera Christi & omnia passionis suæ instrumenta obiecta impiorum oculis luce clarissimâ vndique perfusa.

Quòd damnandi in die iudicij, à Virgine, sanctis & angelis non nisi doloris accipiēt materiam, destituendi eorum patrocinijs.

§. IV.

23. Omnes quoque creaturæ in extremo illo Iudicij die summum doloris ignem ingerent peccatoribus dum nulla eorum tangentur commiseratione, sed cum Christo sint pugnaturæ contra insensatos. Quid? an existimas, ô peccator, tunc tibi aliquid auxilij & solaminis sperare posse à Maria misericordiarum matre? Stabit & illa contra te. In hac quidem vita si indignationis igne accensum videas filium & ad eam confugias non deerit muneri suo, fragore enim suæ misericordiæ ac clementiæ efficiet ne te adurat diuinæ indignationis ignis. Loquens enim de suæ intercessionis efficacia ipse Christus Cant. 7. sic ait: *Collum tuum* (id est intercessio & patrocinium tuum) *sicut turris eburnea*. Quid ebori cum intercessione virginea? multum per omnē modum. *Ebur*, ait Philippus Abbas, *tam admirabilis virtutis est, vt si pannus lineus, super ipsum ebur mittatur, & ipsi panno lineo carbo viuus desuper imponatur, sua virtute ebur, pannum qui illi adhæret illæsum custodit, ne à superposito carbone viuo consumi aut cremari possit*. Vides cur intercessio virginis comparetur turri eburneæ, nempe vt significetur, quòd si contingat ob peccata nostra iram Dei contra nos accendi, ita vt de illo dici possit illud Psal. 17. *Ascendit fumus in ira eius & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo*. Si contingat hominem recurrere ad virginis patrocinium, si virgini adhæreat, in ipsa securitatem ac defensionem reperit non secus ac pannus lineus suprapositus ebori defenditur ab ignis ardore & combustione. *Qui illi adhæret illæsum custodit*. Et quidem res ista ita se habet dum in hac vita degit homo, verùm illâ transactâ, tempore, inquam, extremi iudicij

Omnes creaturæ aduersabuntur in iudicio peccatori.

Nulla speranda peccatori misericordia à Virgine.

Intercessio Virginis comparatur turri eburneæ, quia ipsa extinguit ignem diuinæ iracundiæ.

dieij iam non erit peccatoribus Virgo turris eburnea, iam iram furoris Dei exardescentem in impios, non extinguet, sed potiùs vnigenitum, vt iustitiæ suæ partes impleat, cohortabitur. Vnde piè Bernardinus de Bustis serm. 10. Christo roganti, sic virginem respondentem inducit: *Ad Mariam conuersus dominus Iesus post prædictam discussionem interrogabit, quid faciendum sit de vobis? Cui illa respondebit, ô fili benedicte, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ Dei, quamdiu fui in mundo, semper tuæ sanctissimæ voluntati me volui conformare: nunc ergo quia non est amplius tempus misericordiæ sed iustitiæ, nihil aliud dico; nisi vt facias iustitiam, cum illa tamen misericordia, quæ sine præiudicio iustitiæ fieri potest.*

BERNARDINVS.

24. Isaiæ 66. legimus: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari.* D. Anastasius Sinaita lib. 8. hexam. per carbonem hunc ignitum intelligit Christum, & per forcipem eum tenentem sacratissimam virginem. *Forceps Christi per duas pinnulas eum tenens est intemerata eius mater.* Qua mente D. Andreas Archiep. Candiensis apud Lippom. 25. Martij de matre Dei loquens ait: *Seraphicæ mystici carbonis ardētis forceps.* Sicut ergo carbo igneus non potest teneri, nisi mediante forcipe, sic Deo in homines irato, & furore ob eorum peccata, accenso, à nemine tenetur, quo minus omnia combureret & deuastet, quam à sacratissima matre, illa seraphica mystici carbonis ardentis forcipe. Verùm talis nobis est forceps sacratissima Virgo, dum præsens decurrit vita, dum tempus est misericordiæ, illo verò iam transacto, & nobis elapso, iam desinit nobis esse instar forcipis hunc carbonem tenentis. Tunc luna, id est, Maria, conuertetur in sanguinem.

ANASTASIVS SINAITA.

Maria forceps tenens carbonem igneum, nempe Christum iratum. In iudicio nihil tale à Virgine expectandum.

25. Sed fortassis aliquid consolationis & auxilij tunc expectandum & sperandū à sanctis? Nihil minus; *Orietur*, ait Dominus Malach. c. 3. *vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ; & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento: & calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorū, in die quā ego facio, dicit Dominus exercituum.* De secundo hic agitur aduentu Christi, tunc piis orietur Christus quasi sol iustitiæ, impijs verò occidet. Tunc ex pennis, id est, radijs huius solis, plenam accipient sanitatem, tam corporis, quàm animę. Vnde non mirum, quòd donati hac sanitate, quasi vituli saginati incredibili gaudio exultent, iuxta illud Ps. 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Et calcabitis impios.* Tigurina: *Conculcabitis.* Pagninus; *Diruetis impios. Cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorū*, id est, instar cineris comminuti & confracti; tunc enim complebitur illud Psal. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Quæ omnia considerans D. Augustinus in quodam sermone ad Heremitas, inquit: *Fratres mei dilectissimi, in omnibus operibus vestris, semper mementote, quòd omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque, prout gessit in corpore suo. Cauendum est igitur, ne ante illud tribunal terribile, vacui vel denudati appareamus. Non enim tunc sancti subuenient, quia tempus miserendi, & misericordiam impetrandi non erit, etiam si quis confugerit ad gemmam paradisi Mariam, omnes enim contra nos erunt, Abel contra inuidos & homicidas; Abraham contra inobedientes, & Isaac contra impatientes; Iacob contra gulosos; Ioseph contra incontinentes & sortilegos: Ioannes Baptista contra adulatores & adulteros; Petrus contra simoniacos, omnesq́; ad cælum clamabunt sancti, vindica, vindica, vindica, de his obstinatis, & maledictis peccatoribus.* Sic ille.

Nihil etiam à sanctis est expectandum solatij.

AVGVSTI.

26. Quot etiam Christum venientem ad iudicium comitantur angeli, tot peccatores in die iudicij patientur aduersarios. Quas in hac vita angeli non subiere formas, quas non induere figuras, vt hominibus prodessent? Nõnne angelus, columna nubis, & columna ignis factus est Israelitis? Nõnne Tobiæ astitit angelus factus pedissequa? Prosequitur Nyssen. de vita Moysis, & in arca testamenti, hinc inde annulos speculatus, mediis quibus arca efferebatur, de angelis inquit, quòd, *Sicut quidam annulli in animos saluandorum immittuntur, vt ad sublimia eleuentur.* Pergit adhuc Theodotus orat. de Christi Natiuit. & de stella, quæ Magos adduxit, ita loquitur: *In præsepi positus Dominus, & à stella denunciatus; non à stella descendente ad Magos, neque enim stella loca permutant. Sed quoniam Chaldæorum terra plurimos habet stellarum motus inspicientes, virtus superna (nimirùm angelica) deducens Magos, assumpsit stellæ speciem, & à doctrina sua Chaldæi, quod nesciebant, agnoscunt, vt cùm astronomiam respiciunt, ab astris Christi mysteria docerentur.* Ecce angeli, & fiunt annuli, quibus efferaris; & fiunt stellæ quæ te ducant ad Christum, & non dubitarunt, se milites tibi exhibere, vt pro te pugnent aduersus tenebrarū potestates, atque Christi imperium in te confirment atque stabiliant. Nunc verò cùm neglectis eorum sanctis inspirationibus, noluisti Christum super te regnare, atque vt leuissimus transfuga ad partes transieris contrarias, quibus putas accusationum suarum telis & gladiis te oppugnabunt? Epiphanius ser. 1. de laudibus Virg. Mariæ, sic ait: *Angeli accusabant Euam: nunc verò Mariam gloriā prosequuntur, &c.* Accusabant vtique Euam, quia aurem aduersario præbuerat; an non te accusabunt peccatorem, quod à partibus Christi non steteris, quod dæmoni, relicto Christo, adhæseris?

Quot erunt angeli in iudicio, tot patientur peccatores aduersarios.

GREGOR. NYSS.

Summi doloris causa erit impijs quòd habeât omnes creaturas sibi aduersarias.

§. V.

Omnes creaturas videbunt sibi aduersari peccatores in iudicio.

27. Similiter omnes creaturæ in die iudicij arma sument, & iudiciorum, siue sententiarum suarum gladiis impium oppugnabunt. Quid vniuersis creaturis familiarius, quàm varias, & etiam sibi cōtrarias, subire formas, vt famulentur Deo, siue in hominibus iustis conseruandis & tuendis, siue in hominibus malis plectendis & puniendis? De qua transfiguratione pulchrè Theodotus, dum ait: *Aqua vtebantur Hebræi, sanguis autem Ægyptiis Nilus factus: Dies Israelis erat, & clarum eos circumfulgebat lumen: Ægyptijs autem hoc lumen factæ sunt tenebræ. Babylonia quoque flamma, ros tribus facta est pueris, nam flamma ros facta est, & ambo hæc ipso ostendunt effectu. Quia quidem ros erat, tres edocent pueri per hanc refrigerati. Quia verò etiam & flamma fuit, quia per hanc exusti sunt, nunciant Babylonij.* Hæc ille. Quibus claret quàm omnia famulentur Deo, in hominibus puniendis, siue ditandis. Etenim ipsa lux sciet tenebrarum induere faciem, & ignis fiet aqua, & quælibet creatura, cuiuscumque formam & personam aget.

Pugnant creaturæ contra Absolonem.

28. Armauerat se Absolon contra patrem suum, illúmque rebellando insectabatur. Sed quid? Pugnarunt multæ creaturæ pro patre, aduersus eum. Nam terra è bello fugitiuum à se depulit, mulus deseruit, arbor detinuit, capilli proprij eum ligarunt, lancea transfixit. Audiamus Chrysostomum homil. de Absolon persequente patrem, hoc expendentem: *O nefandum meritum parricidæ! iniuriam patris non pugnantis gladius, non hostilis manus, non iaculantis ictus, defendit, sed vindicant ligna, arbor vlciscitur, rami defendunt. Nec est vlla creatura, quæ non mota fuerit, cùm ipsum senserit moueri in patrem.* Si itaque tam proteruum filium insectabantur creaturæ, eò quòd ipse patrem insectaretur, quomodò non pugnabunt aduersus peccatores, creatorem ipsum offendentes? Ponderat D. Chrysostomus ea quæ Absoloni acciderunt: præceperat David vt seruaretur Absolon 2. Reg. 18. *Ingressus est subter densam quercum, & adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cælum & terram, mulus cui insederat, pertransiuit.* Hoc nunciatum est Ioab, qui ait nuncianti: *Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra?* Acceptis igitur Ioab tribus lanceis, veniens ad locum, *infixit eas in corde Absolon.* Vides hîc quàm variam assumant creaturæ formam, vt rebellem patri filium puniant. Ecce arbor sese in furcam agit, aureaque coma, in pulchritudinem enutrita, formam assumpsit laquei; & ne carnifex, ne miles deficeret, qui reum traduceret, mulus cui insidebat, miles factus fuit. Accuratè idem ponderauit D. Chrysostomus in Psalm. 7. Chrysos. vbi rebellem Absolonem, mulo per quercetum raptum, & crine à ramo suspensum, miratus, hæc ait: *Vt scias quod factum est, totum fuisse diuini iudicij, pro fune quidem coma, pro ligno arbor extitit, pro milite autem eum adduxit mulus.*

29. Hæc omnium creaturarum obsequium, habet etiam Deus, quando fugitiuum Ionam voluit comprehēdere, id quod sic expendit Nazianz. Apoc. 1. *Fugiebat quoque Ionas à facie Domini, vel potius fugere se putabat: verùm à mari & tempestate, & sorte, cetiq; ventre, nec non triduana sepultura comprehensus atque abreptus est.* Ecce tibi maris fluctus, tempestas, sors, facti sunt lictores; & ceti venter factus est carcer, vt fugitiuum Prophetam Deo seruarent. Si tales se exhibent creaturæ in hac vita, quid facturæ in secundo illo aduentu, quando cum Deo præliabuntur contra insensatos? Tunc manifestam & illæ proferent in impios sententiam, quæ illis erit ancipitis gladij, atque doloris maximi, & qui explicari non possit, loco.

29. Quòd iam creaturæ in hac vita non inferant bellum impiis, non illos pessundent, credo id accidere, quòd compeditæ tanquam in quodam naturæ carcere à Deo detineantur, & coërceantur. Etenim Flaccus ille Israelitarum interfector, iam scelerum pœnas dans, his solitarius cruciabatur mœstissimis vocibus apud Philonem; *Horum facinorum pœna me manent, sat scio, & diræ stant tamquam in carceribus, vt obice rupto, properent in meam perniciem.* Equidem sapienter & verè scelestus homo meditabatur flagitiorum vindices. pœnas stare, tamquam in carceribus, ibique commoueri, & violentis motibus monstrare, quàm sint promptæ ad properandum, quàm anxiæ festinarent, si vel obex rumperetur. Bone Deus, quæ pœnæ sunt impiis expectandæ in die iudicij, quando obice & carcere rupto, pugnantes iam cum Christo, irruent in eos, & quàm fieri potest maximè oppugnabunt. Armabit se cælum, sol, luna, & astra, terrore tenebrarum, aër fulminibus, grandine, tonitruis, procellis; mare, horrendo sonitu, fluctuumque commotione; terra insolitis motibus; ignis calore maximè incenso; libenter enim cælum illos fulminibus obrueret, ignis consumeret, aër turbinibus procellisque disperderet, terra absorberet, aqua submergeret, nisi maiori tormento, nempe igni tartareo reseruarentur.

Cur creaturæ in hac vita non inferant bellum impiis.

30. Nam cùm Deus omnes creaturas fecerit

fecerit ad hominis vtilitatem, & omnes Deo obedierint homini seruiendo: ipse verò homo rebellis & inobediens suo creatori extiterit, meritò omnes creaturæ illum accusabunt, & oppugnabunt quasi valdè ingratum, meritò contra eum perorabunt, meritò iudiciorum & sententiarum suarum gladiis transuerberabunt. Clamabit namque suo modo cælum: O Deus omnipotens, ego homini ministraui cum planetis meis, influendo super terram, & alia quæ iussisti operãdo, ipse verò te offendit, ergo vindica iustissime iudex: clamabunt sol & luna, & stellę: ô Deus magne, nos dedimus peccatoribus lucem, vt tuum prosequerentur imperium; illi verò in omnibus contempserunt, fac ergo vindictam. Clamabit hoc modo aër, clamabit terra, clamabunt aquæ, & omnia quæ in eis sunt. Ideò Hugo de S. Victore ait: *In die vltionis nihil habebit, quod respondere possit homo, peccator: vbi cælum & terra, sol & luna, dies & noctes, & totus mundus, & omnes creaturæ stabunt aduersum nos in testimonium peccatorum nostrorum. Contra peccatorem in iudicio cælum dicet: Ego lucem tibi ministraui ad solatium. Aër dicet: Ego omne genus auium tibi dedi ad obsequium, aqua dicet: Ego diuersa genera piscium tibi dedi ad esum. Terra dicet: Ego panem & vinum tibi dedi ad nutrimentum.* Hæc ille, qui iterùm ait: *Ignis dicet, in me comburatur: aqua dicet, in me demergatur; aër dicet, in me ventiletur: terra dicet, in me absorbeatur: Infernus dicet, à me deglutiatur.* Sic ille.

Qualiter accusabunt creaturæ peccatorem in iudicio.

Hvgo Victor.

31. Vtinam in hac vita peccator dum taliter abutitur creaturis, saperet, intelligeret, & præuideret se ab omnibus in die iudicij passurum esse grauissimum bellum, & suarum sententiarum gladiis esse feriendum, non vtique tam præceps se ferri sineret ad creaturarum omnium abusum: vtinam ex commotione aëris, & grandioribus tempestatibus, & procellis, & horrendo tonitruorum sono, & fulminis vi, quæ sensibus nostris in hac vita obijciuntur, exurgat peccatoris animus, ad considerandam grauissimam illam commotionem creaturarum omnium in die iudicij, vt vindicent sese de peccatoribus, & qualiter tunc stabit contra eos spiritus procellæ, qualiter tunc ibunt contra eos directæ emissiones fulminum, & quasi à bene curuato arcu exterminabuntur, & in personas impiorum insilient. De Sanct. Ceadda narrat Beda: *In tantum erat timori Domini subditus, in tantum nouissimorum suorum in omnibus operibus suis memor, vt sicut mihi quidam frater, de ijs qui me in scripturis diuinis erudiebant, & erat in monasterio, & magisterio illius educatus, vocabulo Trumbert, referre solebat; si fortè legente eo, vel aliud quid agente, flatus venti maior assurgeret, continuò misericordiam Domini inuocaret, & eam generi humano propitiari rogaret: si autem violentior aura insisteret, iam clauso codice procideret in faciem, atque obnixius orationi incumberet; at si procella fortior, aut niuibus perurgeret, vel etiam corusci, ac tonitrua, terras & aëra terrerent, tunc veniens ad Ecclesiam, solicitus orationibus ac Psalmis, donec serenitas aëris rediret fixa mente vacaret. Cumq; interrogaretur à suis, quare hoc faceret? respondebat: Non legistis: Quia intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam. Misit sagittas suas, & dissipabit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos? Monet enim Dominus aëra, ventos excitat, iaculatur fulgura, de cælo intonat, vt terrigenas ad timendum se suscitet, vt corda eorum in memoriam futuri iudicij reuocet, vt superbiam eorum dissipet, & conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ipse cælis ac terris ardentibus, venturus est in nubibus cum potestate magna & maiestate, ad iudicandos viuos & mortuos. Propter quod, inquit, oportet nos admonitioni eius cælesti, cum timore & amore respondere, vt quoties aëre commoto manum quasi ad feriendum inuitans, erexerit, nec adhuc tamen percutit, mox imploremus eius misericordiam, & discussis penetralibus cordis nostri, atque expurgatis vitiorum ruderibus, soliciti, ne vnquam percuti mereamur, agamus.*

Vtinam hæc consideret iam peccator.

Beda.

Psal. 17.

32. Illud quoque erit summi doloris gladij loco impiis, quòd easdem creaturas, quas sibi videbunt tam infestas, pijs & iustis blandæ erunt, & humanissimè eos excipientes; ita vt iusti præ exultatione, tunc leuent, & erigant capita sua, creaturæ alioquin duræ, maximè actiuæ, & feroces, quasi propriæ oblitæ naturæ, quàm humanissimè, non excipiunt in hac vita iustos? Quid durius quercu? Et quàm hæc benigna, quàm humana Abrahamo? Quod ponderans D. Augustinus serm. 68. de temp. ait: *Excepit tamen Abraham peregrinum, quercus arbor humana, quæ æstiuo sole decoctum, amænitatis suæ vmbraculo refoueret.* Ecce qualiter quercus dura rigida arbor, arbor humana facta est Abrahamo. Sed & ignis, & ipse sæuus, quàm cicur, quàm mansuetus Hebræis pueris, roscida in mediis flammis illis erigit cubicula. Ita D. Zeno serm. 5. *Qui pueri vbi iactati sunt in fornacem, hos deuotè cupidus ignis excepit: lambunt roscidos flammæ blandientes.* Mare amarum & procellosum, vix vidit Israelitas, quin fugit, Iordanis fluuius non refugit, sed stat, expendit hoc Richardus de S. Vict. opusc. de extermin. mali, & promotione boni cap. 1. *Pulchrum spectaculum, satisq; iucundum, videre aquam maris fugientem, videre Iordanis redundantem, amaram recedere, dulcem refluere, amaritudinem deficere, dulcedinem redundare. Quisquis hæc vides, miror, si non exclames: Quid est tibi mare, quod fugisti: & tu Iordanis quòd conuersus es retrorsum? Nunquam fieri solent huiusmodi miracula, nisi ante veros Hebræos.* Sic ille. Quid iam non mansuetudinis, & beneuolentiæ non exhibebunt

Erunt creaturæ qui malis infestæ, piis valde blandæ.

Avgvst.

Zeno.

Richar. Vict.

bunt iustis, quamque humanissimè eos non recipient in reuelatione filiorum Dei, cùm & creatura ipsa liberabitur à seruitute corruptionis, videbit id peccator, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet.

Grauissimè cruciabunt impios, accusationes tum dæmonis, tum propriæ conscientiæ.

§. VI.

Diabolus grauissimè accusabit peccatorē.

33. HAbebit insuper in iudicio peccator grauissimum sibi aduersarium diabolum, qui tunc quàm maximè suis accusationibus tanquam tot dolorum ignibus eum excruciabit. Audiendus hac de re D. August. in quadam Epistola ad Comitem Bonifacium: *Expectatur*, inquit, *dies iudicij. Aderit æquissimus iudex qui nullius potentis personam accipiet: adstabunt omnes animæ vt referat vnaquaque, secundum illud quod in corpore gessit, siue bonum siue malum. Præsto etiam erit diabolus aduersarius, & recitabuntur verba professionis nostræ, & obijciet nobis in faciem, qua die peccauimus, & quo loco, & quid boni operis tunc temporis facere debebamus, & si tales inuenti fuerimus exultabit ille aduersarius in conspectu pijssimi iudicis, superiorem se esse nobis clamans, agens talem causam apud talem iudicem. habet enim tunc dicere ipse diabolus. Æquissime iudex iudica istum esse meum ob culpam, quia tuus noluit esse per gratiam. Tuus est per naturam, meus per miseriam, tuus per passionem, meus per suasionem, tibi inobediens, à te accepit immortalitatis stolam, à me pannosam, quâ indutus est, tunicam: tuam vestem amisit, cum ea veste hic aduenit. Quid apud eum impudicitia faciebat, quid intemperantia, quid auaritia, quid ira, quid superbia, quid cætera vitia? Dimisit te, confugium fecit ad me, & meas sorores video comitari cum illo. Æquissime, iudex, iudica illum, quia iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Iudica illum esse meum, & mecum esse damnandum, hac omnia quæ huc attulit, mea esse cognosco, meus esse voluit & mea concupiuit, ideo mecum puniri debet.* Sic Augustinus.

AVGVST.

CYPRIANVS.

34. Huc etiam spectant illa D. Cypriani verba, de opere & eleemosynis: *Ponat vnusquisque ante oculos suos diabolum cum seruis suis, id est, cum populo perditionis & mortis, in medium prosilire, plebem Christi præsente & iudicante illo comparationis examine prouocare dicentem: Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis & cruoris redemi, sed nec regnum illis cæleste promitto, nec ad paradisum, restituta immortalitate, denuo reuoco. Et munera mihi quàm pretiosa, quàm grandia, quàm nimio & longo labore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant* &c. Dum audit peccator taliter Deo insultantem dęmonem, ô quàm graui tum pudoris tum doloris igne cruciabitur, quantopere seipsum detestabitur, quòd relicto Christo partes dæmonis, tam aduersarij & accusatoris secutus fuerit.

Torquebit grauissimè peccatorem propria conscientia.

35. Sed nulla maior erit impio in die iudicij afflictio & dolor quàm à propria conscientia, quæ constanter eum accusabit. Probatur hæc veritas imprimis illis D. Pauli verbis Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus, accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum.* Quasi dicat: iam in hac vita cogitationes quidem, tanquam testes in basilica cordis nostri atque in tribunali conscientiæ, nos accusant, vt inde constet legem naturæ mentibus nostris, quin etiam gentilibus inditam esse, sed eædem cogitationes, ijdemque testes præcipuè contra nos stabunt nosque accusabunt in die iudicij, tunc præsertim torquebit impios propria conscientia, sed accipe in hæc verba Theophylactum. *Tunc*, ait, *stabunt nostræ cogitationes, aliæ quidem accusantes, aliæ defendentes. Nec opus habet alio accusatore vel patrono homo apud illud iudicij forum.*

THEOPHYLACTVS.

36. Genes. 3. *Audierunt vocem Domini Dei deambulantis in paradiso & abscondit se Adam & vxor eius.* Quid hoc rei? Adam quid latebras quæris, & arborum vmbras? an folia te à diuino conspectu reddent immunem? an pulchritudo foliorum teget fœditatem tuorum peccatorum? Fugit à propriæ conscientiæ testimonio. *Quæ*, vt ait Theodor. *contra peccatorem accusationem comparat.* Et vt ait Orig. lib. 2. Periar. cap. 11. *& sui ipsa efficitur accusatrix & testis.* Prosequitur D. Chrysostomus hom. 17. in Genes. *Aduersus hominem exurgit, clara voce clamat, & accusat, & ostendit & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem.* Addit S. Isidorus lib. 2. soliloq. *Nulla pœna grauior pœnâ conscientiæ.* Pergit Tertullianus. *Conscientia graue pondus est.* Neque malè Seneca epist. 43. *Mala conscientia etiam in solitudine anxia & sollicita est.* Si in hac vita sic conscientia vexat, discruciat & accusat, quid putas futurum in die iudicij, quales non sentiet tunc peccator conscientiæ suæ impietates, angustias, pondera, clamores, accusationes?

THEOD.

ISIDOR.

TERTVLL.

Pecca-

Peccator in iudicio, maximas patietur angustias à peccatorum suorum manifestatione, & accusatione.

§. VII.

Propria peccata grauissimas facient angustias peccatori.

37. IN quas angustias putas redigent peccatorem propria peccata? quem non doloris sensum imprimient, tum manifestatione sua, tum accusatione, & clamore suo. Manifestanda esse omnibus peccata nostra certissimum, in die iudicij enim implebitur illud Dan.7. *Iudiciũ sedit & libri aperti sunt.* Et illud Apoc. c. 20. *Vidi mortuos paruos & pusillos stantes in conspectu throni & libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex ijs.* Quinam hi libri? D.Hieron.ad citata verba Danielis: *Cõsciẽtiæ*, ait, *& opera singulorum, in vtramque partem, vel bona vel mala omnibus reuelabuntur*, &c. D.Thom. Addit q.87.art. 1. *Consciẽtiæ*, inquit, *singulorum erunt quasi quidam libri, continentes res gestas, ex quibus iudiciũm procedet.* Sunt hi libri nunc clausi, non enim alienas nouimus conscientias, horribili illo die. Ita aperientur vt ab omnibus legi possint. Iuxta illud 2.Reg. 12. Dauidi dictum: *Tu fecisti abscõditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis*, &c. D. Basil lib. de vera virgin. *Quæ*, inquit, *prius corpore, quasi veste contecta, minimè habere putabamur, ea nudata se omnium oculis ingerent, nullusq; iam vel negationi vel defensioni erit locus, quando ipsa cernentur opera in suo authore conspicua, non enim confusè aut summatim & indigestè res ipsa cernentur: sed singula per partes vt sese habeant, velut in pictura noscentur. Quid* inquit D. Chrysost. hom. 5. ad Rom. *tunc nobis miseris fecit, cùm omnia orbi vniuerso palam facta in tam aperto tamq; illustri theatro denudata, hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorum oculis subijcientur.* Et Hugo Victor. lib.3. de anima c. 23. *Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebunt vniuersa scelera tua, non solùm actionum, verùm & cogitationum & locutionum multa peccata tua prorũent ex improuiso quasi ex insidijs, quæ modò non vides.*

Hieron. — D. Thom. — Basilius. — Chrysos. — Hugo Victor.

Quâ ratione fiet manifestatio nostrorum peccatorum in iudicio.

38. Vis scire quâ ratione facienda sit illa manifestatio? Psalm. 36. legimus, *Educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam mercedem.* Sicut vitrum obiectum soli, secreta omnia & pœnitissimas rimulas pandit, sic nos tanquam specula tam obscura & lumine priuata, obiecti soli Christo, pandemus quæcumque in nobis sunt, non secus ac in cristallo lucis radijs repercusso. Quò respicere videntur verba Diui Pauli 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Dei*, Græcis enim est, *Pellucidos fieri*, à speculis, nimirum sumpta similitudine, quæ in tenebris posita opera videntur, sed radijs solaribus imbuta, pellucida fiunt & clara & omnia pandentia.

Ab igne proueniet peccatorum nostrorum manifestatio.

39. *Ecce Dominus in igne veniet*, ait Isaias, *& quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit.* cap. 66. Et Propheta Regius Psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet.* Cùm igitur hic ignis apparebit, tunc & apices apparebunt, quibus in libris peccata descripta sunt; tunc peccata quæ in cordis pagina deleta videntur, quæ nostrorum, aliorumque oculorum aciem fugiant, apertè conspicientur. Characteres, notæ, apices papyro acribus quibusdam succis scripti, & exarati visum effugiunt; tunc veræ scriptæ litteræ apparere incipiunt, cùm papyrus, & pagina igni approximatur. Idem in peccatis accidit, multa in Dei, ac conscientiæ libris scripta, & notata sunt, quæ, quia diuinæ iustitiæ timor velut ignis abest, nostræ considerationis aciem effugiunt, à mentis oculis non conspiciuntur. Adueniet ignis & omnia aperta erunt, legi ab omnibus poterunt, quæ latebant, & ab igne formari apices videantur, cùm tamen formati antea fuerint, cùm peccata patrauimus. Audiendus hîc Beatus Thomas à Villanoua, qui sermone 1. in natali Beatæ Virginis opportunè huc flexit, & libri rationum meminit, papyri, ignisque, qui educere è papyro litteras videatur: Hæc eius verba: *Hic liber rationum est, ideo ex libro Domini, & illo iudicabuntur. In hoc libro omnia, quæ gessimus, & cogitauimus, quæ locuti sumus, omnes cogitationes, & desideria, & verba; & opera scripta apparebunt. Sunt modo quasi obliterata, attamen tunc apparebunt: sunt in papyro scripta quibusdam succis malorum medicorum non apparent characteres litterarum, sed ad ignem positi tota apparet scriptura: sic in illo igne omnia monstrabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium, quæ modò obliterata sunt.*

Thomas à Villa.

Tabescent peccatores ex peccatorum suorum manifestatione.

40. Horum librorum tam clara dilucidaque apertio & inspectio; horum speculorum tam clara illuminatio, & criminum omnium proditio nònne meritò summi doloris ignem concitabit in impiorum animis & cordibus? Nònne meritò præ dolore & pudore deficient, & omnino tabescent? Ita sanè ipsi de seipsis testantur Psalm.89. vbi legimus: *Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.* Diuus Hieronymus: *Consumpti enim sumus in furore tuo.* Quam ob causam? Subdit ilico: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo; seculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Hieron. *Negligentias nostras in luce vultus tui;* quin-

Hieron.

quinta editio: *adolescentiam*, alij ex Hebr. *Occulta & abscondita nostra*. Quidquid enim latet, quidquid absconsum est, errores, & peccata iuuentutis, imò negligentiæ omnes, è Dei vultu lumen accipient, & tanquam in vitro pellucido omnes patebunt.

Vulnerabũt impios propria peccata.

41. Quid iam dicemus de singulis singulorum impiorum peccatis & sceleribus? Quibus putas clamorum suorum, atque accusationum gladijs vulnerabunt mentem impiorum? Tunc illud Psal. 48. implebitur: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam*, scilicet peccata tua. Illud, *statuere, Garach*, est in Hebræo, verbũ militare, propriè ordinare, ordine disponere, instar exercitus, aut aciei ordinatæ, ita vt singula peccata suo ordine disposita, iuxta tempus, grauitatem, species suas, atque iuxta alias patrati sceleris circumstantias, suo aspectu terrirent, excrutient, oppugnent, vt sensus sit, *statuam contra faciem tuam*, ordinabo, disponam, instruam scelerum tuorum aciem. Pro verbo illo, *statuam*, posuit Theodotion, *stipabo*, quasi innueret iuxta Appollinaris interpretationem, confertissimum omnium peccatorum cumulum, ob oculos proponendum. Vnde

EVSEBIVS.

Eusebius in Cat. Græca: ait: *Statuam verò ad arguendum te ante oculos tuos peccata, quæ vnquam fecisti, quæ tu quidẽ existimasti nõ ampliùs esse, nec in alicuius memoriam esse ventura. Verùm ego tanquam Deus illa traducam*, &c.

42. Quis verbis explicet, quem hæc peccatorum nostrorum accusatio & oppugnatio doloris sensum nobis ingeret, quas doloris excitabit flammas? Quàm bene subdit Dauid verbis citatis: *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum.*

Qualiter vices suas deplorabit tunc peccator.

43. Tunc meritò impiorum quilibet vsurpabit illud Thren. c. 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manu eius conuoluta sunt, & imposita collo meo. Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu, de qua nõ potero surgere.* Rectè Paschasius & Rabanus, iugum iniquitatis, inquiũt, dormit, cum in corpore nequitiæ, securè & impunè quiescit; sed vigilat in manu Domini, nobis enim torpentibus peccata latent, sed in manu Domini vigilant, dum nos ad vindictam retributionis accusant. *Et imposita collo meo*, vt in perpetuum portem grauissimam pœnam illis respondentem. *Imposita collo meo*, nimirum ad supremam meam & inexplicabilem cõfusionem. Sumpta videtur metaphora à iudicibus, qui reo condemnato ob enormia sua scelera, cùm ducitur ad supplicium, solent collo illius imponere, siue appẽdere instrumenta, quibus patrauit delictum, vel signa aliqua, siue figuras, & characteres, vnde constet, & ex quibus facilè colligitur, cuius criminis & facinoris reus sit. Verbi gratiâ: si sacros furatus est calices, figura, siue depicta calicis imago, appensa est collo ipsius rei, idque ad augendã eius confusionem. Pone iam casum quempiam virũ nobilẽ, de quo omnes bonam concipiebant opinionẽ multo tempore, eaque variã cõmisisse scelera, & cùm putaret ea omnia latere, tamẽ posteà è tenebris & latebris egressa, de hisce omnibus conuincitur, & ad ignominiosam damnatur mortem, vt antẽ quibuslibet innotescat quibus peccatis sit obnoxius eorum figuræ appenduntur, & imponuntur collo illius, & sic in theatro omnibus spectandus & irridendus exhibetur. Quis huius viri nobilis explicet confusionem, pudorem & dolorem? Bone Deus quanta erit impiorum confusio dolor & luctus in die iudicij, cùm eorum collo imponentur omnia eorum peccata, vt omnibus innotescat quibus sceleribus sunt obstricti. Tunc induentur sicut diploide confusione sua, duplici, inquam, confusione, interna & externa.

Feruidè non frigidè peccata hominem accusabunt.

44. Et qualiter putas peccata hominem accusare? an id frigidè ac tenuiter præstant? non equidem puto, etenim id peragunt quàm potest fieri feruidè & impetuosè. Hinc enim dicuntur peccata clamare in cælum, quia quantò ea libentiùs amplectimur, tantò aduersum nos acriùs causam coram Deo agunt, hoc sensu ait Deus Gen. 18. *Peccatum eorum aggrauatum est nimis, descẽdam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerunt. Omnis iniquitas*, ait D. Gregor. 1. mor. 7. *apud Dei secreta, habet voces suas*, vt in expositione Ps. 2. pœnit. expendens illa verba, *dum clamarem tota die, peccatum*, ait, *cum voce culpa est in actione.*

GREGOR.

Peccata graui clamore expostulant vindictam.

45. Et quidem tantas emittit peccatum cælum versus voces, taliter clamat, & expostulat vindictam, vt planè necessarium visum fuerit diuino verbo assumere naturam humanam, nimirum vt in ea similiter daret voces, clamorem ederet & salutarem sonitum siue strepitum excitaret, quo futurum vt clamor peccatorum nostrorum quasi obrueretur. Ita vt vix à diuinis auribus percipi posset. Attende qualiter D. Paulus vocem & clamorẽ tribuat sanguini Christi, sic enim loquitur Hebr. 12. fatus, de Christi sanguine: *Meliùs clamantem quàm Abel.* Sanguis Abel voces dabat & expostulabat de nefario fratricida sumi vindictam. Tam enim sonoram vocem habet peccatum vt clamorem in cælum vsque attollat, & cum horrendo quodam strepitu siue boatu accuset peccatorem, & expetet à Deo cõtra proprium auctorem vindictam, postulet, inquam, vt Deus diuinæ iustitiæ gladio accinctus eumdem stringat in peccatorem, eumque penitus perdat. Quid agit Christus vt voces illas, clamores illos, accusationes & expostulationes illas eneruet, elidat, & quasi pessundet, ne obstent hominum saluti, ne excitent diuinam Iustitiam ad sumẽdam vindictam de ingrato peccatore? Assumit naturam humanam vt etiam clamare possit. Illud interim in persona Iobi cap. 13. obnixè à cælesti Patre, postulans: *Non inueniat in te locum latendi cla-*

mor

mor meus. Iam fit sudor eius sanguineus sicut guttæ decidentis in terram. Terra hunc sanguinem Christi purissimum & immaculatum suscipiẽte, cæpit hic sanguis etiam clamare, sed meliùs quàm sanguis Abel, hic enim vindictam, ille misericordiam postulat. Meliùs quoque cœpit clamare, quia fortiùs clamant, & quasi planè depressit vocem, vocem & boatum peccati, quod vt efficaciùs præstaret & exequeretur, Christus in cruce suspensus cum clamore valido orauit, & lachrymis, quinetiam vsque ad raucedinem vocem extulit ne ampliùs peccati clamor audiretur. Ps. 68. *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Quando duæ voces sese efferunt, quæ fortior est solùm auditur, reliqua planè quasi depressa & a fortiori obscurata. Dant voces commissa adulteria, homicidia, furta, dant voces peccata omnia. Sed voces etiam dat Christus, clamat etiam eius sanguis, clamant vulnera tanquam tot ora, clamat passio, clamat mors, sed meliùs & fortiùs clamant, quàm peccata, atque eorum voces planè deprimunt, imò supprimunt. Et hoc quidem in hac accidit vita, & dum tempus est misericordiæ, iam clamat meliùs sanguis Christi quàm sanguis Abel, verùm in extremo illo iudicio, dum tempus aduenerit diuinæ Iustitiæ, planè verò recesserit tempus misericordiæ, sola vox sanguinis Abel, sola vox peccati audietur, & quidem cum horrendo strepitu accusans peccatorem & expostulans vindictam. Tunc non solùm peccata, sed & ipse sanguis Christi toties à peccatore cõculcatus cum accusabunt & vindictam expostulabunt. Vide quædam huc spectantia apud Laurent. de à Ponte in Sap. hom. 74. t. 2.

Grauissimum impijs incutiet dolorem Iudicis sententia.

§. VIII.

Sententia iudicis quã erit impijs grauis.

46. QVis iam verbis exprimat vel mẽte concipiat quàm grauissimi doloris igni corripiendi sunt in iudicio mali, dum ex ore iudicis audient horrendam illam sententiam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Verba hæc sic ponderat, atque rimatur Salmeron tom. 7. tract. 41. *Discedite*, inquit, qui nunquam mecum voluistis permanere, qui me abiecistis, & à vobis recedere coëgistis. Omnis enim qui malè agit odit lucem, vt non arguantur opera eius, dixistis illud Iob 21. *Recede à nobis & scientiam viarum tuarum nolumus*, & cum Adam & Cain fugistis à facie mea. Omne enim peccatum non est aliud quàm à Christo recedere. *Discedite à me* qui sum vitis vera, & vos palmites infructuosi, & steriles igni tantùm digni & idonei, 2. Cor. 6. *Quæ enim participatio Iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad belial? A me, qui sum via, veritas & vita.* Vos autem semper à via aberrastis, mendacium dilexistis, & cum morte pactum inistis. *A me*, id est, à consortio meorum, nam modò commixti bonis reprobi sunt. *Maledicti*, non dixit, *Patris mei*, sicut Benedicti, vt annotat Origenes tract. 34. in Matth. quia benedictio ex Deo est, maledictio ex diabolo, & propria hominis voluntate. Quisque enim est sibi ipsi auctor maledictionis, qui maledictione digna operatus est. Maledicti ergo, qui maledictionem peccati semper adamastis, iuxta illud Ps. 108. *Dilexit maledictionem, & veniet ei*: qui excommunicati, & maledicti dæmonis audistis consilia, & cum transgressoribus diuinæ legis maledictis societatem habuistis; de quibus scriptum est, Psal. 118. *Increpasti superbos, maledicti qui declinant à mandatis.* Quòd si tantum timetur maledictio patris, aut matris, quantum erit expauescenda maledictio æterni Patris? *In ignem*, id est, carentiam regni, & beatitudinis: quia ignis opponitur regno. Vel præter pœnam damni significatam in illo verbo, *Discedite à me*, ponitur pœna sensus acerbissima in igne significata. In ignem etiam, quia abiecistis charitatis ignẽ, quem ego veni mittere in terram: & ignem proprij amoris, sensusque nutriuistis, quem pabulo carnalium delectationum aluistis: ignemque discordiæ inter fratres non extinxistis. *Æternum*, quia in æternum amastis viuere in peccato. Et in ignem proijci solent zizania, paleæ, palmites sine fructu, arbores infructuosæ, & adulterinæ monetæ. *Qui paratus est diabolo.* Cuius filius est peccator, & reprobus, & maximè auarus, & immisericors, & ad quem præparastis vos, reddendo vos arbores steriles, paleas, pecuniam falsam, libros opinionibus hæreticis vitiatos, & magicas continentes, qui more Ecclesiæ igni adiudicantur. *Paratum est diabolo*, id est, omni ei, qui se diabolum reddit, hoc est, Dei calumniatorem, & fratrum accusatorem. Paratus est etiam Angelis eius, id est, omnibus qui voluntatem diaboli facientes in nassam peccati alios pertraxerunt, & scandali auctores, & duces extiterunt. Hæc ille.

Tunc adimpletur illud Is. 34. *Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum, & hircorum, de sanguine medullatorum arietum; victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. Et descendent vnicornes cum eis, & tauri cum potentibus: Inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium, quia dies vltionis Domini: annus retributionis iudicij Sion. Et conuertentur torrentes eius in picem ardentem, nocte, & die; Non extinguetur in sempiternum. Ascendet fumus* eius,

eius, à generatione in generationem: Quem locum de extrema mortalium sorte & rigorosa magni iudicij die sic interpretatur S.
ANTON. PADVAN. Antonius Paduensis serm. 1. de tempore. *Gladius est potestas Domini, vlciscens se de inimicis: Repleta sanguine, & incrassata adipe: id est, puniet peccata, & opulentiam carnalium. De sanguine agnorum, id est hypocritarum, qui cùm sint lupi, agnos se simulant. Et hircorum, id est libidinosorum & medullatorum arietum, id est, pinguium abbatum. Priorum, qui sunt duces gregum, victima enim, id est, vltio Domini in Bosra, quæ interpretatur munita, scilicet, discordia, & dissoluta claustralium congregatione, quæ est exteriùs munita, sed interius omni transeunti vitio exposita. Et interfectio magna in terra Edom, qui interpretatur sanguineus, vel terrenus: id est, Clericus, qui sanguine luxuriæ, & terra pecuniæ sunt coinquinati: Et descendent vnicornes, id est, Imperatores & Reges huius mundi, & tauri, id est, Episcopi mitrati, qui habent in capite duo cornua velut tauri. Omnes isti qui veram pœnitentiam de peccatis non egerunt, descendent cum potentibus, id est, huius sæculi principibus, & potestatibus in infernum, quæ est terra morientium, quæ eorum sanguine & adipe, id est, malitiâ & superbiâ inebriabitur.* Hæc Antonius.

Tunc impij decident à cogitationibus suis. 47. Tunc adimplebitur illa Dauidis Prophetia Psalm. 5. *Decidant à cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.* In quæ verba sic Diuus Augu-
AVGVST. stinus: *Decidant à cogitationibus suis, dictum est, decidant accusantibus se cogitationibus suis, testimonium perhibente conscientia sua; sicut A-*
Rom. 2. *postolus dicit. Et cogitationum accusantium seu defendentium, in reuelatione iusti iudicij Dei: Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos. Id est, longè eos expelle. Hoc est enim secundum multitudinem impietatum eorum, vt multum expellantur. Expelluntur ergo impij ab illa hæreditate, quæ intelligendo & videndo Deum possidetur: sicut expelluntur morbidi oculi fulgore lucis, cùm illis ea pœna est, quæ alijs lætitia.*

Priuari gloria æterna peius. 48. *Discedite à me. Gehennâ peius est*, ait Diuus Chrysostomus homil. 35. ad Popul. *omni hac excedere gloria, & innumeris peius est*
CHRYSOS. *pœnis.* Idem homil. 47. ad Popul. *Multi hominum gehennam tantùm formidant, ego autem illius gloriæ amissionem gehennâ multò amariorem esse dico: si vero sermone probari non potest, nihil mirandum. Nec enim illorum nouimus bonorum beatitudinem, vt & miseriam & eorum priuatione manifestè sciamus.* Et paulò pòst: *Est gehenna, & illa pœna intolerabilis: tamen licet quis innumeras ponat gehennas, tale nihil dicet, quale illa fælici excidere gloria, à Christo odio haberi: audire, Nescio vos: accusari, quod eum videntes esurientem non pauimus. Etenim infinita satius est fulmina sustinere, quàm illam mitem faciem nos auersantem videre, & tranquillum oculum in nos respicere non sufferentem.* Sic ille, cum quibusdam alijs huc spectantibus lectu dignissimis. Similia quoque apud eumdem inuenies homil. 48. ad Popul.

49. *Dei abalienatio atque auersio*, ait S. E- EPHREM.
phrem oration. de futuro iudicio, *inter omnes pœnas, quæ in gehenna expectantur, intolerabilior, grauiorq; est ei qui patitur, quàm oculo lucis priuatio, etiamsi dolere careat. Quod si quis omnem simul facultatem, quæ ab initio generis humani extiterit, sermone complectatur, & in vnum colligat, ne minima quidem illorum bonorum parti illam inueniet parem: imò vniuersa huius bona ampliùs à minimo illorum distant, quàm vmbra & somnium à rebus veris.*

50. Quantus sit amor patriæ, nemo non Magnus amor patriæ.
nouit. Vnde Sanctus Augustinus exagge-
rans Abrahæ peregrinationem in terra a- AVGVST.
liena, sic pulcherrimè scribit sermon. 68. de tempore: *Nouum probationis genus habemi propria exilia* (vitæ ipsius etiam in natali solo) *indicere peregrina, ingerere laborem itineris quiescenti, imperare penuriam possidenti, & tantarum facultatum Domino necessitatem imponere peregrinandi*, &c. *Cui non est magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina, & voluntaria casa, quàm digesta prætoria? cui non est durum, illos conscios natalium parietes, dulcia illa limina, atque amabilem larem, quem & parentum memoria, & ipsius infantiæ indumenta commendant, vbi cunabula illa noui, & mox orientis hominis famulabantur, vbi secura alludens infantia inter lucis primordia, aut pueriles anni simplicitate fælices, quos sibi inter lasciuos, atque ipsius ætatis lusus vernaculo genuina sola necessitas exhibebat? Inter hæc ergo tam blanda, tam dulcia, quæ cum omni fuerant difficultate relinquenda. Exi, ait, de terra tua. Quis hæc sine fidei viribus libenter audiret?*

51. Consentanea sunt quæ scribit Di-
uus Ambrosius in Ionam enar. 2. in cap. AMBROS.
4. inter alia docens grauissimam pœnam exilium sceleribus decerni grauissimis: *Patria, inquit Cicero 1. de orat. nos omnium maximè delectat, cuius rei tanta est vis tantaque natura, vt Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteposuerit.* Vlyssem intelligit, quem annos decem errantem Calypso apud se immortalitate ei proposita retinere non potuit: nil enim dulcius patriâ æstimabat, vt ipsummet & loquentem Homerus inducit Odyss. 9. in conuiuio Phœacum, cu-
ius etiam fumum idem Homerus videre HOMER.
cum cupiuisse scribit his verbis:

Exoptans oculis surgentem cernere fumum
Natalis terræ.

Vnde prouerbium Græcum natum est: *Patriæ fumus igni alieno luculentior.* Si ex terrena patria exulare tam molestum, tanto dolore & molestiâ dignum, quem putas concipient luctum impij in illo extremi iudicij die, dum sese videbunt in æternum exulare debere à patria illa cælesti, cuius respectu patria hæc nostra, nataleq; solum vel si manis, ipse mundus, non tā patria est, quàm quædam colonia: Et si hæc tam nobis dulcis, inde conijce, quantò dulcior futura

tura sit cælestis illa, veraque patria. *Si talis & tanta est colonia*, ait D. Gregorius Nyss. orat. de B. Gregorio Thaumat. *existimare oportet, qualis sit ea vrbs, vnde colonia deducta sit, quæ sit in ea pulchritudo, quæ sit in ea regia, quæ beatitas eorum, quibus illa habitatio obuenit: Nam si ea, quæ in rebus creatis apparent eiusmodi sunt, vt nulla ratione explicari, nulla ratione comprehendi possint: quid de ijs existimandum est, quæ supra hæc sunt, quæ neque oculo comprehendi possunt, neque auribus percipi, neque mentis, & intelligentiæ coniecturis, qualia sunt, iudicari, & existimari possunt.* Sic ille. Ab illa exulare in æternum patria, & degere in terra illa miseriæ & tenebrarum, heu quàm luctuosum, quàm dolore plenum. GREGOR. NYSSEN.

52. *Discedite à me maledicti.* In immensum augebit impiorum dolorem, quòd non solùm se videbunt à tanta gloria depulsos, sed insuper pios quosque, & Dei amicos, ad illam assumptos; imò ex illorum gloria ampliùs marcescent, & torquebũtur, quàm ex propria ruina, vt bene obseruauit D. Bernardus serm. in Psal. 91. *Priùs benedicti vocabuntur*, ait, *in regnum, quàm maledicti in caminum deijcientur ignis æterni, quo videlicet atriùs doleant, videntes quid amiserint.* Idem ponderans Diuus Chrysostomus homil. 8. in epistol. ad Thessal. sic ait: *Quis enim erit tunc animus illorum? quando istos quidem sublatos videbunt, se verò ipsos relictos? An non quauis gehennâ terribilius hic dolor, eos ita deiectos, & consternatos reddere poterit?* BERNAR.

At quò tunc fugiet peccator? Certè tunc vsurpare poterit illa Dauidis verba: *Perijt fuga a me, & non est qui requirat animam meam.* Nusquam peccatori erit refugij locus, siue terram quærat, siue mare nauiget, siue in aerem eleuetur, omnia contra seipsum elementa reperiet obarmata, adeoque nihil supersit, quàm vt confusione plenus, in tartarum detrudatur. Audiendus est S. Antonius de Padua sermon. 1. de tempore rem hanc eleganter depingens. *Quò ergo fugiet miser? vbi se abscondet? si in cælum voluerit ascendere, tonitruo pulsabitur: si in aerem, turbine conteretur: si in terra remanere voluerit, timorem non poterit sustinere, quia vt dicit Iob, Terra aduersus eum consurget: Si in mare intrare voluerit fluctibus eius expelletur: Quid ergo restat misero, cui non est inuentus locus in toto mundo, nisi vt cadat in abyssum flammæ ignis deuorantis.* ANTON. DE PAD.

53. Miseram suam sortem deplorantem, sic inducit damnatam animam D. Ephrem in Threnis suis: *Tunc profectò lacerata atque dilaniata simul amaro cum fletu, dices: Hei, quid mihi miseræ contigit? Et væ mihi, quia deprehenderunt me mala hæc; nec est dentibus vlla requies, nullumque intolerandæ necessitatis est laxamentum. Ad cuius me genua prouoluam? quem implorabo? quis pro me deprecatus est? Non est ex his manentibus, qui vota ac preces meas excipiat? Nõ est qui misereatur calamitatis meæ. Quid faciam? quid agam? Hei mihi, quòd nulli vià queam relaxatione potiri. Recessit tempus exorandi. Quis mihi indulgebit exoptatam vnius diei pœnitentiam, quo possim flendo, ad misericordiam Christum flectere? Iustus Deus noster, & rectum iudicium eius.* EPHREM.

Vis grauissimæ huius sententiæ, grauissimo igne, nõ exuri, non lædi in extremo iudicij die, quem toties offendis, quoties cõtra Deum peccas? Obaudi consilio & monitis S. Cæsarij Arelat. ex timore iudicij sic homines hortãtis ad pœnitẽtiæ, & mortificationis opera: *Membris subtrahunt fortitudinem, sed conscientijs addunt nitorem. Nihilominus de contritione animi redimuntur crimina voluptatum, & per duræ crucis exercitia, decepta dudum carnis gaudia puniuntur: ac sic mortificatione præsenti futuræ mortis sententia præuenitur; & dum culpæ auctor humiliatur, culpa consumitur. Dumq; exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi iudicij offensa sedatur; & ingentia debita labor soluit exiguus, quæ vix consumpturus erat ardor æternus.* CÆSAR.

Quòd Christus in Iudicio erit impijs instar speculi, par pari illis omnia referens.

§. IX.

1. SED quam precor ob causam, tam luctuosa, & omnibus maris guttulis deploranda sententia, lata in impios à clementissimo Iudice? Ne tam seueræ sententiæ causam, ignorent impij, & vt habeant vnde plus crucientur, Christus causam exprimit, dum ait Matth. 25. *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me. Sed quid ad hæc impij? Domine*, aiunt, *quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere; & non ministrauimus tibi?* Propriũ filiorum Adæ, sed præcipuè impœnitentium, est se excusare de culpa. Et inter peccatores auaris est proprium tenacitatem excusare. dicũt enim: nullus indiget, nullum noui qui indigeat, aut si quis sit, plures illi subueniunt, ita vt operâ meâ non egeat; cùm tamen scriptum sit Marc. 14. *Semper pauperes habebitis vobiscum: & cùm volueritis, potestis illis benefacere.* Dicunt præterea: Nos magis pauperes sumus. Atqui in ea re, verum imprudentes dicunt, quia quò plus habẽt, plus auent. *Auaro enim tam deest quod habet, quàm quod non habet.* Rectè Seneca: *Pauper est, qui multa cupit, & multa sibi putat deficere.* Aliqui verò hoc obtendunt excusationis genus: Pauper, eleemosyna ne- Causam sententiæ suæ exprimit Christus vt plus torqueantur impij. Impiorum est sese excusare

quaquam dignus videtur. Sed satis est illum esse maximè dignum, Christum scilicet, propter quem datur. Alij prætexerunt, sibi parum facultatis suppetere, quibus dandum est consilium Tobię cap. 1. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire studes.* Nam si vel calicem aquæ frigidæ porrexerit, vel duo æra minuta cum vidua miserit in gazophylacium, copiosa mercede non carebit. Sed vide quid illis replicet Christus. Tunc respondebit illis, dicens: *Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his; nec mihi fecistis.* Tanta enim est vnio Christi cum corpore suo, vt illo ægrotante ægrotet, illo esuriente esuriat, illo peregrinante peregrinetur. Vnde pulchrè Origenes tract. 4. in Matth. in hæc verba scribit: *Sicut anima habitans in corpore, cùm non esuriat quantum ad suam substantiam spiritalem, esurit tamen vnumquemque corporis cibum, quia copulata est corpori suo: sic & Saluator patitur, quæ patitur corpus eius Ecclesia, cùm sit ipse impassibilis, quantum ad suam diuinitatem. Sanctis enim indigentibus cibo & ipse esurit.* Sic ille.

Quanta vnio Christi cum corpore suo.

ORIGEN.

Legimus Isaiæ 28. *Hæc requies mea, reficite lassum, & hoc meum refrigerium, & noluerunt audire.* Si homo sit qui defatigatus est, qui labore oppressus est, iam liber & refocillatus, nónne ipsius est requies, ipsius est refrigerium? Cur ergo ait Dominus, hæc requies mea? format sibi hanc difficultatem Oleaster, quam enodando sic Deum alloquitur. *Magna est dignatio sua Domine, quia te transfers in miseros nos, cum lassis, lassus es, quemadmodum egenus cum egenis, & pauper cum pauperibus:* Expende illa verba: *Transfers in miseros nos:* Vis veritatem hanc videre confirmatam exemplo? De S. Elizabetha refert Waddingus in Annal. Min. to. 1. an. Christi 1229. num. 13. quòd tanta fuerit illi in leprosos pietas, etiam viuente marito, quamuis aliquando æmulorum liuore periculosa, vt eo absente dum pro more, & solita miseratione, horridos morbos foueret, recrearetque, leprosum aliquãdo balneo ablutum, in absentis fortè mariti lecto, vt quiesceret, reposuit. Ille verò cùm præter expectationem subitò reuertisset, vbi factum id ab eius æmulis, omnia in peius interpretantibus, intellexisset; iratus prorupit; ense nudato confossurus miserum, cuius gratiâ reiectis stragulis (mirum certè) sibi vidisse visus est Christum in lecto crucifixum, cuius aspectu attonitus, mitigato animo, culpam deprecatus, carissimæ coniugi potestatem dedit, quod vellet, deinceps faciendi. Accipe aliud ex D. Grego. ho. 39. in Euang. in terra Lycaoniæ Martyrius vitæ valdè venerabilis Monachus fuit, qui pergens ad monasterium quoddam, leprosum quemdam inuenit in via, ad hospitium suum redire volentem quidem, sed non valentem. Eum itaque pallio suo constrictum super humerum leuauit, & detulit, vicinusque monasterio, ad quod tendebat magnâ voce clamauit. Currite, ianuas monasterij citò aperite, quia frater Martyrius venit Dominum portans. Statim verò, vt Martyrius ad Monasterij aditum peruenit, is qui leprosus putabatur de collo exiliens, & in specie vera Christi Dei & hominis apparens ad cælum redijt, dicens: Martyri tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cælos. Narrabat autem postea Martyrius, quòd cùm eum portasset, pondus minimè sensisset; nec mirum, quia portabat portantem omnia.

Christus se transfert in nos, lassus cum lassis.

OLEAST.

Quanta Elizabethæ in leprosos pietas.

WADDI.

Pietas Martirij in leprosum.

GREGOR.

Omnia sunt communia Deo cum suis seruis, sicut enim honorem suum illis communicat, sic eorum contumeliam, suam reputat. Suffragatur Saluian. lib. 8. de prouident. *Sacrilegij, inquit, genus est Dei odisse cultores, sicut enim si seruos nostros quispiam cadat, in nos seruorum nostrorum cedit iniuria, & si à quopiam filius verberetur, alienus in supplicio filij pietas aliena torquetur: ita & cùm seruus Dei à quocumque læditur, maiestas diuina violatur, dicente ad Apostolos suos Domino: Qui vos spernit, me spernit: benignissimus ac pijssimus Dominus communem sibi cum seruis suis honorem simul & contumeliam facit, ne quis cùm læderet Dei seruum, hominem tãtùm à se lædi arbitraretur, cùm absque dubio iniurijs seruorum Dominicorum Dei admisceatur iniuria.*

Christus contumeliã suam reputat, contumeliam seruorum suorum.

SALVIA.

2. Expende quanti valeat apud Deum pauper. Legimus Psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Quæ verba expendens Petr. Dam. serm. in Psalm. 40. sic pulcherrimè scribit: *Oremus fratres, vt ipse Dominus nobis intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere sic demonstrat: quòd ipse qui cælum tegit, sit nudus in paupere, quòd in se esuriente esuriat saturitas rerum, quòd sitiat in sitiente fons fontium, intelligere, quomodo non magnum est? quomodo non beatum intelligere quòd ei sit ampla paupertas, cui angustum est cælum? qui ditat mundum, quòd egeat in egente? quòd frustum panis, aquæ calicem, dator omnium quærat? quòd se Deus amore pauperis sic deponat, vt non adsit pauperi, sed ipse sit pauper? Hoc cui videre dederit Deus, ipse videt, sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse iam nobis: Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare.* Hæc ille. Itaque quam pauperi denegarunt misericordiam, in paupere Christo denegarũt: vnde etiam Christus: Quâ mensurâ mensi fuerunt, illis remetitur, & iudicium accipiunt sine misericordia, qui non fecère misericordiam. Est enim Christus instar exquisiti speculi, quod talem exhibet speciem, qualis illi obijcitur, vnde & ille par pari referens, immisericordem speciem, sibi ab impijs exhibitam eandem illis in iudicio, reddit. Vnde impij clarè perspicientes, quàm iusta sit eorum condemnatio, coguntur approbare iudicis sententiam, & exclamare; *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

Maximè valet apud Deum pauper, quod pauperi factum, sibi reputat factum.

PETRVS DAMIAN.

3. Cogentur, inquam, exclamare & dicere

cere

Respondebunt peccata peccatori instar echo.

Forer. Sanch.

cere illud Isaiæ c. 59. *Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis.* Quomodo responderunt? Nimirum, quasi echo. Peccata enim inquiunt Forer. & Sanchez, in hunc locum, quasi echo peccantibus respondent. Sicut enim echo vocem refert à saxis eandem, quam à clamante accepit; ita pœna peccati respondet eiusdem culpæ, quasi illius echo & reflexio, siue repercussio meritissima; vt, sicut damnati Christo in paupere se crudeles exhibuerunt; ita etiam Christum in se, quasi crudelem sentiant, & experiantur.

Dicent impij in iudicio, meritò hæc patimur.

4. Legimus Genes. c. 42. de fratribus Ioseph, iam graui tribulatione tactis, quod ad inuicem locuti fuerint: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum precaretur nos, & non audiuimus, ideo venit super nos tribulatio.* Idipsum ad inuicem dicturi impij, fulgure percussi diuinæ sententiæ: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum Christum, videntes in paupere, angustias animæ suæ, dum in illo deprecaretur nos, & rogaret buccellam panis, & haustum aquæ frigidæ, & præ nimia duritia, non audimus, idcirco venit super nos hæc damnatio.

Philipp. Abbas.

Vtinã ruinæ impiorum sint nobis pro speculo.

5. Philippus Abbas de silentio Cleric. c. 48. expendens citata fratrum Iosephi verba, hanc illis vult subesse mentem: *Quia fratris nostri, in quo nulla est iniquitas reperta, non tamen nostra malignitas est miserta, certum esse debet quia huius rei meritò nunc punimur, & pro tanto scelere tantas impræsentiarum molestias experimur, tribulatio quippe quam nobis iste Princeps infert & intentat, fraternum illud scelus, nobis in facie repræsentat, & iuxta quod locuti sumus malitiosam in illo falsitatem, nunc respondere facit manifestè iusti iudicij veritatem.* Sic ille. Cogita easdem voces vsurpaturos damnatos; dicturi enim sunt dum in hisce erunt constituti angustijs, dum ferientur horrendâ illâ iudicis sententiâ: Meritò hæc patimur, quia grauiter peccauimus in fratrem nostrum ipsum Dominum Iesum (frater vtique noster vocari & esse dignatus est) dum enim in paupere sibi misereri postularet ac summopere deprecaretur nos, nihilominus aures obturatas habuimus nec illius miserti sumus, huius rei meritò nunc, &c.

Vtinã ruinæ impiorum sint nobis pro speculo.

6. Si sapis, ô Christiane, erunt tibi ruinæ impiorum tam præteritæ quàm futuræ, pro speculo, quo pensiculatiùs inspecto, aliorum sapias malo, ne eandem incurras damnationem & pœnam, in quo eadem vel paria inueniuntur delicta. Sit imprimis tibi pro speculo, Ægyptiorum illa ruina, de qua Exodi 12. *Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum*, &c. Cur non in die sed in nocte percutit primogenitos? Monebat iam tum vniuersos in lege dormitantes, quòd si similiter dormiant, prope necessum sit vt similiter percutiantur. Audi Rupertum: *Verùm cùm posset*

Rupert.

media die cunctis vigilantibus idem fieri, cur potiùs medio noctu dormientes placuit interfici? Videlicet vt historicum quoque exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret: scientes, quia quisque Ægyptiorum exemplo, thesaurizauerit sibi iram, nihilominus exemplo illorum improuisam accipiet vindictam. Qui in similibus sceleribus fuerint similes, similes sustinebunt pœnas, quando dormitantes manus Dei in Ægypto oppressit, caue homo, ne obdormiscas in lege Dei, simile namque malum te premet.

7. Secundò, legimus Matth. c. 8. *Occurrerunt Iesu, duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamarunt dicentes: Quid nobis & tibi Iesu filij Dei, venisti ante tempus torquere nos?* Sanè hoc erat Angelis reprobis commune supplicium, quòd alterius sæculi torrerentur igne, at dæmones isti sæui & crudeles, cum transeuntibus, queruntur, quòd etiam in præsenti torqueantur sæculo, quòd non solùm dent pœnas, inferni igne, sed insuper huius temporis tormenta subeant. Quid tunc? inde Isidor. Pelus. lib. 1. ep. 168. monet crudeles sæuosque omnes, vt caueant simile & in præsenti & in futuro supplicium, ait enim: *Quoniam igitur Christus & hic ante tempus dæmones torquet, & in altero æuo sempiternum illis ignem, vnà cum patre ipsorum promisit, aut tumultuariam vitam consectari desine, aut illud scito, te & hic flagris obnoxium esse, & illic vindictam minimè vitaturum.* Sic sæuus hominibus, non defuturum, ait, quod accidit sæuis spiritibus, vt qui similes sunt in sceleribus, similes sint in supplicijs.

Isidor. Pelus.

8. Tertiò, vides qualiter se Deus gerat erga impios in iudicio, vides in quas præcipitentur pœnas, ob defectum operum misericordiæ, & qualiter iudicium sine misericordia recipiant illi qui non fecerunt misericordiam, qui Christo in paupere, non quidem spoliarunt, vel oppresserunt, sed denegarunt eleemosynam, tu eorum malo sis eruditus, operibus bonis, præsertim eleemosynis, conare te diuitem exhibere, in paupere Christum aspicias, vt cum magna animi promptitudine dare studeas. Iuxta illud D. Chrysostomi homil. 34. in Gen. *Non eum tantùm attendentes, qui accipit in dandis eleemosynis simus liberales, sed æstimemus potiùs quis ille sit, qui in pauperem collocata, vt sibi impensa imputat, & pro datis solutionem pollicetur: atque ita animo illum intuentes, magna promptitudine dare studeamus, & largam, dum adhuc tempus est, sementem faciamus, vt vbertim metamus,* Et homil. 12. in 2. ad Corinth. *Cùm vides pauperem, corpus Christi, arma Christi te videre puta, & reuerere, ac eleemosyna sacrificium offer.* Sic ille. Cogita manum pauperis, manum esse Christi.

In paupere Christus aspiciendus, vt detur largiùs eleemosynã.

Chrysos.

9. Cogita dum pauperem vides, te Christi imaginẽ videre iuxta illud Saluian. l. 2.

Salvian.

ad

ad Ecclesiam. *Pauperes omnes non aliter, quàm imitatores Christi honoro; non aliter quàm Christi imagines colo;* sunt enim configurati Christo in paupertate, cuius formam pertulit Christus, qui cùm in sua venisset, reclinandi tamen capitis locum non habuit.

Non sufficit blandis verbis pauperem consolari.

10. Nolo autem sis de numero illorum misericordium, torpentium planè & frigidorum, qui blandis solùm verbis conantur miseris ferre leuamen, de quibus Iacobus in sua epistola cap. 2. *Si autem frater, aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano. Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Charitas,* ait D. Chrysost. hom. 53. ad pop. *est non in solis verbis, nec penitus in salutationibus, sed curâ, & in ipsis rebus officium, puta, paupertatem soluere, ægrotantibus subuenire, eruere periculis, in necessitatibus assistere,* &c. Blandiloquentia hæc & egentibus est inutilis, & nullum apud Christum meritum blandiloquenti conciliat.

CHRYSOS.

Blandis illis verbis, non referet tibi Christus blanda verba, quia speculum actiones, nō verba repræsentat.

11. Putas, an quia blanda das pauperi verba, quòd blanda etiam verba instar speculi tibi refert Christus? Toto erras cælo; speculum actiones tuas, motumque omnem membrorum tibi refert, non tamen quas ex ore profundis voces, hisce minimè respondet: Ita & Christus in iudicio, se tibi talem exhibebit, qualem tu teipsum illi non blandiloquentiâ, blandisque sermonibus, sed ipsis operibus in paupere exhibuisti. Ecce qualiter loquatur Christus, non blanda verba, sed opera sola commemorat: *Esuriui, & dedistis mihi manducare,* &c.

Quòd Deus omnibus sit instar speculi, talem se hominibus exhibens, quales illi se Deo exhibuerunt.

§. X.

Qualem homo se exhibet Deo in hac vita, talem se exhibet Deus in vita hac & in altera vita.

1. ILlud etiam, ô Christiane, tecum statue, Deum verissimum esse speculum, & qualem te illi exhibes in hac vita, talem se tibi exhibebit tum in hac, tum in altera vita.

Quantum ad hanc vitam exemplum habemus in Loth.

2. Et quidem quòd ad hanc attinet vitam, Genes. 19. Suscepit Loth duos Angelos sub forma peregrinorum. Quid accidit? *Prius autem quàm irent cubitum viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul. Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoscamus eos. Egressus ad eos Loth, post tergum occludens ostium, ait. Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere,* &c. Tutatur atque defendit Loth, quos hospitio excepit peregrinos. Quid accidit? Consumenda est ciuitas illa igne misso de cælo, recusabat egredi de ciuitate Loth, verùm cùm esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes: *Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, & duarum filiarum eius, eò quòd parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem.* Vides qualiter defensioni peregrinorum respondeat defensio & tutela Angelorũ, ne Loth cum familia & domo sua igne cōsumetur. Speculum Deus qualis tu illi, talis ille tibi.

3. Legimus 2. Reg. 7. *Factum est autem cùm sedisset Rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis, dixit ad Nathan Prophetam: Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? Dixitq; Nathan ad Regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.* Vis videre quomodo Deus respōdeat huic desiderio, & pietatis studio ipsius Dauid? *Factum est,* (legimus ibidem) *in illa nocte; & ecce sermo Domini ad Nathan dicens: Vade, & loquere ad seruum meũ Dauid: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* &c. Et paulò inferiùs: *Prædicitq; tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus.* Vides qualiter desiderio ædificādæ domus, respōdeat ædificatio domus, id est, posteritatis longinquę à Domino procurādę. Speculum Deus, qualis tu illi, talis & ille tibi. In Dauide.

Si pœniteas, pœnitet Deus super malo quod fuerat comminatus.

4. Qualiter speculi rationē habeat Deus, ipse pulcherrimè insinuat Ieremiæ cap. 18. dum ait: *Repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdā. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et subitò loquar de gente & regno, vt ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, vt facerē ei.* Vides quòd qualē te exhibes Deo, talem se Deus tibi exhibeat? *Nouit Dominus,* ait D. Ambros. *mutare sententiam, si tu noueris mutare delictũ. Quid times,* ait D. Augus. ser. 109. de temp. *quia dixi? Si mutaris, mutatur. Nam scriptum est, quòd pœniteat Deum. Numquid quomodo hominem, sic pœnitet Deum? Nam dictum est, si pœnituerit vos de peccatis vestris, pœnitebit & me de omnibus malis quæ facturus eram vobis. Numquid quasi errantem pœnitet Deum? Sed pœnitentia dicitur in Deo mutatio sententiæ. Non est iniqua, sed iusta. Quare iusta? Mutatus est reus, mutauit iudex sententiam. Noli terreri. Sententia mutata est, non iustitia. Iustitia integra manet: quia mutato debet parcere qui iustus est. Quomodo pertinaci non parcit, sic mutato parcit.* Sic ille. Expende illa verba: *Si mutaris, mutatur.* Deum enim voluit speculi referre similitudinem, cui nihil tam proprium, quàm cùm obiecta

AMBROS.
AVGVST.

obiecta sibi forma mutari: si enim rides, corridet: si lachrymaris, collachrymatur: si auertas oculos, auertit & ille: si ostentes faciem, & ille ostentat: vt rectè dixerit Dauid Psalm. 17. *Cum sancto, sanctus eris, & cum electo electus eris; cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruerteris.*

Conuersi Niniuitæ à viâ suâ prauâ, conuersus est & Deus à furore suo.

5. Comminatus fuerat Deus Niniuitis interitum ob nefanda scelera, pœnitent illi, pœnitentiam etiam agit Deus. Legimus enim Ionæ c. 3. *Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus. Et vidit Dominus opera eorum, quia conuersi sunt à viâ suâ malâ, & misertus est Deus,* &c. Conuersi sunt illi à viâ suâ prauâ; conuersus est & Deus à furore suo. Et quomodo se homines habuerunt erga Deum, eodem se habuit Deus erga eos. Ad quæ pulchrè ait D. Basilius Sel. orat. 12. *Pœnitentia pœnitentiam genuit, homines immutantur, & Deus consilia retractat. O diuina clementia! Ad quantam dignitatem euexit pœnitentiam! homines lachrymantur, & Deus immutatur: lugent mortales, & decretum soluit immortalis.* Quæ pœnitentiæ fecerat in se homo, eadem fecit in se Deus; pœnituit hominem, & pœnituit Deum. Mutat homo consilium peccandi, mutat consilium puniendi Deus. *Sicut exquisita specula,* ait Agapitus in expos. cap. Ad monit. n. 24. *tales monstrant vultus apparentias: qualia sunt archetypa: eodem pacto iustum Dei iudicium, nostris actionibus assimilatur.*

BASILIVS.

6. Probè nouerat Regius Vates, vir secundum Dei cor, speculum esse Deum, & talem se nobis exhibere solitum, quales nos illi. Vnde extremum agens spiritum, hęc sana cōsilia loquitur filio, vt legimus 1. Paral. 28. *Tu autem fili mi Salomon, scito D[e]um patris tui, & serui ei corde perfecto, & animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, inuenies. si autem dereliqueris eum, proijciet te in æternum.*

Qualiter Christus se etiam speculum exhibeat in cælo vbi ministrantibus se ministrat.

Vide quàm eximium speculum se Christus in cælo exhibeat. Qui sibi ministrarunt in hoc sæculo, se illis ministrantem exhibet in cælo, vnde de seipso ait Lucæ 12. *Faciet illos discumberē, & transiens ministrabit illis.* In quo loco Theodoretus: *Quasi vicem æqualem eis reddens, vt sicut ipsi ministrauerunt ei, ita & eis ipse ministret.* Et affluenter D. Thomas opuscul. 63. *Deus omnipotens,* ait, *sanctis omnibus in tantum se subijcit, quasi sit seruus emptitius singulorum, quilibet verò ipsorum sit Deus suus, ad hoc innuendum transiens ministrabat illis dicens; Ego dixi dij estis, summè quippe perfectus Deus ibi compleuit, quod hîc docuit, quantò maior es, humilia te in omnibus.*

THEODORET. THOMAS.

Semel suis iussit Christus, vt hîc præcincti essent lumbis, Dominum expectantes, vicem eis reddens æternaliter affirmat se præcincturum pro eis, vnde exclamans, ait Chrysol. ser. 24. *En mutatio inaudita rerum, en terribilis correptio dominationis, en pauenda conuersio seruitutis, quia parumper seruus assistit Domini sui expectatione succinctus, & sustinendi fidem breui fatigatione portauit, vt talionē redderet, dissimulat se in ipsâ diuinitate diuinitàs. Discumbenti homini Deus adstat, & adstat in cælestibus, epulanti seruo seruit Dominus, & seruit accinctus pueris suis; ministris suis ministerium facit Christus, & facit in patris iam gloria constitutus.*

Accinctus pro se pueris, seruit in cælo accinctus ipse Christus. CHRYSOL.

7. Vidimus qualiter in bonū, videamus, qualiter & in malum, par pari exhibeat Christus. Adam peccando à Deo diuisus est. Vis videre qualiter pœna correspondeat culpæ? Incurrit hac ratione mortem homo corporalem, quæ nihil aliud quàm diuisio, siue separatio animæ à corpore. *Quia peccando,* inquit Alger. lib. 2. de Sacram. c. 6. *à Deo diuisus est, ideò Deus postmodum in morte corporali diuiduum eum fecit à se ipsô: vt in corporis & animi diuisionē cognosceret, quia ipsa eius anima, Deo, qui vera est vita, non adhæsisset.*

Pœnā cor respondet culpæ.

Exemplum habemus in Adamo.

8. Adonibezec septuaginta regibus amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligere eos volebat sub mensâ sua ciborum reliquias: quid illi accidit? Legimus Iudic. c. 1. *Inueneruntq; filij Israel Adonibezec in Bezec, & pugnauerunt contra eum, ac percusserunt Chananæum & Pherezæum. Fugit autem Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt cæsis summitatibus manuum eius ac pedum. Dixitque Adonibezec: Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Vides qualiter culpę correspondeat pœna? Speculum est Deus, quale infers proximo damnum, tuo etiam capiti imminet.

In Adonibezec.

9. Sicut qui honorant, honorantur à Deo, sic qui eundem contemnunt, contemnuntur. 1. Reg. c. 2. *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Siue vt legit D. Hieronymus epist. ad Celantiam. *Qui honorificat me, honorificabo eum; qui autem pro nihilo me habent, ad nihilum redigentur.* Vis videre qualiter illud in Heli Sacerdote completum Ait illi Dominus loco citato: *Honorasti filios tuos plus quàm me;* nimirum dum illis non acriter, vt planè decebat, sed molliter tantummodò corrigis, ob tanta scelera, ac proinde me à te summoperè inhonoratū sentio. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachiū tuum* (auferam à te, & stirpe tua, dignitatem summi Pontificij) *& brachium domus patris, vt non sit senex in domo tua,* &c. Huc referri possunt ea Malach. verba c. 2. *Si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum; mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor. Ecce ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assumet vos secum.* Hæc vltima Græcè leguntur: *Et suspiciam vos in id ipsum.* Circa quæ D. Cyrillus Alexandr. ait: *Quoniam ipsi*

In Heli.

CYRILLVS ALEX.

 dedeco-

dedecorant altare, ideo Deus dicit: Dispergam super vultum vestrum stercus, velut par pari referens. Qui enim contemnit me, contemnetur. Suscipiam itaque vos in id ipsum. Hoc est, in hoc ipso superior fiam, & impios redarguam. Par pari respondet Deus, honorantibus se honorem, contemnentibus se, contemptum rependit.

Qui Deum obliuioni tradunt, etiam ab eo obliuioni traduntur iuxta præclarum D. Francisci monitũ, quòd ad diuites quosdam, & potentes plebis rectores transmisit. *Rogo ergo vos,* ait, *cum reuerentia, sicut possum, ne propter curas, & sollicitudines huius sæculi, quas habetis, Dominum obliuioni tradatis, & à mandatis eius declinetis: quia omnes illi, qui eum obliuioni tradunt, & à mandatis eius declinant, maledicti sunt, & ab eo obliuioni traduntur, & cùm venerit dies mortis, omnia, quæ putabant habere, auferentur ab eis, & quantò sapientiores, & potentiores fuerint in hoc sæculo: tantò maiora tormenta sustinebunt in inferno.*

In Asa. 10. Legimus 2. Paral. 16. Hanani Prophetam venisse ad Asa regem Iuda & eum corripuisse, quòd fiduciæ plus habuerat in rege Syriæ, quàm in Domino Deo suo, inter alia illi dicens: *Stultè egisti, & propter hoc ex præsenti tempore aduersum te bella consurgent.* Quid ad hæc ille? *Iratusq; Asa aduersus videntem, iussit eum mitti in neruum: valde quippe super hoc fuerat indignatus.* Quid tum accidit? Vide qualiter pœna respondeat culpæ: *Ægrotauit Asa anno trigesimonono regni sui dolore pedum vehementissimo.* Et vt legimus 2. Reg. 15. *Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes, & mortuus est.* Speculum Deus, quales nosipsos exhibemus illius seruis, talis & ille se nobis.

In Achab. 11. Achab aufert vineam Naboth, per seruos eam vindemiat, & botris eam spoliat, qualiter respondet illi Deus? Legimus 4. Reg. c. 10. mandato Regis Iehu, Samaritanos, septuaginta eius filijs, qui quasi tot illius erant palmites, siue botri, abscidisse capita, & cophinis imposita ad eum misisse, ita vt pœna planè respondeat culpæ.

In Israelitis. 12. Aggæi 1. legimus, tardos fuisse Israelitas in ædificanda & restauranda domo Domini, admoniti à Prophetis, vt huic rei strenuè incumbant, respondent: *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.* Interim summo studio, summisque sumptibus ædificant sibi ipsis ad habitandum domos, multo semine replent agros, & toti incumbunt temporalibus lucris. Quid tum Dominus? Illi se pigros, frigidos & quasi emortuos ostendunt in peragẽdis ijs, quæ sunt diuini cultus. Deus similiter omnem illorũ curam videtur repulisse, prohibet cælis ne dent rorem, terræ prohibet ne det germen, vocat siccitatem, & venit super omnem laborem manuum; seminarunt multum, tulerunt parum: respexerunt ad amplius, & factum est minus. Ecce qualiter incuriæ & negligentiæ Iudæorum respondeat, vt ita loquar, incuria & negligentia Dei: *Ponite corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum:* incumbite rebus ad cultum meum spectantibus, & ego studebo rebus ad vtilitatẽ vestram spectãtibus. Speculũ est Deus, quales nos illi, talis ille nobis.

13. Dum varijs premimur malis, dum grauamur infirmitate, dum vexamur rerum penuriâ, dum opprimimur inimicorum incursibus, &c. quot precibus, quot Litanijs, quot processionibus pulsamus ad diuinæ misericordiæ portam, & tamen quàm tardè exaudimur à Deo. *Quid mirum,* ait D. Gregor. li. 3. dialog. c. 15. *si postulantes tardè à Domino audimur, qui præcipientem Dominum, aut tarde, aut nullo modo audimus; sicut scriptum est: Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Sic ille. Tu non audis legem, vel præcepta diuina, an miraris quòd tardè à Domino audiaris? Sic solet Deus tarditate exauditionis, respondere tarditati, tuæ erga eum obseruationis. Speculum est, qualis tu illi, talis ille tibi. Tardè nos exaudit Deus, quia tardi sumus in exequendis eius mandatis.

Quid est quod Deus non audiat orationem tuam, & impleat in bonis desiderium tuum, nónne quia tu pauperem non imples, sed vacuum dimittis? Adstipulatur sanè D. Augustinus in Psal. 37. *Gaudeat,* inquit, *indigens de dato tuo, vt & tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, & eges tu: eget ille ad te, eges & tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui. Ergo impleto tu egentis inopiam, vt impleat Deus interiora tua.* Dormientem inducit Dauid Deum Ps. 43. dum dicit: *Exurge, quare obdormis Domine?* Nónne de eodem dicit Psal. 112. *Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Quomodo ergo dicit Deum obdormire? Respondet S. Basilius in Psal. 29. *Idcirco dormitantibus nobis, & pigrè agentibus, dormire dicitur Deus; indignos nos eius erga nos custodiâ iudicans.* Non incognita hæc veritas antiquis Ægyptijs, apud quos Sphinx pro diuinitatis erat symbolo. Quid precor Deo cum Sphinge? Sphinx anterius hominis, posterius formã gerebat leonis. Similiter, in Deo est quod ametur, & quod timeatur. Vis iam scire cur Deus imagine Sphingis exprimatur. Audi Clementem Alexand. lib. 5. strom. *Fortè autem quòd Deum oportet amare, & timere; amare quidem vt Sanctis benignũ, & propitium, timere, at vt qui sit impijs iustus inexorabiliter: Feræ enim simul, & hominis imaginem Sphinx significat.* Clem. Alexand.

14. In altera vita idipsum etiam contingere solet, vt Deus par pari referat, & pœna planè correspondeat culpæ, & quales nos proximo, talem se nobis exhibeat Deus. Luc. 16. Lazaro denegantur micæ cadentes è mẽsa diuitis. Quid deinde accidit? *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam* Quales nos Deo in hac vitâ, sic ille nobis in alterâ vitâ. Exemplum in diuite epulone.

linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Vides qualiter Abraham immisericordia, immisericordiæ & crudelitati respondeat diuitis epulonis: *Micas cadentes de mensa pauperi non dedit* (ait D. Chrysostomus epist. ad Cyriacum) *quid mirum si guttam aquæ non accepit. Desiderauit diues stillam*, ait D. Augustinus in Psalm. 25. *de digito contempti ante ianuam suam pauperis, quoniam vrebatur in flammâ, & ei non est data, quia iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.*

CHRYSOS.

In diuite quodam auaro.

15. Refertur de quodam diuite maximè auaro, quòd dum ad eum accessissent varij pauperes petentes eleëmosynam, ille pertæsus illorum querimonijs & postulationibus, digitos in proprias misit aures, eas obturando. Quid accidit? paulò pòst moritur, collocatur in loculo corpus, sistitur in templo, incipiunt cantare, *Requiem æternam dona ei Domine*: Et ecce mox figura crucifixi in altari collocata, manus eximens clauis, digitis etiam obturauit aures, sic in posterum perseuerans. Vide qualiter Christus obturatione aurium respondeat diuiti, qui aures pauperibus obturauerat. Speculum est Christus, qualis tu illi in paupere, talis & ille tibi.

In seruo illo nequam.

16. Recordare qualiter à Rege exceptus fuerit seruus ille, qui postquam à Domino receperat remissionem decem talentorum; conseruo suo, ob debitum centum denariorum, vim intulerat, penè suffocauerat, & in carcerem deiecerat. Quid illi tum Dominus? Legimus Matth. cap. 18. *Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Sapienter S. Basilius Admon. ad filium spiritualem: *Qualis*, ait, *cupis erga te esse Dominum, talis esto ipse erga conseruum tuum.* Regaliter verò Agapetus Diacon. Admon. ad Iustinianum Imp. ita eum instruit: *Talem te præsta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum esse. Prout enim audimus, audiemur; & vt respicimus, respiciemur à diuino cunctaque obtuente aspectu. Priores igitur nos misericordiam conferamus, vt pari par recipiamus.* Causam subdit: *Sicut exquisita specula tales monstrant vultuum apparentias, qualia ipsa sunt archetypa, nitidas videlicet nitentium, tristes autem tristantium: eodem pacto iustum Dei iudicium nostris actionibus assimilatur. Qualia enim quæ à nobis præstantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet.*

BASILIVS.

AGAPET.

17. Vis tibi Deum non esse loco speculi, & seuerum se tibi exhibere, sicut teipsum illi exhibes in proximo? Esto tu ipsi Deo pro exemplo, & speculo mansuetudinis & benignitatis; quòd quidem imitari tenebitur, cùm iusserit nos orare: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Te itaque remittente debitoribus, iam, vt planè decebat, ipsi Deo pro exemplo & speculo es, quod imitari tenebitur, tibi etiam tua ignoscendo & remittendo delicta, quæ in ipsum, proximumque tuum commiseras. Pulcherrimè in hanc rem Gregorius Nyssen. de orat. Domini orat. 5. qui citatis orationis Dominicæ verbis hanc putat subesse mentem: *Quemadmodum*, ait, *Deus bene ac rectè agentibus ad imitandum propositus est, sicut dixit Apostolus: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, ita vice versa, tuam affectionem Deo ad bonum pro exemplo esse vult, atque ordo quodammodo inuertitur, vt audeamus, quemadmodum bonum in nobis imitatione diuini nominis perficitur, ita sperate futurum, vt Deus nostra facta imitetur, cùm aliquid boni confecerimus, vt tu item ad Deum dicas. Quòd ego feci, fac: imitare seruum tuum tu Domine, pauperem & egenum, qui regnum vniuersarum rerum obtines, remisi debita, ne tu quidem exigas, supplicem repellere veritus sum, ne tu quidem supplicantem summoueas atque repellas, lætum & alacrem dimisi meum debitorem, talis item tuus fiat: ne tuum debitorem meo debitore tristiorem reddas? Solui, solue: dimisi, dimitte: magnam ego proximo exhibui misericordiam: imitare tu Domine serui tui humanitatem.*

Nos Deo debemus esse pro speculo & exemplo mansuetudinis.

GREGOR. NYSSEN.

1. Cor. 4.

18. Quoniam verò quis obijcere posset, maiora sunt tua in Deum, vtpote, mille talentorum, quàm conserui tui, in te debita, vtpote centum solum denariorum, ideoque non obligari Deum, vt te pro speculo sumat & exemplo, in tuis remittendis offensis? Tacitæ huic obiectioni sic occurrit Gregorius Nyssen. loco citato: *At grauiora mea in te peccata, quàm quæ hic aduersum me commisit: id ego non nego, atque hoc reputa, quantum excellas in omni bono: æquum est enim, vt virium tuarum excellentiæ, conuenientem misericordiam, nobis peccantibus, tribuas, exiguam humanitatem ego exhibui, non enim amplius capiebat natura: tua verò munificentia, exiguitate potentiæ non prohibetur, quin quantum velis, tantum largiaris.* Sic ille. Hanc materiam tangentia quædam adducuntur infrà enar. 6. sect. 9.

Si tu dimittas pauca proximo dimittit tibi millia talenta Deus.

NYSSEN.

Sicut granum synapis nigri est coloris; ita etiam Dominus Iesus.

SECTIO XXII.

Quòd Christus secundum externam faciem totus niger.

§. I.

1. GRanum synapis nigri est coloris, similiter si in Christo externam spectes speciem ac formam, nigri & obscuri prorsus est coloris. Si spectes Verbi in Virgine conceptionem, & formam illam serui, quàm purissimum, splendens, & rutilans illud aurum diuini verbi, pro hominum salute, suscepit, nónne meritò exclamaueris cum Ieremia in Threnis cap. 4. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Aptè & conuenienter D. Bernardus serm. 61. in Cantic. *Aurum verbum, aurum sapientia est, hoc aurum semetipsum decolorauit abscondens formam Dei, & formam serui prætendens.* Christus totus niger.

2 Si spectes illius natiuitatem, quid nigrius, quid obscurius? Isaiæ c. 53. de Christo legimus. *Ascendet sicut radix de terra sitiente*, id est, arida & squallida. Quænam hæc terra sitiens, nisi sacratissima Virgo, paupercula, misella, squalida, fabro desponsata, & qualis hæc terra, talis eius radix, talis surculus, nempe Christus pauper, abiectus, squalidus, & à Iudæis despectus. In natiuitate.

3. Si natiuitatis spectes circumstantias, quàm niger Christus. *Post miraculum* (inquit D. Augustinus serm. de Epiphan. apud D. Thomam in Cat. in cap. 2. Matth.) *Virginei partus, quo vterus diuino numine plenus, saluo pudoris signo, Deum hominemq́, profudit, inter obscuras cubiculi latebras, & præsepis angustias, in quibus infinita Maiestas, membris contractioribus stabulabat, dum pendet, ad vbera, & vilium patitur Deus inuolumenta pannorum, repente nouum de cælo sydus terris effulsit, & totius mundi dissipata caligine, noctem conuertit in diem; ne dies celaretur in nocte.* Sic ille. Expende singula verba. Non deest autem huic nigredini sua claritas & formositas, quanta enim claritas Virgineo nasci vtero, absque virginalis claustri detrimento; quanta claritas, fieri cum Angelo multitudinem cælestis exercitus, canentium: *Gloria in excelsis Deo, &c.* AVGVST. Non deest Christi nigredini sua claritas.

4. Quàm niger Christus, dum putatur filius Ioseph? *Sol iustitiæ* (ait Guilielmus de Virgine exponens verba illa Cant. 6. *Sicut aurora consurgens*) *niger videbatur, sicut saccus cilicinus, dum putaretur filius Ioseph.* Audi qualem de Christo homines forment sermonem Matth. c. 13. *Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon & Iudas.* Niger dum putatur filius Ioseph. GVILIELMVS.

5. Quàm niger Christus in circumcisione, dum tamquam peccator, circumcisionis asperrimæ legi sese submittit? *Nec vestigium habens*, ait D. Bernardus serm. 1. de circumcis. *vulneris, alligaturam non refugit vulneris. Quem nemo potest arguere, ipse peccati remedium, & verecundum pariter, & austerum, sine vlla necessitate suscepit. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est, se peccatorem reputari.* &c. serm. 3. de circ. *Ipsa die natiuitatis minoratus est ab Angelis, & habitu inuentus vt homo, hodie verò mirabilius aliquid audio. Iam minoratus est multò minus Angelis, qui non solùm formam hominis, sed formam habet peccatoris, & infigitur velut quodam cauterio latronis.* Et paulò inferiùs: *Si quo modo posset non agnoscere filium in quo ei bene complacuit, ex hoc maximè signo poterat ignorare eum. Inuenta in eo circumcisione, quam peccatoribus ipse prouiderat ob purgationem vtique delictorum.* Hæc D. Bernard. Non deest tamen huic nigredini sua claritas. Nam nomen Iesus, puero impositum, diuinitatem & maiestatem eius insinuabat. Significat enim Iesus Saluatorem, quæ significatio soli Deo conuenit, cùm secundum Psalmistam Psal. 3. & 59. *Domini sit salus*, & *vana salus hominis*. Proinde bene hæc coniuncta sunt ab Euangelista, vt diceret puerum circumcisum, & vocatum nomen eius Iesus. *Circumcisio*, ait Bernardus serm. 1. de circumcis. *veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen quod est super omne nomen, gloriam indicat Maiestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius, Iesus vocatur tanquam filius Dei.* Et serm. 28. in Cant. ad illa verba cap. 1. *Sicut pelles Salomonis. Habet, ait, & Salomon, nigredinem, sed in pelle. Foris niger, non intus. Intus, diuinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas: Sed tegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus vultus eius & despectus.* Niger in circumcisione. BERN. BERN.

6. Niger etiam Christus, in sua in templo oblatione. Quidam enim purificationem illam tam ad puerum, quàm ad Virginem referunt, adeoque pueros in die purificationis, simul cum matre, purgari solitos, vt qui in sordibus nati fuissent corporalibus, propter quas simul cum matre prohiberentur ab ingressu templi, cùm tamen puer Iesus è Virgine natus fuerit, totus purus, mundus, & à sordibus corporalibus, immunis. Non deest etiam huic nigredini sua claritas, dum suscipitur Iesus à beato In templi oblatione.

Simeone

Simeone in vlnas, vocatque eum, salutare Dei, ab ipso paratum ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, &c.

Præterea de Anna Prophetissa legimus: *Et hac ipsa hora superueniens confitebatur Domino*, id est gratias Domino agebat, extollens & commendans huius pueri excellentias, *omnibus qui expectabant redemptionem Israel.*

AVGVST. Hinc D. Augustinus serm. de natiuitate Christi sic eundem alloquitur: *Hæc sunt testimonia tua Domine, antequam tibi sternerentur fluctus maris, antequam ventus, te iubente, siluisset; mortui te vocante surrexissent; sol te moriente, palluisset; terra te surgente, tremuisset; cælum, te ascendente, patuisset; Adhuc in manibus matris portabaris, & iam Dominus orbis agnoscebaris.* Et D. Ambros. lib. 2. in cap. 2. Lucæ: *Virgo generat, sterilis prophetat, mutus loquitur, Magus adorat, vidua confitetur, iustus expectat.*

Tempore passionis & mortis. 7. Tam niger Christus tempore passionis & mortis suæ, vt Propheta Isaias Christum patientem & in cruce pendentem, considerans, & oculis fidei intuens, clamet: *Non est species ei neque decor, vidimus eum & non erat aspectus.* Cùm enim spinea corona totum eius caput vndique transfigeret, currebat sanguis, per eius faciem, quæ cùm esset alapis cæsa, & sputis coinquinata, & tota cruentata, & percussa, nullum habebat penitus decorem. Deinde quis referat quàm durissima illa flagella, carnem à planta pedis vsque ad verticem capitis, dilacerantia, eum fœdarunt & denigrarunt? Super omnia autem omni decore eum priuarunt durissimi claui, quibus Cruci fuit affixus, infamis illa in patibulo suspensio, ac ignominiosissima mors, quam in Cruce pertulit.

BERN. Audi D. Bernardum in serm. *Caput, ait, Angelicis tremebundum spiritibus, densitate spinarum pungitur: facies pulchra præ filijs hominum, sputis Iudæorum deturpatur: oculi lucidiores sole, caligantur in morte: aures, quæ audiunt Angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus: os quod docet Angelos, felle & aceto potatur: pedes quorum scabellum adoratur, cruci clauo affiguntur: manus quæ formauerunt cælos, sunt in cruce extensæ, & clauis affixæ: corpus verberatur: latus lanceâ perforatur: & quid plura? non remansit in eo nisi lingua, vt pro peccatoribus oraret, & matrem discipulo commendaret,* &c.

8. Pro illis autem Isaiæ cap. 53. verbis: *Et quasi absconditus vultus eius.* Vatablus legit, *Erit vt is, à quo, absconderet quis faciem.* Quasi talis Christus extiturus in passione, sic deformis, plagatus, disruptus, sanguine, liuoribus, sputis, sanie deformatus, vt talem incuteret horrorem, qualem oculi sustinere non possent humani. Tanta fuit Christi deformitas & nigredo, vt ipsemet, de hoc ipso admiratus, protulerit, se non esse hominem: nam si homo, impossibile, vt sic tractaretur. Vnde ait Psal. 21. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Non quòd humanam exuerit naturam, sed quòd vermiculi quodammodo superinduerit vilitatem.

Pro illis verbis. *Et quasi absconditus vultus eius*, vertit Pagninus: *Abscondebamus faciem ab eo.* Sed qualiter id verè dicere poterant, cùm antea dixerint: *Desiderauimus eum?* bene hoc Oleaster: *Non abscondebam faciem meam ab eo, quòd videre non cupiam, sed quia doleo videre eum, tam malè tractatum.* Legimus Lucæ 22. *Viri qui tenebant Iesum, illudebant ei cedentes, & velauerunt eum.* Cur quæso velarunt? *Quia*, vt ait Paulus à Palatio, *tam immunda & horrens erat vt nauseam eis excitaret, & sic sine fastidio, liceret eis ad libitum percutere.* Cur ergo ait Dominus, inquies Psal. 21. *Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me?* Sed vide quales hosce fuisse dicat paulò superiùs ipse Dominus. *Circumdederunt me*, ait, *vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Circumdederunt me canes multi.* Non tam homines quàm crudelissimæ feræ & & rabidi canes erant qui Dominum considerauere & inspexere taliter deturpatum & fœdatum. PAVLVS A PALATIO.

In persona Christi in cruce pendentis, ait Dauid Psalm. 21. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Cui putas aquæ se comparat Christus, an rosaceæ an ex herbis odoriferis distillatæ? vel quæ alicuius apud homines est pretij? Audi Iacobum de Valentia in hunc locum: *Sicut aqua immunda effunditur & proijcitur extra domum; ita ego fui effusus & proiectus super terram, tanquam inutilis & despectus. Filius erat*, ait D. Bernard. serm. 6. hebdom. Pent. *& factus est tanquam seruus. Non solùm formam serui accepit, vt subesset, sed etiam mali serui vt vapularet.*

Postquam Isaias cap. 53. descripsisset amaram Christi passionem subiungit: *Domine quis credidit auditui nostro.* In quæ verba sic Oleaster. *Tam ineffabilia & incredibilia sunt, quæ Dominus pro nostra salute passus est, vt Vates eius ea prædicare vereantur, timentes homines, fidem ijs, quæ dixerint, non habituros. Aduerte ad qualem humilitatem descendit Christus, vt videatur incredibilis, & Vates timeat eam enarrare quoniam timuit & nos non credere.*

9. Neque velim existimes, hanc nigredinem, & summam abiectionem, esse Deo indignam, absit; hæc enim ab eo in hominum salutem assumpta fuit, & ideò illi quàm maximè gloriosa, de quo sic pulchrè Theodot. homil. de Natiuit. Christi. *Noli detrahere abiectioni, quâ tyrannis diabolica est destructa. Noli exprobrare, quia cæsus est Deus palmis, per quas à peccatis homines liberauit. Non vincula Deo dicamus indigna, quibus vincula ferarum nequitiæ soluit. Noli vituperare crucem, quæ destruxit aras. Noli despicere clauos, quibus Christus orbem terrarum ad vnum sensum pietatis infixit.* Huc traho Tertull. lib. 2. in Marcion. vbi ait: *Deus non potuit humanos congressus inire nisi humanos & sensus, & affectus suscepisset, per quos vim Maiestatis suæ intolerabilem vtique* Hæc nigredo Christi maximè gloriosa, quia pro nobis assumpta. THEODOR.

humana mediocritate, humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria, & ita iam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum quàm salus hominis. Sic dum abiectio secundum se cõsideratur, indigna Deo est, vbi autẽ considerat ur vt necessaria saluti humanæ, iam Deo dignissima iudicatur. Quo respectu Christus crucẽ suam, glorificationẽ & clarificationẽ suam vocat. *Venit hora*, ait Christus Ioan. 12. *vt clarificetur filius hominis.* Vis scire qualiter perficienda hæc clarificatio? *Fuit* (ait D. Anton. de Pad. Sabatho in Ramis) *Iudæorũ sputis clarificatus.* Adeoq; quod in facie mulieris insigniter comptę efficiunt quidam pretiosi & dilucidi liquores quibus obducitur & maximè illustratur, id Christo præstitere Iudæorum turpia sputa, non tam faciem eius fœdarunt, quàm clarificarunt. Et vbi in transfiguratione Moyses & Elias loquuntur de excessu, id est, morte eius, alia littera habet: *De gloria eius*, Deo nihil tam gloriosum quàm nigricari pro hominum salute. Vide Baeza de Christo fig. t. 3. l. 7. c. 5. §. 24.

ANTON. DE PAD.

10. Imò si rem pensiculatiùs inspicias, non tam obscuratur hac nigredine humanitatis Christi, aurum illius diuinitatis, sed magis splendescit. Accipe Theodotum loco citat. *Si filius esset imperantis, potestati vtilitatem adscriberent, si legislatoris factus fuisset filius, præceptis vtilitatem adscriberent. Sed quid fecit? Omnia paupera & vilia elegit, omnia mediocria & plurimum obscura, vt diuinitas sola cognosceretur orbem transformasse terrarum.* Non enim alius quàm Deus per se solum, exclusis omnibus creaturarum adminiculis, hominem traxit, hominem redemit. Numquam Dei filius nudior & nigrior quàm dum cruci suffigitur: ibi omni splendore externo spoliatus apparuit, clauisque transfixus, ferit tamen vt homo nequam & rudis inter hæc eius acclamaret imperium. Ait enim latro Lucæ c. 23. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Et cur media tanta abiectione & nigredine, huius latronis acclamationem Dominus requisiuit? equidem sic manifestabatur apertiùs eius diuinitas, sufficiens per se sola sine externis adminiculis homini trahendo & redimendo. Ait D. Chrysostomus serm. de Latrone: *Non enim illo in tempore mortuum aliquem reddidit luci, nec mare à suo tumore compescuit. nec expulit dæmones: sed cruci suspensus, clauis affixus, omnibus subiugatus, dedecoris succũbens infamia, insultãtium derisione illusus: Latronis auersam mẽtem valuit commutare, vt ex omni parte eius diuinitas sentiretur.* Tunc magis Christi sentiebatur diuinitas quãdo in cruce nudus & niger, omniq; externo splendore destitutus adhuc ipse per se solum suffecit ad trahendum & saluandum latronem.

Aurum diuinitatis ex hac nigredine magis splẽdet.

THEODOTVS.

CHRYSOS.

Legimus Exod. c. 16. *Dixeruntque Moyses & Aaron, ad omnes filios Israel: Vespere scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti.* An ignotum poterat esse, nonnisi in manu Dei excelsa ereptos à dura Pharaonis captiuitate Israelitas? Quis enim dedit eis mare siccis vestigijs transire? an alius quàm Dominus? Vnde meritò dixerunt: Cantemus Domino, qui equum, & ascensorem proiecit in mare: Cur ergo dicitur eis: *Vespere scietis, quia eduxit vos Dominus de terra Ægypti?* Cur potiùs vespere deuenient in cognitionem Deitatis eos ex Ægypto deducentis? an quia coturnices exhibebit? adeóne res eximia coturnicum abundantia à Deo data, vt tunc Deus eripiens eos cognoscatur? nequaquam. Cur ergo vespere? In Euangelio sanè legimus Iesum horâ tertiâ post meridiem exclamantem expirasse, & tunc à præsentibus agnitum vt filium Dei. Nec mirum, quia tunc maximè ostenditur, cùm pro hominibus vespere magis exinanitus est. Rem attigit Origenes homil. 7. in Exod. *De hoc mihi respondeant, velim, Iudæi, quomodo ad vesperam agnoscitur Dominus; vbi Dominus agnitus est ad vesperam? Sed si vis ista intelligere, non potes nisi per Euangelium: Ibi audies terræmotum factum, monumenta disrupta, centurionem & milites, qui ad custodiam positi erant, dicentes: Verè filius Dei erat iste? Agnitus ergo est per hæc in vespera Dominus.* Et quidem numquam Deus magis exinanitus est, quàm in illo vespere, in quo suspensus in Cruce, animam pro nobis efflabat, & in illa exinanitione, & Deus agnoscebatur, & prædicabatur.

In vespera mortis potentia cognita Christi.

ORIGEN.

11. Quamuis etiam tam niger Christus, tamque deformis, non tamen ideò despiciendus; imò quia talis magis amabilis, magis desiderabilis. Legimus enim Isaiæ cap. 53. *Et desiderauimus eum despectum, & nouißimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem.* Ecce quando votis & desiderijs omnibus, dicunt sese prosecuturos Christum, nimirum cùm se exhibuerit virum dolorum, hoc est, quando fuit vndique doloribus obsitus, transfixus & plenus, vt ex doloribus, non nisi dolor, immò pelagus dolorum esse videretur, cùm nullum in eo esset membrum, nulla potentia, siue interior siue exterior, quæ proprium & peculiarem non haberet dolorem, quod explicans D. Thomas 3. part. q. 46. artic. 5. sic ait: *Christus secundum tactum fuit flagellatus, clauis confixus, secundum gustum felle & aceto potatus, secundum olfactum in loco fœtido cadauerum mortuorum appensus patibulo, secundum auditum lacessitus vocibus blasphemantium, & irridentium, secundum visum videns matrem, & discipulum, quem diligebat, flentes.* Quid mirum quòd talem amemus, quòd talem desideremus. *Quantò magis difformis nobis commendatur Christus*, ait D. Augustinus homil. 36. *tantò charior, tantò dulcior factus est sponsæ.* Nam vt idem ait D. Augustinus, *deformitas Christi te format, ille enim si deformis esse noluisset, tu formam quam perdidisti, non recepisses.*

Quamuis tam niger Christus, non tamen ideò despiciendus, sed magis amãdus.

THOMAS.

12. Nulla habet Dei omnipotentia instrumenta

Nulla efficaciora instrumenta habet Deus ad trahendum hominum animos atque sua nigredo & deformitas pro eis suscepta.

BERN.

strumenta magis efficacia ad attrahendos ad Christi amorem animos, quàm Christi nigredinem & deformitatem, pro hominibus, præsertim tempore passionis, & mortis suæ susceptam. Quid enim oculis animæ, fide illuminatis, pulchrius & amorosius obijci potest, quàm Dominus Iesus, totus niger, despectus & desiguratus, non alium ob finem, quàm vt ipsa formosa existeret & sine aliquo næuo atque rugâ. Ex quo deuotè D. Bernardus serm.28. in Cantic. *Expedit*, inquit Ioannes cap.11. *vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat. Expedit vt vnus pro omnibus denigretur similitudine carnis peccati, & non tota gens nigredine condemnetur peccati. Splendor & figura substantiæ Dei obnubiletur in formâ serui, pro vita serui. Candor vitæ æternæ nigrescat in carne, pro carne purganda. Speciosus formâ præ filijs hominum, pro filijs hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in Cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species neque decor, vt sibi speciosam atque decoram acquirat sponsam, Ecclesiam sine macula & sine ruga.* Idem serm.25. in Cantica, sic hanc ad rem pulchrè, *Vade*, ait, *ad sanctum Isaiam, & describet tibi qualem in spiritu illum viderit, quem namque alium dicit virum doloru, & scientem infirmitatem, & quia non erat ei species, neque decor? & addidit: nos putauimus eum tanquam leprosum & percussum à Deo & humiliatum, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus. Ecce vnde niger.* Et paulò inferiùs: *Niger planè, cui non erat species neque decor: niger, quia vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Denique seipsum fecit peccatum, & nigrum dicere verear? Intuere sanè pannis sordidum, plagis liuidum, illitum sputis, pallidum morte, & nigrum vel tunc profectò fatebere. Ergo formosus in se, niger propter te. Non habebat*, ait D. Augustinus tractat.9. in Ioannem, *speciem neque decorem, vt tibi daret speciem & decorem? quam speciem? quem decorem? Dilectionem charitatis, vt amans curras, currens ames. Pulcher es iam, sed noli te attendere ne perdas quod accepisti. Illum attende à quo factus es pulcher.*

AVGVST.

Christus numquam speciosior, quàm quãdo in cruce pro nobis sanguine madet.

CHRYSOS.

Vnde D. Chrysostomus serm.6. de pass. agens de causis quare pater ad mortem filium pro homine miserit, cùm solo verbo eum posset redimere: inter cæteras illam asserit primam, vt nobis augustior, vt pulchrior, vt amantior Deus appareret: *Primum quidem*, ait, *nobis intuendum. Rex quando gloriosior, quando indutus purpurâ, diademate decorus, aspersus auro, solio sublimis, ad pompam tamen non parat ire: sed hæc in secreto fiunt; an quando in campum conueniens, vultu, & honore vltimus, periculis primus, onustus ferro, grauis armis, pro patria, pro ciuibus, pro liberis, pro vita omnium premit hostem, discrimina despicit, contemnit vulnera, ipsam libens mortem suorum suscepit ad salutem: vt maiorem contemptu mortis, quàm de ipso hoste victoriam referat & triumphum.* Profectò, ait Sanctus, gloriosior, excelsior pulchrior, amabilior, quando ferro onustus in campum vadit, hostesque debellat; sic Christus numquam sic speciosior hominibus, ac quando in cruce, quando sanguine madens, quando vulneribus plenus.

Speciosus quidem vbique Christus, sed nusquam speciosior, quàm dum pro nobis sanguine perfusus. Lucius Florus describens Cæsarem Augustum vulneratis pedibus & manibus pugnantem, ait lib.4. cap.12. Saucius manibus & pedibus, speciosior sanguine. Idem affirmare possumus de Christo Saluatore nostro: vnde in illum lancea vulneratum intuens D. Ambrosius lib.2. de Spiritu sancto cap.3. exclamat: *Dominus Iesus in illo patibulo Crucis nec contritus emarcuit, nec auulsus euanuit, sed illa lanceæ punctione succisus speciosior fusi cruoris colore vernauit.*

LVCIVS FLORVS.

Tanta est pulchritudo Christi in cruce, vt illa quasi cor auferat & incantet animas.

AMBROS.

Tanta est Christo in Cruce pro hominibus pendentis pulchritudo & formositas, vt animabus fide viua illam aspicientibus totaliter cor auferat, & præ amore incantet atque dementet, vt verè & propriè in cantator animarum dici possit Christus, iuxta illud D. Ambrosij lib.4. hexam. cap.8. *Habet Ecclesia cantatorem suum Dominum Iesum, per quem Magorum incantantium carmina, & serpentium venena euacuauit, & ipse sicut serpens exaltatus deuorat colubros Ægyptiorum.* Dæmones scilicet, peccata, nostraque mala, infirmitates, passiones, mortem.

BERN.

Vis videre animas hac Christi nigredine & difformitate, tamquam aureis quibusdam telis suauiter vulneratas? Coniice in D. Bernardum oculos sic exclamantem serm.45. in Cantic. *Quàm pulcher es Angelis tuis Domine Iesu in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum, ante Luciferum genitus, splendor, & figura substantiæ patris, & quidem perpetuus, minimeque fucatus candor vitæ æternæ, quàm mihi decorus Domine mi in ipsa tui huius positione decoris; etenim vbi te exinaniuisti, vbi naturalibus radijs lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi ampliùs gratia radiauit.* Hunc etiam D. Bonauentura: *Magis in hac vitâ desidero, Domine, cum latrone tecum in Crucem ascendere, quàm cum Petro, Iacobo, & Ioanne in monte transfigurationis ascendere. Nam mihi magis placet ad præsens oculo mentis te videre consputum, quàm transfiguratum.*

Non habet Deus aptiora remedia ad emolliendũ hominũ animos atque sua in cruce nigredo.

3. Nulla etiam diuina omnipotentia aptiora habet remedia ad emolliendos peccatorum animos, eosque à peccatis omnibus cohibendos & refrænandos, quàm Christi, pro hominibus, in Cruce, susceptam nigredinem. Cuius cor, ô Domine Iesu, sese claudet proximo, qui tuum videt ferro transfixum? Cuius manus

nus ad malum sese extendent, qui tuas videt, pro nostris furtis, clauis perforatas? Cuius pedes ad malum current, qui tuos viderit tam crudeliter cruci affixos? Cuius corpus atque caro delicias exquiret, qui tuam videt proprio rigatam sanguine, atque verberibus plenam? Cuius os prophana, ludicra, scurrilia, & inhonesta effutiet, qui tuum videt felle & aceto potatum? Cuius oculi aspiciendis vanitatibus, erunt intenti, qui tuos sputo, & sordido panno, obductos & velatos aspiciet? Quis caput curiosè exornabit, quis crines calamistro, in cincinnos retortos aptabit, qui tuum cernit coronatum, & vndique perforatum spinis? Quis pompaticis induetur, quis vestietur purpurâ & bysso, qui tuam considerat nuditatem?

EVCHER. GALL. Eusebius siue Eucherius Gallican. epistola 2. de Symbolo expendens verba illa Lucæ cap. 23. *Nam si in viridi ligno hæc fiant in arido quid fiet*, grauiter adnotat, ideò post suam in cælum ascensionem, voluisse Christum, non solùm diuinitatem suam, sed eius prædicari Crucem, tormentaque proclamari, vt à peccatis, quando non mandata, eius deterrerent tormenta, vnde sic inquit, *ita & Dominus noster Iesus Christus, non solùm diuinitatem, sed etiam crucem & mortem suam, post, futuris sæculis voluit celebrari, vt à peccatis propter quæ moriebatur, non solùm nos Dei mandata reuocarent, sed illata pro nobis supplicia & vulnera deterrerent.* Immò, vt rectè Stephanus Cantuariens. in Allegorijs Gosfridi Tilmanni ad cap. 3. Sophon. vt peccatores erubescerent, pudoreque suffunderentur, talia pro ipsis passo, aduersari. *Accedat*, inquit, *& videat propter se mulctatum morte, turpatum Cruce, plagis liuidum, spinis coronatum, lanceâ perforatum, & esse aduersarius erubescat.* O vtinam hanc Christi nigredinem perpendant fideles, & terreantur à perpetrandis delictis, quibus quantum ex se est, denuò sibi crucifigunt, deturpant, & denigrant Dominum Iesum. Quare D. Bernardus sic eundem inducit pungentem ipsum peccatorem. *Nonne satis prope vulneratus sum? Numquid non pro iniquitate tua afflictus sum? magis me aggrauant vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.*

STEPHANVS CANTVAR.

Nigredo Christi oculis fidei aspicienda.

14. Verùm vt hosce fructus ex Christi nigredine trahas, non oculis carnis, sed fidei ille inspiciendus. Sic illum aspiciebat bonus latro, sic Centurio, vnde D. Bernardus serm. 28. in Cantic. *Nigrum sensus renuntiat, fides candidum & formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium, nam fidelium mentibus formosus valde. Niger est, sed formosus. Niger reputatione Herodis, formosus confessione latronis, Centurionis fide*, &c. Absque enim oculis hisce inspectus, nihil nisi scandalum, nihil nisi stultitiam in illo inuenies, vt pulchrè docet D. Ambrosius in illud Psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Crux Christi*, ait, *Iudæis scandalum, Græcis stultitia est. Scandalum est perfido; quia dicit Iudæus: Ergo hic Deus est, qui homo visus est, qui ieiunauit? Hic Deus est, qui vapulauit? hic Deus est, qui crucifixus est? qui de cruce descendere, & se liberare non potuit? Non te ista teneant, non te ista perturbent, non in animum tuum huiusmodi se inserant cogitationes. Crux opprobrium perfido, fideli autem gratia, fideli redemptio, fideli resurrectio est*, &c. Verè etiam S. Leo serm. 8. de passione. *Crux tua fons est omnium benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Et nonnullis interiectis: *Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi conuerteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos, grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium.* AMBROS.

Oculis fidei viuæ Christus aspiciendus.

15. Neque sufficit, vt videas Christum oculis nudæ & emortuæ cuiusdam fidei, nullo affectu pio, nulla charitate inflammatæ, hac enim ratione parum moueberis, vt eum ames, ob eius tormenta omnia detesteris peccata, sed planè opus est, vt oculo intellectus & fidei, accedat oculus affectus pij, & charitatis sinceræ. De priori enim oculo ait Christus Psalm. 30. *Qui videbant me*, nimirum *solo intellectus & nudæ fidei oculo*, *fugerunt à me & quod amplius est, ab eis, obliuioni datus sum tamquam mortuus à corde.* In quæ verba sic Hugo Cardin. *Clerici vident Dominum tota die in sacra Scriptura, sed tamen foras fugiunt ab eo, id est, ad exteriora temporalia fugiunt, ab eo qui non exteriùs, sed intus habitat, quia in pace factus est locus eius. Et mirum videtur quod dicit, quòd obliuioni datus est ab eis, qui vident eum. Quod enim videmus obliuisci non solemus. Sed hoc signanter dicit, quia videntes non vident. Videntes enim oculo intellectus, non vident oculo affectus*, &c. Deinde pendens verbum illud imperfecti temporis *videbant* sic ait: *Temporis imperfectio, visionis, quæ per fidem est, imperfectionem designat.* HVGO CARD.

Qua

Qua ratione Christus, etiam interiùs, maximè niger & obscurus, dici possit.

§. II.

Christus interiùs etiam totus niger.

1. NOn solùm Christus exteriùs, verùm & interiùs niger dici potest. Si enim niger coloris ac tristitiæ symbolum, nónne hoc colore semper in animo, tinctus extitit Dominus Iesus? hoc videtur insinuare sponsa dum sponsi capillos laudans fatur Cantic. cap. 5. *Comæ eius sunt elatæ palmarum, nigræ sicut coruus.* Si litteram spectes, insinuat sponsa, sponsum suum dilectissimum, subijsse mortem crucis, in flore ætatis, nimirum dum adhuc capilli illius essent longi, humeros, Nazaræorum more, perfundentes, crispi, vndelati, dum cincinnis retortulis, quos in fine exhibebant, discriminati, copiosi, multi, & densi, non autem pauci & rari, vt plerumque accidit illis, quibus flos & decor ætatis præteriit, vnde eos comparat elatis palmarum pulcherrimè, densè, coacervatè, cumulatè ac constipatè, ex ipsa palmæ summitate, crescentibus & exurgentibus, quibus miram conferunt pulchritudinem racemi dactilorum, illis inhærentes. Coma enim huius arboris in cacumine est teste Plinio lib. 13. cap. 4. & pomum est, non inter folia, vt in cæteris arboribus, sed suis inter ramos palmitibus racemosum, & hanc interpretandi rationem sequuntur Cassiodorus, Aponius, Philo, Carpathius, Beda atque Rupertus Abbas præter recentiores, qui per elatas palmarum accipiunt comas, ramosque palmarum, sunt enim hi rami, densi ac spissi, & insuper concinnati, nam ita vergunt deorsum vt in medio instar cincinnorum elatum quid exhibeant, vti tumulum quempiam. Vt autem indicaret sponsa, capillos sponsi nullâ canitie respersos, sed tales qui & florem iuuentutis illius pulchritudinem commendent, eos laudat à nigro colore, qui maximè tunc commendabatur in capillis iuxta illud Virg.

Comæ Christi cur comparentur elatis palmarum.

Coma palmæ pulcherrima. PLINIVS.

Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Dicitque capillos sponsi tam esse nigros vt corui nigredinem referre, & planè imitari videantur, animalia vtique quo nihil nigrius vel tenebrosius excogitari potest in rerum natura. In cuius pennis, id etiam maximè commendabile, quod non solùm sint nigricantes, verùm & insuper valde splendentes. Quàm nigri capilli, sint iuuentutis & floridæ ætatis iudicium, vel eo constat quod multi mentiantur floridam & vigorosam adhuc ætatem tinctis, nigro aliquo colore capillis. Vnde Martialis lib. 5. Elegiarum in Lentinum Eleg. 90. eandem vsurpans corui imaginem ait:

Christus passus in flore ætatis.

Mentiris iuuenem, tinctis Lentine capillis,
Tam subitò coruus, qui modò cygnus, erat?

Hæc de littera, ad spiritualem transeamus sensum.

2. Sponsa itaque volens insinuare, quales essent sponsi sui cogitationes, vota, desideria, atque consilia, ait: *Coma capitis eius, sicut elatæ palmarum, nigræ sicut coruus.* De cogitationibus enim Christi hæc verba posse intelligi affirmat Gislerius in hunc locum Expos. 4. *Per comam autem atque capillos cogitationes meritò significantur, quæ instar capillorum ex capite, id est, ex ratione pullulant. Triplex autem est potissimùm huius similitudinis ratio. Prima est, quia cogitationes, instar capillorum tenuissimæ, ac subtilissimæ sunt, quas propterea difficile admodum est syncerè discernere, ac diiudicare. Secunda ratio est. Quia cogitationes, quasi capilli, continuata quadam vicissitudine, & alternatis vicibus, in corde succrescunt. Tertia ratio est. Quia cogitationes ferè, vt capilli, superuacanei sunt in nobis, & ex rebus inanibus, quasi ex humorum fæce, generantur.* Sic ille.

In comis Christi nigris, intelliguntur eius cogitationes. GISLER.

3. Vis scire quales fuerint Christi cogitationes? *Sicut elatæ palmarum nigræ sicut coruus.* Singula expendamus verba. In primis: *Sicut elatæ palmarum;* quia sicut elatæ, versus sese erigunt cælum & ad superna semper tendunt: Similiter omnes Christi cogitationes altæ fuerunt atque sublimes. *Sicut exaltantur cæli à terra,* ait Dominus per Isaiam cap. 55. *sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris.* Existimat D. Chrysostomus libr. 1. de prouident. Dei, in his verbis respicere Dominum ad opus redemptionis humanæ, an altiores, an sublimiores posset concipere Christus, quàm vt moriatur pro peccatoribus, atque inimicis suis, vt sua morte illos reconciliaret patri, & promereretur illis vitam æternam? Sublimes sanè hæ cogitationes sunt, magis à nostris, exaltatæ, quàm exaltantur cæli à terra. Quando, precor, hominibus venit in mentem, vt mortem subire velint pro inimico, vt eundem à morte liberent, & immunem reddant? Quando, precor, hominibus subit cogitatio, vt extracto è propriis venis sanguine, velint, eodem curare, inimicorum vulnera, quibus sese sauciarunt, dum eos, tamquam infestissimi hostes, ad mortem prosequebantur?

Hæ cogitationes dicuntur similes elatis, quia erant altæ.

4. *Sicut elatæ palmarum.* Palma symbolum victoriæ ac triumphi; quoniam semper floret, & nullis ponderibus cedit. Quapropter victoriis, & triumphis consecrata est.

Quia erant victoriales.

Palma symbolum victoriæ atque triumphi.

Plutarc.

Quemadmodum docet Aulus Gel. libr. 2. noctiū Atticar. c. 6. vbi ex auctoritate Aristotelis, & Plutarc. ita scribit: *Si supra palmæ arboris lignum magna pondera imponas, actam grauiter vrgeas, & oneres, vt magnitudo oneris sustineri non queat: non deorsum palma redit, neque intra flectitur, sed aduersus resurgit, & sursum nititur, recuruaturq́. Propterea in certaminibus, palmam, signum esse placuit victoriæ: quoniam ingenium eiusmodi ligni est, vt vrgentibus, opprimentibusq́, non cedat.* Hæc Aulus Gel. ex Aristotele in problemat. & Pultarc. in lib. 8. conui. seu conuiual. Similiter Christi cogitationes victoriales sunt ac triumphales. Quæ cogitauit, opere compleuit, nō frustratus intento, non retardatus aliquo obuio impedimento, vicit & perrupit, quæ sese offerebāt, difficultates: nullis cessit malis, sed cōtra audentior ibat, donec pro voto, fælici omnia complebantur successu, Ps. 32. *Dominus dissipat consilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes eius in generatione & generationem.* Non sic hominum cogitationes, vota, & consilia; magna quidem moliuntur, magna proponunt, magna promittunt, sed mox omnia in auram leuissimam, & ventum desinunt.

Cogitationes Christi nigræ, quia humanæ rationi maximè obscuræ.

45. Quoniam verò cogitationes Christi tam altæ, tamque sublimes, planæ absconditæ à sensibus, humanaque æstimatione, & vix in alicuius mentem cadere posset, Deum pro hominibus crucifixum, ideo cogitationes hæ nigræ dicuntur, id est, humanæ rationi, maximè obscuræ, & ad penetrandum perdifficiles, iuxta illud Apostoli Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Cuius incomprehensibilitatis symbolum, tenebræ sunt, atque nigror, vt probat Dionys. lib. de cælesti Hierarchia ex illo Psalmi 17. *Posuit tenebras latibulum suum.*

6. *Sapientiam*, ait D. Paulus 1. Cor. 2. *loquimur non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiā in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo principum huius sæculi cognouit, sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligūt illum.* Quomodo enim cor hominis illud cogitare poterat? aut quando vnquam oculus tale viderat? aut auris audierat humana; Immò & audire poterat, Deū nempe propter homines crucifixum; quis vnquam tam audax fuisset, vt tale quid à Deo petere auderet? quis à supremo patre tale postularet? scilicet vt daret filium suū vnigenitum dilectum, eo modo, quo dedit. Vnde talis sapientia, & altissimus Dei modus, scandalum erat hominibus, absconditusq́ue, adeò vt si ipse spiritus talia nō enuclearet, impossibile esset vt crederent. Vnde de Apostolis refert Lucas c. 18. quod postquam Christus illis dixisset: *Ecce ascendimus Hierosolymā, & filius hominis tradetur, &c. Et illi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis.* Quoniam verò huiusmodi Christi cogitationes, licet hominibus obscuræ, nihilominus erant summa quadam diuinaque sapientia plenæ, & executioni mandandæ ab innocentissimo Christo, & omnis puritatis auctore, in cuius ore non est inuentum mendacium: huic eædem cogitationes capillis albis & candidis, lanæ mundæ similitudinem referentibus, comparantur à Ioan. in Apoc. c. 1. & à Daniele c. 7. niui assimilantur.

Quid tam humanæ rationi obscurum quā Deum propter homines esse crucifixum.

Christi cogitationes nigræ, quia erant de rebus maximè tristibus tolerandis.

7. Quoniā etiam hæ cogitationes Christi erant de patiendis varijs tormentis, de tolerandis varijs contumelijs, de sustinenda morte, quæ omnia planè iniucunda & tristia, & naturæ humanæ, non leuem mœrorem incutientia: Hinc comæ, id est, hæ Christi cogitationes dicuntur etiam nigræ; niger enim color symbolum est mœroris, tristitiæ, & luctus. Et quidem nigredine hac fuit obductus Christus, non solū tempore passionis iam instantis, cępit enim in horto tædere, pauere & mœstus esse; sed ab instanti suæ conceptionis, in quo cùm in sponsam accepisset humanam naturam, mox sese obtulit passionis doloribus, quidquid in illo instanti tractatur à filio Dei, eò tendit, vt passione & morte redimat sponsam. Huc accedit D. Bruno lib. de ornamentis Ecclesiæ c. 2. inquiens: *Processit igitur tanquam sponsus de thalamo suo: quia non solus, sed coniugatus, de Virginis vtero exiuit. In quo videlicet vtero Dei filius nuptias fecit, vxorem duxit, & priusquam nasceretur, humanitatem nostram sibi coniunxit. Exultauit autem ad currendam viam: quia vt hominem redimeret, & saluaret ipsam cum gaudio sustinuit passionem.*

Bruno.

Cogitationes Christi erant de tolerādis rebus maximè immundis & horrendis, hinc dicuntur nigræ sicut coruus.

8. Quoniam verò cogitationes Christi, votaque eius & desideria erant de tolerandis rebus maximè infamibus, immundis, maximeque horrendis, tamquam enim malefactor traditur Pilato, tamquam subuertens populum, & regnum rapiens, fitque pro nobis in cruce maledictum, vt nos à maledictione liberet. Hinc cogitationes istæ nigræ dicuntur, tamquam coruus, auis scilicet rapax, immunda, sordida, despecta, abominanda, & execrabilis.

Quamuis coruus contemptibilis est tamen symbolum solis.

9. Quamuis autē talis reputetur coruus, nihilominus rei pulcherrimę symbolum est apud Ægyptios, nimirum solis, idque ob duas præcipuè rationes; quarū prima, quòd sol radiis suis inducat nigrum colorē, præsertim in humana facie, vt patet in hominibus multum soli expositis, vel habitantibus in regionibus calidioribus, in quas sol directiùs vibrat radios. Secunda est, quòd solus coruus in mediis æstiuis feruoribus, contra naturam aliarum auium, ouat, & pullulat fœtus suos. Quàm bellè hæc conueniunt Christo. Quid tribulatio? quid persecutio? Nónne

Tribulatio sol quidam denigrans & decolorans.

Nónne quidam sol decolorans & exsiccās? Sanè tribulationem soli comparat Christus, dum Matth. cap. 13. infirmos in fide & virtutibus, assimilans herbæ in petrosis exortæ, dicit eos sole exorto, æstuasse & aruisse, id est, vt ipsemet declarat: *Facta tribulatione & persecutione, propter verbum continuò scandalizatos.* Ipsa quoque sponsa, suam volens excusare nigredinem, eam reijcit in ipsum solem; per Solem intelligens grauissimam, quam patiebatur, persecutionem. *Noli*, ait Cantic. 1. *me considerare quòd fusca sum*, & subnigra, quia hic color non mihi natiuus, sed aduentitius, & à sole grauissimæ tribulationis & persecutionis, inductus. Si sol symbolum tribulationis, quid Christo tribulatione familiarius, quid optabilius, quid delectabilius? Nimirum oportebat Christum pati, & sic intrare in gloriam suam, nobisque illam, mediantibus varijs tribulationibus, promereri.

Nihil Christo optabilius hoc sole.

Vnde de nulla re ipsi tam frequēs sermo atque de sua passione.

20. Nónne ex abundantia cordis os loquitur? Et quis sermo in Christi ore abundantior, quàm de futura sua passione? Tendit Christus Hierosolymam versus, cum discipulis, & quos miscet cum ijsdem sermones? *Assumpsit Iesus*, ait Luc. c. 18. *duodecim discipulos suos, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Et postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget.* Vis videre qualiter ad hæc anhelabat Christus? *Erant in via ascendentes Hierosolymam*, ait Marc. 10. *& præcedebat illos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant.* Non enim poterat continere gressum Christus, sed concitatiùs incedebat, patiendi desiderio, tamquam quodam stimulo punctus. O. quanta Christo cum sole persecutioni familiaritas, quanta necessitudo! Nos remis, velisque fugimus si pro Christo patiendi occurrat leuis quædam tribulatio: ille instar mystici corui, illâ delectatur.

Christus quantò nigrior, tantò fœcundior.

11. Iam verò, quando putas fideles, tamquam tot Christi filios, ab eodē fuisse enixos, & in lucem, vitamque spiritualem genitos? Quando putas Christum fœcunditatis paternæ, specimen præ se tulisse? Sanè quantò extitit nigrior, tantò fuisse inuenitur fœcundior. Niger planè, humilis, & abiectus Christus, dum formam serui assumit, dum carnem induit; sed forma serui indutus, quam non extitit fœcūdus. Huc spectans Ioan. c. 1. ait: *Dedit eis potestatē filios Dei fieri, his, qui credūt in nomine eius, qui nō ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbū caro factum est*, &c. Nota diuinissimam virtutem, & fœcūditatem, quâ filij Dei ex Deo parturiuntur. Et à quo venit tanta virtus pariēdi filios Dei? Explicat causam illud additū, nimirū: *Et verbum caro factū est.* Ex quo Dei verbum humiliando se, atque exinaniendo quasi nigrescit, diuinissimam Deitatis ostēdit fœcunditatem, in Dei filiis generandis. D. Chrysost. ibi: *Cùm dixisset ex Deo, & filios Dei factos, qui eum receperunt, tanti honoris causam adiecit: Quòd Verbum caro factum est & serui formam Dominus accepit. Factus est enim filius hominis dilectissimus Dei filius, vt filius hominis filios Dei faceret.* En quàm fœcunda Christi nigredo, paupertas, atque submissio; non vulgares, sed diuinos progignens filios. *Qui carnis paupertatem nostri causâ subijt*, ait Nazianz. orat. 20. *vt nos ipsius diuinitate locupletaremur.*

Dum in cruce totus niger moritur Christus, tunc ex latere infinitos progignit filios.

CHRYSOS.

NAZIAN.

12. Quando abundantiùs Christus percussus solis iustitiæ radijs, expetentis ab eo solutionem & satisfactionem, omnium delictorum nostrorum, quàm dum viuus, duos inter latrones, cum sceleratis deputatus, pendebat in cruce? Nónne tūc ex illius latere lanceâ percusso, generata est Ecclesia? Sic sanè contemplatur D. August. lib. 2. de symbol. ad Catech. c. 6. dum ponderat illa verba Pauli Ephes. 5. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Loquentem accipe: *Ascendat*, inquit, *sponsus noster thalami sui lectum, dormiat moriendo, aperiatur eius latus, & Ecclesia prodeat virgo. Et quomodo Eua facta est ex latere Adæ dormientis; ita & Ecclesia formetur ex latere Christi, in cruce pendentis, percussum est enim eius latus, & statim manauit sanguis & aqua? quæ sunt Ecclesiæ gemina sacramenta. Aqua in qua est sponsa purificata; sanguis ex quo inuenitur esse dotata. O magnum mysterium, de sponso sponsa nascitur, & vt nascitur statim illi coniungitur.* Sic ille. Vide D. Chrysost. hom. 3. ad Neoph. tom. 5. vbi quædam hisce sororia, inuenies.

Ex latere Christi generata Ecclesia dum in cruce moritur.

AVGVST.

13. Sicut mulieres, ait Ioannes Herolt. in serm. qui vulgo Discipuli inscribuntur ser. 64. habent quinque gestus quando parturiunt: sic & Christus eosdem habuit in cruce parturiens, & redimens nos per passionem suam. Primò vestes denudant propter dolores partus; sic Christus expoliatus, & denudatus est in cruce, vt nobis stolam gloriæ mereretur. Secundò, mulieres extendunt manus super capita, propter dolorem partus: sic in cruce brachia Christi tracta sunt super caput eius, quoniam extensis brachiis pependit in cruce. Tertiò mulieres parturientes naturaliter sitiūt: sic Christus in cruce sitim habuit, quando obtulerunt ei acetum ad bibendum cum felle mixtum. Quartò, quoniam mulier prægnans, & parturiens plena est doloribus, & præ angustia & doloribus, clamat: Sic Christus parturiens, in cruce clamauit præ dolore, ob cuius clamorem & dolorem petræ scissæ sunt, terra mota est, & sol obscuratus. Quintò, quia mulier parturiens caput inclinat.

Christus in cruce similis parturienti.

IOANNES HEROLT.

14. Sed qualiter se gerit erga fœtus & pullos ipse coruus, dum in mediis ęstatis ardoribus,

Christus se gerit erga fœtus suos

doribus,

instar corui, nimirum si albi sint coloris illos reiicit, si nigri fouet & educat.

doribus, eosdem parit & excludit? *Coruus*, ait D. Chrysostomus hom. de Elia Proph. *odit prolem suam, & natam non educat*. Causam reddit Isidorus: *Coruus, ait, pullorum suorum ora hiantia respicit, quibus cibum prius non ministrat, nisi cùm pennarum nigredinem, ad similitudinem coloris sui cognoscit: postquam nigrescere incipiunt, totis viribus eos pascit*. Consentanea sunt quæ scribit D. Gregorius 3. moral. 8. vbi sic ait: *Coruus editis pullis (vt fertur) escam planè præbere dissimulat, priùsquam plumescendo nigrescant; eosq; inediâ affici patitur, quoadusque in illis, per pennarum nigredinem, sua similitudo videatur*. Sic autem à parentibus derelicti pulli, dicuntur rore cælesti pasci, teste Cassiodoro, quamdiu beneficio ætatis, non habent nigras pennas. Augustinus & alij Patres, ad illa verba Psalm. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*, docent pullos coruorum interim dum à parentibus neglecti, fame tabescunt, muscis, aut culicibus præteruolantibus, viscoso humore, quem fame, & crebris vlulatibus, in rostrum mouent, adhærentibus, ali, & ab interitu vendicari. Vis scire quales agnoscat Christus pro filijs, quos fouet, educat, defendit? Non sanè illos, quos per sacramenta spiritualiter parit, sed qui cum ipso nigri sunt coloris, id est, qui pœnis, tormentis, & passionibus suis communicant: si quos viderit albescentes, id est, vitam lætam & delicijs plenam ducentes, nuntium verò labori, austeritati, mortificationi, ac pœnitentię remittentes, hos non agnoscit pro filijs, hos reijcit, hos repellit. Vide qualiter repellat discipulos, dum albi esse volunt, & mundanis oblectari honoribus, dum petunt, vnus dexteram, alter sinistram: *Nescitis*, inquit, *quid petatis*. Vultis à me foueri, vultis bonis & donis meis perfrui? Videte, an sat vobis sit animi, vt bibatis calicem, quem ego bibiturus sum, videte an participare & communicare velitis nigredini & passioni meæ; videte an participare velitis meæ nigredini, id est, humilitati, submissioni, & obedientiæ, & morti.

CHRYSOS.

GREGOR.

Nigrum decet esse Christianũ ad Christi imitationẽ.

Dum Christus totus est niger, id est, despectus, humilis, abiectus, & pro nostra salute varijs obnoxius passionibus? Christianus verò totus albescit, studet dignitatibus, studet delitiis, studet vanitatibus: quid aliud facit, quã nequaquã se induere Christo, qui propria est Christianorũ vestis, iuxta illud Pauli Rom. 13. *Induimini Dominum Iesum Christũ*. Et illud Gal. 3. *Qui in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Et illud ad Ephes. 4. *Induimini nouum hominẽ, qui secundũ Deum creatus est*. Sed repulso hoc proprio vestimento, induere se veste planè peregrina: & quid mirum, talem repelli à Christo; imò nisi resipiscat, damnatum iri. Audi Sophon. cap. 1. *Et erit: in die hostiæ Domini, visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina: & visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen*. Vnde D. Bernardus serm. 5. in Natali Domini. *Ipse enim nunc saluum faciet, non quoscunque, sed populum suum à peccatis eorum, & postmodum non omne corpus, sed corpus humilitatis configurabit corpori claritatis suæ. Denique populum suum consolabitur, vtique populum humilem, quem saluum faciet, nam oculos superborum humiliabit*.

BERNARD.

15. A proprio filio exegit Deus pater hanc nigredinem, vt frui posset æterna sua benedictione. Quando precor Iacob, licet vir innocens planè, atque mansuetus, potitus est Isaaci patris sui benedictione, nónne quando à Rebecca manus & collum obducta habuit hœdinis pellibus? Ita & Christus, licet planè innocentissimus, non aliâ viâ potuit, sibi & nobis, æternam acquirere cælestis patris benedictionem, nisi mediante prudentissima Rebecca, id est, sapientissima Maria, quæ illum induit hœdinis pellibus, id est, carne, quæ erat in similitudinem carnis peccati, id est, carnis peccatricis; vtpote, obnoxiæ varijs miserijs & doloribus, à peccato originem trahentibus. Vnde Alcuinus serm. de Nat. Virginis, memorans Rebeccæ, cuius astutiâ filius Iacob obtinuit à patre benedictionem, sic de Maria fatur: *Rebecca futurorum præscia, magnificandi filij manibus, pelliculas hœdorum circumdedit, & colli nuda protexit*. Quasi diceret, ô noua Rebecca à qua Vnigenitus Patris habitu inuentus vt homo, similitudinem carnis peccati accepit, quâ Patris benedictionem venatus, miro modo sese magnificauit, vt meritò sit & vocetur magnus filius altissimi patris.

Maria texit Christum pellibus hœdinis vt obtineat à patre benedictionem, & speret Christianus albis indutus vestibus eandem obtinere?

16. Vnde precor claritas & gloria ascensionis Christi, ad dexteram patris, nónne ex præcedente nigredine, pellibusque hædinis, id est, passionis & mortis suæ doloribus: *Vt enim*, inquit D. Augustinus in Ps. 109. *resurgeres, mortuus es; vt ascenderes resurrexisti: vt sederes ad dexteram Patris, ascendisti: ergo vt ad dexteram Patris sederes, mortuus es. De morte enim resurrectio, de resurrectione ascensio, de ascensione ad dexteram sessio. Hoc totum ergo capit à morte, excellentia claritatis huius, principium habet humilitatis, &c. Christus*, ait Tertullianus de corona milit. cap. 14. *fauos post fella gustauit, nec ante Rex gloriæ* (nimirum in sua ascensione) *à cælestibus salutatus est, quàm Rex Iudæorum proscriptus in crucem: minoratus primò ac modicum quid citra angelos, & ita gloriâ & honore coronatus*. Ergo oportuit Christum pati, nigrumque fieri, an mirandum, nobis, etiam planè necessarium, per variam nigredinem & malorum patientiam intrare in regna cælorum?

Ex pellibus hœdinis & nigredine omnis Christi claritas.

AVGVST.

TERTVLL.

17. Bruno Coloniens. Archiep. citat. à Tilin. in allegorijs, præfatam Iacobi historiam ad allegoriam vocans, & Christo accommodans, aliâ quidem, quam Alcuinus, incedit viâ, sed tamen à re, de quâ agimus, non alienâ, sic enim scribit: *Pelliculas hœdorum circumdedit manibus, hoc Rebecca fecit Iacob*,

BRVNO COL. EPIS.

Alia præfatæ historię allegoria ad rem spectãs de qua agitur.

cob, hoc multa sapientia Christo: venit ergo Christus hædorum pellibus inuolutus, id est carnis peccati similitudine vestitus, hoc enim primum fuit hominis indumentum, quando de paradiso expulsus est: tali igitur veste indutus venit Christus ferens secum duos hædos optimos, alterum pro peccato, alterum in holocausto, carnem videlicet & sanguinem suum; his enim & peccatum originale soluitur, & Deus ab indignatione placatur, hos autem hædos coxit Rebecca; quæ interpretatur multa patientia, hæc fecit quod Christus pro nobis se coqui & occidi permisit. Hæc ille. Tu quoque ô Christiane, si venari cupis cælestis Patris benedictionem, vestitus, non in similitudinem, sed verè, carne peccatrice, ad peccata omnia pelliciente: offer Deo duos hœdos optimos, carnem, scilicet, & sanguinem tuum, sed coctos multo variorum laborum & dolorum igne, hos debet coquere Rebecca, id est, multa patientia.

Vt color niger aspectum congregat & confirmat: sic nigræ Christi cogitationes confirmant spem nostram.

18. Præfatæ Christi cogitationes, de morte pro hominibus subeunda, nigræ etiam meritò dictæ. Nam vt color albus, aspectum disgregat, dissipatque, ita niger congregat, & confirmat. Quid tam confirmat & vegetat spem nostram, quam concipimus, de obtinenda æterna beatitudine, quàm Christi nigræ illæ cogitationes, de subeundis tot tormentis, pro hominum salute? Si oculos coniiciat peccator, in albedinem illam, & nitorem vitæ mundialis, & carnalis, in qua multo est versatus tempore, ô qualiter aspectus eius disgregatur, dissipaturque, qualiter conturbatur, qualiter oculi illius deiiciuntur, qualiter spes & salutis fiducia attenuatur & enervatur? verùm si ab hoc albo colore, deflectat oculos mentis, & coniiciat, in nigredinem illam Christi, pro hominibus susceptam, iam corroborantur, vegetantur, & in maximam salutis fiduciam eriguntur. *Curuatus sum, vsque in finem,* aiebat Dauid Psal. 37. vnde curuatus & planè animo consternatus? nimirum dum oculos vertit ad superioris vitæ delicias & voluptates. Quando autem taliter animo per terram reptauit? vsque dum in finem, id est Christum, oculos coniecit, & cõspecta nigredine passionis & mortis eius, eosdẽ corroborauit. Audi Ambr. ibi. *Curuatus vsque in finem, hoc est, vsque ad Christũ qui finis legis est, qui se passus est verberari, passus est corpus suum mortuum vulnerari, denique non tabes mortis de vulnere eius, sed fons vitæ scaturiuit æternæ.* Sic ille. Christus autem dicitur finis vt ait D. Augustinus tract. 55. in Ioan. *perficiens non interficiens, finis quousque eamus, non vbi pereamus.* Sic & D. Bernardus tract. de diligendo Deo, Christum vocat finem, non consumentem, sed consummantem; agens enim de impiis qui, *in circuitu ambulant* Psalm. 11. *Ambulant,* ait, *naturaliter appetentes, vnde finiant appetitum, & insipienter respuentes, vnde propinquerit fini, fini dico, non consumptionis, sed consummationis. Quamobrem non beato fine consummari, sed consumi vacuo labore accelerant: qui rerum magis specie, quàm auctore delectati, priùs vniuersa percurrere, & de singulis cupiunt experiri, quàm ad ipsum curent, vniuersitatis Dominum, peruenire.* Ecce qualiter ex Christo, siue ex illius verberibus & vulneribus, quibus denigratus, halitum & spem vitæ hauriat Regius Vates. Pro quorum salute maximos suscepêre homines labores, eos imprimis volunt esse saluos. Similiter Christus cùm pro hominum salute maxima, subierit tormenta, hoc illi quàm maximè in votis, vt salutem consequamur æternam, adeò vt non vltimus affectus, qui trahendus ex meditatione passionis Christi, sit affectus spei atque fiduciæ consequendæ ab eo vitam æternam, qui pro eadem tanta sustinuit tormenta, de quo affectu vide Rodericum part. 1. tractat. 8. cap. 10.

AMBROS.

AVGVST.

BERN.

Quòd cogitationes nostræ debeant similes esse cogitationibus Christi.

§. III.

Cogitationes nostræ debent etiam esse palmares, id est cælestes, terrena contemnentes.

VIdimus in superioribus, quales fuerint Christi cogitationes; illud restat, vt conemur nostras cogitationes, conformare cogitationibus Christi: quod vt assequamur, in primis comæ nostræ, id est, nostræ cogitationes debent referre similitudinem elatarum, id est, ramorum palmæ, qui cælum versus solent exurgere, & excrescere: vel si mauis, ipsius palmæ, cuius statura sublimis est, & in cælum exerta, iuxta illud Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.* In palma enim putat Philo Iudæus de vita Mosis lib. 1. adumbrari animam cogitationibus & desideriis sublimem, minimè ad terrena incuruatam, do illius verba: *Palma aspectu est pulcherrima, fructum quoque fert optimum, & vitalem vim habet, non in radicibus defossam, vt cæteræ arbores: sed in summo quasi corde sitam, in ramorum medio, à quibus circumquaque stipatur, ceu princeps à suis satellitibus. Cuiusmodi natura est etiam mentis, quæcumque sanctitatem degustauit. Solet enim hæc sursum spectare, & in sublimibus versari, occupata contemplandis diuinis pulchritudinibus, naucifaciens terrena, & hæc lusus reputans, illa seria.* Sic ille. Sic etiam conari debemus, vt cogitationes nostræ sint cælestes, rebusque cælestibus inhærentes.

PHILO IVDÆVS.

Hoc Christus maximè ambit, vt cælestibus inhæreamus.

1. Hoc vnicè Christo in votis, vt cælestibus inhæreamus, & à mundi cogitationibus & desideriis recedamus, iuxta illud Ioan. 14. *Surgite eamus hinc.* In quæ verba Grego-

NAZIAN. Gregorius Nazianz. orat. 16. sic scribit: *Hortatur, inquit, nos saluator, dicens: surgite, eamus hinc. Non eos tantùm, quos tunc discipulos habebat, ex illo dumtaxat loco transferens, quemadmodum quispiam fortasse arbitretur. Sed & semper, & omnes discipulos suos terra, rebusq; terrenis, ad cælos, & res cælestes pertrahens*, &c.

Eadem Christi verba referens Diuus AMBROS. Ambrosius libr. 10. de fuga sæculi cap. 1. cùm antea docuisset vnde nobis incidant vanæ cogitationes, sic scribit: *Frequens nobis sermo est de fugiendo sæculo: atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & sollicitus affectus. Sed quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites animoque volues. Quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Ad sæcularia nos reuocant cogitationes nostræ, mundana inserunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore quo eleuare paramus mentem, ad terrena plerumque deijcimus. Nam quis inter tot passiones huius sæculi, inter tantas illius illecebras, tutum ac intemeratum seruare potest vestigium? Omnia vanitas quæ in hoc sæculo sunt. Qui saluus esse vult, supra mundum ascendat: fugiat hunc mundum, terras relinquat, vnde nisi priùs homo fugerit, non poterit percipere illud quod semper est. Et ideo Christus Dominus volens Deo patri appropinquare, Apostolis dicit, Surgite eamus hinc.*

Christus Apostolos suos voluit esse tonitrua, id est, maximè à terra eleuatos.

2. S. Marcus cap. 3. de electione discipulorum Christi Domini, locutus, ait: *Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui.* Et cur filij tonitrui? vt sicut tonitruum voluitur in aëreo cælo, & sub se tremere facit terram; ita & ipsi, quàm maximè sint remoti à terra, in cælo conuersationem & cogitationẽ habentes, quosve terrena non moueant, vtpote quibus nulla ratione teneantur, sed à quibus terrena omnia contẽnuntur & conculcantur. *Quomodo*, dicit S. Ambrosius lib. 7. in Lucam, *possum esse filius tonitrui? Potes esse, si non in terra, sed in pectore Domini recumbas. Potes esse filius tonitrui, si te terrena non moueant, sed ipse potiùs ea, quæ terrena sunt, mentis tuæ virtute concutias, tremat terra, non capiat, vereatur potestatem animi tui, & concussa subdatur.*

Sancti toti sunt in cælestibus contemplandis.

3. Illa sancta quatuor animalia habebant facies & pennas extensas desuper, quia, vt D. Gregorius dicit homil. 4. super Ezechiel. *Omnis contemplatio sanctorum super se tendit, vt illud possit adipisci, quod in cælestibus appetit.*

4. Vnde sancti toti sunt in cælestibus cogitandis & quærendis. De S. Ludouico TIPOTIUS. Francorum rege legimus apud Tipotium in symbolis, eum in annulo suo exsculptum gessisse sceptrum obelisco impositum cum inscriptione: *Volo solidum, perenne.* Nihil enim terrenis rebus instabilius: Qua mente etiam quædam Nauarræ regina iussit sibi depingi heliotropium, siue florem solarem, etiam ipsum solem, dum in nubilo est, sequentem, cum subscriptione: *Non inferiora secuta.*

Cælestes erunt cogitationes si cælestia desideremus.

5. Cælestes erunt cogitationes, si cælestia desideremus, si cælestia quæramus. De asino syluestri, in quo Diuus Gregorius putat adumbrari sanctum virum, GREGOR. ait Iob capite 39. *Tabernacula eius in terra salsuginis.* Quæ sic ad tropologiam trahit idem sanctissimus Doctor. *Salsugo accendere sitim solet, & quia sancti viri quamdiu in huius vitæ tabernaculis degunt, ad supernam patriam desiderij sui quotidianis æstibus accenduntur, in terra salsuginis tabernacula habere perhibentur.*

Axa, symbolum animæ cælestia desiderantis.

6. Iosue cap. 15. legimus: *Suspirauit Axa, cui Caleb quid habes? at illa respondit; da mihi benedictionem, terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam. dedit itaque ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius.* Typum gerit Axa animæ sanctæ, lachrymas emittentis, ex attentu miseriæ nostræ, & peccatorum consideratione, & simul ex desiderio Dei, & æternæ vitæ contemplatione. *Irriguum superius accipit*, ait GREGOR. D. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 34. *anima, cùm sese in lachrymis cælestis regni desiderio affligit: irriguum verò inferius accipit, cùm inferni supplicia flendo pertimescit.* Quòd parum sit cogitare & cognoscere cælestia, nisi desiderentur & amentur, pulchrè docet Richard. Vict. in Psalm. 121. part. 2. fol. 111.

7. Quòd cælestes debeant esse cogitationes hominum & desideria, vel ipsa humani corporis, externa docet constitutio. *Idcirco*, ait Lactant. lib. 3. cap. 9. *soli animantium ad aspectum cæli erecti sumus, vt summum bonum nostrum in summo esse credamus. Ideo religionem soli capimus, vt ex hoc sciamus, humanum spiritum non esse mortalem, quòd Deum, qui est immortalis, & desiderat, & agnoscit.*

8. Sed latiùs hæc diffundentem accipe BASILIVS. Diuum Basilium homil. vlt. in hexam. *Tui corporis effigies rudimentum quoddam est, quo docearis, ad quem sis finem conditus, vt Deum contempleris, factus es, non vt humi repat vita tua, non vt pecudum victu voluptate perfruaris, verùm vt ad normam & institutum cælestis vitæ tuam ipsius componas, & hac gratia non inscitè dixit sapiens Ecclesiastes, sapientis oculi in capite eius. Cuiusnam oculi non sunt in capite? Atqui hic in capite, id est, vt ea contemplemur, quæ in sublimi sunt, nam qui non ad bona quæ in sublimi sunt, sed quæ in terra respectat, is vtique detrahitur defigit oculos in terram.* Sic Basilius. Cui in capite oculos habere, idem est atque sursum aspicere, & cælestia meditari, sicut è contra Gregorio Nyss. eius GREGOR. NYSS. fratri, dicuntur in calcaneo oculos habere, qui terrena aspicit & quærit. *Quando*, ait homil.

homil. 5. in Eccle. *perspiciendi & contemplandi vis in anima occupatur in rebus sensibilibus, in eius calcaneos oculorum transit natura, per quos aspicit quæ sunt inferiora, sublimium speculationem contemplationis, expers manens penitus.*

Qualiter philosophorum ad contemplandũ cælum fuerũt erectæ cogitationes. LACTAN.

9. Qualiter philosophorum, aliorumque gentilium, fuerint ad contemplanda cælestia, & ipsum cælum, erectæ cogitationes, quamuis ignorarent in cælo empyreo, Deum ipsum, tanquam summum hominis bonum, ab homine cernendum docet Lactantius lib. 1. cap. 20. *Aiunt*, inquit, *philosophi multò esse præclarius, & homine dignius, cælum potiùs, quàm cælata intueri, & hoc pulcherrimum opus, intermicantibus astrorum luminibus, tanquam floribus adornatum, quàm picta, & ficta, & gemmis distincta mirari. Sed cùm disertè ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, & ad cæli spectaculum excitauerunt, tamen spectacula hæc publica non contemnunt.* Ex illis vnum produco Senecam:

SENECÆ exemplum.

Dum oculi mei ab illo spectaculo, cuius insatiabiles sunt, non abducantur, dum mihi lunam solemq; intueri liceat, dum cæteris inhærere sideribus, dum ortus eorum, occasus, interualla, & causas inuestigare, spectare tot per noctes, stellas micantes, dum cum his sum, & cælestibus (quà homini fas est) immisceat, dum animum ad cognatarum rerum conspectum, tendentem, in sublimi semper habeam quantum refert mea quid calcem? Hæc Seneca consolat. ad Albinam c. 9.

Cogitationes cælestiũ ad quandam diuinam dignitatem ascẽdit. SENECA.

10. Ad fructum quod attinet, qui sequitur mentem, sublimia & cælestia cogitantem, is sanè permagnus est. Primò. Hac ratione ad diuinam quasi quandam dignitatem ascendit homo, iuxta illud Senecæ in præfat libr. 1. nat. quæstion. *Hoc habet homo argumentum diuinitatis suæ, quòd illum diuina delectant, nec vt alienis interest, sed vt suis.*

Se gratissimum reddit Christo.

11. Secundò, hac ratione se gratissimum & acceptissimum reddit Christo. *Vulnerasti*, ait Cantic. 4. *cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui.* Quis putas ille vnus oculus, ille vnus crinis, quibus suauiter vulneratur cor sponsi? Richardus Victor. in expos. Cant. Cantic. cap. 27. sic scribit: *Duo sunt visus, siue oculi, vnus quo superna contemplamur, alius quo transitoria atque terrena. Illum quo superna videantur saluator aperire venit sicut ipse dicit: In mundum hunc ego veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Pro hoc illuminando ad nos venit, vulnerum aperturam, & mortem sustinuit, vt lumen hoc nobis aperiret, & ad cognitionem salutis viuificaret. Vnde quantum oculum hunc amet, his verbis exprimit dicens: Vulnerasti cor meum: ac si dicat, O anima, quæ soror mea dici meruisti, ex quo carnem sumendo, me tibi fratrem feci, & quam sponsam elegi, cùm te mihi in amore, & voluntatis vnitate coniunxi, in eo, quòd æterna potiùs, quàm terrena oculis cordis vides, & quæris, tantum me lætificas & gratasis, vt amor tuus, cor meum vulneret, & nimietate sua penetret. Vnus crinis colli, est vnica cogitatio, & præcipua intentio, quà circa hoc laboras.* Hactenus ille.

RICHAR. VICT.

12. Tertiò vultis vobis non deesse temporalia bona? Primum quærite cælestia, & tunc terrena adijcientur vobis, quoniam enim primariò quæritis terrena, & secundariò cælestia, hinc & illis & istis priuamini, vt bene notauit Diuus Chrysostomus homil. 8. in epistol. ad Hebr. his verbis: *Omne studium in ijs quæ ad vitam hanc pertinent, euacuatur, de spiritualibus autem nulla ratio est, propterea terrena nobis pro voto non proueniunt. Christus quippe dixit: Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis, hæc in adiectionis parte, tamquam adiectitia dixit datum iri: nos autem ordinem peruertimus, petimus terram & bona terrena, quasi cælestia additionis loco dentur. Idcirco neque ista, neque illa habemus aliquando, & efficiamur futurorum desideratores, sic etiam ista sequentur. Etenim Abraham credidit Deo, quod reputatum est illi ad iustitiam, & insuper concessa rerum omnis copia.* Idem homil. 5. in cap. 2. Matth. *Qui veras diuitias & opes concupiscunt, ea quæ mansura sunt, potiùs eligunt, quàm illa quæ pereunt, huiusmodi enim præponunt magna paruis, & temporalibus sempiterna, fiuntq; digni qui vtraque percipiant. Qui enim cælum terræ amore contemnit, etiam ista profectò perdet, qui verò huic illud præponit, vtrisque, potietur. & multò certè certius, multoq; incundius.* Sic ille. Vide huc quædam spectantia apud Velasquez in epistol. ad Philip. cap. 2. vers. 15 annot. 2. Et apud Sherlogum tomo 2. in Cant. ad cap. 1. vers. 1. Sect. 4. Vide etiam Ioan. de la Haye in arbore vitæ in Genes. cap. 48. vers. 12. & 13. num. 31. tom. 3.

Cumulat similes Deus temporalibus bonis.

CHRYSOT.

Primum quærendum regnum Dei, postmodum cætera adijciuntur.

13. Et quidni primum quæratis regnum Dei, cùm illud minori labore, minori industria acquiratur, quàm comparari possint terrena bona? Quid enim non patiuntur homines terreni vt aurum accumulent, quas vigilias, nauigationes & pericula non subeunt. *Quantis sudoribus*, ait Diuus Hieronymus epistol. 2. ad Nepot. *hæreditas cassa expetitur, minori labore margaritum Christi emi poterat* &c. Sed esto quod pari labore comparanda cælestia atque terrena, quis non illa primùm quærat. *Quis non libentissimè*, ait Tertullianus in libro ad martyr. *tantum pro vero margarito habeat erogare, quantum alij pro falso.* Sæculi bona quæ terreni ambiunt vitreum sunt margaritum, fallax, & nullius pretij, cælestia verò bona, veræ sunt gemmæ. Nónne ille stultissimus censendus qui non tantum laboris velit impendere pro acquirendis cælestibus, quàm alij impendunt pro possidendis terrenis.

Si tantã erogamus pro falso, cur non idẽ præstamus pro vero.

14. Quod

14. Quod amplius est, demus, quod pro cælestibus bonis plus assumendum esset laboris quàm pro terrenis, an quid æquius, an quid rationi magis consentaneum excogitari potest? *Tanti vitreum*, ait Tertullian. loco citat, *quantum verum margaritum?* Certè si terrena bona à terrenis hominibus tanto æstimantur digna labore, cùm non nisi vitrea sint & falsa, quis non iudicabit maiori pretio emendum verum margaritum, id est, vera, solida, ac perennia vitæ cælestis bona.

Qui terrenis inhiant similes mulieri incuruatæ.

15. Vis scire quibus similes sint, qui terrenis inhærent, relictis cælestibus? Primò mulieri illi incuruatæ, de qua Lucæ 13. legimus: *Erat Iesus docens in Synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata nec omnino poterat sursum aspicere.* Fæmina hæc quæ inclinata in terram erat nec sursum aspicere omnino poterat, vmbra animæ est, quæ in res terrenas inclinatur, nec cælestia intuetur. Alligauerat fœminam Satanas, sic animam alligat vinculo cupiditatis, & peccatorum funibus. *Incuruatur anima*, ait Theophilus Lucæ 13. *quando ad terrenas tantùm curas vergit, & nihil cæleste vel diuinum secum concipit* &c. Diuus Gregorius homil. 31. in Euang. *Peccator dum desideria inferiora sequitur, à mentis suæ rectitudine curuatur* &c.

Gregor.

Similes Neroni.

16. Secundò, similes sunt Neroni, cui non leuis delectatio, non leue gaudium, aureo ligone fodere terram, cumque vellet secare isthmum Corinthiacum, vt refert Mensonius Dialogo de Nerone, eò proficiscitur, comitatus magnâ musicorum, canentium varijs instrumentis turbâ, manibus ligonem aureum gestans, quem cùm ad destinatum peruenisset locum, primus omnibus inspectantibus, terræ ad eam effodiendam, impressit. Quid precor anima illa ad Dei imaginem facta, quid mens nostra Dei similitudine obsignata, quàm aureum quoddam sceptrum, quàm regalis quædam virga, non nisi ad res serias, & cælestia extendenda? & quid agit homo peccator? sceptro illo aureo vtitur tamquam ligone ad effodiendam terram, ad cogitanda, ad aucupanda terrena. O stultissimum hominem. *Si calicem aureum inuenisset in terra* (ait D. Aug. epist. ad Licentium, eum pungens quòd licentiùs & immoderatiùs quàm par esset sese immisceret terrenis) *donares illum Ecclesiæ Dei, accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministras inde libidinibus & in illo sathanæ propinas teipsum.*

Similes Domitiano.

17. Tertiò similes sunt Domitiano, orbis imperatori, qui non armatos hostes, sed muscas consectabat. *Inter initia principatus* (ait Suetonius in vita Domitiani cap. 3.) *quotidie secretum sibi horarum sumere solebat, nec quidquam ampliùs, quàm muscas captare, & stylo praacuto configere* &c. Miraris imperatorem muscas captantem? Mirare quoque Christianum, res temporales, puncto præteruolantes, totis viribus consectantem.

18. Quartò similes sunt araneis, ita vt de illis dici possit illud Psalm. 89. *Anni nostri, sicut aranea meditabuntur:* Vt enim aranea inanem, fragilemque telam, ad muscarum capturam meditatur, & ad inutilem telam contexendam se euiscerat, atque exhaurit, ita nos iis quibus viuimus annis, aranearum telas meditamur, inaniis, negotiis inutilibus, pernitiosissque laboribus, vitam impendimus, vt muscas, id est, res caducas, breuique perituras, irretiamus, nosipsos euisceramus atque exhaurimus. Similes araneis.

19. Quintò, similes pueris, papiliones prosequentibus, quod dum magna contentione agunt, illis cursum nullum rectum tenentibus ipsi quoque vario fatigantur cursu, grauiter hinc inde cespitantes & impingentes, quibus dum potiuntur, non tamen eos magni faciunt neque ad aliud eis deseruiunt vsum, quàm vt commaculent manum: idem accidit hominibus bona magno conatu prosequentibus, dum enim illa venantur in quos non incidunt diaboli laqueos? Dum iam prædâ potiuntur, quàm parui eam faciunt, quam illa animam commaculant? *Temporalia bona*, ait D. August. serm. 22. de ver. Apost. *non cessant nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia, concupita inardescunt; adepta vilescunt, amissa vanescunt.* Similes pueris papiliones insectantibus. August.

19. Sextò similes sunt gallo gallinaceo, qui scalpit, & subuertit vnguibus sterquilinium, si autem inuenerit pulcherrimam margaretam, contemnit & negligit eam, si verò occurrat granum aliquod exæsum iam & putrefactioni proximum, illud auidissimè deglutit, similiter dum in sterquilinio huius mundi, laborat terrenus homo, omnia pertentans, vt vili terrenorum escâ possit exsatiare animam, in quot non incidit bonorum cælestium & diuersarum gratiarum margaritas, quoties se non offert, cælestis gloriæ acquirendæ, bona occasio? Quid tum ille? hanc negligit & contemnit, bona verò terrena magnâ diligentiâ, magnoque quærit labore, & dum inuenit auidissimè illa deglutit. Vis scire quid huius mundi terrena bona respectu cælestium? Audi Diuum Chrysostomum homil. 25. in epistol. ad Hebr. *Ignoras quia etiam si decies mundum, vel centuplum, vel decies millies, vel duplo potius ponas, neque minimo bono cælesti comparandum est.* Homo terrenus similis gallo, qui auidè deglutit granum, & contemnit margaritã. Chrysost.

21. Septimò, similes sunt iumentis insipientibus, cælum non suspiciunt, sed solum, huiusmodi erant iudices illi, de quibus Daniel cap. 13. *Declinauerunt oculos suos,* Terreni similes iumentis.

vt

vt non viderent cælum, neque recordarentur iudicium Dei.

Similes porcis. 22. Pudeat Christianum, iumentis sese similē reddere, dum oculos suos porcorum more declinat in terram. Vt oculum animę purgaret Christus, eumque ad cælestia eleuaret, homo factus pro homine in cruce mortuus est, & quam non infert tam sibi quàm Christo ignominiam Christianus, dum eundem oculum declinat in terram, qui ad celestia fuerat erigendus. D. Thom. *Voluit Christus*, ait D. Thom. opusc. 2. c. 28. *ostendere sua morte vt sic moreremur vitæ carnali, quòd spiritus noster, in superna eleuetur.* Satage ergo, ô Christiane, vt moriaris vitæ carnali. Satage vt oculum in superna erigas, pro quo illuminando & eleuando Dominus Iesus tanta passus est.

Sicut granum synapis acre & mordax; ita Christus se plurimis peccatoribus acrem & seuerum exhibuit.

SECTIO XXIII.

Quàm acrem Christus sese exhibuerit adulatoribus.

§ I.

Christus acer adulatoribus. 1. GRanum synapis, acre est & mordax: Talem etiam plurimis se exhibuit Christus peccatoribus: Imprimis verò adulatoribus, vt patet Matth. c. 22. dum Christo proponitur: *An liceat dare censum Cæsari, an non?* Duo quidem in Euangelio videntur inter se certare, malitia hominum, & bonitas Christi. Pharisæi excogitabant rationes & modos quibus Christum odiosum & inuisum redderent, condemnare, & occidere possent. Christus verò omnem mouet lapidem, & ansam quærit, vt eis benefaciat, & ad saniorem mentem transferat. Malitia Iudæorum in eo elucescit, quod mittāt discipulos cum Herodianis, vt caperent eum in sermone, dicentes: *An licet dare censum Cæsari, an non?* Et vt animum eius delinirent, captarentque eius gratiam aiunt: *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo.* Quę tamen mellitia interrogatio, non alium habet scopum, quàm illaqueandi Christum, & responso suo, sibi ipsi struendi secretam muscipulam, quâ irretitus, compararet sibi, vel odium populi, vel indignationem Imperatoris. Si dicat, soluendum esse censum, manifestam populi Iudaici concitabit in se coniurationem, ac mirum in modum eorum in se concitabit animos, liberam enim se populus ille existimabat gentem, liberamque Iudæorum esse rempublicam, tamquam ab Abrahamo proseminatam, atque deductam, solutio verò census, seruitutē & subiectionē præ se ferebat. Vnde etiam accidit quod Publicanorum nomen odiosum & infensissimum fuerit Iudæis, quorum munus erat, vectigalia hæc à Iudæis exigere, quo nomine tam malæ erant existimationis homines, vt etiam à communi mensa, & conuiuijs, bonæ famæ atque nominis homines, eos arcendos iudicarent, & Christo discipulisque eius vitio datum, quòd cum publicanis manducarent. Quapropter Tertull. lib. de pudic. putauit eos omnes fuisse Gentiles, quem S. Hieron. ep. 146. redarguit, exemplo ipsius Matthæi, aliorumque, qui ex circuncisione fuerunt. Iurisconsulti, qui Romanorum leges sunt interpretati, illos dixere esse Publicanos, qui vectigalia à fisco cōducunt, quorū munus erat, non tantùm vectigalia à subditis, sed & professionē exigere vt patet ex *Lit. vlt. D. de Public.* Eorum autem functionem fuisse apud Romanos honestissimam, quæ nec nisi Equestri ordini conferri soleret, patet ex varijs locis Ciceronis, & maximè ex epistola ad Quintum fratrem, de regimine præfecturæ Asianæ. vbi plura habet de dignitate & vtilitate Publicanorum, quamuis & addat, nomen eorum, non Iudæis tantùm, sed & Græcis fuisse infensissimum ac planè inuidiosum. Mittebantur porrò in Prouincias ad vectigalia exigenda, ij denique rursus ex ipsis Prouincijs homines sibi eligebant, quos eidem muneri adscriberent, qui item Publicani dicebantur, vt patet ex *d. L. D. de Public.* Cuius ordinis Matthæus erat & Zachæus, dictus Princeps Publicanorum, qui dicebatur Syriacè, *Res Gabbac*, cæteri verò Publicani *Gabbam*. Vnde fortassis deductum nomen gabella. In Hebraico verò textu Euangelij S. Matthæi, quod peruetustum habetur, Publicanos *Parisim* inuenimus nominatos, quod est proprium nomen illorum latronum, qui maceriam vel sepes dissipant ad furandum. Hac porrò appellatione Publicanos Iudæi nuncupabant, quod libertatis asylum viderentur effringere, atque ad securitatem aditum aperire, cùm ipsi genus Abraham, ex liberâ liberos se esse profiterentur, nec quicquam alijs debere nisi decimas Deo, legeque statutum esset, ne quis filiorum Israël vectigal penderet. Vnde quantumlibet inuiti ad vectigal & tributum soluendum adigerentur, exe-

Publicani qui dicebantur.

Tertul.

 crandum

crandũ tamen existimabant à cõtribulibus suis id exigi, & illos, qui ei muneri vacabãt, sicut & cæteras turpes personas, à magistratibus publicis arcebant. Ex quibus clarissimum euadit, quàm acerbum, implacabile & mortiferum vulgi in se concitasset odium Christus, si affirmasset licere hunc exigi censum, approbasset Publicanorum munus, atque statum, vt ipsam libertatem Iudęorum, quam etiam facultatum vitęque periculo, sartam tectam debere seruari iudicabant, quasi à fundamentis visus fuisset quasi conuellere & extirpare. Sin neget licere dare censum Cæsari, commotionis populi, seditionis, rebellionis, arguetur, & læsæ Maiestatis reus declarabitur. Sin tacet timoris humani, & pusillanimitatis eum insimulabunt, canem mutum declarabunt, & qui nesciat latrare.

Publicani maximè fallaces.

2. Ad declarandam rem aliquam vndique fallacẽ, & plenam periculis teste Claudio Paradino lib. de Symb. pingebant antiqui instrumentum quoddam bellicum, Murice, vocatum, compositum ex tribus quatuorve punctis, tali artificio dispositis, vt si in terram proijceretur, vna ex cuspidibus, cælum versus sese erigeret & promineret, supergredientium pedes transfixura. Cùm hac inscriptione, *Quocumque fallax*. Viuum sanè hieroglyficum, fallacis huius interrogationis & quæstionis, habet enim tres quatuorve cuspides acutissimas, quarum si vel vnam, respondendo, vel tacendo, tetigeris grauiter vulnerabit.

Quid intendant Iudæi dum Christum rogant: *Licet censum &c.* Ioach. Camet.

3. Hac sua interrogatione videntur intendere Iudæi, quod in fabulis referente Ioach. Camet. lib. fabel. p. 157. aliàs intendebat vulpes. Sustulerat coruus alicunde caseum, & cum illo in altam arborem ascenderat vulpecula quæ caseum concupijsset, ita illum adorta, callidè fertur: Cùm primùm formam atque nitorem pennarum, & laudes augurij commendasset: Planè, inquit, te summi Iouis volucrem esse dicam, si audiero etiam vocem, & cantum dignum reliquis virtutibus tuis. Coruus laudibus vulpis inflatus, clamorem edidit, quàm maximè posset. Itaque aperto rostro, delapso caseo, tanto desiderio expetito, fruitur vulpes, coruumque irridens, ait: Nihil tibi deest corue, præter cor. Fabula docet assentatores, & deridendos & comedendos alijs, vt Terentius ait, exponere eos, qui illis delectẽtur. Sic Pharisæi, simulato & callido animo, foris pleni blanditijs, intus pleni duplicitate, adulatorijs laudibus, animum eius demulcentes, Christum vel risui, vel implacabili odio, tum vulgi, tum Herodis, tum Cæsaris conantur exponere, si dicat censum dandum, vel recusandum. Qui fascino vtuntur, laudando necant arbores, sata, pueros: ita hi adulatores, laudando conantur Christum perdere, & internicioni tradere.

Pharisæi symbola adulatorum & falsorum amicorum.

4. Quàm pulchrè hi Pharisæi adulatorum, falsorumque amicorum, ac duplicium hominum gerunt imaginem. Antiqui volentes dare symbolum aliquod falsi amici: vt scribit Verd. de imagin. Deorum, pinum pingebant tantopere eleuatam, quantum ferret oculorum acies: verùm si quis sub vmbra illius requiescat, mox capitis dolore corripitur, pomaque super eum dimittit, quæ pondere & duritiâ suâ grauiter lædũt. Quid speciosius adulatore? Quid non amoris & beneuolentiæ ostentat; ac prę fert falsus amicus? Sed interim nisi cautè prouideas, quæ non infligunt vulnera? Considera quàm speciosæ pinus hi Pharisęi: *Magister scimus quia verax es*. Quanta promittunt hæ laudum lenocinia atque vmbræ? Si illis fuisset delectatus Christus, quot malis, quotque vulneribus, imò mortibus sese exposuisset? Quot durissima calumniarum, atque falsarum accusationum poma in caput Saluatoris cecidissent. Sed frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.

5. *Cognitâ autem Iesu nequitiâ eorum, dixit: Quid me tentatis hypocritæ?* Considera qualem se Christus ostendat hisce adulatoribus, durum scilicet; seuerum, acrem, &, si ita dicere liceat, mordacem.

Cur Christus tam seuerum sese ostendat hisce Pharisæis.

6. Verùm vnde tanta in Christo seueritas? Agens cum peccatoribus, meretricibus, publicanis, ostentat se suauissimum florem: nunc verò gerit se cum Pharisæis instar pungentis spinæ & vepris? Nónne de illius mansuetudine dictum. *Calamum quassatum non confriget, & linum fumigans non extinguet*. Quodque in omnibus rebus Christus incredibili mansuetudine ac lenitate vsurus sit. Adeoque quietè & attentè ambulabit, vt etiamsi super arundinem iam quassatam, quâ nihil fragilius esse potest, pedem ponit, eam non confringat? Et si super stuppam non omnino ardentem, sed tantùm fumigantem, non extinguat? Per incessum autem & deambulationem, ex Hebræorum idiomate, omnes vitæ actiones intelliguntur. Cur ergo huic vaticinio Isaiæ tam dissimilem se exhibet? Nimirum quia res ipsi cum adulatoribus, nocentissimo hominum generi. *Cum illi asperè*, ait Chrysostomus homil. 44. in Matth. *atque contumeliosè interrogant, mansuetè ac leniter respondet, cùm verò assentantur, tũc non mediocri vtitur acrimonia, omni se perturbatione superiorem ostendens: veluti enim tunc nullâ irâ concitatur, eodem nunc modo adulationibus non delinitur*, &c. Vis videre quã noceant adulatores?

Christus passim maximè dulcis & mansuetus.

Adulatores coruis similes. Cicero.

7. Adulatores coruis assimilat Cicero libro 1. de amicitia. *Vt corui inuolantes cadauerum oculos effodiunt, sic adulatores suis laudationibus rationem & mentem humanam corrumpunt*. Et Plutarchus in opusculis. *Corui mortuorum oculos corrumpunt, quàm iam eorum nullus est vsus; at adulatores viuorum animos perdunt, at animarum oculos excæcant*.

Laert.

8. Bias interrogatus: vt refert Laertius lib. 1.

Adulator maximè noxius.

lib. 1. cap. 6. quòd esset animal omnium maximè noxium? *Si de feris*, inquit, *percũctaru, tyrannus: si de mitibus, adulator.* Idem interrogatus, quænam bestia morsum haberet omnium nocentissimum? Respondit: *Si de feris interrogas: est obtrectator; si de mansuetis est adulator.* Nam obtrectator quidem præ se fert odium, adulator autem sub amici persona multò lædit grauius. Idem orationem blandam, non ex animo proficiscentem, sed ad gratiam compositam vocare solebat, melleum laqueum, quod blandè amplectens, hominem iugulet.

Adulatores similes Iudæ. AMBROS.

9. Adulatores similes Iudæ, qui osculo filium hominis tradebat, vnde D. Ambros. in cap. 22. Lucæ ad illa verba; *Iuda osculo filium hominis tradis*: sic scribit: *Amoris pignore vulnus infligis? Et charitatis officio sanguinem fundis? & pacis instrumento mortem irrogas, seruus Dominum, discipulus prodis magistrum? Electus auctorem?*

Similes phalangiis. CLEMENS ALEXAN.

10. Sunt huiusmodi adulatores adulatione sua nos exosculantes, quos tamen sæpe in corde odio prosequuntur, similes phalangiis. Audi Clem. Alexand. lib. 9. pædag. cap. 1. *Est autem aliud quoque osculum incestum, veneno plenum sanctitatem simulans. An nescitis, quod etiam phalangia, si ore tantùm tangant, graues dolores hominibus afferunt.* Est autem phalangium araneorum genus, maximè virulentum, quod ore carnem attingens, dolorem grauem immittit, ac virus transfundit, eiusmodi est os adulantis.

HIERON. Adulatores scintillæ diaboli.

11. D. Hieronymus super illud Prouer. c. 1. *Si lactauerunt peccatores ne acquiescas eis. Adulatores*, ait, *sunt hostes & scintillæ diaboli.* Ex quibus nimirum ignis superbiæ, vanæ gloriæ, & propriæ complacentiæ exardescit.

AVGVST. Nocet maximè lingua adulatrix. HIERON.

12. *Duo*, inquit D. Augustinus scribens in Psalm. 59. *sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium & adulantium, sed plus persequitur lingua adulatoris, quã manus persequentis* &c. Concinit D. Hieronymus super Psal. *Nihil est, quod tam facilè corrumpat, mentes hominum sicut adulatio, plus enim nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris.*

Adulatio quâ quis laudatur in peccatis pessima. BEDA.

13. Si tã noxia adulatio, quæ fit auiditate placendi, vel delectandi, quid de illa dicemus, quia in peccatis laudatur aliquis, vel excusatur? Pulchrè Beda super Luc. lib. 1. *Ipsa peccati nutrix adulatio, quæ sicut oleum flammis in culpa ardentibus, solet administrare fomentum*, &c. vt D. Augustinus scribens super Psal. 9. *Adulantium lingua, ligant homines in peccatis, delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator*, &c. Aptè D. Gregorius 18. mor. 3. *Sunt nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent, quæ increpare debuerant. Hinc enim per Prophetam dicitur: Væ illis qui consuunt puluillos, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Ad hoc quippe sub cubito puluillus, vel ceruical sub capite iacentis ponitur, vt molliter quiescat. Quisquis ergo malè agentibus adulatur, puluillum sub cubito, vel ceruical sub capite iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in eâ fultus, laudibus molliter quiescat.*

AVGVST.

GREG.

Qualiter obarmamur aduersus adulatores. Si adulatoribus te seuerum & nõ mollem exhibeas. PLINIVS.

14. Vis obarmari aduersus adulantium iacula? vis hac non infici peste? Primò, ad Christi imitationẽ adulatoribus te exhibe durum & seuerum. Cognitâ autem Iesus nequitiâ eorum dixit: *Quid me tentatis hypocritæ? Cupresso*, ait Plinius lib. 7. cap. 24. *non innascuntur cerasa, propter amaritudinem, nec buxo, propter duritiem*: Ita pestis adulationis, fugit seuera & tristia ingenia, mollia captat, & facilia.

Humilitate. GREG.

15. Secundò, humilitate etiam maximè præmunimur, aduersus adulantium pobis pestem. *Si cor veraciter humile est*, ait D. Gregorius 22. mor. 5. *bona quæ de se audit, aut minimè recognoscit, & quia falsa dicuntur, metuit, aut certè si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat, ne ab æterna Dei retributione sint perdita: pauet enim vehementer, ne spes futuri muneris in mercedẽ reputetur transitorij fauoris, quæ ex re agitur, vt electorum animus magno laudum suarum igne crucietur, atque ab omni torporis sui rubigine mærore cogitationis excoquatur: cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his in quibus laudatur, & non sunt, maius Dei iudicium subeat, aut de his, in quibus laudatur, & non competens præmium perdat.*

Quærendo non nostrã, sed solius Dei gloriam. GREG.

16. Tertiò, quærendo non nostram, sed solius Dei gloriam, maximè obarmamur aduersus blãdas adulantium voces. De quo sic D. Gregor. *Laus sua iustos dum cruciat, purgat; iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. Isti enim sua laude pascuntur, quia actoris sui gloriam non requirunt. Illi autem qui actoris sui gloriam requirunt, sua laude cruciantur.*

Si considères te habere tot irrisores, quot adulatores. HIERON.

17. Quartò, non capieris peste adulantium, si consideres te habere tot irrisores, quot haberes adulatores, vt bene docet Diuus Hieronymus epist. ad Rusticum: *Ne credas*, ait, *laudatoribus tuis, imò irrisoribus aurem ne libenter accommodes, qui quum te adulationibus fouerint, & cùm te impotentem mentis effecerint, si subitò respexeris, deprehendes post te colla incuruari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.*

Tam seuerũ se Christus exhibuit discipulis Iudæorum, vt eos ad meliorem adduceret frugem.

18. Subest & alia ratio, cur Christus sese tam durum & seuerum exhibuit hisce discipulis Iudæorum. Pro qua notandum hanc quæstionem de tributo Cæsari pendendo, Christo propositam fuisse à Pharisæis, feria quarta ante festum Paschæ, dum à Bethania Hierosolymam reuerteretur, quando arborem fici in via positam, quod fructum non inuenit in ea, arefactione & maledictione incussa ficui testari voluit. Christus Pharisæos, populumq; Iudæorum ob pertinaciam, innatamque malitiam percutiendos extremo exitio, ni seriò resipiscant, & conuertantur, fructumque fidei, ac bonorum operum proferant: nulla autem est conuenientior ratio ad ficum fructuosam reddendam, dum infructuosa est, ob humo-

humoris abundantiam, quàm si perforetur clauis, vt sic humor ille euacuetur. Quàm infructuosus Iudæorum populus, ac præsertim Pharisæi, idque ob humoris praui, id est, ambitionis, auaritiæ, inuidiæ, atque in Christum odij, ac indignationis abundantiam. Quid consilij vt humore illi liberentur, & fructificent? Clauis sunt perforandi, id est, terribilibus atque asperis verbis sunt tractandi. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Quid illæ comminationes, *Væ vobis Pharisæi,* ac toties repetitæ nisi claui, quibus corda eorum ad compunctionem vult pungere Christus? Quid hæc aspera responsio, *Quid me tentatis hypocritæ, ostēdite mihi numisma censu,* nisi clauus, quo cauterisatam eorum conscientiam configere nititur.

De denario Christo oblato.

19. *At illi obtulerunt ei denarium, & ait illis: Cuius est imago hæc, & superscriptio?* Moris Romanis fuit, vt pro ratione tributi, vel census, ab Imperatoribus numismata cuderentur, quæ sic à cæteris vsualis pecuniæ nummis differrent, quòd istorum pretium semper idem esset, illa verò, cùm mutaretur tributi quantitas, recèns ab Imperatore formarentur, grauioris vel leuioris ponderis, secundum rationem tributi, vel census, vt est huius rei insigne exemplum Alexandri Mammeæ apud Eluim Lampridium dum agit de vectigalibus publicis, ab eodem Imperatore contractis. In simili verò censûs numismate, solebat cudi Cæsaris imago, & superscriptio. Vnde Christus ostenso sibi census numismate, quem denarium fuisse affirmant Marcus & Lucas, modesto planè tributo, ait Pharisæis: *Cuius est imago hæc & superscriptio?* Dum autem affirmant, Cæsaris esse, infert Christus: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo,* nimirum, vt quæ essent à Cæsare profecta numismata, ad ipsum redirent: Quasi dicat, reddite omnibus debita, reddite hominibus, quæ hominibus debetis, reddite Deo, quæ Deo debetis? O verba, Christi ore dignissima! Si vnquam aliàs, in hoc Euangelio, Cedro digna locutus est Christus. Quid enim continent hæc verba, quàm totius vitæ Christianæ compendium? hæc facite & viuetis.

Cùm omnia à Deo acceperimus omnia etiam Deo reddenda.

20. Reddite, quæ sunt Dei, Deo. Nónne omnia quæ habemus accepimus de manu Dei? omnia ergo Deo reddenda, & in Deum referenda. Vide suprà hac enar. sect. 7. §. 5. num. 5. & seq.

Quòd Christus etiam consortia Pharisæorum, vtpote adulatorum, fugerit, ad mēsam verò cuiusdam Pharisæi accubuisse, vt reficeretur Magdalenæ lachrymis, quæ cùm esset nigra qualiter pulchra reddita fusè declaratur.

§. II.

1. NOn solùm Christus se durum & austerum exhibebat adulatoribus, verùm & illorum fugiebat consortia, conuersationem, & mensam. Nimirum illa eius actio, nostra est institutio, vt quàm maximè ab eorum abstineamus consortio, quos adulatores nouimus & duplicis cordis homines. Quis nostrûm non fugiat lupos? At Alphonsus Rex, vt notat Anton. Panorm. de rebus gestis Alphonsi l. 3. adulatores lupis haud absimiles esse dicebat. *Nam quemadmodum lupi titillando atque scalpendo asinos vorare, soliti essent: ita adulatores ad perniciem Principum, blanditijs simul & mendacijs intendere.* Quis non fugiat scorpiones? At teste D. Gregorio in Ezech. *Adulator scorpio est, qui palpando incedit, sed caudâ ferit.* Quis non fugiat apes aculeo armatas? Apem adulatoris hieroglyphicum ponit Eucherius teste Pierio lib. 26. vtpote quæ mel in ore habet, in occulto caudæ spiculum, atque ita homines qui linguâ blandiuntur, latenter verò feriunt, significare; loquendo enim mellis dulcedinem proponunt, re verò ipsâ, vulnus inferunt. Quis non fugiat hyænam? & quid adulator nisi hyæna. Rectè Plinius lib. 5. c. 2. Hyena vocem humanam imitatur, & nomen alicuius edicit, quem euocatum lacerat: Ita quidam obsequio blandiuntur, donec in perniciem trahant. Pulchrè etiam in adulatores quadrat, quod scribit Plinius lib. 5. cap. 2. *Hyæna sicut & Ichneumon, nunc mas est, nunc fœmina: Ita quidam sui dissimiles, nunc fortia loquuntur, nunc mollia, nunc Philosophi sunt, nunc nepotes, nunc amici, nunc inimici.* Quis non fugiat à pardo? at pardus est adulator. Nam vt ait Plinius lib. 8.

Fugiebat Christus consortia adulatorū.

Adulatores lupis similes.

Scorpionibus. GREGOR.

Apibus. EVCHER.

Hyænæ. PLINIVS.

Pardo. PLINIVS.

lib. 8. cap. 17. *Pardus odoris gratiâ allectans feras, inuadit, atque occidit, ita quidam blandiloquentiâ irretitos, fallunt ac perdunt.* Quis non fugiat à venenato melle, & læthali mulso? At tale mel, tale mulsum, adulator. *Vt nihil insidiosius*, ait Plinius lib. 21. cap. 13. *melle venenato, nam sunt quædam huiusmodi: ita nihil magis cauendum, quàm blandus hostis.* Quis non fugiat à patente sepulchro? at tale est os adulatorum. *Sepulchrum enim patens est guttur eorum*, ex quo mille fœtores exhalantur, in speciem quidem suaues, sed quæ latenter animas enecent. Quamquam & alia ratione adulator sepulchro patenti comparari possit. Nam Antonius Monachus in Melissa cap. de adulatione sic habet: *In adulatione velut in sepulchro, nomen tantùm amicitiæ inscriptũ est.* Loquitur autem, ni fallor non de sepulchris, vbi defunctorum cadauera deponebantur, sed de cœnotaphijs. Sunt autem cœnotaphia, sepulchra vacua, in quibus scilicet nullæ defuncti cadaueris reliquiæ suberant, tamen ad gloriam illius erigebantur ab amicis ac familiaribus, ac perinde defuncti nomen præferebant, ac si cadauer illius ibi lateret, quorum multa olim fuisse certum est. Videndus est Gruterus de funeribus. Ergo, ait Antonius, in adulatione veluti in sepulchro, id est, tanquam in cænotaphio, & vacuo tumulo, nomen amicitiæ scriptum est. Quasi dicat, sicut cœnotaphium sepulchri veri speciem offert, & defuncti nomen inscriptum habet, cùm tamen nihil illius ibi subsit. Ad eum modum adulatio amicitiam præ se fert (liceat sic dicere) ex superscriptione, amicitiam in animo adulatoris latere significat, cùm tamen vacuo, vt ita dicam, animo, nihil amicitiæ in illo deliteat. Non abit Psaltes ab hac sententia Psal. 5 vbi cœnotaphium quoddam planè descripsisse videtur: *Quia non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.* D. Hieronymus, *vacuum est*: Subdit: *Sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis dolosè agebant.* Diuus Hieronymus verò sic extulit: *Sepulchrum patens guttur eorum & linguâ suâ lenificabant.* Id est, adulabantur. Per sepulchrum verò patens, non apertum intelligo, sed quod exteriùs tale esse patebat, & speciem sepulchri exhibebat. Ergo ad hunc modum ore suo decipit adulator, quia amicitiam quasi altè defossam in animo esse, ore suo profitetur, & tamen inde longissimè abest.

Venenato melli.

PLINIVS.

Patenti sepulchro.

ANTON. MONACH.

HIERON.

2. Vis videre lupum qui titillando & scalpendo conatur Christum deuorare? Vis videre scorpionem, qui palpando incedit, & caudâ ferit? Vis videre apem habentem mel in ore, & in occulto caudæ spiculum? Vis videre hyenam euocantem quempiam, vt laceret? Vis videre sepulchrum patens, & in quo nihil quàm nudum amicitiæ nomen descriptum. Conijce oculos in Pharisæum illum, de quo D. Lucas cap. 7. ait: *Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se dicens: hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier quæ tangit eum: quia peccatrix est.* Ecce imaginem veri adulatoris, & falsi amici. *Adulator*, ait Hugo de Sancto Victore, *est amicus in obsequio, hostis in animo. Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo panem.* Ecce qualiter titillet & scalpet. Ecce quale mel in ore habebat; ecce qualiter didicerit nomen Christi, vt ad mensam suam eum euocet: ecce qualiter in eo nil nisi nudum amicitiæ nomen. Et vnde hæc constant, vnde hæc omnia patent? Nimirum quem sic exteriùs palpat, inuitat, & multis vrget vt cum illo manducet, in corde deridet, & vituperat, dum intra se dicit: *Hic si esset Propheta, sciret vtique*, &c. Quàm multi similes huic Pharisæo, videntur tibi vel proprium offerre cor, totumque animum, at interiùs gaudent tuo malo, & nihil non infausti tibi imprecantur. Similes hederæ, quæ arborem amplectitur, vt eam enecet: horum sanè consortio non delectatur Christus: *Rogabat Iesum quidam Pharisæus*, id est, importunè flagitabat, *vt manducaret cum illo.*

Personam præfatarum rerum quá bellè gerũt Pharisæi erga Christum.

3. Aliàs, nónne Christus, se non inuitatum, inuitat? Vidit Zachæum in Sicomoro, & ait: *Zachae festinans descende, quia hodie*, &c. Lucæ 19. *Et cùm viderent omnes murmurabant, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.* Nónne cor peccatoris, cor ambitiosi, auari, carnalis, plenum est spinis & sentibus, ita vt non inueniat Christus, vbi caput reclinet? Et tamen Apoc. 3. dicit: *Sto ad ostium, & pulso.* Nónne clamat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis?* Cur iam vult importunè rogari? Nimirum quia hic Pharisæus adulator erat, falsus amicus erat, duplici animo & corde erat, quos docet fugiendos. Numquam sanè domum Pharisæi fuisset ingressus Christus, nunquam accubuisset mensæ Pharisæi Christus, nisi sperasset se ibi reficiendum lachrymis fælicissimæ illius peccatricis, & satiandum illius plenariâ & perfectâ conuersione. Vix enim ingressus domum Pharisæi fuerat Christus, vix mensæ accubuit. Ecce, *stat retro*, nimirum vt pietatis, & non voluptatis, exhibitura Christo conuiuium. *Stans retrò*, pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lachrymis temperat in mensura, & ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui & corporis symphoniam, organi, planctibus dat clamorem, cytharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam, & dum pectus, ipsam conscien-

Cur velit rogari Christus ad prandium à Pharisæo, cùm passim sese ingerat peccatorum consortio.

Non fuisset ingressus Christus domum Pharisæi nisi præuidisset Magdalenæ conuersionem.

tiam arguens, sæpè percutit, fecit placitura Deo cymbala personare. Fercula illi apponit, quæ multò magis quàm Pharisæi cibos Christus appetebat: offert lachrymas, quas multò magis, quàm homines pretiosissima vina sitiunt, Christus sitiebat; hoc ergo lachrymarum potu, ac animarum cibo reficiendus, & satiandus Christus, venit rogatus ad domum Pharisæi.

Mira Magdalenæ conuersio.

4. Sed quis non miretur tantam, tamque insolitam huius peccatricis mutationem? Ante conuersionem erat nigra instar fuliginosi & rubiginosi lebetis: iam verò phialæ purissimæ similitudinem refert: antea & voluptatem & carnalitatem coruo meritò comparanda; nunc verò similitudinem refert columbæ mundissimæ, habentis pennas deargentatas, & posteriora dorsi in pallore auri. Ante conuersionem Æthiopissæ cuiusdam refert similitudinem; nunc verò pulcherrimæ lunæ refert imaginem. Quàm ante conuersionem nigra, demonstrant & apertè docent fœdi & nigerrimi illi colores, quibus depingitur à S.Luca: *Ecce mulier*, ait, *quæ erat in ciuitate peccatrix. Parum est dicere*; ait D. Gregorius hom. 33. in Euangelia ponderans illud peccatricis nomen; *vana, superba, immunda; vnum nomen est quod exponit omnia peccata*. Et ne existimemus D. Lucam nimirum & immoderatè extollere hanc illius nigredinem, D.Marcus c. 16. dicit illam, eam esse Mariam, de qua Dominus, septem dæmonia eiecerat. Gregorius loco cit. *Hanc*, ait, *quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat: illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia eiecta fuisse testatur*, &c. *Quid per septem dæmonia*, ait idem Sanctus loco citato, *nisi vniuersa vitia designantur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, rectè septenario numero vniuersitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ vniuersis vitijs plena fuit*. GREG.

Quàm nigra Magdalena. AVGVST.

5. Hinc passim SS. Patres nigerrima ei tribuunt epitheta & nomina. D. Augustinus tract. 48. in Ioann. eam vocat famosam peccatricem, D. Hieronymus in prologo super Oseam, eam vocat meretricem, & adulteram, adumbratam in illa, quæ apud Oseam c. 1. vocatur, mulier fornicationum, id est, omnimodè fornicationibus dedita, & omnibus immunditijs, infamibusque commercijs polluta, & alios ad eandem immunditiam alliciens & inescans. Chrysostomus autem sic de illa fatur: Lasciua, impudica, peccati serua, meretrix. Et homil. 62. ad pop. Credit Dominum de illa locutum cùm dixit Matth. 21. *Meretrices & Publicani præcedent vos in regno Dei*. Gregorius homil. 33 in Euangel. dicit quod fuerit omnibus peccatis plena. Chrysologus ser. 93. eam vocat: Ciuitatis peccatum. S. Cyprianus & ante eum Tertullian. de illa affirmant, quòd fuerit victima honestatis. Quorum mentem vt capias, sciendum, prædictos alludere ad sacrificium illud pudoris, quod Deæ Floræ immolabatur, de quo D. Aug. ep. 102. ad Nectar. Peragebatur autem illud à publicis mulieribus sese denudantibus, & coram omni multitudine, copiam corporis sui facientibus. De cuius sacrificij enormitate, sic D. Augustin. loco cit. *Illa Dea Flora, digna mater inuenta est, cuius ludi scenici, tam effusiore & licentiore turpitudine celebrantur, vt quiuis intelligat, quale dæmonium sit, quod placari aliter non potest, nisi illi, non aues, non quadrupedes, non denique sanguis humanus, sed multò scelestius, pudor humanus, tãquam immolatus intereat*. Sic ille. Quod verò super omnia Magdalenam nigerrimam & fœdissimam reddebat, erat peccandi consuetudo, vsus, & propositum, quæ omnia conuenienter exprimuntur, dum mulier peccatrix nominatur. Nam huius flexionis nomina, frequentatiuæ sunt actionis: sicuti meretrix dicitur mulier prostituta, aut semper merens, aut merendo parata. Vide Liran. in illud Is. c. 1. *Væ genti peccatrici*: id est, *peccato assueta*: sicut artifex, & arte parta. *Non dicit peccanti*, ait Paul. Burgensis in cit. locum addit. 2. *sed peccatrici, vt significet, actum conuersum in habitum*. Origenes, Rom. cap. 5. v. 19. *Peccator dicitur is, qui multa delinquendo in consuetudinem & (vt ita dicam) in studium peccandi iam venit*. Et postea: *Sicuti medicus ille non dicitur, qui leniter rupta capitis cuti scit imponere araneam, aut qui tumorem vulneris, aquâ calidâ fouerit: quamuis etiam hoc medicina esse videatur: sed is qui vsum & studium, ac disciplinam habet medendi. Ex quibus ostenditur aliud esse peccare, & aliud esse peccatorem*. Adde Magdalenam non solùm vsurpasse peccandi licentiam, sed etiam impudentiam. Ita vt illud D. Bernard. Ps. 90. ser. 2. de peccatore impudente illi conueniat: *Fit ei frons meretricis; & iam nec Deum timet, nec hominem reueretur, sed prædicat peccatum suum sicut Sodoma*. Exorta autem hæc illi nigredo, ex obliuione Dei, malorum consortio, fluminibus Babylonis degustatis, naturali pulchritudine, adolescentiâ malè institutâ, otio, saturitate panis & abundantiâ. Vidisti anterioris vitæ nigredinem, iam aspice posterioris vitæ pulchritudinem & claritatem. AVGVST. LIRAN. PAVLVS BVRGEN. ORIGEN. BERN.

Vnde iam tam formosa Magdalena, quæ antea tam nigra.

6. Tam pulchra iam est, atque formosa, tam pura & immaculata, vt vel ipsarũ virginum puritatem, ipsius puritas excedere videatur. *Non ampliùs*, ait Chrysost. hom. 6. in Matth. *peccatrix remansit, sed illico quauis virgine castior, verecundiorq́; euasit, Virgines quoque ipsas castitate superauit*. Sic ille. Non ampliùs peccatrix remansit, sed peccatoribus lucidissimum facta est pœnitentiæ speculum. *Omnibus*, ait D. Ambr. lib. 2. de pœnit. c. 8. *qui volunt veniam promereri, magisterium præstitit*. Non iam iacet in cœno & puluere peccatorum, verùm vt ait S. Chrysol. serm. 76. *Nunc in Ecclesia est sublimata fastigio*. Tota est immutata Magdalena, & quasi in alteram, CHRYSOS. AMBROS. CHRYSOL.

ram,

ram, à seipsa conuersi. vt bene expendit Chrysologus sermo. 74. Tangens enim illa verba Matthæi 28. *Venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum*, sic scribit: *Non dixit, venerunt, sed venit, sub vno nomine, venerunt duæ mysterio, non casu: Venit Maria & altera Maria. Venit ipsa, sed altera, altera, sed ipsa, vt mulier mutaretur vitâ, non nomine: virtute non sexu: & fieret resurrectionis nuncia, quæ internuncia & lapsus extiterat, & ruinæ.* Et idem Chrysologus sermone 75. *Maria & Maria, sic altera, vt ipsa: ipsa vt altera, altera ipsa Maria, Maria mater Christi.* Quibus posterioribus verbis insinuat, quasi matrem Christi factam iam Magdalenam, matremque omnium viuentium redditam vt clariùs exponit sermon. 74. dum ait, premens eadem verba. *Venit Maria, hoc nomen Matris est Christi, venit ergo Mater in nomine: venit mulier vt fieret mater viuentium, quæ facta fuerat morientium mater, vt quod scriptum est impleretur: hæc est mater omnium viuentium.*

Chrysol.

Idem.

7. Miram hanc in Magdalena mutationem, videtur ostendere voluisse Christus, dum ait Lucæ cap. 17. *Vides hanc mulierem*: quasi diceret: Non est ea quam existimas, & me ignorare dicis, imò tu eam ignoras, quia hæc non est, quæ fuerat.

8. Sed qualiter, inquies, fieri potuit vt Maria Magdalena ex Æthiopissa, ex coruo &c. potuerit in pulcherrimam lunam, in mundissimam columbam, &c. commutari? *Nónne* Diuus Hieronymus scribens ad Lætam de filiæ suæ institutione, ait. *difficulter eraditur, quod plures anni perbiberunt lanarum conchilia, quis in pristinum candorem reducet?* Fateor, vni colori, subinde succedit facilè alius quispiam, & facilè pannum flauum, viridem tinctura reddet: sed niger vix alium vllum amœniorem superbibit. Quomodo ergo quæ semel nigra, iam est formosa? Quomodo facta est ex lebete phiala, de vase contumeliæ, quomodo in vas gloriæ translata? Quomodo quæ aliàs coruo similis, iam assumpsit columbæ pulchritudinem, habentis pennas deargentatas, & posteriora dorsi in pallore auri? Fateor, superat hæc mutatio humanas quidem vires, sed neutiquam diuinas. Nouit Deus auferre coruo voracitatem, an non poterit ab homine tollere iniquitatem? Nullam rapacium volucrum sæpius cognominari legimus, quàm coruum edacem, voracẽ, famelicũ, polyphagum, & pamphagum, ad omnia nãque cadauera inhiat, seminibus vniuersis insidiatur, fructus arborũ persequitur, vermes ac pisces vorat, viuas etiam auiculas corripit; imò & pulli parentẽ inuadunt, præcipuè cum senio cõfectus, victũ quærere nequit, nec resistere. Et tamen Deus vt ostendat suo imperio omnes subesse creaturas, testeturque erga iustos suam prouidentiam, quoties voluit, vt corui rapacitatis suæ, naturæque obliti, proprio rostro cibos illos ministrarent? An non legimus 3. Regum 17. Eliam à coruis esse pastum, atque nutritum? Quod expendens D. Basilius eleganter obseruauit homil. in diuites auaros? *Auium rapacissimos, ac voracissimos coruos, cibum Heliæ attulisse, & qui alienis solebant escas inuadere, viro iustissimo ministros fuisse, naturæque quoque oblitos in pane carneq; afferẽdo, Dominico præcepto paruisse.*

Hieron.

Quomodo facta sit Magdalena ex lebete phiala.

Nouit Deus à coruo auferre voracitatẽ, potest etiam à peccatore auferre iniquitatem.

Basilius.

9. Auctor de mirabilibus scripturæ lib. 2. apud D. Augustinum, obseruat præceptum coruo, ministrari Heliæ, vt culpam in diluuio commissam purgaret in terra, & fieret fidelis minister eius, qui negligens & fallax antea fuerat Noe. Diuus Chrysostomus sermone in Eliam, sic admonitum Eliam notat, ne tanto filiorum suorum odio teneretur, quanto erga pullos suos corui, qui tunc veluti conuersi sint in misericordiam, ac tamquam hospites seruierint. Accipe illius verba: *Proinde*, inquit, *per patres illos* (nimirum coruos) *filiorum suorum osores apud Eliam, qui Iudæis, & filijs malæ frugis succensebat, Deus intercedit, quasi ad eum silenter ita diceret: Nec tanto Iudæorum filiorum tuorum odio teneare, quanto erga pullos suos corui, Ecce illi nunc conuersi sunt, vide vel eorum misericordiam, qui naturâ suâ sunt immisericordes & inhumani, illi ipsi vt hospites tibi obseruiunt. Absurdum est, ô Helia, quod apud te misericordiæ meæ patrocinentur corui, tu autem pro Iudæis, in quos sæuio ego, non intercedis; erubesce, & coruorum exemplo Iudæis esto clementior. Ego enim vt tua sententia honorem do, ita & illorum misereri velim: at Elias, cum Deo nondum crederet, alumni corui beneficium reuocatur, alia reconciliandi via quæritur, nempe vt fame victum, sententiam ipse soluere cogat*, &c.

Quàm coruus rapax fidelis in ministrando Heliæ.

Avgvst.

Chrysost.

10. Paulo Eremitarum primo, corui edacissimi voracissimique cibum comportarunt, vt testatur in eius vita Diuus Hieronymus? Præterea Sancti Vincentij corpus, cùm auidiùs corui cõcupiscant morticina, ab ijsdem tamen fuit custoditum, vt in illius refertur vita. Ecce rapacissima & voracissima corui natura, à Deo mutata, non poterit idem Deus immutare animam peccatricem, & ex auara, voraci, atque fœda, eam mitem, misericordem, pulchramque reddere?

Quàm coruus fidelis Paulo.

11. Puero illo Ægyptio, à Domino suo derelicto vsus est Dauid vt Amalecitas inuaderet & superaret, vt legimus 1. Reg. 30. Verus Dauid Christus Dominus, vt animas eruat à potestate dæmonum, & accepta spolia illis auferat, vtitur ministerio aliquorum hominum peccatorum, non tam ob cutis, quàm animi nigredinẽ, Ægyptijs comparãdorum. Non dubitat magnus ille populi Israelitici Ductor Moyses, Æthiopissam in vxorem ducere, quamuis obmurmurarent contra eum Iudæi; *loquebantur*, ait Scriptura Numer. 12. *contra Moy-*

Non recusat Christus animam instar Æthiopissæ nigram in sponsam assumere.

Moysen, propter uxorem eius Æthiopissam. Non dubitat etiam Christus animam instar Æthiopissæ nigram in sponsam assumere, vt ex illa multos spirituales generet filios.

Maria Magdalena reddita pulchra aspectu solis iustitiæ. AMBROS.

12. Vis scire qualiter quæ nigra per peccata, reddatur pulchra atque formosa? Primò, id contingit, aspectu solis iustitiæ, qui Christus est. Vnde D. Ambros. in Apolog. Dauid c. 8. exponens illa verba Cant. 1. *Nolite me considerare quòd fusca sum, quia decolorauit me sol.* Pro quibus ipse legit: *Nolite aspicere me, quia fusca sim, quia non est intuitus me sol,* sic ait; *Ergo fuscamur, quando non videmur à Christo, sed quando videmur, albescimus,* &c. Sicut sol expositam solaribus radijs flauescentem ceram, eam candidam reddit, lineaque omnia primo nigricantia, in niuis similitudinem dealbat; ita & Sol iustitiæ Christus, dum radijs lucis suæ tangit obscuras peccatorum mentes, eas candidissimas reddit. Quàm niger Petrus, Christum abnegans? Quàm niger Matthæus in telonio sedens? quàm niger Zachæus Princeps Publicanorum? Et tamen hi omnes percussi diuinis oculorum Christi radijs, formosissimi sunt redditi. Idem accidit Magdalenæ, postquam Christus misericordię suæ oculis eam aspexit, ex obscurissima facta est candidissima.

Item anteactæ vitæ displicentia. AVGVST.

13. Secundò, ex nigris, pulchros etiam nos reddit, anteactæ vitæ displicentia, & peccatorum nostrorum humilis confessio, vt bene docet D. August. scribens in Psal. 103. ad illa verba, *Confessionem & decorem induisti: Quaeris,* inquit, *pulchritudinem, bonam rem quaeris: Sed quare quaeris pulchritudinem, ô anima? vt amet te sponsus tuus; etenim displices ei fœda. Ille autem qualis est? Speciosus formâ præ filijs hominum. Osculari vis fœda pulchrum, sed non attendis, quia tu iniquitatibus plena es: Vis ei placere? Non potes quamdiu deformis es. Quid facies vt pulchra sis? Prius tibi displiceat deformitas tua, & tunc ab illo ipso, cui vis placere pulchra, mereberis pulchritudinem. Ipse enim erit reformator tuus, qui fuit formator tuus: Ergo prius attēde quæ sis, ne audeas ire fœda, in pulchri oscula. Et quid intuens, inquis, me videbo? Posuit tibi speculum, scripturam suam, legitur tibi: Beati misericordes, quoniam ipsi Deum videbunt: speculum in hac lectione propositum est, vide si hoc es quod dixit, si nondum es, geme vt sis: Renunciauit tibi speculum faciem tuam sicut speculum non sentiens adulatorem, sic nec te palpes. Hoc tibi ostendit nitor ille quod es, vide quæ es: & si tibi displicet, quære vt non sis. Si enim cum fœda sis tibimetipsi displices, pulchro iam places. Quid ergo? quoniam displicet tibi fœditas tua, incipis ei in confessione. Sicut alibi dicitur: Incipite Domino in Confessione. Primò accusa fœditatem tuam, fœditas enim animæ, de peccatis, de iniquitatibus. Accusando fœditatem tuam, incipis confiteri, à Confessione incipis decorari. Quo decorante, nisi speciosò formâ præ filijs hominum.* Sic ille.

Confessione. AVGVST.

14. Idem Augustinus exponens illa verba Psalm. 95. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius,* sic ad hanc rem conuenienter scribit: *Pulchritudinē amas? vis esse pulcher? Confitere. Non dixit, pulchritudo & Confessio, sed Confessio, & pulchritudo. Fœdus eras, confitere vt sis pulcher. Peccator eras, confitere, vt sis iustus. Fœdare te potuisti, formosum te facere non potes: Qualis autem est sponsus noster, qui fœdam amauit, vt pulchram faceret? Quomodo, ait, aliquis, fœdam amauit? Non veni ait, vocare iustos, sed peccatores. Quos vocas peccatores? vt remaneant peccatores? Non, inquit, & quomodo non erunt peccatores? Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Confitentur enim peccata sua, vomunt mala quæ auidè vorauerunt. Non redeunt ad vomitum suum, sicut canis immundus, & erit confessio, & pulchritudo. Amamus pulchritudinem, prius eligamus confessionem, vt sequatur pulchritudo.* Sic ille.

Quanta displicentia & quanta humilis confessio in Magdalena.

15. Si vitæ anteactæ displicentia, & peccatorum humilis confessio, inducit in anima pulchritudinem, vbi hæc abundantiùs & cumulatiùs inueniuntur, quàm in Maria Magdalena? Tam illi peccata displicent, tam fœdam se agnoscit, vt pudeat vel oculis Christi se exponere, sed stat retrò secus pedes, inclamat cum Regio Propheta Psalmo 43. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Et cum Esdra 1. Esdræ cap. 9. *Deus meus confundor leuare faciem meam ad te, quia iniquitates nostræ, multiplicatæ sunt super caput nostrum.* Et cum Manasse: *Non sum dignus oculum ad cælum leuare:* Ergo præ nimia peccatorum suorum displicentia & erubescentia non audet se oculis offerre Christi; sed stat à tergo, stat retro, nimirum in hoc obsecuta consilio Samuelis, ita populum Israeliticum exhortantis 1. Regum 12. *Vos fecistis vniuersum malum hoc, verumtamen nolite recedere à tergo Domini.* In quæ verba sic Diuus Gregorius: *In conspectu quidem Domini vel ante Dominum stare, & testimonium bonæ conscientiæ, de amore conditoris præsumere. Stant itaque in conspectu eius, quæ ex merito magnæ actionis, de superna conditoris sui gratia, securi sunt: Peccatores, cùm mala committunt, à facie Domini fugiunt, sed cùm redire pœnitendo deliberant, quasi post tergum Domini sunt, quia & discedere longiùs nolunt, & tamen præsumere de Deo, quasi amici non possunt. Quia pro commissis iniquitatibus semper erubescere debemus, & in quibus confundimur, deuitare. Samuel peccatoribus imperat, vt à tergo Domini non recedant.* Et in exemplum adducens Magdalenam sic scribit: *Hinc est, quod peccatrix mulier, retro stetisse dicitur, vt pedes, Domini deosculari mereretur. Retro etiam illa stetit, quæ fimbrias eius tetigit, & à fluxu sanguinis sui curari meruit. Retro quidem stat pro verecundia peccati, sed tangit per virtutem spei.* Sic Greg.

GREGOR.

16. Ter-

Pœnitentia.

16. Tertiò, ex nigris pulchros reddit homines pœnitentia. Emundatio, expurgatio, ac dealbatio, communiter tribuitur duobus elementis, nempe igni & aquæ. Ignis expurgat aurum & argentum. De quodam genere lini scribit Plinius, quod igne non consumatur, sed expurgetur. Ex amianto lapide texuntur telæ, quæ si sordescant, igni & flammis iniectæ, emundantur, affirmatque Plinius lib. 19. magistrâ experientiâ id sibi compertum fuisse. De fulmine referunt naturales, quòd quando quid tangit, quod venenatum est, illud expurget ab omni veneno. Carbones autem nigros, vi ignis fieri candidos, quotidie experimur, fornacibus, in quibus coquuntur vitrea vasa, videmus lapides subnigros, in alios commutari. Ignem, qui præcedet iudicij ignem, scimus emundaturum totum terrarum orbem. Quod in igne prodigiosum, in aqua communissimum. Quid enim aquæ tam proprium quàm emundare & expurgare? Hisce duobus elementis assimilatur pœnitentia ob vim, quam habet emundandi, expurgandi, & dealbandi, nigras, vel sanguine peccatorum infectas animas, iuxta illud Dei per Isaiam cap. 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Coccus est granum tinctorum, quod arbusto cuidam annascitur, de quo Plinius lib. 9. 41. & lib. 16. 8. & Dioscorid. lib. 4. 43. in hoc grano innascitur vermiculus quidam paruus, rubicundus & odoratus, qui è grano prodiens, vino albo forti inspergitur, arescit & in puluerem confunditur, infectorium & rubricantem pannos, qui inde coccinum vel coccinei dicuntur: sicut sanguine piscis, qui purpura dicitur, panni tincti sunt & dicuntur purpura vel purpurei. Porrò color hic, præsertim iteratus, siue dibaptus & bis tinctus, pertinax est, fulgidus & radians. Vnde Silius lib. 17.

Hæc assimilatur igni & aquæ ob vim expurgandi.

Si fuerint peccata quasi coccinum quasi nix dealbâtur per pœnitentiam.

17. *At contra ardenti radiabat Scipio cocco.* Vult ergo dicere: Si peccatis vestris, primam candidam innocentiæ stolam, quasi rubeis cruoris maculis, fœdaueritis, quin & alios, quasi vermiculus cocci, iisdem infeceritis; pœnitentiam agite, vitam commutate, bona opera facite, & mox peccata omnia velut nix & lana candescent, id est, prorsus eluentur & condonabuntur, vosque pro tinctura nequitiæ, inquit Chrysostomus, recipietis primam vestem gratiæ, & iustitiæ stolam candidam & splendidam. Aduerte hic. Lana, si semel coccineum succum biberit, elui & dealbari naturaliter non potest: Deus autem animam quæ peccata ebibit, ab ijs planè illam purificat, ita vt nullam peccati cicatricem aut vestigium relinquat, quod in vulnere curando nullus facere potest medicus, inquit S. Chrysostomus hom. 80. ad popul.

18. Vis scire vnde pœnitentiæ tanta vis dealbandi? Nimirum ex sanguine Christi, qui hanc illi tribuit vim & efficaciam: nihil autem tam proprium sanguini Christi, agni immaculati, quàm animas à peccatis expurgare & emundare. Vnde etiam Tertullianus lib. 4. contr. Marc. cap. 10. citata Isaiæ verba, *si fuerint peccata vestra sicut coccinum*, de Christi sanguine interpretatur: *In coccino*, ait, *sanguinem Domini ostendit.* In Christum oculos conijciens Iacob, eumque in Iuda filio suo præfiguratum volens, sic de illo prophetat Genesis cap. 49. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Non vino naturali dealbantur stolæ, verùm vino mystico sanguinis Christi, ea virtus est, vt eius dealbet stolam, id est, emundet suam Ecclesiam, quæ secundum Origenem, Christi stola & vestimentum est. Nónne legimus Apocal. cap. 9. sanctos stolas suas lauasse & dealbasse in sanguine agni? Vt autem esset quædam proportio inter naturam & gratiam, dedit ipsa Dei prouidentia, sanguini alicui, particularem vim emundandi. Referunt enim medici, cuidam sanguini eam inesse vim, vt si sordidæ telæ illo tingantur, instar saponis illas emundet: Medicos consuluisse Constantino, vt ex sanguine infantium sibi balneum pararet, quo à leprâ curaretur, notissimum.

Pœnitentiæ tanta vis dealbandi ex sanguine Christi.

TERTVLL.

Christi sanguini inest vis dealbandi.

19. Per pœnitentiam, nigros peccatores, etiam in pulcherrimas gemmas, conuerti, docet Blasius Viegas scribens in Apocal. cap. 8. com. 1. sect. 4. vbi expendens quod ait Isaias c. 6. ad se volasse vnum de Seraphim, habentem in manu calculum, quem forcipe tulerat de altari holocausti, quod symbolum esse dicit pœnitentiæ & mortificationis, atque os suum tetigisse & mundasse, docet iuxta mentem D. Hieronymi, per calculum accipiendum esse carbunculum, gemmam pretiosam. Deinde format hanc interrogationem: Meritò aliquis quærat, quomodo ignis illius altaris poterat nutriri carbunculis, gemmisque pretiosis, cùm gemmæ non sint aptæ ad nutriendum ignem? Cui dubitationi sic respondet: In illud quidem altare, non carbunculos & gemmas ad ignem nutriendum immissas fuisse, sed coniectos carbones, qui tamen ab igne altaris in gemmas conuertebantur. Itaque qui carbones iniecti fuerant, carbunculi & gemmæ prodibant, ad vim nostri altaris holocausti, pœnitentiæ scilicet exprimendam, cuius vi planè diuina & admirabili peccatores instar carbonum frigidi, nigrique suorum scelerum ac flagitiorum turpitudine, in carbunculos gemmasque euadunt pulcherrimas, fiuntque pretiosi lapilli, siue per charitatis ardorem carbunculi, siue per castitatem sma-

Per pœnitentiam nigri peccatores in pulcherrimas gemmas conuertuntur.

BLASIVS VIEGAS.

Tttt ragdi,

ragdi, quod lapidis genus inimicum esse libidini, à multis proditur Scriptoribus, siue etiam per inuictam animi fortitudinem, & insuperabilem diuina ope, in medio persecutionum, patientiam adamantes. Itaque hîc etiam verum est illud Psalm. 17. *Carbones succensi sunt ab eo.* Nec tantùm succensi, sed in gemmas etiam, pretiososque lapillos diuinitus conuersi. Hactenus Viegas.

Quàm pulchra gemma sit peccator conuersus.

20. Tam pulchra autem gemma est peccator conuersus, vt Deus in thesauris suæ omnipotentiæ nihil illo pulchrius vel pretiosius habeat ad ostentationem. Vnde de illo sic Dauid Psalm. 32. *Ponens in thesauris abyssos.* Et explicat Hugo Cardinal. Cùm enim abyssus in Scripturâ peccatum multoties significet, vt patet ex Hieronymo Habacuc cap. 3. ibi. *Dedit abyssus vocem suam.* Et alibi sæpè ait Dauid, abyssos ponit Deus in thesauris, quia nihil tanti facit Deus, quàm peccatorem conuersum, in quo se diuitem in misericordiâ ostendit, diuitiasque bonitatis suæ patefacit, ac proinde in thesauris ponit.

Pœnitentia pulcherrimæ comparatur auroræ. SALAZAR.

21. Quid tenebricosius statu peccatoris? quid splendidius aurorâ? Similiter nihil peccatore obscurius, nihil lucidius pœnitente: pœnitentia enim pulcherrimæ comparatur auroræ. Vide Salazar in Prouerb. cap. 4. vers. 18. num. 143. & seq. Iam verò si dealbet & emundet peccatorem pœnitentia, quid putas eam operatam in Maria Magdalena, veræ pœnitentiæ speculo? Qualiter pœnitentia peccatorem reformet in Ioannem Baptistam, & transformet in Deiparam. Vide apud Celada in Iudith c. 5. v. 16. §. mor. 29. CELADA.

Aqua pœnitentiæ aridos peccatores facit virere & reflorescere. CASSIOD. PLINIVS.

Quid aridius peccatore? Psalm. 101. *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum. Vt à Dei præceptis*, ait Cassiodor. *fuerimus diabolica falce succisi statim arescimus, & cor nostrum, peccati sterilitate siccatur.* Vis scire qualiter summa hæc ariditas in summam vertatur viriditatem? nimirum pœnitentiæ aquis. De Amaranto flore refert Plinius lib. 21. cap. 8. *Madefactus aquâ reuiuiscit*, sic peccator aquis contritionis & pœnitentiæ madefactus, reuiuiscit, & ex arido redditur viridis & fructuosus. Vnde Regius Vates Psalm. 22. iam madidus, lachrymarum suarum aquis, clamat: *In loca pascua, ibi me collocauit.* Pro quo legunt alij: *In loco viridi, ibi me collocauit*, *super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* De fœlici hac commutatione fatus Isaias cap. 55. ait: *Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica, crescet myrtus.* Quid hoc sibi vult? quomodo pro humili saliunca potest ascendere abies? Sunt enim abietes teste Plinio lib. 26. c. 39. omnium arborum altissimæ & rectissimæ? Pulchrè Paraphr. *Pro impijs consurgent iusti. Pro vitijs*, ait D. Hieronymus, *nascentur virtutes: pro iniquitate iustitia: pro temeritate, fortitudo: pro luxuria, temperantia: pro stultitia, sapientia.* Et D. Paulum ante conuersionem, assimulans vrticæ, sic de illo scribit: *Saulus persecutor Ecclesiæ quando audiebat à Domino, Saule, Saule, quid me persequeris? vrtica erat habens persecutionis aculeos. Quando autem in toto orbe prædicauit rectè Cyparissus appellatur & myrtus.* Sic ille. Quis videns mirabilem illam conuersionem Magdalenæ, ex aridissima, reddita viridissima, non meritò exclamet, vim lachrymarum eius, admiratus: Pro saliunca, herba vilissima & amara, odorisque pessimi, vt docet Hieronymus, atque inutilis, ascendit abies: ascendit Cyparissus, odoris optimi, & crescet myrtus.

Abietes altissimæ. PLINIVS. HIERON.

Aqua pœnitentiæ aridos peccatores pulcherrimos reddit.

Quàm fœdi, nigri & aridi peccatores, sic exprimit Ieremias Thren. cap. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum. Contracta est pellis super ossa eorum. Aruit, & facta est quasi lignum.* Neque mirum. Nam vt inquit hîc Olimpiodorus. *Excisi sunt à vita Dei, & emortui.* Vis scire qualiter tanta deformitas, tanta siccitas, in summam pulchritudinem, & virorẽ, commutabitur? nempe lachrymarum & pœnitentiæ aquis, hisce enim perfusi redduntur candidiores niue, nitidiores lacte, Sapphiro pulchriores, rubicundiores ebore antiquo. *Quia purpureum contraxerunt ruborem*, ait Rupertus, *cælestibus mansionibus non indecentes.* Vt meritò, nunc Nazaræi, id est, floridi, dicantur. Quò allusisse videtur Regius Vates dum Psalm. 44. talem præfigit titulum: *In finem, pro ijs qui commutabuntur.* Pro quibus alij legunt: *Pro floribus.* Quam versionem expendens Nyssenus tractat. 2. in Psalm. cap. 4. eam admirandam commutationem, quam operatur in eis pœnitentiæ aqua. *Si enim, ait, tunc flos prodit, cùm hyeme in ver mutatur, significat mutationem à malitia, ad vitam ex virtute actam.* RVPERT. NYSSEN.

Diuina gratia ex nigris efficit pulchros & dealbatos. AVGVST.

21. Quartò. Ex nigris pulchros reddit diuina gratia, hinc sic alloquitur sponsam ipse sponsus, iuxta lectionem Septuaginta. *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Quæ verba referens D. Augustinus in Psal. 103. sic scribit: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Quid est dealbata? Illuminata, non dealbata sicut fucata, quemadmodum se dealbant fœminæ, quæ volunt videri, quod non sunt: non dealbata sicut paries dealbatus: destruetur enim, sicut dicit Apostolus, paries dealbatus, hypocrisis & simulatio. Paries dealbatus, foris tectorium, intus lutum. Non ergo illa sic dealbata, sed dealbata illuminata, quia non per se alba. Priùs, inquit, fui blasphemus. Et item: Fuimus enim & nos aliquando naturâ filij iræ, sicut & cæteri. Accedit gratia illuminans & dealbans: Primò nigra fuisti, sed facta es alba ex gratia illius. Fuistis enim aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in Domino. Dicitur ergò & de te; Quæ est quæ ascendit dealbata: iam mirabilis, iam vix contemplabilis? Admirantis est enim dicere: Quæ est ista quæ ascendit dealbata, tam pulchra, tam luminosa, tam sine macula & ruga?*

Nonne

Nónne ista est quæ iacebat in cœno iniquitatum? Nónne ista est quæ iacebat in fornicatione idolorum? Nónne ista est quæ immunda erat in omni cupiditate, desiderioque carnali? Quæ est ergo ista quæ ascendit dealbata? Attende quis sit ille, qui pro ea factus est, non habens speciem neque decorem, & intelligis huius claritatis honorem. Si miraris illius humilitatem propter hanc, noli iam mirari huius celsitudinem propter illum. Sic ille. Quibus posterioribus verbis D. Augustinus etiam refert omnem animæ candorem & albedinem, in fœditatem illam pulcherrimam Christi, quam in passione pro nobis assumpsit.

In anima tenebrosa qualem inducat pulchritudinem diuina gratia. NYSSEN.

22. De pulchritudine quam inducit in tenebrosa anima, ipsa gratia, sic Nyssenus orat. 2. in Cantic. dum expendit illa verba Cantic. cap. 1. *Nigra sum sed formosa: Quomodo enim noctu cum tenebris quæ dominantur, simul nigrantur omnia, etiamsi suâ naturâ sint splendida; adueniente autem luce, in ijs quæ tenebris & caligine erant obscurata, non manet quæ tenebris erat assimulatio. Ita etiam traducta anima ab errore ad veritatem, tenebrosa quoque vitæ forma simul mutatur ad lucidam gratiam.* Si peccatores dealbet gratia, quis inter peccatrices animas Magdalena copiosiùs eam est assecuta?

Ex nigris formosos reddit amor. AVGVST.

23. Quintò. Ex nigris pulchros & formosos reddit amor, vt egregiè docet D. Augustinus tractat. 9. in epist. Ioan. *Diligendo pulchri efficimur*, inquit, *quid facit homo deformis, & distorta facie, si amat pulchram? Aut quid facit fœmina deformis, nigra, & distorta, si amet pulchrum? Numquid amando potest esse formosus, quando in speculo videt, erubescit faciem suam leuare ad illam formosam, quam amat. Quid facit vt pulchra sit? Expectat, & expectando senectus additur, & turpiorem facit? non est ergo quod des illi consilium, nisi vt compescat se, & non audeat amare impar imparem. Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur. Qualis amor est, qui reddit pulchram amantem? Deus autem semper pulcher est, numquam deformis: amauit nos prior, qui semper est pulcher: & quales amauit, nisi fœdos, & deformes? Non ideò tamen, vt fœdos dimitteret, sed vt mutaret, & ex deformi pulchrum faceret. Erimus pulchri amando Deum, qui pulcher est: quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchrido, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.* Si formosum reddit peccatorem amor, quis Mariâ ardentiùs amauit Christum, quis illâ magis exarsit in Dei amore? Nimirum ipsa hoc igne diuino accensa, Christo iugiter inhæsit, & sedens ad pedes, eius verbis assiduè intendit, Christum docentem & prædicantem vbique secuta & comitata est, per Scribas & Pharisæos, vsque ad crucem & mortem. Ipsa cruci intrepidè astitit, ipsa Christum mortuum aromatibus condiuit, ipsa à sepulchro eius auelli non potuit; vnde & prima cum resurgentem videre meruit. Inde à Iudæis in exilium missa, nutu Dei in Gallias appulit, ibique Christi fidem disseminauit; ac tandem dilecti sui amore ebria, in montem iuxta Massiliam secessit, seque omnibus sæculis pœnitentiæ exemplar statuit. Ibi enim triginta annos, sine cibo & potu in dulcibus amoris lachrymis, & iugi sui dilecti meditatione & contemplatione vixit, vitam non humanam, sed Angelicam, vnde ab Angelis septies quotidie in cælum subleuata. O Beata:

Angelicos audire choros alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.

Quòd acrem & seuerum sese exhibuerit Christus templi prophanatoribus; quòd templa ad orandum instituta, quodque in illis orantes citiùs exaudiantur, fusè ostenditur.

§. III.

Templi violatoribus se seuerũ exhibet Christus.

1. SEcundò, exhibuit se Christus acrem & seuerum, templi violatoribus. Nam vt legimus Matthæi cap. 21. *Et intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Et dixit eis, scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Legimus etiam Ioannis cap. 2. *Ascendit Iesus Hierosolymam. Et inuenit in templo, vendentes oues & boues, & columbas, & nummularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues: & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.*

Ad quid templa instituta? Instituta, vt homines per illa ad maiorẽ Dei reuerẽtiam adducerentur.

2. Neque mirum Christum se tam seuerum exhibere, templi ac domus suæ prophanatoribus. Sicut enim templa præcipuè instituta, vt per illa homines, ad maiorem Dei reuerentiam adducerentur. Cùm enim homo sit compositus ex anima & corpore, & vtrumque debeat applicari ad colendum Deum vt testatur D. Thomas 1. 2. q. 110. duplicem

 cultum

cultum ab initio mundi, exegit Deus ab hominibus. Iuxta illud Psal. 83. *Cor meum*, id est, anima mea, vel intellectus meus, *& caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Internum scilicet & externum. Consistit autem interior cultus in hoc, vt eodem loco, ait D. Thom. quòd anima coniungatur Deo, per intellectum & affectum, & sicut corpus ordinatur in Deum per animam, ita cultus exterior ad hunc interiorem cultum ordinatur. Exterior autem hic cultus consistit in templis, aris, sacrificijs, alijsque cæremonijs, atque ad hoc præcipuè ordinatur, vt homines habeant Deum in reuerentia, vt testatur D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. in concl. *Habet autem hoc*, inquit, *humanus affectus, vt ea quæ communia sunt, & non distincta ab alijs, minùs reuereatur; ea verò quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab alijs, magis admiretur, & reuereatur. Et inde etiam hominum consuetudo inoleuit, vt Reges & Principes, quos oportet in reuerentiâ haberi à subditis, & preciosioribus vestibus ornentur, & etiam ampliores & pulchriores habitationes possideant, & propter hoc oportuit, vt aliqua specialia tempora, & specialia loca, siue templa, & specialia vasa, & speciales ministri, & speciales cæremoniæ, ad cultum Dei ordinarentur, vt per hoc animi hominum ad maiorem Dei reuerentiam adducerentur.* Sic ille. Si ergo templa instituta, vt per illa homines ad maiorem Dei reuerentiam adducerentur, illa prophanantes, quid mirum, quòd maximam incurrant Dei indignationem?

THOMAS.

Instituta, vt Deus in ijsdem oretur & inuocetur,

3. Secundò templorum primarius, & præcipuus vsus est, vt Deus in ijsdem oretur & inuocetur: itaque qui ibidem negotia tractat sæcularia, qui vacat fabulationibus, & vanis aspectibus &c. non potest non maximam contra se prouocare Dei iracundiam.

4. Quoniam autem hunc in finem templa instituta, quid agit diabolus? quid agit humani generis hostis? Postquam semel contra Deum Opt. Max. sese erexit, dicens: *Similis ero altissimo*, atque ab eodem ex supremâ illâ fœlicitate, in abyssum malorum omnium, præcipitatus fuit, non destitit summo odio in Christum excandescere, & cùm videret se incassum laborare, dum diuinam illius conatur lædere maiestatem, operam omnem atque industriam impendit vt honorem Deo Opt. Max. ab hominibus debitum, quàm posset maximè diminueret. Et quoniam videbat Deum non parum honoris & reuerentiæ deferri ab hominibus per templorum atque altarium erectionem, per precum & orationum coram Deo effusionem, numquam non conatus est per se atque ministros suos, ea euertere, atque radicitus à fundamentis eruere.

5. Quamuis autem Lutherani, & Caluinistæ admittant templa, id tamen solùm est ad concionandum, & Sacramenta ministranda. Reprehendunt autem omnes huius temporis hæretici, quòd fiant templa, & Ecclesiæ instituantur ad orandum, quasi melius sit in vno loco orare, quàm in alio, & quasi in vno loco meliùs & citiùs exaudiamur, quàm in alio; quasi Deus in templo magis sit, quàm alibi, & quasi templis peculiaris insit sanctitas. Vide quàm rectè hæretici huius temporis, sicut antiqui, subseruiant desiderio & intentioni dæmonis, sub specie reformationis; quid enim magis efficax esse potest, ad omnem deuotionem & reuerentiam extirpandam, quam Deo in locis cultui diuino sacratis debemus, quàm eos omni spoliare sanctitate, & cæteris communibus adæquare locis? Ex qua certè reformatione illud sequutum est, vt templa hæreticorum non minùs deseruiant ambulationibus, fabulationibus, &c. quàm ipsum forum: sed hæc missa faciamus, & vsum praximque Ecclesiæ, clarissimis confirmemus Scripturæ testimonijs.

Hæretici omnes quàm sint templis infesti.

6. Certè si veritatem hanc, iuxta Scripturas, ponderare velimus, manifestum fiet, quòd ab ipso templorum exordio, quæ in Dei cultum extructa sunt, primarius atque præcipuus eorum vsus erat, vt orationum, vt sacrificiorum, vt precum loca essent. Tabernaculum à Moyse in deserto erectum, templum à Salomone Deo vero ædificatum, manifestè hoc demonstrant, vbi sacrificare, orare, & Deum inuocare, Sacerdos cum populo, & populus cum Sacerdote debebat. Et 3. Regum cap. 8. & 2. Paral. cap. 6. Salomon affirmat templum factum esse, vt sit locus orationis, & petit à Deo, vt quicumque ibi orauerit, exaudiatur. 3. Reg. cap. 9. Deus apparens Salomoni, pollicetur ita futurum, vt ille petierat. At si esset superstitio orare in templo, potiùs quàm alibi, neque Salomon ad hunc finem instituisset templum, neque Deus approbasset factum eius, superstitio enim numquam fuit licita.

Antiquitas ostenditur templorũ, quodque extructa sint, vt orationum & sacrificiorũ & precum loca essent.

7. Secundò probatur exemplis Scripturarum 1. Regum cap. 2. Anna precatura Dominum, ad tabernaculum accedit, vbi erat arca, ibique orans, exaudita est. 2. Regum cap. 7. Dauid similiter precaturus, perrexit ad tabernaculum, & coram arca Domini orare cœpit; ac certè nisi putasset ibi Dominum magis esse præsentem, & faciliùs orationem exaudiri, domi suæ mansisset. Idem etiam Dauid, vt habetur 1. Paral. cap. 21. voluit ire ad tabernaculum Domini in Gabaon, vt oraret pro auertenda peste à populo, sed non præualuit, nimio timore perterritus, ideò in ipsâ Hierusalem extruxit altare. Daniel oraturus, quia non poterat ingredi templum, in Babylone existens captiuus, saltem apertâ fenestrâ, orabat ad eam partem conuersus, vbi fuerat templum Domini

Exemplis scripturarũ idipsum probatur.

mini Daniel. cap. 6. Si oratio æquè Deo grata, æquè vtilis, atque salutaris est, quæ domi, vel in agro fit, quàm ea quæ in templis Deo sacratis, quorsum hæc exempla?

Exemplis citatis opponit Caluinus crassitiem Iudaicam.

Sed facilè ab his sese expedit Caluinus, sicut enim veteres Patres audet nominare indoctos, hebetes, crassos, &c. cur non ijsdem nominibus dignabitur sanctos veteris testamenti, cur & illis non impinget crassitiem Iudaicam? Audi quomodo loquatur Institut. lib. 3. cap. 20. num. 30. *Cauendum est, ne secretam, nescio quam templis affingamus sanctitatem, quæ sacratiorem apud Deum orationem reddat: vera enim templa Dei cùm simus ipsi, in nobis oremus oportet; si Deum in templo suo volumus inuocare. Illam verò Papistarum crassitatem, Iudæis & Gentibus relinquamus, qui præceptum habemus de inuocando, citra loci discretionem, in spiritu & veritate Domino.*

8. Ecce quomodo crassitatem vocet, fidem antiquorum Patrum, Dauidis atque Danielis, quâ credebant templum, alijs locis, esse sanctius, ibique se celeriùs à Deo impetraturos petitiones suas. Sed ne hoc dicendo ipsemet, ab omnibus qui ratione præditi sunt, arguatur crassissimæ temeritatis, ad scripturam recurrit, cui proprij cerebri affingit iudicium, dicens, nos præceptum habere de inuocando Domino, citra loci discretionem. At vbi quæso, Caluine, hoc præceptum? Ioannis, dicet cap. 4. *Venit hora, & nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem: spiritus est Deus, & qui eum adorant, in spiritu & virtute adorare oportet.* Verùm hoc nihil pro te Caluine, nam Christus postquam dixit, *venit hora, quando*, &c. dixit nihilominus de templo Salomonis; *Domus mea, domus orationis vocabitur*, id est, locus in quo propriè & peculiariter magis Deus orandus est. Neque verò sacratiores in templo orationes aboleuit Christus, cùm doceret suos in spiritu & veritate adorare. Primùm, quia in ipso templo non voce & linguâ tantùm, sed & spiritu & veritate, corde & affectu, piè ac sincerè Deus inuocandus est: alioquin vt acutè scripsit Waldensis tom. 3. cap. 140. *Si quia in spiritu & veritate, ideò non in templo, ergo etiam nec in templo, nec in aëre, nec in nemore, nec in domo, nec in cubiculo, nec in loco quouis corporeo Deum orare oportet, quia in spiritu & veritate.* Quòd si adorare in spiritu & veritate non repugnat nemori, non repugnat cubiculo, quomodo repugnat templo, quomodo repugnat Ecclesiæ?

Quàm temerariè hæretici illa Christi verba Ioan. c. 4 dicant continere præceptum de inuocãdo Deo citra loci discretionem. Refellitur Caluinus varijs modis. Ipsius Christi asseueratione.

WALDENSIS.

Apostolorũ exemplo.

9. Deinde quia Apostoli ipsi, qui Christi verba optimè intellexerunt, cùm adhuc templa Christianorum propria non essent, ipsum Iudaicum templum, orationis causâ petiuerunt: *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Actor. cap. 3. Quare notat D. Augustinus lib. 3. de doctrin. Christian. cap. 6. quòd tam Apostoli, quàm alij primi credentes, in templo veteri Deo seruiebant. Et notum est D. Iacobum Apostolum multis annis post Christum, in ipso templo Iudaico, assiduis precibus Deum coluisse, vtpote cui soli concessum erat, in ipsa sancta Sanctorum ingredi, & cuius tanta fuit in templo orandi assiduitas, vt genua eius callum obduxerint, teste tota antiquitate.

AVGVST.

10. Ioannes Apostolus, ita deuotè & assiduè in Ecclesiâ orabat, vt vltima senectute, per discipulorum manus ad Ecclesiam deferri soleret, teste Hieronymo in Catalogo virorum illust.

S. IOANNIS.

11. Isti sancti Apostoli illud Christi præceptum de orãdo Deum in spiritu & veritate sic intellexerunt, loci tamen discretionem, contra Caluinum, & templi frequentationem probarunt, nec crassitiem Iudaicam, sed pietatem esse Christianam iudicabant, Deum in templis consecratis orare? Huc pertinet quod Anna prophetissa, vario pietatis nomine in Euangelio laudata, hinc etiam commendatur Lucæ cap. 2. *Quòd non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte ac die.*

Annæ prophetissæ.

12. Ex quibus patet manifestè, locum citatum, nihil derogare sanctitati, quam templis attribuimus, Christumque eo loco non loqui, de adoratione ratione loci, sed ratione modi. Non enim vult dicere, tempore nouæ legis neminem adoraturum Deum in Hierusalem, vel in monte Garizim, id enim falsum esset. Nam Actor. cap. 3. Petrus & Ioannes, etiam post acceptum Spiritum sanctum ascendebant in templum, vt orarent, & ab eo tempore vsque nunc, qui peregrinantur ad loca sancta Palæstinæ, adorant Deum in Hierusalem, Garizim & in alijs omnibus eius terræ locis. Sensus igitur verborum Domini est: Tempore nouæ legis non adorandum amplius Deum in monte Garizim, id est, non adorandum ritu Samaritanorum, quo vtebantur in eo monte adorantes, neque adorandum in Hierusalem, id est, non adorandum ritu Iudaico, quo vtebantur in templo illo adorantes, sed nouo ritu, qui erit in spiritu & veritate, id est, qui non consistet præcipuè in externis, corporalibus, & vmbraticis cæremonijs, sed in interna & spirituali cognitione & dilectione Dei in corde contrito & humiliato, quæ tamen adoratio, non excludit externum cultum, si ad internum iuuandum, & exprimendum ordinetur. Ita Chrysostomus, Cyrillus & Euthymius, alijque exponunt in commentarijs huius loci, qui illud *in spiritu* opponunt cæremonijs,

Christus loquitur in citato loco, non de adoratione ratione loci, sed ratione modi.

monijs Iudæorum quatenus corporales erant: illud *in veritate*, opponunt, iisdem cæremonijs quatenus vmbræ & figuræ erant. Itaque hæc consistit solutio; quòd Dominus velit præcipuum cultum Christianorum esse spiritualem & purum ab omni errore, cùm præcipuus cultus Iudæorum fuerit externus. Cultus autem Samaritanorum, fuerit non solùm externus, sed etiam impurus, quia simul Deum Israel, & deos gentium adorabant.

Probatur Deum faciliùs exaudire preces quæ fiunt in templo, quàm in alio loco.

Chrysos

13. Deum autem in templis faciliùs exaudire, & piorum preces, cæteris paribus, magis in Ecclesiâ, quàm in domo cuiusque, ei placere, magis vtiles & salutares esse, Sancti Patres, & doctissima Ecclesiæ lumina crediderunt & docuerunt. S. Chrysostomus sic scribit, & nostri temporis hæreticos, vel etiam frigidos Catholicos doctissimè coarguit: *O frigidam excusationem, quam à compluribus reddi audio, orare vel domi possumus, dicunt, sed homiliam doctrinamque audire, non nisi in Ecclesiâ possumus. Te homo decipis & magno in errore versaris. Nam & domi quoque orandi datur facultas, tamen fieri non potest, vt domi, tam bene ores, quàm in Ecclesiâ, vbi tot patres, vbi clamor fœlici societate exortus, ad Deum immortalem, referatur. Non pariter exoras, quum Dominum solus obsecras, atque tuis cum fratribus.* De hac primorum Christianorum in templis congregatione ad orandum potissimùm instituta affirmat Tertullianus: *Cùm imus in cætum & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta ambulemus, orantes, hæc vis Deo grata est.* Basilius lib. 1. de Baptismo quæst. 8. dicit locum, non parum referre ad orandum. Ambrosius in orat. de tradendis basilicis, dicit se quotidie solitum ire ad Martyres, id est, ad basilicas Martyrum, orationis gratiâ. Hieronymus in epitaphio Marcellæ: *Apostolorum*, inquit, *& Martyrum basilicas, secretis celebrabat orationibus*. Augustinus lib. 22. de Ciuitate cap. 8. meminit multorum, qui in basilicis orantes, miracula impetrarunt. Et ibidem dicit se cum alijs collegis suis quandam orationis domum dedicasse & S. Leo Papa affirmat. *Tunc est efficacior, sanctiorque deuotio, quando in operibus pietatis, totius Ecclesiæ vnus est animus, vnus sensus.*

Tertvll.

Ambros.

Avgvst.

Leo.

Idipsum probatur ex ratione.

Basilivs.

14. Postremò, nisi quis à ratione prorsus alienus sit, docet vel ipsa ratio, orationem in templo factam, Deo magis placere, atque citiùs exaudiri. Nam imprimis oratio est res nobilissima, & proinde ei debetur locus nobilissimus, qualis est locus sacer. Ita Basilius lib. 2. de Baptismo quæst. 8. Deinde in Ecclesiâ sunt omnia accommodata ad excitandam deuotionem, quæ orationi maximè necessaria est. Nam altaria, cruces, imagines, reliquiæ, ipsi etiam parietes Deo dicati mouent ad pietatem, quæ certè alibi non inueniuntur. Tertiò, si Deus promisit, quòd in templo Salomonis citiùs orantes exaudiret, vt patet ex promissione Dei 3. Regum cap. 9. nónne eodem priuilegio fouentur & templa nostra, quod enim Deus promisit templo Salomonis, sine dubio promisit etiam templis Christianorum. Nam quod petijt Salomon, cùm templum dedicauit, idem petit Ecclesia, cùm noua templa dedicat, nimirum vt aures Dei in eo loco sint apertæ: non est autem credibile Deum exaudisse preces Salomonis, & non exaudire etiam preces Ecclesiæ suæ. Quartò, Deus in templo est magis, quàm alibi; nam alioquin non diceret D. Paulus 1. Corinth. cap. 3. *Nescitis, quia estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in vobis?* Et 1. Corinth. cap. 6. non diceret: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis in vobis; glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Et 2. Corinth. cap. 6. *Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Dominus, quoniam habitabo in illis, & inambulabo.* Apostolus enim accipit similitudinem à veris templis, quia enim templum est domus Dei, in quâ ipse peculiari modo inhabitet. Ideò ipse vt ostenderet in nobis esse Deum peculiari modo, corpora nostra templum Dei appellauit. Vnde D. Augustinus lib. 2. ad Simplicianum q. 4. dicit, Dauidem orasse ante arcam, *quia ibi sacratior & commendatior præsentia Dei erat.* Cùm igitur sacratior & commendatior in templis sit præsentia Domini, ibi certè magis orare expedit quàm alibi.

15. Neque obstat huic doctrinæ, quod ait S. Stephanus Actor. cap. 7. *Deus in templis manufactis non habitat.* Et illud Isaiæ cap. 66. *Quam domum ædificabitis mihi, ait Dominus, cælum & terram ego impleo.* Quibus locis abutuntur hæretici, dum sic illos citant, quasi nullo vero sensu, Deus in templis habitaret, nec magis in templo esset, quàm alibi; ac proinde vbique ex æquo adorari & inuocari possit. Nam licet concedamus Deum esse vbique aliquo modo, non tamen omnibus modis; nam certè si Deus esset vbique, eo modo quo est in cælis coram beatis, frustra diceremus; *Pater noster qui es in cælis:* & si Deus esset vbique, eo modo quo est in templis, frustrà templum diceretur domus Dei, Isaiæ cap. 56. frustra Christus in Euangelio vocaret templum, domum suam, qui vtique Deus erat, & alibi, domum Patris sui, qui etiam Deus est. Domus autem eius est, qui eam inhabitat, frustrà Paulus diceret, nos esse templa Dei, quia Deus in nobis habitat; & si Deus non loquitur, & audit magis

Non obstant huic doctrinæ verba S. Stephani Act. 7.

magis in vno loco, quàm in alio, cur quæso in veteri testamento ordinariè responsa dabat solùm in propiatorio, quod erat super arcam?

16. Certè qui ex verbis S. Stephani Actor. cap. 7. concludere vellet, nullo vero sensu, Deum in templis habitare, necesse est Scripturam, & Christum mendacem faciat. Nam & alibi Christus sic loquitur: *Qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in illo.* Vbi Deum habitare in templo Christus apertè docet: vult enim dicere, eum in Deum iurare, qui in templo iurat. An verò Christus exactam notitiam non habuit eorum, quæ Deo conueniunt? Aut mentitus est Salomon, aut blasphemauit, cùm diceret 3. Regum cap. 18. *Ædificans ædificaui domum, in habitaculum tuum.* An præter veritatem dixit Deo Dauid Psalm. 73. *Mons Sion in quo habitasti in eo.* Est ergo aliquo sensu verum, quòd Deus habitat in templis manufactis; sed non est eo sensu verum, quem nobis affingunt hæretici, abutentes simpliciorum ignorantiâ, illis mendaciter persuadendo, Catholicorum opinionem & doctrinam esse, quòd Deus peculiariter sic habitet in templis, quasi vel ibi includatur, & comprehendatur, vel alibi à pijs non inueniatur. Sic Caluinus nos calumniatur, lib. 3. institut. c. 20. §. 30. *Cauendum est*, ait, *ne templa (quemadmodum sæculis aliquot haberi cœperunt) propria esse Dei habitacula ducamus, vnde propiùs nobis aurem admoueat*, &c. Numquam Catholici tam stupidi fuerunt, vt dicerent, Deum tam propriè habitare in templo, quasi ibi concludatur, quemadmodum qui in domo habitant, in eâ comprehenduntur; quo sensu etiam Stephanus Actor. cap. 7. dicit, Deum in templis manufactis non habitare, scilicet vt in eo, tamquam in loco Deus comprehendatur. Non est verum etiam in eo sensu, quem etiam apud Athenienses negauit Paulus, videlicet, quasi templo indigeret Deus, sicut homo indiget domo sua; quare cùm dixisset: *Non in manufactis templis habitat*; subiecit: *Indigens aliquo.* Quem etiam sensum repulit Isaias loco citato. Sed hoc sensu verum est, Deum in templis habitare, vt Scriptura loquitur, quia in templis, tamquam locis, eius cultui consecratis, ideoque ei magis acceptis, preces suorum faciliùs exaudit, quàm alio quouis loco, cæteris paribus, id est, si pari pietate, studio, fide, Deus illic inuocetur: adeò vt modus, quo Deus est in templo peculiariter, ille nimirum sit, quia ibi est per exauditionem.

Quia ex assertione Christi Deus in templo habitat.

Non habitat Deus in templo vt ibi includatur & comprehendatur, vt calumniantur hæretici Catholicos.

17. Hunc sensum S. Spiritus in scripturis nobis reuelauit, cùm primum in orbe templum vero Deo dedicaretur. Sic enim per Salomonem in ipsa templi dedicatione locutus est 3. Regum cap. 18. *Vt sint oculi tui aperti super domum hanc die ac nocte; super domum de qua dixisti: Erit nomen meum ibi, vt exaudiat orationem, quam orat in loco isto, ad te seruus tuus; vt exaudias deprecationem serui tui, & populi tui Israel, quodcumque orauerint in loco isto, & exaudies in loco habitaculi tui in cælo.* Quam orationem à Deo exauditam & acceptam fuisse, eadem Scriptura commemorat. Quemadmodum ergo S. Spiritus habitat in cordibus fidelium, nec ibi conclusus, nec illa habitatione indigens, sed quia in illis suam gratiarum, donorumque supellectilem disponit. Ita planè Deus in templis Christianorum habitat, in illis potissimùm gratiarum suarum dona distribuens, quando fideliter & piè inuocatur. Sic templa sunt domus Dei.

Accedamus ergo omni cum diligentia, atque reuerentiâ templa, vt necessaria à Deo petamus, & obtineamus; sunt namque templa domus orationis, & domus Dei. Nam veluti si Rex aliquis liberalis, domum aliquam constitueret ad largiendum, quò omnes confluerent, & quidquid vellent, peterent, certè domus illa, domus largitionis Regiæ meritò vocari posset: Sic Deus volens in templis potissimùm sua bona largiri, vocat domum suam, domum orationis, in quâ orantes & petentes omnia accipimus. Vtinam quamdiu liberum ad hanc domum habemus accessum, eam humilibus frequentemus obsequijs, &c. Si Dauid in lege veteri tantoperè afficiebatur, in templi visitatione, vt diceret: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*, quo desiderio, quâ deuotione, debemus Christiani visitare templum, vbi est præsentia mediatoris Christi corporaliter in Eucharistiâ, quæ certè auget spem & fiduciam orantis & prætereà non potest, non incutere menti religiosæ honorem & reuerentiam. Nam vt Chrysostomus dicit homilia 36. ad 1. ad Corinth. *Vbi est Christus in Eucharistiâ, ibi etiam non deest Angelorum frequentia.* Vbi autem est talis Rex, & tales Principes, ibi est cæleste palatium, ibi cælum ipsum. Si Iudæi accedebant templum Salomonis, vt hostias iuxta legem immolarent, quid ni Christianus accedet templum, in quo offertur Christus, in Missæ sacrificio incruento, in hostiam æterno patri?

Qua deuotione visitanda templa.

De

De quibusdam alijs peccatoribus quibus se acrem Christus exhibuit.

§. IV.

Exhibet se Christus seuerum detractoribus,

18. Tertiò, exhibuit se Christus acrem & seuerum detractoribus & murmuratoribus, vt patet ex ijs, quæ refert Matthæus cap. 15. vbi legimus: *Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lauant manus cùm panem manducant. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram.* Et paulò inferiùs: *Hypocritæ bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* De detractionis vitio, vide in Indice rerum. v. *Detractio*.

Et ambientibus primas cathedras,

19. Quartò, exhibuit se Christus acrem & seuerum ambientibus primas sedes. Matth. cap. 20. legimus eum respondisse duobus discipulis per matrem primas sedes prænsitantibus. *Nescitis quid petatis.* De malo ambitionis, vide in Indice rerum. v. *Ambitio*, & v. *Ambitiosus*.

Et duplicis animi hominibus,

20. Quintò, exhibuit se acrem & seuerum, duplicis animi hominibus, vt legimus Lucæ c. 9. *Sequar te quocumque ieris*, dicebat Christo quispiam. Cui mox ille: *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos, vbi requiescant: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Cur ita hunc repellit & reijcit hominem Christus? *Non videtur conuenire rationi*, ait D. Ambrosius lib. 7. in cap. 9. Lucæ, *vt simplicem, fidelemque istum arbitremur, qui Domini dignatione respuitur, cùm indefessi famulatus obsequium spopondisset, sed Dominus non obsequiorum speciem, sed puritatem quærit affectus.*

Et humanis laudibus inhiantibus,

21. Sextò, acrem & seuerum se exhibuit Christus hominibus humanis laudibus inhiantibus. *Væ vobis*, ait Lucæ cap. 6. *quando benedixerint vobis homines.* Quæ verba referens D. Chrysostomus homil. 23. in Genes. sic scribit: *Christus erudiens nos, vt non captandis hominum laudibus inhiemus, post multa alia, tandem & hoc intulit: Væ vobis, quando benedixerint vobis omnes homines. Considera quomodo per, væ, nobis declarat, quotuplex illos maneat pœna. Væ enim lamenti nuncium verbum est. Vnde quasi miseros eos vocans dicit: Væ vobis cùm benedixerint vobis omnes homines, &c.* CHRYSOS.

Et malis diuitibus.

22. Septimò, acrem & seuerum, se exhibuit Christus malis diuitibus: Ait enim Lucæ cap. 6. *Væ vobis diuitibus.* Quam vim autem habeat illud verbulum, *Væ*, sic declarat Tertullianus lib. 4. in Marcio. cap. 15. eundem exponens locum. *Sed sit nobis quæstio, de verbi istius qualitate, quasi non tam maledictionis sit, quàm admonitionis. Et quid causæ interest, quando & admonitio non sit, sine aculeo comminationis, maximè per Væ, amarior facta? Sic admonitio autem & comminatio eius erunt, qui norit irasci. Nemo enim admonebit, & nemo comminabitur, ne quid faciat, nisi qui factum, vindicabit.* TERTVLL.

Quòd Christus instar grani synapis abscondat virtutem.

SECTIO XXIV.

Qualiter Christus virtutem absconderit, qualiterque hac in re imitandus.

§. I.

Christus suam abscondit virtutem.

1. Granum synapis, cùm maximæ sit virtutis, eam tamen non palam ostendit, sed sub cortice vili, nigrique coloris abscondit: Sic Christus cùm esset splendor gloriæ, & figura substantiæ Dei, nihil tamen aliud studet, quàm sub vili forma serui, quam assumpserat, magnalia hæc tegere, & abscondere iuxta illud D. Pauli ad Philip. cap. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Quidquid gloriæ, quid nobilitatis, & splendoris est, obnubilat, solâ serui formam reliquit apertam. D. Anton. Abbas epist. 3. ad Arsinoitas: *Exinaniuit semetipsum à gloriâ, formam serui accipiens, vt illius seruitus nos liberaret. Quidquid erat gloriæ dissimulat, abscondit, rem totam salutis nostræ, & exaltationis suæ, seruili forma tradit.*

Sub forma serui abscondet diuinitatem.

In natiuitate se abscondit. BERN.

2. D. Bernardus serm. 3. in Natiu. Christi sic scribit: *Hyeme natus est, nocte natus est Christus, numquid credimus casu factum?* Quis non miretur eum qui in splendoribus sanctorum genitus est ante luciferum ex vtero patris, nasci media nocte ex vtero matris? Quis non miretur eum, qui cùm Deus esset, & per consequens ignis consumens, sese hominibus spectandum præbere media hyeme?

3. Expende qualiter Christus, dignitatem & excellentiam suam abscondat in natiuitate sub vilis tugurij cuiusdam tegmine. Legimus enim Matth. cap. 2.

Et

Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer. Quæ verba ponderans D. Chrysostomus homilia 6. in Matth. facit hanc interrogationem. *Et quidnam opus erat, inquis, hoc sidere, cùm certè iam vicus ille fuisset repertus?* Respondet autem: *Absque dubio, vt videretur puer, neque enim præterea quidquam erat, quod illum posset ostendere, cùm nec esset ipsa domus conspicua, nec mater quasi clara quædam celebraretur ac nobilis: opus igitur erat stellâ, quæ super ipsum prorsus tugurij culmen insisteret.*

CHRYSO.

In morte & sepultura abscondit.

4. Natiuitati Christi respondet Christi mors, imò & post mortem ipsa sepultura. De Christo canit Abacuc capit. 3. *Deus ab Austro veniet & Sanctus de monte Pharam.* D. Cyril. Alex ex Græco legit, *Et sanctus de monte Pharan vmbroso, condenso.* Quæ verba quamquam Cyrillus referat, ad Christi in mundum ingressum, quo ex Bethlehem, vel sacratissima Virgine natus est, hac ratione mirum in modum tegens siue obumbrans regiam suam Maiestatem, Rupertus nihilominus illa refert ad humilitatem Crucis, vbi omnem diuinitatis Maiestatem abscondit sub habitu serui. Ait ibi Rupertus: *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Quid tam vmbrosum, tam condensum?* Ad Christi in cruce absconsionem respiciens idem propheta ait loco citato: *Cornua* (scilicet crucis ignominiosissimæ) *in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.*

RVPERT.

Cur voluerit monumento aduolui lapidem.

5. Quid subesse putas mysterij, quòd non fuerit Christo satis in monumento sepeliri, sed insuper voluerit monumento admoueri lapidem, & quidem tantæ magnitudinis, vt scriptura eam insinuare volens dicat: *Erat quippe magnus valde?* Audi Ambrosium lib. 10. in Luc. de sepultura corporis Iesu, *cui pulcherrimus lapis admotus est, ne pateret.* Ecce etiam post mortem amat velamina Christus, nec in aperto vult sepeliri agro, verùm in monumento in petra exciso, cui insuper admotus maximus lapis, ne pateret humanis oculis. Addit Ambrosius: *Quicumque enim bene in se humauerit Christum diligenter eum custodiat, ne eum perdat.*

Qualiter Christus in vita obtexit gloriã.

6. Talis si in natiuitate Christus, talis in morte & sepulturâ, an alius in totius vitæ decursu? absit nihil illi tam proprium quàm velare maiestatem, potentiam & virtutem, atque humilitatis, vilitatis, atque infirmitatis luto præstantiora quæque contegere. De velamentis quibus Christus in decursu vitæ non necessariò, sed voluntariè obumbrauit & obtexit gloriam suam, pulcherrimè D. Bernardus. serm. 1. de resur. expendens verba illa Apoc. c. 5. *Vidi in dextera sedentis supra thronum librum signatum sigillis septem, & non erat qui legeret vel aperiret: Et ego flebam multùm, quòd nemo aperire librum dignus inueniretur. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris, ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid. Et vidi, & ecce in medio throni agnum stantem tanquam occisum, & veniens accepit librum de dexterâ sedentis in throno, & aperuit librum, factaque est lætitia magna & gratiarum actio.* Quo loco D. Bernardus per librum signatum, intelligit ipsum Christum, ipsum agnum qui occisus est; per septem verò sigilla siue signacula Christi infirmitates liberè susceptas, vt sub eis, tanquam sub nigro & infirmo cortice celaret & absconderet gloriã Maiestatis, infero illius verba: *Vt mihi videtur, idem qui agnus occisus, etiam liber est, qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inuenietur aperire hunc librum? indignum se profitetur & ipse Baptista Ioannes, quo inter natos mulierum maior nemo surrexit. Non sum, inquit, dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Venerat enim ad nos calceata Maiestas, diuinitas incarnata: venerat Dei sapientia, sed in libro clauso, vtique & signato. Quod ligabat corrigia calceamenti: hoc claudebant signacula libri. Sed quid dicimus super his septem? An fortè triplex animæ virtus, ratio, memoria, voluntas: & quadrifaria corporis compositio, ex elementis videlicet quatuor, in his septem est intelligenda, vt nihil de veritate humanitatis defuisse nouerimus Saluatori? An magis humanitas eius ipse liber est, & quærenda sunt signacula septem? Septem enim quædam arbitror inueniri, quibus maximè celabatur in carne præsentia maiestatis, vt non posset aperiri liber, & sapientia quæ latebat agnosci. Sunt autem quæ occurrunt interim, matris desponsatio, quâ partus Virginis, & conceptionis puritas celabatur: ita vt hominis fabri filius, fabricator hominis putaretur. Infirmitas etiam corporis, quâ nimirum plorans, vagiens, lactans, & dormiens, & cæteris subiacens necessitatibus carnis, latebat inter hæc virtus diuinitatis. Sic & circumcisionis signum suscipiens, peccati remedium ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat & peccatum: & item in Ægyptum fugiens à facie Herodis reguli, nec Dei filius agnosci poterat, nec Rex cœli. Quid trina illa tentatio inimici in deserto: in pinnaculo, supra montem? Si filius Dei, inquit, es, dic vt lapides isti panes fiant. Et item: Mitte te deorsum. Neutrum Christus fecit, vt signaretur liber, vt falleretur astutus. Denique eousque seductus est, vt haberet iam pro constanti hominem esse purum, & in tantam vesaniam superbia cæca proruperat, vt non diceret vltra; si filius Dei es: sed, hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Sextum est signaculum crucis, vbi pependit inter latrones, & cum iniquis deputatus est Dominus maiestatis. Clausit & sepultura librum hunc, nec vllum signaculum animo sic obstruxit, sic occultauit magnum pietatis sacramentum, Sepulto nimirum Domino, sola restare desperatio videbatur, adeò vt discipuli dicerent: Quia nos sperabamus. Quis non illo fleret in tempore clausum arctiùs librum, & non esse qui aperiret? Sed ne fleueris vltra Ioannes sancte, etiam tu noli flere Maria. Procul sit luctus, tristitia*

BERNAR.

Christus liber signatus

BERNAR.

nebula dissipetur. Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Dignus est agnus qui occisus est, leo qui resurrexit. Postremò liber ipse dignus est aperire seipsum, resurgens nimirum à mortuis: resurgens autem virtute propria, & post tres dies sicut prædixerat, testimonium perhibentibus inimicis, & resurgens in tanta maiestate & gloria, indicat manifestè quæcunque prædiximus signacula, vel operimenta voluntaria, non necessaria, nec conditionis fuisse, sed dignationis. Hæc Bernardus.

Virtutem turbatione operit Christus.

7. Nónne legimus Ioan. 11. in Lazari suscitatione: *Infremuit spiritu & turbauit seipsum, & dixit: vbi posuistis eum?* Ecce tibi gloriosissimo faciendo operi, & turbationem, & quasi ignorantiam præmittit, dum turbatur, quasi ignorans interrogat. Et cur insigni virtutis operi turbationem apponit? Pulchrè Diuus Hieronymus de vera Circumcis. ait: *Et hic turbatus Iudæis Deitatem celat in homine, & splendori diuinitatis in tantæ operationis corruscatione ignorantiam mortalitatis obducit, vt cùm possit in suscitando Lazaro Deus adorari, homo in sepulchri eius ignoratione vilescat.* Sic bonus mundi magister proditur æ virtuti velamen vilitatis apponit, eamque luto infirmitatis tegit.

HIERON.

Sæpe præcipit Christus ne diuulgarent præclara sua opera.

8. An non recordaris Christum leproso à se mundato, & sanato, dixisse, vt legimus Matth. 8. *Vide nemini dixeris, sed vade ostende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Non recordaris quòd adducto ad Iesum surdo & muto, vt legimus Mar. 7. eoque sanato: *Præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eò ampliùs admirabantur, dicentes: Omnia bene fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Nónne recordaris, quòd accedentibus ad Christum duobus cæcis, vt legimus Matth. 9. apertisque oculis eorum, illis comminatus sit dicens: *Videte ne quis sciat: illi autem exeuntes, diffamauerunt illum in tota terra illa. Nulli eos dicere iussit*, ait D. Chrysostomus homil. 33. in Matth. *non simpliciter, sed magna cum vehementia iussit, acriter enim infremuit, dicens: Cauete ne quis resciat.* Vides qualiter Christus studuerit vt opera sua, præsertim quæ magna & maxima, laterent, nec diuulgarentur.

Vult latere Christus vt illius actio nostra esset instructio.

9. Vis scire quem ob finem taliter vult latere Christus, operaque sua eximia non euulgari? Nimirum vt hæc illius actio, nostra sit instructio. Vnde D. Bernardus serm. 3. de Natiuit. *Imò verò nocte voluit nasci. Vbi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos*, &c. Post multa verò sic concludit: *Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum.* Hinc etiam sic monet D. Chrysostomus: *Si ergo misericorditer dando, similis Deo factus es: diligenter stude vt in contemnenda ostentatione, similis ei efficiaris, qui morbos hominum curans, præcipiebat ne cui dicerent.* Hanc Christi fuisse mentem, dum toties præcipit opera sua eximia celari, patet ex pulcherrima doctrina D. Gregorij lib. 1. dialog. capite 9. vbi postquam proposuisset hanc quæstionem; *Libet inquirere, quidnam sit quòd Redemptor noster, cùm duobus cæcis lumen reddidit, iussit vt nemini dicerent; & illi abeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa. Num quidnam vnigenitus filius patri & S. Spiritui coëternus, hac in re velle habuit, quod non potuit implere, vt miraculum quod taceri voluit, minimè potuisset abscondi?* Hunc in modum respondet sanctissimus pontifex: *Redemptor noster per mortale corpus omne quod egit, hoc nobis in exemplum actionis præbuit, vt pro nostrarum virium modulo, eius vestigia sequentes, inoffenso pede operis præsentis vitæ carpamus viam. Miraculum namque faciens, & tacere iussit, & tamen taceri non potuit: vt videlicet & electi eius exempla doctrinæ illius sequentes, in magnis quæ faciunt, latere quidem in voluntate habeant, sed vt prosint alijs prodantur inuiti, quatenus magnæ humilitatis sit, quòd sua opera taceri appetunt; & magnæ vtilitatis sit, quòd eorum opera taceri non possunt. Non ergo Dominus voluit quidquam fieri, & minimè potuit, sed quid velle eius membra debeant, quidve de eis etiam nolentibus fiat, doctrinæ eius magisterio dedit.* Sic ille. Similia scribit 19. Mor. 18.

BERNAR.

GREGOR. DOCTRI.

Si voluit Dominus sua opera latere, cur res non ita accciderit.

10. Pro cuius rei maiori indagine, sciendum, quod quamuis in Christo vna solummodo fuerit persona, quæ simul & diuina est & humana, duæ tamen fuere naturæ, realiter distinctæ, diuina, videlicet & humana; & sicut quælibet illarum propriã habebat voluntatem, fiebat vt in Christo duæ essent voluntates, realiter distinctæ; vna diuina, cuius respectu æqualis Patri; vna humana, cuius respectu similis erat nobis, vt quamuis voluntas illius diuina esset omnipotens, nam de illa, & propter illam dicebat Dauid Psalm. 134. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cælo & in terra:* Non tamen ex parte sua, erat voluntas humana. Non erat Christus exemplar hominum, quatenus operabatur & volebat res existere voluntate diuina, nam homini impossibile hac in re Deum imitari. *Quis est homo*, ait Ecclesiast. capite 2. *qui possit sequi regem factorem suum?* Sed quatenus procedebat, & operabatur voluntate humana, cuius respectu nobis similis erat, hinc aliquando res volebat voluntate humana, & cùm illa non esset omnipotens, non omnia præcisè fiebant, quæ volebat; nimirum, vt doceret homines quæ velle, & qualiter in actibus voluntatis procedere debeant. Sic volebat opera hæc præclara tegi silentio, omnia præstans, quæ purus homo præstaret, vt illius facta nullatenus euulgarentur, quod vtique putaret se assecuturũ, si scientibus præciperet totam rem occultandam ab ipsis, idque comminationibus mediantibus, vt si secus fecerint, indignationem eius sint incursuri: vt hac ratione homines instruat, vt quantum in se, procurent virtutum sua-

rum

rum opera inuolui silentio, & celari, ne si oculis hominum exponantur, similiter exponantur periculo mercedis apud Deum minimè consequendæ; adeò vt si contingat diuina voluntate, illa postmodum in lucem adduci, & manifestari ad aliorum vtilitatem, id illis quasi contingat inuitis. Et his ita præsuppositis, patet etiam solutio illorum verborum, quæ referuntur à Marco capite 7. quòd, *Christus ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.* Quomodo, inquies, cùm omnia quæcunque Dominus voluit, fecit, non potuit latere? Pulchrè pontifex Agathon D. Gregorij successor in epist. ad Augustos, quæ habetur in sexta synodo generali: *Latere voluit, quia tamquam homo, vt lateret quantum satis erat, fecit, ingressus est enim domum, occultauit se, discipulis silentium præcepit*, &c.

Quàm studiosus fuerit Christus vt eius celarentur miracula

11 Notauit autem D. Chrysostomus, vt celaretur miraculum, non solùm Christum præcepisse, & comminasse cœcis illis ne cui dicerent, sed insuper domi reclusos sanare voluisse, infero illius verba, quæ adducit glossa: *Quare*, ait, *clamantes eos sequi permisit? Docet scilicet ambitionem esse fugiendam, & inanem hanc gloriam non conquirendam. Nam cùm prope domum esset, distulit curationem eorum, vt occultiùs ibi curaret: & ideo etiam nulli hac de re quidpiam dicere præcepit.* Sic ille. Vides quantum in Christo studium celandi tantum prodigium?

Christiani quoque est bona opera occultare, eaque Christo offerre, & ad gloriā eius peragere,

12. Nostrum est opera nostra, quantum in nobis est, occultare, eaque Christo offerre, atque ad illius gloriam illa peragere; si ipsi gloriosum, nobis verò expediens, vt hominibus innotescant, non deerit muneri suo Deus. Occultat facta sua Christus, non vult euulgari præclara sua facinora, interim Deus illa ostentat, & omnibus obijcit conspicienda. Hoc in Christi natiuitate notauit D. Bernardus serm. 3. de nat. Domini. Natus est Christus Dominus intempestæ noctis silentio, & eo tempore Angelos mittit, qui pastoribus Christi annuncient natiuitatem. Luc. 2. *Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator.* Scilicet, dignus est, qui pulchra facta celat, vt Deus in publicum manifestet, & omnium conspectibus visenda obijciat, vt laudem assequatur, quam fugit. Audi D. Bernardum: *Imò verò nocte voluit nasci. Vbi sunt, qui iam imprudenter gestiunt ostentare seipsos. Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat: & ecce annunciat eum Angelus, laudat multitudo militiæ cælestis.*

Christus occultat seipsum, interim Deus manifestum eum reddit.

Bern.

13. Idipsum notat D. Bernardus in Christi Transfiguratione, nam sermone 1. de Epiph. expendens verba illa Matth. 17. *Et ecce vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite*, vtitur his verbis: *Nunc verò iam latere non potest, qui tam manifestè demonstratur à patre; Christus tanto tempore silebat, seipsum abscondebat.*

Idem.

14. Vt legimus Matth. cap 8. *Cùm motus magnus factus esset in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, Dominus imperauit vento & mari, & facta est tranquillitas magna.* Ecce tantum facinus peregit, sub noctis intempestæ silentio, & remotis arbitris tantam virtutem exercuerat, scientibus tantummodo his, qui paruo nauigio vehebantur. Quid tum Deus? vix applicuerat, & sic disponente Deo, occurrerunt Christo homines malo dæmone possessi, qui factum exponunt, & authorem extollunt. Audi Matth. *Cùm venisset in regionem Garasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis; ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis, & tibi, Iesu, fili Dei?* In quæ verba sic D. Chrysostomus hom. 20. in Matth. *Nam quoniam Iesum turbæ hominem appellabant, accesserunt dæmones Deitatem eius prædicantes. Itaque, qui mare, neque fluctuans, neque tranquillum audierant, audiebant dæmones eadem ipsa clamantes, quæ mare tranquillitate subita prædicabat.* Chrys.

Si Christianus occultat sua opera, Deus illa diuulgat.

15. Quod Christo, idem & tibi occultanti bona opera tua accidet, si modò Deo gloriosum, & tibi vtile, vt illa diuulgentur: imò si homines desint, qui præclarè facta euulgent, aderunt dæmones qui ea ordine exponant.

Anima debet esse hortus conclusus.

16. Dicitur Cantic. 4. à sponso in laudem sponsæ: *Hortus conclusus*, inquit, *soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Voluit, vt D. Hieronymus indicat, explicare strictam clausuram, quam sponsa tenebat, latitans ab omnium oculis separata. Id enim indicat iterata illa voce, horti conclusi, & similitudine fontis signati: Nihil enim magis oculos arcet ab aliquarum litterarum inspectione, quàm signum regis suppositum: illud enim omnes admonet, nullis oculis, ab ijs, quibus litteræ diriguntur, expositas aut contuendas. Sed an hortus hic conclusus inermis est, & fons signatus aquis est destitutus? *Emissiones*, ait, *tua paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, cùm vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe, cum omnibus primis vnguentis: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Ecce quàm frugifer hic hortus, & qualiter virtutum operibus, tanquam tot suaueolentibus aromatibus abundabat: & aduerte grande secretum, quod in Hebræo indicat vox illa, *Emissiones tua*; non enim tantùm significat hortū emittere, sed trāsmittere, vt Theodor. & Gregorius Nyss. annotant. Hieronymus legit, *Transmissiones tua*, vt vnico verbo sponsus explicaret, qualiter sponsa omnium bonorum operum fructum emitteret, quæ non solùm emittebat ex se, aut producebat, sed transmittebat ad

Vuuu 2 sponsum

sponsum, ad Deum, & erga eum omnes huiusmodi fructus referebat & mittebat. Hortus itaque erat sponsa omniũ fructuum genere abundantissimus, sed cuius omnis fructus omnium oculis erat celatus, *Hortus conclusus*. Et qualis fons? *Fons*, inquit, *hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*. Quibus verbis voluit exprimere abundantiam gratiarum, quâ ornata erat, à quo tamquam à monte Libano omne donum perfectum magna cum vbertate profluebat.

Sed huius horti conclusi fructus Deus manifestos reddit

17. Vidisti sponsã conclusam, vidisti mittentem & transmittentem soli sponso suo omnium bonorum operum fructum? Audi igitur sponsum subitò clamantem & aduocantem ventos, vt ad omnium nares & sensus, quæ in horto latebant, deferrent: *Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluet aromata illius*. Sicuti si nullus spirat ventus, flores, fructus, & aromata nullum videntur spirare odorem: ita ventis flantibus & excutientibus emittunt odorem, quem venti ipsi ad nares omnium deferunt; vt nihil aliud hisce verbis contendat cœlestis sponsus, quàm odorem, & suauitatem omnium aromatum, florum & fructuum, quæ abscondita & occulta tenebantur, ad omnium sensũ & notitiam peruenire. Grande mysterium, sponsam suam vult cœlestis sponsus tamquam conclusum hortum omnes fructus & aromata tenere conclusa, sibique tantũ transmittenda, & ipsemet ventos excitat, qui odores inde trahant, & omnibus eos notos faciant, & per omnium sensus spargant. Honor & gloria est clara notitia cum laude, similis odori ex floribus, quos venti concitant prodeunti. Est quædam area floribus plena, spirant venti, & flores concitant, atque hinc illincque trahunt & excutiunt, inde suauissimus odor procedit; non aliter cùm aliquis homo virtutum floribus abundat: permittit Deus vt eos vẽti agitent, id est, verba narrantium & loquentium exponant, ex quo consurgit quidam odor suauis, quo tales virtutes gratæ omnibus prædicantur: hæcque prædicatio est gloria & honor apud homines. Vult itaque sponsus, vt omnibus interdum innotescant sponsæ virtutes, & omniũ ora laxentur, ad eas enarrandas, vt innotescant illius opera bona hominibus, vt currant in odorem suarum virtutum, & glorificent Patrem, qui in cælis est.

Si tibi non expediat vt propalentur opera tua in hac vita, Deus illa propalabit in futura. CHRYSOS.

18. Si verò nullatenus gloriosum Deo, nec tibi expediens, vt opera tua propalentur hominibus, & ab ijs prædicentur in hac vita; illud certissimum quòd in extremo iudicij die non deerit Deus muneri suo, desiderio nostro quo tangimur, vt opera nostra alijs innotescant, tunc cumulatè satisfaciet, vt pulchrè docet D. Chrysostomus, expendens illud Christi apud Matth. cap. 6. *Sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Transpono illius verba: *Propter quod magnum omnino facere eleemosynam, atque honestissimum residere ostendit theatrum, quod cupiebat potissimum, hoc cum magna illi copia largiendo. Quid desideras inquit? Nónne esse aliquot operum spectatores tuorum? Ecce igitur habes non Angelos atque Archangelos tantùm, sed etiam horum omnium Deum: quòd si etiam habere homines spectatores concupiscis, ne hac quidem, quam præcipuè cupis mercede priuaberis, sed cùm opportunum tamen tempus aduenerit, quando certè, cum maximo hoc tibi cumulo præstabitur, quod requiris. Nam modò quidem si spectari velis, decem vel viginti, aut centum tantummodo hominibus ostentare te poteris, si verò nunc latere curaueris, tunc ipse te prædicabit Deus toto prorsus orbe præsente. Itaque si opera tua maximè sciri cupis, nunc ea occulta diligenter, vt eadem tunc ad maiorem tuum spectent honorẽ, Deo scilicet ea faciente manifesta, & ea referente prorsus, coramque omnibus prædicante. Nunc verò cuncti te culpabiliter videntes quasi gloriæ inanis auidum si te viderint à Deo coronatum, non modò non culpabunt, verùm etiam admirabuntur omnes atque laudabunt. Cum igitur maximam queas accipere mercedem, magisque admirationi esse cunctis, si modò exiguum tempus expectes, perinde quanta sit omnino dementiæ, vtrumque id pariter amittere, & eum qui à Deo mercedem operis efflagitet, ad spectandum ipsum opus hominis aduocare. Si enim ostentare nos volumus, patri ante omnia nos studeamus ostendere, qui & coronandi nos tenet potestatem, & mercede priuandi.* Hactenus D. Chrysostomus.

THEOPHYLACT.

19. *Mortui estis*, ait Apostolus Coloss. 3. *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cùm autem apparuerit Christus vita vestra, apparebitis & vos cum ipso in gloria.* In quæ verba sic accommodatè Theophylactus: *Ne hic honores, gloriasque concupiscatis, nam illic gloria vestra est. Delitescit margareta tantisper dum in concha fuerit, simulac verò illud perfractum fuerit, tum in gloria relucet. Hunc ad modum, & vos quamdiu in corruptibili isto corpore fueritis, tamquam latentes viuere debetis, ab omni gloria cupiditate alieni; quando enim dissolutum hoc corruptibile, tunc gloriæ nostræ finis erit locus.* Sic ille. Tunc illud Psalm. 36. adimplebitur: *Et educet quasi lumen iustitiam tuam. Tuam, iustitiam*, inquit Origenes ibidem, *quam tu fecisti in occulto, & reuelasti eam soli Deo, hanc producet sicut lumen Deus, & ostendet te iustum, illuminatum Sole iustitiæ, cælo, & terra, & omnibus qui in cælo sunt.*

Non

Non solùm in Christo, verùm & in multis alijs habemus exempla occultandæ nostræ virtutis.

§. II.

In naturalibus habemus exempla occultandæ virtutis.

1. NOn solùm in Christo habemus exemplum occultandæ virtutis, verùm & in multis alijs rebus.

2. Vis exemplum naturale. In amygdala oculos conijce, Aaronis virga, iuxta plures doctores, amygdalina erat, Num. cap. 17. vbi Procopius egregiè obseruat, virgam, eâ materiâ, Sacerdoti apprimè conuenire: *Forma*, ait, *amygdali, virum bonū adumbrat; vt enim nucleus eius est contectus, & in putamine latet, ita virtus in animi habitu recondita, non in corporis est conspectu.* Quasi diceret; propterea virgam amygdalinam Sacerdoti congruam fuisse, quia virtutis occultandæ præ se fert argumentum.

Habemus exemplum humanū in virgine sese purificante cùm esset purissima.

AVGVST.

3. Vis exemplum humanum? In sacratissimam Virginem oculos conijce. Quid illâ purius, dum illum parit, qui ab æterno genitus à patre, in splendoribus Sanctorum? Legimus enim Psal. 109. Deum Patrem sic alloquentem filium suum: *In splendoribus Sanctorū, ex vtero ante luciferum genui te.* Quò etiam respiciens D. Augustinus ser. 18. de Sanctis, qui est de Annunt. sic loquitur: *Quid igitur mirum, si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur?* Ecce quo nomine exornet Virginem; non eam sanctam nominat, sed ipsam sanctitatē esse affirmat, non sanctificatam dicit, sed ipsam sanctificationem esse asserere non dubitat. Quærit Albertus magnus quo in loco conueniebat fieri delegatio & missio Gabrielis Archangeli? Ratio autem suadere videbatur, eam peragendam in sanctissimo totius orbis terrarum loco, qualis tunc temporis erat augustissimum illud Salomonis templum: resoluit nihilominus meritò eam peractam in virginis oratorio, cæteris locis longè dignissimo, & diuinæ maiestati decentissimo, idque ob solam Virginis præsentiam: *In oratorio*, ait, *Beata Virginis fuit dignissima habitatio.* Si hæc ita se in Virgine habeant, quid est quòd purificationis seruat legem: an ipsa puritas indiget purgatione, an ipsa sanctitas & sanctificatio, sanctificatione? Legem seruat purificationis Virgo, vt sub velamine impuritatis, & luto humilitatis abscondat tantum diuinarum gratiarum thesaurum, vel potiùs abyssum, quâ à Deo cumulata fuerat.

ALBERT.

4. Vis scire vnde Virgini absconsio tot donorum atque gratiarum, sub velo tam difformi & humili? Nimirum ab ipso Deo qui vt conseruari possent in Virgine tot gratiarum thesauri, & dignè præmiari, eam obumbrabat, iuxta promissionem Archangeli illi dicentis: *Spiritus sanctus superueniet in te*; atque in virginali tuo vtero opus hoc tam nouum diuinæ incarnationis, & diuinæ generationis operabitur: *Et virtus altissimi obumbrabit tibi*; efficiens nimirum, vt abscondas & celes tantum, tamque admirandum Sacramentum. Ad hanc enim absconsionem, refert hanc obumbrationem D. Bernardus, serm. 4. in Psalm. 90. postquam enim dixisset; *Dum adhuc dies mali sunt, & in terra aliena sumus, quæ data est in manus impij, in qua non est regnum pacis, nec Deus pacis regnat in ea. Nam si regnat, quid est quod orantes dicimus: Adueniat regnum tuum? Necesse igitur est abscondere interim si quid habemus boni, quoniam thesaurum regni cœlorum qui inuenit homo abscondit*; Paucis interpositis subiungit: *Qualis forsitan absconsio fuit vel obumbratio, quæ Mariæ facta est à Spiritu sancto, ad celandum videlicet tam incomprehensibile Sacramentum.*

Celauit Maria incarnationis diuinæ in se peractæ sacramentum.

BERN.

5. Et meritò sanè sic sub velo humilitatis, ac luto mulieris peccatricis, ac sordibus commaculatæ, sic magnitudinem suam & puritatem abscondit virgo. Cùm ipsum Deum gestet in vtero, & creaturarum omnium sit maxima, quid in ea decet magis relucere, quàm maxima humilitas, qua vera omnis magnitudo mensuranda, iuxta illud D. Augustini lib. de S. Virgin. cap. 31. *Mensuram humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis datam esse*, nimirum, vt magnitudo non aliâ mensurâ, quam humilitatis dimetiatur, tantumque magnitudinis quis habeat, quantum ipsam magnitudinem abscondere, & celare nouerit.

Maria quia maxima, ideo humillima.

6. Decebat etiam sacratissimam Virginem, sub velo humilitatis tantam diuinæ maternitatis dignationem abscondere, nimirum, vt sicut humilitate, culmen omnis magnitudinis, beatitudinis, & virtutis adepta est. Cecinit enim: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Sic eâdem suâ humilitate, hæc omnia conseruauit; eadem deperditura, nisi in humilitate perseuerasset. Quâ mente explicat Rupertus verba illa sponsi ad Virginem dicta Cantic. 1. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi: Ecce*, ait, *illi, quæ de carne sua verbum carnem factum peperit, si ignorat se*, subauditur, *vnde altissimo placuerit, dicitur, egredere, & abi.* Deinde affirmans, mediante humilitate Virginis, omnia sibi dona integra remansisse, subiungit; *humilitate gratiosa communiuit atque perorauit, compleuit, & custodiuit.*

Sub velo humilitatis tegit maternam suam dignitatem, quia per humilitatem ad tantum culmem eleuata.

RVPERT.

7. Sed attendas velim, quod, dum sacratissima Virgo diuinitatis maternæ excellentiam ita abscondit, & tamquam vna de cæteris mulieribus purificationis legem

Dum virgo abscondit diuinā maternitatem Deus

legem obseruat, alia ex parte Deus disponat, vt tantum in eâ peractum mysterium Incarnationis Dominicæ propaletur, & ad plurimorum notitiam perueniat. Ecce enim Simeon accipiens puerum in vlnas suas, confitetur illum esse salutare Dei, lumen ad reuelationem Gentium, &c. omnibus contestans, Mariam esse Christi sacratissimam, & omni laude dignissimam matrem.

vult eam propalari.

Exemplum humanum habemus in Moyse.

8. Vis aliud exemplum humanum? In Moysen oculos conijce: postquam enim Deus Pharaonis constitutus esset, postquam virga illi concessa, quæ elementis imperet: postquam iussus à Deo vt in Egyptum proficiscatur, portentis futurus clarissimus, vt in Ægyptum descendat, cum bonâ Iethronis soceri sui veniâ, sic eum alloquitur Exod. capite 4. *Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam si adhuc viuant.* Ecce quàm vulgarem & communem exprimat peregrinationis suæ causam, reticens, & socero nequaquam declarans, quod supra humanam erat potestatem. *Licet Moyses*, ait Tostatus super his verbis quæst. 8. *istam causam expresserit, aliam subticuit, quæ magis vrgebat, scilicet, diuina missio, & apparitio; & in hoc apparet Moysis nobilitas, qui noluit gloriari apud homines, declarando sibi Deum apparuisse, nisi illis, quibus Deus declarare mandauerat.*

Tostat.

In Samsone.

9. Vis aliud exemplum humanum? In Samsonem oculos conijce, de quo legimus Iudic. 4. *Occurrit ei catulus leonis sæuus, & rugiens; ille verò* (licet inermis, & absque socijs) *quasi hœdum in frusta discerpsit.* An iactat tam insigne & præclarum facinus? Absit: sed alto illud premit sub silentio, & ne parentibus quidem, imò nec comitibus suis, paulò pòst ad se accedentibus innotescere voluit. Tanti facinoris absconsionem admiratus Serarius, sic exclamat: *O Samson! Leonem, eumque naturâ ac ætate ferocem, ac sæuum, horribili in te impetu irruentem, immaneque rugientem, tuis prehendisti animosè manibus, prehensum tenuisti valentissimè, tentũ distendisti, ac discerpsisti lacertosissimè: & tamen, ne tuis quidem in via ista comitibus, te paulò pòst accedentibus, tecum euntibus, & fabulantibus, indicare hoc voluisti: pudeat nos nostra vanitatis, cenodoxiæ, iactantiæ.*

Serar.

In Helia.

10. Vis adhuc aliud huius rei habere exemplum humanum? In Heliam oculos conijce: is enim ascensurus in cœlum, rogauit Elisæum, ne se in Bethel, Iericho, & Iordane, comitaretur, 4. Reg. 2. *Modestiæ causa, ne suam gloriam vel vni discipulo ostentare videretur,* inquit Abulensis ibidem. Nequaquam silentio prætereunda S. Barbatiani humilitas, cautela, & sagacitas, quibus miracula quæ perpetrabat, abdebat; proximos enim curans, semper herbas minimè proficuas ægris apponebat. Sic enim de illo scribit S. Petrus Dam. in serm. 65. *Ad hoc quippe pertinet, quod his, quibus sanitatem restituere cupiebat, sæpe superponendum quid, velut emplastrum: sæpe comedendum aliquid, quasi medicinale antidotum conferebat; eo nimirum, vt opinor, studio, vt dum herbarum virtus, vel medicinarum specierum potentia creditur, nequaquam sanctitatis suæ viribus restituta sanitas adscribatur: & dum ab eo medicina suscipitur, magis medicus, quàm sanctus esse videatur.* De industria Abbatis Apollinaris quâ abdebat eleemosynam vide Baronium in tom. 7. in append. ad fol. 533.

Tostat.

Petrus Dam.

Baron.

11. Vis exemplum cœleste? Conijce in Sanctos, in cœlo cum Christo regnantes, oculos: *Fecisti*, inquiunt Apoc. c. 5. *nos Deo nostro regnũ & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* In Græco est: *Et regnabunt super terram*, Quod expendens Rupertus, ait: *Notandum quod de prima persona, transierunt ad tertiam. Religiosa transitio est hæc; declinans etiam in sono vocis vanæ gloriantium similitudinem. Etenim cùm veraciter dicere possent. Et regnabimus super terram, magis humiliter dicere placuit; Et regnabunt super terram.*

Habemus exemplum cæleste, in Sanctis.

12. Vis exemplum angelicum? In angelũ illum oculos conijce, qui Genes. 32. in assumpto corpore cum Iacob luctabatur vsque mane; illucescẽte verò aurora, discessit: *Dimitte me*, inquit, *iam enim ascendit aurora.* Quod est quòd illucescente aurora velit dimitti? Nomẽ eius cùm esset mirabile, Deusque per illum stupenda operaretur, noluit ab alijs ad Iacob venientibus, videri: *Nolebat*, ait Pererius disp. 4. in Genes. c. 32. num. 39. *Angelus videri ab alijs, qui illucescente die venturi erant ad Iacob: huiuscemodi enim mysteria non sunt publicanda, & inuulganda; sed idoneis tantùm, dignisque secreto tradenda.*

Habemus exemplum cæleste in Angelis.

Perer.

13. Vis exemplum diuinum? Oculos conijce in primam mundi creationem, & videbis terram, & quæ terræ imminebat immensam aquarum abyssum sic conditam, vt non conspicua, sed nigerrimis vmbris & tenebris inuoluta fuerint. Genes. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Et quod amplius, spiritus Domini super easdẽ, sic tenebris obuolutas ferebatur aquas, illas more gallinæ fouens. Vnde alij legunt: *Spiritus Domini fouebat aquas*, nimirum illis indens & cõmunicans vim quandam vitalem ad producendas tam pisces quàm aues. Vult Deus percutere omnia Ægyptiorũ primogenita, quando id exequitur, nónne sub obscuræ noctis silentio? *Dum quietum silentium*, ait Sapiens Sap. c. 18. *tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit*, &c. Ecce qualiter tenebris abscondat Deus propria facinora, proprias virtutes.

Habemus exemplum diuinum in mũdi creatione.

Vis alia exempla diuina? De Cherubinis aureis, qui in tabernaculo collocandi erant, loquutus legislator: *Vtrumque latus*, inquit, *propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum.* Exod. 25. At si oraculum erat aureum, visuque pulcherrimum,

Habemus exempla diuina in Cherubinis aureis tabernaculi.

rimum, cur non potiùs detectum relinquebatur, vt omnibus palam visceretur? Rectè quidem Oleaster: *Considera*, inquit, *quid te hîc admoneat Deus: summus benefactor est, & nihilominus tectus, vt te doceat benefacere, & nolle videri.*

OLEAST.

15. Totum tabernaculum auro argentoque fulgebat: nihilominus illæ bases columnarum; quæ erant in primo tabernaculi introitu, ex ære fieri iubentur. *Erunt*, inquit, *capita aurea, & bases æneæ.* Exod. 26. Quòd hæc etiam spectent, rectè ponderauit idem Oleaster. *Consueuerunt*, inquit, *filij Adæ quidquid pretiosum aut pulchrum habent in ingressu domus suæ locare, vt qui personam ignorant, agnoscant eius vanitatem. Non sic autem Deus; sed pretiosa ponit in occulto, vilia in ingressu. Disce ergo à Deo tuo pretiosa tua abscondere, & viliora ostendere.*

OLEAST.

Omnia quæ in tabernaculo velata. LIRAN.

16. Ex c. 4. Num. constat, omnia quæ ad tabernaculum spectabant, velata portare consueuisse: quod Liranus ibi in morali sic exponit: *Per hoc quod omnia prædicta portabantur velata, significatur, quòd opera bona Sacerdotum, clericorum, & Religiosorum, agenda non sunt ad ostentationem suam, sed ad Dei laudem, & proximi ædificationem; ita quòd opera sint in aperto, tamen hæc intentio maneat in secreto cordis.*

Quæ damna incurramus dum hominum oculis opera exponimus.

§. III.

Opera nostra nisi sic abscondamus perdunt omnem vigorem.

17. VIs scire quare opera nostra bona taliter abscondenda, & si ab oculis hominum nequaquam abscondi possint, quia fiunt in aperto, intentio tamē semper debet manere in secreto? Nimirum, quia nisi abscondantur opera nostra bona ab hominum oculis, sed quærimus illa eorum oculis exponi, vt videantur, iam omnem perdunt vigorem, nulliusque redduntur valoris & meriti. Sunt bona opera vnguentis similia, quæ ex eo solummodo quod produ̅tur, euaporantur & amittunt valorem: sunt similia aquis odoriferis, quæ si non magnopere teneantur conclusæ, omnem amittunt odorem. Obseruat D. Gregorius 8. Mor. 37. quàm solerti cura contegat natura ipsa arbores, earumque fructus cortice; quo subtracto, exsiccatur arbor, & fructus corrumpitur: ignis cineribus nudatus, quàm citò extinguitur, in amore, in vino, in secreto, si detecta, quæ vtilitas? Idem ferendum de operibus nostris iudicium, abscondenda prorsus sunt, & magnopere curandum, vt lateant, & ne hîc videantur ab hominibus: Bene vixit, qui bene latuit.

GREGOR.

Natura ipsa, quæ seruare nititur abscondit.

28. Certè natura ipsa omnia quæ seruare nititur, abscondita tenet, & tamdiu intacta apud se retinet, quamdiu ab oculis videntibus custodit: aurum & argentum in visceribus terræ producit, sed hoc ipso, quod aliquo signo illa quæ produxerat, manifestat, illis spoliatur. Mirum est, vt S. Gregorius Nyss. considerat orat. 3. de Resurr. quàm abscondita teneat frugum grana, quando illa producit, ne ab auibus dissipentur, & deuorentur; singula enim grana peculiarem & proprium folliculum, duplicatum, & triplicatum, quasi multis inclusa cellis, habet, intra quas teneantur abscondita, & postremò protenduntur aristæ graciles quædam & acutæ, arma opinor aduersus auiculas, seminibus insidiari solitas, vt dum earum cuspidibus quasi spiculis punguntur, fruges carpere atque vastare desinant, eiusmodi fructus tamdiu integros natura conseruat, quamdiu tenet absconditos. Idem de bonis operibus est ferendum iudicium.

NYSSEN.

Semen nullâ obtectū terrâ, à volucribus comestum. DOROTH.

19. An non semen illud, quod secus viam ceciderat, quia nullâ obtectum terrâ, perijt, atque comestum est à volucribus? huc respiciens D. Dorotheus ser. 12. de timore futuri cruciatus, comparat bonum opus cum semine: *Debet*, inquit, *qui sementem facit in agro suo, simul ac semen iecerit, obtegere illud, atque profundâ terrâ demergere. Quoniam accurrunt volatilia, quæ semen illud arripiunt, & perit. Ita & nos agere sedulò studeamus, & si boni quid vnquam egerimus, illud per humilem cordis deiectionem obtegamus, proijciamus ante Deum infirmitatem & imbecillitatem nostram, precantes eum, vt laborem nostrum propitius intueatur, alioquin frustra laboramus.*

Homines omnia quæ seruare instituunt abscondunt.

20. Homines insuper naturam imitantes, omnia quæ seruare constituunt, abscondita tenent; gladium acutum vaginâ contegunt, vestes pretiosas thecis includunt, pretiosa iocalia scrinijs vnâ & alterâ obserante claue, celant.

Samson dum declarat in quo sita sit sua fortitudo eam amittit.

21. Samson dum propalat in quo sita sit eius fortitudo, eam amittit & perdit. Rex Ezechias cùm omnia bona sua legatis Babylonijs ostendit, pariter amisit 4 Reg. 20. *Auferentur*, inquit propheta, *omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc, in Babylonem.* Vbi D. Gregorius lib. cit. cap. 30. *Sic, sic*, inquit, *hypocritæ, postquam magnis virtutibus excrescunt, quia cauere malignorum spirituum insidias negligunt, & celari in ijsdem virtutibus nolunt, bona sua ostendendo, hostium faciunt, & prodentes subitò amittunt, quidquid diutiùs studentes operantur.* Sic ille.

GREGOR.

BASILIVS. Abscōdendæ spirituales diuitiæ ne pateant prædæ.

22. Dauid Psal. 118. *In corde meo*, inquit, *abscondi eloquia tua.* D. Basilius exponit allata similitudine eorum, qui diuitias occultant, ne à latronibus auferantur: *Ita*, inquit, *& qui spirituales diuitias habet, in animo suo, illas abscondit, ne has per inanem gloriam prædatores animarum furentur.*

23. Inter alias leges quas Deus in populo Israelitico sanciuit, vna, rei quam agimus confirmandæ, mysticè accommodatur: *Vas*, inquit, *quod non habueris operculum*

culum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Num. 19. In quem locum Rabanus. *Quasi vas, inquit, sine operculo vel ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur.*

RABAN.

Siue operculo est qui per studiũ ostentationis patet.

24. Huc spectat etiam illa Christi parabola Matthæi 13. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* D. Gregorius hom. 11 in Euang. *Thesaurus*, ait, *cæleste est desiderium, ager verò in quo thesaurus absconditur vt seruetur, disciplina studij cælestis.* Et paulò superiùs: *Qua in re hoc quoque notandum est, quòd inuentus thesaurus absconditur vt seruetur, quia studium cælestis desiderij à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc & ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita, quasi in via sumus, quâ ad patriam pergimus; maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via: hoc autem dico, non vt proximi opera nostra bona non videant, cùm scriptum sit: Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est; sed vt per hoc quod agimus, laudes exteriùs non quæramus. Sic autem fit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum.*

GREGOR.

Deprædari desiderat qui thesaurum publicè portat.

25. Venerant ab Oriente Magi Deũ adoratum, & quidem prudentissimi thesaurorum portitores cùm Hierosolymam accessissent, reconditos conseruarunt, quousq; ad Dei pedes peruenerunt. Matt. c. 2. rem sic narrat: *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera.* Cur ô reges ea donaria saltem Herodi non ostendistis? O quàm scitè moribus factum accommodat Paschasius Rasber. lib. 1. in Matth. sic: *Quo facto magni religionis nostræ Sacramentum aperitur, vt fide præuia thesauros nostros in via minimè pandamus, donec transpositi inimicorum insidias, gratia illustrante, soli Domino deuoti, ex reconditis secretorum cordium thesauris munera offeramus.*

Thesauri nostri minimè pandendi in via.

PASCHA. RASBER.

26. Non solùm publicatione virtutum perduntur bona opera, sed etiam omnia animæ ornamenta, omnis animæ decor & pulchritudo. Quod in multis lachrymabundus deplorat Ieremias Thren. c. 4. dum ait: *Quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus? Dispersi sunt lapides Sanctuarij, in capite omnium platearum.* Pulchrè prophetæ mentem exponit D. Paschasius lib. 4. aiens: *Sanctuarium quidem erat anima fidelis Deo, dum aurum, scilicet, verbum diuinum in ea fulgebat ignitum. Sed mox obscurari cæpit in perfidia, & caligine debitorum. Immutatur etiam color optimus, fit que fœda quæ pulchra erat, & disperguntur omnia intrinsecus, ita vt nulla remaneant vitæ ornamenta, dum cuncta pelluntur foras bona, &c.*

Publicatione perditur omnis animæ decor & pulchritudo.

PASCHA.

27. Præterea, virtutum & bonorum operum publicatione, dum homines aucupantur hominum gloriam, perdunt Christi amicitiam, vt bene expendit Rupertus lib. 1 comment. in Deut. cap. 26. illam expendens legem Deut. 23. *Ingressus vineam proximi tui, comede vuas, quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum.* Per proximum enim intelligens Christum, & per vineam eius, quam ingredimur, quando ad fidem Christi, tamquam operarij à patrefamilias, vocati sumus, intelligens Ecclesiam: vult quidem nos toto conatu insudare bonis operibus tamquam tot vuis colligendis & comedendis, sed nequaquam ea à nobis foras efferri debere, id est, nequaquam ad oculos hominum nos ea facere debere, ne proximi, id est, Christi perdamus amicitiam, infero illius verba: *Vineam hanc ingressus es, quando ad fidem Christi tamquam operarius à patrefamilias vocatus es. Comede ergo, inquit, vuas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum, id est, opera bona quantumcumque potes corde bono & animo volenti, nihil autem quasi ad oculos hominum. Qui enim lucem suam lucere facit coram hominibus, vt videant opera eius bona, & glorificent patrem, qui est in cælis, ille profectò intus vuas comedit, & proximo suo nequaquam damnosus, imò charitati eius gratiosus existit. Qui autem fecit iustitiam suam coram hominibus, vt videantur ab eis, vuas proculdubio foras extulit, & in hoc amici gratiam læsit. Dicit enim de huiusmodi: Amẽ dico vobis, receperunt mercedem suam. Receperunt, inquam, nec æterna familiaritate ad eandem proximi ingredientur vineam.*

Perditur Dei amicitia

RVPERT.

28. Meritò autem perdit Christi amicitiam, qui sic vuas effert, & ab hominibus gloriam quærit; nam gloriam, rem illi maximè gratam, Christo surripere conatur. *Ego Dominus*, ait Deus Isa. 42. *hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo.* Hanc gloriam Deo surripit, quisquis hominum gloriam ambit: ac proinde non potest non esse inuisus Deo, tamquam planè impius & infidelis. *Fornicator*, ait D. Bernardus ser. 4. de Natali Domini. *seipsum dehonestat, iniuriosus molestat proximum; elatus, quoad in se est, Deum inhonorat. Gloriam meam, ait Dominus, alteri non dabo. Et superbus ait: Mihi eam vsurpabo. Neque enim placet angelica distributio dans gloriam Deo, pacem hominibus.* Et subdit: *Non ergo colit Deum, sed aduersus eum extollitur, impius planè, & infidelis: quæ est enim pietas nisi cultus Dei?*

Meritò perdit Christi amicitiam, nam gloriam illi maximè gratam surripere conatur.

BERN.

29. Consentanea sunt quæ scribit D. Bernardus ser. 13. in Cant. his verbis: *Fratres, si hac scitis, nemo vestrùm velit laudari in vita ista, quia quidquid hîc fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris: tibi enim vnde gloria putide puluis? Tibi vnde? De vita sanctitate? Sed spiritus est qui sanctificat, spiritus non dico tuus, sed Dei. Sed si prodigijs, & signis fulgeas, in manu tua fiunt; sed in virtute Dei. An blanditur popularis fauor, quod verbũ bonum, & bene fortè deprompseris. Sed Christus donauit os, & sapientiam; nam lingua tua, quid nisi calamus scribæ. Et hoc ipsum mutuo creditum est talentum repetendum cum vsura.*

IDEM.

30. Quæ cùm ita se habeant, consultissimum

Attendendum ne iustitiam nostram faciamus coram hominibus.

THEOPH.

mum nobis vt obaudiamus Christi monita, Matth. 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Theophylactus & Euthymius prementes verbum, *Attendite*, eodem insinuari volunt, cauendum sibi esse à vana gloria, tamquam à truculenta quadam bestia. Ita vterque: *Attendite, ait Dominus, & cauete, quasi de mala aliqua bestia, dicat, attende ne dilaceret te.* Deinde vtitur Christus hoc verbo, *Attendite*, vt insinuet vanam gloriam esse pestem occultam, & subtile quoddam malum, quod etiam vitiorum victores non difficile vincat, id quod Cyprianus serm. de ieiunio, & tentationibus Christi, in illis verbis diaboli, *mitte te deorsum*, ita obseruauit: *Putabat malignus, quem gula non vicerat, vanâ gloriâ superari: experientiâ quippe rerum didicerat, & multis probauerat, vitiorum victores sape nugis laudationum corruptos, & cognatum propinquumque esse virtutibus malum, adulationem.* Sic ille. Ac proinde maximè necesse est, vt homo sibi attendat, ne ab illa seducatur & capiatur.

CYPRIANVS.

Qualiter à mala illa bestia, id est à vana gloria, nos custodiamus, nimirum si in solum Christum oculos coniiciamus.

31. Vis ab hac bestia te custodire, vis ab illa liberari? Ille ab hac bestia liber euadit, qui in omnibus actionibus suis in solum Christum oculos conijcit, iuxta illud Ecclesi. 7. *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.* Quæ verba imprimis sic interpretatur Liranus, in capite, in superiori parte animæ quæ vacat diuinorum contemplationi, stultus in tenebris ambulat, quia sola terrena & sensibilia considerat, quæ comparata ad Deum, sunt quædam tenebræ. Sed aptius ad propositum nostrum Glossa interlin. Sapientis oculi in capite, in cælestibus, quæ superiora sunt, in Christo, qui est caput: stultus in tenebris, in ignorantia terrenorum. Salonius in quodam dialogo quem fecit, seipso & Veranio, interlocutoribus; hoc interrogante, quare dixit Salomon, sapientis oculi in capite. Nunquid oculi stulti non sunt in capite ipsius? Respondet Salonius: Oculi in hoc loco non possunt corporales, sed spirituales intelligi oculi, videlicet mentis, id est, sensus & intentionis animi, per caput verò designatur Christus. 1. ad Corinthios 11. *Caput viri Christus.* Oculi verò sapientis in capite sunt, quia vir sapiens omnem intentionem suã ad Christum dirigit, & in Christo collocat; stultus in tenebris ambulat, quia & stultitiã simul, & amore huius mundi obscuratur. *Cuius stoliditatis est*, ait D. Chrysostomus hom. 19. in Matth. *vt ad spectandas virtutes eius Rege properante, regem quidem relinquat, ac negligat, ab egenis verò & mendicis spectari velit, ab eisq; potiùs laudem requiret.* Sic ille. Concinit D. Paschasius lib. 4. in cap. 6. Matth. ad illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* his verbis: *Dic quaeso, quis vnquam agricola quamuis rusticus, ideo colit agrum, & seminauit, tantum vt videatur ab his qui transeunt? Vel quis vnquam nisi stultus sit, finem laboris sui collocat in aspectu hominum, vt nihil ex eo aliud requirat?* Sic ille.

CHRYSOS.

PASCHAS.

Ille ab hac bestia liber euadit, qui ad Deum vertit opera sua.

32. Ille ab hac bestia liber euadit, qui obsequitur Sapientis monito Prou. c. 16. *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* Caietanus sic legit: *Verte ad Deum opera tua.* Exponit autẽ de intentione animi, id est, in his quæ agis, intentionẽ animi tui ab omnibus alijs caducis rebus auersam ad Deum conuerte. *Et dirigentur cogitationes tuæ*, nimirum, non aberrabunt à suo fine & scopo. Videtur itaque Sapiens alludere ad id, quod Diuus Augustinus tractat. 36. in Ioan. refert de aquilarum pullis ex communi naturalium sententia: Dicuntur, ait, & pulli aquilarum à parentibus sic probari, patris scilicet vngue suspendi, & radiis solis opponi, qui firmè contemplatus fuerit, filius agnoscitur; si aciẽ palpitauerit, tamquam adulterus ab vngue dimittitur. Vis agnoscere valorem & dignitatem tuorum operum, vis scire an excellentia sint & sublimia? Verte ad Deũ opera tua, vide an anima tua in operando, ipsaque opera tua Deum fixis oculis considerent & attendant, non deflectentia ab eo obtutum, & ad terrena & transitoria eandem transferentia, iuxta illud Pauli ad Coloss. 3. & ad Ephes. 6. *Serui obedite per omnia Dominis carnalibus, non quasi ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis: Domino Christo seruite, &c.*

AVGVST.

Vertenda ad Christũ opera sicut vertit ad solem pullos suos aquila.

Imitanda sunt illa animalia Ezechielis, quæ continuò oculos in Deum defixos habebant.

33. Vis videre aliquas firmo obtutu in solem respicientes, nec ab eo oculos deflectentes? Considera quatuor illa animalia, typum iustorum gerentia, de quibus sic Ezechiel. cap. 1. *Vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat, vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent.* Et paulò pòst ait: *Animalia ibant & reuertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.* In quæ verba sic D. Gregorius homil. 5. in Ezech. *Valde hac sibi videntur esse contraria, quia ibant, & non reuertebantur; & ibant, & reuertebantur.* Sed pulchrè hanc difficultatem dissoluit D. Hieronymus, nam illud ibant & reuertebantur, de corporibus illorum intelligit, quæ verè ibant antrorsum & retrorsum; sed tamen ita, vt vnumquodque coram facie sua ambularet, nec retrocedendo retrorsum, more vxoris Loth respiceret, vel cùm ambularet reuerteretur, sed oculos continuò in Deum defixos teneret.

GREGOR.

HIERON.

Quibus in casibus liceat ad Dei gloriam, aliis proprias propalare virtutes.

§. IV.

In aliquibus casibus possumus ad Dei gloriam virtutes nostras propalare. Primò dum tantâ interiùs replemur consolatione, vt eam intra cordis angustiam vix continere possimus.

34. DVm sic solius Dei gloriam in omnibus spectamus; interdum licitum, proprias virtutes, internaque Dei charismata aliis propalare. Primò quidem, dum tantâ replemur abundantiâ interioris consolationis, & tanto spiritus diuini feruore, vt eadem intra cordis nostri angustias vix continere possimus, planeque pro cordis refocillatione expedire videtur, vt quæ sentimus interiùs, aliis communicemus exteriùs. Huc referri potest illud Iob cap. 32. *En venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit: loquar, & respirabo paululum: aperiam labia mea.* Quo loco fit allusio ad proprietatem musti, de quo dicit Columella libr. 12. cap. 30. *Dolia operculanda, sed quoad vsque deferueant; tunc enim refrigeranda, & ventilanda.* Quasi dicat: Sentio animam meam ob immissas mihi diuinitus altissimas cogitationes, conceptusque sublimes, referre similitudinem cuiusdam vasculi musto pleni, sed carentis spiraculo, cuius defectu disruptionis non caret periculo, itaque vt mentem alleuiem, libet à Deo mihi communicata & aliis propalare, communiaque reddere, vt sic respiret anima. *Obseruandum*, ait Pineda in hunc locum, *non ineleganter, quæ quis mente concipit de diuinis rebus, mustum vocari: nam cùm illa in mente decoquuntur, ructum excitant, qui per os difflatur, hoc enim, illud est, eructauit cor meum verbum bonum, Psalm. 44. Et iterum Psalm. 144. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, &c. hoc tantùm discriminis, quòd in cibo materiali ructus, est indicium cruditatis; at in cibo spirituali, potiùs bonæ concoctionis, bonaq; meditationis. Sic Paulus ructabat vbique Christum: aiebat enim: Christi bonus odor sumus, olemus videlicet, quem manducamus, quem bibimus, quem meditatione concoquimus.* Sic ille.

COLVMELLA.

PINEDA.

35. Sicut ergo non est in potestate hominis, retinere & comprimere intra se ructum & odorem ciborum, quos stomacho recepit; ita interdum sancti, quas è mensa Dei comederunt micas variarum consolationum, & quem perceperunt rerum diuinarum gustum, non valent animo continere, sed interiùs ab ipso S. Spiritu mouentur ad illa eructanda, & aliis communicanda. Quàm laudabilis hæc eructatio docet Diuus Augustinus in Psalm. 44. dum exclamat: *O epulas felices, sic epulare, vt eructes, sic accipe, vt des.* Sed non omnium est hæc eructatio; sic enim eructatio corporalis non procedit nisi ex stomacho cibis repleto, ita & hæc spiritualis eructatio, siue diuinorum charismatum propalatio, non conuenit nisi perfectioribus animabus, & diuinis consolationibus repletis. *Non est omnium*, ait Diuus Bernardus sermone 3. de Aduentu, *hic ructus, nec omnes hac memoria pascit: quoniam nemo quod non gustauit, sed neque quod tantùm gustauit eructat, cùm ructus non nisi de plenitudine, ac satietate procedat.* Expende illa verba: *Neque quod tantùm gustauit eructat.* Vtinam similes obaudiant monitis B. Thomæ Archiepisc. Valentini, cuius hæc sunt verba conc. 2. de Annunt. *Discite occultare secreta, discite ostensa vobis celare mysteria, sed quod secretiore mentis cubiculo in aure cordis auditis, non statim effundere super tecta, ad nos illud Prophetæ verbum spectat: Secretum meum mihi.*

AVGVST.

BERN.

THOMAS EPIS.

36. Secundò, dum aliis exponimus nostra opera, vt ea cognoscentes glorificent Deum, iuxta illud Christi Matt. c. 9. *Videant opera vestra bona, &* (pro quia) *glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Si tantummodo diceret*, ait Diuus Augustinus in cat. D. Thomæ, *videant opera vestra bona, finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas quærunt hypocritæ, sed addidit, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est, ne ibi finem constituat, sed referat ad laudem Dei.* Sic ille. Qui gloriam propriam non quærit sibi, ait Maldonatus in citatum Matth. locum, sed Deo, etiamsi videri cupiat, videri non cupit. Hac mente absque aliqua hypocrisis suspicione dicebat Dauid Psalm. 29. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum:* Quid, inquies, an ista non præ se ferunt magnam sui ostentationem? Absit: Nam hanc abundantiam bonorum tum corporalium tum spiritualium refundebat in diuinam gloriam, vnde subiungit: *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Sic Diuus Paulus 1. Corinth. 15. dicebat: *Abundantiùs illis omnibus laboraui.* Et 2. Thess. 3. dicit se prædicasse Euangelium ab Hierusalem vsque ad Illyricum. Et 2. Corinth. 11. quam longam non texit seriem malorum, quæ pro Christo sustinuit? *In laboribus*, ait, *plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, &c. Sed ad quem scopum hæc omnia diriguntur ab eo, an ad aucupandam hominum gloriam? Absit: non alium habent scopum, quàm Dei gloriam. Vnde subiungit 1. Corinth. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Sponsa Christi, nempe anima iam perfecta Canticorum 8. oculos conijciens in sororem, quæ iuxta Philonis mentem, animam adumbrat incipientem & imperfectam, ait: *Soror nostra parua*, nimirum quia necdum feruet fide, spe,

Dum aliis opera nostra exponimus vt glorificẽt Deum.

AVGVST.

spe, & charitate, *& vbera non habet*, legit Chaldæa: *Merita eius leuia sunt.* Subiungit verò, in seipsam oculos coniiciens: *Ego murus*, id est, ait Theodoretus, ego hostibus formidanda, *& vbera mea quasi turris.* Quasi dicat, teste Philone; *Duo præcepta charitatis, seu duplex viuendi genus, actiuum, & contemplatiuum, ad altissimum probitatis gradum, me muri instar, erexerunt.* Quis prima fronte non dicat, hæc verba non carere vana præsumptione, nec aliena esse à propriæ virtutis buccinatione? Sed si perpendas sequentia illius verba, videbis quòd non sit vana, sed religiosa. Addit enim: *Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens, id est, in oculis sponsi gaudeo, & per pacem, & gratiam eius hæc accepi. Non ego, sed gratia eius mecum. In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, vt glorificent patrem meum.*

THEODORETVS.

37. Tertiò. Dum alijs virtutes, operaque nostra bona, ac dona spiritualia manifestamus, vt hac ratione, etiam ipsi prouocentur ad imitationem, & spem concipiant adipiscendi similes virtutes, perueniendique ad similem perfectionem. Hoc dixerim ex Gregorio libr. 19. moral. 18. his verbis: *Aliquando sancti, & coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare; sed ad eum finē omnia referentes, vt non ipsi eisdem operibus, sed pater eorum, qui in cælis est, debeat glorificari. Dum enim sancta prædicant, ipsa prædicatio eorum fortasse respicitur, quorum vita nescitur. Compelluntur ergo vitam suam dicere, vt auditorum suorum valeant vitam mutare.*

Dum illa manifestamus vt alios prouocemus ad eorum imitationem. GREGOR.

38. Quartò. Dum aliis enumeramus præclarè à nobis gesta, vt eosdem in bona confirmemus vita. Hac mente vult D. Gregorius 22. moral. 5. D. Paulum in medium sua adduxisse præclarè gesta, propriasque virtutes, easque Corinthiis manifestasse, sic enim ait: *Qui etsi Corinthijs bona sua enumerando narrauit, illos confirmare studuit, non se ostendere. Nam quia eadem bona non in se attenderet, patefacta tribulatione propriæ tentationis edocuit, quā expressè subiungit: Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis; vt ergo discipulos instrueret, de se summa referebat, vt verò se in humilitate custodiret, considerationis oculum non in virtutibus suis, sed infirmitatibus fixerat.*

Dum aliis ea manifestamus vt eos confirmemus in bona vita. GREGOR.

Quædam aliæ inter Christum & granum synapis conuenientiæ.

SECTIO XXV.

Ad imitationem grani synapis

1. SVnt insuper plurimæ aliæ inter granum synapis, & Christum analogię. Ac primò. Sicut granum synapis minimum est omnibus seminibus, & tamen postea fit maius omnibus oleribus: ita & Christus in passione minimus, sed per resurrectionem gloriosam, arbor maxima euasit. Vnde sic de Christo D. Gregor. 19. mor. cap. 1. *Ipse granum synapis, qui in horti sepulturâ plantatus, arbor magna surrexit. Granum namque fuit, cùm moreretur, arbor cùm resurgeret. Granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam maiestatis. Granum, quia vidimus eum, & non erat aspectus; arbor autem, quia speciosus formâ præ filijs hominum. Huius arboris rami sancti prædicatores. Et videamus quàm latè tendantur. Quid enim de eis dicitur? In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In istis ramis volucres requiescunt: quia sanctæ animæ quæ quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se subleuant, in eorum dictis atque consolationibus ab huius vitæ fatigatione respirant.*

Christus in passione minimus, per resurrectionem maximus. GREGOR. Psal. 18.

2 Secundò. Eandem synapis parabolam sic Christo adaptat D. Ambr. ser. 1. de grano synapis: *Christus nascendo in hominem humiliatus vt granum est; ascendendo ad calū, exaltatus vt arbor est. Granum planè Christus est, dum patitur, arbor est, cùm resurgit. Granum, inquam, est, dum famem esuriens sustinet, arbor est cùm quinque panibus saturat quinque millia virorum. Ibi sterilitatem humana conditione patitur, hic satietatem propria diuinitate largitur. Granum autem dixerim Dominum, cùm cæditur, contemnitur increpatur: arborem autem cū cæcos illuminat, mortuos resuscitat, peccata condonat. Huius igitur grani, hoc est, Domini Saluatoris velut synapis acrimoniam atque amaritudinem Iudæi minimè sustinentes, contempserunt succum cælestis disciplinæ accipere, dicentes illuminato illi cæco: Tu sis discipulus eius, nos autem Moysi discipuli sumus. Quod autem ait Euangelium; Quod acceptum homo misit in hortum suū: quem esse hominem hunc putamus, qui acceptum granum velut synapis granum in horto suo seminauit? Ego illum esse arbitror, de quo Euangelista refert: Ecce autē Ioseph qui erat decurio ab Arimathia, accessit ad Pilatum, petens vt depositum corpus Domini sepeliret: quod acceptum tradidit sepulturæ, quæ in horto fuerat præparata. Atque ideo ait scriptura, quod acceptū homo misit in hortum suum. Ergo Ioseph hortus flosculorū erat diuersis odoribus plenus. Sed necdum in eo germen tale inseuerat. Fragabat quidem specialis eius anima hortus varia suauitate virtutum, sed necdum Christum cum aromatibus in cordis sui secreto posuerat. Ita dum saluatorem in hortuli sui monumento sepelit, magis eum in anima sua intimis collocat. Ramos autem huius arboris requiramus. Inuenies quia ramus est Petrus, ramus est Paulus, rami sunt omnes Apostoli & Martyres, ad quos si quis se fortiter tenere voluerit, fluctibus sæculi minimè submergetur, quin potiùs sub vmbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, securus à diabolica tempestatis procella.* Hactenus D. Ambr.

Nascendo Christus est granum, ascendendo arbor. AMBROS.

3. Tertiò. Chrysologus in grano synapis expendit,

CHRYSOL.

Christus contritus ostendit quantæ fuerit virtutis.

expendit, quod contritum indicet quantæ si virtutis, idque sic Christo accommodat sermone 98. *Christus est regnum calorum, qui velut granum synapis in hortum virginei corporis missus, orbe toto crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus sui saporem; conteritur autem passione, vt quidquid est vitale, suo saporaret & condiret attactu? Nam sicut in integritate grani synapis virtus habetur occulta, apparet verò virtus eius vehementissimè si teratur: ita Christus corpore teri voluit, qui suam noluit latere virtutem.*

Christus in cruce contusus, & mortalitate exutus.

4. Quartò. Sicut granum synapis in mortariolo pilo teritur, & folliculis exuitur; ita Christus tunsione passionis & pilo crucis mortalitate exutus est. Quod Christo in manna adumbrato sic accommodat Anselmus Laudunensis apud Ioannem de la Haye tom. 2. in Exod. cap. 16. vers. 14. num. 110. *Hoc manna pilo tusum, quia sicut frumentum, vel milium, vel aliud tale in mortariolo pilo teritur, & folliculis exuitur. Sic corpus Christi per tribulationem passionis, & pilo crucis mortalitate exutum est.* Sic ille.

ANSELM. LAVDVN.

Christus, eiusque mysteria nisi terantur per meditationem vim suam non exerunt.

5. Quintò. Sicut etiam granum synapis nisi dum teritur virtutem suam ostendit, sic Christus illiusque mysteria, & virtutum exempla, nisi contemplatione & oratione, veluti quibusdam dentibus terantur, inque mentis ore voluantur, versenturque illorum virtutem, acrimoniam, ac saporem non percipies. *Cælestium scripturarum eloquia*, ait D. Ambrosius lib. de Cain & Abel. cap. 6. *Diu terere ac polire debemus toto animo & corde versantes, vt succus ille spiritalis cibi in omnes se animæ venas diffundat.* Parum sapiet Christus, si comedatur non contusus meditatione, hinc est quòd & alia etiam dona cælestia, plerisque desipiunt, quia integra traiiciuntur, non meditationis dente teruntur, non considerationis linguâ versantur, eduntur non gustantur. *Multi enim* (inquit Agell. explicans illa verba regij vatis Psal. 33. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*) *diuinis beneficijs sic vtuntur, vt illa non considerent neque animaduertant, itaque cum nullum iudicium dum illis fruuntur adhibeant, quasi vorare beneficia videntur, ita vt illorum saporem non percipiant: & quod Philosophi dicunt, tactu non gustu edant, vt gurgite quodam demitti cibus sine vllo sensu saporis videatur.*

AMBROS.

Qualibet Christi virtus & actio, ad multa extendi possunt.

6. Sextò. Sicut granum synapis plus operatur, quàm ex eius pusillitate præsumi posset; ita non solùm ipse Christus, verùm & quælibet ipsius actio siue virtus, quamuis vnica sit in seipsa, ad multa tamen quæ ad totius vitæ nostræ reformationem spectant, extendi facilè potest, vt rectè animaduertit & docet Aluarez de Paz tom. 2. lib. 3. part. 4. c. 2. dicens: *Humiliauit semetipsum propter nos, & hac humilitate non tantùm humilitatē docet, sed & nos ad charitatem allicit erga eos, propter quos diuina maiestas se deiecit: & ad misericordiam inuitat, erga eosdem, quorum miserias, imbecillitatesq́ue suscepit: & ad patientiā, vt contemni sustineamus: & ad obedientiam, vt Dei voluntatem nostræ in aduersis & abiectis præferamus: & ad gratitudinē, vt propter eius immensam dignationem à gratiarum actione, & eius laudibus numquam cessemus. Sic deuota anima quamlibet Christi actionem in exemplum trahit, & in incitamentum aliarum assumit. Quia sicut lumen solis (philosophia docente) substantia quidem lumen est, virtute tamen est calor, & decor, & perfectio inferiorum corporum, quia sed lumine suo ea calefacit, promouet, & ad decorem perducit: ita qualibet virtus Christi, exempli gratiâ, humilitas, substantiâ humilitas est, potestate verò est omnis virtus, quia ad omnem virtutem præstandam inducit. Nec incōgruè ob hanc virtutum Christi proprietatem, dicemus ipsum fuisse grano synapis comparatum; quoniam sicut hoc granum plus operatur, quàm ex eius pusillitate præsumi posset; ita Dominus quamlibet suam actionem, etiam minimam, tantâ acrimoniâ & calore succendit, vt ea ex vna virtute ad aliam trahat, & vnico exemplo suæ puritatis, quod imitamur, ab omni tentatione nos protegat. Sapienter ergo Basilius monuit, cunctas Christi actiones non negligenter, nec quasi per transitum, sed intentissimè & profundissimè esse meditandas; quia qualibet eius actio, & quilibet sermo, omnis pietatis & virtutis est regula; adeò vt ex singulari eius aliquo opere rectè perpenso, ad multa præstantissima virtutis opera moueamur. Et sicut ille, vnicum verbum patris est, quo tamen non vnum tantùm, sed omnia dicuntur, tum visibilia, tum inuisibilia: tum facta, tum facienda & possibilia: tum creata, tum increata, quia Pater illo verbo suo, se & ipsum verbum & Spiritum sanctum, & quæcunque sub eius potentiam cadunt, dicit: Ita qualibet actio eius vnica cùm sit, ratione tamen perfectionis immensa multiplex ad persuadendum suo exemplo, & efficax ad omnem virtutem edocendam inuenitur.* Hactenus ille.

ALVAREZ DE PAZ.

7. Septimò. Doctissimus Salmeron tom. 7. tract. 8. postquam synapis naturam accuratè ex Plinio lib. 20. cap. 22. sic descripsit: Est minimum semen quantitate, maximum verò qualitate & virtute, & maximum inter omnia olera, vt Dominus ait, atque vilissimum, nec colore nec odore blandiens; calidæ & subtilis naturæ, ita vt principatum habeat, teste Pythagora, inter ea, quorum in sublime vis feratur: quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetrat: vim habet vaporem expirandi, contritum verò maximè suam virtutem indicat: purgat pituitam, & cerebri superfluitates: condit cibos, tollitque eorum superfluas humiditates, & tenacitatem, excreationes faciles facit: ad dentium dolorem manditur: tritum cum aceto ad serpentium ictus & scorpionum illinitur: fungorum venena discutit: vmbram & nidum auibus cæli præstat. Sic ea omnia accōmodat Christo designato in regno cælorum, iuxta interpretationem Hilarij, Ambrosij, Gregorij & aliorum, Christus, ait, minimus est inter omnes

SALMER. Conuenientiæ inter granum synapis & Christum.

omnes legislatores & Prophetas, quod attinet ad externam speciem, quæ ex diuitiis & natalium splendore, eloquentiâ, & comitatu pendere solet: Christus autẽ generatione habebatur filius fabri, diuitias nullas habebat, nec vbi caput reclinaret: minimus etiam erat inter Apostolos, quibus ministrabat, ac quibus dicebat: *Ego in medio vestrûm sum sicut qui ministrat.* Se filium hominis appellabat, quasi in oculis hominum vilem & abiectum. In cruce etiam minimus fuit, ipso dicente: *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Et alij dicunt cum Propheta: *Vidimus eum & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum.* Quid enim minus aut abiectius, hoc Christi dogmate, quod ab Apostolis prędicatum est: *Prædicamus*, ait Paulus, *Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Sed idem Christus, vt granum synapis, calidæ fuit & subtilis naturæ, propter diuinitatem: contritum in cruce indicauit quantæ sit virtutis; nam commouit vniuersum orbem, & exaltatus à terra, omnia traxit ad seipsum. Sustulit venena errorum & superstitionum, per vniuersum orbem prædicatus: condiuit cibos, quos nobis ad edendũ proposuit, id est, verbi, & sacramenti. Hoc granum seminatum est & in horto: nam Christus in horto captus est, & post mortem in horto sepultus: at mox vt surrexit à mortuis, maximus factus est, & creuit in arborem magnam, quæ per ascensionem ipsum cælum excessit, impletumque est verbum Isaiæ cap. 4. *Erit germen Domini in magnificentia, & fructus terræ sublimis.* Deinde hæc arbor protulit, & expandit ramos suos, id est, discipulos suos, quos in orbem terrarum emisit, cùm dixit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Petrus enim, Paulus, Bartholomæus, & reliqui Apostoli, sicut palmites dicuntur respectu Christi, cui, vt viti, sunt insiti, ita rami respectu rami synapis eos producentis, & per eos operantis. Et licet numerus sit in ramis, est tamen vnitas in fundamento synapis: ita etsi varia sint quæ credimus, & varij ministri, vna tamen est omnium fidelium, & dogmatum Ecclesiæ Christi fides. *Maius est omnibus oleribus, & fit arbor.* Superans omnia olera, hoc est, omnes sectas extinguens. Vel, vt egregiè exponit Hilarius; *Maius est omnibus oleribus*, quia excedit omnes Prophetas, qui erant veluti olera ægrotanti Israeli. Rami autem in eam magnitudinem dicuntur creuisse, vt volucres cæli veniant sub vmbra eius, & nidum ibi faciant. Volucres cæli hoc loco dicuntur, secundum aliquos, angeli, qui in cordibus Apostolorum quieuerunt, quemadmodum dæmones in mentibus superborum & impiorum, tamquam in nido quodam quiescunt. Et aduerte, in alia parabola per volucres cæli intelligi dæmonia; in hac verò Angelos: vel secundum alios, volucres cæli videntur dici homines cęlestis desiderij, & cęlestis mentis, siue homines magnis & excelsis ingeniis præditi, vt Philosophi multi & oratores, qui ad fidem conuersi sunt, qui sub vmbra doctrinæ Apostolicæ requiem captarunt, & solatium, & cum sponsa dicebant: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi.* Nam illi æstum iræ diuinæ, tormenta & mortem ipsam pro Christi doctrina, quam prædicabant, sustinentes, nobis, quibus hæc doctrina tam firmis rationibus tradita est, vmbræ refrigerationẽ præstant. Ibi etiam in ramis huius synapis nidificarunt, quia omnem spem suam à seipsis, & à creaturis omnibus auellentes, in vno Christo, & fide eius per Apostolos disseminata, posuerunt. Multi etiam veteres & magni viri ad Christum conuersi, pro doctrina Apostolica contra Iudæos & gentiles scriptis decertarunt, vt Dionysius Areopagita, Clemens Romanus, Clemens Alex. Iræneus, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Basilius ac Gregorius Nazianz. & reliqui, qui dum egregiè Apostolicam traditionẽ aduersus infideles & hæreticos tuentur, quid aliud faciunt, quàm quòd in ramis synapis ædificant? Nidificant rursus omnes boni pastores, qui per doctrinam Apostolicam filios Dei regenerant, & prolem filiorum Dei, Apostolico ministerio verbi & sacramenti, Deo sufficiunt. Cantillant & garriunt aues dum nidificant; quia laudes & preces ad Deum effundunt viri sapientes, dum bona opera edunt, sed maximè dum alios Christo lucrifaciunt. Denique hic sensus quo granum synapis Christo comparatur, testimonium habet & confirmationem Danielis c. 2. vbi scribitur: *Lapidem de monte sine manibus abscissum, percussisse statuam, & lapidem factum in montem magnum, & impleuisse vniuersam terram.*

Luc. 22. Psal. 21. Psal. 53. 1. Cor. 1. Mar. vlt.

Quòd granum synapis sit symbolum Ecclesiæ.

SECTIO XXVI.

1. GRanum synapis non solùm symbolum est Christi, verùm etiam ipsius Ecclesiæ.

Primò, granum synapis dum teritur, vim non amittit, sed magis exerit: nónne idem verissimè de Ecclesia affirmari potest? Audi D. Chrysostomum demonstratione aduersus Gentiles, quòd Christus sit Deus: *Licet hi qui crediderunt, in carceribus seruarentur, despectui essent, amitterent substantias, occiderentur, traderentur igni, submergerentur aquâ,*

Ecclesia dum teritur vim exerit. Chrysos.

aqua, & omne tormentorum genus sustinerent, cum summa ignominia, persecutionem paterentur, vt hostes publici, plures tamen accrescebant: non solùm nihil ex aliorum persecutionibus facti segniores, sed & multùm alacriores sponte ad pœnam currebant. Et quamuis viderent torrentes fluere sanguinis credentium, feruentiores tamen reddebantur in fide, & fidentiores, habebant enim adiutricem, & commilitantem inuictam virtutem eius, qui dixerat: Super petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Idem serm. in Iuuentium, & Maximum martyres: *Sicut*, inquit, *planta rigata magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata magis floret, neque horti aquis irrigati ita germinant, vt Ecclesia, si martyrum sanguine irrigentur.* IDEM.

2. Audi insuper etiam eundem orat. 2. aduersus Iudæos: *Quot bella aduersus Ecclesiam concitata sunt, quot exercitus instructi, quot arma mota, quod afflictionum & vindictæ genus non excogitatum, sartagines, catapeltæ, lebetes, fornaces, lacus, & præcipitia, bestiarum dentes, maria, & proscriptiones, aliaq; innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda, neque factis toleranda? Atque hæc tantùm ab extraneis, verùm etiam à nostris domesticis. Nam ciuile quoddam bellum occuparat omnia, vel quouis potius ciuili bello perniciosius. Neque enim ciues modò cum ciuibus, verumetiam cognatis, domestici cum domesticis, amici cum amicis confligebantur: nihil tamen horum dissoluit Ecclesiam, ac ne inferiorem quidem reddidit. Atque id sanè mirum & incredibile, quòd hæc in ipsis statim primordijs mota sunt. Nam si tum irruissent hæc acerba, posteaquam iam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatum esset Euangelium, haud perinde fuisset admirandum, non fuisse subuersam Ecclesiam. Cæterùm cùm in ipso doctrinæ exordio nuper iacto fidei semine, teneris etiamnum auditorum mentibus, tot procellæ verborum eruperint, res nostras non solùm ex nulla parte fuisse diminutas, verùm etiam multam accessionem adiunctam fuisse: hoc nimirum superat omne miraculum.*

Eadem veritas variis similitudinibus illustratur à SS. Patribus.

3. Hanc veritatem variis allati similitudinibus illustrant sancti Patres Tertullianus in Apolog. cap. vlt. *Exquisitior quæque crudelitas vestra (ô gentes) illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum, quod seminatum in fidei & pietatis agro, fructum protulit innumerabilem, fecitq; vt tot hominum millia, relictis patrijs legibus, relicta maiorum religione, relictis voluptatibus & vitijs, quibus ab incunabilis assueuerant, nouam ac peregrinam doctrinam, & pro simplici Christo suas ceruices secandas præberent: direptio bonorum, exilia, carceres, cruciatus, mortes, nihil aliud erant, quàm profectus Euangelij.* TERTVLL.

4. *Quod nos*, ait Iustinus Martyr in dialogo cum Triphone, *in Christum credentes nemo terrere, aut domare valeat, apparet quotidie. Cùm enim obtruncemur, crucifigamur, obijciamur bestijs, ignibus, alijsq; tormentis tradamur, tamen à confessione non discedimus: sed quantò magis in nos sæuitur, tantò plures pietatem & fidem per nomen Iesu profitentur, haud secus quàm si quis vitem putatione prouocet ad vbertatem fructuum.* IVSTINVS MART.

5. *Non minuitur*, ait S. Leo serm. 1. de SS. Petro & Paulo, *persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* LEO.

6. Vt arbor quò magis à nouellis virgultis exscinditur, eò sublimiùs eleuatur: sic Ecclesia quò immaniùs ab impiis affligitur, eò ampliùs crescit, & clarior efficitur. Vt arca Noë, quò copiosiùs aquæ diluuij abundabant, eò altiùs ferebatur, & ad cælum tendebat: Sic Ecclesia, quantò plures sunt afflictiones, per aquas significatæ, tantò redditur illustrior, excelsior, & cælo propinquior. Sicut palma, cùm ei pondus imponitur, non succumbit, sed potiùs in morem fornicis sese erigit, sic etiam Ecclesia.

7. *Malum punicum*, ait Beda scribens in illud Cantic. 4. *sicut fragmen mali punici, ita gena tua, magnam granorum copiam vno foris cortice includit, vnde & malum granatum dicitur, quæ quidem integro adhuc malo videri nequeunt, sed fracto apparent quàm sint innumera: sic enim sancta Ecclesia, quò ampliùs eam frangi aduersis contigerit, eò clariùs reserat quot virtutum grana vnius fidei tegmine complectatur.* Sic ille. BEDA.

8. Vt meritò dixerit S. Hilarius lib. 7. de Trinit. *Hoc Ecclesiæ proprium est, vt tunc vincat, cùm læditur: tunc intelligat, cùm arguitur: tunc obtineat, cùm deseritur.* Et ibidem. *Dum opprimitur crescit; dum contemnitur proficit: dum læditur vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat cùm superari videtur.* &c. Et Cassiodorus super Psalm. 1. *Nouit Ecclesia beneficio Domini, triumphare de suis cladibus ingrauata: persecutionibus siquidem proficit, afflictione semper augetur, sanguine martyrũ irrigatur, tristitiâ magis erigitur, angustiâ dilatatur, fletibus pascitur, ieiunijs reficitur, & inde potiùs crescit vnde mundus deficit.* HILAR.

Incassum oppugnant Ecclesiam aduersarij.

9. Quàm incassum, oppugnaturi essent Ecclesiam aduersarij, expendens Regius Vates sic incipit Psalm. 2. *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania. Astiterunt Reges terræ & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Illud *Quare*, designat causam finalem, quasi dicat: Quorsum, ad quid, in quem finem, quo consilio conuenerunt principes mundi aduersus Christi Ecclesiam? proculdubio frustra gentes id faciunt. *Contra Ecclesiam*, ait hîc Lira. *quã multipliciter fremuerunt Iudæi & gentiles post resurrectionem & ascensionem Christi ad cælos, vt patet in actibus Apostolorum, & legendis sanctorum, quærebant enim persequendo fideles, Ecclesiam destruere, sed frustrati fuerunt intentione sua, quia per hoc magis fuerunt multiplicati fideles, Qui habitat in cælis* LIRA.

cælis irridebit eos, id est, irrisione dignos reddet in futuro.

Adumbrata Ecclesiæ augmentatio inter persecutiones in filiis Israel.

10. Adumbrata & hæc Ecclesiæ, per grauissimas persecutiones, promotio & augmentatio in filijs Israel, de quibus legimus Exod. cap. 1. *Quantoq; opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant.* Quæ verba expendens Diuus Chrysostomus homil. 16. in Acta Apost. ait: *hoc diuinæ potentiæ erat in tantâ Regis indignatione, gentem crescere, quæ seruiebat, affligebatur, cruciabatur, hæc magnitudo promissionis erat, si enim in terrâ suâ creuissent, non tam mirabilis fuisset.* Sic ille. Sicut autem singulari benedictione, inuitis hostibus Ægyptiis suum populum multiplicauit & fœcundauit Deus; Ita etiam Spiritus sancti gratia accidit, quòd oppugnata crescat Christi Ecclesia. *Sanguis Christi* (ait Chrysost. serm. de S. Pentecoste tom. 3.) *irrigat Ecclesiam, & ideo plantaria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius, non subiacet necessitati temporu, nec est conditioni obnoxia vt per æstatem coma foliorum tegatur, hyeme amittatur. Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus sancti eam gubernat gratia. Et ideo non senescit, nec contrahitur, & multis oppugnationibus non opprimitur.*

CHRYSOS.

IDEM.

Roboratur perferendo Ecclesia.

11. Secundò, sicut granum synapis patiendo vim suam exerit, & roboratur perferendo. Ita Ecclesia vt pulchrè notauit Beda sermone 18. de sanctis, hisce verbis: *Dum Catholica mater Ecclesia, per totum orbem longè lateq; diffusa, in ipso capite suo Christo Iesu edocta, contumelias, cruces, & mortem didicit timere, magis magisq; roborata est, non resistendo, sed perferendo.* Sic ille. Patientiæ præsidio creuisse sponsam sponsus pulchrè insinuat Cantic. cap. 4. dum sic eam laudat: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea.* Ecce quibus armis instructa Ecclesia, non gladiis, non spiculis, non securibus &c. quibus oppugnari solent homines, sed solis patientiæ clypeis quibus inimicorum ictus excipiat, & sic eos per solam patientiam & malorum insignem tolerantiam vincat.

BEDA.

Ecclesiæ initia valde exigua.

12. Tertiò granum synapis minimum, est, omnibus seminibus, ita Ecclesiæ initia maximè parua, vilia, & abiecta fuere. Ad fundandam enim Ecclesiam Christus, non alios quàm despectos quosdam elegit piscatores, vt non sapientiæ & potentiæ humanæ eius adscriberetur ædificatio, sed solo diuino spiritui, nullius nominis hominibus illucescenti. Augustinus libr. 18. de Ciuit. ca. 49. ait: *Elegit Christus discipulos humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, vt quidquid magnum essent & facerent, ipse in eis esset, & faceret.* D. Hieronymus in c. 4. Matth. ait: *Piscatores & illiterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium non virtute Dei, sed eloquentiâ atque doctrinâ fieri putaretur* &c. Ambrosius in Luc. cap. 5. *Aduerte cæleste consilium, non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles: sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit: ne traduxisse prudentiâ, ne redemisse diuitijs, ne potentiæ nobilitatisq; auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, vt veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret* &c. Petrus Damiani sermone 1. de S. Andrea: *Ad prædicandum Rex gloriæ solus aduenerat, paulatim sibi milites acquirebat, non tamen eligebat triumphalibus titulis claros, non strenuos bellatores, non philosophos, non eloquentes, sed retium nectores, & exilis nauiculæ remiges, vt victoria soli diuinæ potentiæ, non humanis viribus adscribatur* &c. Augustinus de verbis Dom. sermone 59. *Magna artificis misericordia, sciebat enim quòd si eligeret Senatorem, diceret et Senator: dignitas mea electa est. Si eligeret diuitem diceret diues: Opulentia mea electa est. Si regem diceret Rex: Potestas mea. Si oratorem, eloquentia mea; si philosophum, sapientia mea electa est: interim dicit Dominus, differantur superbi isti, multùm tument. Da mihi priùs istum piscatorem: Veni, tu pauper, nihil habes, nihil nosti, sequere me: Tam largo fonti vas inane admouendum est: dimisit retia piscator, accepit gratiam, & factus est diuinus orator: Leguntur modò verba piscatorum, & subduntur colla oratorum* &c.

AVGVST.

HIERON.

AMBROS.

PETRVS DAM.

AVGVST.

A quàm paruis initiis creuerit Ecclesia.

13. Vis videre à paruis initiis, qualiter creuerit Ecclesia? Audi Tertullianum libr. cont. Iudæos. *Salomon regnauit, sed in finibus Iudæ tantùm à Dan vsque ad Bersabee: Babylonijs & Parthis regnauit Darius, non vltra: Ægyptijs Pharao, sed illis tantùm. Nabuchodonosor ab India vsque ad Æthiopiam habuit regni sui terminum. Alexander Macedo, nunquam Asiam vniuersam, & cæteras regiones, postquam deuicerat, tenuit: Sic germani, Britanni, Mauri, Romani, imperij sui habent terminos: Christi autem nomen & regnum vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus colitur vbique regnat, vbique adoratur, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus iudex, omnibus Deus, & Dominus est.* Sic ille.

TERTVLL.

Hoc augmentum declaratur dum Ecclesia dicitur creuisse in arborem.

14. Hoc Ecclesiæ augmentum indicatur à Christo, dum dicitur Ecclesiâ creuisse in arborem, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Rami huius arboris sunt diuersi Ecclesiæ status in quibus volucrum more degunt Christiani, quiete & tranquillitate animi perfruentes, nimirum virginitas, cælibatus, coniugium. Quis ordo inter istos status debeat constitui docet sanctus Aldhelmus in libello de laudibus Virginitatis, vbi scribit se ex angelica reuelatione didicisse quis ordo constitui debeat in statibus Ecclesiæ. *Cùm,* inquit, *tres sint status in Ecclesia, virginitas, cælibatus, & coniugium, ex angelica reuelatione didicimus: si meritorum ratio habenda est, eum hanc inter virtutes constituendum esse ordinem, vt sit virginitas aurum, cælibatus argentum, coniugium æramentum.* Possumus etiam per hosce

ALDHELMVS.

hosce ramos intelligere, tres alios status, siue ordines hominum: seruorum, mercenariorum, filiorum. De quibus sic Diuus Gregorius Theol. orat. in S. Baptisma: *Enimuero, cùm eorum, qui salutem assequuntur, tripartitus ordo sit, seruorum videlicet, mercenariorum, & filiorum: ita te compara, vt si seruus sis plagas extimescas: si mercenarius id vnum spectes vt mercedem accipias: sin autem ijs sublimiorem locum teneas, atque in filiorum ordine censearis, Deum vt patrem verere, bonorum operum studio incumbe, quia bonum est patri morem gerere, etiamsi ex eâ re nihil quaestus ad te rediturum sit, hoc ipsum est merces patri placere atque inseruire: quae tria vtinam non contemnamus.*

GREGOR.

Ecclesia in primis suis fundatoribus vilis & abiecta.

15. Quartò, granum synapis exteriùs vile & abiectum, idem quoque accidit Ecclesiae in primis suis fundatoribus, de quibus loquens D. Paulus 1. Cor. 4. ait: *Tanquã purgamenta huius mundi facti sumus.* Quasi dicat, tanquam sordes vndique euerrendo collectae facti sumus. Syrus vertit, *Nephata*, id est, tanquam stercus mundi facti sumus, idque non semel, sed semper, vsque ad hãc horam, ita Theoph. *Omnium peripsema vsque adhuc.* Peripsema, id est abiecta scobs, ramẽtum, resque vilissimae quae abijciuntur & calcantur ab omnibus, ita Chrysost. Theop. Ans. Oecumenius per peripsema intelligit vilẽ panniculum, vel strophiolũ, quo sudores abstergũtur. Alij ex Budaeo vertũt peripsema, piacularis hostia. Peripsemata gentilibus erant scelesti & exitiales homines, qui famis, tempestatis, alteriusque publicae calamitatis sedandae causà, immolabantur, vel in mare proiiciebantur & Neptuno sacrificabantur, addentes haec verba: Esto nostrum peripsema, id est nostra piacularis hostia. Ecce qualiter habiti primi Christiani, nimirum contemptissimi, abiectissimi, indigni hominum consortio, mundo eiiciendi & exterminandi. Tertul. in Apol. cap. 50. scribit primos Christianos passim sarmentitios & Semarios appellatos, quia ad stipitem dimidij axis reuncti sarmentorum ambitu exurebantur. Quod amplius & pro maleficis habiti. Vnde de illis sic Suetonius in Nerone c. 16. *Afflicti* (à Nerone) *supplicijs Christiani genus hominum superstitionis noua & malefica.* Vnde & miracula, quae olim Christi martyres praestabant, maleficis artibus tribui à saeuientibus tyrannis solebant, quia verò existimabant, vt plerumque, maleficia capillis hęrere iubebant eis capillos abscindi. Id factum in B. Macrina, ex eius actis habetur, in quibus ita scribitur: *Alexander eam in ignem conijci voluit, vt periret. Fit ergo ignis copiosus, & Martyr in illum iactatur: sed eâ orante, lapsus imber è caelo, & concitatus turbo discussit flammam, & incensi sunt, qui illic adstabant. Sed hac omnia non virtuti diuinae, sed maleficis artibus adscribens imperator, stultissimaq; opinione imbutus, maleficia in eius capillis harere existimans, mandat radi capillos capitis eius. Parent ministri, radunt caput Virginis. Imperator autem iam rasae insultat, tanquam quae sit omni virtute nudata. Sed cùm neque sic eam ad suam posset inflectere voluntatem, in templo Dianae tribus diebus eam includunt & noctibus, vbi illa, more suo, hymnis & laudibus Dei insistebat, precibusq; suis obtinuit à Deo, vt Dianae simulachrum in puluerem redigeretur.*

16. Quintò, granum synapis, nigri est atque subtristioris coloris: Ita Ecclesia tota nigra, tota fuligine variarum calamitatum, & persecutionum obducta. Ita vt meritò dicat Cant. 1. *Nigra sum sed formosa.* Qualiter verò nigra & formosa, sequenti declarabitur sect. quae inseruire loco Concionis poterit pro Dom. tertia post Pent.

Ecclesia nigra persecutionibus.

Quòd sicut granum synapis, nigri est coloris, ita & Ecclesia plena sit nigredine tribulationis.

SECTIO XXVII.

Quamuis Ecclesia Christo charissima, non tamen à persecutionum nigredine aliena.

§. I.

1. TAntus fuit in homines amor Christi, vt omnẽ scientiam & cognitionem nostrã superet, vt disertis verbis docet Apostolus ad Ephes. 3. *Scire etiam supereminentem scientia charitatem Christi.* Vbi illud (*scientia*) datiuus est, quià (*supereminentem*) regitur, vt sit sensus, charitatem Christi excedere omnem scientiam & cognitionem. Duplex autem amor Christi erga homines considerandus. Alter, quo ante tempora saecularia ex aeternitate nos dilexit, quatenus Deus est, de quo loquitur per Hierem. cap. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans.* Hic autem amor in eo positus est, quod ex aeternitate quosdam prędestinauit & pro omnibus carnem sumere, & mori statuit, quae sũt cogitationes illae antiquae, de quibus loquitur Isa. c. 25. *Domine, Deus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo quoniam fecisti mirabilia, cogitationes fideles*

Ecclesia Christo charissima.

Duplex Christi amor erga homines. Prior, quo ex aeternitate eos dilexit.

fideles antiquas, amē. Id est, cogitationes quas ex æternitate de hominum salute habuisti, opere cōpleuisti. Sic enim interpretatur illum locum Eusebius Cæsar. lib. 2. demonst. Euang. c. 32. huc spectat illud Psalm. 24. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt.* Quemadmodum interpretatur D. Augustinus in Com. eiusdem loci. Huius dilectionis actum, inquit Rupertus in cap. 1. Apoc. Ecclesia suspirans viua voce in Canticis ait cap. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* seu vt est in Hebræo: *Quia meliores sunt amores tui vino.* Vbi perspicuum est peti incarnationem, in significationem huius amoris antiqui. Nec enim sponsa petit osculum pedum, quod ancillarum est, ad quod admissa est Maria Magdalena Lucæ 7. Nec osculum manuū in signum subiectionis, quemadmodum accipiendum est illud Psal. 2. *Apprehendite disciplinam,* pro quo in Hebræo est, *Osculamini filium.* Hoc sensu, manum filij osculamini, & ita eum tanquam verum ac legitimum principem recipite. Nec osculum frontis, seu faciei, quod erat signum beneuolentiæ & hospitalitatis, de quo loquitur Christus Luc. 7. *Intraui in domum tuam, osculum mihi non dedisti.* Sed petit osculum oris, quod amoris est ardentissimi. Oris, inquam, id est, ipsius Christi, qui os Dei appellatur, veluti Hierem. 15. *Si conuerteris, conuertam te, si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris.* Vbi per os, Christum intelligit Galatinus l. 3. de arcanis cath. verit. lib. 2. & fauet translatio Ionathæ, quæ sic habet: *Si conuertes impios, vt fiant iusti, beneplacitum verbi mei complebis.* Quo loco per Verbum, secunda persona Trinitatis intelligitur, alioqui enim beneplacitum in Verbum creatum non conuenit.

AVGVST.

2. Alter amor, quo Christus Ecclesiam suam dilexit, fuit post Incarnationem in assumpta carne. *Factum est,* ait Rupertus, *quod optauit Ecclesia, venit dilectus, atque omnium gratiarum delibutus vnguentis, in secreto Virginalis vteri cubiculo diu desideratum osculum dilectæ porrexit.* Sponsa verò frui amati præsentiā se sentiens, erumpens in laudem sponsi exclamant: *Oleum effusum nomen tuū.* Quibus verbis sponsa commendans sponsum suum, significat illum esse adeò amabilem, tum propter egregias virtutes, tum ob singularem venustatem, vt nomen eius sit oleum effusum: quasi dicat sponsa; Tanta vsqueadeo, ô charissime Sponse, est fragrantia ac præstantia istorum vnguētorum tuorum, quibus delibutus es, vt non solùm vbera, vel caput, sed totus ipse quotus es, quasi vnguentū quoddam effusum, suauiter olere ac fragrare videaris, ita vt nomē referatur ad personā sponsi. Plerūque enim apud Hebræos, nomen vsurpatur pro persona, aut re, cuius est nomen, vt patet ex illo Ps. 112. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum.* Et Isaiæ 30. *Nomen Domini de longè veniet,* Id est, Dominus. Et Apoc. 3. *Sed habes pauca nomina in Sardis.* Id est, paucos homines. Et Actor. c. 1. *Erat autem turba nominum,* id est, turba hominum. Prosequens verò sponsa alia beneficia à sponso in signum amoris accepta, ait: *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Quid autem sit introductio illa in Dei cellaria, seu cubiculum, vt legit D. Ambrosius, communiori sensu à Patribus sic explicatur, vt per eam intelligenda sit participatio illa, quam Deus Ecclesiæ vel animæ perfectiori exhibet diuinorum sensuum, & secretorum suorum. Vnde Cassiodorus, Beda, & Anselmus hæc interpretantur de reuelatione, & cognitione per fidem bonorum, & mysteriorum cælestis patriæ. D. Ambrosius ser. 1. in Ps. 118. in vers. 7. & 8. reuelationem mysteriorum passionis, mortis, sepulturæ, & resurrectionis Christi, quam post eiusdem Christi passionem factam asserit Ecclesiæ, quando & sponsa facta est, sic quippe. ait: *Quando introduxit illam Rex in cubiculum suum, passionis tempus, lateris compunctio declarat sanguis effusio; sepultura vnguentum, resurrectionis mysterium, vt osculum quasi sponsa acceperit, in cubiculum autem Christi sit introducta Ecclesia, non iam quasi tantummodo desponsata, sed quasi nupta, non solùm thalamum sit ingressa, sed etiam legitimæ claues copulæ consecuta sit. Introduxit enim eam Rex in omnia interiora mysteria, dedit ei claues, vt aperiat sibi thesauros scientiæ Sacramentorum, clausas antea fores panderet, cognosceret quiescentis gratiam, defuncti somnium, virtutem resurrectionis,* &c. Ad sacrosanctum altare, & Sacramentum Eucharistiæ videtur hæc referre D. Ambrosius in lib. 5. de Sacram. c. 2. ibi enim de vocatione Christi ad hoc cæleste conuiuium agens. *Introduxit,* ait, *me Rex in cubiculū suum,* Græcus: *In promptuarium suum, & in cellarium suum, vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi mella suauia, vbi fructus diuersi, vbi epulæ variæ, vbi plurimis epulis tuum prandium condiatur.*

Alter, quo post incarnationem eam dilexit.

RVPERT.

AMBROS.

IDEM.

3. Quamuis autem Deus Ecclesiam suam incredibili diligat amore, ardentissimaque charitate erga eam afficiatur, ex qua ortum habent omnia sibi collata beneficia, an ideo liberam eam esse vult ab omni nigredine, expertem, inquam, laboribus, ærumnis, ac persecutionibus? Nihil minus. Audi quid Ioannes de illa referat Apoc. c. 12. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: & in vtero habens, & clamat parturiens, & cruciatur vt pariat.* Hanc mulierem in litterali sensu, Ecclesiā esse, communis est interpretum expositio. Hanc nominat signum; signum autem tripliciter vsurpatur in sacris litteris. Prima, eius acceptio est pro miraculo, eò quòd miracula diuinam veritatem confirment, & quasi signent. Ita sumitur Psalm. 134. *Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte.* Et Actor. 5.

Quamuis sic amet Ecclesiam Deus, non tamen ideo eam immunem seruat à persecutionibus. Vnde comparatur signo magno.

Signum vsurpatur tripliciter in sacris litteris.

Pro miraculo.

Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in populo. Secundò, signi acceptio est, pro vexillo, veluti Isa. 5. *Eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet.* Quē locum D. Hieron. interpretatur de Romanis, qui sub Tito Iudæorum gentem oppresserunt, quos Dominus quasi vexillo erecto, è longinquo euocasse dicitur, simul etiam aliorum refert sententiam, qui de gentium vocatione locum accipiunt, quæ nimirum eleuato crucis signo & depositis oneribus peccatorum, velociter venerint & crediderint. Tertiò, sumitur signum pro scopo, in quem sagittæ collimantur, veluti Thren. 3. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Id est, sagittas, quæ appellantur filiæ pharetræ, quia in pharetra gestantur, loquiturque Ierusalem de iudicio sibi à Deo inflicto, per exercitum Assyriorum; significatque vt interpretatur Diuus Thom. in suis comm. super Thren. Deum tetendisse arcum, id est, iudicium, vel exercitum hostium, posuisseque illam quasi signū ad sagittam, in quod videlicet Assyrij sagittas suas iacerent. Eodem sensu dixit de Christo Simeon: *Hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Quacumque significatione signum accipias, rectè conuenit Ecclesiæ.

Pro vexillo. *Hieron.* *Pro scopo.* *D. Thom.*

4. Primum enim Ecclesia signum est magnum, quia ipsa per se magnum quoddam est miraculum, à Deo mirabiliter effectum. Verè enim miraculum est Ecclesiæ contra tam multas, tamque difficiles gentium omnium ac Principum persecutiones, non solùm fundatio, sed, vt ita dicam, prodigiosa progressio, præcipuè verò si spectentur ij, per quos fundata est, hoc est, Apostoli pauci numero, genere humiles, absque vllo vel humanæ sapientiæ, vel opum, mundanæque potentiæ præsidio. Deinde signum, siue vexillum fuit, quod Deus erexit suæ erga homines beneuolentiæ, idcirco enim Ecclesiam cōdidit, quia homines adamauit, idque Ecclesia ipsa agnoscit, & disertis verbis confitetur, cùm ait Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem.* Vbi alij transferūt ex Hebræo: *Posuit in me vexillum amoris.* Denique signum est, siue scopus in quem omnes tyranni & Principes suarum persecutionum sagittas collimarunt, ita vt optimo iure ipsa quoque signum contradictionis appellari possit; iuxta illud Thren. 3. *Posuit me tanquam signum ad sagittam.* Nec sine mysterio dicitur signum magnum, & ita magnum, vt ab eo persecutorum sagittæ aberrare non potuerint, cùm è contrario scopus exiguus esse soleat, vt difficile sit illum attingere. Verùm simul idem fecit signum impenetrabile, ne aduersariorum sagittæ in Ecclesiam intentæ, eam vllo modo possent penetrare. Hinc est quòd Ecclesia de seipsa loquatur Psal. 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Suprà dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Id est, immensam persecutionum fabricam: sed quæ non me, sed ipsos contereret, vnde subiungitur: *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.*

Ecclesia magnum miraculum. *Magnum vexillum.* *Magnus scopus in quem omnes tyranni sagittas persecutionum collimarunt.*

5. Vt autem hanc persecutionum vim, magis magisque exprimeret Ioannes, dicit, quòd mulier illa, quam Ecclesiam interpretati sumus, visa sit habere in vtero filium, parturiensque clamare, maximisque ob difficilem partum cruciari doloribus: quo significatur, magnam fore semper Ecclesiæ, ac vltimis quidem temporibus maximam persecutionem, quo nimirum tempore, propter fallacia & mendacia Antichristi, sectatorumque eius signa & prodigia, paucissimos Ecclesia per fidem de nouo pariet, imò ipsos etiam fideles cum difficultate retinebit, & in cælum dabit. Sicut enim mulier cùm parit, affligitur, clamatque Deum orans, vt è tanto euadat periculo: ita Ecclesia licet maximis semper prematur angustijs, & persecutionibus, eo tamen tempore maximè torquebitur, dum fidelium prolem edere in cælū conabitur.

Vt pondus persecutionum exprimat Ioannes dicit quòd mulier illa visa sit in vtero habere, &c.

6. Hoc ipsum apertis verbis indicare videtur Christus, cùm ait Ioan. 16. *Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius.* Ecce qualiter Ecclesiam comparet mulieri parienti cum dolore filios suos: quot enim ad fidem adducit homines, tot Christo parit filios; parit autem cum dolore, partum hūc fidelium impedire volentibus Iudæis, paganis, & hæreticis. Quod autem hæc mater nostra cum dolore pariat filios suos, inde etiam intelliges, quòd ceruæ comparatur. Prou. 5. *Cerua charissima*, seu vt aliàs legitur, *gratissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.* Vbi quamuis commendetur viro fidelitas in coniugio, & vt vxore sua sit cōtentus, tamen Beda locum accepit de Ecclesia, quæ cerua appellatur, quoniam sicut cerua, authore Plinio lib. 8. c. 32. cum serpentibus bellum gerit, vestigatque cauernas, & narium spiritu extrahit renitentes: ita Ecclesia hæreticos persequitur, & è cauernis renitētes extrahit, & extinguit odore fidei. *Gratissimus hinnulus*, ait Beda, *populus est fidelium, & huius ceruæ vberibus inebriamur, cùm vtriusque Testamēti paginis contra hæreticorum fraudes instruimur.* Scitum autem est illud de difficili ceruarum partu, quod commemoratur Iob 39. *Nunquid parturientes ceruas obseruasti, dinumerasti menses conceptus earum? Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.* Quod exponens Regius Propheta, dixit Psal. 28. *Vox Domini præparantis ceruos*, seu vt habetur in Hebræo? *Vox Domini obstetricantis ceruas*, genere fœminino, & est sensus, ceruas præ metu parere, cùm audiunt tonitruum, quod hoc loco, *vox Domini* appellatur. Nónne tibi Ecclesia tanquam cerua videtur ad sonitum tonitrui

Christus etiam comparat Ecclesiam mulieri parturienti.

trui

trui peperisse, cùm propter metum Iudæorum in cœnaculo conclusa in die Pentecostes, facto repente de cælo sono, tanquam aduenientis spiritus vehementis, fores egressa, Christi Domini fidem liberè, metuque omni deposito prædicauit, & per Petri prædicationem circiter tria millia filiorum Christo peperit, vt habes Actor. 2.

Qualis Ecclesiæ nigredo, & vnde exorta.

§. II.

7. HVc spectant illa sponsæ, id est, Ecclesiæ verba Cant. 1. *Nigra sum sed formosa filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quia enim in versibus antecedentibus, apertissimis verbis spōsa significarat, quàm magna dilectione ipsam suus amaret spōsus, vtpote qui eam introduxerit, nec non & sæpius introducturus esset, in intimas ædes suas. Modò ne fortassis putarent sociæ, & infirmiores animæ, se in eo quòd de sponsi sui amore iactabat inani ac credulâ decipi imaginatione, quasi fieri non posset, vt diligeretur, & interim affligeretur; idcirco huiusmodi earum suspicioni per præoccupationem occurrēs, dicit: *Nigra sum, sed formosa* &c. Quid hoc sibi vult, quisnam hic dicendi modus? Si nigra est, quomodo formosa est: si formosa, quomodo nigra? Insuper, quæ conueniētia inter tabernacula Cedar, & pelles Salomonis, quibus se assimilat spōsa? Fierine posset, quòd sponsa, cùm iactet se introductā in cellam vinariā sponsi, abundātiore sumpto vino, nesciēs quid dicat, repugnantia loqueretur? Non equidem puto, vinum enim cælestis sponsi, non offuscat, vel hebetat: verùm illuminat, & clarificat intellectum, nusquam ad rem accommodatiùs, quàm hoc loco loquitur sponsa.

Ecclesia magna.

8. In primis, cùm mulierum genus, elegantiæ & venustatis sit studiosissimum, vsque adeò, vt formâ atque decore fælicitatem metiri videantur, nec alia laude magis delectentur; vnde est illud: *Delectant etiam castas præconia formæ.* Nec mirum, siquidem mulieribus à natura, non prudentiam, non robur, neque fortitudinem, sed horum loco datam pulchritudinem, quidā externorum scitè & congruenter asseruit; nempe Anacreon Poëta, vel alius quispiam. Hinc est quòd sponsa de forma sibi quodammodò placeat, & glorietur, atque etiam vitium formæ, id est, nigredinem seriò excuset, & defendat, idque non propter spōsum, quem hæc deformitas nihil mouebat, nec ab amore auertere poterat, sed propter filias Hierusalem, id est, infirmiores, quę animaduertentes eius nigredinem, suspicari possent, eam minùs ob id, à sponso diligi. Neque enim ignara esse poterat pulchritudinis suæ, quam certò sciebat, & persuasa erat iudicio & testimonio sponsi sui dicentis, *Tota pulchra es*, probatii sed verebatur, ne ipsis nigredo offendiculo esset imperfectionibus, quò minùs ipsi adhærerent, vnde pulchritudinem suam audacter contra illas tuetur, idque citra omnem inanem ostentationem, vel iactantiam, vt solet vulgus mulierum. Quippe quæ cùm suapte naturâ, supra modum, sint formæ & coloris seu candoris studiosissimæ, cupiantque placere, elegantiam affectant, atque ostentant; nec satis habent sibi placere, nisi etiam alijs placeant, quibus non oportet: in qua quidem re similes sunt pauoni; pauo enim elegantiam gloriāque adeò affectat, (sicut pulchrè annotauit Gregor. Naz. orat. 2. de Theol. pag. 345.) vt quoties aliquem propiùs accedentem viderit, tunc sese ostendere voluerit (nec enim pulchritudinis suæ ignarus est) protinus elata ceruice, pennisque in orbem concinnatis, atque oculis illis aureo quodam gemmantique fulgore in aceruum contractis, corporis sui elegantiam amasijs suis, cum fastuoso incessu, velut in theatro spectandū proponit. Nam talis vtique non erat spōsa, nec etiam talis, qualis quidem fuisse fertur ille iuuenis, qui formæ suæ amore olim exarsit, atque in fontem insilijt, causamque mortis ex pulchritudine sua in speculo perspecta contraxit. Si seipsam laudat sponsa, formamque tuetur, non ob alium facit finem, ne nos ipsi qui tam infirmi sumus & facilè omni vento doctrinæ mouemur, eam despiciamus ob suam nigredinem.

Mulieres elegantiæ studiosissimæ.

9. Sed quænam, inquies, est hæc Ecclesiæ nigredo, ob quam se nigram vocat? Sunt variæ calamitates, & mala quæ patitur in hoc mundo à Iudæis, tyrannis, hæreticis, alijsque aduersarijs. Quæ quidem omnia significantur metaphoricè vocabulo, *nigredinis*, cùm ait sponsa: *Nigra sum.* Quasi dicat: quamuis sponsa Christi sum charissima, formosa & pulchra, seu gratiosa; nihilominus tamen multis varijsque periculis & malis, & calamitatibus, iam inde ab initio, & postea vexata, afflicta, & quasi denigrata fui. Considerate auditores; quàm ab initio orbis hæc nigredo Ecclesiæ, quatenus militans est, semper adhæserit, atque ab ea separari neutiquam posse. Nunquid à principio in Abel iusto persecutionē à fratre sustinuit, in Abraham à Babylonijs, in Isaac ab Ismael, in Iacob ab Esau, vt continua temporum successione, continuatis aucta sit tribulationibus.

Nigredo Ecclesiæ, consistit in eius calamitatibus.

10. Sed quia nigra, an ideo à Christo despecta, non adamata? Nihil minus, imò quia nigra, tantò Christo gratior, & amabilior, tantò sponso similior: Nōnne & ipse quamdiu in hoc mundo viuebat, niger erat? Nigredo enim ista extrinsecus tantùm est, & quamuis tanta sit, non tollit eam, quæ

Quia nigra non ideo minus adamata à Christo.

intus est, pulchritudinem, sed ipsam sponsam hanc suam nigredinem & pulchritudinem explicantem audiamus.

11. *Nigra*, ait, *sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Non satis habuit sponsa se nigram simpliciter confiteri, simul & formosam dicere, nisi etiam id ostenderet exemplis, & similitudinibus accommodatissimis, nempe tabernaculorum Cedar, & pelliũ Salomonis: his enim duabus rebus seipsam comparat, ne fortè contraria & repugnantia loqui videretur, cùm dixit: *Nigra sum, sed formosa.* Quasi dicat; nigra sum vt tabernacula Arabum; attamen sum pulchra vt pelles, seu tentoria, siue cortinæ Salomonis, sic enim diuisim accipiendæ sunt hæ similitudines & distributiuè, vt altera alteri tantùm membro conueniat.

Nigra sicut tabernacula Cedar, pulchra sicut pelles Salomonis.

12. Pro harum intelligentia notandum, Cedar nomen esse regionis, seu gentis, quæ ex Cedar altero Ismaelis filio nomen & originem traxit, nomenque ipsum Cedar, vt annotauit Origen. tenebras seu nigredinem, & caliginẽ significat. Per Cedar igitur, quod quidem basis est comparationis, intelligit sponsa hîc Ismaelitas, seu Idumæos, quos vulgus appellat Saracenos, siue Arabes: hi enim in solitudinibus & desertis locis, ferè habitant, vel potiùs instabiles & palantes diuersantur atque vagãtur incertis sedibus, vitam militarem & pastoritiam semper degẽtes. Nam vt ait Philo Iud. in l. de fortit. to. 2. *Arabes*, ait, *exercent pecuariam, pascuntq́, greges, promiscuè viri, mulieres, virginesq́, non plebei solùm, sed & nobiles* &c. Quò alludit Is. c. 9. cùm ait: *Omne pecus Cedar cõgregabitur sibi.* Gens etiam est bellicosa, magna & fortis, ac proinde minimè contemnenda, quamuis interim latrocinijs operam daret, ideoq; vicinis gentibus inuisa & infesta erat. Itaque de more bellico, pro domibus vtebatur tentorijs seu tabernaculis, siue papilionibus, quæ quantumuis aliàs alba fuissent, propter vehemẽtes solis ardores, & alias iniurias cæli saltẽ superficie nigra, & atra, obscuraque esse oportebat, quamuis aliàs fortia; inuicta & terribilia hostibus; atque etiam interdum auro & argẽto, alijsque huiusmodi rebus preciosis intus plena essent, ideoque minimè contemnenda, aut parui facienda.

13. Dum ergo ait sponsa: *Nigra sum, sicut tabernacula Cedar;* fatetur se nigram quidem in extrinseca superficie, & persecutionibus ab inimicis agitatam, angustijs à falsis filijs arctatam, ac calumnijs innumeris denigratam: attamen hæc omnia sunt color extrinsecus, & intimam haudquaquã tollere possunt, imò mirum in modum augẽt pulchritudinem, quæ est in membris meis, quæque ex aptissima membrorum meorum resultat cõpositione, & gratia. Verum est quod de membris Ecclesiæ dicat Apost. *Tanquã purgamenta huius mundi facti sumus.* Verum est quod dicit Christus: *Vos verò contristabimini.*

Quàm nigra membra Ecclesiæ.

Verùm nigredo hæc tantùm est in externa superficie, interiùs verò nitet & refulget Ecclesia, spolijs preciosissimis animarum, quas quotidie ex gentilitate conuertit, & diabolo eripit, floret virtutibus. *Spe gaudẽtes*, ait Apost. *in tribulatione patiẽtes.* Et alibi: *Spe salui facti sumus:* Et alibi: *Testimonium illis reddente conscientia, quòd sunt filij Dei: si filij, & hæredes.* Ecce quàm Ecclesia hîc militans interiùs sit pulchra, ac preciosissimo refulgeat opificio, licet extrinsecus nigra sit. Non est illi innata hæc nigredo, hoc est, non est natiua & insita à natura, cuiusmodi est Æthiopum nigredo, & nigredo Æthiopissæ, quam Moyses vxorem duxerat; sed potiùs casu, id est, ex aliqua postmodũ causa accidentali, subnigra reddita est, vt ipsa postea hanc nigredinem excusare volens, fatetur dicẽs: *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol.* Quasi dicat: Nolite me despicere quòd fusca sum, nigredo ista quæ mihi obijcitur & exprobratur, non est naturalis, sed potiùs accidentaria: & extẽporalis. Sol enim pleno radio me aspiciẽs propiusque accedens, & quodammodo suis radijs feriens, faciem meam adussit, vitiauit, atque decolorauit: Itaque nigredinis meæ culpã, in solarium radiorum feruores transfero. Nigror iste extrinsecus, hominum imperfectionibus oritur & sceleribus prouenit, & si vultis, vt propriam ac peculiarem istarum persecutionum & tribulationum afferam causam; scitote eam esse solem, ardentemque zelum Dei mei, qui me in hũc decolorauit modum: hic me cogit è latibulis egredi, perq; bonorum operum lucẽ refulgere; hic me cogit gentibus fidem Christi prædicare, ac toti orbi vexillũ crucis iuuehere; hic me cogit hæreticis resistere; hinc populi vniuersi, qui propria diligẽbant, ac tuebantur instituta, quive antiquis patrũ inhærebant erroribus, proprios aperuẽre oculos, & eã, quæ ipsis aduersabatur, inspexẽre Ecclesiam, contra quam tantos ciere motus, tot excitarunt persecutionũ procellas, vt illius, quæ in ipsa cernitur, nigredinis causa sint.

14. Quid causæ quòd Abel à Cain sit interfectus? Zelus Dei. Nã cùm Cain cerneret oblationem suam non esse Deo acceptam, sicut erat Abelis, quam ignis cælitus descendens, deuorabat, negans Dei prouidentiã, dicebat: *Non est iudicium, nec iudex, nec saculum aliud, nec merces bona pro iustis, nec pœna pro impijs, nec Dei misericordiã regitur mundus, eò quòd suscepta est oblatio tua cum beneplacito; mea autem nõ est cum beneplacito.* Sic Paraph. Hierosol. super Genes. ad illa verba: *Dixit Cain ad Abel fratrem suum, egrediamur*, &c. Cui ex zelo iustitiæ & amoris Dei contradicens Abel, aiebat: *est iudicium & iudex*, &c. Quã de causa illum occidit Cain. Quid causæ, quod Abraham à Babylonijs fuerit persecutus? Quia Babylonios ignem adorãtes, arguebat. Quæ causa ærumnarum quas Elias pertulit? Zelus Dei: *Zelo zelatus sum*, ait, *pro Domi-*

Zelus Dei instar Solis denigrat membra Ecclesiæ.

Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel; altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt, & derelictus sum ego solus. & quærunt animam meam, vt auferant eam. Quæ causa tantæ nigredinis in Dauide Propheta, quòd dicat: *Habitaui cum habitantibus Cedar.* Quasi dicat: Inter Cedarenos mihi agere videor, non inter Israelitas? Zelus Dei. *Principes*, ait, *persecuti sunt me gratis, &* (quia) *à verbis tuis formidauit cor meum: & vidi præuaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Quæ causa tāti nigroris in præcursore, quòd carcere sit inclusus, quòd decollatus? Sol zeli Dei; quia arguebat Herodem, propter Herodiadem. Vnde tanta obscuritas in Apostolo Paulo, quòd in vinculis sit coniectus? Ex eodem Sole. *Ego*, ait, *non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Id est, potiùs quàm à nominis Iesu prædicatione, & ab illius defensione, vel tantillū auertar: & vnde tanta nigredo in alijs Apostolis, vt cōparet eos Christus mulieri parturienti, vt dicat: *Absque Synagogis facient vos* &c. non aliunde quàm ex Dei zelo, nam si de mundo fuissent, mundus vtique quod suum esset, diligeret: *Hoc omnia facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me*, quos vos nostis, & prædicabitis. Postremò, vndè tanta obscuritas in Christo: Ex Dei zelo, vt ipse testatur, dicens per Prophetam: *Zelus mus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Manifestum ergo à Sole zeli Dei, oriri omnem in Ecclesia nigredinem.

Nigra Ecclesia, quia adhuc in bello versatur.

15. Alteram causam huius nigredinis, indicat sponsa his ipsis verbis: *Sicut tabernacula Cedar.* Siquidem cùm tabernacula in genere, sint habitacula militum, qui belligerantes in castris commorantur, & ad ipsius militiæ vsum. Idcircò Ecclesia sancta nigra dicitur, sicut ipsa tabernacula, quod adhuc in bello versetur: ita vt nigredinis eius ista sit ratio & causa peculiaris, quia in præsenti sæculo sit in continua militia: *Militia est enim vita hominis super terrā.* Vnde & à sponso ob id, quòd in huiusmodi persistit militia, aliquando comparatur equitatui, aliquando dicitur terribilis sicut castrorum acies ordinata. Nec non & ipsamet hoc vnū in se conspici posse significauit, cùm diceret: *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Ac proptereà communi & vulgato epitheto Ecclesia in terris agens militans nuncupatur. Quod verò mirum, quòd Ecclesia militās nigra sit ob persecutiones, ob vitæ asperitatem: atque ob continuas miserias, si instar tabernaculorū iugiter in castris commoretur sub dio, si perpetuis persistat in prælijs, cū in militia atra sunt omnia, infectationibus, afflictionibus, vulneribus, iniuriis, minis, atq; pauoribus plena sunt vniuersa: quid mirū quòd illi dicatur à Christo: *Amē, amē dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mūdus autē gaudebit, vos verò cōtristabimini.*

Qualis futura Ecclesiæ albedo in altera vita.

§. III.

16. Sed an in perpetuum, Domine, Ecclesia tua plorabit & flebit, an semper contristabitur, an semper comparabitur mulieri parturienti, an semper militabit, an semper nigra erit? Haudquaquam; Nigredo hæc non Ecclesiæ innata, vt perpetuò talibus opprimenda sit angustijs. Aliquando ascendet dealbata, innixa super dilectum suum, de deserto huius mundi: Nullo erit nigredinis atque miseriæ conspersa inquinamento. Tandem illud complebitur: *Iam non erit vltra, neque luctus,* &c. *neque dolor erit vltra, quia priora transierunt.* Hoc indicat Christus, dum ait: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et; *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Quàm pulchra Ecclesia in alterâ vita.

17. Vt hanc pacem pulchritudinemque suam, quam aliquando adeptura est, sponsa insinuet, postquàm se comparauit tabernaculis Cedar, in superficie nigris, & interiùs pulchra supellectile ornatis, cōparat se pellibus Salomonis: *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Sed quid per Salomonis pelles intelligit sponsa? Cæteris expositionibus conuenientior est illa, quæ per pelles Salomonis intelligit hîc, vel tabernaculum aliquod Salomonis peculiare & insigne, quod ei fuit in delicijs, vel tabernacula aliqua ex arte facta, & ab ipso singulariter excogitata, ad ostētationem, gratiā, & voluptatem. Verisimile enim sit mihi Salomonem Regē vsum fuisse tentorijs pulcherrimis & ex bysso & purpura, & serico, & auro cōtextis, atque etiam versicoloribus, id est, varij coloris; in quibus interdum deliciabatur præsertim in æstate, extra vrbē, & in itinere, de more aliorum Regum Orientalium, qualibus etiam nunc vtuntur tentorijs Reges Persarum, Medorum, atque Parthorum, ad arcēdum solem, vt proditum est in historia, & testatur ij qui viderunt. Quemadmodum planè accipitur hoc vocabulum Abac. c. 3. vbi ait: *Vidi tentoria Æthiopiæ, turbabūtur pelles terræ Madian*, pro; turbabuntur tabernacula Madianitarum, quemadmodum interpretatur etiam ibidem D. Hier. & 2. Reg. 7. dicitur; quòd, *arca Dei posita sit in medio pellium*, id est, sub tabernaculo. Et 1. Paral. 17. *Et arca Dei sub pellibus est.*

In cælo pulchra erit sicut pelles Salomonis.

18. Sicut ergo sponsa nigredinem suam, & pulchritudinē suam, quam habet in hoc mundo, exactissimè per comparationem ad tabernacula Cedar explicauit; ita etiam summam illam pulchritudinem, requiem, pacēque absque aliqua permixtione nigredinis, belli, laborisque quæ possidebit in cælis, expressit illustrius per similitudinem

nem ad pelles, siue tentoria, & tabernacula Salomonis, quæ intus & foris pulcherrima erant, & auro, gemmisque rutilantia; cuncta enim, vel pleraque omnia Salomonis opera erant magnifica, opulenta, sumptuosa, ambitiosa, elegantia & summa arte facta, vt attestatur sacra Regum historia. Porrò Salomon, non tantùm nomine Rex pacificus extitit, sed & re: quapropter si tabernacula sibi fabricauit ad delicias, credendum non ad bella ijs vsum fuisse. Quòd si ad delicias, & à Rege magnificentissimo facta fuerunt, cuius vniuersa quæ fecit opera, pulcherrima narrantur; profectò absque vlla dubitatione, & ipsa quoque tabernacula, ingentem artificis sui sapientiam, summamque illius magnificentiam, admirantibus omnibus exhibuerint, necesse est. Dicat ergo Ecclesia congruentissimè; formosa sum sicut tabernacula Salomonis. Per hanc enim similitudinem, non solùm in genere suam commendat formam, quam habitura est, verùm etiam subindicat, in quonam illa sit sita, atque vnde tanta sibi proueniat pulchritudo, ex eo nimirū præcipuè, quòd tabernaculum sit veri Salomonis, ex eo quòd verissimus Rex pacificus Christus, in ea tanquam in tabernaculo habitet cum hominibus, ad delicias.

Tunc Ecclesia erit tabernaculum Dei cum hominibus.

19. Tunc in Ecclesia complebitur illud Ioan. Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt.* Quoniam cùm ex militante, triumphans euaserit, alium nobiliorem statum, splendoremq; accipiet, vt iam non tabernaculum Cedar, sed tabernaculum summi Salomonis, summique Dei appellari possit.

20. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Fit allusio ad tabernaculum Mosaicum, in quo erat arca fœderis, cum Cherubim aureis, in quorum alis expansis, tanquam in sella & throno Deus consedere credebatur, iuxta illud Psal. 98. *Qui sedet super Cherubim.* Quare vt significetur Deum peculiari ratione, in suis electis, post extremum iudicium, consessurum, appellatur cælestis illa ciuitas, tabernaculum, in quo Deus cum hominibus habitabit: *Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Hoc est, peculiari quadam ratione Deus à beatis coletur, & obseruabitur, ipse etiam peculiaribus eos prærogatiuis & ornamentis decorabit. Puto etiam, tabernaculi nomine, alludi ad militantem Ecclesiam, quæ nunc in tabernaculis militaribus, in campo agit, vt sit sensus: Ne graue & molestum sit electis, modò in castris & tabernaculis morari, bellare cum hostibus, ad quotidiana certamina prouocari; quoniam tandem hæc tabernacula militaria, in gloriosum quoddam, magnificum ac cæleste tabernaculum cōmutabuntur, in quo summa cum pace, & securitate, depositis armis triumphabunt.

21. Quoniam verò dictum erat, electos futuros peculiari ratione Dei populum, Deumque etiam peculiari quadam ratione eorū Deum, id magis explicatur, cùm subiungitur; *Et abstergit Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.* Hoc est, omnis illa nigredo, omnia ista mala, quæ Ecclesiam similem reddebant tabernaculis Cedar, iam transierunt, nec in illo fælici tabernaculo veri Salomonis locum habent, id quod magis exponitur, cùm subdit: *Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia.* Quasi dicat: *Tristitia vestra vertetur in gaudium: videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Qualiter cælestis candoris ac pulchritudinis participes reddamur.

§ IV.

22. ET quoniam ad tantam gloriam cōsequendam, non sufficit fides, sed opera etiam requiruntur, subiungitur: *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius: timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secūda.* Timidos, dicit impios, allusione facta ad electos, quos bellatores proposuerat, his verbis: *Qui vicerit, possidebit hæc.* Quasi dicat: generosos ac strenuos hæc decet felicitas, qui videlicet audeant in cōfertissimos hostium globos sese inferre, nec vllam hostilem incursionem reformident. Timidi enim, cuiusmodi sunt omnes impij, qui vim sibi inferre timent, nuntiumque delicijs, & carnis illecebris remittere verentur, & sathanæ impetus perhorrescunt; & sunt de numero illorum, de quibus Dominus; *Mundus autem gaudebit*, ab hac illustri gloriæ corona repellūtur. Nemo intrabit in tabernaculum veri Salomonis, nec membrum erit Ecclesiæ triumphantis in cælo, nisi qui in hoc mundo particeps fuerit nigredinis, id est, tribulationum & passionum Christi, & Ecclesiæ. *Si compatimur, & conglorificabimur.* Et 2. ad Tim. 2. *Si sustinebimus, & conregnabimus.* Non ergo dolendum, sed potiùs gaudēdum de hac nigredine tribulationis, iuxta illud Pauli Hebr. 12. *Cōmunicantes Christi passionibus gaudete.* Quin imò, præ cæteris omnibus, in hac nigredine gloriandum, iuxta illud Pauli Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus.* Quamuis enim propter imbres, æstus, & ventos, quibus continuè in hac vita subiecta es, ô anima Christiana, nigra sis exteriùs; & quoad hanc externā superficiē, & quoad hominum oculos: ea ipsa tamen nigredo, eę ipsę tribulationes, quibus primo aspectu

Vt cælestis candoris participes reddamur opera necessaria.

Hîc denigrari cum Christo debemus.

aspectu deformis & infælix existimaris, summam tibi conferunt pulchritudinem & felicitatem internam, vt verè dicere possis: *Nigra sum, sed formosa.*

23. Quemadmodum enim si miles aliquis, ita inuicto & strenuo esset animo, vt primus obsessæ arcis muros conscenderet: cùm ei exprobraret quis, quòd cœno, sanguine, ac vulneribus deformatus esset, respõderet profectò è vestigio, se ex illo cœno, ex sanguine, ex vulneribus, nedum non pollui, sed illustrari, cùm ea omnia quæ primo aspectu atra videntur, ipsum Regi & exercitui omni celeberrimum exhibeant, & gloriosissimum: in eundem modum anima sancta, in carne non secundum carnem militans pro Rege suo, atque adeò persecutionibus agitata, tribulationumque vulneribus confossa, atque earumdem tribulationum decolorata nigredine, dum sibi à quopiam exprobratur, quòd deturpata, quòd misera, quòd infælix sit, respondet: *Nigra sum, sed formosa.* Nam hæc ipsa nigredo, hæ ipsæ tribulationes, formosissimam & gloriosissimam Christo Domino meo, & vniuersæ curiæ cælesti me reddunt.

Pauci sunt qui cum D. Paulo gloriantur in tribulationibus.

24. Sed quàm paucos habet orbis similes animas, quæ in tribulationibus cum Paulo gloriantur: minima exorta tribulatione obmurmurant, deficiunt, spondent animo, ac quod pessimum est, de diuinâ nonnihil hæsitant prouidentiâ, vellent hîc summâ frui pace, nullis tribulationum ictibus concuti, nullâ persecutionum nigredine obscurari, & post hanc vitam, mox ad æterna gaudia euolare, quasi verò sic iretur ad astra. Qui regni particeps esse voluerit, priùs debet esse particeps tribulationis. Apoc. 1. *Particeps in tribulatione & regno. Hoc,* inquit Rupertus in hunc locum, *ius legale est, apud cælestem Regem, ait enim: vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* A quo regali iure, nec ipse Christus exemptus fuit, quemadmodum docet D. Petrus 1. Pet. 1. *Scrutantes,* inquit, *in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.* Posteriores, inquam, id est, præcedentibus tribulationibus comparatas, quemadmodum interpretatur Glossa: & existimamus nos, quod per gaudia, delicias, prosperitatemque ad æternas perueniemus coronas. Cùm igitur Christus omni honore & gloriâ dignissimus, non nisi per iniurias & contumelias in proprium intrauit gloriam; ne putes te in alienam ingressurum per dignitates, honores, & voluptates.

Rupert. Luc. 22.

Ne sit nobis grauis nigredo tribulationis in Christum conijciendi oculi.

25. Si nigredo ista variarum tribulationum tibi grauis est, animumque deijciat, iuxta monitum D. Pauli Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Quis enim in laboribus vnquam deficiet, si ob oculos sibi proponat Passionem Christi. Atque exemplo hoc se animabat sponsa, cùm dicebat Cant. c. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* In quem locum Beda: *Christus,* ait, *tanquam myrrhæ fasciculus tunc inter vbera sponsæ commoratur, cùm Ecclesia mortem sui Redemptoris, sine intermissione intimo corde meditatur: inter vbera enim cordis esse locum, quis nesciat?* Hæc nimirum sunt vnguenta illa suauissima, in quorum odorem cursuras adolescentulas testatur spõsa Cant. 1. dum ait: *Trahe me post te, in odorem curremus vnguentorum tuorum.* Horum exemplorum Christi cogitationem, arma Christianorum appellat D. Petrus, illis verbis: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Græcè: *eandem cogitationem velut arma induite.*

Beda.

1. Pet. 4.

Qui in Christum oculos conijcit erigitur inter aduersa.

26. Qui sic oculos in Christum conijcit, erigitur animo inter aduersa, & eumdem laborum & tribulationum finem sperat, qualem in Christo videt præcessisse, iuxta illud Pauli ad Coloss. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* In quem locum ita eleganter Gregorius Nazianzenus orat. ad Iulian. *Quemadmodum,* ait, *margarita, quamdiu in concha est, oculis non patet, conquassata autem concha, fulgere incipit. Sic nos quamdiu in hoc mortali, fragilique corpore versamur. Cùm autem pars hæc corruptibilis soluta fuerit, tũ vera quoque gloria nostra apparebit.* Sic ille. Tũc illud implebitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et illud: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Tunc non pœnitebit, si labores & tribulationes in hac vita sustinuerimus: tunc dicemus & exclamabimus: O fælices labores, ô feliciorem laborum exitum! *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum pondus operatur in nobis.* Modica fuit passio, & ecce æterna gloria; modica nigredo, & ecce incomprehensibilis splendor & pulchritudo. O quàm stulti, ô quàm infælices, qui ob modicum honoris, gloriæ, ac gaudij huius mundi, amittunt inexhaustos illos thesauros deliciarum omnium, qui expectantur in cælis.

Gregor. Nazian.

Quòd

Quòd granum synapis etiam sit symbolum fidei, ac doctrinæ Christianæ.

SECTIO XXVIII.

1. GRanum synapis etiam symbolum fidei, ac doctrinæ Christianæ, quæ meritò nominantur regnum cælorum, quia per hæc Deus regnat in nobis, & nos ad suum regnum, quod est cælum perducit. Variæ autem sunt inter fidem doctrinamque Christianam, & granum synapis conuenientiæ.

Fides ex parua in magnam excreuit. ISIDORVS.

2. Primò. Synapis granum ex paruo, in maximam excrescit magnitudinem: Ita & fides, doctrinaque Euangelica. *Christus,* ait Isidorus Pelusiota epistol. 199. *diuinam quoque suam prædicationem regnum appellat, vtpote cælorum regnum parturiens. Quæ ex paruâ (viles enim dictiones sunt) in eam excrescit magnitudinem, vt omni gentilium eruditioni ac sapientiæ adferat obscuritatem. Quod etiam contigit, Attico enim lepore manans error, atque acriter argumentans, cessit veritati, sermonis rusticitate laboranti.* Idem lib. 4. epist. 76. *Exilis quidem est, cùm seminatur diuini præconij sermo, si cum illis conferatur dogmatibus, quæ vnquam tradita sunt ab ijs, qui sapientiæ, famâ & opinione celebres fuerunt, & breuissimis annuntiatur verbis, non solùm ob compendium orationis, sed etiam ob plebeium genus dicendi. Si verò excolatur, crescit atque diffunditur latissimè, & superior inuenitur omnibus, qui vnquam in admiratione fuerunt, sermonibus. Nec immeritò: quippe quæ veritatem pariat, nec in exornando mendacio occupetur. Veritate autem nihil est maius. Vnde etiam factum est, vt qui Philosophiæ se nomine iactabant, suis dogmatibus longum valere iussis, diuinam illam vmbram expetant, & ad ipsam confugiant. Quàm multi enim Pythagoræi, cùm antè fastus ac despicientiæ fuissent magistri, huius diuini verbi facti sunt discipuli? Quàm multi autem Platonici, supercilium, quod ipsos extulerat, suum ornatum dicendi studium demittentes, contrahentesque, sub illius vmbra consederunt? Quàm multi denique Aristotelici & Stoici, spretâ illâ quâ prius gloriabantur, & se magnificè efferebant sapientiâ, præclarè secum actum, existimarunt, si inter auditores, verbo obsequentes, collocarentur?*

PASCHAS. RATB.

3. Eamdem veritatem sic pulcherrimè extendit Paschasius Ratbertus lib. 7. in Euang. Matt. *Verbum Euangelij minimum dicitur, ad comparationem humanæ Philosophiæ, quia non credentibus vile videtur. Sed cùm seminatum fuerit in corde fidelium, fit arbor eximia, dum ascendit & dilatatur vltra omnem sapiētiam mundanam. Interim verò doctrina Euangelij, minima videtur omnibus disciplinis. Quoniam ad primam nouæ institutionis doctrinam, fidem non habet veritatis, hominem Deum. Deumque mortuum, sed inde omne scandalum crucis oriri videtur. Quàm sanè doctrinam confer dogmatibus Philosophorum, & libris eorum; qui nimio splendore eloquentiæ, redolent, compositione vero sermonis renitent, sicque videbis, quantùm minus sit semen Euangelij, seminibus liberalium artium. Sed illa dum crescunt, & augentur passim, nihil vitale afferunt, nihilque salutiferum demonstrant, neque viuidum aliquid ad perpetuitatem æternā. Quinimo totum flaccidum totumque marcidum, frondescit, & floret in olera, & herbas, quæ citò arescunt. Sed Euangelij prædicatio, quæ minima videbatur, vel praua in initio fidei cum in anima credentis, vel in toto mundo radicauerit, sicut fecisse cernimus, tota crescit in arborem, ita vt volucres cæli, animæ videlicet credentium, vel virtutes Dei seruitio mancipatæ, veniant & habitent in ramis eius. Porrò rami huius arboris, dogmata probantur esse Sanctorum Prædicatorum diuersa, in quibus supradictarum volucrum, sancta requiescat societas.*

Fides exterius vilis & despecta.

4. Secundò. Granum synapis exteriùs vile est & despectum: Quàm vilis, quàm despecta apud infideles, etiam Philosophos, doctrina Euangelica? Vide qualiter apud Lucianum in Philoprato, irrideat, subsannet, atque detestetur doctrinam Euangelicam Critias, hæc illius verba: *Phy, phy, phy, nugas illas: Heu, heu, heu, heu, consultationes malas: Væ, væ, væ, væ, spei inani.* Insuper quòd Apostolici viri egentes esse viderentur, atque pauperrimi, & secundum illud Apostoli: Sicut egentes, multos autem locupletantes, ex sacris & diuinis scripturarum oraculis, gentilibus fidem Christianam capessentibus, summam gloriam atque fælicitatem, ac denique bonorum omnium pollicerentur affluentiam; eos irrisor Critias, & alij nugaces illi similes deridebant, scommatibus atque dicterijs pariter subsannabant; iactantes nimirum homines aduenisse, qui vias auro essent inundaturi, cùm tamen ipsi pannosi essent, atque carerent obolo: eaque omnia nonnisi leuissima esse somnia, quibus populum deciperent, atque auicularum inuenta, dictitabant. Hisce cachinnis atque ludibrijs solitī erāt Gentiles traducere Doctrinam Christianam, vt proindè meritò compararetur grano synapis secundum externam speciem vili admodum atque despecto.

Fides feruidæ naturæ.

5. Tertiò. Granum synapis licet vile & despectum, tamen feruidæ & igneæ est naturæ, repellens frigora, etiam suo igne, capiti medicinam afferens: Ita etiam fides & doctrina Christiana, vt egregiè docet Sanctus Ambrosius sermone 1. infero illius verba: *Sicut enim granum synapis, primâ fronte, specie sui est paruum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non iudicans suauitatem; at vbi teri cœperit, statim odorem suum acrimoniâ exhibet, cibum flammei saporis exhalat,* AMBROS.

exhalat, & tanto feruoris calore succenditur, vt mirum sit in tam friuolis granis, tantum ignem fuisse conclusum; cuius etiam seminis cibum homines hyemis præcipuè tempore, magnâ pro suauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant. Sæpè etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, vt si quid inualidum, si quid ægrotum fuerit, synapis igne curetur. Ita ergo & fides Christiana primâ fronte videtur esse parua, vilis, & tenuis, non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans: at vbi diuersis tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ credulitatis aspirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa ferueat, & participantem sibi ardere compellat. Sicut in S. Euangelio Lucæ cap. 24. Amaon & Cleophas dixerunt, dum cum ipsis post resurrectionem Dominus loqueretur: Nonne cor nostrum erat ardens in nobis in viâ, dum aperiret nobis Dominus Iesus scripturas? ergo granum synapis, membrorum viscera calefacit, fidei autem vigor cordium peccata comburit. Et illud quidem asperum algorem frigoris remouet, hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Synapi iniquos humores decoquit corporum, fides autem libidinum fluenta consumit: Et per illud meditina capiti procuratur, per fidem autem spirituale caput nostrum, quod est Christus Dominus, sæpiùs refouetur. Sed & fidei, iuxta comparationem synapis, sancto odore perfruitur, sicut ait B. Apostolus: Quoniam Christi bonus odor sumus Deo.

Synapi succo suo lachrymas excutit, ita etiam fides.

6. Quartò, granum synapis suo succo lachrymas excitat, &c. Ità etiam fides atque doctrina Christiana. Audi D. Ambrosium serm. 2. *Fides Christiana, quæ regnum est, eundem vigorem obtinet, quem synapis natura depromit. Nam sicut dum synapis succum sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, ad lachrymas promouemur, & ipsam salubritatem corporis nostri, cum quodam fletu austeritatis accipimus (illinc enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat, hinc calor ignei saporis accendit, & toto perturbati corpore, tunc magis sani efficimur cum ampliùs deploramus.) Ita ergo & cùm fidei Christianæ mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas promouemur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu ac mœrore consequimur. Inde enim ieiunia nos exasperant, illinc peccatorum conscientia macerat; hinc patrimonij iactura conturbat, & toto contristati habitu magis salutem consequimur, si ampliùs defleamus, secundum quod ait Dominus: Vos plorabitis & plangetis, sæculum autem gaudebit.*

Synapi, cōdit cibos, ita fides opera nostra.

7. Quintò. Granum synapis cibos condit & sapidos reddit: ita etiam fides Christiana, opera nostra moraliter bona, virtutesque morales condit, & non exiguum confert saporem, sine illâ autem nullius sunt saporis, imò nullius valoris, insuper falsæ sunt ipsæ virtutes, nec hominem liberant, aut absolutè bonum coram Deo efficere valent. Roman. cap. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est. Omnis infidelium vita est peccatum* (ait D. Augustinus.) *vbi enim deest adquisitio veritatis æternæ, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.* Quæ verba D. Augustini declarans D. Bonauentura in 2. d. 41. sic scribens: *Ideò Augustinus dicit, quòd omnis infidelium vita est peccatum, quia per nullam actionem, quam agunt, liberantur à culpâ, quamdiu permanent in infidelitate.* Et ideò est sensus, omnis vita infidelium est peccatum, id est, non sine peccato, & absque vllo merito, etiam si ea quæ agunt, sint de se bona. Et 24. q. 1. cap. *vbi sana.* Legimus ex Ecclesiæ determinatione. *Vbi sana fides non est, non potest esse iustitia. Sicut rami* (ait D. Gregor. hom. 50. super Euang.) *sine virtute radicis omnes arescunt: ita qualibet opera (licet bona videantur) nulla sunt, si à fidei soliditate, disiunguntur. Vnde falsa fuit virtus abstinentiæ in Euripide philosopho: Castitatis in Tullio, contemplationis in Thale Milesio: patientiæ in Socrate, paupertatis in Pythagora, & eius sequacibus: sapientiæ in Platone: pietatis in Pithaco: constantiæ in Torquato: iustitiæ in Bruto: religionis in Horatio. Sola enim est vera virtus, quæ fide decoratur.*

AVGVST.

GREGOR.

8. Hilarius expendens verba illa Psalm. 14. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo.* Et intelligens per veritatem in corde, veram & orthodoxam fidem, notat D. Paulum, triplicem agnouisse hominem, carnalem, animalem, & spiritualem. Carnalis est, qui secundum carnem viuit, operibus carnis deditus: animalis verò qui secundū humanam rationem tantùm: spiritualis qui non solùm secundum humanam rationem, sed etiam secundum diuinam: ac secundi generis Philosophos fuisse aliquos, & hæreticos, atque ideò omnia eorum opera fuisse inutilia. Subijcio illius verba: *Superiora illa* (nempe iustitiam & virtutes operari) *licet magna atque præclara sint, solent tamen cum gentibus esse communia, vt vitium caueant, vt famam bonitatis acquirant, sed hæc animalium non spiritualium virtus est. Apostolus enim & carnalem hominem posuit & animalem, & spiritualem. Carnalem belluæ modo, diuina & humana negligentem, cuius vita corporis famula sit negotiosa, cibo, somno, libidine. Animalis autem qui ex iudicio sensus humani, quid decens, honestumve sit, sentiat, atque ab omnibus vitijs animo suo authore se referat, suo proprio sensu vtilia, vt honesta diiudicans, vt pecuniam spernat, vt ieiunijs parcus sit, vt ambitione careat, vt voluptatibus resistat, vt bonitate venerabilis sit, sed præsens in his tantùm, & inter homines homini vsus erit. Spiritualis autem est, cui superiora illa ad Dominum studia sint, & hoc quod agit, per scientiam Dei agat.* Post quæ paulò pòst: *Conscius ergo Spiritus sanctus, ea quæ superiora sunt, in vita innocentia, & in operibus iustitiæ,*

iustitiæ, & gentibus & hæreticis, esse communia: namque plures eorum, & ieiunijs corpora defatigant & continentiam patrimoniorum largitione testantur, & pudicitiam virginitate consumunt, sequitur dicens: Et loquitur veritatem in corde suo, superiora illa inutilia demonstrant, nisi in confessionis veritate suscepta sint. Hactenus Hilarius.

Fides cæterarum virtutum ornamentum.

9. Fidem cæterarum virtutum ornamentum vocat Saluianus in quadam epist. *Præter cætera castimoniæ, sapientiæq; virtutes, est etiam fides nobilis, quæ omnibus semper ornatibus, ornamento est: quia sine hac nihil tam ornatum est, quod ornare possit.*

Granum synapi detergit caliginem oculorum, ita etiam fides. Quàm densæ tenebræ in hominibus antequã fidem degustassent. HILAR.

10. Sextò synapis caliginem oculorum detergit teste Anglico lib. 17. cap. 155. ita doctrina Euangelica, caliginem mentis depellit. Quàm densa caligo, quàm densæ tenebræ, qualis hallucinatio & error, vel in iis rebus quæ naturali lumine, possent aspici, mentes hominum occupauerit antequam degustassent fidem vel doctrinam Euangelicam, patet ex doctrina S. Hilarij expendentis verba illa Ps. 61. *Nónne Deo subiecta erit anima mea: ab ipso enim salutare meum: & ipse Deus meus, Saluator meus.* Vbi in hunc modum excurrit. *Confessio Dei communi hominum affectu à Propheta ita cœpta est, vt cùm post multam inscientiæ noctem, post ambiguam humanarum sententiarum, incertamque doctrinam, post diuersarum religionum variam opinionem, cùm diu erratum, quæsitumque de Deo sit, an vnus, an plures; & sexus, an vnius, an duplicis: & potestatis, an æqualis, an disparis: & ætatis, an vniformis, an varia: & naturæ an innascibilis omnium, an aliquorum aliquando generatæ? Cùm deinde cum aliquibus magna ætate, & longo labore certatum sit, aut nullos omninò esse, aut à curâ vitæ humanæ abesse. Iam porrò cùm à plerisque tractatum sit, vel solem, astraque cætera Deos esse, vel mundum ipsum in æternitatis specie huius, ac mutationum manentem cum omnibus suis, quæ ex se efferat, Deum esse. Iam verò, vt plerique ignem, vel aquas, vel spiritum diuino nomini, atque honori donauerint, alij quoque ligna, lapides, metalla, sub specie hominum, volucrum, ferarum adorauerint: post verò confessis omnibus, destitutisque studijs, plerique eorum, maximeq; prudentes, vnum hoc se scire, id est, nihil horum scire hominem, docuissent: tum post hanc quasi necessariæ confessionis inscitiam, prudens quisque conuersus ad Prophetas, atque Apostolos, Dei legem sub Sacramento æternæ dispositionis perceperit, in quâ rationem deductæ in hoc corpus animæ connexaq; tractauerit, in quâ diuisionem gentium secundum Angelorum numerum acceperit, in quâ & esse principem mundi, & vnius electionem gentis, audierit, in quâ humanæ mortis auctorem, non ignorauerit, & habitare in carne sua peccati legem legi mentis suæ senserit, & congemuerit; posteaquam Dei spiritum, Dei virtutem, Dei sapientiam, Dei filium, & vnigenitum Deum ad remissionem peccati, condemnationemque peccati legis, hominem natum esse cognouerit, qui humanarum passionum fortè perfunctus, ad condemnanda in se scelestarum nequitiarum impia tentamenta sit mortuus, vt æternitatis omnibus, qui per habitantem in carne nostrâ peccati legem moriebantur, inueheret; tum hoc Sacramento pietatis accepto, post ignorationis noctem, in scientiæ lumine collocatus ita dicit; Nónne Deo subiecta erit anima mea? etenim ipse Deus meus est, Saluator meus, susceptor meus, non mouebor amplius. Repertâ itaque fidei sede, post varios errores, impietatisque sententiam, quia susceptorem suum, saluatoremque cognouerit, amplius non mouetur. Quid enim vltra ignorantiæ, anxietatique est relictum, cùm æternitas animi, & corporis prædicetur, cùm assumptio, atque susceptio terrenæ nostræ carnis à Deo sub Sacramento huius magnæ pietatis ostensa sit; cùm peccatorum remissio, condemnata peccati lege, sit præstita, cùm homini nostro à dextris Dei confessus in cælis sit?* Sic ille. Vides, opinor quantam caliginem deterserit hominum animis, fides Christiana atque doctrina Euangelica. Columnæ ignis deducentis filios Israel per desertum comparat fidem D. Laurentius Iustinian. in lib. de ligno vitæ, de fide, cap. 5. ait enim: *Est etiam viua, fida, & salutaris columna, deducens per desertum mundi huius, ostendens ipsum esse plenum malitiâ, vbi sunt omnia vitiosa, omnia lubrica, omnia operta tenebris & obsessa laqueis.*

Fides columna deducens per desertum huius vitæ. LAVR. IVSTIN.

Fides à vitijs liberat.

11. Septimò, granum synapis omnem noxium humorem de capite purgat, similiter fides doctrinaque Christiana à sentinis vitiorum cor liberat. De quo sic Zacharias Episcopus Chrysopolitanus in vnum ex quatuor lib. 3. cap. 92. *Granum synapis tritum & cribratum, tepidæ pingui mulsæ admixtum, si ieiunus contra solem vel in balneo, gargarizes, omnem noxium humorem de capite purgat, & imminentium imbecillitatum facit pericula vitari: sic fides tentationum pistillo probata, & ab omni leui cogitationum superficie cribro discretionis castigata, & perfectæ dilectionis melle dulcorata, omnes de corde, quod est interioris nostri hominis caput, vitiorum sentinas, non solùm ad præsens exhaurit, sed & in futurum, ne recolligi valeant, præcauet.*

ZACHAR.

Per fidem ira diminuitur, fastus extinguitur.

12. Octauò, de grano synapis scribit Clemens Alexandr. in pædag. cap. 11. quòd bilem diminuat & phlegma exscindat, quæ ad tropologiam vocans docet per fidem iram diminui, & fastum atque superbiam exscindi. Quis enim perpendens quæ per fidem & doctrinam Christianam nobis proponuntur in iracundos & superbos comminata supplicia non minuat iram, non exscindat superbiam?

Languentem voluntatem excitat fides.

13. Nonò, granum synapis stomacho vtilissimum esse dicit Plinius li. 20. c. 22. Quod in corpore stomachus, hoc in animâ voluntas. Sicut languentem stomachum excitat synapis, ita languentem voluntatem excitat fides & doctrina Euangelica. Quid est quod langueat, quod nauseabunda

sit

sit voluntas ad agendum pœnitentiam, nónne quia non adhibes fidei, & doctrinæ Euangelicæ synapi? Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis. Quid est quòd nauseat animus dum agitur de amplectendâ humilitate, nónne quia non vellicatur doctrinæ Euangelicæ & fidei synapi? Lucæ c.10. *Videbam Satanam quasi fulgur de cælo cadentem.* Quid est quòd langueat voluntas dum agitur de colendâ honestâ & castâ vitâ, nónne quia non excitatur fidei & Euangelicæ doctrinæ synapi? 1. Corinth.6. *Nolite errare, neque fornicarij, neq; adulteri, neque molles* &c. *regnum Dei possidebunt*. Quid est quòd animus langueat, dum agitur de bene expendendis talentis nobis concessis, nónne quia non vellicatur fidei & doctrinæ Euangelicæ synapi? Matthæi 21. *Inutilem seruum proijcite in tenebras exteriores*. Et sic de cæteris.

Fides docet parui facere res mūdanas.

14. Decimò. Granum synapis in cibo sumptum excreationes faciles facit teste Plin. lib.20. cap.22. Similiter fides atque doctrina Euangelica, efficit vt homo paruipendat res mundanas, imò adeptas facile contemnat, & expuat, facillimèque illis valedicat, ac nuntium remittat opibus, honoribus, dignitatibus, nouit enim per fidem & doctrinam Christianam sibi in cælis parata vera bona, vera gaudia, veras, & perennes dignitates. De fratre suo Cæsario scribit Gregor. Naz. in orat. funebri Cæsarij frat. quòd *Inter dignitates & honores, quibus apud Iulianum Imperatorem pollebat, illud præcipuum ducebat, ac Christianus esset & haberetur: idque tanti æstimabat, quòd pro hoc vno, reliqua omnia in vnum congesta, ludi atque nugarum instar haberet: vnde & omnia deponere maluit, ne illud amitteret, dicens Iuliano, Christianus sum, semperque ero.* Cùm, vt scribit Ruffin. lib.2. cap.16. *impia edicta Iustinæ Imperatricis Arianæ, dictanda mandarentur Beneuolo Præfecto, ille negat se impia verba proferre posse, & contra Deum loqui. Celsior ei honor promittitur, si impleret iniuncta: Ille qui nobilior in fide esse, quàm in honoribus cuperet: Quid mihi, ait, pro impietatis mercede altiorem promittitis gradum? hunc ipsum quem habeo, tollite, tantum mihi conscientia fidei, duret illæsa. Hæc dicens, ante pedes impia præcipientium; cingulum iecit*.

GREGOR. NAZ.

Fides lenit dolores & labores huius vitæ. PLINIVS.

15. Vndecimò. Granum synapis ad dentium dolorem manditur, ait Plin. loc. citato: Ita etiam fides & doctrina Euangelica quam vim non habent ad retundendum dolores qui in hominibus exoriuntur ex varijs pœnis & afflictionibus, quam neruosè non solantur homines in laboribus constitutos? Docent enim nullam tribulationem ad nos venire, nisi per manum Dei priùs transeat. Docent etiam Deum iustum esse & sapientem, atque res humanas non minùs prudēter, quàm suauiter administrare. Docent insuper neminem nostrûm esse qui peccator non sit, & in multis non offenderit, & proinde cùm peccata semel castiganda sint, vel in hac, vel in alterâ vitâ, expedire prorsus, & Deum nobiscum misericorditer agere si illa in hac puniat vitâ. Docent prætereà tribulationes maximè esse vtiles. Nam, vt ait D. Paulus, id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. Postremò, docent, non solùm contemnendas, sed etiam magni faciendas esse tribulationes.

Fides medicinalis & plurimam largitur salutem. CLEMENS ALEX. HILAR.

16. Duodecimò. Synapis granum maximè est medicinale: *Ita* (vt ait Clemens Alexandr. pædag. c.11.) *fides vniuersa humanæ naturæ plurimam salutem largitur. Vt quædam medicamentorum genera* (ait D. Hilarius) *sunt ita comparata, vt non in singulis tantum ægritudinibus vtilia sint, sed omnibus in commune medicentur, habeantque in se virtutem communis auxilij: ita & fides Catholica, non aduersus singulas tantum pestes, sed contra omnes morbos opem medelæ impertit, non infirmanda genere, non minuenda numero, non diuersitate fallenda: sed vna atque eadem aduersus singula, omniaq; consistit,* &c. *Vbi fides integra*, inquit D. Ambros. *ibi cunctorum est medicina*.

LACTANTIVS.

17. Lactantius lib.3. cap.25. agens de vi doctrinæ Euangelicæ, ait: *Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis tam placidum, quàm ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem: iam eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem.*

Fidei documenta in piam voluntatem immissa non exasperant, sed sanitatem conferunt. SANDÆVS.

18. Decimotertiò. Maximilianus Sandæus in medico Euangelico ex Macrobio notat, quod piper & synapi apposita cuti, illam exulcerent, in stomacho autem & ventre nullam læsionē adferant. Quæ deinde sic applicat fidei & doctrinæ Euangelicæ: Fidei est affinitas cum grano synapis etiam in hoc, quod exteriùs solùm proposita, aures sæpè vulneret, & cutem exasperet, ideoque sit ingrata. In ventriculum, id est, piam voluntatem immissa, non læsionem adferat, sed sanitatem. Quàm illa sunt exteriùs solùm applicata cutem sensualitatis exasperantia? *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* cum alijs similibus. Verùm synapi ita cutem exulcerat vt in ventre nullam læsionem causet: imbibatur fides, foueatur, in animo ardeat vt gramina synapis: hæc ipsa cutem exasperantia, dulciora erunt super mel & fauum, non solùm non facient amaricari ventrem, sed quidquid in eo amarum, in dulcorem vertent. Testes tot Religiosæ familiæ.

Fides ad cælestia subleuat.

19. Decimoquartò. *Synapi principatum habet inter ea, quorum in sublime vis fertur.* Quòd non semper humi repamus, corpore animoque terræ affixi, quòd aliquando aquilæ instar subleuemur, quòd suprà vulgus sapiamus, fidei debemus, quâ cælestia cogitantur, &

diuina apprehenduntur. Vera hominem cælo infert, à terra, & terrenis auellet, amorem temporalium excutit, æternorum dilectionem inserit.

Fides maximæ efficaciæ.

20. Decimoquintò. Granum synapis maximè est efficaciæ: ita etiam fides. Vnde cum Matth. cap. 17. accessissent discipuli ad Iesum secretò dicentes: *Quare nos non potuimus eijcere illum.* Quia (vt notauit Hilarius) Domino in monte demorante, & ipsis cum turbâ residentibus, eorum fides tepuerat, dixit illis Iesus: *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* In quæ verba sic Zacharias Episcop. Chrysolog. in vnum ex quatuor lib. 3. cap. 92. *Montis translatio non significatur eius, quem oculis carnis aspicimus, sed illius qui à Domino translatus fuerat ex lunatico. Sic ergo lege: Si habueritis fidem efficacem, sicut granum synapis, dicetis monti, hoc est, dicere poteritis superbo diabolo, vt transeat de homine obsesso, & nihil incommoditatis impossibile erit vobis ad curandum. In Luca habetur: dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis. Fructus mori in flore albet, formatus rutilat, maturitate nigrescit. Sic diabolus flore Angelicæ naturæ, & potestate rutilanti, præuaricando tetro inhorruit odore, qui per fidem excluditur.*

Zacharias.

Fides valentior omnibus creaturis.

21. Fides si perfecta sit, valentior est & superior cunctis creaturarum incursibus. Matth. cap. 8. *Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat, & accesserunt ad eum, & excitauerunt eum dicentes: Domine, salua nos perimus, & dicit eis: Quid timidi estis, modicæ fidei?* Ecce Dominus eorum modicam mordet & damnat fidem, & quidem in tam iusto timore. Cur ita? Audi Basilium Sel. orat. 22. O dignas Domino voces! Vult fidei vim rebus cōditis esse valentiorem, & ad fidei præsentiam omnem ab animâ desperationem eliminari. Talis erat Abrahæ fides, de quâ sic D. Paulus Rom. cap. 4. *Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium. Et non infirmatus est in fide, sed considerauit corpus suum emortuum, cùm ferè centum esset annorum, & emortuam uuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentiâ, sed confortatus est fide.* Chrysostomus legit: *Sed roboratus est fide.* Talis fides Petri Matth. cap. 14. *Descendens Petrus de nauicula, ambulauit super aquas vt veniret ad Iesum.* Vnde hoc? Ait Cyrillus Hierosol. cathec. 5. *Credens ambulauit super aquas, omni fundamento firmiorem super aquis habens fidem.*

Basilius Sel.

Talis erat Abrahæ fides.

Talis fides Petri.

22. Sed qualis fides, hæc operatur? nimirum illa quæ grano synapis à Domino similis dicitur Matth. cap. 17. *Si habueritis fidem sicut granum synapis.* Non hîc de paruâ loquitur Christus fide, vt quidam malè putant, sed de magnâ & efficaci, de viuida & ignea prorsus, nimirum quæ per charitatem operatur, & quid mirum hanc fidem hæc omnia operari cùm de illa dicat Paschasius Ratbertus lib. 7. in Euangel. Matth. *Deus Trinitas per eam verè & fiducialiter colitur, & amatur, in quâ totus est Christus per quem omnia sunt, & per ipsum ipsa fides omnia operatur.*

Paschas. Ratb.

Fides debet mente volui vt animam alat.

23. Decimosextò. Granum synapi, vt virtutem suam ostendat teri debet, similiter fidei Christianæ mysteria doctrinaque Euangelica, debent mente volui, animo versari, in frusta redigi & moli, vt animam alant. Quam doctrinam putat D. Ambrosius Annot. 2. in Exod. ad Irenæum adumbratam in manna. De quo legimus Numer. cap. 11. *Erat autem man, quasi semen coriandri coloris bdellij. Circuibatque populus, & colligens illud frangebat molâ, siue terebat in mortario.* Quam veritatem deinde confirmat synapis & fermenti adducta imagine. Oportet enim vt fermentum saporem reddere possit, vt in minutissimas partes redactum, massæ per omnes partes misceatur. Vlterius eandem rem illustrat adducta similitudine vituli aurei, quem combustum, in puluerem, & in aquam, sparsum bibendum Moses obtulit populo Israel. Ad similitudinem nempe illius vituli debent mysteria fidei, & doctrina Euangelij, præsertim quæ agunt de gehenna & similibus malis peccatori comminatis mente moli, & comminui, vt sanitatem adferant. Repræsento verba ipsius Ambrosij: *Ecce super faciem deserti minutum, vt coriandrum. Cur autem minutum sit, causam accipe, quia & granum synapis minutum est, cui comparatur regnum cælorum & fides, quæ velut granum est synapis, potest montes tollere, & iactare in mare: & fermento simile est regnum cælorum, quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus, donec fermentetur totum. Et Moyses caput vituli aurei comminuit super puluerem, & immisit in aquam, & dedit populo bibere.* Adducit deinde illud Matth. cap. 24. *Duæ molentes in molâ vna assumetur & vna relinquetur.* Duplex fœmina inducitur molens, quæ duplex genus hominum designat: alterum eorum, qui cælestia mente versant, & molunt, hæc assumitur, scilicet in beatitudinem: Altera verò quæ temporalia meditatur, & relinquitur, inhærens fæcibus & temporalibus rebus.

Ambros.

Idipsum elucidatur similitudine synapis, vituli aurei &c.

Quòd

Quòd granum synapis sit symbolum Sanctorum atque iustorum quibus accõmodantur verba illa Cantic. 5. Comæ capitis tui sicut elatæ palmarum, nigræ sicut coruus.

SECTIO XXIX.

Quòd in Christi capillis, designentur Sancti & iusti homines, & quare.

§. I.

Capilli Christi designant Sanctos: Sancti grana synapis plena nigredine.

1. GRanum synapis etiam symbolum est Sanctorum, siue bonorum Christianorum.

2. Granum synapis nigri coloris est, ita & sancti pleni nigredine & fuligine; vnde de illis loquens sub imagine capillorum sponsa Cantic. 5. sic fatur: *Coma capitis tui sicut elatæ palmarum, nigra sicut coruus.* Quibus quidem verbis secundum litteram intellectis; pulcherrimam laudat sponsi cæsariem, siue comam, quam in primis dicit referre similitudinem elatarum, siue ramorum palmæ. Sicut enim hi rami longi sunt, densi, & cincinnati, ita vergentes deorsum, vt in medio instar cincinnorum elatum quid exhibeant, vt tumulum quempiam; tales similiter erant & sponsi comæ siue capilli, longi erant, densi, ad excelsa tendentes, & crispantes. Secundò commendat comam à nigro colore, *Nigra sicut coruus.* Nimirum quòd capilli sponsi sint instar nigricantium atque fulgentium plumarum corui. Quemadmodum enim nigri oculi in candida siue purpurea facie magis laudantur; ita & nigra coma, siue niger capillus, non solùm apud Palæstinos, & alios orientales, in quibus numerantur Hebræi, sed etiam apud Romanos, vt patet ex illis verbis Horatij libro 1. Odarum, od. 32. vbi ait:

Sancti sunt nigri instar corui.

Nigra coma maximè laudata.

Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum,

Et alibi, id est, in Arte poëtica idem Horatius congruenter ait:

Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Martialis quoq; libro 5. Elegiar. in Lentin. Eleg. 90. notans eum quòd iam senex esset, & cano capillo, tamen capillum atro colore tingeret, vt iuuenis videretur, ita ei eleganter insultat:

Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis,
Tam subitò coruus, qui modò cygnus eras.

Quo in loco Poëta prophanus, non solùm indicat comam nigram laudabilem commendabilemque rem fuisse olim apud Romanos, atque sua ætate, sed etiam eâdem prorsus metaphorâ, seu comparatione corui vtitur, quâ sponsa impræsentiarum, cùm de coma, seu comis dilecti sui ait: *Nigra sicut coruus.* Hæc de littera.

2. Secundum verò mysticum sensum; per comas & capillos Christi, communis Sanctorum Patrum sensus, intelligit Apostolos, electos, iustosque omnes; ob varias autem rationes sunt hi in capillis adumbrati.

3. Primò. Sicut capilli adhærent capiti, ita & iusti Christo, Ecclesiæ capiti: & sicut rasi capilli iterum pullulant, quia radices in capite remanent, ita fideles, etsi è capite suo, id est, Christo, per peccatum aliquod abscindantur, quia tamen fidei radices remanent, possunt per gratiam denuò succrescere. Longè alia est ratio capillorum, & aliorum membrorum corporis nostri. Hoc enim habent capilli singulare, quòd de vulnere vegetiores crescant, manus si abscindatur, si amputetur digitus, sub vulnere perit, neque mirum, quamuis enim radantur capilli, hærent nihilominus in capite radices, quæ radi non possunt, ex quibus capilli maiori solent excrescere incremento. Quamuis ergo interdum sanctis & iustis hominibus accidat, læthali sauciari vulnere, & à Christo, amissâ charitate, separari, nihilominus, quia fidei radix quâ hærent Christo, euelli non potest, ex vulnere crescunt, imò etiam vberiores existunt.

Sicut capilli adhærent capiti: ita sancti Christo.

Crines ex vulnere crescunt, ita etiam sancti.

4. Quòd adumbratum videtur nobis in crinibus Samsonis cuius fortitudo, non digitis, sed crinibus, est addicta, qui sicut digiti sub vulnere non pereunt, sed accepto vulnere iterum excrescunt. Ex quo ait D. Petrus Damianus opusc. 7. cap. 23. *Philistæi crines Samsonis, potuere radere, sed non euellere: quia & iniqui spiritus, licet charismata Spiritus sancti à te ad tempus excluserint, non praualent diuinæ reconciliationis remedium irreparabiliter abnegare.*

Petrus Dam.

5. Vis videre qualiter ex vulnere conualescant Sancti, & fructuosiores existant? Audi D. Gregorium 11. moral. 26. *Discretus quisque ex eo, quòd malè se egisse intelligit, ad districtionis regulam arctiùs se reducit, & inde altiùs ad iustitiam proficit, vnde ad tempus à iustitia decidisse videbatur. Quia nonnumquam*

Gregor.

etiam, culpa fortium occasio virtutis fit. Quam veritatem idem Gregorius expendens illud Lucæ cap. 13. *Domine, dimitte illam* (ficulneam sterilem) *& hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora,* in Cat. sic elucidat: *Peccata carnis stercora vocantur, ex stercore igitur ad fructum reuiuiscit arbor, quia de consideratione peccati, ad bona se opera suscitat animus.*

Dauid de vulnere conualuit, & ad vitam resurrexit vberiorem.

6. Vis exemplis hanc tibi veritatem confirmari? In Dauidem oculos conijce, qui quanto vulnere fuerit saucius quis ignorat? Legimus enim de illo 2. Reg. cap. 11. *Missis itaque Dauid nuntijs, tulit eam* (Bethsabeam) *quæ cùm ingressa esset ad illum, dormiuit cum eâ.* Quin & flagitium flagitio cumulat, & adulterium homicidio exaggerat. Verùm an accepto vulnere funditus perijt? absit. De vulnere conualet, & ad vitam resurgit vberiorem. Vnde sic Basil. Seleu. orat. 13. *Verùm ne animo concidas, neve turberis, cùm audis vulneratum. Qui vulneratus, pugnator optimus est, & ferientem eodem telo referire potest. Nam etsi vulneratus, victoriam persecutus est; ac totâ licet acie corruisset, celeriùs surgere se, quàm labi comprobauit. Bellator quouis tempore victor, & medijs in hostibus perdurans inuulneratus, magna quædam res est, & admirabilis: longè verò admirabilius, vulneratum pugnam non perdere, nec hosti qui vulnerarit, eâ re lætitiam afferre. Ex hoc enim videntes docet, neque oportere percussum, ab hoste victoriam perdere, neque saucium ex infortunio, suo claudicare in officio, neque collapsum iacere, sed secundam sustinere plagam, neque hosti gloriæ occasionem præbere.* Sic ille. Sed qualiter, inquies, Dauid, eodem telo quo vulneratus vulnerat & superat diabolum? qualiter ferientem eodem telo referit? nimirum quia altiùs, vt loquitur Gregorius, ad iustitiam proficit, vnde ad tempus à iustitia decidit, & quia de consideratione peccati ad ampliora bona opera animum suscitat, & quia ex occasione peccati ad omnem amplectendam sanctitatem mentem excitat.

Basilivs Sel.

Sancti sicut capilli ex capite Christo omnem virtutem trahunt.

7. Secundò, sicut capilli de capitis substantia non sunt, sed de eius tamen virtute procedunt: ita sancti quamuis substantiam diuinitatis non participent, virtutem tamen gratiæ à Christo hauriunt.

Capillorū magna multitudo: ita & iustorū.

8. Tertiò, sicut magna est multitudo capillorum, ita & iustorum.

Quartò, sicut capilli exornant caput. Illud enim non exornari crinibus turpe putamus. Nam vt quidam inquit:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Turpe sine crine caput.

Tam difformis est, qui comâ & capillis caret, vt risum sui concitet atque contemptum, vt patet ex 4. Reg. cap. 2. vbi legimus pueros illudentes Elisæo atque dicentes: *Ascende calue, ascende calue.*

Apvleivs.

Tam despicabilis & turpis mulier carens capillitio, vt Apuleius de asino aureo lib. 2. scribat. *At verò si cuiuslibet eximiæque pulcherrimæque fœminæ caput capillo spoliaueris, & faciem natiuâ specie nudaueris, licet de cœlo eiecta, mari edita, fluctibus educata; licet, inquam, Venus ipsa fuerit, licet omni gratiarum choro stipata, & tota cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta, cynnama fragrans, & balsama rorans; si calua processerit, placere non poterit Vulcano quidem suo.* Et inferiùs: *Tanta denique est capillamenti dignitas vt quamuis auro, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen nisi capillum distinxerit, ornata non possit videri.* Hactenus Apuleius.

Sicut capilli ergo caput exornant, ita iusti Christum exornant. Vnde Glossa in illa Apocal. cap. 1. verba: *Caput eius & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix:* sic dicit: *Capilli capitis Christi sunt fideles, qui in Christo capite sunt radicati, quod ornant benè viuendo.* Vt capilli caput sic iusti Christum exornant.

9. Quintò. Licet homines non magni cæsaries æstiment, mulieres illorum ornamentum vitæ ipsi præferunt. Quare Galenus lib. 1. de medica composit. cap. 19. vbi cosmetica commemorat, quæ nigricant, dealbant, rufant, aliasve venustant capillos, ait, vidisse se complures mulieres, immodica affectari capillitij curiositate defunctas. Idem scribit Aetius Tetrab. lib. 2. serm. 2. cap. 58. nec abludit Clemens lib. 6. adu. gent. & Euseb. præparat. Euang. lib. 10. cap. 2. Ita & sancti Christo sunt charissimi, ac maximi ornamenti loco, ita vt pro illis non dubitauerit & vitam exponere, illosque vitæ præferre propriæ. Hinc fortassis ait sponsa: *Coma capitis tui.* Comæ namque sunt, quæ mulieris caput exornant.

Quanti capillos faciant mulieres. Galen. Aetivs.

10. Sextò. Capillorum & cincinnorum compositio quantoperè curæ Abassinis, sic indicat Antonius Goes, vt refert Nicolaus Godignus lib. 1. cap. 12. *Elegantiæ causâ varijs modis intorquent capillos, & butyro inungunt; quos sic inunctos, cùm solares excipiunt radios, herbas credas matutino rore madentes.* Addit statim de situ, quo dormiunt. *At enim ne capillamenta, & cincinni disturbentur, cùm eunt cubitum, furculam quisque suam pede vno defigit in terrâ, & inter media cornua immittit collum, atque ita pendente capite somnum capit.* Similiter Christus summam gerit curam, ne disturbentur sancti & iusti homines, ne quos madefecit aureo diuinæ gratiæ rore, colorem optimum mutent, & terrenarum rerum sordibus contabescant.

Capillorum compositio maximæ curæ Abassinis. Anton. Goes. Christus summam gerit curam Sanctorum.

11. Septimò. Capillago symbolum libertatis & virilitatis: quocirca olim capti ui omnes tundebantur, victosque sese profitebantur detonsi. Clodio Rex Francorum statuit, vt Franci omnes comam & barbam nutrirent, vt internoscerentur à Gallis, quos subactos tonderi iubebat in signum seruitutis. Capillago quoque symbolum

Capillago symbolum libertatis.

Maria-na. bolum nobilitatis, & Principum fuit apud Hispanos olim Gothos: Coma verò detonsa plebeiorum, sic enim scribit Mariana histor. Hispan. agens de Argimundo cubiculi regij præfecto Regem occidere machinante: *De socijs ergo quæstione habita, continuò supplicium est sumptum. Coniurationis dux, quo maiori ludibrio esset, pœna diuturnior & grauior, decaluatus (quod erat amissa nobilitatis insigne: nobiles enim à plebe, cæsariæ promissa distinguebantur, extantque Francorum leges de iure cæsariei.)* Similiter sancti capillis comparati, quia liberi, viriles, nobiles, principes.

Sancti liberi principes.

Capilli carent sensu & mortis sunt symbola. 12. Octauò. Capilli carent sensu, carent vitâ. Nyssenus de vita Moys. quærens quid in homine capilli proficiant? Respondet: *Pili mortem ostendunt, quamuis enim adnascuntur viuentibus, vitâ carent.* Et D. Synesius in Encom. Caluitij sic dicit: *Ne homo arrogantius insolesceret, si nulla ei esset cum perituris rebus societas, aliquot sui partibus pilos habet. Vita siquidem carent hi, & viuentibus vitæ expertes adnascuntur*, &c. Quia igitur crines perfectæ mortificationis symbolum sunt, hinc sancti & iusti non incommodè in capillis Christi designantur, vtpotè quibus nil tam familiare, quàm studere, & addictos esse mortificationi. *Capilli omnis vitalis sensus expertes sunt*, ait idem Nyssenus homil. 7. in Cantic. *Capillis neque molestiæ, neque voluptatis vllus sensus existit. Corpus quidem ipsum, vnde nascuntur, si vellicetur dolorem percipit; verum capillus ipse, neque si resecetur, neque si deuratur, quicquam eorum, quæ fiunt sentit. Carere autem sensu, mortui est peculiare.* Deinde verò sic hæc omnia sanctis, quibus mortificatio familiaris, accommodat: *Quamobrem quicumque nihil eorum, quæ in hoc mundo magni æstimantur, sentit: neque propter gloriam & honorem fastu quodam elatus, neque ob iniurias & ignominiam dolens, sed in vtroque horum aduersantium sibi pari quadam ratione semet gerens: is verò est hæc coma tantoperè laudata, planè mortui hominis & immobilis ad mundi negotia speciem præ se ferens, quocumque tandem pacto res ipsius comparatæ sint.* Idem homil. 15. in Cantic. sic hanc crinium proprietatem accommodat sanctis & iustis hominibus: *Docemur per hanc capillorum prædicationem, sanctos habere sensus in potestate sua, perque sapientiam sensum occultare: quemadmodum liber Prouerbiorum loquitur, quum ait: Sapientes abscondent sensum, nimirum qui non ex adspectu de bono iudicium faciunt, non gustatu bonum explorant, non odoratui, non tactui, non alterius sensus organo æstimationem boni permittunt: sed omni sensu extincto per solum animum oblata menti bona expetunt & amplectuntur, atque hoc modo mulierem illam, quæ est Ecclesia, gloriâ quadam exornant, non honoribus intumescentes, neque per abiectionem animi rebus tristibus in angustum coacti, sed in aduersis casibus capillorum instar, se sensus expertes, declarantes, etiamsi vel sectio propter fidem in Christum, vel ad bestias, vel in ignem abiectio perferenda sit.* Hactenus Nyssenus, cuius posteriora verba occasionem nobis ingerunt, in capillis cùm nobis symbolum exhibeatur, insensibilis cuiusdam patientiæ, efformandi sequentem inter capillos & sanctos conuenientiam.

Nyssen.

Synesius.

Sanctis nihil tam familiare atque mortificatio.

Nyssen.

Idem.

Prou. 10.

Capilli carent sensu doloris, ita Sancti quodammodo insensibiles. 13. Nonò, sicut capilli carent sensu doloris: ita etiam sancti ad omnia huius vitæ mala quodammodò insensibiles sese, & quasi mortuos exhibent. Vide quàm insensibiliter se habuerit ad passiones Abraham. *Tolle*, (ait illi Deus Genes. cap. 22.) *filium tuum vnigenitum quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Quæ verba sic expendit Basilius Seleuc. orat. 7. *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac: Arma naturæ excuit, omniaque amoris ingeniti tela exhaurit. Nec enim simpliciter dixit: Redde, quem dedi: aut macta quem accepisti, sed: vnigenitum filium tuum, quem diligis. Ferit animum amoris commemoratione, multiplicat appellationes, quibus flammam atriùs accendat, omnes effundit in eum naturæ vires.* Vis videre quem ediderit doloris sensum in tam arduo facinore? *Religiosus carnifex* (inquit Zeno Veron. sermone 1. & 3. de Abraham) *stringit gladium, patris erat quod leuauit, Dei fuit quod pepercit. A filio ad agnum transtulit dexteram, semper lætus & gaudens. Nec mutatus est vultus eius, cùm esset victima commutata. In illo sacrificio solus Deus doluit, quia aliam victimam procurauit.*

Basilius Sel.

Zeno.

Quàm insensibilis Abraham.

Quàm insensibilis Basilius. 14. Vis aliud insensibilitatis exemplum? Oculum in Basilium conijce. Hic ad Modestum Cæsaræ Præfectum (verba sunt Nazianzeni orat. pro Basilio) aduersus Ecclesiam furentem, leonisque speciem præ se ferentem, ac leonis more rugientem, atque eiusmodi, vt à multis ne adiri quidem posset adducitur. Cõmotus præfectus asperioribus verbis cum eo agere perrexit. Quid? potestatem hanc non extimescis? Cur verò pertimescam, inquit Basilius, quid fiet? quid patiar? *Quid patieris intulit ille? Bonorum proscriptionem, exilium, cruciatus, mortem.* Tum Basilius: *Si quid aliud habes, id nobis minare. Horum enim quæ adhuc commemorasti, nihil nos attingit. Quonam modo, inquit ille? Quoniam, inquit, Basilius, bonorum proscriptioni obnoxius non est, qui nihil habet: nisi fortè laceris & detritis hisce pannis indiges, ac paucis libellis in quibus omnes mihi facultates, & copiæ sunt. Exilium autem haud agnosco, qui nullo loco circumscriptus sum, ac neque terram hanc quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam proiectus fuero, pro meâ duco, imò vt rectiùs loquar, vniuersam terram Dei esse scio; cuius aduena ego sum & peregrinus. Iam tormenta quid accipere queant, cum corpus desit, nisi fortè primam plagam dixeris: huius enim solius penes te arbitrium & potestas est. Mors porrò beneficij loco mihi erit,*

Naz.

cuius

citiùs enim me ad Dominum transmittet, cui viuo, & munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obij & ad quam iam pridem propero, &c. O insensibilem patientiam!

Viri fortis descripta insensibilitas. SENECA.

15. Viuis coloribus depingentem viri fortis insensibilitatem, accipe Senecam lib. de prouid. sic fantem. *Nihil accidere bono viro mali potest. Aduersarum impetus rerum, viri fortis non vertit animum. Manet in statu, & quidquid euenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior, nec hoc dico, non sentit illa, sed vincit, & alioquin quietus placidusque contra incurrentia attollitur. Omnia aduersa exercitationes putat. Marcet sine aduersario virtus. Tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque, cùm quid possit, patientia ostendit. Scias licet, idem viris bonis esse faciendum, vt dura ac difficilia non formident, nec de fato querantur. Quidquid accidit, boni consulant, in bonum vertant. Non quid, sed quemadmodum feras, interest. Ecce spectaculum dignum, ad quid respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus. Non video, inquam, quid habeat in terris Deus pulchrius, si conuertere animum velit, quàm vt spectet Catonem, iam partibus non semel fractis, stantem nihilominus, inter ruinas publicas, erectum.* Sic ille.

Sācti flexibiles & graciles.

16. Decimò. Crines maximè sunt flexibiles, ita sancti maximè obedientes.

17. Vndecimò, capilli maximè graciles. Ita sancti omnes tum per humilitatem, tum per abstinentiam, ieiunia, vigilias, carnisque afflictionem graciles sunt. *Opimitas* (ait Tertullian. lib. de anima c. 20.) *sapientiam impedit, exilitas expedit.* Corpulentia animum obtundit macrum & exsuccum corpus, exacuit animum.

Ad motum capitis nonnisi mouentur capilli, sic sancti non viuunt proprio sensu.

18. Duodecimò, ad motum capitis, nonnisi mouentur capilli. Itaque cum sensu & vita careant, illis caput ipsum quasi pro sensu, & vita est. Similiter sancti non proprio viuunt nutu, non proprio viuunt sensu, non proprio viuunt spiritu, nihil propria mente & ratione peragunt, sed ipse Christus à quo tamquam capite dependent, & cui tamquam capiti inhærent. Illis pro sensu, pro vitâ, pro mente est, cùm diuina voluntate maximè conformati, nec ab illâ ad latum vnguis excidentes. Ita vt verè & ex animo orent. *Fiat voluntas tua.* Ad quæ verba sic Chrysologus serm. 67.

CHRYSOL.

hoc est regnum Dei, quando in cælo & in terra Dei est voluntas sola, quando in omnibus hominibus: Deus mens est, Deus viuit, Deus agit, Deus regnat, Deus est totum, vt iuxta illud Apostoli: Sit Deus omnia in omnibus vobis.

Christus sanctos pulcherrimis pigmentis spectabiles reddit.

Decimotertiò. Solent homines crines accurrare & afficere varijs pigmentis, pulueribus & cineribus ex arte compositis quibus modò albicantes, modò nigrescentes, modo flauos & aureos reddunt. Similiter Christus iustos suos, tamquam capillos, miro modo à se dilectos, & quorum compositionis & ornatus studiosissimus est, non negligit variis ijsq; pulcherrimis pigmentis spectabiles & formosissimos reddere. Audi quid dicat Christus Cantic. cap. 5. *Caput, ait, meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ecce Christus capillos suos, id est, sanctos perfundit guttis noctium. Quænam hæ guttæ noctium? nimirum singularis quædam & eximia notitia siue cognitio rerum diuinarum, quam hauriunt ex obscuris & occultis diuinæ sapientiæ thesauris, quæ quidem respectu nostri est instar fluuij pleni salutaribus aquis, sed respectu ipsius fontis, sunt tantummodò guttæ. Hæc meditantem accipe Gregor. Nyssenum homil. 11. in Cant. *Cincinnos, ait, qui pendent ab vniuersitatis capite, puto nominari Prophetas & Euangelistas & Apostolos. Quorum vnusquisque quantum capere potuit, hauriens ex obscuris, occultis, & inaspectabilibus thesauris nobis quidem fiunt fluuij pleni aquis. Si rei autem spectetur veritas sunt guttæ roris, etiamsi restagnent multitudine & magnitudine doctrinæ. Cuiusmodi flumen erat Paulus, qui supra cælum assurgens vndis sententiarum, vsque ad paradisum, vsque ad verba arcana & ineffabilia, & per omnem eiusmodi docendi amplitudinem latè exundans, verbis rursus ostendit, quòd hic sermo est instar guttæ roris, si conferatur cum verbo, quod est, cùm dicit* (1. Corinth. 13.) *ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Si ergo humor roris, & gutta cincinnorum, videntur esse flumina, & maria & fluctus, si cum nostris conferantur viribus quid est existimandum de illo fonte qui dixit: Si quis sitit, veniat ad me & bibat.*

Sanctos perfundit guttis noctium.

GREGOR. NYSSENI.

Comæ numini consecratæ.

20. Decimoquartò. Comæ olim numini consecrari solitæ. Nazaræi apud Iudæos ex voto comam alebant, vt legimus Numer. cap. 6. sed absolutè consecrationis & Nazareatus tempore, post magnam vitæ continentiam, caput abradebant, capillosque in sacrificij ignem conijciebant, vt eo modo pietatis suæ perfectionem Domino consecrarent, vt Iosephus lib. 4. antiq. testatur. Sic roseæ & pulcherrimæ comæ Berenicis abscissæ & numini consecratæ, vt scribit Callimac. in eleg. conuersa à Catullo &c. eius rei etiam meminit Nazianz. orat. 4. adu. Iulian. illiusque illustrator Elias ad eandem orationem. Hæc enim Berenice Ptolomæi regis filia, cùm nihil habere præstantiùs crederet, quod ob victoriam, quam pater aduersus hostes obtinuerat, in grati animi significationem Dijs offerret, cæsariem sibi abscidit, & consecrauit elegantissimam. Quam propterea comam adulantes Ptolomæo Astrologi inter astra relatam, commenti sunt. Refert etiam Diodorus lib. 2. capillum defectum dijs olim voto dicari solitum, & idem videre est apud Pausaniam in Corinthiac. aliosque. Virgines etiam comas tondere solitas, vt nuptias excusarent, scripsit Statius 2. Theb.

IOSEPHVS.

NAZIANZEN.

DIODOR.

vt

—— Vbi casta adolescere ætas
Virgineas libare comas, primósque solebant
Excusare toros, &c.

HIERON. Et D. Hieronymus etiam testis est, id à sacris etiam virginibus viduisque obseruatum. *Moris est* (inquit epist. ad Sabinianum) *in Ægypti, & Syriæ monasterijs, vt tam virgo quàm vidua, quæ se Deo vouerint & sæculo renuntiantes, omnes delicias sæculi conculcauerint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum.* Etiam super mortuos comam poni solitam & in signum amoris offerri, videre est apud Ludouicum de la Cerda in lib. 7. Æneid. Similiter Sanctis nihil tam in votis quàm seipsos totos offerre & consecrare Deo. Christus etiam iustos omnes, tanquam roseam, pulcherrimamque suam comam, vtpote tinctam in canalibus sacratissimorum suorum vulnerum, indesinenter offert Deo tanquam sacrificium illi planè acceptum & iucundum, vnde Christum in cælum ascendentem, offerrentem æterno Patri ouem perditam, sed ab ipso iam inuentam & emundatam, sic loquentem introducit D. Epiphan. serm. de Ascens. *Nemo*, ait, *ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius, pastor ille bonus qui errabundam ouem quæsiuit, inuentam humeris clementer impositam, ad cælestem portum adduxit, adductam autem cælesti patri, muneris loco, obtulit, dicens: Pater, inueni errabundam ouem, quam serpens, impostorque diabolus callidè, fraudulentérque circumuentam in errorem induxerat. Cúmque improba vitæ luto prorsus obrutam vidissem, diuinitatis meæ dexterâ porrectâ, celeriter eam erexi, in Iordanis flumine ablui, ablutam tandem, suaueolenti spiritus sancti vnguento per resurrectionem inunxi. Quare præsto nunc sum, munusculum diuinitate tua haud indignum oblaturus, ouem videlicet mente & ratione præditam.* Sic Epiphan.

Sanctis nihil tam in votis quàm seipsos consecrare Deo.

Christus sanctos offert Deo.

EPIPHA.

ANTON. VELASQ. Quid in capillis Christus, id est, Sanctis, significet color modò niger, modò albus, vide apud Anton. Velasquez tom. 2. in epist ad Philip cap. 4. vers. annot 1. fol. 483 &c. LIRAN. Liranus putat Sanctos Christo adhærentes comparari capillis nigris, quasi coruus, quia non senescunt, sicut enim coruus quantumcumque viuat nunquam canescit; ita iustus quantumcumque annositate progrediatur, nunquam senescit, nunquam est vetustus per culpam.

Qualiter Sancti & iusti referant similitudinem palmarum & Elatarum.

§. II.

Sancti referunt similitudinē palmarum.

1. VIdimus qualiter sancti & iusti comparentur capillis; examinandum qua ratione referant similitudinem palmarum & elatarum palmæ, ait enim sponsa: *Coma capitis tui sicut elatæ palmarum.* Elatæ verò palmarum, sunt palmæ rami magis proceri & alti, cœlum versus sese erigentes. Non immeritò autem palmis, siue elatis palmarum comparantur sancti, sunt enim inter palmas & iustos variæ, eæque pulcherrimæ, conuenientiæ. Elatæ palmarum.

2. Primò. Palma arbor est quæ societatem diligit, quæ ad alteram similem sibi, nescio quam habet propensionem, alteriusque incommoda sentit, ea sola inter omnes arbores ab alijs separata, fructus nullos producit; si verò alterius vicinitatem habet, fæcundissima redditur, hinc sibi inuicem palmæ adseruntur, vt aër per vnam transiens, aliam fructificare faciat. Feruntque in palmis reperiri sexuum distinctionem, vt vna sit palma mascula, altera fæminea: tempore verò verno, inclinatis ramis, & sibi inuicem quasi amplexantibus palmam fæminam, disponi ad flores fructusque producendos, atque inde fieri, vt dactyli accipiant, vt perfecti & suaues fiant. BASILIVS. D. Basilium hom. 5. hexam. loquentem hac de re accipe: *Non solùm*, ait, *in diuerso genere fructuum differentiæ sunt, sed etiam in eadem specie arboris multa diuersitas est, vbi sanè alia nota fructus masculæ arboris, alia fœminæ à plantarum curatoribus discreta est, qui certè & palmas in mares & fœminas distinguunt, & videas vtique aliquando eam, quæ ab ipsis fœmina appellatur, demittentem ramos, velut, libidine concitatam, & amplexum maris appetentem. Videas autem & curatores plantarum ramis ipsarum velut semina quadam mascularum iniÿcere, quos culices appellant, atque sic velut in sensu fruitionis ac voluptatis illam constitui, ac rursus erigere ramos, & arboris comam ad propriam figuram redire.*

Palma societatem diligit.

3. Similia de palmis refert D. Ambrosius lib. 3. hexam. cap. 13. AMBRO. *Est*, ait, *etiam quod mireris, ipsis sexus in pomis, est discretio sexus in arboribus. Nam videas palmam quæ dactylos generat, plerumque inclinantem ramos suos & subiacentem, & concupiscentiæ atque amplexus speciem prætendentem ei arbori, quam marem palmam appellant pueri rusticorum. Illa ergo palma fæminea est, & sexum suum subiectionis specie confitetur. Vnde locorum cultores praiaciunt ramis eius dactylorum vel palmarum semina masculorum, quibus illa fæmineæ arbori velut quidam sensus perfruitionis infunditur, & expetiti contubitus gratia repræsentatur. Quo munere donata, rursus erigitur, & eleuat ramos suos, & in veterem statum comam suam rursus attollit*, &c. Plinius lib. 13. nat. hist. cap. 4. ita de palma scribit: *Coma omnis huius arboris in cacumine est, & pomum est non inter folia, vt in cæteris arboribus, sed suis inter ramos palmitibus racemosum, & nullis arboribus manifestiùs vterque sexus inest, vna deficiente, & alteram deficere.* Eiusdem conditionis vult Christus esse suos discipulos, in quo alijo omnes iusti adumbrati, *misit eos binos.* D. Augustinus lib. 2. q. Euang. hoc facto charitatem indicari ait: *Quod*, inquit, *binos discipulos*

Sancti sunt sociales & charitatiui.

discipulos Christus mittit, Sacramentum est charitatis, siue quia duo suæ charitatis præcepta, siue quia omnis charitas minus, quàm inter duos esse non potest, &c.

Non nobis generati sumus.

4. O Christiani non nobis nati sumus, prodesse debemus alijs: homo ab humo, id est, terra trahit deriuationem & etymologiam. An sibi terra gignit fructus tam copiosos? Minimè, sed bestijs & hominibus: ita & homo non sibi soli viuat, sed & alijs. Nihil enim magis proprium homini, quàm vt alijs prosit. Nam vt pulchrè Cicero lib. 2. de nat. Deor. *Cùm omnia aliorum causa sint generata, fruges & fructus quos terra gignit causâ animantium, animantes verò causâ hominum, vt equum vehendi causâ, bouem arandi, venandi & custodiendi canem, homines hominum sunt causâ generati, vt ipsi inter se alijs prodesse possint. Misit binos*, ait Theophylactus, *vt alius alium adiuuaret.* Vnde fideles malogranato comparat D. Hieronymus, in quo veluti grana mutua societate coagmentata, mutuum etiam vigorem & saporem conseruant: ita etiam isti mutuæ societatis vinculo colligati, gratiæ diuinæ gustum, & spiritualis vitæ nitorem custodiunt & augent.

Cicero.

Cur fideles malogranatis comparentur.

Palma symbolum victoriæ atque triumphi.

5. Secundò. Palma symbolum est animi erecti, triumphi, atque victoriæ, quapropter victorijs & triũphis consecrata erat. Quemadmodum docet Aulus Gell. lib. 2. noctium Atticarum cap. 6. vbi ex auctoritate Aristotelis & Plutarchi ita scribit: *Si supra palmæ arboris lignum, magna pondera imponas, actam grauiter vrgeas & oneres, vt magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma redit, neque intra flectitur, sed aduersus resurgit, & sursum nititur, recuruaturque. Propterea in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam ingenium eiusmodi lignum est, vt vrgentibus opprimentibusque non cedat.* Hæc Gell. ex Aristotele in problemat. & Plutarcho in lib. 8. conuiu. seu conuiualium. Idem autem Plutarchus in quæstion. natur. rationem assignans, cur palma aduersus onera se attollat, sic ait: *Quid omnibus in arboribus vna palma imposito onere fornicatur? Vtrum quia ignea & spirabilis vis, quâ maximè pollet, cùm tentatur & irritatur sese exertens, magis magisque assurgit. An quoniam pondus ramos subitò vrgens aërem, qui in his est, oppressum omnem cedere compellat retro, qui mox resumptis aliquantulum viribus, aduersus onus rursus instat acriùs? An mollia & tenera virgulta impetum non sustinentes, cùm onus quiescit, paulatim erigunt se, speciemque quasi contra illud assurgant, præbent.*

Aristot. Avlvs Gellivs.

Palma aduersus onera se extollit.

6. Regius propheta considerans inuictum ac robustum animum iusti, qualiter in tribulationibus & afflictionibus, illi à Deo tamquam tot impositis oneribus, non deficiat, sed aduersus varias pressuras sese ad cœlestia erigat, insignem ac multiplicem de omnibus suis hostibus triumphum referens, illum palmæ comparat dicens Psa. 90. *Iustus vt palma florebit*, vel potiùs, virebit: quia scilicet magno atque inuicto semper animo est vir iustus, quantumuis malis prægrauetur, & in angustias redigatur extremas: instar palmæ quæ nullis ponderibus cedit: Id quod facilè patet multis diuinæ scripturæ exemplis atque experimentis. Atque in primis exemplo Israelitarum, quando captiui tenebãtur in Ægypto, & miris modis à Pharaone tyranno Ægyptiorum vexabantur. Sic enim de illis ait sacra historia Exodi cap. 1. *Quantoque magis opprimebantur, tantò magis multiplicabantur & crescebant.* Quo sensu etiã ait Paulus Apostolus 2. ad Corinth. cap. 4. de se ac suis similibus: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur* (id est opprimimur) *sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: humiliamur, sed non confundimur: deijcimur, sed non perimus*, &c.

Iusti florēt vt palma, & aduersus onera se extollunt.

Probatur exemplo Israelitarum.

Sanctorum inuictus animus.

7. Atque huc respexisse videtur D. Ioannes, dum Apoc. cap. 7. describit sanctos *stantes ante thronum Dei amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*: nimirum, vt significetur eorum inuictus animus, & designentur varij illorum de vitijs, peccatis, carne, mundo, diabolo, reportati triumphi, quo nomine in æternum sunt victuri, virentes, hilares, formosi, corruptionisque expertes. Sed de hisce sanctorum palmis audiendus & adducendus Ambrosius Ansbertus lib. 4. in Apoc. *Quid*, ait, *per palmas, nisi triumphus victoriæ? Quid per manus nisi virtus operationis exprimitur. Palmas itaque in manibus habere, est per virtutem sancti certaminis de antiquo hoste, mundique voluptatibus triumphare. Palmas enim in manibus habent, qui cum Apostolo dicunt: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia, an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est: Quoniam propter te morte afficimur tota die æstimati sumus vt oues occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Palmas itaque in manibus ferunt, omnes qui cum ipso clamant & dicunt: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deijcimur, sed non perimus. Palmas victoriæ in manibus ipse & commilitones eius habebant de quibus dicebat: Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Palmam in manu idem gestabat, cùm diceret: in nullo confundar, sed in omni fiducia sicut semper & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi viuere Christus est & mori lucrum. Hanc palmã in manu ferens, ad consummationem victoriæ tendebat dicens: Sequor si quo modo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Vnum, quod retro est obliuiscens, ad ea verò quæ sunt in priora extendens me, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Palmas in manibus gerunt, qui virginitatem*

Ambros. Ansb.

Rom. 8.

Quinam gestent in manibus palmas

Psal. 43.

2. Cor. 4.

Rom. 8.

Phil. 1.

Phil. 3.

ginitatem carnis & cordis, ob amorem cælestis patriæ contra oblectamenta peccati defendunt. Palmas in manibus ferunt, qui etiam, post complexus voluptatis, continentiam vindicant castitatis. Palmas in manibus habent, qui & ab illicitis amplexibus abstinent, & licitu, non nisi causâ filiorum, vel certè alterius incontinentiæ consulentes, vel maritus scilicet, vxoris, vel vxor mariti, vtuntur. Vnde nec viri nec vxores ad inuicem in potestate habere dicuntur propria corpora. Palmas in manibus tenent, qui & aliena non appetunt, ac indigentibus propria distribuunt. Palmas in manibus ferunt, qui cuncta mundi postponunt, habita deserunt, omnesque affectus carnales relinquunt, ac duris hominum imperijs se subdunt, qui contra ictum superbiæ humilitatis gaudium extendunt. Et vt summatim breuiter cuncta comprehendam, contra omnia inimici tela, contra cuncta ignita eius iacula, scutum fidei opponunt, loricam iustitiæ induunt, galeam salutis & gladium spiritus, quod est verbum Dei assumunt. Hinc in die malo resistunt, hinc triumphant, hinc coronas victoriæ in die æternitatis percipiunt. Bene igitur electorum numerus palmas in manibus habere describitur, quia nimirum triumphus victoriæ, in virtute operationis consistit. Hactenus ille.

Qua ratione accidat quòd Sancti non cedant laboribus. Palmæ ignea vis. PLVTARCHVS.

8. Sed quanam ratione accidit quòd Sancti non cesserint laboribus sed animo prorsus permanserint inuicto? Quòd palma imposito onere fornicetur, adscribitur igneæ illius vi, vt suprà ex Plutarcho relatum. Quod Sancti aduersus tribulationum onera sese magis magisque à terrenis ad cœlestia eleuent, adscribendum illorum charitati, quæ etiam in palma non malè adumbratur, vt bene notauit Philo Carpath. Episcopus scribens in Cantica, & exponens illa verba à sponso Ecclesiæ dicta: *Statura tua assimilata est palmæ*, sic fatus *Magnitudo immensæ charitatis assimilata est palmæ, secundum varios mores ac fructus, & ornatus Spiritus sancti: diciturque Ecclesia sancta Dei, hoc est, iustorum hominum atque sanctorum, sicut scriptum est: iustus vt palma florebit. Palma enim cordis internam charitatem atque virtutem, vimque fidei inexpugnabilis ostendit, quemadmodum & iustorum voluntas ac vita sese virtutibus illustrat, neque circa terrena hæc & peritura versatur ac iacet, sed ad superna atque cœlestia & sempiterna cor attollit ac dirigit, nec vllis aduersis frangitur, sed inuicta perdurat ac regnat*, &c.

Ob Charitatem sancti non cedunt malis.

Palma symbolum iustitiæ, propter inflexibilitatem.

9. Propter inflexibilitatem, palma etiam habita pro iustitiæ symbolo, siue iudicis iusti hieroglyphico: debet enim iudex esse inflexibilis, & talis vt nullo pondere flecti possit. Vnde forsã ad significandam hanc inflexibilitatem Debora illa formosa Iud. 5. quæ iudex fuit in populo Dei, tribunal constituit sub palma. Et Deuter. capite 25. legimus: *Si fuerit causâ inter aliquos, & interpellauerint iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt.* Vel vt legit interlin. *Iustitiæ victoriam dabunt.* Victoria iustitiæ debet esse iustitiæ palma, nimirum quia iudex instar palmæ debet esse inflexibilis, nec permittere vt corrumpatur, vel flectatur muneribus, vel amicis, à iudicando æquo & iusto, Iudicibus quoque antiquitus post sceleratorum punitionem solitæ affigi postibus domorum palmarum virides rami. Vnde Iuuenalis alloquens iudicem exercendæ iustitiæ timidum illum hortatur his verbis: IVVENAL.

Rumpe miser tensum, iecur, vt tibi lapso
Figantur virides scabarum gloria palmæ.

Quibus verbis alludit ad antiquum illum morem, quòd cùm quis ad scabas condemnabatur, quod perinde erat, ac si patibulo suspenderetur, multis encomijs iudicem prosequebantur, quòd iniquorum hominum fæce rempublicam expurgaret.

Palma arbor solaris & in qua sol prædominatur.

10. Tertiò. Proculus & Lucius Apuleius de palma differentes, tradunt hanc arborem esse solarem, quia multum in ea sol dominatur, & tamdiu eam conseruat, vt quandam ipsius solis incorruptibilitatem participare meritò videatur. Ob hanc etiam rationem iusti palmæ comparantur, nimirum, quòd in eis Christus Dominus, sol iustitiæ adeò prædominetur, ex eoque quasi quandam incorruptionem trahant. Nec prædominatur solùm sol in palma, sed & illa ad solem maximam habet propensionem, & ideo quàm maximè se à terra extollit & erigit, vt copiosiùs illius possit frui ac delectari radijs, quòd iustis maximè proprium est. Vnde de discipulis Christi legimus, quòd, misit illos binos & binos ante faciem suam: nimirum, vt ministerium ad quod mittebantur exequentes, recordarentur se diuino conspectui expositos. Ex hac Dei cogitata præsentia, incorruptibilitatẽ quandam mentis mutuant iusti. Vnde mentes, animique nostri tam infecti, tam corrupti, tamque contaminati? Nonne quoniam de nobis dici potest; *Non est Deus in conspectu eius.* Prohibe à plantis aspectum solis, nónne mox incipiunt languere, deficere, &c. Idem accidit animæ quæ Dei obliuiscitur: contrà, plantæ quæ solis gaudent radijs, eiusque præsentiâ fruuntur, quàm florent, &c. sic animæ quæ Deum habent per cogitationem sibi præsentem. Vt solares radij maximum conferunt tam palmæ, quàm folijs, ac fructibus eius splendorem, sic diuinæ præsentiæ cogitatio, mirum adfert splendorem cogitationibus & actionibus nostris. Non potest negligi hæc cogitatio absque salutis discrimine: *Non est Deus in conspectu eius.* Quid inde sequutum? *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

Sic sancti Christo maximam habent sympathiam.

Ex obliuione Dei quæta mala.

Cogitatio Dei præmunit aduersus omnia peccata.

11. Communit etiam hæc cogitatio hominis pij pectus aduersus omnia pericula nequitiæ: hac consideratione armata Susanna, grauissimam carnis tentationem superauit; nam cùm scelesti illi senes eam solam in pomario deprehendissent, dicerentque: *Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt*; ingemuit Susanna & ait: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare*

in conspectu Domini. Quasi dicat: Potiùs eligo mortem corporalem propter Deum, quem in hoc agone præsentè intueor, quàm peccatum admittere. *Et ita*, inquit D. Chrysostomus hom. de Susanna, *aspernabatur quod audiebat, quia timebat eum, quem nihil latebat.*

Hac cogitatione obtinetur vitæ spiritualis perfectio. Heliotropium imitandum.

12. Deinde hac cogitatione vitæ spiritualis perfectionem obtinemus, Deoque similes efficimur. Considera qualiter heliotropium, siue flos solaris, dum solem semper intuetur ac sequitur, ipsius solis quasi effigiem gerit, sole ipsi quasi imaginē imprimente, sibique simillimum reddente: ita & iusti, dum tamquam spiritualia quædam heliotropia, cum Christo sole iustitiæ familiaritatem habent maximam, dum ad illum interiorem deflectunt oculum, & obtutu irretorto, quantum fert humana infirmitas, illius conantur frui radijs, illi redduntur simillimi, atque tamquam à Domini spiritu, in eandem imaginem transformati.

Palma habet viroris perpetuitatem: sic etiā sancti.

13. Quartò, Palma habet viroris perpetuitatem: nam diuturnis vestitur folijs sine vlla successione ea conseruans, tempore hyemis & æstatis. Similiter sancti virorem sanctæ conuersationis semper retinent, neque eam amittunt, siue tempore æstatis, id est, prosperitatis, siue tempore hyemis, id est, aduersitatis. Ezechiel cap. 40. de porta australi templi illius prodigiosi affirmat, in illius vestibulo cælatas fuisse palmas, vna hinc, & altera inde. Quæ ad tropologiam vocans D. Gregorius hom. 19. in Ezech. docet hac picturā significari iustos, qui ad patriam tendunt, à dextro debere habere palmas, & à sinistro, id est, non debere extolli in prosperis, nec in aduersis deijci, illius transcribo verba: *Notandum magnopere est, quod dicitur hinc & inde. Omnes enim qui ad vita aditum tendimus, & ex dextro & sinistro latere habere palmam debemus. Quod enim hinc & inde dicitur, latus vtrumque signatur. A dextro igitur palmam habet is, quem prospera non extollunt. A sinistro palmam habet is, quem aduersa non deijciunt.* Deinde hanc veritatem exemplis illustrans, prosequitur: *Quasi ex vtraque parte portabat Paulus palmam cum diceret: Per arma iustitiæ à sinistris, per gloriam & ignobilitatem; per infamiā, & bonam famam: vt seductores, & veraces. Non hunc aduersa frangebant, non prospera in mentis tumorem subleuabant. hinc inde ergo gestabat palmam, quia & in aduersitate fortis, & in prosperitate humilis permanebat. Quisquis enim de prosperis extollitur, habere in dexteram partem palmam nescit. Quisquis in aduersitatibus frangitur, portare palmam à sinistro latere ignorat. Vt ergo hinc & inde palma gestetur in fronte, adesse semper nostris mentibus debet & in aduersis fiducia, & in prosperis timor. Ne aut aduersa in desperationem pertrahant, aut prospera animum in sui fiduciam extollant.* Et cætera quæ ibidem prosequitur. Quo loco etiam in exemplum adducit ipsum Iobum, docetque eum nec prospera eleuasse, nec aduersa fregisse. Vide Anton. Velasquez in epist. ad Philip. capite 4. vers. 1. num. 6. & Cornelium in Ecclesiast. capite 3. vers. 32.

GREGOR.

2. Cor. 6.

VELASQ.

Palma gaudet solo aspero.

14. Quintò. Palma quamuis dulcissimos ferat fructus, gaudet tamen solo aspero. Cùm dulcem fructum faciat, ait Plinius, in amaro tamen solo nascitur. Belonius de arboribus coniferis scribit, palmam postulare solum aridū & siccum, & si contingat eam plantari in solo pingui, vnde accidat illam minus esse fructiferam, ad radices apponenda cineres atque salem, sicque reddi maximè fructuosam. Similiter iusti quamuis fructus bonorum operum producant suauissimos, nusquam meliùs quàm in amaro, sicco, & aspero crescunt solo. Vnde Deus non solet illis concedere abundantiam rerū temporalium, sed permittit plerumque vt cum paupertate, infirmitate, alijsque incommodis vitam transigant, & quasi perpetuò colluctentur. Sale pœnitentiæ, cineribusque propriæ cognitionis mirū etiam in modum proficiunt iusti. Significatur etiam hac similitudine iustum persecutionibus augeri. Vide Baeza Euang. hist. tom. 3. lib. 15. c. 5. §. 4.

PLINIVS.

Iustus in amaro meliùs crescit solo.

BAEZA.

Palma inferiùs aspera, superiùs pulchra, ita & sancti.

15. Sextò. Palma in radice inferiùs habet asperitatem; in inferiori enim parte aspera est, aculeos & cuspidem protendens: sed superius in comâ habent venustatem, foliorum pulchritudinem, ac fructuum suauitatem, vt quidam poëtarum eleganter cecinit:

Quæ licet angusto stet robore, & aspera musco
Corticis horrifici sit parte sub inferiori:
Cùm tamen ad liquidum se subrigit arca pomorum
Robur multiplicans, folijs fructuque redundans:
Arboribus reliquis, quæ dilatantur in imis,
Et facilè præstat, signa & victricia gestat.

Similiter iusti habent asperitatē laboris, atque in laboribus plurimis cum D. Paulo vitam transigunt corporalē: verùm superiùs, nimirum in animo & mente maxima pollent venustate & pulchritudine; ibi replentur consolatione, & superabundant gaudio. Palma appellata antiquitus ob pulcherrimam comam, arbor pulchritudinis. Et Homerus volens exaggerare Helenæ pulchritudinem, eam palmæ assimilat. Ita nihil pulchrius animabus iustorum. *Non immeritò*, ait D. Gregorius 29. Mor. 16. *iustorum vita palmæ comparatur, quia scilicet palma inferiùs tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta: superiùs verò & visu & fructibus pulchra: inferiùs corticum suarum inuolutionibus angustatur, sed superiùs amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorū vita, despecta inferiùs, superiùs pulchra: in imo ista quasi multis corticibus obuoluitur, dum innumeris tribulationibus angustatur: in summo verò illa quasi pulchræ viriditatis folijs amplitudine retributionis expanditur:* Folia palmæ referunt similitudinem gladiorum. Vt significetur, iusti pulchritudinem, non mollem esse, sed vigorosam. Asperitas palmæ asperam designat iustorum conuersationem, Vide Baeza in Euang. histor. tom. 3. lib. 15. capite 9. §. 5.

Palma symbolum pulchritudinis, nihil pulchrius iustis.

16. Septimò.

Palma inferiùs angusta, superiùs lata, ita & sancti.

16. Septimò. Palma inferiùs angusta, superiùs lata & expansa: ita & sancti quamuis in carne viuant, tamen ad appetenda terrena maximè sunt angusti. Quàm angustus D. Paulus ad terrena, 1. Timoth. 6. *Habentes victum & amictum, his contenti sumus.* Secundum verò superiorem propositionẽ animæ, tam latè sinus aperiebant ad diuina charismata recipienda, quanta charitas copiosiùs diffusa erat in cordibus suis. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram.* Ecce quàm angustus Dauid circa creata, quàm latus & extensus versus creatorem. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Aliter sese res habet in terrenis hominibus; hi corda habent ad terrena amplissima, ad cælestia angustissima.

Palma inferiùs tenuis superiùs crassa.

17. Octauò. Palma inferiùs tenuis est & infirma, superiùs verò crassa atque robusta: idem quoque de sanctis & iustis affirmari potest: ad terrena enim infirmi sunt & inualidi, ad superiora verò fortes & strenui. Longè alia ratio est hominũ mundanorum, vt pulchrè diffindit D. Gregorius loco cit. hisce verbis: *Habet aliud palma, quo à cunctis arborum generibus differt. Omnis namque arbor in suo robore iuxta terram vasta subsistit, sed crescendo superiùs angustatur, & quantò paulisper sublimior, tantò in altum subtilior redditur. Palma verò minor ab imis inchoat, & iuxta ramos, ac fructus ampliori robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit. Quibus vtique alia arbusta nisi terrenis mentibus inueniuntur esse similia, inferiùs vasta, superiùs angusta? Quia nimirum omnes huius sæculi dilectores, in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles. Nam pro temporali gloria vsque ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua, ne parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerant, & pro cœlesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant: terreno iudici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione verò coram Domino vel vnius horæ momento lassantur. Sæpe nuditatem, deiectionem, famem, pro acquirendis diuitijs atque honoribus tolerant, & earum rerum se abstinentiâ cruciant, ad quas adipiscendas festinant: superna autem laboriosè quærere tantò magis dissimulant, quantò ea retribui tardiùs putant. Hi itaque quasi aliarum arborum more deorsum angusti, vasti sunt, sursum angusti, quia fortes in inferiora subsistunt, sed ad superiora deficiunt. At contra ex qualitate palmarum designatur proficiens vita iustorum, qui nequaquam sunt in terrenis studijs fortes, & in cœlestibus debiles, sed longiùs atque distantiùs studiosos se Deo exhibent, quàm sæculo fuisse meminerunt.* Et cætera quæ ibidem prosequitur.

Gregor.

Palma paulatim augetur, & sancti continuum faciunt in virtute progressum.

18. Nonò. Palma cùm inferius & iuxta radicem sit angusta & tenuis, paulatim tamen augetur, & maius incrementum capit: cùm aliæ arbores iuxta radicem vastæ sint; superiùs verò paulatim à vastitate deficiant. Idem quoque est videre in sanctis & iustis hominibus, cùm enim initia conuersionis eorum sint infirma, continuo tamen augmento in virtutibus proficiunt & crescunt. Notauit id ipsum etiam D. Gregorius loco cit. hisce verbis: *Sunt nonnulli qui cùm cœlestia appetunt, atque huius mundi noxia facta dereilinquunt, ab inchoatione sua quotidie inconstantiæ pusillanimitate deficiunt. Quibus hos nisi arbustis reliquis similes dixerim, qui nequaquam tales superiùs surgunt, quales superiùs oriuntur? hi quippe ad conuersionem venientes, non tales quales cœperunt, perseuerant, & quasi more arborum, inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt: quia paulisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum: sensim quippe in eis desideria superna languescunt, & qui robusta ac fortia proposuerant, debilia atque infirma consummant: dumque ætatis augmento proficiunt, quasi flexibiles crescunt. Palma verò sicut dictũ est, vastior in summitate est, quàm esse cœperit ex radice: quia sæpe electorum conuersio plus finiendo peragit, quàm proponit inchoando, & si tepidiùs prima inchoat, feruentiùs extrema consummat, videlicet semper inchoare se æstimat, & idcirco infatigabilis in nouitate perdurat.* Quæ omnia deinde confirmat verbis Isaiæ cap. 40. *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, &c.*

Gregor.

Palmæ semper crescentis similitudinem gerit Magdalena.

19. Vis videre palmam quæ dum oritur, non decrescit, sed semper crescit? In Magdalenam, amatricem illam oculos conijce. Hæc initio quidem Christi pedes vnguento vnxit, sed in fine & pedes & caput, bonum opus in Dei obsequio inceptum, perfectiori consummans fine. Vt bene notauit B. Rupertus de gloria & honore filij hominis lib. 10. in hæc verba: *Quia melior est, vel esse debet, sicut orationis, ita & operis finis, quàm principium eius, opus bonum bene inceptum, melius consummauit. Nã in initio tantummodo pedes Domini vnguento vnxit: hic autem quando ea, quæ de ipso erant, prope iam finem habebant, & pedes vnxit, & super caput eius vnguentum effudit.* Sanctum Alexandrum episcopum Veronensem dicere solitum legimus: *Non esse bonum existimandum, qui se meliorem in dies effici non studuerit.* bonæ semper vitæ adijciendum aliquid, & per noua incrementa pergendum ad summa.

Rupert.

Quòd dactyli eleemosynarum, & bonorum operũ, quos Sancti proferunt, non transeant, sed permaneant, eosque sequantur.

§. III.

Palmæ fructibus suauissimis

20. Decimò, Palma habet fructus suauitatem, producit namque dactylos, sic

fœcundæ, ita & sancti pleni eleemosynis & bonis operibus.

sic dictos, quasi ad similitudinem digitorum manus hominis qui sunt saporis dulcissimi & purissimi. Ita iusti libentissimè manus & digitos extendunt pauperibus, & eleemosynis tanquam suauissimis dactylis eorum corpora animosque reficiunt atque solantur. Fructuum autem horum palma miram producit abundantiam, vt Plinius dixerit palmas Indicas tot producere dactylos, vt onerandæ sufficiant nauiculæ. Talis palma erat Tabitha illa de qua Act. cap. 9. *Hæc erat plena operibus bonis & eleemosynis quas faciebat.*

Non transeunt eleemosynæ, non opera bona.

21. Transeunt quidem fructus palmæ, ac etiam putrescunt; sed ita non agitur cum eleemosynis, & operibus bonis: Non transeunt eleemosynæ, non transeunt virtutes, non transeunt opera bona, verùm manent operanti integra, & penitus incorrupta. Audiamus D. Bernardum serm. 4. de Aduentu, pulcherrimis verbis testimonium huic veritati perhibentem. *Filij Adam*, inquit, *genus auarum & ambitiosum, audite: quid vobis cum terrenis diuitijs, & gloria temporali, quæ nec vera, nec vestra sunt? Aurum & argentum nónne terra est rubra & alba quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cùm eo gloria eius. Veræ ergo diuitiæ non opes sunt sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat. De gloria quoque dicit Apostolus: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Et lib. 2. de considerat. ait: *Hoc chirographum paternæ tuæ hæreditatis, quod tibi euoluimus, vbi inspicias portionem substantiæ, quæ te contingit. Induere fortitudinem, & hæreditasti; posside fidem, posside pietatem, posside sapientiam, sed sapientia sanctorum ipsa est timor Domini, & habes quod tuū est. Habes sine fraudatione integrum paternum fundum. Pretiosissimus fundus virtus est. Bonus fundus humilitas, in qua omne ædificium spirituale constructum, crescit in templum sanctum Domino.*

BERN.

Ps. 48.

2. Cor. 1.

Immortalis eleemosyna. CHRYSOS.

22. De immortalitate eleemosynæ, sic etiā pulchrè D. Chrysostomus expendens verba illa Psal. 111. *Iustitia eius manet in sæculum sæculi*, per iustitiā enim non solùm intelligens virtutem, & iustitiam quæ opponitur iniustitiæ, sed etiam eleemosynam, sic scribit: *Hic dicit virtutem in genere, vel iustitiam, quæ repugnat iniustitiæ. Vel quemadmodum dicit alius interpres, clementiam dicit, & misericordiam. Talis est enim vis eleemosynæ: res est immortalis, aliena ab interitu, & quæ minimè potest extingui; atque humana quidem omnia conuelluntur; fructus autem eleemosynæ nunquam potest marcescere, nec vlla difficultate temporum reprobari: etsi enim corpus fuerit dissolutum; illa tamen non vnà cum vita dissoluitur, sed ante illum excedit, ei mansiones præparans, de quibus dicit Christus: In domo patris mei mansiones multæ sunt.*

Adumbrata hæc veritas in manna.

23. Veritas hæc nobis expressa in manna, quod seruatum in alterum diem vermibus scatebat, in diem autem sabbathi custoditum, non putrefiebat. Quare? Quia dies sabbathi beatitudinem adumbrabat, in qua summa requies, quæ in alterum diem, id est, præsentem vitam reseruantur, scatent vermibus, & corruptioni sunt obnoxia; non autem quæ in alteram vitam reponuntur. Hæc pensitantem accipe Balduinum apud Tilman. *Quod repositum pro sabbatho non corrumpitur, signum est, quia bona pro futura requie facta in futuro manent integra; quæ autem propter præsentem vitam, & amorem sæculi fiunt, corrumpuntur, & ex his vermes ebulliunt.* Vide Barradium tom. 3. lib. 4. cap. 7. in Concord. Euang. circa finem.

BALDVIN.

BARR.

Quibus vsibus in alia vita deseruiant bona opera.

24. Vis scire quibus vsibus nobis inseruiant in alia vita opera nostra bona? Primò, sunt operantibus pro familiâ Dominum sequente, & concomitante, iuxta illud Apoc. 14 *Opera enim illorum sequuntur illos.* Græcè: *Comitantur.* Vbi eleganter Hugo Cardinalis ait: *Sequuntur sicut familia Dominum*, &c. Et quemadmodum apud homines vir præpotens, ac nobilis ex seruorum comitatu, & numero cognoscitur: ita sanctorum nobilitas, & affluentia meritorum ex multitudine, & præstantia bonorum operum, etiam post mortem, potest intelligi. Imò curandum maximè est, vt dicti famuli boni sint, nobiles, eleganti formâ præditi, pulchro virtutum omnium ornatu induti, vt nos ad supremam illam curiam comitentur; esse enim opera aliqua pinguia, & pulchra, alia exilia & deformia docet Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel capite 5. expendens quomodo Abel de primogenitis, & adipibus obtulerit; assertque illud Psalm. 19. *Holocaustum tuum pingue fiat:* & illud Psal. 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*, &c. *Comitantur opera iustos*, ait Hugo, *sicut famuli comitantur herum, maximè principem, vt ante regem gloriæ cum pulcherrimo operum comitatu appareant. Ad quid*, ait S. Bernardus, *sequuntur opera Sanctos? Nisi vt laudent eos in portis opera eorum.*

Sunt operantibus pro familia Dominum sequente.

AMBROS.

HVGO.

Sunt fidelissimi amici hominē subleuantes.

GREGOR.

25. Secundò, sunt quasi tot fidelissimi amici, qui non permittunt hominem demergi in interitum, sed eundem subleuant, & ad cœlestia conscendere faciunt, quod visione illa nobis significatum, de qua D. Gregorius loco cit. dum ait; In præfato ponte factam probationem, an quis iustus esset, vel iniustus: Hæc, ait, *erat in prædicto ponte probatio: vt quisquis per eum vellet iniustorum transire, in tenebrosum fœtentemque fluuium laberetur, iusti verò, quibus culpa non obsisteret, securo per eum gressu, ac libero ad loca amœna peruenirent.* Vnde præfatus miles se quendam peregrinum presbyterum vidisse fatebatur, qui ad prædictum pontem veniens, tanta per eum auctoritate transijt, quantâ & hîc sinceritate vixit. In eodem quoque ponte hunc quem diximus Stephanum se cognouisse testatus est: qui dum transire voluisset, eius pes lapsus est, & ex medio corpore iam extra pontem deiectus, à quibusdam teterrimis viris ex flumine surgentibus per coxam deorsū, atque à quibusdam albatis & speciosissimis

mis viris cœpit per brachia sursum trahi. Qua in re de eiusdem Stephani vita datur intelligi, quia in eo mala carnis cum eleemosynarum operatione certabant. Qui enim per coxas deorsum, per brachia trahebatur sursum, patet nimirum quia & eleemosynas amauerat, & carnis vitijs perfectè non restiterat, quæ eum deorsum trahebant.

26. Ad hanc veritatem illustrandam, valet parabola illa de tribus amicis per Barlaam adducta, in illius vita per Rosweydum in vitis Patrum cap. 13. quam libet in gratiam lectoris hîc transscribere: *Similes sunt ij, qui voluptatum huius vitæ amore capti, earumque suauitate deliniti, res fluxas & imbecilles futuris atque à iactatione alienis antiquiores habuerunt, homini, qui tres amicos habuit, ex quibus, duos quidem ingenti animi affectu colebat, ac vehementer amabat, adeò vt ad mortem vsque pro ipsis dimicare, ac pericula quæuis adire minimè recusaret, tertium autem admodum aspernabatur, ita vt nec honorem vnquam, nec quam par erat, beneuolentiam ipsi præstaret, sed exiguam quandam dumtaxat, eamque fictam ac simulatam amicitiam exhiberet. Venerunt autem quodam die immanes atque horrendi milites, qui eum summa cum festinatione ad regem traherent; vt decem millium talentorum, quæ debebat, rationem redderet. Ille igitur in summam angustiam redactus, aliquem quærebat, qui in metuenda illa rationũ apud regem redditione opem illi ferret. Currens itaque ad primum, omniumque aliorum charissimum amicum, ad eum ait: Non te fugit, ô amice, quemadmodum tuâ causâ vitam meam semper in discrimen adduxerim: nunc autem hodierno die, vrgente necessitate, ope tua, atque auxilio indigeo. Ecquid ergo te mihi auxilio fore polliceris? & quænam in te, vir charissime, spes mihi constituta est? Respondens autem ille, ait, Amicus tuus non sum, ô homo, nec qui sis noui. Sunt enim mihi alij amici, quibuscum hodie oblectari me oportet, quosque in posterum pro amicis habiturus sum. Quare duo tantum cilicia tibi porrigo, vt ea in via, qua pergis, habeas, quæ etiam ipsa nihil tibi emolumenti allatura sunt, nec est quod à me quidquam exspectes. Hæc ille audiens, ac de auxilio quod ab eo exspectabat, spem omnem abijciens, ad secundum amicum se confert, ad eumque ait: Recordare amice quantum à me honoris & beneficiorum acceperis. Hodierno autem die in maximam calamitatem & afflictionem prolapsus, opitulatore aliquo opus habeo. Quidnam igitur adiumenti nunc mihi afferre queas, fac sciam. Ille autem ait: Hodie mihi per negotia tecum certamen subire minimè licet. Curis enim & sollicitudinibus vndique vrgeor, atque in afflictione sum, paulùm tamen tecum pergam: quamuis nihil hinc commodi ad te rediturum sit, ac pòst statim domum reuersus, negotijs meis operam dabo. Inanibus igitur manibus homo inde reuersus, atque omni ex parte auxilio destitutus, de vana spe, quam de perfidis & ingratis amicis suis collocarat, & de inutilibus laboribus, quos pro suo erga eos amore susceperat, seipsum deplorabat. Pergit autem etiam ad tertium amicum, quem nec vllo vnquam loco habuerat, nec lætitiæ suæ socium adsciuerat, atque ad eum pudibundo, & in terram deiecto vultu his verbis vsus est: Vix mihi ad te loquendi facultatem os concedit. Etenim illud perspectissimũ habeo, me nunquam tibi benignè fecisse, nec amico erga te animo fuisse. Ceterũ, quoniam grauissima calamitate oppressus, in reliquis meis amicis nullã salutis spem inueni, ad te accedo, teque rogo atque obsecro, vt si exiguam aliquã opem mihi afferre queas, ne id, ingratitudinis meæ memor, facere recuses. Ille autem hilari & amœno vultu ait: Sanè sincerissimũ amicũ meum te esse profiteor: atque exiguæ illius tuæ erga me beneficentiæ memor, eam tibi hodierno die cum fœnore rependã. Quocirca ne metuas ac pertimescas. Nã ego ante te proficiscar, regemque tuo nomine obsecrabo, ne te hostium manibus dedat. Quare fac bono animo sis, vir amicissime, nec te mœrore excrucies. Tum ille compunctione affectus, & lachrymis perfusus, dicebat: heu me miserum, quidnam priùs deflebo ac lamentabor? Vanamne meam in immemores & ingratos falsos illos amicos beneuolentiam condemnabo? an potiùs insanam eam ingratitudinem, quâ in hunc verum & sincerum amicum vsus sum, insectabor? Iosaphat autem hunc sermonem non sine admiratione suscipiens, eius explicationem requirebat. Dixitque itaque Barlaam: Primus amicus, opum copia est, & diuitiarum amor, ob quem homo sexcenta pericula incidit, ac multas ærumnas perfert. Cùm autem extremus vitæ dies clausus est, ex illis omnibus opibus, præter inutiles quosdam pannos, qui ad funus adhibentur, nihil omnino secum accipit. Secundus autem amicus, vxor ac liberi sunt, cæterique cognati & familiares, quorum affectione & beneuolentia constricti tenemur, vt ab his diuelli vix queamus, ac præ eorum amore corpus etiam & animam nostram negligamus. Ex ipsis porrò nemo in mortis hora vtilitatis aliquid percipit, nisi quòd ad sepulchrum vsque dumtaxat cadauer comitantur, ac protinus domum reuersi, suis curis ac negotijs operam dant, memoriam eius qui quondam ipsis clarus erat, non minus obliuioni, quàm corpus sepulchro relinquentes. At verò tertius amicus, qui contemptui ac fastidio erat, cuiusque aditum horremus & auersamur, optimorum operum chorus est, hoc est, fides, spes, charitas, misericordia, benignitas, reliquusque virtutum cœtus: qui quidem ante nos, cum è corpore excedimus, proficisci, ac nostri causâ Deum precibus inflectere, atque ab hostibus nostris & horrendis exactoribus, qui de referendis rationibus acerbam nobis in aere litem mouent, ac crudeliter nos arripere contendunt, liberare potest. Hic nimirum est candidus ille & probus ac gratus amicus, qui quodlibet etiam exiguum bonum nostrum opus memoriâ tenet, ac cum fœnore nobis illud rependit.*

27. Tertiò bona opera sunt quasi tot milites hominem custodientes. Legimus Cantic. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes gladios tenentes & ad bella fortissimi.* Quis hic lectulus Salomonis, nisi viscera Mariæ, in quibus verus Salomon sibi quietẽ inuenit? Quinam hi fortes milites, qui eam ambiunt & defendunt? sunt ipsa opera virtutum, sic enim inter opera sua agebat, tanquam intra

Margin notes: Rosweydus. Idipsum dilucidatur apologo. — Opes quàm infideles amici. — Homines quàm infideles amici. — Opera bona quàm fideles amici. — Opera bona sunt tot milites hominem custodientes.

intra custodiam fortissimorum militum: *Per hosce fortes* (ait Alanus apud Debrium *intelligitur bonorum operum vniuersitas, quæ sunt fortia contra dæmones, & vitia. Per sexaginta, perfectissima opera exprimuntur, quæ vndique beatissimam virginem munierunt sui exercitatione, & intentione, quæ per fortes Israel figurantur. Quia semper virgo Maria meliora & fortiora opera habuit, quæ ad sui custodiam deputauit.* Sic ille. Custodiunt hi milites non solùm in hac vitâ operantem, verùm & in futurâ.

ALANVS.

28. Quartò, sunt nobis bona opera pro vestimento, quo exornamur in cælesti gloria, hinc est quòd Apoc. 19. cùm sermo est de ornamentis sponsæ dicitur: *Datum est ei, vt cooperiat se byssino splendenti & candido, byssinum enim iustificationes sunt sanctorum.* Vbi D. Augustinus hom. 17. in Apoc. legit: *Iusta facta sanctorum*, & docet per byssinum intelligi splendorem virtutum, iuxta illud Psal. 131. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.*

Opera bona sunt pro vestimento.

AVGVST.

29. Quintò. Sunt nobis instar viatici permanentis, iuxta illud D. Hieronymi in proœmio libri 3. in Ezech. nihil longum est quod finem habet, & omnis retro temporum series transacta non prodest; nisi fortè bonorum operum sibi viaticum præparauerit, quæ semper ad futura, imò ad æterna respiciunt & nullis terminis coarctantur. Sic ille. Adumbrata bona opera in veteri illo manna, quod quidem alijs diebus colligebatur & comedebatur; in sabbatho verò non colligebatur, sed comedebatur, quia in præsenti vitâ sex diebus adumbratâ, colligenda sunt opera bona, vt ea comedamus, & illis satiemur in futura. *Rectè dicitur,* ait Cæsarius Arelat. homil. 6. *Comedite illud hodie, quia sabbatum est, in vita enim futura tempus erit comedendi non colligendi, quoscumque enim hîc colligis labores manuum tuarum illic manducabis: beatus es & bene tibi erit. Rectè adiungitur, non inuenietur hodie in agro, quia post hanc vitam non licebit operari.* Negat Abraham vel guttam aquæ diuiti, quis non miretur? sed respondet ille: *Fili, recepisti*, &c. Quasi dicat ait Gregorius Nyssenus: *Non portasti ad hoc seculum humanitatem, non habes quod non attulisti.*

Sunt instar permanentis viatici.

HIERON.

CÆSARIVS.

30. Non solùm viaticũ hoc bonorũ operum & eleemosynarũ inuenimus in altera vita incorruptũ, verùm insuper etiam maximè auctum & multiplicatum. Quò spectant quæ scribit D. Hugo Ætherianus in lib. de animarum regressu ab inferis cap. 15. bibl. Pat. tom. 9. nimirum *Euagrium philosophum ab episcopo quodam Alexandriæ, conuersum fuisse ex paganismo ad fidem. Quia verò audiuerat, centuplum dari in cælo pro eleemosyna*, &c. *Libras sexaginta dedit episcopo distribuendas pauperibus; acceptâ ab Episcopo syngraphâ, quòd pro vna centũ in illo sæculo à Christo esset recepturus, iussitque moriens filijs, vt syngrapham Episcopi manui sepulti insererent. Quo facto, die tertio, apparuit Philosophus in somnis Episcopo, dicens: Vade ad sepulchrum meum, & recipe chirographum tuum. Nam debitum commune recepi, imò centuplum à Christo, & à te promissum. Diluculò conuocato clero episcopus perrexit ad sepulchrum: philosophum sedentem, & manum cum litteris protendentem inuenit. Pontifex accepit litteras, easque Philosopho recumbente publicè perlegit.* Tenor epistolæ hîc erat. *Euagrius Philosophus Episcopo suo. Noluerim te, pater, ignorare, quòd pecuniam omnem quam tibi adhuc in corpore viuens dedi, centuplicatam, sicut mihi promiseras, recepi; quamobrem nulla debiti ratione mihi astringeris.* Hactenus epistola. Sanè qui miseretur pauperi fœneratur Domino, & pro quouis bono opere, si in statu gratiæ est, centuplum, vt Christus promisit, recipiet.

Hoc viaticum inuenimus maximè auctũ in alia vita

HVGO. ÆTHER.

31. Sextò. Sunt operantibus, pro laterculis aureis, quibus eorum domus ædificatur in cælis. Refert Gregorius Dialog. lib. 4. cap. 36. de quodam milite, qui Romæ percussus ad extrema deuenit, & eductus de corpore exanimis iacuit sed citiùs redijt, & quæ cum eo fuerant gesta narrauit. *Aiebat enim (sicut tunc res eadem etiam multis innotuit) quia pons erat, sub quo niger atque caliginosus fœtoris intolerabilis nebulam exhalans, fluuius decurrebat. Transacto autem ponte, amœna erant prata atque virentia, odoriferis herbarum folijs exornata, in quibus albatorum hominum conuenticula esse videbantur: tantusque in eodem loco suauitatis odor inerat, vt ipsa suauitatis fragrantia illic deambulantes, habitantesque satiaret. Ibi mansiones erant diuersorum, singulæ magnitudine lucis plenæ. Ibi quædam miræ potentiæ ædificabatur domus, quæ aureis videbatur laterculis construi, sed cuius esset non potuit agnosci. Ad hæc interlocutus Petrus Diaconus Gregorium compellans, ait, Quid est hoc, quæso te, quòd in amœnis locis cuiusdam domus latertulis aureis ædificari videbatur? Ridiculum est valde si credimus; quòd in illâ vitâ adhuc metallis egeamus. Ad hæc Gregorius. Quis (inquit) hoc si sanum sapit, intelligat? sed pro hoc quod illic ostensum est, quisquis ille est, cuius mansio ista construebatur, apertè datur intelligi, quid est quod hîc operatur. Nam qui præmia æternæ lucis eleemosynarum largitate promerebitur, nimirum constat, quia auro ædificat mansionem suam. Quod etiam superiùs memoriam fugit, vt dicerem, idem miles qui hæc viderat, narrabat, quod eosdem laterculos aureos ad ædificationem domus, senes ac iuuenes, puellæ ac pueri ferebant. Quæ ex re colligitur; quia si quibus hæc pietas facta est, ipsi illic operatores esse videantur.* Hæc D. Gregorius.

Sunt laterculi aurei

GREGOR.

32. Sanè quidem quæ per visum ostensa sunt symbola veritatis, ex diuinis quoque scripturis sibi vendicāt testimoniũ. Si enim de structurâ agitur, scriptum est Psal. 88. *Misericordia ædificabitur in cælis.* Et de lapidibus pretiosis siue laterculis aureis, habes præter alia multa Apostolum istud ipsum vberiùs exprimentem cùm ait 1. Corint. cap. 3. *Si quis autem superædificat, super fundamentum hoc aurum, argentum lapides pretiosos lignum,*

lignum, fanum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & cuiusque opus, quale sit, ignis probabit: si cuius manserit opus, quod ædificauit, mercedem accipiet. Hæc & alia plurima id genus in diuinis scripturis facilè est inuenire, non ad insinuandum quid sint, sed quid significare velint.

Sequuntur etiam nos opera bona in purgatorium & insigne refrigerium præstant. BIRGITTA.

33. Septimò, sequuntur nos opera non solùm in cælum, sed etiam in purgatorium vt nobis ibidem refrigerium præstent. Nam per B. Birgittam lib. 6. reuel. cap. 39. refertur, quòd petens à filio mater: *Quid valeant opera bona animæ in purgatorio existenti?* Sciebat quidem hoc Virgo, sed idcirco interrogauit, vt in nostri notitiam peruenirent: Respondit verò filius: *Non ideo quæris quia ignoras, cùm omnia scis, & vides in me, sed hoc inquiris, vt alijs charitatem meam ostendas. Certè non aliquod minimum verbum, nec etiam minima cogitatio, quam ad honorem meum cogitauit, erit ibi sine remuneratione, quia omnia quæcumque fecit pro me, sunt modò ante ipsum, & in pœnâ suâ inde habet refrigerium, inde solatium, inde leuiorem sentit ardorem, quàm aliter persentiret.*

In vltimo vitæ termino præstant fiduciam.

34. Postremò, sequũtur nos opera nostra non solũ in futuro sęculo & in purgatorio, verũ & in exitus siue vitæ nostro termino, imò & in quolibet graui, quod incurrimus, periculo, vt tunc fiduciam nobis præbeant & desperationem depellant. Vnde licitũ & laudabile ad illa tunc recurrere eaque Domino repræsentare, vt pulcherrimè docet

RICHAR. à S.VICT.

Richard. à S. Vict. c. 5. tr. 3. de exterminatione mali & promotione boni. Infero illius verba: *Sanè periculo imminente, & tentatione superueniente, cùm præsenseris animum tuum desperatione tangi, & ad diffidentiæ locum deijci, & ad præfinitum castrorum locum deuolui, debes bonorum lapidum tumulum præsentē habere, & ad virtutum præteritarum memoriam oculos flectere, & ex earũ recordatione spei tantæ fiduciam reformare. Sic Iob rebus nudatus, filijs viduatus, vlcere percussus: cùm se in loco iustorum deprehensum cerneret, & desperationis malo se pulsari præsentiret, vt diffidentiæ malum temperaret, ad bonorum lapidum aceruum recurrit: & ex bonorum recordatione castra sua vndique munit; & desperationis insultus fortiter repellit, cùm dixit: Oculus fui cæco, pes claudo: pater eram pauperum: conterebam molas iniqui, & dentibus illius auferebam prædam. Sic & Ezechias sub necessitatis articulo ad huiusmodi lapidum munimina recurrebat, cũ de vita diffideret, & ex bonorum actuum suorum repræsentatione Domini misericordiam prouocabat, precumque suarum obtentu diffidentiæ pericula propulsabat. Memento, inquit, Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Debemus itaque & nos promptum, & familiare habere sub omni tempore tentationis anteactorum bonorum memoriam præsentem tenere: & cùm hanc consuetudinem in continuum vsum direxerimus, quasi lapides bonos, & iuxta diuinum documentum electos in loco castrorum collocauimus.* Sic ille. Accipe etiam D. Gregorium hæc pensitantem 22. mor. cap. 5. vbi ait: *Fas esse viris sanctis in morte recordari, imò & recolere virtutes vitæ actæ. Sicut enim dum viuimus debemus bona nostra à memoria repellere, & obliuisci ne extollamur: ita etiam appropinquante iam exitu plerumque ea ad memoriam iustè reuocamus, vt fiduciam præbeant, & desperantem timorem premant,* &c.

Quales fructus exigat Deus à Christianis.

35. Ecce quales fructus expetit ab hominibus Deus, nimirum dactylos non perituros, sed perennes & immortales, opera, inquã, & eleemosynas quę manent, & concomitantur & sequuntur hominem; Ecce qualem cibũ velit comparari & desiderari ab homine, non qui perit, sed permanet in vitam æternam. Vnde Ioan. 6. ad quosdam ait: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Vbi Rupertus: *Cibus ille, quo saturati estis, quotidie perit. Talem cibum, non dico, vt operemini, non commoneo, vt pro illo solliciti sitis; nõ inuito vos, vt pro illo ad me veniatis. Sed illum potiùs cibum, dico, vt operemini, qui permanet in vitam æternam.* Adumbratum & ostensum idipsum homini in prima sua formatione: Non quidem factus est homo in paradiso, sed extra; verùm postea in paradisum translatus, extra paradisum positus, erant homini pro cibo omnes arbores, extra paradisum positæ. Ait enim Deus Gen. cap. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terrã, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* In paradiso verò positus, dantur homini pro esca arbores paradisi, sed illa cum differentia, quod de colendis arboribus extra paradisum positis nullum habeat præceptum, de illa custodia & cultura; arbores autē paradisi custodire & colere debeat. Quare? Quia arbores extra paradisum positę, seruiebant corruptioni, non vitæ æternandę, vt faciebant arbores in paradiso positæ. Nõ vult autem Deus, vt homo curam & custodiam impendat iis, quæ corruptioni seruiunt, sed circa ea, quæ conducebant ad vitam permansuram. Id quod notabant D. Anastas. Sinaita l. 7. exam. inquiens: *Antequã homo poneretur in paradiso, non fuit ei imperatum, vt operaretur, & custodiret ligna priora cibi pereuntis; sed imperatũ est, vt secũda ligna paradisi, cibi manentis in vitã æternã.*

RVPERT.

Impendenda homini cura iis, quę conducunt ad vitam permansuram.

Dæmonis est, quod homines subeant labores pro rebus perituris.

36 Non Dei, sed dæmonis est, vt homines subeãt labores pro rebus perituris. Audi quid legimus de Pharaone diaboli typo Exod. c. 5. *Præcepit ergo in die illo Pharao præfectis operum, & exactoribus populi, dicens: Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut priùs, sed ipsi vadant, & colligant stipulas.* Quod Pharao ab Israelitis id petit diabolus ab hominibus, nimirum vt carni, mundoque omnem

operam impendant. Accipe hæc pensitantẽ S. Germanum orat. in adorat. Crucis: *Ibi Pharao tyrannus erga Israelem. Hic Satan indefessus hostis totius humanæ societatis. Affligebantur ibi luto, & opere lateritio Israelitæ, & collectione palearum. Hîc pro rubra argilla carnis, suscipiunt carnis & mundi amatores omnem laborem, & operam. Sed est etiam grauis exactor, & inexorabilis impulsor, vrgens ad irrequieta tenebrarum opera, virtutum commentum absumens, ad solam palearum collectionem nos impellit.*

GERMANVS.

De quibusdam alijs palmarum & iustorum conuenientijs.

§. IV.

36. VNdecimò. In palma omnia vtilia humanis vsibus, non solùm dactyli, verùm & ipse cortex, ipsaque medulla, ipsi rami, ipsa folia: nam ex palmarum ramis cingula fiebant animalibus, ex folijs conficiebantur vasa, canistra, flabella, lapide acuto cortex incisa, balsami stillat lachrymam, vt videre est apud Aloysum Nouarinum in Scediasmatibus lib. 8. c. 21. in Babyloniorum litteris, inquit Cælius Rhodig. 5. lect. antiq. c. 6. cõpertas esse palmæ arboris trecẽtas, & sexaginta vtilitates. Idem etiam de iusto potest affirmari; floret enim instar palmæ: Nulla in illo opera, nulla desideria, nullę cogitationes, quæ non sibi & proximis sint vtilia. Diligẽtibus enim Deum, omnia cooperantur in bonum. De palmis masculis scribit Athanas. quæst. 47. *Quod propinquas femellas inspiratione ventorum contactas, fructuosas reddunt. Palmarum mares* (ait S. Ephrem tract. de pretiosa margarita) *dum obumbrant fœminas, fructuosas illas efficiunt.* Ita sanctorum consortia maximè prosunt peccatoribus & infirmis animabus, & in omnes sibi vicinos bonum suum extendunt.

In palmis omnia vtilia.

NOVARINVS.

In iusto omnia vtilia.

ATHANASIVS.

EPHREM.

37. Sicut in peccatore nihil quod non abhorret Deus, nihil quod non sit illi ingratum ad vitam æternam: sic nihil in viro iusto quod non amet Deus, imò & minimos illius actus. Vnde Origenes homil. 8. in Leuit. expendens legem illam Leuit. c. 14. de mundatione leprosi figuram gerentis peccatoris: *Cumq; lauerit homo vestimenta sua, radet omnes capillos corporis, & lauabit aquâ.* Illumque conferens componensque cum verbis Dauidis de viro iusto fantis Ps. 1. *Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur & folium eius non decidet,* & cum illis verbis Christi. *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt,* sic scribit, *peccator omne quod in eo, siue in consilio natum est, siue in verbo, siue in opere, expedire, si verè purificari vult, vt eradat: Sanctus verò seruare debet omnem capillum, &, si possibile est, neque ascendere debet ferrum super caput eius: Inde enim est, quòd Samueli ferrum dicitur non ascendisse super caput eius, sed & omnibus Nazaræis, qui sunt iusti: quia iusto, sicut scriptum est, omnia quæcunque fecerit prosperabuntur, & folia eius non decident. Hinc & discipulorum Domini etiam capilli capitum dicuntur esse numerati: hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum seruantur apud Dominum, quia iustæ, quia sãctæ sunt.* Sic Origenes. Quid mirum omnia in iusto esse vtilia & Deo grata. Cùm Christus pectoris eius domo exceptus, intellectu, voluntate, cogitatione, ore, visu, auditu, reliquisque eius sensibus cum delectatione vtatur. Vnde Caiet. ad illa verba Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis,* sic ait: *dicendo, quòd habitauit in nobis, explicat, quòd fuit intus in animis nostris, continuò vtens intellectu, voluntate, affectibus, viribus, studio, operibusq; nostris ad seipsum, hoc est siquidem Verbum caro factum habitare in nobis, habitator enim ad proprium vsum, domo vtitur* &c.

Minimos actus iusti amat Deus.

ORIGEN.

CAIETANVS.

38. Duodecimò. Palma non cedit oneri, imò quò magis tollit onus. Similiter iustus non inclinatur deorsum, non deprimitur ad ima, vi alicuius ponderis, vel oneris. Vis videre onera quibus deprimuntur ad ima homines? Decem onera in medium adducit Isaias in sua prophetia. Primum est onus Babylonis cap. 13. Secundum, est onus Philistijm. Tertium, onus Moab cap. 15. Quartum, onus Damasci, cap. 17. Quintum, onus deserti maris c. 21. Sextum, onus Ægypti, cap. 19. Septimum, onus Duma, c. 21. Octauum, onus in Arabia, ibid. Nonum, onus Vallis visionis, cap. 22. Decimum, onus Tyri, cap. 23. Vndecimum, onus iumentorum Austri c. 30. Quid autem significent onera ista, tum generaliter, tum particulariter, optimè indicat, & ad mores aptissimè Diuus Bernardus sermone de vndecim oneribus. Generaliter quidem sic describit onus istud: *Et quid est,* inquit, *onus, nisi pondus quoddam deprimens animam, & ad terram inclinans, faciens eam ad inferiora respicere, & negligere superiora?* Deinde ad singulares causas descendit, & ex variis modis, quibus anima diuersimodè inclinata vergit deorsum, varia infert onera, illos autem modos reducit ad vndecim, quibus inferat totidem onera. *Nobis onus,* inquit, *aliquando ex mundi prouenit delectatione, & hoc onus Babylonis: aliquando ex immundorum spirituum immissione, & hoc onus Philistijm: aliquando ex naturali quadam, & ineuitabili necessitate, & hoc onus Moab: aliquando ex tenebris ignorantia, & hoc onus Ægypti: aliquando ex innatâ nobis infirmitate, & hoc onus Damasci: Aliquando ex malorum persecutione, & hoc onus deserti maris: aliquando ex occultâ animi vexatione,*

Palma non cedit oneri, ita nec iustus.

De decem oneribus quibus deprimuntur ad ima homines.

BERN.

tione, & hoc onus Duma: aliquando timore mortis, & hoc onus ex Arabia: aliquando ex vanitate, quando proficimus, & hoc onus, Vallis visionis: aliquando ex angustiâ pro his quæ toleramus, & hoc onus Tyri: aliquando aliis prodesse desideramus, & hoc onus iumentorum Austri.

Onera, animæ passiones.

39. Possunt etiam onera ista referri ad vndecim animæ passiones, per illas enim tanquam per onera grauissima deprimitur anima. Primò quidem anima per appetitum concupiscibilem inclinatur ad amorem, secundò ad odium, tertiò ad concupiscentiam, quartò ad fugam vel horrorem, quintò ad delectationem, sextò ad tristitiam vel dolorem, septimò per appetitum irascibilem eadem anima propendet ad spem, octauò ad desperationem, nonò ad timorem, decimò ad audaciam, vndecimò ad iram. Omnes istæ passiones deprimunt animam, vsque ad vile seruitium, quam enim Deus fecit liberam gratiâ, dæmon efficit seruam peccato: nec seruilem istam depressionem, à iugo passionum prodeuntem Poëta quidam tacuit, his verbis:

Si metuis, si praua cupis (ecce passiones) *si duceris ira,*
Seruitij patiere genus, tolerabis iniquas
Interiùs leges.

BERN.

Vt ab his oneribus alleuiemur, sequamur D. Bernardi consilium, qui loco citato ait: *Inspiciat vnusquisque seipsum, videat, & quod onus sustineat, & quod in futurum sustinere formidet: si sub onere Babylonis est, detestetur illud & abijciat, ne si fuerit conformis operibus eius, à pœnis eius non sit immunis* &c. Detractemus onera illa quæ ad infima, imò ad tartarum deprimunt animam, & quò magis illa premunt, quò vigorosiùs animo nos ad cælestia, more generosæ palmæ subleuemus, multa alia adhuc occurrunt onera ad ima deprimentia hominem rectè viuere volentem, nimirum aliorum hominum inuidiæ, detractiones, irrisiones &c.

At tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Detrahant verbis & factis insectentur, à virtutis itinere ne deflectas, tandem patiendo superabis. Non flectitur palma onere, non cedit ponderi prementi, sed aduersus pondus sursum nititur, in contrarium inflexa, hæc viri fortis & patientis imago est, non cedit oneribus, detractionibus insectationibus, non flectitur in inferiora, sed ad superiora renititur ac resurgit.

Palma in sublimiori vertice fert fructum, iustus autem thesaurum in cælis collocatum. NYSSENVS.

40. Decimotertiò. Palma fert fructum in sublimiori vertice, ne si terris esset proximus, terrenis pateat rapinis. Nyssenus homil. 8. in Cant. *Quomodo autem efficit palma, vt fructum suum fures difficulter aggrediantur, vt quæ eum tamquam thesaurum sursum recondat, nec vicinum terræ eum ferat.* Similiter iustus floret vt palma, fructum profert vt palma, sursum reponit thesaurum, in cælestibus thesaurizat; scit enim quæcunque in terra, vel terræ vicinio reponuntur, rapinis esse exposita. Vide Baeza in Comment. moral. in Euang. to. 4. lib. 16. c. 24. §. 5. BAEZA.

Palmæ folia habent similitudinem gladij, per gladios transit ad gloriam iustus.

41. Decimoquartò. Palmæ folia habent similitudinem gladij: & in beatitudine scribuntur sancti habentes palmas in manibus: ita iustus, per gladios, enses, lanceas, & labores reputat sibi transeundum ad cælestem gloriam; nouit enim palmam gloriæ nonnisi in gladio, id est, concertatione, & congladiatione comparari, iuxta illud 2. Timoth. c. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Et siquidem militia vita nostra super terram, & militare exercitium, Dei obsequium in Ecclesia militante. Vnde illud Is. 24. *Visitabo super militiam cæli.* Alij legunt: *Visitabo super ministros templi.* Vnde infertur idem esse sernos & ministros templi, ac per consequens ministros Dei & milites Dei. Quod adhuc ostendo ex cap. 8. libri Numer. vbi statuitur lex Leuitis, iuxta quam qui habent viginti quinque annos, *ministrent in tabernaculo fœderis.* in Hebr. habetur, *vt militiam exerceant in tabernaculo fœderis.* De quo argumento videndus erit Diuus Augustinus libr. de verbo Dom. secundum Matth. serm. 19. & Basilius tom. 2. Admonitione ad filium spiritualem, & in hoc sensu dixit Paulus ad Timotheum 2. Timoth. 2. *Labora sicut bonus miles Christi.* Vbi Chrysostomus quem sequitur Theophylactus, ait: *Non igitur militem decet labores recusare, imò tum maximè dolere cùm non habet* &c. Et Theodoret. *Respice,* inquit, *cuius sis miles, & fer forti animo labores militiæ, & cùm bellum sit res laboriosa & graue Martis opus, parato animo esse debet ab laborum tolerantiam qui nomen Christo dedit.* Et sicut ait Tertull. in Apolog. circa finem: *Bonus miles præliatur omnibus viribus, quia victoriam & gloriam hac ratione consequitur.* Videndus item Tertull. libro ad martyres, vbi post multa, tandem ait: *Vocati sumus ad militiam Dei viui. Nemo miles ad bellum cum delicijs venit: etiam in pace, labore & incommodis, bellum pati iam ediscunt: in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo. Sudore omnia constant; ne corpora atque animi expauescant. De vmbra ad solem, de sole ad cælum, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Agonothetes Deus viuus est, corona æternitatis.* Similia habet Basilius in Act. serm. 1. vbi loquens de militibus Christi ait: *Miles non domos ædificat, non comparandis agrorum possessionibus vacat, non etiam varijs se mercaturarum generibus immiscet* &c.

Militare exercitium Dei obsequium in Ecclesia militante.

AVGVST.

THEOPH.

TERTVLL.

BASILIVS.

Palma comam habet pulcherrimam in cacumine, interim vix radicem figit in terra: ita iustus in sublimibus versatur.

42. Decimoquintò. Palma comam habet pulcherrimam in cacumine circumtensam, ramos in digitorum morem protensos, ac eius fructus, quòd digitis similes sint, palmulæ seu dactyli dicuntur, non solù gustu suaues, sed etiam esu suaui & vtiles, vnde Anachoretæ longæui viuebant dactylis; Et Afri nõnulli nonnisi dactylis viuunt; interim vix radicẽ figit in terra, vt notat Philo

Iud. lib. 1. de vita Mosis. Ita etiam iustus, ait, solet sursum spectare, & in sublimibus versari contemplandis diuinis pulchritudinibus. Cæterùm non figunt mentem, intentionem & amorem in terrenis huius mundi rebus. *Fortè*, ait Diuus Augustinus in illud Psalm. 91. *iustus vt palma florebit, & hoc significauit in palma, quia in nouissimis suis pulchra est, vt initium eius à terra ducas, finem ipsius in cacumine, vbi habet totam pulchritudinem: aspera radix videtur in terra, pulchra coma sub cælo est. Erit ergo & tua pulchritudo in fine.* Neque mirum, palmam non profundas in terram mittere radices; nam est palmæ natura, ab aliarum arborum genio valde dissimilis, vt vitalem vim, non in radicibus humi defixis, sed potiùs in summo habeat, quasi à cælo potiùs, quàm à terra naturalem succum, alimentumque trahat. Sic enim de ipsa Philo lib. de vita Moysis: *Palma arborum præstantissima, aspectu pulcherrima, fructum quoque fert optimum; & vitalem vim habet, non in radicibus defossam, vt cætera, sed in summo quasi cor sitam.* Similiter ea est iusti natura, vt vitalem vim non ex terrenis sed cælestibus trahat. Quilibet eorum cum D. Paulo clamat: *Conuersatio nostra in cælo est.* siue vt vertit Tertull. *Municipatus noster in cælo est.* Neque mirum, nam vt ait Seneca epist. 39. de viro sapiente: *Sursum illum vocant initia sua.*

AVGVST.

PHILO.

SENEC.

43. Decimosextò. Palma salsum solum diligit, Plinius hoc indicat lib. 13. cap. 14. vbi de palmis loquens ita scribit: *Diximus salsum ab his solum diligi. Ergo vbi non tale, salem aspergunt, non radicibus sed longiùs paulò.* Homo iustus sapientiæ sale respersus dictis & factis id profitetur, eò quòd sibi hæc dicta voluit; *Nam omnis homo igne salietur & omnis oblatio sale salietur. Bonum est sal, quod si sal insulsum fuerit, in quo condietur?* Marci 9. Item Coloss. 4. *Sermo vester cum gratiâ sit sale conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere.*

Palma salsum solum diligit, sic iustus gaudet sale sapientiæ. PLINIVS.

44. Decimoseptimò. A fimo palmam magnopere adhorrere quidam perhibent. Spiritualis palma pari modo, peccatorum sordibus, ceu teterrimo fimo, grauissimè offenditur, Nouit enim sibi præceptum. *Purgemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus* 2. Corinth. 7. Item Apoc. 22. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui sordidus est, sordescat adhuc, & qui iustus est iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.*

A fimo abhorret palma, iustus à peccato.

45. Decimooctauò. Palma non crescit nisi in feruida regione, nullam palmam esse frugiferam, nisi in feruido solo asserit Plin. lib. 13. c. 14. Ita iustus delectatur charitatis feruore, horret à frigore peccati & iniquitatis.

Palma gaudet solo feruido, ita iustus. PLINIVS.

Decimononò. *Palma solis est amantissima,* ait Plin. libr. 17. cap. 44. Ita iustus amantissimus solis iustitiæ, id est Christi.

46. Vigesimò. Palma cùm delectetur sole & solo feruido, semper sitit, gaudetque aquis scaturientibus magis, quàm pluuiis, vt ait Theophrastus l. 2. de palmis, & Palladius scribens rem rusticam in octobri, tract. 12. *Palma*, inquit, *circumfodiatur assiduè, vt irrigatione continua æstatis vincat ardores.* Ita & iustus cùm sit amantissimus solis iustitiæ, puta Christi, hinc perpetuò viuas eius sitit aquas gratiæ salientes in vitam æternam, similiter iustus, vt æstatis, id est, concupiscentiæ vincat ardores, & carnis superet incentiua, opus habet continua irrigatione diuinæ gratiæ, orationis, mortificationis &c. De varia fossione vide in indice verbo *Fossio*.

Palma gaudet aquis scaturientibus, sic iustus sitit aquas gratiæ. THEOPH. PALLAD.

47. Vigesimoprimò. Palma in sublimi assurgens, deorsum tamen Dactylis pendentibus onusta: Ita iustus sic contemplatione & amore ad cælestia fertur vt non desinat ad vtilitatem proximorum se dimittere.

48. Vigesimosecundò. Palma plena stimulis, siue aculeis: ita iustus plenus contra peccatum redargutionibus. Quò respiciens Chrysost. hom. 22. ad pop. sic monet: *Dic tu quoque secundum illam sanctam animam: dixi, ascendam in palmam, ad tenendum sublimitatem eius, rectitudinem amantem & mundum habentem cor, & ad cælestia bona currentem, nec circa terrena tantùm distractam. Vide ne stipulos habeat palma tua contra peccatum redargutiones: Sermones enim sapientium tanquam boum stimuli, at qui bis punguntur, corde compunguntur, & ab omni peccato abstineant: sed diligenter illius altitudines retine, vt sine ruina permaneas, continuè ventorum incursus ferens.*

Palma plena spinis, ita iustus plenus contra peccatum redargutionibus. CHRYSOS.

49. Vigesimotertiò. Palma in eâ parte Idumææ quæ Arabiæ vicina, & maximè sterilescit, fæliciter crescit. Et quamuis in montibus, quos scriptura Seir vocat, aspera sit, abundat tamen palmis. Vnde Poëta Georg. 3.

> *Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas*

Et Lucan. lib. 3.

> *Gazaq; & arbustis palmarum diues Idumes*

Ita iustus viuens in medio nationis prauæ, & bonis operibus ac virtute sterilis, fæliciter cursum virtutis prosequitur, nec malorum hominum sterilitate, à proferendo bonorum fructu retardatur.

In sterili agro crescit palma, ita & iustus in medio nationis prauæ. VIRGILIVS.

50. Vigesimoquartò. Quò palma est annosior, quò eius fructus est melior: ita & iustus quò ætate prouectior, quò fructus bonorum operum melior, & Dei palato suauior, ita vt quilibet eorum dicere possit illud Psalm. 91. *Et senectus mea in misericordia vberi*, vel, *pingui*, vt legit D. Augustinus, id est, iuuenili & viridi. Vis scire quando id accidat? Nimirum dum in senibus crescente canitie, canescunt etiam mores, canescit conuersatio, ita vt in illis nihil inueniatur nigredinis. *Senecta Ecclesiæ*, ait D. Augustinus

Quò palma annosior, quò fructus melior, sic iustus quò prouectior, quò perfectior. AVGVST.

stinus in citat. locum, *candida erit rectè factis; morte autem non corrumpetur. Quod est caput senis, hoc erunt opera nostra. Videtis quemadmodum canescat caput, & inalbescat, quantumcunque senectus accedit. Qui bene senescit ordine suo, quæris illi aliquando in capite capillum nigrum, & non inuenis: sic cùm fuerit vita nostra talis, vt quæratur nigretudo peccatorum, & non inueniatur, senectus tua iuuenilis est, senectus ista viridis est, semper virebit.*

Palma nunquam marcessit, nunquam dimittit folia, ita iustus virorem bonæ vitæ conseruat. AMBROS.

51. Vigesimoquintò. Palma nunquam marcescit, & folia semel sibi adnata nunquam dimittit: ita iustus virorem bonæ vitæ conseruat, in eoque ad finem vsque vitæ perdurat. *Palma virens*, ait Diuus Ambrosius libr. 3. hexam. cap. 7. *semper manet conseruatione & diuturnitate, non immutatione foliorum, nam quæ primo germinauerit folia, illa sine vlla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam, ô homo, vt dicatur tibi, statura tua similis facta est palmæ, serua viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio recepisti, vt plantatus secus decursus aquarum, fructum tuum in tempore tuo habeas preparatum, & folium tuum non defluat.* Sic ille.

Perseuerandum in bene inchoata vita.

52. Sanè parum prodest bonum incepisse, & in initio conuersionis floruisse, si postea deflorueris, & malè consummaueris. *Bona inceptio sine fine, speciosi corporis instar est sine capite*, inquit Henricus 4. Romanorum Imperat. in quadam epistola ad S. Othonem Rambergensem Episcopum. Pulchrè etiam D. Bonauentura in Psalm. 67. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic de virtutibus potest dici, nam virtutes ad regnum Christi currunt, sed vna sola accipit brauium. Nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigilia, eleëmosyna, obedientia, abstinentia, patientia: sed sola perseuerantia coronatur: nam qui perseuerauerit in finem, saluus erit.* D. Augustinus apud Ludol. p. 2. c. 65. *Dixisti etiam Domine, consummatum est; consummata enim erat acerbitas & diuersitas pœnarum. Felix qui potest dicere cum Iesu, consummatum est. Non est præmium in inchoatione, sed in consummatione: non datur denarius incipientibus, sed finientibus: & corona non currentibus, sed finientibus. Inchoa igitur pœnitentiam, & consumma; non descendas de cruce, vt salutem consequaris perseuerantiâ.*

BONAV.

AVGVST.

Palmæ fructus non est vtilis donec sit centenaria, sic opera bona dulcia præsertim in æterna vita.

53. Vigesimosextò. Dicitur de palma, quod eius fructus non est vtilis, donec fuerit centenarius. Vnde narratur quod Alexandri milites comedentes dactylos palmarum iuuenum, mortui sunt inuenti. Moraliter. Iustus comparatur palmæ in Psalmo 91. *Iustus vt palma florebit.* Opera ergo iusti non apparent dulcia vsque post centum annos: id est, post finem vitæ præsentis. Ecclesiast. 18. *Numerus dierum hominis vt multùm centum anni*, & ideo oportet interim patienter expectare, Iacobi c. 5. *Patientes estote fratres vsque ad aduentum Domini: ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum.* Iustus vt palma florebit (ait Richardus à S. Laurent. lib. 12. de laudib. Virg.) id est, exemplo palmæ, quæ non fructificat nisi post centum annos, qui sunt vt multùm vitæ humanæ summa, sicut dicitur Eccli. 18. Vnde Abrahæ non nisi centenario natus est Isaac, id est risus. Genes. 17. Nondum enim apparet quid erimus, 1. Canonicæ Ioan. 3. Parab. 31. in fine: Ridebit in die nouissimo. Ergo necesse est longanimiter expectare Iob 11. Cùm te consumptum, &c. Iacob. 5. Ecce agricola, &c. Post hanc enim vitam expectant iusti retributionem suam. Ad hoc innuendum, per centum annos ædificata fuit arca, qui scilicet numerus à leua transit in dexteram, secundum computationem Bedæ. Per totam enim vitam istam, debemus nobis ædificare domum æternitatis nostræ. Palma nouiter plantata, non fert fructum, ait D. Bonauentura.

RICHAR. A S. LAV.

Maximæ durationis palma. MACROB.

54. Vigesimoseptimò. Palma maximæ est inter arbores durationis, vnde, Marcrobia vocata, id est, longioris æui. Quò respiciens Iobus dicebat c. 29. *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Septuaginta vertunt: *Sicut truncus palmæ, multo viuam tempore.* Vbi fortè, *truncum*, dixerunt, tum propter firmitatem, tum propter gradatos illos corticis pollices, quos, cùm faciunt rami decidentes singulis annis, annuis gradibus crescere videtur, adeoque in trunco palmæ, multi anni numerantur. Tertullianus legit lib. de resurr. c. 13. *Sicut phœnix multiplicabo dies.* Sicut enim palma inter vegetabilia, ita phœnix inter sensitiua maioris est durationis. Phœnicem autem quingentis annis viuere, vult Herodotus, quo metro sic expressit Ouidius:

TERTVLL.

Hæc vbi quinque suæ compleuit sæcula vitæ.

Martialis li. 5. vult Phœnicem viuere mille annis, sic enim canit:

Qualiter Assyrios renouant incendia nidos
Vna decem quotiens sæcula vixit auis.

Manilius à Plinio relatus, dicit, phœnicem vitam prolongare vsque ad durationem anni magni. De huius anni magni duratione, sic Solinus: Quamuis plurimi auctores magnum annum non quingentos & quadraginta, sed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis constare dicant. Affirmat insuper Plinius li. 13. c. 4. quod ad imitationem phœnicis auis, palma emoriatur, & renascatur ex seipsa. Similiter iusto promittit Deus vitæ longitudinem, Psalm. 90 *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.*

PLINIVS.

Qualiter sancti, sint nigri, instar grani synapis, imò nigri, sicut coruus.

§. V.

Sancti sunt nigri.

1. NOn solùm Christi comæ, id est, sancti & iusti sunt sicut elatæ palmarũ, sed insuper nigræ sunt sicut coruus. Nigredo ordinaria sanctis, & talis, vt in ijs minimè sit contemnenda. Vide quid de seipsa affirmet sponsa Cantic. 1. *Nigra sum*, ait, *sicut tabernacula Cedar; sed formosa sicut pelles Salomonis.* Vis scire qualiter nigra sancta anima, sicut tabernacula Cedar?

Sancta anima nigra ob corporis molestias.

2. Imprimis nigram se dicit ob corporis molestias & infirmitates, quæ quãdiu anima in corpore degit, nigredinem quandam illi ingerunt, maculamque ac rugas quasdam imprimunt, vt bene docet D. Bernardus serm. 26. in Cant. vbi corpora nostra mortalia assimilans tabernaculis Cedar, pulueruIentis, solarium radiorum calore exustis, ac pluuiâ, rore, pruinâ, niue, vento, alijsque temporum iniurijs corrugatis, sic ait: *Quid enim tabernacula, nisi nostra sunt corpora, in quibus peregrinamur? Nec enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Sed & militamus in eis, tamquam in tabernaculis: prorsus violenti ad regnum. Denique militia & vita hominis super terram. Et quamdiu militamus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, id est, à luce. Nã Dominus lux est: & inquantum quisque cum eo non est, intantum in tenebris est, hoc est, in Cedar. Flebilem proinde vocẽ illam agnoscat suã: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cũ habitãtibus Cedar: multum incola fuit anima mea. Est ergo hoc habitaculum nostri corporis, non ciuis mansio, aut domus indigena, sed aut tabernaculum militantis, aut stabulum viatoris. Est, inquam, hoc corpus tabernaculum, & tabernaculum Cedar, quod nimirum animam quasi obiectu sui, incircumscripti luminis interim nũc fraudat aspectu: nec sinit omnino videre illud, nisi per speculum quidem, & in ænigmate, non autem facie ad faciem. Vidésne vnde Ecclesiæ nigredo, vnde pulcherrimis quoque animabus nonnulla rubigo inhæserit? De tabernaculo profectò Cedar: de exercitio laboriosæ militiæ: de diuturnitate miseri incolatus: de ærumnosi exilij angustijs: de corpore denique fragili & graui: quia corpus quod corrumpitur, & aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Propterea & cupiunt dissolui; vt corpore leuatæ, Christi auolent in amplexus. Vnde & gemens vna de miseris aiebat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (Rom. 7.) *Scit nimirum quæ huiusmodi est, quod non possit in tabernaculo Cedar carere ad purum maculâ aut rugâ, non quanta-licunque nigredine, & cupit exire, vt se possit exuere: & hæc ratio cur sponsa nigram se dixerit, sicut tabernacula Cedar.* Sic ille.

BERN.

3. Secundò, nigra sancta anima ob præcendentium peccatorum recordationem, iuxta pręclarum D. Bernardi monitum sermone 27. de modo bene viuendi ad sororem: *Esto semper plangens, semper mœrens, semper suspiria cordis emittens: semper sit compunctio in corde tuo. Sit lamentum in tuo pectore, sint gemitus in tuo corde. Frequenter lachrymæ fluant ab oculis tuis. Semper esto parata ad lachrymas. Venerabilis virgo crede mihi, quia numquam serui Dei in hac vita debent esse securi, quamuis sint iusti. Serui Dei semper debent vigilare, & peccata sua cum lachrymis ad memoriam reducere. Vnde in laudibus sponsi scilicet Christi, in Canticis Cant. dicitur: Comæ eius sunt elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Quid per comas Christi intelligimus nisi fideles homines, qui dum fidem sanctæ Trinitatis in mente custodiunt, & Deo adhærentes, quod credunt faciunt, quasi in capite pendentes illi honorem conferunt. Palma autem verè in altum crescendo proficit, & victoriam sua significatione prætendit. Coma ergo Christi sicut elatæ palmarum sunt, quia electi quique dum semper ad alta virtutum se efferunt, per Dei gratiam quandoque ad victoriam perducuntur: nigræ autem sunt sicut coruus, quia quamuis virtutibus in cælum se erigant, semper tamen peccatores se esse cognoscunt.*

Nigra pia anima, ob recordationem præcedentium peccatorũ. BERN.

4. Ad hanc peccatorum recordationem, sic exstimulat piam animam Diuus Ambrosius libr. 2. de pœnitentia cap. 6. *Bonum Dominum habemus, qui velit donare omnibus, qui te per prophetam vocauit, dicens: Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: Tu autem memor esto, & iudicemur. Ego, inquit, memor non ero, tu autem memor esto, hoc est, non reuoca illa, quæcumque delicta donaui tibi, velut quadam obliuione tecta sint, tu autem memor esto. Ego, inquit, memor non ero propter gratiam, tu memor esto, propter correctionem, memor esto, vt scias donatum esse peccatum, ne glorieris quasi innocens, ne te iustificando, plus nigraueris.* Sic Ambrosius.

AMBROS.

5. D. Paulum semper hac nigredine tinctum permansisse post conuersionem sic insinuat Chrysost. homil. 31. in Gen. *Quò magis virtutibus locupletamur & crescimus, hoc magis modestissimus, & humiliemur. Nam etsi ad summum virtutis apicem pertigerimus, & supputauerimus, iustâ gratitudine Dei in nos beneficia, bene videbimus, quod nihil obtulerimus, adeò multa ille in nos cumulauit. Hinc enim omnes sancti probati fuerunt, & Deo accepti. Hoc, vt scias, audi Doctorem orbis, animam illam quæ in cælo versata fuit, quomodo post tot præclara opera, post tantum de cælo testimonium (Vas enim, inquit, electionis est mihi hic) non obliuiscitur suorum delictorum, quomodo, vtrisque manibus, vt aiunt, versat, & neque eorum*

Paulus non obliuiscitur suorum delictorum. CHRYSOS.

rum memoriam oblitterari patitur, de quibus certissimus erat, quòd per baptismum fuerant dimissa: sed clamat & dicit: Minimus sum Apostolorum, & non sum dignus vt vocer Apostolus: Et postea, vt excellentem eius discamus humilitatem, addit: eò quòd persecutus sum Ecclesiam Dei. Quid agis, ô Paule? Dominus per misericordiam suam deleuit omnia peccata tua, & tu ea adhuc subinde versas & memoras? etiam. Scio, enim dicit, & non ignoro quòd ea Dominus meus dimiserit, sed dum mecum considero, quæ fecerim, & video diuinæ misericordiæ pelagus, bene disco quod gratiâ & misericordiâ Dei sum, quod sum. Nam cùm dixisset, non sum dignus, qui vocer Apostolus, eò quòd Ecclesiam Dei sum persecutus: subdit: Gratiâ autem Dei sum, id quod sum: Ego quidem, tanta ferebar insaniâ, ineffabilis autem eius bonitas & gratia remissionem dedit. Vidisti, animam contritam & circumferentem continuò memoriam peccatorum, quæ ante baptismum commiserat? Illum & nos imitemur, & eorum quæ post baptismum admisimus, quotidie simus memores, continuò ea in mente versantes, nunquam permittamus, vt eorum obliuiscamur. Hactenus Chrysost.

1. Cor. 15.

Quanta animæ nigredo, dum in peccatis degit. BERN.

6. Quanta fuerit animæ nigredo, dum in peccatis degebat sic elucidat D. Bernardus in libello de modo bene viuendi cap. 26. Formata enim hac interrogatione. *Frater mi, rogo, vt dicas mihi, si anima hominis peccatoris est fœda & nigra, vel si anima iusti hominis est pulchra aut formosa?* Respondet: *Soror in Christo dilecta. Tria sunt in hoc mundo nigriora & deteriora omni malo, videlicet, anima peccatoris perseuerans in peccato, quæ est plus nigra quàm coruus, & mali angeli qui eam rapiunt in die mortis eius: & infernus in quo iactatur. Non sunt peiora vel nigriora his tribus in hoc mundo. Iterum tria sunt, quibus non sunt meliora, anima videlicet iusti hominis, perseuerans in bonis operibus, quæ est pulchra, sicut sol & sancti angeli qui eam suscipiunt in die mortis suæ, & paradisus in quo collocatur. His tribus non sunt meliora in creaturis.* Sic Diuus Bernardus.

Ex recordatione peccatorum quis fructus. ERASMVS.

7. Vis scire quis fructus sequatur ex hac nigredine, & peccatorum recordatione? Erasmus in Adagiis cheliad. 2. cent. 3. adag. 50. exponens, cur, dum rem volumus insinuare maximè euidentem, perspicuamque, vsurpemus illud Prouerbij. *Tanquam in speculo,* hanc adducit rationem, *propterea, quòd inter multa, quæ rerum referunt imagines, velut aqua, æs politum, gemma quædam, nihil æquè perspicuè reddit simulachra vt vitrū plumbo sublitum. Nam vitrum quidem vt rarum & pellucidum maximè capax est imaginum, verùm acceptas non perinde continet, ob pellucentiam: proinde sublitum plumbum, ob nigrorem aliquem, naturæq; densitatem, sistit impressam imaginem, neque delabi sinit. Euanescunt enim simulachra, non secus atque candelæ lumen, in sole, quoties excipiuntur in corpore nimiùm tenui, perspicuoq; velut in aëre, purâ aquâ, crystallo, vitroque non obscurato, corporis alicuius oppositu.*

Quo spectet prouerbium: tanquam in speculo.

Rursum in nimiùm densis & obscuris, non hærent, velut in silice, ligneve, proinde natura solertißima rerum omnium architectrix, oculum animantium ad speculorum imaginem finxisse videtur, quippe parti pellucenti nigrorem quendam adiunxit à tergo, quo sublato, protinus tollitur & videndi facultas. Vnde scitè dictum est illud: Vt speculum oculus est artu, ita oculum esse natura speculum. Sic ille. Similiter viri iusti cùm iam per veram conuersionem mutati sint in vita crystallina vt melius diuinas percipiant inactiones, diuinosque influxus, ac fideliùs eosdem, ne diffluant & euanescant, conseruent, recordatione peccatorum, tanquam obscuriori quodam plumbo, animam candidam subliniunt, id est, semper se nigros, semper peccatores existimant, & priorem illam nigredinem peccatorum, qua tincti erant antequam à Deo illuminarentur, semper ob oculos v[illegible]unt, cum Dauide dicentes: *Et peccatum meum contra me est semper.*

8. Tertiò, nigra est anima sancta nigredine pœnitentiæ. De qua sic D. Bernardus: *Est nigredo affligentis pœnitentiæ cùm assumitur lamentatio pro delictis: hanc fortaßis non abhorreat in me Salomon si sponte tamen induam mihi pro peccatis meis, quia cor contritū & humiliatum, Deus non despiciet.* Nigra quoque est verè pœnitentis anima, dum amplectitur paupertatem, humilitatem, abiectionem, carentiam siue priuationem earum rerum quas maximè illustres & splendidas arbitratur mundus, præsertim cùm videat Christum hisce omnibus fuisse priuatum. De hac nigredine sic præclarè S. Antonius de Padua Serm. Dom. 3. quad. *Sol,* ait, *eclypsim, id est, defectum patiens, omnia decolorat, sic verus sol Christus qui cognouit occasum suum, eclypsim mortis in cruce patiens, omnes colores, omnes vanitates, omnes glorias fallaces, omnes honores, debet decolorare, ideo dicit anima pœnitentis: Nigra sū, fusca sum, quia decolorauit me sol. Dum enim oculo fidei Deum meum sponsum meum, Iesum Christum in cruce pendentem, clauis confixum, felle & aceto potatum, corona spineâ coronatum video, omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis pompa transitoria in pallorem vertitur, & à me nihilo æstimatur.* Sic ille.

Nigra est anima pia nigredine pœnitentiæ. BERN.

9. Quartò, nigra est sancta anima, nigredine compassionis, zeli animarum, & præ Dei desiderio deficientis animæ, quam in illa causat siue Sol iustitiæ Christus, siue zelus diuinæ iustitiæ, quo tamquam Sole accenditur; siue ardor charitatis, quo tamquam sole vritur. De omnibus loquentem accipe D. Bernardum serm. 28. in Cantic. *Est, ait, & afficientis compassionis, si afflicto condoleas, & fraternum te decoloret incommodum. Nec hanc profectò reijciendam putat noster pacificus, quippe quam & sibi ipse pro nobis dignanter induit, qui peccata nostra tulit in corpore suo super lignum? Vel solem dicit zelum iustitiæ, quo accenditur, & accingitur aduersus malignantes, dicens:*

Nigra est nigredine compassionis. BERN.

Psal. 68. *dicens Deo: Zelus domus tuæ comedit me. Et illud:* Psal. 118 *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba mea inimici mei.* Ibid. *Illud quoque: Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Psalm. 138. *Item: Nónne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Vel decolorari à sole, est ignescere charitate fraterna; flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, vri ad scandala singulorum. Vel sic: Sol iustitiæ decolorauit me Christus, cuius amore langueo. Languor iste coloris quædam est exterminatio, & defectus, in desiderio animæ. Vnde & dicit:* Psal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. Ergo instar vrentis solis, desiderij ardor peregrinantem in corpore decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem, impatientem facit repulsa, & excruciat amantem dilatio. Quis nostrûm ita sancto amore ardet, vt desiderio videndi Christum omnem colorem præsentis gloriæ, lætitiaq; fastidiat & deponat. Illa ei prophetica voce contestans:* Hierem. 17. *Et diem hominis non desideraui: tu scis?* Psalm. 76. *Item, cum sancto Dauid: Renuit consolari anima mea, id est, præsentium bonorum inani lætitia despicit colorari: Vel certè: Decolorauit me sol, sui nimirum comparatione splendoris, dum appropians illi, ex eo me obscuram deprehendo, nigram inuenio, fœdam despicio.* Hactenus D. Bernardus.

Nigra est nigredine tribulationis & persecutionis. Tribulatio, nigredine insinuatur.

10. Quintò, nigra est sancta anima nigredine tribulationis & persecutionis. Omnis enim grauis tribulatio, & quælibet res tristis solet in scripturis metaphorâ & trãslatione nigredinis insinuari ac designari. Hoc enim sensu lamentãdo & amplificando calamitatem Iudæorũ, id est, sanctæ ciuitatis Hierusalem dixit Ieremias Lamentationum suarum ca. 4. de hominibus Deo sacratis, & religiosis (quales quidem erant Nazaræi sacerdotes, & alij sacri ministri templi Hierosolymitani) *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores: Denigrata est super carbones facies eorum & non sunt agniti in plateis.* &c. & Lamentat. c. 5. eodem penè sensu atque metaphorâ dixit idem Propheta amplificando extremam miseriam & famem quam eadem sancta ciuitas patiebatur: *Pellis nostra quasi clibanus exusta est, à facie tempestatum famis.* Vbi etiam Propheta. *Exusta est, posuit, pro denigrata est.* Et rursus ibidem ait: *Væ nobis peccauimus, propterea mœstum factum est cor nostrum, & ideo contenebrati sunt oculi nostri.* Similis etiam metaphora est illa in Psalm. 67. Cùm ait Rex Propheta per comparationem ad rem magis amplificandam & persuadendam. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Quorum verborum sensus planus, iuxta Hebraicam veritatem talis est, ac si dicat Rex Propheta: Si dormiatis aut sedeatis & iacetis, inter ollas & caldarias, id est, inter vasa plena nigredinis, & fuliginis, cuiusmodi sunt ollæ & caldariæ culinariæ, id est, etiamsi res vestræ fuerint maximè aduersæ, calamitosæ & tristes instar ollæ, seu ollarum nigrarum, viles, & despicatæ & obscuræ, nihilominus tamen, Deo bene fauente, citò fiet, vt res vestræ reddantur, & existant instar columbæ cuiusdam albæ & candidæ, cuius pennæ deargentatæ atque etiam deauratæ esse aliquando videntur. Vel etiam, vt planiùs dicam, sensus talis est: Si in summa fueritis miseria & afflictione, & postrema rerum omnium difficultate (quæ ollæ nigredine, metaphoricè significatur) inde tamen diuina manus vos eripiet, vt sitis instar candidæ columbæ, hoc est, omnia vobis alba, læta, fausta, fælicia que euenient, ac denique tristitia vestra in maximum gaudium conuertetur. Hac tribulationis & persecutionis nigredine plerumque fuliginosi sunt sancti.

11. Miraberis fortasse Deum tanto obducere nigrore sanctos sibi maximè charos: Cur Deus tanta nigredine tribulationis obducit sanctos. Mirari desine. Nam quoscumque Deus ad magna eligit munia & officia, ad magnos etiã destinat labores, & tribulationes, quod exemplo Christi, Mariæ, Iosephi, ac trium Magorum sic elucidat D. Chrysost. homil. Chrysos. 8. in c. 2. Matth. *Cerne, ait, ab ipsis incunabilis Christi, id effectum, nam statim vt ortus est, contra eum tyrannus furit, & ipse in Ægyptum fugit, continuoq; in montana transitur & mater innoxia, in regionem barbarorum fugatur. Perspice illud non tantùm in matre pueri, verùm etiam in istis barbaris fuisse completum. Nam & illi, reorum more clam fugiunt, & ista quæ nunquam domum suam fuerat egressa, tam ærumnosum conficere iter iubetur, propter partum illũ admirabilem.* Deinde verò sic monet vnumquemque: *Et tu hæc audiens, cùm dignus fueris, specialis alicuius negotij minister effici, & videris te tribulationes varias & mille sustinere discrimina, nihil omnino turberis, neque tecum ratiocineris, & dicas: Quidnam istud est, quod mihi infertur immeritò? cui certè laus potiùs & corona congruit: quoque esse deberem clarus & nobilis, vtpote Dominica præcepta perficiens. Sed isto munitus exemplo viriliter cuncta sustineas, sciens tribulationes maximas, inseparabiles quosdam comites esse virtutum.* Hactenus Chrysost.

12. Legimus de S. Paulo dixisse Dominum Act. 9. *Vas electionis est mihi iste.* Sed ad quid electus? an vt pacificè, quietè suauiterque agat & degat? vt perpetuâ fruatur pace? vt vitæ huius commodis gaudeat? absit: Electionis enim suæ causam subiungens, ait: *Ecce ego ostendam illi, quanta eum oporteat, pro nomine meo pati.* Vis videre quãtâ tribulationum nigredine fuerit obductus D. Paulus? Quanta tribulationum nigredine obductus D. Paulus. Audi quid de seipso scribat 1. Cor. 4. *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus: blasphemamur & obsecramus.* Particulariùs hanc nigredinem depingit

depingit 2. Corinth. cap. 11. *In laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, vnâ minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci: Nocte & die in profundo maris fui. In itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærumnâ, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis. In frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

13. De nigredine paupertatis suæ sic loquitur ipse Paulus ad Philip. cap. 4. *Scio & humiliari* (inopiam pati) *scio & abundare. Paulus*, inquit Chrysostomus homil. 4. in epistola 2. ad Timoth. *homo erat, qui sæpè cum fame luctatus est, dormiuitque incænatus, homo nudus, & cui vestitus ipse sæpè necessarius deerat: in frigore, inquit, & nuditate.*

14. Quinimò D. Chrysostomus homil. 1. de laudibus Pauli in hac laborum, tribulationum ac persecutionum nigredine, Paulum non dubitat, vel ipsi Iobo præferre, sic scribens: *Sed vermes & vulnera, sæuos & intolerabiles S. Iob. dolores inferebant. Et ego fateor. Verùm si per tam multos annos Pauli verbera & cum iugi fame etiam nuditatem, catenas, carcerem, insidias periculaque consideres, quæ à domesticis, ab extraneis, à tyrannis, à toto postremo patiebatur orbe: addas etiam, his profectò amariora, id est, pro eis qui labebantur dolores, sollicitudinem quam pro Ecclesijs, vstionem quam pro scandalizatis singulis perferebat, videbis quàm erat omni saxo durior, anima ista perpetiens, & ferrum atque adamantem superans.*

Pia anima nigra nigredine internæ ariditatis.

15. Sextò, nigra est anima interdum nigredine internæ ariditatis siue interioris derelictionis, ac desolationis, quibus solet Deus exercere animam, quam ab omni sensibili deuotione vult ablactari: ac solido cibo pasci, vt docet ex Thaulero Blosius in prima append. instit. spir. c. 4.

Blosivs.

Sancti & iusti, quamuis nigri, sunt nihilominus pulchri, & candidi.

§. VI.

1. VErùm, quia sancti nigri instar grani synapis, instar corui, instar tabernaculorum Cedar, an ideò non pulchri & formosi? Absit, *Nigra sum*, ait amatrix illa, *sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.*

Sancti licet exteriùs nigri, interiùs tamen albi per diuinã consolationem.

2. Imprimis. Si sancti exteriùs nigredine tribulationis perfusi, ita vt assimilentur tabernaculis Cedar (quod nomen præterquam quòd proprium filij Ismaelis, est etiam nihilominus appellatiuum, significans tenebras vel nigredinem) interiùs tamen albedine, lumineque diuinarum consolationum sunt splendidi atque candidi. Paulo id imprimis attestãte, dum ait 2. Corinth. 1. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Pro abundantiâ externarum tribulationum, replentur abundantiâ internarum consolationũ. Vnde D. Paulus ibidem non vocat Deum Patrem vnius, sed *totius consolationis*. Quod expendens D. Bern. ser. 5. de natali Domini, sic ait: *Patrem dicit, non vnius tantùm misericordiæ, sed misericordiarum, & Deũ non vnius, sed totius consolationis qui consolatur nõ modò in hac vel illa, sed in omni tribulatione.* Bern.

3. Origenes scribens in Psal. 36. & expendens illa verba, *Iunior fui etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*, sic scribit: *Hoc de interiore homine sentiendum est, alioquin secundum exteriorem hominem interdum derelinquitur. Sic derelinqui à Deo putandus est iustus, cùm ægritudo corporis aduenit, cùm tribulatio, cùm paupertas, & singulæ quoque huius vitæ molestiæ generantur. Hæc maximè iustis accidere solent, quibus & persecutionem pati pro nomine Dei solemne est: sed non derelinquuntur, cùm patientes hæc omnia, & tolerantes dicunt: Quis nos separabit, &c. Denique Prophetæ qui circuibant in deserto per cauernas petrarum & speluncas, egentes, tribulati & afflicti, licet in desertis oberrarent, & essent ab hominibus derelicti, multitudo tamen Angelorum eos circumdabat* (sic Elisæus 4. Regum 6.) *Numquam enim solus est iustus, sed nec vnius quidem, aut duorum aut trium tantummodò Angelorum societate subnixus est, sed exercitus ei cælestium virtutum præsto est.* Sic ille.

Vnde accidat quòd non gustemus internam consolationem.

4. Quòd autem nos non sentiamus neque degustemus internam Dei, & Angelorum consolationem, accidit, quia interiùs, toti frigidi, & quasi torpentes sumus in Dei amore, solùm benedicentes Deum cùm benefecerit nobis. *Aduersis probatur amor*, ait Chrysostomus homil. 6. de Sancta Feria pass. *affectio pensatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur.*

Consolatur Deus hominem in tenebris tribulationis constitutum, si in die prosperitatis illi bene seruierit.

5. Adiuuat quidem nos Deus, consolaturque in tenebris & nocte tribulationis, si in die prosperitatis illi seruieris, eiusque misericordijs bene vsus fueris. Psalm. 42. *In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.* Pro quibus legit D. Augustinus secundum translationem Septuaginta Interpretum: *In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte declarauit.* Quæ expendens idem sanctissimus Doctor sic scribit: *Nulli vacat audire in tribulatione. Attendite cùm vobis bene est. Discite cùm tranquilli estis sapientiæ disciplinam, & verbum Dei, vt cibum colligite. Quando enim quisque* Avgvst.

 in

in tribulatione est, prodesse illi debet quod securus audiuit. Etenim in rebus prosperis mandat tibi Deus misericordiam suam, si ei fideliter seruieris, quia liberabit te de tribulatione, sed non tibi declarat ipsam misericordiam, quam tibi per diem mandauit, nisi per noctem. Cùm venerit ipsa tribulatio, tunc adiutorio te non deserit: ostendit tibi verum fuisse, quod tibi per diem mandauit. Etenim scriptum est quodam loco: Speciosa misericordia Domini, in tempore tribulationis, sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis. In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte declarauit. Non tibi ostendit quia subuenit tibi: nisi venerit tibi tribulatio, vnde eruaris ab illo qui tibi per diem promisit. Ideò admonemur imitari formicam. Sicut enim prosperitas sæculi significatur die, aduersitas sæculi significatur nocte: ita alio modo prosperitas sæculi significatur æstate, aduersitas sæculi significatur hyeme. Et quid facit formica? Per æstatem colligit, quod ei per hyemem prosit. Ergo cùm est æstas, cùm bene est vobis, cùm tranquilli estis audite verbum Domini. Vnde enim fieri potest, vt in hac tempestate sæculi huius, sine tribulatione totum hoc mare transeatis? vnde enim fieri potest? Cui hoc hominum contigit? Si contigit alicui, plus metuenda est ipsa tranquillitas. In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte declarauit. Sic ille.

Eccli. 35.

Consolatur nos Deus in nocte tribulationis, si illum præ cæteris diligamus.

6. Adiuuat nos Deus, confortat & consolatur in nocte tribulationis, si illum præ cæteris omnibus diligamus, si in illo per charitatem maneamus & habitemus. Similibus enim dici potest illud Psalm. 120. *Per diem sol non vret te, neque luna per noctem.* Quæ verba in rem nostram explicans Cardinalis Bellarminus serm. de S. Bartholomæo, sic scribit: *Quid enim dies nisi tempus prosperum significat? Tunc enim, quia lux micat, secundæ fortunæ, multi innumerantur amici, omnes se ostentant, omnes blandiuntur, omnes adulantur. Quid verò nox designat, nisi fortunam aduersam? Tunc enim tamquam si densissimis tenebris obrutus esses, nemo te videt, nemo cognoscit. Transis per plateas? nemo occurrit, nemo salutat: Quæris amicos? nemo te nouit: quæris affines? se tibi coniunctos omnes negant. Quòd si iterum lux prosperitatis tibi oriatur mox innumerabiles cognatos, consobrinos, nepotes & pronepotes habebis, & qui paulò antè in tenebris aduersitatis affinitatem videre non poterant, nunc arctissimam coniunctionem vident. Dies igitur secundum, nox aduersum tempus significat. Ac in die quidem sol, hoc est, concupiscentiæ ardor exurit. Qui enim cernunt sibi quodlibet licere, & impune esse cupiditates suas implere, mirum est in quæ scelerum ac flagitiorum præcipitia nonnumquam dilabantur. At verò in nocte luna, hoc est, inconstantia & mutabilitas nocet. Quoniam enim tunc ex claris obscuri, pauperes ex opulentis, ex fœlicibus miseri efficiuntur, sæpè vim aduersæ fortunæ non ferentes, vel ad laqueos, vel ad aquas, vel ad venenum, vel ad gladium currunt. Sed hæc omnia illis accidunt, qui domum non habent, nam qui se abscondunt, in abscondito tabernaculi Domini sui, eis nec sol per diem vrit, nec luna per noctem. Certè S. Abraham & Rex Sedechias, & Imperator Theodosius, & Pontifex Gregorius, & Rex Gallorum Ludouicus, & Bohemorum Venceslaus, & Hungarorum Stephanus & Anglorum Osualdus, & alij permulti in die fuerunt: diuitijs, honoribus & alijs huius mundi bonis abundabant. Numquid propterea à sole exusti sunt? numquid diuitiæ talibus obfuerunt? numquid non magis per eas sibi gradum ad cælum effecerunt? & hoc vnde? nisi quia in charitate manentes, in Deo manebant, & Dei amorem rebus omnibus caducis & fragilibus anteponebant? Ista enim non magnoperè diliguntur nisi ab ijs qui meliora diligere non nouerunt. Rursus autem S. Iob, & penè omnes Prophetæ & Apostoli ac Martyres Domini in nocte fuerunt. Audi quid Apostolus dicat 1. Corinth. cap. 4. Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus &c. Et cùm tanta paterentur, non propterea tristes erant, sed è contrario gaudebant in infirmitatibus: quia virtus in infirmitate perficitur. Scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Quare? quia charitas Dei (vides quo pacto omnia charitati accepta referuntur) diffusa est in cordibus nostris. Isti igitur qui in Deo posuerunt nidum suum, nihil amittebant, quia nihil diligebant, nisi in Deo, qui amitti aut perire nullo potest modo. Vis & tu non sentire iacturas? non diligas res perituras, sed ibi fige mansionem tuam, ibi cor tuum requiescat, vbi nihil transit, sed vera & æterna & stabilia sunt bona.* Hæc Bellarminus.

BELLARMINVS.

Rom. 5.

Iusti exterius nigri, interius candidi, dum in tribulatione Deo gratias agunt.

AMBROS.

7. Secundò, quamuis exteriùs nigri sint iusti, intus nihilominus candidi & festiui, dum in nocte aduersitatis constituti Deo gratias agunt, iuxta illud Psalm. 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine.* In quæ verba sic D. Ambrosius sermone 7. *Non magnum est*, ait, *si tunc Domino gratias agas, quando in prosperis & secundis es, sed si tunc adhæreas Christo, quando te persecutio exagitat, quando aliqua procella perturbat: amisisti filium, in illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione, memento Domini Dei tui, ne in tua præuaricieris ærumna: pulsus in exilium, memento, memento Domini Dei tui, patriæ interdictæ charitatem Dei præferas: alicuius diuitis oppressus potentiâ, amisisti proprias facultates, memento Domini Dei tui: ne te nox egestatis abducat à deuotionis affectu: hoc est mandatum legis, vt in nocte magis quæras quando exaudiaris à Domino, & possis dicere, in tribulatione inuocaui Dominum*, &c.

Tertiò,

Dñi in tribulatione memores sunt diuinæ legis.

Avgvst.

8. Tertiò, sunt candidi & pulchri, dum in nocte aduersitatis memores sunt diuinæ legis, iuxta illud Psalm. 1. *Sed in lege eius meditabitur die ac nocte*, in quem sensum D. Augustinus eundem locum exponit.

Dñi in tribulatione constituti annuntiant veritatem.

9. Quartò, sunt pulchri & splendidi, dum in nocte tribulationis constituti annuntiant veritatem Dei, id est, fatentur se pro peccatis suis flagellari, & denigrari. Psal. 19. *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* In quæ verba sic D. Augustinus: *Quid sibi vult, quia mane annuntianda est misericordia Dei, & per noctem veritas Dei? Mane dicitur, quando nobis bene est, nox dicitur quando tristitia tribulationis est. Quid ergo dixit breuiter? quando tibi bene est, gaude Deo, quia misericordia ipsius est. Iam tu fortè diceres. Si ergo gaudeo Deo, quando mihi bene est, quia misericordia ipsius est, quando in tristitia, in tribulatione sum, quid facio? Misericordia ipsius, quando mihi bene est. Crudelitas ergo ipsius quando malè est? Si laudo misericordiam, quando bene est, reprehendo ergo crudelitatem quando malè est? Non, sed quando bene est, lauda misericordiam, quando malè est, lauda veritatem, quia peccata flagellat, non est iniquus. Iam in nocte erat Daniel quando orabat, erat enim in captiuitate, Hierusalem erat in potestate hostium. Tunc multa mala sancti patiebantur, tunc ipse in lacum leonum missus est, tunc tres pueri in ignem præcipitati sunt. Hæc patiebatur in captiuitate populus Israel, nox erat. Per noctem confitebatur Daniel veritatem Dei: dicebat in oratione: Peccauimus, impiè egimus, iniquitatem fecimus. Tibi Domine gloria, nobis confusio. Veritatem Dei annuntiabat per noctem. Quid est veritatem Dei annuntiare per noctem? non accusare Deum, quia pateris aliquid mali, sed tribuere illud peccatis tuis, emendationi ipsius. Ad annuntiandum mane misericordiam ipsius, & veritatem per noctem. Cùm misericordiam annuntias mane, & veritatem per noctem, semper laudas Deum, semper confiteris Deo, & psallis nomini eius.* Hactenus D. August.

Sunt interiùs albi, quia in tribulationibus constituti gaudent ob spem æternorum bonorum.

10. Quintò, quamuis iusti sint exteriùs nigri, in tenebris, siue nocte tribulationis constituti, interiùs tamen candidi sunt & albi siue gaudentes, ob spem æternorum bonorum, & quam post tenebras sperant lucem inextinguibilem æternæ vitæ: huc referri potest illud Iob 35. vbi de Deo fatus, sic ait: *Qui dedit carmina in nocte.* Quid enim nox nisi symbolum aduersitatis, ac maximorum malorũ, vt bene expendit D. Hieronymus scribens in Zachariæ cap. 1. explicans enim illa verba: *Vidi per noctem*, dicit Prophetam in nocte, & non in die vidisse, quia visio ista grauissimas calamitates denuntiabat populo, vtpote captiuitatis, &c. *Vidi*, inquit, *per noctem, & non in die, sicut Moses, qui Deum videbat facie ad faciem, & Isaias qui loquebatur: Vidi Dominum super thronum excelsum & eleuatum, antequam populus duceretur in captiuitatem, antequam Hierusalem destrueretur & templum: sed adhuc in seruitutis malo populo constituto, ea quæ pro eis videt, cernit in tenebris*, &c. Bernardus quoque in Cantic. serm. 33. docet noctem aduersa significare in Scriptura, & exemplo vtens, ait: *Videte primitiuam Ecclesiam si non primò perusa est acriter nimis à timore nocturno, quando omnis qui interficeret sanctos, arbitrabatur obsequium se præstare Deo* &c. vbi vides noctem esse symbolum afflictionum. Vide si libet syluam allegoriarum, & amphora videbis pro tali symbolo testimonia. Vis scire quid sit dare carmina in nocte? Audi D. Gregorium 2. moral. 12. ita scribentem: *Carmen in nocte est lætitia in tribulatione: quia etsi pressuris temporalitatis affligimur, spe iam de æternitate gaudemus.*

Hieron.

Bern.

Intus sunt candidi ob excellentissima quæ expectant post tribulationem bona.

11. Intus sunt candidi & pulchri, ob excellentissima quæ expectant post tribulationes perpessas bona. Psalm. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi in pallore auri.* Alij vertunt: *Si dormiatis inter medias acies:* Alij legunt: *Si dormiatis inter medias ollas, aut cacabos.* Alij: *Si dormiatis inter medias sortes.* Vt sensus sit: Si contingat vos degere inter hostiles acies, ac hostilia arma, vel in vilissimam redigi seruitutem, ollisque & cacabis culinæ addici, vel in captiuitatem trahi, ita vt de numero captiuorum constituti, milites victores sortibus inquirant, qui quibus in mancipia sint cessuri, ita vt omni sitis priuati honore, libertate, bonisque omnibus, adeoque nigerrimi, & hominum iudicio infœlicissimi, nigredo hæc nihilominus terminanda in aureum quoddam decus, in aureas diuitias, in auream vitam. Hinc enim futurum vt instar columbarum, argenteis pennis sitis exornandi, id est, summa lætitia cumulandi, & vt posteriora dorsi vestri reddantur instar purissimi auri fulgentia & relucentia, id est, vt vita, quæ in cælis vos expectat, sit futura fœlicissima, & bonis omnibus coronata. Somniabat aliquando Domitianus, quòd in dorso sibi cresceret gibbus aureus. Aruspices id præsagij inde trahebant, quòd breui esset moriturus, sed quòd illius mortem aureum & maximè fœlicissimum sequeretur sæculum. Idem promittitur animæ fideli. Esto, sit hic nigra, imò sit inter nigerrimas ollas, & ipsa nigerrima degens, posteriora tamen dorsi, id est, vitam huic vitæ, siue potiùs vitali huic morti succedentem, habebit planè auream & fœlicissimam.

Sunt candidi, quia tribulatio est illis loco pulcherrimi ornamenti.

Bern.

12. Sextò, candidi iusti & pulchri, quia tribulatio & persecutio est illis loco pulcherrimi ornamenti. *Est* (ait D. Bernardus ad verba illa sponsæ *nigra sum* &c.) *& persecutionis nigredo, quæ etiam pro summo ornamento habetur, siquidem suscipiatur pro iustitia & veritate. Vnde est illud: Ibant gaudentes discipuli à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Denique beati persecutionem patiuntur* propter

propter iustitiam,&c. Ita ibi Bernardus, sermone verò 26. in Cantic. nigredinis huius pulchritudinem luculentiùs premens & D.Paulo aptans, hæc subijcit. *Porrò hunc in eo sapientiæ, iustitiæque candorem, nigredo illa exterior, de præsentia corporis infirma, de laboribus plurimis, de ieiunijs, ac vigilijs multis, aut operabatur, aut promerebatur: ideoq; & quod nigrum est Pauli, speciosius est omni ornatu extrinseco, omni etiam regio cultu: Non comparabitur ei quantalibet pulchritudo carnis, non cutis vtique nitida, & arsura, non facies colorata, vicina putredini, non vestis pretiosa obnoxia vetustati, non auri species splendorve gemmarum, seu quæque talia, quæ omnia sunt ad corruptionem*. Hactenus D.Bernard. Vis videre ornamenti huius decus & claritatem? Audi D.Dionysium de diuinis nominibus cap.8. affirmantem iustos ex tribulationum decore & pulchritudine Angelis suppares quodammodò reddi. Sic enim ille. *An verò non tunc magis Angelicis appropinquant viri sancti virtutibus, dum pressuras, casusque varios honesti gratiâ tolerant?* Sic ille. Suprà hominem iure reputans virtutis amore dura tolerantem, vtpote qui refugientis naturæ, à duris auersæ, ad blanda pronæ, propensionem, victrici pede calcans, euehitur in sublime, angelicaque virtutis puritate spiritibus Angelicis sociatur.

Ornamenti huius decus & claritas. DIONYS.

13. Septimò. Pulchri & candidi iusti ob tribulationes & persecutiones, hac enim ratione Christo maximè assimulantur, illiusque in seipsis exprimunt similitudinem. Audi D.Bernardum serm.25. in Cant. *Non erubescit sponsa nigredinem quam nouit præcessisse & in Sponso, cui similari quantæ etiam gloriæ est? Nihil sibi gloriosius proinde putat, quàm Christi portare opprobrium. Vnde vox illa prorsus exultationis & salutis. Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini mei Iesu Christi. Nigredo est; sed forma, & similitudo Domini*. Sic ille.

Candidi, quia Christo in tribulationibus maximè assimilantur. BERN.

14. Rectè autem D. Bernardus dicit nigredinem hanc esse formam & similitudinem Domini. Nam quò iustus in hac vitâ tribulationibus ac persecutionibus nigrior est, quò frequentiora patitur ob Deum incommoda, quò etiam perfectiùs in eo efformatur imago & similitudo Dei iuxta illud Psalm.67. *Increpa feras arundinis. congregatio taurorum, in vaccis populorum vt excludant eos qui probati sunt argento*. Vis scire quò tendebat illa variorum Iudæorum, hæreticorum ac tyrannorum, in vnum congregatio & conspiratio aduersus iustos Dei homines? vis scire quid effecerint, quid assecuti sint, vehementi illa, quàm in illos exercuerunt, tyrannide? Certè putabant quidem illi, malleorum tunsionibus, clauorum cuspidibus, gladiorum acumine, telorum acie, tamquam aptissimis ad hoc instrumentis abolere in illis imaginem Dei, verùm hisce omnibus instrumentis pulchriorem intensioremque reddiderunt, vnde sequitur: *Vt excludant eos qui probati sunt argento*. Pro quibus legit D. Augustinus: Vt excludantur qui probati sunt argento, vt sensus sit: hostes quidem id velle vt sancti ab aliorum consortio excludantur & amandentur, sed verè excluduntur, id est, eminent qui probati sunt argento, ad hoc enim permittuntur, vt probati manifesti fiant: *Quare*, inquit, *in arte argentariâ exclusores vocantur, qui de confusione massæ nouerunt formam vasis exprimere*. In illis igitur, quasi in argento benè exclusa imago Dei, similitudoque Christi prælucet.

Nigredo hæc est forma & similitudo Domini.

AVGVST.

15. Octauò, candidi & splendidi iusti ob tribulationes & persecutiones, hac enim ratione socij redduntur & constituuntur Christi. Vnde Nazianzenus orat.28. de anima Deo dedita, sic inquit: *Calumnijs premetur, orabit: percutietur in dexteram maxillam, præbebit & alteram, tertiam etiam si haberet, obiecturus: quò magis ad lenitatem persecutorem erudiat opere docens, quòd sermone non potest: probris impetetur, & Christo quoque afflictionis societate, ornabitur*. Atque hinc factum, quod sancti non exhorruerint, sed potiùs ambiuerint, hac fuligine ac nigredine tribulationũ pro Christi amore, tingi atque vndique vestiri. Vnde præclara Virgo & Martyr Secunda, cùm vt eius acta testantur, sororem Ruffinam, iudicis iussu, flagellis cædi videret, sacrâ in ipsum indignatione commota, sic eum affata est: *Quid est quòd sororem meam honore, me afficis ignominiis? Iube ambas simul cædi, quæ simul Christum Deum confitemur*. Adsimili verò oratione egregium septem Machabæorum iuuenum primogenitum, regem alloquentem sic facit Nazianzenus orat. de Machabæis. *Primogenitus ego sum, primum me consecra, ignis maior accendatur, acriores bestiæ, magisque actuosæ producantur, exquisitiora tormenta proferantur, sint omnia regia & magnifica*: Ac si diceret. Serua mihi primogenituræ ius, illius enim merito ad sublimiores honoris gradus, ad acriores videlicet tormentorum pugnas, & difficiliora certamina euehendus sum: aliter iniquè mecum egeris.

Candidi, quia hac ratione cõstituuntur socij Christi.

Sancti ideò ambierunt persecutiones.

16. Nonò, candidi iusti in tribulationibus, quia sicut non nisi tenebrarum beneficio, pulcherrimam cæli aspicimus faciem: ita etiam non nisi in tenebris aduersitatum constitutus, idoneus est vt cælestia clariùs rimetur, & contempletur. De Isaac legimus Gen.c.24. *Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die*: Vide quando egreditur, nimirũ, *inclinata iam die*, vbi Sol lucis suæ contraxerat radios. Baeza lib.3. de Christo fig.c.25.§.3. expendens verba illa Pauli 2.Corinth.cap.1. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis*, sic scribit: *Cur non magis nos incitat ad veritatem cælestium portandam? esto enim quòd terrena omnia imagines sunt, & vmbra; at cælestia vera & solida sunt. Cur ergo Paulus non monet nos ad cælestium veritatem, sed imaginem?*

Candidi, quia cælestia tunc rimantur.

BAEZA.

imaginem? est aliquid necessarium ad videndam imaginem, in quo consistit multum profectum Christiani. Quippe imago mensurato, & inclinato lumine circumspicienda est, vt placeat: Si enim imago, toti solis lumini exponitur, sub splendentium radiorum lumine, prorsus obscuratur: necessum est vt splendor luminis confractus sit, & debilitatus, & extenuatus, vt sic clareat tota perfectio imaginis. Qui ergo cupit cælestium æstimationem facere sic in illa mentem figat, vt in imaginem, hoc est, non sub magno temporalium lumine, sed cum declinatione splendoris naturalis. Numquam spectabiliora cælestia, quàm vbi sub declinatione temporalium luminum apparent. Sic ille.

Candidi, decore virtutum.

17. Decimò, candidi & pulchri iusti in tribulationibus, decore & splendore virtutum. Vt stellæ numquam clariùs micant quàm de nocte & dum tenebræ densiores incubant: sic virtutes tunc magis radiant & clariores emittunt radios dum aduersis premitur homo, & in nocte tribulationis versatur. *Patientia*, ait D. Gregorius 1. moral. 1. *in tenebris aduersitatis cognoscitur, quia qualis quisque apud se lateat, illata contumelia probat. Nigra*, ait Beda, *aduersitate pressurarum, sed formosa decore virtutum.*

Gregor.

Nox ad sapientiam vtilis: ita & tribulatio.

Cyrill.

18. De tenebris nocteque aduersitatis dicere possumus, quod de tenebrarum noctisque corporalis vtilitate scribit in hunc modum Cyrillus Hierosol. cathec. 9. *Quid nocte ad sapientiam vtilius? nam in ea sæpe de Deo cogitamus, in eâ diuinorum oraculorum lectionem & meditationem meditamur. Quandonam maiori contentione mens nostra psalmos canit, ac preces fundit, nónne noctu? quando sæpiùs ad nostrorum peccatorum recordationem venimus, nónne noctu? Ne ergo malè admittamus, alium esse tenebrarum auctorem. Etenim bonam eam rem esse & vtilem, experientia docet.* Sic ille. An non similiter, & nos dicere possumus: Quid nocte aduersitatis ad sapientiam vtilius? &c. Nigredinem etiam hanc & tenebras tribulationum rectè etiam comparaueris, tenebris noctium æstiuarum, quæ in absentiâ Solis, rorem terræ nascentibus subministrant, quo nutriuntur, frondescunt, magis magisque fructificant.

Quomodò nigra sponsa & formosa.

Hvgo Cardin.

19. Accipe postremò hanc nigredinem & pulchritudinem elucidantem Hugonem Cardinalem: *Nigram se dicit tribulatione, sed formosam charitate. Nigram studio humilitatis, sed formosam existentiâ veritatis. Nigram corporalibus miserijs, sed formosam cælestibus desiderijs. Nigram oculis insipientium, sed formosam in intellectibus sapientium. Nigram iudicio mundi, sed formosam arbitrio Dei. Nigram in conspectu impiorum, sed formosam iudicio Angelorum. Nigram peruersè viuentibus, æterna supplicia comminando, sed formosam sanctè conuersantibus, æterna præmia promittendo. Nigram per corporis vilitatem, sed formosam per animæ sanctitatem. Nigram in terris, sed formosam in cælis. Nigram mala temporalia patiendo, sed formosam æterna gaudia sperando. Audi formosam: Spe gaudentes. Audi nigram, in tribulationæ patientes. Paulus niger cùm lapidatus, sed formosus, cùm ad cælum raptus. Ipse sponsus niger fuit in passione, sed formosus in resurrectione.* Hactenus ille.

De nigredine humilitatis, & vnde illa originem trahat.

§. VII.

Nigredo humilitatis præstantissima.

1. EST & nigredo quædam præstantissima quæ consistit in propriæ vtilitatis & peccatorum cognitione, in vera humilitate, atque in suipsius contemptu & despectu, de qua etiam intelligi possunt illa sponsæ verba, *nigra sum, sed formosa. Nigram se dicit*, ait Beda, *studia humilitatis, sed formosa est existentiâ veritatis.*

Richar. Vict.

2. Richardus à S. Victore par. 2. libro 7. super Apocal. cap. 6. expendens fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata, in Sardonio, quia inferiùs nigrescit, humilitatem vult designari. *Quantus*, ait, *est Sardonius siue sardonix, qui per suæ partis inferioris nigredinem exprimit humilitatem, quia congruum est vt qui bonum opus proferre laborat non superbire, sed magis humiliari contendat.*

Sardonix nigri coloris.

Avgvst.

Niger habitus spirat humilitatem.

3. D. Augustinus serm. 28. ad fratres in eremo, postquam dixisset, ad vnitatem suos adhortatus. *Vno enim pane, vno indumento, vno nigro colore, vnâ aquâ omnes simul participamus.* Volens insinuare, nigrum illum habitum, nihil nisi humilitatem suis sectatoribus persuadere, ad eamque eos adhortari, sic ait: *Nos qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis, nomen religionis sanctæ habemus, nigram etiam vestem humilitatis portamus, zonis etiam pelliceis præcincti apparemus, caueamus ne simus sepulchra dealbata quæ foris pulchra & speciosa apparent, sed intus plena sunt ossibus mortuorum occultis.* Sic ille.

Gregor.

Decet enim vnumquemque vitam instituere habitui suo, quem exteriùs gerit, conformem. Vnde præclarè sic monet D. Gregorius homil. 17. in Euang. *Cùm monachum videmus, admonendus est, vt reuerentiam habitus sui in actu, in locutione, in cogitatione sua semper circumspiciat: vt ea quæ mundi sunt, perfectè deserat: & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat.*

Sancti nigri ob despectionem quam eligunt.

4. Richardus à S. Victore part. 2. in expositione Cantici Cant. cap. 37. tangens illa verba sponsæ sponsum laudantis atque dicentis c. 5. *Coma capitis tui sicut elatæ palmarum nigra sicut coruus*, in capillis spôsi intelligens sanctos, illi firmiter adhærentes, mun-

doque penitus mortuos, eosdem putat nigros vocari quasi coruus, ob eam quam profitentur humilitatem, *Nigredo bonorum est, quòd peccatores, peccatores se reputant, & peccatorum suorum verecundiam in vultu portant. Despectionem quippe eligunt, contemptum æquanimiter ferunt, vilia opera & sordidum habitum non solùm non refugiunt, sed etiam appetunt, scientes in hac humilitate pretiosum thesaurum latere.* Sic ille.

Nigredo hæc oritur ex consideratione virtutum quæ in alijs lucent.

RICHAR. A S.VICT.

5. Et hæc quidem nigredo, imprimis in anima, oritur ex consideratione virtutum quam in alijs conspicit, quibus suas comparari posse nequaquam præsumit. Qua de re sic Richard. à S.Victore part.2. in expositione Cant.Cant.c.4. *Solent boni,* ait, *virtutes suas inuicem accendere, & alter ab altero profectus pariter, & humilitatis incitamenta sumere. Vnde contingit vt dum iste illius patientiam, & ille istius obedientiam, iste illius caritatem, & ille istius munditiam considerat, semper alter ab altero sumat, vnde in bonum crescat. Multum enim ad studium emendationis accinguntur, quādo in alijs cernunt bonum quod ipsi minùs habent. Et dum inuicem superiores se arbitrantur, & alter alterius bonū reueretur, & diligit, amando illud, suum facit, & se in humilitate custodit. Sic Paulus quòd plus omnibus Apostolis in prædicando laborasset, non attendit, sed aliorum innocentiam respicit, & quia ipse Ecclesiam Dei persecutus fuerat, ipse minimum se Apostolorum dicit. Petrus verò quòd primus Apostolorum sit non considerat, sed in Paulo miratur sapientiam, & hanc quodam loco de illo commendat. Neque enim minor Paulo erat Petrus, qui hunc laudibus efferebat, nec minor Apostolis erat Paulus, qui se minimum iudicabat. Sed qui magni erant apud Deum, necesse erat vt sibi parui viderentur, & qui omnibus ornabantur virtutibus, humilitatis etiam virtute debebant decorari. Maximus nempe est animæ decor, si post omnium virtutum perfectionem humilitatem possideat; & cùm magni sit meriti, magnum se esse nesciat. Magnum se nesciebat beatus Iob, qui dicebat: Si simplex fuero hoc ignorabit anima mea. Parua quippe bona sua æstimabit, quia semper ad maiora feruebat. Perfecti itaque, id est, verè humiles reprehensibilia sua cognoscunt, & iudicant, & aliorum mala dissimulantes bona potiùs pensant, districti iudices sui, sed aliorum pij: vnde cùm in alijs parua aliqua bona conspiciunt, maiora in eis sperant. Cùm verò ipsi multa fecerint, seruos se inutiles reputant. Sicque contingit vt bene de alijs, sibi verò vilescant, seque inferiores minoribus credant.* Hactenus ille.

Oritur ex consideratione diuinarum perfectionum.

BERN.

6. Oritur etiam hæc nigredo in anima ex approximatione ad solem illum iustitiæ & consideratione diuinarum perfectionum. De quo D. Bernardus ser.28. in Cantic. expendens verba illa sponsæ Cant. *Nolite me considerare quod fusca sum, quia decolorauit me sol*, sic enim scribit: *Decolorauit me sol, sui nimirum comparatione splendoris, dum appropians illi, ex eo me obscuram deprehendo, nigram inuenio, fœdam despicio.* Quantò enim anima magis ad Deum accedit, magisque illi vnitur ac deiformior existit, tantò plus ab eo se distare cognoscit, quapropter tantò humilior est, tantò in oculis proprijs vilior, tantò ob multiplicem, quam in se animaduertit imperfectionem, nigrior & difformior sibi videtur. Quantò enim plus clarissima illa lux animam nostram ingreditur, cùm sit vera omnium nostrarum imperfectionum redargutrix, tantò magis produntur, animæ nostræ defectus, vt dixit Philo libro, quòd Deus sit immutabilis. Quo loco etiam Philo, quòd tunc perfectè anima & suam fœlicitatem & inopiam agnoscet, cùm peruenerit ad Regem: In cælo enim, cùm viderimus Deum sicuti est, erimus perfectè humiles, & nos quasi nihil reputabimus.

Eò iustus humilior quò Deum meliùs cognoscit.

GREGOR.

7. Similiter & D. Gregorius 5.mor.27. docet hominem iustum tantò sibi deformiorem videri, quò Deo conformior est & quò plus abyssum diuinæ perfectionis penetrat, eò magis propriam agnoscere inopiam. *Non mirum,* inquit, *nam lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radio posita, tenebratur. Cùm Deum conspicimus, & ante eum stamus, quasi in solis radijs positi caligamus; quia tantò quisque subtiliùs de tenebris suis indicat, quantò ei veriùs claritas lucis constat: qui enim lucem videt, scit quid de tenebris æstimet: nam qui candorem lucis ignorat, etiam obscura pro lucidis approbat.*

8. Sæpè, dum domi absq; solis radio sedemus, clarè omnia conspicimus; at multa nos latent, nam postquam lucidus sol per fenestram ingreditur, & suis radijs noua maiorique luce aërem illustrat, videmus in aëre atomos quosdam paruissimos, quos ante solis aduentum minimè videbamus. Sic dum sub exigua luce sedemus & degimus, nos perfectionis aliquid habere existimamus, sed si diuina lux mentes nostras intrarit, si animæ sinus & angulos irradiaret, quot non dico atomos, sed fortè trabes, ante oculos apparerent, quæ antea ibi erant absconditæ, adeoque nos non iustos, sed iniustos, non rectos, sed obliquos, non pulchros, sed difformes arbitraremur. Vt enim ait D. Augustinus libro ad Orosium c.10. *Sancti cuius* (nempe Dei) *participatione iusti sunt, eius comparatione, nec iusti sunt.*

AVGVST.

9. Sic coram diuino illo sole constitutus se nigrum fatebatur Abraham Genes.18. se terram & cinerem nominans. Et beatus Iob c.42. postquam Deum vidit, & arcana eius intimè penetrauit, se statim magis reprehendit illis verbis: *Nunc oculus meus videt te, idcircò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.*

10. D. Gregor. 5. mor. 26. stupendam illam visionem, quâ Deus pertransiens se Heliæ conspiciendum obiecit in auræ tenuis sibilo, explicans, putat Heliam, non solùm propter Dei maiestatem, quam vidit, sed etiam propter suam inopiam & abiectionem, pudefactum quòd tanta imperfectio coram Dei maiestate nuda facie appareret. *Bene in*

diuina

diuina scriptura subditur, inquit Gregorius, *cùm audisset Helias, operuit vultum suum pallio, & ingressus stetit in ostio speluncæ. Vultum suum Propheta pallio operuit, quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quantâ ignorantiâ homo contegatur, agnoscit.* Quantò enim plus diuinus fulgor animæ subrutilat, tantò magis cernit, quanta supersint abradenda, læuiganda & abstergenda, vt animæ imago perfecta ad Dei similitudinem vndequaque euadat.

11. Sic D. Ioannes cùm multum ad Dei cognitionem accessisset ex consideratione infinitæ magnitudinis & maiestatis Dei se taliter vilipendit & nihili ducit, vt indignum se fateatur qui dissoluat vel contingat corrigiam calceamenti eius. Soluere autem calceamenta, ait D. Chrysostomus in eundem locum, vilissimi serui officium est.

Nihil pulchrius animâ tinctâ nigredine humilitatis.

12. Fœlix anima quæ hac nigredine humilitatis est tincta, nihil certè illâ, pulchrius illâ splendidius excogitari potest, pulchra est sicut pelles cælestis illius Salomonis, pulchra est & splendida instar cuiusdam regni cælorum, cuius gerit ideam & similitudinem. Nihil etiam illâ animâ ditius, vnde dicit Richardus suprà citatus in hac humilitate; *pretiosum Christi thesaurum latere.* Sed quis hic thesaurus nisi Christi imitatio & diuinæ imaginis similitudo? *Nihil enim gloriosius* (inquit Pachas. lib. 6. in Matth.) *suis magister veritatis proponere potuit ad exemplum, quàm seipsum lumen æternum, qui est immortalis Rex gloriæ: gloriosum quidem est, si illum, quo nihil est locupletius, amplectimur per fidem, quæ per dilectionem operatur, vt vniuersis passionum conditionibus, vt ipsi fecerunt Apostoli adæquemur.* Similiter Tertull. in Scorp. c. 9. *Quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini & magistri.*

RICHARDVS.

PASCH.

Albedine superbiæ nihil abominabilius.

13. Sicut autem hac nigredine humilitatis nihil pulchrius, nihil ditius vel illustrius, ita albedine superbiæ in homine Christiano nihil abominabilius, nihil detestabilius. *Quid* enim (ait D. Bernard. serm. 1. in natali Domini) *magis indignum, quid detestandum amplius, quid grauiùs puniendum, quàm vt videns Deum cæli paruulum factum, vltra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentia est, vt vbi sese exinaniuit Maiestas, vermiculus infletur & tumescat.*

BERN.

Conari debemus vt Christi capitis nostri simus crines.

14. Vtinam obsequamur omnes & obaudiamus pulcherrimo monito D. Paulini epist. 4. qui postquam retulisset verba illa Cantic. 5. *Caput eius aurum optimum, coma capitis eius, elatæ palmarum, nigræ sicut coruus.* Subiungit. *Summa igitur ope enitamur, ita nos comparate, vt diuini capitis, quod nobis per gratiam Christus est, crines esse mereamur.* Quales præsertim sunt illi qui Christi exprimunt nigredinem & humilitatem, qui ob eam niger dicitur sicut coruus, quia non solùm suscepit similitudinem hominis, sed factus est etiam in similitudinem carnis peccati.

PAVLIN.

Sicut igneæ naturæ est granum synapis, ita Christianus debet ardere igne charitatis ad imitationem D. Pauli.

SECTIO XXX.

Granum synapis est igneæ naturæ: habeat Christianus ignem charitatis, tum Dei, tum proximi.

1. IGneæ naturæ est granum synapis, vt mirum sit tam minimum granum tantum continere ignem: Sic igneæ naturæ debet esse verus Christianus, id est, plenus charitatis ardore tam erga Deum, quàm erga proximum. Vis videre granum synapis, id est, hominem plenum ardore charitatis? In D. Paulum oculos conijce.

Sit plenus erga Deum amore.

2. Primò plenus erat erga Deum charitatis ardore. Tantus namque erat illius erga Deum Christumque ardor, vt maxima mala, maximaque tormenta, pro illis suscepta, quasi nihili faceret penitusque contemneret, vt aureè docet D. Chrysostomus homil. 2. de laud. Pauli. *Paulus*, ait, *præ deuotionis abundantiâ dolores pro virtute susceptos quodammodò non sensit, quin etiam virtutem ipsam pro mercede pensauit, quotidie celsior, quotidie assurgebat ardentior, ouans in omni impugnatione referebat victoriam, verberibus & iniurijs affectus triumphabat, mortem potius appetens quàm vitam: paupertatem potiùs quàm opulentiam, multum ampliùs laborem desiderans, quàm alij requiem: vrbes, gentes, prouincias, potestates, quasi arenam, vilia reputabat: horum quæ hic habentur, nihil asperum, nihil etiam suaue æstimabat: tyrannos quasi culices quosdam reputabat, mortem cruciatus, mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodò propter Christum aliquid sustineret: Adamas erat, ideò adamante durior & fortior, tamquam pennatus totum docendo peruolauit orbem & velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit, & quasi iam cælum possidens, cuncta prorsus terrena despexit.*

CHRYSOS.

3. *Qui igne Christi* (ait Chrysostomus homil. 52. in Acta) *captus fuerit, talis fit qualis esset homo solus super terram habitans: adeò nihil ei curæ est gloria & ignominia. Tentationes autem sic contemnit, & flagella & carceres quasi in alieno corpore pateretur, vel perinde ac si adamantinum possideret corpus. Quæ autem suauia sunt in hac vita, ita ridet & non sentit, sicut nos ipsi mortui, mortua corpora: & sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt, ita & affectiones animi illos accedere non audent.*

IDEM.

4. *Erat Paulus* (ait Cornelius in effigie S. Pauli, CORNEL.

Pauli, præfixa suis in Acta Apostolorum commentarijs) *quasi homo igneus, & quasi flamma immissa in stipulas & syluam, quæ quotidie proserpens, in maius, & maius semper crescebat incendium. Vnde sicut ignis non timet multitudinem stipularum, vel asperitatem, nec ab ea læditur, sed potiùs augetur omniaque in se conuertit; Ita Paulus nulla hominum, hostiumque copia, nullis minis & persecutionibus terrebatur, aut lædebatur: sed hæc omnia erant fomenta & flabra, quæ ignem hunc charitatis quotidie magis accendebant. Ille enim omnia deuorabat, & in se conuertebat.* Iuxta illud Cant. c. 8. *Fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Quanto amore plenus D. Paulus.

5. Tanto Paulus erat accensus amore, vt prouocauerit Roman. c. 8. hostes, ærumnas, pericula, diabolos, totumque infernum & mundum, quasi ad duellū pro amore Christi. *Quis*, ait, *nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames, an nuditas? an persecutio, an periculum, an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separe à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Quanta charitas Pauli erga proximum. CHRYSOS.

6. Quid iam de Pauli erga proximū charitate dicemus? *Sicut ferrum* (inquit Chrysost. homil. 3. de Pauli laudibus) *missum in ignem, totum ignis efficitur: sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas. Vnde nunc per epistolas, nunc per exhortationes, nunc per preces, nunc per minas, nunc per se, nunc per suos, omni studio conabatur erigere laborantes, stantes firmare, humi iacentes extollere, sanare contritos, torpentes animare, hostes retundere more optimi ducis militia, & medici? omnium officiorum personas & munia vnus ipse subibat.*

IDEM.

7. Idem fatus de corde Pauli, & de immensa illius erga omnes charitate, sic scribit hom. 32. in epist. ad Rom. *Cordis illius puluerem videre vellem: Quòd si quis totius orbis cor dixerit, & elementum primarium salutis nostræ, non errauerit. Cor istud adeò latum fuit, vt in se susceperit integras vrbes, populos & gentes. Cor enim, inquit, meum dilatatum est, sed vt latum fuerit, tamen sæpenumero occupauit, & pressit illud, quæ ipsum dilatabat dilectio. Ex multa quippe tribulatione, inquit, & anxietate cordis scripsi vobis. Et dissolutum etiam videre vellem cor istud, erga vnumquemque pereuntium, ac ignitum, secundò parturiens filiorum abortus, Deum videns, hostiam factum, calis ipsis sublimius, orbe latius, radijs solaribus exhilaratius, igne feruentius, adamante solidius* &c.

Mauult Paulus inter homines viuere quàm ad Dominum migrare.

8. Imò tantus Pauli in homines amor, vt cùm electio ei data esset ad Dominum transmigrandi, vel inter viuos permanendi, maluerit in viuis permanere, vt viuos lucrifaciat, quàm cum Christo in cælis fœliciter agere. Sensum hunc mentemque Pauli rimari possumus ex verbis eiusdē in epistolam ad Philip. 1. vbi sic scribit: *Quòd si viuere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. Coarctor autem de duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos, & hoc confidens scio, quia manebo & permanebo omnibus vobis, ad profectū vestrum.* In quæ verba sic Chrysostomus. *Magnū hic mysterium aperuit, nempe potestatem habere se abeundi* (per mortem.) *Quando enim datur & electio, potestatem habemus eligendorum. Quid eligam, inquit, ignoro, in tua ergo potestate est? vtique si voluero Deum orare gratiam, ignoro.* Posteà verò sic eum compellit. *Cùm Christo futurus es, & dicis, quid eligam, ignoro? & non solùm istud, sed & quod huius est vita eligis? nempe vt in carne maneas? Quamobrē? num acerbam vitā ducebas in vigilijs, in naufragijs, in fame, & siti, in nuditate, in curis ac solicitudinibus? Cum infirmis, infirmus eras, propter eos qui offendebantur, vrebaris? In multa patientia, inquit, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in ieiunijs, in paupertate. Quinquies, quadragenas, vnā minus accepisti, ter virgis cæsus, semel lapidatus, noctem & diem in profundo egisti, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus. Numquid quando vniuersa Galatarum gens ad legis esset obseruantiam regressa, clamabas, dicens: Quicumque in lege iustificamini à gratia excidistis, quantum quaso tum lugebas? & adhuc infœlicem hanc vitam desideras? Si namque nil horum tibi obtigisset, sed quidquid agebas, liberè & cum voluptate etiam patrasses: numquid oportebat incertitudinem futuri euentus metuentem, ad portum quendam cōfugere?* Et immediatè pòst, diuersis exemplis suam comparationē prosequitur, in hæc verba: *Quis mercator nauem habens, multis rerum copijs plenam, cùm liceat ad portum iam appellere, tutoq; acquiescere, adhuc tamen in mari nauigare mallet? Quis athleta cupiet amplius certare, cùm iam liceat coronari? Quis pugilum eliget, denuò certamen ingressus de suo ipsius capite periclitari: cùm iam si vellet coronam posset accipere? Quis est ille miles, qui cùm liceat iam cum celebritate, & trophæis à bello liberari, cùmque Rege in ipsis quiescere ac refocillari regijs, sustineat adhuc in bello & sudare & in aciem collocari?* Et resumens addit: *Quomodo ergo cupis adhuc in hac vita consistere, quam adeò amaram viuis? an non dicebas: Timeo ne quo pacto, cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar? etsi ob nullam aliam causam ob hanc certè liberationem desiderare oportebat. Et si innumeris bonis referta fuissent præsentia, propter Christum dilectum tamen & desideratum, ab illis liberatum iri concupiscendum fuerat.* Denique admirando concludit. *Papæ, quis est hic Apostoli animus? Nihil illi par vnquam vel fuit, vel erit. Futura metuis, innumeris malis obnoxius es, & apud Christum tamen esse non vis? Non, inquit,*

quit, atque id propter ipsum Christum, vt quos illi lucrifeci seruos, expeditiores constituam & solidiores, & vt agricolationem illam, quam plantaui, frugiferam reddam. Non audisti me, non quod mihi est vtile, sed quæ sunt proximorum quærentem. Hactenus Chrysostom. O maximam & feruidam illius erga proximum charitatem.

Charitas Pauli æthnę flammæ potest comparari.

9. Quod amplius. Tantus est charitatis Paulinæ ardor, vt vel æthnæ montis flammis planè inextinguibilibus comparari possit. De Elia ita scribit Eccli. c.48. *Surrexit Elias propheta quasi ignis, & verbū illius quasi facula ardebat.* An non idem de Paulo affirmari potest? Vis eum videre totum in ignē conuersum? vis cernere verba facularum, imò flammarum maximarum instar ardentia? Vide quid scribat Rom. 9. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto. Quoniā tristitia mihi magna est, & cōtinuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Quid ais Paule,* ait Chrysostomus, *nónne iam dixisti, quis nos separabit à charitate Christi? Imò, ait, quia amo Christum, cupio separari à fruitione Christi, vt plures, imò omnes eum ament & laudent* &c. En optat pro salute Iudæorum quos infensissimos infestissimosque hostes, terra marique patiebatur, à Christo esse anathema, atque auelli, non ab amore, sed à beatitudine & gloria Christi, optat, in æternū si opus est, excludi cælo, dummodo pareatur Iudæis:

Chrysos.

Quantò amplius (ait Chrysost. hom. 3. de laudibus S. Pauli) *efferebantur inimici, tantò, eorū magis miserebatur insaniam. Vt enim aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phrenesi comprehensum, cuius quantò magis conuitijs ictibusq́; pulsatur, tantò potiùs eum miseratur & deflet: Ita Paulus, qui ipsam magnitudinem passionum eorum à quibus affligebatur, æstimaret furorem, maiora illis adhibebat fomenta pietatis: sæpe lachrymabatur, vehementer pro illis dolebat, volentes illis insultare, prohibebat, excusabat. Mordebatur enim vehementer ac penitus dissecabatur, cùm eos pereuntes videret.*

Ex amoris ardore tantus zelus animarum in Paulo.

10. Ex ardore charitatis Paulinæ, nascebatur in illo ingens ardor æmulationis & zeli, tum diuini honoris, tum proximi salutis. Hinc illæ voces: 2. Cor. 11. *Æmulor enim vos Dei æmulatione, despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Et paulò inferiùs: *Quis infirmatur & ego non infirmor, quis scandalizatur & ego non vror,* vel incendor, tū dolore quasi meum esset malū, quod subit proximus cùm scandalizatur, tum zelo vt illum curem, & scandalum tollam. Vnde D. Gregor. hom. 12. in Ezech. in illud cap. 4. *Sume tibi sartaginem ferream,* putat per sartaginem significari animum Ezechielis, qui conspecta Hierosolymæ euersione, per compassionem quasi in sartagine frigeretur, eiusque rei à Deo admoneri, cùm iubetur inter se & vrbem sartaginem ponere, talemque fuisse D. Paulum cùm dixit: *Quis scandalizatur & ego non vror? Ipsum suum cor,* ait Greg. *quod animarum zelo succenderat, sartaginem fecerat Paulus, in quo amore virtutum contra vitia ardebat, & proximorum miserijs per compassionem frigebatur.*

Paulus plenus fidei ardore.

11. Fidei quoque ardore plenus erat D. Paulus præsertim ob insignem sanctissimæ Trinitatis fidem, quā vbique prædicauit. Thomas Messinghanus in vitā S. Patricij c.13. & 14. refert, eundem, dum ageret annum sextumdecimum, à pyratis fuisse captum, in Hiberniam adductum, ac cuidam Regulo Paganissimo, Milcho nomine, in seruum fuisse diuenditum. Aspiciebat in visu noctis Milcho memoratus: & ecce Patricius quasi totus igneus, domum suam ingrediebatur, flammaque de ore eius, & naribus, oculis, & auribus egressa ipsum cremare videbatur. Milcho verò comam flammigeram, à se repulit, nec ipsum vllatenus tangere præualuit: flamma diffusa dextrorsum diuertit, & duas filias eius paruulas, in vno lecto quiescentes arripiens, vsque ad cineres combussit. Auster denique perflans, cineres illos sursum eleuauit, & in plures partes Hiberniæ deportauit. Euigilans Milcho meditabatur secum in cubili suo, quid ponderis portaret, aut quid prodigij portenderet ista terribilis visio. In crastino, Patricio ad se accersito, narrauit somnium per ordinem, obsecrans, & obtestans, vt si sciret, sibi enodaret ipsius interpretationem. Patricius plenus gratiā Spiritus sancti respondit Milchoni: Ignis quem vidisti de me exire fides est sanctæ Trinitatis, quā totus illustror, quam & prædicare conabor. Sermo autem meus non capiet locum in te, quia cæcā mente lucem diuinæ gratiæ repelles à te, morierisque in tenebris infidelitatis tuæ. Filiæ autem tuæ ad prædicationem meam in Deum verum credent, ipsæque in sanctitate & iustitia omnibus deinceps diebus vitæ suæ Deo seruientes, sancto fine in Domino requiescent, ipsarū quoque cineres, scilicet reliquię, Domino reuelante, ac signa faciente, in multos fines Hiberniæ deferentur, ac sanitatum beneficia infirmis plurimis impartientur. Et verum est somnium & eius interpretatio quæ implebuntur in tempore suo. Hæc dicens Patricius abijt ad consuetum opus suum, cunctaque euenerunt posteà Milchoni, & filiabus eius secundum Patricij verbum. Sic ille. Si ob fidem sanctissimæ Trinitatis, quā illustrabatur Patricius, totus igneus apparebat, quid dicemus de S. Paulo? cur non ob eandem fidem totum igneū eundem affirmabimus? hoc igne fidei ac prædicationis suę, vis videre quot accéderit homines, quot extinxerit vitia? Audi Chrysost. homil. 4. de laud. Pauli. *Sicut radij solis orientibus, fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt se fures & latrones: sic prædicatione fulgente, & Euangelium disseminante Paulo,* Thomas Messinghanus. Chrysos.

Dddd *fugaba-*

fugabatur error, veritasq; remeabat, idololatria, ebrietates, comessationes, stupra, adulteria, aliaq; dictu fœda, defecerunt, atque consumpta sunt, instar ceræ ignis vapore pereuntis, & instar paltarum, quæ subito cremantur incendio.

Sicut granum synapis minimum est omnibus seminibus, ita Christianus se omnium existimare debet minimum.

SECTIO XXXI.

Christianus se minimum debet existimare in hominibus. Sic Dauid seipsum reputabat.

1. GRanum synapis, minimum est omnibus seminibus: Ita similiter Christianus se granum synapis cogitet, & minimum in hominibus. Sic Dauid quamuis maximus & clarissimus, variisque à Deo illustratus muneribus, & ad regiam dignitatem euectus, nihil tamen horum præ se ferens, oculos coniiciens in propriam abiectionem, solum nouit se, minimum vocare, & oui assimilare, iuxta illa eiusdem verba 2. Reg. 7. prout illa legit Chrysost. in eadem verba: *Quis sum ego Domine mi, quod talem gratiam inuenerim ante faciem tuam, ego enim minimus fui in tribu mea, & elegisti me ex ouibus.* Non solùm se minimum, sed & ouem nominat. *Videte*, ait Chrysostom. loco cit. *quomodo subiunxit humilitati innocentiam, vt cùm esset homo, diceret, elegisti me ex ouibus. Significabat enim illum pastorem bonum qui animam suam ponit pro ouibus suis, illum agnum Dei, qui venturus erat vt tolleret peccatum mundi.* De hac Dauidis humilitate verba faciens D. Chrysostomus hom. 26. in cap. 8. Matth. eamque in exemplum adducens, quemadmodum & Abraham, se cinerem dicentis, sic ait: *Age igitur, nos quoque quantum in virtute proficimus, tantum nosmetipsos amplius conteramus, quoniam & hoc magna omnino virtutis est. Sicut enim quantò acutiùs viderimus, tantò magis discimus, quàm longè à cœli regione distamus: sic etiam quantò superiùs ascendimus excelsum, tantò ampliùs docemur, quàm sit inter nos & Deum grande discrimen. Nec sanè minima pars est ista philosophiæ, meritum suum posse dignoscere. Ille est maximè seipsum sciens, qui se esse nihil existimat. Propterea quippe & Dauid & Abraham, postquam ad summum iam fastigium virtutis euaserant, tunc istud quod dico præcipuè videntur impleße. Nam vnus quidem se esse dixit cinerem, alter verò se vermem vocabat, & cuncti omnino sancti horum se more deiiciunt. Sic etiam Paulus, nam & abortiuum se, & minimum sanctorum vocabat, & ne appellatione quidem Apostoli dignum se esse dicebat, post tot certè illas, tantasq; virtutes. Hunc igitur æmulemur atque ardenter imitemur.* Eodem spiritu dicebat Ieremias Thren. cap. 3. *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius.* Ecce quàm infimè de se sentiat, ecce quàm pro minimo se habeat inter tantas pessimorum hominum copias, nihil videt quàm propriam paupertatem, propriamque miseriam, vnum inter omnes se reputat pauperem, cæteros quosque vel non respicit, vel fortes & stabiles credit, de propriæ conscientiæ miseria dubitat, cui vni nec fidit, nec se credit. Pulchrè Rupert. li. de operibus Trin. 1. c. 59. *Tantum*, ait, *in me vertit, & conuertit manum suam. Quid dicam de mea causa propria, de propriæ conscientiæ miseria? Cæteri viuunt, cæteri quos video homines sunt. Et quidquid de illis sit, tantum de me scio. Igitur quod satis est, quod imitabile foret dicere maluit. Ego videns paupertatem meam.* Paulus cùm se minimum Apostolorum iudicaret, imò indignum qui vocaretur Apostolus, vt vel ipso nomine demonstraret & testaretur, se in oculis propriis omnium minimum esse, Saulis nomē regium, in Pauli commutauit, vtpote deriuatum à latino aduerbio, *Paulò*, id est, modicò, vt indicat D. August. serm. 93. de diuers. *Cùm vocatus esset de cœlo; vocatus, prostratus, mutatus, vbi cœpit Apostolus prædicare verbum Dei: mutauit sibi nomen, & dixit se Paulum. Et hoc quare elegit? Quia Paulus modicus est. Paulus paruus est. Nos solemus sic loqui, videbo te post paulùm, id est, post modicùm.*

CHRYSOS. RVPERT. AVGVST.

2. Huc tendit sana illa Christi admonitio vt recumbamus in nouissimo loco, nimirum vt omnium minimos nos æstimemus, nec alicui nos præferamus. *Propterea*, ait D. Bern. ser. 87. in Cant. *non mediocrem, non penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum nos voluit Dominus, sed recumbe, inquit, in nouissimo loco, vt solus videlicet omnium nouissimus sedeas, teq; nemini, non dico præponas, sed nec comparare præsumas.*

Recumbendum in nouissimo loco. BERN.

3. Vis scire quantum boni homini accrescat dum se minimum æstimat? In primis hac ratione certissimam sibi parat ad salutem viam; quantumuis etiam maximis oneretur peccatis, iuxta illud D. Chrysost. in Catena Lucæ c. 18. *Si mille*, ait, *feras in conscientia faces reatuū, & hoc solùm de te credas, quòd es infimus omnium, multam obtinebis ante Deum fiduciam.* Hæc ille. E contra licet pluribus maximisque fulgeas virtutibus, si vel vni te præponas, si vel grauissimum contemnas peccatorem, omnia perdis. An non ieiunator ille & tantarum virtutum patrator Pharisæus Lucæ 18. hoc vno vitio reus despicitur à Deo, quod se latroni præferret, dum ait: *Non sum sicut hic publicanus?* Id quod expendit D. Chrysost. hom. 12. in ep. ad Tim. 2. *Quid oro Publicano deterius? At cùm esset innumeris peccatis obnoxius Pharisæusq;, id solùm diceret, non sum sicut Publicanus iste, omnia perdidit.*

Quantum boni accrescit homini dum se minimum reputat. CHRYSOS. IDEM.

4. Dum

Quid acciderit Petro dum se aliis prætulit.

4. Dum D. Petrus se omnium maximè infirmum & in virtute minimum indicat, dicenteque Christo, *vnus vestrûm me traditurus est*, primus sibi suspectus est dicens: *Nunquid ego sum Domine*, firmus prorsus & immobilis in via Dei consistit. Sed quid illi accidit dum se cæteris prætulit, & prædicenti Domino omnium Apostolorum scandalum, respondit, *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor?* tunc præ cæteris omnibus turpiùs cecidit. Vnde Origenes: *Alij discipuli scandalizati sunt in Iesu, Petrus autem non solùm scandalizatur, sed abundantiùs relinquitur, vt ter negaret* &c. Vnde rectissimè D. Bernardus sermone 37. in Cantic. *Non est periculum, quantumcumque te humilies, quantumcumq; reputes minorem, quàm sis, hoc est quàm te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumq́, periculum, si vel modicè plus vero te extollas, si vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare (vt ad intelligentiam loquar) nimiùm bassum sit non nocet quantumcumque te inclinaueris, nocet autem si vel transuersi digiti spatio plus quàm ostij patitur mensura erexeris, ita vt impingas, & capite quassato collidaris: sic in anima non est planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumq́ue pauenda vel minima temere præsumpta erectio. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim ô homo, si vnus ille quem fortè omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres, & propterea illum putas spernendum non modò præ te, qui fortè iam sobriè, & iustè & piè viuere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum: quid scis, inquam, si melior & te & illis mutatione dextera excelsi in se quidem futurus sit, in Deo vero iam sit?* Hactenus D. Bernard.

Orig.

Bern.

In minimis maxima à periculis securitas.

5. In magnis maxima pericula, in minimis maxima à periculis securitas, Genesis capite 19. vt Loth sodomitici incendij euadat pericula, & propriam salutem firmiorem reddat, sic angelum eductorem precatur. *Est ciuitas hic iuxta ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea, nunquid non modica est, & viuit anima mea?* In quæ verba sic Chrysostomus homil. 6. de humilitate Christiana sic ait: *Vnum ergo minimum de sodomiticis vrbibus oppidum ad salutis refugium donari sibi poscit à Domino. Et qui altiora petere vitauit; minima autem pro multis petere elegit, in magnis periclitans in exiguo obtinet.*

Chrysos.

Gratissimũ Deo si cum simus maximi nos minimos æstimamus.

6. Nihil gratius Deo quàm vt se quis licet virtutibus maximum, minimum tamen & omnium infimum iudicet, vt testatur D. Hieronymus in epist. ad Celantiam. *Sit, ait, animus humilis, ac mitis, & aduersus sola vitia erectus. Nunquam illum aut superbia extollat, aut auaritia inflectat, aut ira præcipitet. Nihil enim quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius ea mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est, quem non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta delectant, sed anima ornata virtutibus. Ideo & templum Dei sanctorum corda dicuntur, affirmante Apostolo, qui ait: Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius. Hæc est enim præcipua conseruatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium: nihilq́, est quòd nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus* &c.

Hieron.

Quò etiam referri possunt, verba Diui Gregorij 18. mor. 20. exponentis illud Iob cap. 28. *Omne pretiosum vidit oculus eius, oculus scilicet Dei: Sciendum*, ait, *est, quia tantò vnaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quantò præ amore veritatis despectior fuerit, ante oculos suos. Hinc ad Saül dicitur: Nónne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? ac si apertè diceret, Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi: sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi. Vnde & per Prophetam dicitur: Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Tantò fit quisque vilior Deo, quantò pretiosior sibi: tantò pretiosior Deo, quantò propter eum vilior sibi, quia humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Tam placet sibi in hisce minimis Deus, vt ab eisdem se facilè sinat trahi, atque in eisdem libentissimè commoretur. Cantic. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Modò erat Deus in alto regalis maiestatis accubitu, sublimis, & eleuatus regio visebatur in throno, & subitò medio sponsæ in pectore, vt fasciculus apparet, quis tam subitã, & præproperam Dei apparitionẽ inter sponsæ verba causauit? Ipsa explicabat dicens: *Nardus mea dedit odorem suum.* Nardus est D. Bernardo, & aliis Patribus humilis affectus sponsæ, quæ humilitas vbi nostris animis applicatur, mihi Deum apparere facit. Pulchrè Bernard. serm. 43. in Cant. *Ante in accubitu regio, modò inter sponsæ vbera. Magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis maiestas tam facilè se inclinat.* Adde humilitatem, & non poterit in te non videri diuinitas. Quò spectabat S. Isaac Presbyter lib. de mundi contemptu cap. 13. inquiens: *Vilipende teipsum & videbis gloriam Dei in temetipso. Nam vbicumque humilitas nascitur, ibi gloria oritur Dei. Quod si habes humilitatem in corde tuo, ostendet sibi Deus gloriam in corde tuo.*

Greg.

Bern.

Idem.

Isaac.

7. Sic minimi, maximi coram Deo, nam vt scribit Chrysologus serm. 22. premens illa Christi verba Luc. 11. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusillus mundo, magnus Deo; pusillos quia gloriosos vocat eos, quos instituit*

Minimi maximi coram Deo.

Chrysol.

instituit ad ouium innocentiam & mansuetudinem Christianam &c. Idipsum docet Diuus Gregor. homil. 7. in Euang. simul praxim insinuans, quâ assequatur quispiam vt de se non altè, sed submissè sentiat. *Cùm*, ait, *bona agitis, semper ad memoriam malè acta reuocate, vt dum cautè culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus latetur. Superiores inuicem in via Dei eos maximè qui vobis commissi non sunt, proximos vestros attendite, quia & quos agere aliqua praua conspicitis, quæ in eis lateant bona nescitis. Magnus ergo vnusquisq; esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat, ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat intus quod erat. Hinc etenim per Prophetam dicitur. Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Hinc Paulus ait: Nolite prudentes esse apud vosmetipsos. Hinc contra superbientem Saul dicitur: Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. Ac si apertè diceretur: Cùm tu te paruulum conspiceres, ego te præ cæteris magnum feci. Quia verò te tu magnum conspicis, à me paruus æstimaris. Quo contra cùm Dauid regni sui potentiam coram arca fœderis Domini saltando despiceret, dixit: Ludam & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, vrsorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni tabernacula vngi, timendum cunctis vno lapide Goliam sternere, à rege proposita extinctis allophylis numerosa præputia reportare, regnum ex promissione percipere, cunctumq; Israeliticum populum sine vlla postmodum contradictione possidere? Et tamen in cunctis se despicit, qui in suis oculis se esse humilem confitetur*, &c.

GREG. | Isaiæ 5. | Rom. 12. | 1. Reg. 15.

Non alia ad magnitudinem via quàm per humilitatem. Exemplum habemus in Christo.

8. Neque mirum minimos maximos esse coram Deo, neque enim alia est ad magnitudinem veram via, quàm per humilitatem & sui despectionem. An non per humilitatem venit ad propriam exaltationem Christus. Paulus certè Philip. 2. id apertè testatur: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Quem, ô Paule exaltauit Deus? Hominem illum Dei filium, qui humiliatus est, ita vt qui in natura assumpta humiliatus est, in eadem superexaltationem (hoc enim sonat dictio Græca) id est, maximam & insignem exaltationem acciperet. Quæ verò fuit eius exaltatio? Quòd à mortuis excitatus est; quod immortalitate donatus, quòd gloriam & claritatem, & maiestatem indutus, quòd ad dexteram Patris euectus. Et quod nomen illi datum super omne nomen? Quòd vocetur Iesus, id est, mundi totius salus, & hoc eius nomen toto orbe celebratur; quòd ab omnibus Pater, & Princeps, & initium salutis habeatur: & non sit aliud nomen datum hominibus, in quod oporteat illos saluos fieri, nisi nomen, quo ipse filius Dei creditur, adoratur, & colitur. Sed perge, Paule, & expone nobis illud: *Propter quod.* Quam, inquam, ob causam Pater extulit Christum, & nomen illi dedit, cui omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum flecteretur? An quia humiliauit se? Sed si ita est iam habemus, quod quærimus, caput scilicet nostrum humilitate ascendisse. An quia factus fuit obediens vsque ad mortem? sed quomodo potuisset obedire, qui non fuisset humilis, aut quomodo potest obedientia, quæ spontanea subiectio est, ab humilitate seiungi? Quanam ratione potest, qui cùm immortalis esset, infirmitatem mortalitatis voluntariæ suscepit, sine eximia humilitate cogitari? An quia obediuit vsque ad mortem crucis (quod amplius est) vsque ad sustinendam nempe mortem turpissimam, probrosissimam, & molestissimam, de qua dictum est in libro Sapientiæ: *Morte turpissima condemnemus eum?* Sed quo pacto abiectissimam ipse mortem sustinuisset, si non etiam supra omnem captum nostrum suam Maiestatem humiliasset? Ergo humilitas fuit illius exaltationis causa; humilitas Christum sublimauit, humilitas extulit, humilitas non solùm nobis amabilem, sed & honorabilem fecit. Augustinus tract. 105. in Ioan. *Vt mediator Dei & hominum, Christus Iesus resurrectione clarificaretur, vel glorificaretur, prius humiliatus est in passione. Non enim à mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset; Humilitas claritatis est meritum: claritas humilitatis est præmium.* Et Anselmus: *Ipse se tantum humiliauit, vt vltra non posset, propter quod & Deus exaltauit illum, vt vltra non posset.* Sicut ergo Christus per humilitatem venit ad hanc nominis magnitudinem, & superexaltationem, ita & humiles, & qui se pro minimis habent & gerunt, viam tenent quâ ad maxima securè peruenitur. *Si quis vult primus esse*, ait Christus Marc. 9. *erit omnium nouissimus.* Ac si dixisset: Parentes vestri secundum carnem, ô mei discipuli, à quibus naturæ originem trahitis, volentes esse primi, & Dei similitudinem non debitam cupientes, nouissimi, ac omnium miserrimi facti sunt. Vos itaque nouissimum è contrario locum eligite, & per veram humilitatem vos despicabiles reputate, vt ad primum locum à quo illi ceciderant, ascendatis. *Amputauit profectò ille*, vt inquit S. Martyr, & egregius doctor Cyprianus de zelo & liuore, *omnem æmulationem responso suo, omnem causam & materiam mordacis inuidiæ eruit, & abscidit. Discipulo Christi zelare non licet, non licet inuidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio, de humilitate ad summa crescimus, didicimus vnde placeamus.*

AVGVST. | ANSELM. | CYPRIANVS.

Humiles soli verâ gaudent magnitudine.

9. Quod amplius non mirum hosce minimos reputari à Deo, nam verè maximi sunt & soli vera gaudent magnitudine eorumque comparatione, quos mundus magnos æstimat, pusilli prorsus sunt, & nullius momenti homines. Equidem iudico

magnos

magnos non tam metiendos esse diuitijs aut temporali potestate, quàm magnanimitate, & studijs præcelsis, ac desiderio virtutis. Quorum studia præcelsiora quàm humilium, qui despecta sæculi huius falsa altitudine, veram illam consectantur, quæ in eo sita, vt homo se Deo creatori & factori suo subijciat, vt docet D. August. 14. de ciuit. Dei cap. 13. hisce verbis: *Bonum est enim sursum habere cor: non tamen ad seipsum, quod est superbiæ, sed ad Dominum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis miro modo, quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor. Hoc quidem quasi contrarium videtur, vt elatio sit deorsum, & humilitas sursum. Sed pia humilitas facit subditum superiori, nihil est autem superius Deo, & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem, quæ in vitio est, eo ipso, quo respuit subiectionem, & cadit ab illo, quo non est quidquam superius, & ex hoc erit inferius, & fit quod scriptum est: Deiecisti eos dum extollerentur. Non enim ait, cùm elati fuissent, vt prius extollerentur, & postea deijcerentur: sed cùm extollerentur, tunc deiecti sunt. Ipsum quippe extolli, iam deijci est.* Quia ergo humiles planè ac perfectè Deo subiecti sunt, ideo magni & sublimes sunt. Si enim sublimitas est, in regno terreno regi immediatè subijci, & nullum alium superiorem nisi Regem agnoscere, quàm maior sublimitas erit, nec regibus huius sæculi subijci, sed solum Deum Regem omnium Regum superiorem habere? Hanc sublimitatem, & altitudinem consecuti sunt humiles: non quia non subsint prælatis, & superioribus suis, aut quia non præceptis, & legibus teneantur, quis hoc nisi insanus dicat? sed quia in Prælatis, & Regibus Dei imaginem contemplantur, & in illis Deo obediunt, & illi se subjciunt.

AVGVST.

Humiles contemnũt, quæ magnates mũdi magni faciunt.

10. Magnum est, quæ magnates huius sæculi magna existimant, parua æstimare, & vt vilia & nullius pretij contemnere. Sed hæc contemnunt humiles, qui honores, & dignitates huius temporis prorsus indignas iudicant, in quibus amor nostræ mentis collocetur. *Nunquam maior est animus* ait Seneca epist. 80. *quàm vbi aliena deposuit, & fecit sibi pacem.* Et quid honores, quid dignitates, quid diuitiæ, quid voluptates, an non aliena & homini extranea? Verè ergo magnus illius est animus qui hæc deposuit, vt veris fruatur honoribus, veris diuitiis & voluptatibus, vtpote homini maximè propriis & intrinsecis: Fulgentius applaudens Theodoro de conuersione à sæculo, deque nuntio remisso huius sæculi pompis, sic epist. 6. inter alia alloquitur: *Multum gaudeo, quòd iam sæcularis dilectionis nexibus non teneris, & mundum contemnendo calcas, à quo cùm eum diligeres, calcabaris. Nunc verò consulatu proueheris, & nunc felici triumpho certissimo sublimaris, non cui populus Romanus applaudat, sed cui angelicus cœtus adgaudeat.* &c. Ac si dicat: Nunc felicissimè & certissimè triumphas, qui Consulatum, triumphos, & quidquid splendet in mundo, conculcasti, vt enim cùm horum delectatione tenebaris illis subiectus, atque substratus, te ipso minor eras, ita cùm hæc despiciens, pedibus subiecisti, & in ea tibi substrata ascendisti, maior quidem atque sublimior necessaria ratione effectus es.

SENECA.

FVLGENTIVS.

Magnum est, non nisi magna amare bona.

11. Magnum est non nisi magna, solida, veraque amare bona, & non puerorum more distentum esse rebus vilibus, lemusculis, nulliusque momenti. At hoc egregiè peragunt humiles; ergo verè magni & maximi. *Angustum est cor,* ait Gilbertus serm. 29. in Cantic. *quod finem votorum intra temporalis iucunditatis metas contrahit, nesciens spem ad æterna dilatare.* Et Seneca in consolatione ad Heluiam cap. 9. *Angustus animus est, quem terrena delectant.* Idem epist. 91. Alexandrum, Magni, cognomẽ sibi vendicantem, infelicem asserit, quòd tam turpi mentis errore laboraret, vt non animaduerteret, neminem in paruo magnum esse posse: *Ita dico,* ait, *infelix ob hoc, quòd intelligere debebat falsum se gerere cognomen. Quis enim esse magnus in pusillo potest?* Idem mortalium dementiam admirans & deridens ob terræ particulas inter sese digladiantes & altercantes, sic scribit lib. 1. quæst. nat. *Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur. O quàm ridiculi sunt mortalium termini?* Et paulò pòst: *Punctum est istud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis.* Ita ille. Et lib. 3. quæst. natur. *Magna ista, quia parui sumus credimus: multis rebus non ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est.* An non hi verè paruuli? Attestatur sanè Chrysostom. hom. 36. in 1. ad Corinth. 14. 20. premens ea Apostoli verba. *Nolite pueri effici sensibus;* ait: *Parui enim pueri parua quidem hianti ore stupent & mirantur, rerum autem valde magnarum non tanta tenentur admiratione,* &c. An tales sunt humiles & qui se minimos reputant? Absit, hi verè magni, verè viri, eorum quilibet illud Pauli 1. Corinth. 3. vsurpat: *Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus; sapiebam vt paruulus; cogitabam vt paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Pulchrè, *quando factus sum vir;* cùm nimirum diuina luce perfusus spiritualibus tantùm bonis inhærere, & conuersationem in cælis habere cæpi: antea enim cogitationibus, sensu, verbis, cupiditatibus, atque affectibus in terrena propendentibus, paruulus, atque infans eram.

GILBERT.

CHRYSOS.

Magnum est omnem vanum deposuisse timorem.

12. Magnum est omnem vanum deposuisse timorem, nec timere eos qui corpus occidunt, & posthæc non habent quidquam; magnum est non alieno, sed suo magnum esse: magnum est, infra Deum, illiusque dona & promissa nihil æstimare. At hæc omnia præstant humiles & minimi

 isti,

isti, ergo verè magni sunt iudicandi. Bene ad hæc Seneca epist.76. perstringens hominum secularium peruersum iudicium, dum ex adiectitijs bonis hominem magnum iudicant. *Nemo, ait, ex illis quos purpuratos vides, felix est, non magis quàm ex illis, quibus sceptrum, & chlamydem in scena fabula assignat, cùm præsente populo elati incesserunt, & cothurnati simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Nemo istorum, quos diuitiæ, honoresq; in altiori fastigio ponunt magnus est, quare ergo magnus videtur? Cum basi illum sua metiris; non est magnus pumilio, licet in monte constiterit: Colossus magnitudinem suam seruabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, sic nobis imponitur, quòd neminem æstimamus eo, quod est, sed adijcimus illi & ea, quibus adornatus est. Atqui cùm voles verã hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice; ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat: animum intuere, qualis, quantusq; sit, alieno an suo magnus: si erectis oculis gladios micantes videt, & si scit nihil sua interesse, vtrum anima per os, an per iugulum exeat, Beatum voca.* Hæc Seneca.

13. Magnum est, ob huius vitæ aduersitates, de statu mentis non dimoueri, non conturbari, sed placido pectore iugi bonæ mentis conuiuio indesinenter frui. Et cui hoc concessum, an non humilibus, & se totos Deo eiusque nutui subiicientibus? De verè humili & minimo dici potest, quod de Sapiente, quem sibi somniabat, dicebat Seneca epist.120. *Nunquam enim vir ille perfectus, adeptusq; virtutem, fortunæ maledixit, nunquam accidentia tristis excepit; ciuem esse se vniuersi, & militem credens, labores velut imperatos subijt. Quidquid inciderat, non tanquam malum aspernatus est, & in se casu delatum, sed quasi delegatum sibi. Hoc qualecunque est, inquit, meum est, asperum est, durum est, in ipso nauemus operam. Necessariò itaque magnus apparuit, qui nunquam malis ingemuit, nunquam de fato suo questus est, fecit multis intellectum sui, & non aliter quàm in tenebris lumen effulsit: aduertitq; in se omnium animos, cùm esset placidus & lenis, & humanis, diuinisq; rebus pariter æquus.* Hactenus Seneca.

14. Magnum est ad iniurias, ad contumelias, ad opprobria surdum esse, neque illis percelli, & de statu mentis deijci. Et quis ad hæc tam idoneus? Certè non alius quàm qui humilitate præditus est, & in albo minimorum constitutus est. Seneca lib.2. de ira cap. 34. *Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem, vt mures, & formicæ, ad quas si manum admoueris, ora conuertunt,* &c. *Imbecilla* (ait idem Philosophus) *se lædi putant, si tanguntur,* &c. Tangis formicam, tangis murem, tangis gallinam non ferunt: imbecilla animantia sunt, lædi se putant. Tangis equum, tangis elephantem, animantia valida, mansuetè patiuntur. Similem in modum, homines quos mundus magnos reputat, animi pusilli, formicis, gallinisque similes, si vel verbo tangantur, non ferunt, lædi se credunt. Humiles verò ingentibus Elephantis, equisque generosis similes, etsi millies tangantur, iniuriisque appetantur, generosè tolerant: iniurias despiciunt, contumelias veluti catulorum latratus non curant. Idem Seneca eodem libr. c.32. *Ille, inquit, magnus, & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus obaudit* &c.

15. Magnum est affectionibus non seruire, affectionum seruum non esse. Magna certè est anima, quæ nec honoris vento, & auræ popularis distenditur, nec voluptatibus ac deliciis impletur, nec rerum temporalium abundantiâ satiatur, sed solus Deus, incomprehensibile vtique bonum, eam replet, ac saturat. O quanta magnitudo solum Deum quærere, solum appetere, solo Deo expleri posse, & alia omnia tanquam arida alimenta, & quæ sustentare non valent, auersari? Pulchrè D. Chrysostomus hom. 48. in Apost. *Magna re vera est anima si affectioni non seruit.* Talis est anima viri minimi & humilis. An iam miraberis, solos minimos, maximos apud Deum existere, & pro maximis reputari?

16. Tanti sunt tamque magni in Dei cõspectu humiles, vt non aliunde videantur auspicari posse diuinæ germanitatis signa quàm ex humilitate. Matth.25. dicebat Iesus: *Quod fecisti vni ex minimis fratribus meis.* Quid Domine Iesu minimis istis cum regia & diuina tua celsitudine ac maiestate? An non præstaret signa germanitatis trahere & eruere ex titulis, honoribus, diuitiis, & aliorum seruientium tibi donariis & præeminentiis? Nihil minus, nihil maius humilitate in oculis diuinis, nihil illa fortius, regalius, diuinius; quia humiles, quia minimi, ideo fratres. *Quid ais?* ait D.Chrysost. *si fratres tui sunt, quomodo minimos eos appellas? Immo verò ideo fratres, quia humiles, quia abiecti,* &c.

17. Non more hominum de hominibus iudicat Deus, an parui an magni, homines enim extrinseca expendunt, Deus autem cor & interiora intuetur, iuxta illud Dei ad Samuelem: *Neque iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea quæ parent.* Mole quidem & magnitudine externa, humiles sunt maximè parui, pusilli, ac despecti: at si virtutem & animum introspicias, nihil illis maius, nihil generosius. Mysterio plena fuit vox illa cæci hominis apud Marcum cap.8. *Video homines, velut arbores ambulantes.* Non enim aliter humana cæcitas videt homines, nisi vt videt, & æstimat arbores, nimirum ex altitudine, ex proceritate. Vt arbor æstimatur in oculis hominum, quia altior, quia procerior, sic cætera omnia humana in eisdem oculis quò altiora, & proceriora, eò gratiora apparent. Sed hæc hominum cæcutientium visio est & sensu paruu-

[Marginalia: Senec. — Magnum est ob aduersitates de statu mentis non dimoueri. — Seneca. — Magnum est ad opprobria surdum esse. — Seneca. — Idem. — Magnum est, non seruire affectionibus. — Chrysost. — Diuinæ generationis signa ex humilitate. — Chrysost. — Si virtutem attendas, nihil maius humilibus.]

CHRYSOS. paruulorum. Quò spectans D. Chrysost. hom.7, in Ps. 50. ait: *Si ergo videris virum, aut mulierem speciosam, ne admireris; nam & robore arbores, & densa sunt folijs, & altitudine excelsa*, &c. Deus ergo cùm animum & cor humilium intueatur, nihil cernens illo augustius ac regalius, meritò eos in numerum fratrum adscribit, germanitatis in illis signa agnoscens.

In minimis quàm mirabilem se exhibeat Christus.

18. Quis iam referat quàm in hisce minimis fratribus suis Deus se mirabilem exhibeat. Ars in minimis maximè mirabilis. An non mirum illius opificium, qui tam minutis characteribus descripsit in membrana Iliadem Homeri, vt nuci eam includeret, vt refert Plinius lib 7. cap. 21. An non mirabile & stupendum opificium Callicratis & Myrmecidis? de illo loco citato

PLINIVS. referente Plinio, quòd ex ebore formicas & alia tam parua fecerit animalia, vt partes eorum à cæteris cerni non possent, de hoc verò quòd quadrigam ex eadem materia fecerit quam musca integeret alis, & nauem fabricarit, quam apicula pennis absconderit. Natura, vel potiùs naturæ auctor vbi operosior vel mirabilior, quàm in minimis? Eccles. cap. 11. *Breuis*, siue parua, *est in volatilibus apis, & initium siue principatum dulcoris habet fructus eius.* Hinc ista vox apum:

Magna etenim est nobis in paruo corpore virtus.

Porrò Virgilius lib. 4. Georg. apibus esse, vel habere quid numinis asserit:

Esse apibus partem diuinæ mentis, & haustus
Æthereos dixere: Deum namque ire per omnes
Terrasq; tractusq; maris, &c.

Naturæ opificium nusquam præstantius, atque in paruis.

PLINIVS.

Nusquam naturæ opificium spectatius reperiri quàm in paruis minutis & insectis animalculis, docet Plinius lib. 11. cap. 2. *In magnis, ait, corporibus aut certè maioribus, facilis officina sequaci materia fuit. In his tam paruis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio, vbi tot sensus collocauit in culice? Et sunt alia dictu minora. Sed vbi visum in eo prætendit? vbi gustatum applicauit? vbi odoratum inseruit? vbi verò truculentam illam & portione maximam vocem ingenerauit? qua sublimitate pennas adnexuit, prælongauit pedum crura? disposuit ieiunam caueam vti aluum? auitam sanguinis, & potissimum humani sitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori, quo spiculauit ingenio? Atque vt in capaci, cum cerni non possit exilitas, ita reciproca geminauit arte, vel fodiendo acuminatum pariter, sorbendoq; esset fistulosum. Quos teredini ad perforanda robora cum sono teste dentes affixit? potissimumq; è ligno cibatum fecit. Sed turrigeros Elephantorum miramur humeros taurorumq; colla, & truces in sublime iactus tigrium rapinas, leonum iubas, cùm rerum natura nusquam magis, quàm in minimis, tota sit.* Hactenus ille.

AVGVST. 19. Idipsum etiam animaduertit D. August. epist. 3. ad Volusianum, dùm sic scribit: *Neque enim mole sed virtute magnus est Deus, qui prouidentiâ suâ meliorem sensum magis formiculis & apiculis dedit quàm asinis & camelis: qui ex grano minutissimo seminis tantam ficulneæ arboris magnitudinem creat, cum ex multò maioribus seminibus longè maiora multa nascantur: qui pupillam tam paruam ditauit acie, quâ per oculos emicante, in ictu temporis cælum prope dimidium lustraret: qui ex puncto & quasi centro cerebri sensus omnes quinaria distributione diffudit: qui corde membro tam exiguo vitalem motum per corporis cuncta dispensat. his atque huiusmodi rebus, insinuans magna de minimis qui non est paruus in paruis.* Idem lib. 22. Ciuit. cap. 24. percurrens animalia omnia magna & parua à Deo condita, subdit: *Quorum illa plus habent admirationis, quæ molis minimum. Plus enim formicularum, & apicularum opera stupemus, quàm immensa corpora balænarum.*

20. Præclarè Sapiēs Prou. 30. 24. *Quatuor*, ait, *sunt minima terræ, & ipsa sunt sapiētiora sapientioribus. Formica populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi. Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum. Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.*

21. Si quis plura de minimorum laude desideret, videat Cornelium in procemio CORN. ad minores Prophetas, & in illud Zachar. cap. 4 *Quis enim despexit dies paruos.* Quo loco ex Iordano Bruno lib. 1. de triplici minimo, cap. 2. hæc in medium adfert paradoxa, imò axiomata: *Minimum substantia rerum est; quia maxima quaque ex minimo, in minimo, ad minimum sunt, per minimumq;. Maximum non est aliud, quàm minimum iteratum & multiplicatum, vt numerus non est aliud, quàm vnitas multiplicata. Tolle ergo vndique minimum, vbique nihil erit. Ex monade incipit omnis numerus crescitq;, & in monadem desinit. Aufer vndique monadem, nusquam erit numerus, nihil numerabile, nullus numerator. Sic ergo monas est essentia numeri, punctum lineæ, momentum temporis, atomus corporis & compositi. Natiuitas est expansio monadis, & centri vita est consistentia sphæræ; Mors est contractio in centrum. Ex minimo incipit & crescit omnis magnitudo, eademq; rursum in minimum extenuatur & desinit*, &c. Si tam mirabilis Deus in minimis naturæ, quid dicendum de humilibus, qui minimi per propriam sui cognitionem, & diuinæ gratiæ illuminationem. *Ad sacræ humilitatis commendationem*, dicere solitum P. Cornelium Vishanæum virum religiosum testatur Cornelius loco proximè citato, *gaudere Deum res ex nihilo facere, quòd is modus infinitæ eius virtutis proprius sit, & clariùs eam prodat. Vt igitur hanc rerum vniuersitatem, & pulcherrimam speciem ex nihilo procreauit, ita in animis hominum mundum ornatumq; virtutum ex nihilo, id est ex humilitate, quâ suum quisque nihilum profiteatur, efficere: superbos infinitis tentationibus*

tionibus subiacere, quod id Deus permittat, vt diffidere sibi discant. Perinde enim Deum facere, atque magnaminus rex, qui quamdiu fidentem sibi hostem videt, oppugnare non cessat: prostrato verò cadentiq; ac manus danti clementer ignoscit, &c.

Magnus esse vis à minimo incipe. AVGVST. 22. Hæc cùm ita se habeant, præclarè certè Diuus Augustinus sermone 10. de verbis Domini: *Magnus esse vis? à minimo accipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quantò erit maius ædificium, tantò altius fodit fundamentum.* Bene quoque Cornelius in proœmio in minores Prophetas: *Gaudet natura, aquè ac Deus qui est natura naturans auctorque naturæ, magna, imò magnitudinem suam imminuere, contrahere & coarctare ad parua, vt ibi vnita densetur, eoque magis resplendeat, quò in minori minor esse gestit. Quid maius microcosmo & vniuerso? Hoc tamen Deus totum collegit in homine, dum eum microcosmum effecit. Quid sublimius verbo æterno, Dei filio? Hic tamen in infantili, corpore integer inhabitare voluit, eique se adæquauit. Hoc est verbum abbreuiatum portentum sæculorum, de quo Apostol. Rom. 9. ait: Verbum breuiatum faciet Dominus super terram. Nam vt de eodem vaticinatus est Isaias cap. 10. 22. Consummatio abbreuiata mundabit iustitiam. Quid magnificentius Christo, vero Deo & homine? & tamen ipse in exigua Eucharistiæ hostia, imò in quolibet eius puncto totum se sistit. Magnus ergo esse cupis? Deum imitare: ab eo viam & modum grandescendi disce: Humilia, abbreuia, coarcta te, & magnus euades, Deoq; similis. Sic Angelus in punctum loci se contrahit: sic & anima tota est in qualibet corporis particula.* Receptura, inquit B. Teresia à Deo gratiam aliquam singularem, soleo priùs annihilari, puta in meum nihilum deduci, vt videar mihi nihil esse, nihil posse, vt refert P. Franciscus Ribera in eius vita. FRANCISCVS RIBERA. Huius rei illustre exemplum & speculum dedit S. Franciscus, qui abiectus & humilis tantum fecit, imò tot tantosque fundauit ordines virorum & fæminarum, vt omnes alios numero longè superent. Vnde ipsius hæc erat supplex oratio: *Domine custodi tuum donum in me, quia ego eius sum latro, dum tibi eius gloriam suffuror, eamque mihi adscribo.* Ita S. Bonauentura in eius vita.

De quibusdam alijs inter granum synapis, & bonum Christianum conuenientijs.

SECTIO XXXII.

1. PRimò. Granum synapis contritum inardescit; ita Christianus dum conteritur accendi magis debet in fide, accendi magis debet aduersus inimicos & persecutores charitate, iuxta præclarum monitum D. Paulini epist. 6. ad Seuerum, vbi sic habet: *Memento granum synapis (de quo semine summus) si conteratur accendi magis, & tum demum in vim suam excitari; quamobrem debemus quasi natura nostra in hoc respondere, vt aduersis sermonibus contriti inardescamus ad fidem, & eos ipsos, qui nos vt minimos hominum, scilicet quasi granum synapis (quod minimum est seminum) frangere conantur, vramus.* Granum synapis contritum inardescit, sic Christianus dum conteritur accendi magis debet. PAVLIN.

2. Quò respiciens etiam Theophylactus, dicit: *Tu quoque esto granum synapis. Is Christianus granum est synapis, qui minimus est humilitate, magnus ardore & charitate, & Christianus in persecutionibus ostendit se esse Christianum. Christianus cùm teritur, cùm pessundatur, tunc inflammatur & ardet.* THEOPH.

Secundò. Granum synapis etsi minimū sit inter omnia semina, nihilominus ascendit in arborem, fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos: ita verus Christianus semper proficit in virtutibus. Synapi maximè crescit, crescat in virtute Christianus. Qua mente etiam Christus Marci cap. 4. comparat electos frumento, quod seminatum in agro germinat, & increscit, & fructificat, primùm herbam, deinde spicā, deinde plenum frumentum in spica. Sic D. Paulus cū dixisset ad Coloss. c. 1. *Crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati, secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo.* Varia in varijs locis proponit rerum crescentium exempla, ad quarum imitationem crescere debeant Christiani, & aliquando à rebus inanimatis exempla ponit, videlicet ab ædificio, domo, templo, & sic D. Paulus ad Ephes. docet, Christum esse angularem lapidem, *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos ædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Sic ab inanimatis exemplum sumit Sapiēs Prou. 4. *Iustorum*, inquit, *semita quasi lux splēdens procedit, & crescit vsque ad perfectam diē.* Aliàs sumit exempla ab animatis, plantis videlicet & animalibus. Et 1. Cor. 13. ex paruulo dicit se factum virum, cùm videlicet

in

in cognitione & gratia Dei profecit. Sic ad Ephes. 4. vult omnes occurrere in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, non autem in paruulorum statura manere.

Varijs modis vult Deus suos crescere.

3. Est autem differentia in modo quo crescunt inanimata, & quo crescunt animata; inanimata enim crescunt per additionem ab intrinseco; animata verò per augmentum ab intrinseco. Inter ipsa etiam animata differentia aliqua est in modo crescendi: plantæ enim non nisi in terram defixæ & radicatæ crescere possunt: si enim sæpius loco mouētur & transplātantur, non coalescunt, nec crescere possunt, quod non requiritur in animalibus, quæ motu progressiuo mouentur. Omnibus verò his modis vult Deus suos crescere, & primò per additionē ab extrinseco, dum per Apostolum monet 1. Cor. 3. *Vnusquisque videat quomodo superædificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesu. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulā, vniuscuiusque opus manifestum erit.* Vbi secundum Apostolum, ædificare, siue in ædificium crescere, nihil aliud est, quàm bona opera exercere. Quapropter oportet eum bonis operibus insudare: qui vult in templum sanctum in Domino crescere: sed imprimis oportet per opera humilitatis, ex corde facta, altū fundamentum huius ædificij, ne corruat, collocare. Per augmentum verò ab intrinseco vult nos crescere, dum vult nos in fide, spe, & charitate proficere. Tunc igitur instar plantarum à patre cælesti plantatarū augemur, quando per fidem Christo insiti & plantati, speque præmiorum cælestium rigati, per charitatem radicati, in Christo immobiles effecti, & ab eo inseparabiles, in ramos omnium virtutum extendimur, & in arborem ascendimus. Sicut autem vt arbor in altum crescat, debet putari, ramusculique à latere eius nascētes resecari, & radices deorsum mittere, quò eum altiùs crescit, eò profundiùs radices mittit. Sic profectò resecandi sunt laterales omnes ad creata affectus, qui sursum non tendunt, & profundè admodum & demissè per humilitatem oportet radicari, qui vult in virtutum & meritorum celsitudinem excrescere. An non experimur etiam, quòd herbæ plures si calcantur & deprimantur, tantò feliciùs crescere & multiplicari? Et quid hoc nobis innuit, nisi quod contemni, humiliari, & affligi ab alijs, multùm conferat ad incremēta spiritualia? Tunc verò instar animalium augemur, quando in perfectione Christiana crescimus, & roboramur, euacuantes quę paruulorum sunt. Non loquentes vt paruuli, non cogitantes, aut sapientes vt paruuli, terrena, vel certè prima tantùm elementa sermonum Dei, sed quæ perfectorum sunt, qui pro consuetudine exercitatos habeant sensus, multò aliter loquuntur, cogitant, & sapiunt, quàm paruuli; multò grandiora & excellentiora penetrare & prętare valeant, quàm paruuli, multò grauiora pati, & non frangi animo, sicut paruuli.

Synapi paulatim assequitur suam perfectionem, sic Christianus ne repentè velit fieri summus.

Tertiò, Granum synapis quamuis in tantam crescat altitudinem, vt maius sit omnibus oleribus, & fiat arbor; nihilominus non nisi paulatim assequitur hāc perfectionem. Idem etiam practicandum cuilibet bono Christiano, nemo repentè cupiat fieri summus, citò enim nata, citò moriuntur & deficiunt: citò oritur fungus, sed & citò perit; elephantes longo tempore, nempe triennio, vel vt alij dicunt, decēnio detinentur in vētre matris ante partum; at longissimè viuūt, nimirum, vt quidam aiunt, ducentis annis.

Natura hac in re imitanda.

5. Naturam hac in re si imitaueris, bene feceris: frumenti semen primò terræ mandatur, deinde absconditum in terra ad effectum, hoc est, ad herbā progreditur, neque verò quiescit, donec proficiendo ad perfectam perueniat spicam: similē in modum, vt semen, in animo seritur, virtutis desiderium emittendum est, vt ad effectum veluti herbā ducatur, & ad perfectionē, veluti ad ad perfectam spicam perducatur. Gregor. Mag. lib. 2. in Ezech. ho. 15. *Cùm bona desideria concipimus, semen in terram mittimus: cùm verò operari recta incipimus, herba sumus; cùm autem ad perfectum boni operis crescimus, ad spicam peruenimus. Cùmque in eiusdem operationis perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spica proferimus.* Hæc ille. Et multa alia in hanc sententiam. Eodem loco portæ orientalis templi gradus, virtutum gradus adumbrare docet his verbis: *Quid gradus sunt huius portæ, nisi merita virtutum? Nemo enim repentè fit summus, sed in bona conuersatione, à minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat.* Greg.

Pictores imitandi.

6. Sicut etiam primùm pictura cœpit ab vmbris & lineis, mox accessit lumen, & vmbræ, vnà cum colorum varietate, donec ad summam artificij peruenit admirationem: ita virtus in nobis non statim absoluta nascitur, sed paulatim quotidianis actibus ad summum in nobis perducitur.

7. Atque hoc est medium, quod alius Eremita, illi olim monacho suggessit, qui postquam initio diligentissimus, & feruentissimus fuisset in exercitijs suis spiritualibus, postmodum elanguit, & valde intepuit: qui dum dein ad antiquum feruorem redire vellet, sed eius iter quodāmodo obstructum inueniret, ac proinde id illi perdifficile videretur, à qua re primùm ordiretur, nesciebat; mœstum itaque consolatus senex, hac enim parabolâ, vel exemplo ad laborem animabat: Pater (quidam inquiēs) filium ad agrū, spinis, & sentibus obsitum, expurgandum miserat, sed cùm hic horridum illud vepricetum coram inspiceret, de eo excandicando desperare cœpit, quapropter vno die, atque altero somno se dedit iners, & penitus nihil agit, cui deinde pater,

Parabola idipsum docetur.

non est necesse fili, ait, vt omnia agenda simul vno intuitu respicias, nec ager hîc vno die totus expurgandus, sed tantam quotidie eius partem excole, quantam corporis humani magnitudo caperet. Quod cùm filius consilium esset sequutus, non multò pòst totus illé ager à vepribus & sentibus fuit purgatus.

Synapi non contritum despicabile, contritum virtus eius innotescit; ita se res habet in bono Christiano. GREG.

8. Quartò. Granum synapis cùm non conteritur, despicabile est; contritum verò virtus eius innotescit: ita se res habet in bono Christiano. Accipe D. Greg. in præfat. Mor. c. 2. *Granum synapis nisi conteratur, nequaquā vis virtutis eius agnoscitur; nam non contritum, lene est, si verò conteratur, inardescit, & quod in se acerrimum latebat ostendit. Sic vnusquisque vir sanctus, cùm non pulsatur, despicabilis, ac lenis aspicitur, si qua verò illum tritura persecutionis opprimat, mox omne quod calidum sapit, ostendit, atque in feruorem virtutis vertitur; quicquid in illo ante despicabile, infirmumq; videbatur, quodque in se per tranquillitatis tempus libens operuerat: exagitatus tribulationibus, coctus innotescit.* Hæc D. Greg. Sic Apostoli & martyres persecutionibus, corporis afflictationibus, crudelissimis pœnarum generibus, deniquè acerba morte attriti, vim intra se quandam inesse diuinam, veluti delitescentem, ostēderunt. Verè enim dixit Tertull. in Apolog. *Sanguis martyrum semen est Christianorum.* Nam ipsis cadentibus quasi semine in terram iacto multa sæpe surgebāt Christianorum millia ad fidem conuersa. Granum synapis vt crescat, debet tradi terræ: ita iustus vt in virtutibus crescat, debet operam dare mortificationi.

TERTVL.

Synapi fœcundum sit & Christianus. D. THOM.

9. Quintò. Granum synapis fœcundum est. Inuenimus ait D. Tho. Matt. 17. grano synapis fœcunditatem, quod quamuis sit paruum, crescat in segetem magnam, ita quòd volucres cæli habitant ibi. Similiter Christianum decet esse fœcundum virtutibus, & maximos ambire profectus.

Quantam animæ conferat pulchritudinē fœcūditas. AMBROS.

10. Quantam animæ pulchritudinem & venustatem conferat fœcunditas, sic pulchrè docet D. Ambros. lib. de Isaac & anima c. 7. *Speciosa fœcunditas est; contraria ergo speciositati sterilitas: quoniam qui priuatur specie vel decore, in eo est malum: quod autem malum, hoc sterile & infœcundum. Cuius rei quod euidentius indiciumque terra est? Terra enim quæ bona est, fertilis atque fœcunda: quæ autem mala, ea ieiuna atque sterilis: quæ verò fertilis, hæc & decora. Quid enim pleno agro pulchrius, cùm seges fluctuat, cùm poma irrutilant, vel cùm vuarum serta dependent, aut baccis onusta olea curuescit, vel viridanti gramine montium vertices, & vallium humilia vestiuntur? Similis est causa animæ & soli, quia ea decora anima, quæ fœcunda sit: ea indecora, quæ sterilis.* Sic Ambros. Sicut autem fimo & stercore fœcūdatur solum, fœcundantur & arbores: ita humilitate fœcundatur anima, quod in ficu illa stercorata Lucę 13. adnotauit D. Paulin. ep. 10. his verbis: *In quo mihi videtur æterna pia humilitatis vtilitas indicari, quæ sterilem fœcundat animam, ne per vacuam arrogantiæ speciem sibi iuxta illum Pharisæum,* (Lucæ 18.) *placens velut arbor infœlix frugibus, inutili fronde luxuriet. Bonum autem & vtile ad culturam salutis huiusmodi stercus est,* &c. Sic ille. Planè sic res habet: mira pullulat virtutum ac bonorum omnium seges, vbi suæ vilitatis fimo, anima humilis, seipsam oblimat, ac fœcundat. Sicut autem pulcherrimis virtutibus efflorescit & exuberat anima, quam humilitas circumcingit, vt bene S. Hildebert. obseruat ep. 31. *Superbiâ totum virtutis corpus inficitur, vitale columen marcescit, formosa quæque deformantur.*

PAVLIN.

HILDEB.

Christiano opus acrimoniâ. ISIDORVS.

11. Sextò. Granum synapis naturalem habet acrimoniam: ita & Christiano opus est acrimoniâ: *Hac enim opus habet is,* ait Isidorus Pelus. epist. 199. *qui per arctam viam, mercaturæ causâ, graditur.*

Nulla calamitate à Deo auellendus Christianus. IDEM.

12. Septimò. *Granum synapis*, ait Isidorus Pelus. epist. 199. *ne sectione quidem amputatur, verùm indiuulsam conseruat hypostasim.* Quæ deinde sic ad tropologiam trahit: *Qui Deo copulatus, atque in vnum perfectum hominē compactus est, eiusmodi cum eo coniunctionem habere debet, quæ diuidi ac scindi nequeat, ne vlla calamitate diuelli possit, verùm omni ex parte cum eo coniuncta sit.*

Quòd granum synapis sit speculum regni cælorum, æternæq; beatitudinis.

SECTIO XXXIII.

EVCHER.

1. PONderans Eucher. verba illa Gen. c. 1. quibus describitur opus quartæ diei, hunc in modum: *Fiant luminaria in firmamento cæli & diuidant noctem & diem,* sic illa trahit ad allegoricum sensum: *Doctores diuidant, sensu litterali, & spirituali, sensibilia & intelligibilia in firmamento scripturæ,* ecce quāta differentia inter sensum litteralem, & spiritualem; litteralis sensus, nocturno, lunæ, vel stellarum lumini comparatur, sensus verò spiritualis, solari luci diem illuminanti, quid secundum litteram velint illa verba Christi Matth. 13. *Simile est regnum cælorum grano synapis, quod accipiens homo, seminauit in agro suo,* &c. melius nouit, per experientiam agricola, quàm in lege doctissimus Scriba, verùm, vt in hisce verbis, abdita noscantur mysteria, eaque altissima, non vulgari, sed maximè illuminato opus est intellectu.

Quāta differentia inter sensum litteralem, & spiritualem.

2. Varias attulimus in superioribus sectionibus mysticas, huius parabolæ, expositiones, desumptas, & mutuatas ab Ecclesiæ luminaribus, id est, sacris doctoribus, nunc libet

libet ex iisdem, aliam mutuare, huic parabolæ, maximè accommodatam, estque S. Petri Chrysologi qui sermon. 98. in grano synapis à Christo adumbratam existimat cælestem beatitudinem. Transpono illius verba: *Quarens in calo & in terra, nil inuenit, nisi granum synapis, in quo potentiam totam superna dominationis includat: & illud regnum, singularitate potens, aternitate fœlix, diuinitate fulgens, diffusum toto calo, totâ terrâ dilatatum in grani synapis coarctat, & concludit angustias? Simile est regnum calorum grano synapis.* Deinde facta hac interrogatione? *Spes ista est credentium tota? Exspectatio ista est fidelium summa? Ista est fœlicitas Virginum, longis continentiæ laboribus, comparata? Ista est gloria martyrum, totius effusione sanguinis conquisita? Hoc est, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit? hoc est, quod ineffabili sacramento, diligentibus Deum, promittit Apostolus, esse praparatum?* respôdet. *Fratres, non facilè, dominicis moueamur in dictis: nam si infirmum Dei fortius est hominibus & stultum Dei sapientius est hominibus: hoc minimum Dei tota magnitudine mundi magnificentius inuenitur, si modò hoc granum synapis, nos sic nostris seminemus in mentibus, vt intelligentia magnam nobis in arborem crescat: & sensus altitudine tota leuetur ad calum, ac totos scientiarum diffundatur in ramos: atque ita ora nostra feruentia, viuido fructus sui sapore, succendat, & ita igne seminis sui toto nobis ardeat, & flammetur pectore: atque nostra ignorantia totum nobis auferat, sui degustatione, fastidium.* Quibus ad maiorem elucidationem, addit: *Grani synapis, sicut dicit* (Christus) *iustus est regnum Dei, quod de supernis affertur verbo, suscipitur auditu, si le feritur, crudelitate radicatur, spe crescit, côfessione diffunditur, virtute tenditur, & dilatatur in ramos, ad quos vocat aues cæli, id est, spirituales sensus, atque in ipsis eas quieta suscipit mansione.* Sic ille, de grano synapis, beatitudinem adumbrante, quatenus seminatur, in mente humana, tanquam horto.

Chrysol. — In grano synapis côcluditur tota cælestis regni magnitudo.

Qualiter hoc granû seminetur in mente humana tâquâ horto. *Idem.*

3. In eodem sermone, idem Doctor iterum ad examen reuocans, dictam parabolam, per hortum, in quo hoc granum seminatum, intelligens Ecclesiam, sic eandem explicat: *Christus homo, accepit granum synapis, hoc est, regnum Dei accepit, homo Christus, quod habuit semper Deus Christus: misit in hortum suum sponsam; huius horti sæpe meminit in Canticis Canticorum, dicendo: Hortus clausus: hortus est Euangelij vomere orbe tota diffusa cultura, clausus stimulis disciplinæ, ob omni pessimo gramine Apostolico labore purgatus, fidelium plantarijs, liliis Virginum, rosis martyrum, confessorum viriditate amœnus, fragrans floribus sempiternis. Hoc itaque granum synapis, in hortum suum, misit Christus, id est, promissione regni sui, quod radicatum est in Patriarchis, natum est in Prophetis, creuit in Apostolis, in Ecclesia fecit arborem magnam.* Postremò, cum insigni, & graui admonitione, finem dicendi faciens, sic scribit. *Audistis fratres, istud granum synapis, in arborem quam prorupit, audistis quas fundauit radices, audistis quales, quantosq; se iam diffuderit, & secauerit in ramos, in quibus cæli, non aeris aues in pennis sapientiæ, & prudentiæ volatu, fidei securitate requiescant. Et tu audi, si vis terrenas bestias non timere, si vis euitare aues rapaces, voraces, vultures, hoc est aues aereas, quæ sunt omnes nequitiæ spirituales, eleuare à terra, terrena desere, sume alas columbæ propheticæ deargentatas, sume pennas radiatas diuini solis fulgore, euola in specie auri, vt in tantis, & talibus ramis, iam nullis laqueis attentanda requiescas semper, & de volatu tali valida, & tanta mansione, secura.* Hæc omnia ex Chrysologo.

Hoc granum etiam qualiter seminatum in horto Ecclesiæ. *Idem.*

4. Per agrum quoque in quo seminatum hoc granum cælestis gloriæ, possumus intelligere ipsum cælum empyreum. O quantæ magnitudinis hic ager? Audi quid de illius magnitudine censuerit Sanctus Bernardinus sermone de dignitate animarum. *Tanta siquidem est magnitudo empyrei cæli, quod si de nouo crearet Deus eiusmodi magnitudinis* (qualis nimirum est hic præsens orbis) *tot terrarum orbes, quot sunt arenæ maris vix implerent illud.* Quamuis autem ex præcitatis D. Chrysologi verbis, benè ponderatis, & dilatatis, facilè possit integra côflari concio, ab ingenioso concionatore; nihilominus in gratiam, pij lectoris, non grauabor alias quasdam adducere conuenientias inter granum synapis, & cælestem beatitudinem.

Ager in quo seminatum hoc granum. est ipsum cælû.

Quâtæ magnitudinis sit cælum. *Bern.*

5. Prima est, sicut granum synapis minimum est omnibus seminibus: Ita à plerisque mortalibus, nihil in minori habetur pretio, nihil minùs æstimatur, nihil faciliùs deperditur, quàm ipsum regnum cælorum, pro nihilo, habebant illi, terram desiderabilem: hi pro nihilo habent cælestem beatitudinem.

Prima conuenientia inter granû synapis & regnum cælorum.

Qualiter regnû cælorû, quod est tantæ magnitudinis comparari possit minimo grano.

6. Sanctus Cæsarius, dialogo 1. quamuis tam immensum sit regnum cælorum, existimat tamen à Christo illud comparatum, grano synapis, ex vulgi sensu, & iudicio, cui hanc Christus proponebat parabolam, sicut enim quispiam, manu tenens granum synapis, nullâ illius tangitur curâ, sed facillimè è manu sua, per digitos, illud permittit excidere. Ita plurimis hominibus, regnum cælorum, nullo in pretio est, & vt loquitur Cæsarius: *Illico excidit diuinum regni granum per digitos eorum.*

Vt minimû granum facilè per digitos labitur, ita facillimè amittimus regnum cælorum. *Cæsar.*

7. Vis scire, vnde accidat, quòd tam facilè, mundanis excidat, diuinum regni granum, per digitos eorum? nimirum, quia excellentiam illius non agnoscunt, nam si agnoscerent eam, toti mundo præferrent: *Deum planè, si quis agnosceret* (ait Laurentius Iustinianus sermone de S. Laurentio) *amore illius vniuersa postponeret, parui penderet visibilia, laudabiliterque odiret: quamobrem ex ignorantia summi boni, terrena delectant.*

Tam faciliter excidit nobis regnû cælorû, quia illius excellentiam nô cognoscimus. *Iustin.*

7. Magna Dei cognitione, præditus Regius

Desiderium atque sitis regni cælestis ex eius oritur cognitione. BERN.

gius Vates, & vide quanto ardescat, videndi Deum, desiderio, Psal. 41. ait: *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Vnde hæc Dei sitis in Regio Vate? Conuenienter Diuus Bernardinus tomo 3. sectione 4. articulo 1. cap. 3. de luctu. *Notanter dicit: Sitiuit anima mea, quia sitis ex salis vsu prouenire solet: sic & sitire Deum, ex sale sapientiæ, originem habet.*

Quanti fecerunt sancti regnum cælorum. CHRYSOS.

8. Magna cælestis regni cognitione pollebat D. Chrysostomus, & vide quanti illud faciat. Sic enim scribit ep. 5. ad Theodorum lapsum: *Si quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen esset. Præterea gehennam, tormenta omnia conuenit sustinere, vt videre queas Christum in gloria sua, & conscribi ordini Sanctorum.*

Omnes mundi labores, tanquam siliquam reputabat D. Augustinus respectu fruitionis regni cælorum. AVGVST. BERN.

9. Præclara cælestis regni cognitione, illustratus D. Augustinus; hinc tantopere illud æstimat, vt quoscumque vitæ labores, pro illo susceptos non pluris faciat, quàm vnam siliquam: *Ecce inquit* (Ps. 93.) *quantum pretium damus, quodammodo vnam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos, siliquam laboris, ad requiem incredibilem.* Hac cognitione insigniter exornatus Diu. Bernardus, sic monet sermon. de fallacia præsentis vitæ: *Suspiremus ad delectationes illas* (Hierusalem cælestis) *vt sicut breue est omninò tempus, etiam pauci videantur nobis dies, præ amoris magnitudine.* Et sermone in quadragesim. *Commouetur*, inquit, *intra me spiritus meus, nimirum ad patriam illam, in qua nec numerus est, nec mensura, nec pondus;* & post ipsam cælestem Hierusalem alloquens, ait: *In te, nec pondus vtique, nec mensura; sed satietas est, & affluentia summa, sed nec habes numerum.*

Secunda conuenientia.

10. Secundò: Synapis vis est, ciere lachrymas, eoque Ennius apud Macrobium, triste vocat:

Nec triste quæritat synapi, neque mœstum cepe.

Synapi causat lachrymas: ita & cognitio & meditatio beatitudinis. ERASMVS.

Et tristes & supra modum tetrici, synapi victitare dicuntur, vt videre est, apud Erasmum in Adagijs Cheliad. 4. cent. 5. Adag. 74. Et quid in homine Christiano, tam aptum, ad extrahendos lachrymarum riuos, atque cælestis gloriæ cognitio, in illo locum habet illud Eccle. cap. 1. *Qui addit scientiam, addit & dolorem:* Quæ verba ad rem, de qua agimus, sic pulchrè expendit Diuus Gregorius in Ezechiel. libro 1. homilia 10. *Mentem*, ait, *quam Spiritus sanctus replet, in amaritudinem temporalium & dilectionem æternorum commouet*, &c. *Rixatur secum, de his, quæ malè egisse se recolit, & sibimetipsi displicet, cùm ei ille placere iam cæperit, qui omnia creauit. Supernis inhiat, terrena iam omnia, per mentis despectum, calcat.* Et paulò pòst: *Dedignatur itaque subiacere temporibus, & ardenter suspirat æternis. Vnde rectè quoque per Salomonem dicitur: eò quòd in multa sapientia, multa sit indignatio, & qui apponit scientiam, apponit dolorem. Cælestia etenim cognoscentes, terrenis animum subdere dedignātur. Et dum plus sapere incipimus, de his quæ malè egimus, nobis ipsis irascimur, & fit in multa sapientia, multa indignatio: quia quantò plus proficimus in cognitione, tantò nobis indignamur amplius de peruerso opere. Atque cum scientia dolor crescit; quia quantò magis æterna cognoscimus, tantò magis esse nos, in huius sæculi miseria dolemus, vel sicut in translatione alia dicitur: Et qui addit sapientiam, addit dolorem. Quò enim scire incipimus quæ sunt cælestia gaudia, eò magis vt errorum nostrorum laqueos possumus euadere, flendo laboramus. In multa ergo sapientia multa est indignatio: quia si æterna iam sapimus, concupiscere temporalia dedignamur. Si æterna iam sapimus, nosmetipsos despicimus egisse hoc, quod nos potuit ab æternitatis amore separare: Reprehendit semetipsum conscientia, accusat quod egit, damnat per pœnitentiam, quod accusat, fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo.*

Quò maiorem quis probat scientiam beatitudinis, eò de vitæ huius miseria magis dolet. GREG.

Igitur qui apponit scientiam, scilicet supernorum, apponit dolorem, scilicet imorum & terrenorum: nam vt ait S. Isidorus lib. 3. sent. cap. 20. Quantum quisque potuerit superna scire, quæ appetat, tantum de infimis quibus inhæret, acriùs dolere debet.

Tertia conuenientia. Consideratione beatitudinis liberamur ab apostemate inuidiæ. BELLVAC.

11. Tertiò, granum synapis, resoluit apostemata calida, vt ait Vincent. Belluacens. in speculo nat. libro 10. cap. 51. Quid liuor, quid inuidia nónne calidum quoddam apostema? vis ab illo liberari? Vtere synapis grano, vtere consideratione cælestis gloriæ. Vide tomo 2 enarr. 13. sect. 4. §. 3. numer. 16.

Quarta conuenientia. IDEM. Consideratione beatitudinis liberamur ab vlcere superbiæ. BERN.

12. Quartò. Granum synapis, resoluit omnia antiqua apostemata ait Vincentius Belluacens. loco citato. Ita etiam cælestis gloriæ consideratio & amor, sanat superbiam. De qua sub vlceris similitudine sic Bernardus in declamatione. *Ideo tenuit eos superbia, peccatum diaboli: quo ceciderunt, qui operantur iniquitatem. Hæc est, quæ non recipit disciplinam. Curari renuit, medelam non sustinet. Vlcus pessimum, quod nec summis saltem digitis patitur attrectari.* Quis ab hoc vlcere non conabitur sanari, si consideret primum Angelum, ob superbiam de cælo deturbatum, & prorsus esse impossibile vt homo superbus in eo collocetur. Vide tomo 2. enarratio. 13. sectione 1. §. 4. num. 25. 26.

Quinta conuenientia. BELLVAC.

13. Quintò. Granum synapis, conferre scabiei, refert Vincentius Belluacensis loco citato; cognitio & meditatio cælestis regni, quis negare potest prodesse, ad curationem peccati? Peccatum in scabie adumbratum donec Oleaster expendens ea, quæ de lepra, siue scabie, leguntur Leuit. c. 13. Cùm enim lepra Iudæorum similis fuerit lepræ Græcorum, de qua Hippocrates libro de affectionibus. Ita ait: *Lepra, & pruritus, & scabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia à pituita fiunt, sunt autem turpitudo magis quàm morbi.* Quærit

Cõsideratio gloriæ curat scabiem siue lepram peccati.

Lepra communis quædam est scabies. HYPPOC.

OLEAST. rit Oleaster: Cur lepra, siue scabies, hinc inde in cute respersa, reddat hominem immundum, non autem illa quæ totum inficit corpus. *Mirum, ait, valde videtur, hominem iudicari mundum si totum corpus eius scabie esset infectum, non autem si alternatis partibus, alteram sanam, atque alteram morbosam haberet.* Respondet autem: *vt ostendat nobis eum deteriùs curari, & periculosiori morbo laborare, qui bona opera mixta malis habet, quàm qui omnia mala: quoniam qui mixta habet, in bonis fidit, & mala non curat, propter bona.* Sic ille. Vt clarum sit, peccata rectè comparare scabiei. Vis hanc curare scabiem? mentem subeat consideratio cælestis gloriæ, quis enim tam stolidus, vt si cogitet quo se priuat bono cùm peccat, in peccatum se vnquam volet præcipitare, & tantum volet amittere gloriam, pro tam vili voluptate, quæ trahitur ex diuinæ legis transgressione.

Qui bona opera mixta malis habet, difficillimè curatur.

¶ 14. Sextò. Synapi granum contritum, omnia saporat & condit suo attactu, ita cōsideratio regni cælestis, sapida reddit, & interno gustui grata omnes huius vitæ labores, & difficultates. Plinius dicit synapis succum calculos discutere: sic consideratio beatitudinis discutit omnes, in via Dei, occurrentes lapides, id est, impedimenta omnia, in via cæli occurrentia, vt tali homini dici possit illud Iobi c. 5. *Cùm lapidibus regionum pactum tuum erit.* Quid ieiunia, vigiliæ, genuflexiones, disciplinæ, solitudo, silentium, mortificatio sensuum, homini peccatori, quàm quidam maximè duri lapides, illi maximè, vt existimat, ominosi, & nihil non mali præsagientes? Vnde cum illis, nihil sibi vult esse commercij, velis remisque illa fugit. Verùm consideratio gloriæ, instar synapis, hos lapides omnes, id est, omnes difficultates in via virtutum, earumque exercitio occurrentes discutit, extenuat, & penitus eneruat.

Sexta conuenientia. Cōsideratio gloriæ saporat & condit labores huius vitæ. Remouet omnia impedimēta in via Dei occurrentia.

15. Septimò. Granum synapis vim habet contra lethargiam, nam si vehementior somnus lethargicos premat, cruribus aut eius capiti illinitur, vt scribit Vincent. Bell. loco cit. Quis nescit quam vim habeat ad excutiendum somnum negligentiæ consideratio & amor cælestis patriæ?

Septima cōuenientia. Cōsideratio gloriæ excitat somnum negligentiæ. BELLVAC.

16. Octauò. Ex fumo synapis, fugiunt vermes venenosi, vt scribit Vincent. Bellu. loco cit. Quid tam proprium æternæ beatitudini si ignem adhibeas seriæ considerationis, quàm suauissimum de se diffundere fumum siue odorem, quo enecentur omnium peccatorum vermes, præsertim vermis inordinatæ tristitiæ? Qualiter inordinata tristitia, & reliqua peccata vermibus comparentur, fusè explicatum inuenietur enarratio. 47. sectio. 8. 9. 10. 11. & 12.

Octaua cōuenientia. Vermes peccatorum enecat consideratio gloriæ. IDEM.

17. Nonò. Granum synapi sitim facit ait Vincent. Belluac. loco citato, ita etiam cælestis beatitudo cognita & meditatio triplicem generat sitim, prima est societatis cum Deo, iuxta illud Ps. *Sitiuit anima mea ad Deum*, desiderat enim anima Deum attingere, & ipsum amplexari, personaliter & tenere. Secunda est plenæ satietatis quæ fit à gloria, iuxta illud Psalm. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Fontem, inquit, viuum. Ceruus enim sitiens non bibit in riuulo, imò currit ad fontem, vbi satiatur ad plenum, sic nos non bibere debemus in riuulo bonorum mundi, quia ibi non est requies sitis nostræ, quia scilicet de aqua ista dicitur Ioan. 4. *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum.* Quinimo properare ad fontem viuum gloriæ paradisi, qui ad plenum refrigerat, & satiat cor humanum. Vnde Ioann. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet in æternum, sed aqua quam dabo illi, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Vnde breuiter de temperamento istius sitis dicitur Apocalyp. 7. Vbi loquitur de beatis. *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super eos sol, neque vllus æstus, quoniam agnus, qui est in medio throni, reget eos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, &c. Igitur sitiamus plenam satietatem quæ fit à gloria. Tertia est sitis tutæ securitatis quæ in patria. *Quādo*, inquit, *veniam & apparebo*, &c. Sicut enim peregrinus valde appetit reuenire ad patriam, miles bannitus de curia, valde desiderat reuerti ad regis præsentiam, mulier repudiata, valde cupit, redire ad viri gratiam, sic homini qui in Adam de patria paradisi fuit bannitus, & in hoc mundo relegatus, & peregrinatus & Dei Regis, & viri sui præsentia destitutus, valde debet sitire, & appetere, quòd ibi sit iterum restitutus. *Quando*, inquit, *veniam & apparebo ante faciem Domini.* Idem faciebat Absolon, qui bannitus propter fratricidium dicebat Ioab 2. Reg. 14. *Obsecro ergo vt videam faciem Regis. Quando*, inquit, *veniam?* Vnde de isto desiderio, & de ista siti veniendi ad patriam, dicitur Apocalypsis 22. *Sponsus & sponsa dicunt veni, & qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Hæc Berchorius.

Nona conuenientia. IDEM.

Beatitudo cognita triplicem generat sitim.

18. Decimò, succo synapis firmantur stomachus, oculi, caput, sensus omnes, præsertim verò fauces, vt non facilè raucedinem admittant: Nónne idipsum etiam spiritualiter præstat considerata cælestis gloria, quid ita vegetat, & roborat, sensus internos, membraque animæ spiritualia, atque illa? quid ita munit fauces nostras, & guttur nostrum contra raucedinem peccati, atque ipsa?

Decima cōuenientia. Cōsideratio gloriæ roborat omnes sensus internos.

19. Vndecimam conuenientiam accipe à Sancto Bernardino Senensi sermone de regno Dei, vbi sic scribit: *Regnum cælorum quantum ad strenuitatem operis comparatur grano synapis Matthæi 13. Et est comparatio valdè notabilis: duo enim sunt necessaria ad strenuitatem operis, scilicet humilitas, & virilitas, nec sufficit vnum sine reli-*

Vltima cōgruentia. BERNAR.

reliquo, quia humilitas sine virilitate est pusillanimitas, & virilitas sine humilitate est temeritas: & ideo vt hæc duo nobis necessaria esse ostenderet ad obtinendum regnum cælorum, comparauit illud grano synapis, quod inter omnia grana minutissimum est quantitate, sed maximum virtute. Sic ille.

Leui negotio comparatur regnũ cælorum. 20. Postremò, quid comparatur faciliùs quàm granum synapis, quod quamuis terram diligat aratam, tamen vbique crescit ait Vincent Bell. in spec. nat. lib. 10. c. 150. Et Plin. lib. 19. scribit, Satum semel semine synapis locum, à sato non liberari semine, quia semen cadens protinus viret. Ita nihil faciliùs acquisitu atque regnum cælorum, nónne ait Chrys. ad Philip. ho. 33. *Da panẽ & suscipe paradisum, parua da, & magna suscipe?* Nónne diues Epulo poterat comparare regnum cæleste si solam, vel extremi digiti guttam dedisset Lazaro? sic sanè sentit Pet. Chrysol. ser. 122. vbi ait eundem alloquẽs: *Sitis extremi digiti guttam, quam si vel solam dedisses pauperi non sitires:* Rectè Regius Vates Psalm. 105. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem:* In quæ verba sic D. Bernardin. de paup. serm. 2. art. 2. c. 2. *Pro nihilo gloriam sempiternam adepti sunt.* An ita pro nihilo adipiscitur peccator mundi gloriam, terrenas diuitias, & carnis voluptates? absit. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandum animã,* ait Ierem. Thren. 1. in quæ verba sic Paschasius. *Anima enim quæque pretiosa pro cibo dat, quãdo virtutes mentis, in appetitu transitoriæ delectationis inclinat, & refocillari anima nititur, dum peruersis desiderijs suis satisfacere conatur.* O venditionem iniustam, in qua dantur virtutes mentis pro momentanea voluptate. Septuag. *Dederunt desiderabilia quæque pro cibo. Desiderabilia,* ait Theodoretus, *infantes vocat, victi enim fame & hæc degustarunt,* vt quid agit peccator? propriam animam consignat diaboli manibus & æternis flammis vt degustet venenatum temporariæ delectationis cibum.

CHRYSOS.

CHRYSOL.

PASCHAS.

21. Fælix ille Christianus, in cuius corde postquam per fidem seminatũ est granum synapis, cælestis gloriæ, curat vt in arborem crescat per excelsam illius considerationem, contemplationem & expectationem. Ita vt volucres cæli, id est, illius voluntas, intellectus, & memoria, conuersentur, atque suauiter requiescant in illius ramis, id est, varijs gaudiorum generibus, & modis, quibus beati perfruuntur in cælis.

Quòd granum synapis, sit pulcherrimum speculum sacratissimæ Virginis.

SECTIO XXXIV.

Quòd Virgo seminata in vtero Annæ, excreuerit in arborẽ, quæ comparanda arbori illi magnæ, de qua Danielis cap. 4.

§ I.

1. Restat, vt parabolam grani synapis, cui assimilatur regnum cælorum, applicemus Beatissimæ Virgini. De ipsa sub similitudine cæli sic loquitur Damascenus orat. 1. *O beatum Annæ vterum, qui viuum cælum, cælis ipsis latius peperit,* &c. Virginem viuum cælum appellat, sed ex terrena Annæ & Ioachimi substantia factum, quemadmodum cælum ex aquis olim est conditum. *Ex terrena* (inquit) *natura cælum, id est, Virginem, in terra ille condidit, olim firmamentum ex aquis fixerat, atque in altum, extulerat, ac sanè hoc illo longè diuinius est; nam iustitiæ Sol, qui in illo solem effecerat, ex hoc ortus est,* &c. In hoc cælo Mariano Deum perfectiùs regnasse, quàm in aliqua alia creatura notissimum. Vide iam cui hoc regnum cælorum assimilandum, simile est regnum cælorum grano synapis, quod accipiens Christus, homo Deus seminauit illud in agro suo, nimirum in vtero S. Annæ planè arido, atque sterili, sic enim scribit Hieronymus libro de ortu Virginis tomo 4. *Vita Ioachim & Annæ simplex, & recta apud Deum, & apud homines irreprehensibilis erat, & pia. Nam omnem substantiam suam trifariam diuiserunt, scilicet templo, peregrinis & pauperibus, & suæ familiæ vsibus, perseuerantes in iustitia, pace, & charitate maritali. Vnus tantùm dolor sterilitatis augebat, nulla prole, post annũ matrimonij vigesimũ, vsque ad senectutem procreata, quod turpitudinis, & infamiæ loco, inter Iudæos habebatur.*

Virgo dici potest cælum.

DAMASC.

Vterus Annæ sterilis ager in quo seminata à Deo Maria.

HIERON.

2. Dicitur autem Christus, seminasse hoc se-

semen in vtero Annæ, quia cùm sterilis esset Anna & prope annum sexagesimum, cùm Virginem concepit, vt tradit Christoph. à Castro in histor. Deip. c. 2. Maria non tam humanâ viâ, & ratione quàm diuina dispẽsatione, & supra naturam concepta est, vt
DAMASC. rectè notauit Damascen. orat. 1. de Natiuit. Virginis, rationem reddens cur ex sterili matre orta fuerit Virgo: Do illius verba: *Quid est* (inquit) *cur Virgo ex sterili Matre orta sit? quoniam scilicet oportebat, vt ad id quod solum sub sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, id est, ad incarnationem, via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret.* Quo loco etiam asserit Damasc. quòd natura voluit gratiæ in conceptu Virginis cedere; vt Virginis conceptio gratiæ Dei, non naturæ viribus tribueretur: *Natura* (inquit) *gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, vt Dei genitrix ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est, verùm tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Sororia sunt quæ scri-
BEDA. bit Beda hom. in vigilia Baptistæ. *Annæ ergo partus, non est ablatus, sed per sterilitatem dilatus, donec transiret tempus carnis, & cupiditatis, castissimusque vterus Virgini concipiendæ pararetur. Castitas igitur virginitatem peperit, Virgo igitur ex membris senilibus longè à natura feruore alienis, tanquam diuinitus datus fructus producta est.*

Id quod maiori adhuc perspicuitate pro-
HILDE. secutus est S. Hildephons. ser. in natiu. Deipar. Mariæ: *Virgo*, inquit, *non sic est nata sicut solent pueri, vel puellæ nasci. Sed de Anna sterili, & patre iam sene, extra consuetudinem mulierum, post refrigescentem calorem; & sanguinem iam tepidum in pectore refrigescentem, & omnem amorum libidinis discessum mundo corde & corpore, ab omni pollutione carnali orta est. Sic enim Dominus voluit, vt de tali vasculo, mater sua nasceretur. Quod nunc scimus, quia per Spiritum Sanctum, illo ordinante & beniguiter præcipiente præparauit sibi matrem, quæ præcessit omnibus matribus. Talis enim fuit, qualis nec antea visa est, nec habebit sequentem.* Sic ille.

4. Vis cumulatiùs videre, qualiter granum hoc synapis, id est, sacra Virgo, fuerit seminatum in agro, puta in vtero S. Annæ?
BIRGIT. Expende ipsius Deiparæ verba S. Birgittæ diuinitus deprompta, vt legimus apud eandem lib. 2. cap. 9. *Ego volo tibi dicere, quàm dulciter ipse dilexit corpus meum, & quàm dulciter animam meam, quantum etiam honorauit nomen meum. Ipse filius meus prius me dilexit, quàm ego eum, quia creator meus est. Ipse coniugium patris mei & matris, tanta castitate coniunxit, vt tunc non inueniretur castius cõiugium, & nũnquam conuenire vellent, nisi iuxta legem, solummodo causâ suscipiendi prolem. Et cùm sibi nuntiatũ esset ab Angelo, quòd Virginem parerent, vnde salus mũdi procederet; magis voluissent mori, quàm carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat. Tamen pro certo dico tibi, quòd ex charitate diuina, & ex verbo Angeli nuntiãtis, conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam, ex diuina dilectione: & sic ex semine eorum per diuinam charitatem, caro mea compaginata est.* Et lib. 6. c. 49. *Si alicui volenti ieiunare, qui desiderium haberet comedendi, sed voluũtas resisteret desiderio, præciperetur à superiori, cui obediendũ esset, quòd propter obediẽtiam comederet, & ille propter obedientiam contra velle suum comederet; illa comestio maiori remuneratione digna esset, quàm ieiunium. Per similem modum coniunctio parentum meorum fuit, quando ego concepta fui.* Et rursùm c. 55. *Quomodo pater meus & mater mea, matrimonialiter conuenerunt, plus fecit hoc obedientia, quàm voluntas, & plus operata est ibi charitas diuina, quàm voluptas carnis. Nam hora in qua ego concepta fui, benè potest vocari aurea hora & pretiosa, quia alii coniuges, conueniunt ex voluptate carnali, mei verò parentes conuenerunt ex obediẽtia, & præcepto Dei.* Hactenus ibi. Vides qualiter hoc granũ synapis, sacra, inquã, Virgo, fuerit seminatũ in agro, id est, vtero S. Annæ non à natura sed gratia, non à voluptate sed ab obedientia & charitate. Ita quod in beatissima Anna verificatum est, quòd ait Isaias c. 51. *Ponet Dominus desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortũ Domini, gaudium & exultatio inuenietur in ea gratiarum actio, & vox laudis.*

5. S. Cyrill. sic Virginem salutat. *Sit tibi sancta mater laus, tu es pretiosa margarita orbis terrarum.* Cur vocetur Virgo margarita vide apud Berch. in red. mor. l. 20. c. 93. præsertim sic nominatur, quòd vnica solũ in concha reperiatur vnio, quia vnus est lapis ait Berch. sic Maria, vnica & sola est, nullus vel in Angelis vel hominibus illi æquãdus, præterea, quamuis concha in mari degat, non tamen formatur margarita ex aquis marinis, sed ex cælesti rore, nam vt Plinius ait lib. 9. c. 35. *Impletur roscido conceptu.* Ita vterus Annæ instar conchæ repletur diuinæ gratiæ rore, quæ miraculosè organizabat & disponebat admirabilem partum, ita vt totum magis gratiæ erat quàm naturæ.

Vt margarita ex concha: sic Maria ab Anna.

BERCH.

6. Cur putas quòd Virgo lunam, sub pedibus habere dicatur? Vt significetur planetarum vel stellarum aspectus, non nocuisse Virgini, id enim solùm cõtingit rebus sublunaribus quòd illis influant. Maria verò supra Lunam. Audi Ioan. Gers. ser. de natiuit. B. Virg. *Inueniemus Mariæ corpus miraculosè cõpositum, quoniam ex vtero sterili, formatum est, ab illo cuius perfecta sunt opera. Ac proinde colligimus, quod neque maleuolus aspectus cuiuslibet ex planetis nocuisse credendus est, in ipso conceptionis, aut natiuitatis exordio: sicut etiam nec huiusmodi formatio subijciebatur calorum influxionibus, quia quidquid in ea fiebat hoc totum magis gratiæ, quàm naturæ.*

Virginis natiuitas nullis planetarum aspectibus obnoxia.

GERSON.

7. Seminatum postquam est granum synapis, nimirum quidem est omnibus seminibus: Ita etiam Maria, mox atque concepta, per humilitatẽ, minima extitit, in omni-

Maria minima per humilitatẽ.

omnibus creaturis; cùm enim in primo instanti suæ conceptionis simul in ea Deus condiderit naturam, & largitus fuerit gratiam, creaueritque eam cum bonâ volũtate, id est, cum amore casto, quo illi adhæreret, exornaueritque omnium virtutum margaritis, atque in ipso conceptionis instanti, vsu rationis, donata fuerit (de quo videndus Barrad. to. 1. lib. 6. c. 3.) & secundum quosdam vt scribit S. Bernardin. to. 2. ser. 51. ar. 1. c. 2. tunc in sublimiori statu contemplationis fuerit, quàm vmquam aliqua creatura humana in perfecta ætate. Hinc facilè colligitur sacratissimam Virginem humilitatis virtutem, in summo tunc possedisse gradu, & præ creaturis omnibus de seipsa humiliùs sensisse.

Maria cõparatur arbori Nabuchodonosor.

8. Sed quid referat, in quam excreuerit Virgo arborem postquam, instar pulcherrimi germinis, processit ex Annæ sterili vtero? Maior facta est Virgo omnibus oleribus, id est, sublimior reddita omnibus creaturis, præsertim cùm in Dei matrem est electa, & facta est arbor, ita vt volucres cæli, veniant & habitent in ramis eius, ita vt sanctis animabus, iucundissimum sit versari in considerandis illius vitæ mysterijs. Vis scire in quantam arborem excreuerit Virgo? Nimirum similis dicenda, magnæ illi arbori, quam in somnis vidit Nabuchodonosor Dan. c. 4. de qua ibidem legimus: *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro.* Vis videre quàm bellè hæc omnia conueniant beatissimæ Virgini? expende sequentia.

Quòd Virgo meritò assimiletur arbori magnæ, deque miranda magnitudine Virginis.

§. III.

Quarũdam arborum proceritas, & magnitudo.

1. MIra sunt, quæ de arborum magnitudine, & proceritate narrant rerum naturalium scriptores. Maiol. in diebus canic. colloq. 21. ex Aloysio Cardam. teste oculato, refert apud Nigritas, vulgò Gambre regnum nuncupatur, visæ arbores proceritatis tantæ, vt ad dimẽsionem passuum 20. longitudine extendantur, ac trunci crassitie, ambitu ipso, capiat pedes quadraginta circiter, atque ita sit cõiectura patuisse quaquauersus eius arboris stipitem rectâ dimẽsione planum ad pedes quindecim: totius enim ambitus circularis superficies in lineam rectam tertiam, & eo amplius partem occupat. Idem loco citato refert ex Anton. Pigafetta, in nouo orbe, in Brasilia, arbores tam crasso latoq; adeò stipite reperiri, quæ si excauentur, solidæ rates ex vnica arbore fiant, capiantque etiam quadraginta homines. Idem refert ex Ludouico Barth. de reb. Indic. lib. 2. c. 11. apud Indos orientales passim rates fieri ex singulis arboribus excauatis in longitudinem etiam passuum tredecim: Quinetiam idem refert ex Petr. Mart. iuxta fluuium Marag, non omnium maximum noui orbis, enasci arbores, quæ tanti sunt ambitus, vt sex homines amplexibus nequeant ambire, atque ita pateat earum ambitum excedere palmos triginta. Quod amplius, idem refert ex Ouetano hist. lib. 9. cap. 11. in nouo orbe, in insula Ceiba, arbores esse quas nec quatuordecim viri protensis brachijs valeant circumambire, quæ quidem tantò magis videntur credibilia, & minus à fide aliena, quòd quædam arbores adeò in India excrescant in altum, vt nec sagittis transijci possint, vt testatur Plinius lib. 7. cap. 2. PLINIVS.

2. Ideo non abhorret à vero quod tradit Plinius de quibusdam platanis mirum in modum altum latumque se effundentibus: De eodem. *Clara est*, inquit, *arbor in Lycia gelidi fontis socia amœnitate itineri apposita, domicilij modo caua octoginta atque vnius pedum specie nemoroso vertice & se vastis protegens ramis arborum instar agros longis obtinens vmbris, tam digna miraculo, vt Licinius Mutianus ter Cos. & nuper prouinciæ eius legatus prodendum etiam posteris putauit, epulatum intra eam se cum duodeuigesimo comite & cubuisse in eadem.* Et mox: *Aliud*, inquit, *exemplum Caij Principis in Veliterno rure, mirati vnius tabulata, laxitique ramorum trabibus, scamna patula, & in ea epulati, cùm ipse pars esset vmbræ, 15. conuiuarum, ac ministerij capace triclinio, quam cænam appellauit ille, nidum.* Hactenus ille.

Maria arbor illa.

3. Verùm si oculos conijciamus in præclaram illam arborem, ex qua Iesus prodijt, & quæ nobis vitæ fructum protulit, sacratissimam nimirum Virginem, parua sunt & nullius momenti, imò ne consideratione quidem digna quæ superiùs de arborum magnitudine & proceritate, & fructuum vtilitate sunt relata hæc namque obumbrata videntur in illa arbore, de qua Dan. c. 4. *Magna arbor & fortis & proceritas eius contingens cælum, aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersa terræ. Folia eius pulcherrima & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Sed hæc omnia examinanda & Virgini accommodanda. Dan. c. 4.

4. *Magna arbor*; hinc Diuus Chrysostomus in sermone quem Ecclesia refert in CHRYSOS.

festo

festo Natiuitatis Mariæ. *Magnum re vera miraculum fratres dilectissimi semper fuit Beata Virgo Maria, quid namque illa maius aut illustrius vllo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit, hæc sola cælum, ac terram, amplitudine superauit, quidnam illa sanctius? non Prophetæ non Apostoli, non Martyres, nō Patriarchæ; non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles aut inuisibiles maius aut excellentius inueniri potest.*

PETRVS DAM. Virgo omnes supergreditur creaturas.

5. Beatus Petrus Damianus Cardin. ser. de Natiu. Virg. *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? attende Seraphin, & videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumq́; opificem opus illud supergredi, & non infra gloriam, quæ eam ex hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere, nisi, quia gloriosa dictā sunt de te ciuitas Dei.* Et serm. de assumpt. inquit: *Inter animas sanctorum, & Angelorum choros, supereminet, & euecta merita singulorum & omnium titulos antecedit.* Et ibidem ita dicit. *Et si multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tamen, tam excellens tam magnificum fecerūt opera digitorū Dei* &c. Excipe semper Christi humanitatem ac tandem de eadem Virgine sic loquitur. *In illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumq; spirituum hebetat dignitatem, vt sint quasi non sint, & comparatione illius nec possint, nec debeant apparere.*

Virgo est quodammodo infinitæ dignitatis & sanctitatis. BONAV.

6. Hinc etiam Idiota lib. 6. *Sanctorum omnium priuilegia, ô Virgo omnia habes in te congesta, nemo æqualis est tibi, nemo maior te nisi Deus* &c. Hinc S. Bonauent. in speculo B. Virginis c. 8. *Ipsa est quā maiorem Deus facere non posset: maiorem mundum facere posset Deus, maius cælum facere posset Deus, maiorem matrem, quàm matrem Dei, non posset facere Deus,* & D. Thom. 1. quæst. 25. art. 8. quærit, an Deus possit meliora facere ea quæcumque facit? ac respondet posse. Excipit tamen tria, scilicet, Christum, Beatam Virginem, & nostram beatitudinem, *Nam humanitas Christi,* inquit, *ex hoc quòd est vnita Deo, & beatitudo creata ex hoc quòd est fruitio Dei, B. Virgo ex hoc quòd est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus, & ex hac parte non potest fieri aliquid melius eis sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Ita ipse in respons. ad 4. Hinc D. Anselm. lib. de exordio humanæ salutis cap. 7. *Nihil tibi Domina æquale, nihil comparabile est, omne enim quod est aut supra te est, aut subtus te est, quod supra te est, solus Deus est, quod infra te est, omne quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? quis attinget?* Hinc Dionysius Carthus. lib. 1. de laud. Virg. sic scribit: *Sanctitate Virginis maior esse non potest, non quia Deus absoluta sua potentia ampliorem, nedum virgini, sed aliis quoque præstare possit, sed nec decet, ne vtique fiet. Sanctitate ergo Mariæ maior, sub creata filij eius sanctitate, intelligi, esseq́, nequit, tum quia neque in præsenti vita eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valet etiam quæ in terris est; incomprehensibilis enim, vt ait Ambrosius, incomprehensibiliter operabatur in Matre, tum quia ampliorem alicui impertiri, neque decet, neque continget,* & rursus. *Quoniam Mariæ sanctitas quodammodo iuxta præostensa infinita est.* Hæc Dionysius. *Omnia tua*, ait Germanus Constantinopolitanus Archiepiscopus in orat. de Zona Virginis; *sed admirabilia ô Deipara omnia, supra naturam omnia, ingētia & aliorum vires superantia* &c. Meritò itaque Virgo decantat, *fecit mihi magna qui potens est,* meritò de illa dici potest illud 1. Paral. 19. *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Et illud, *fecit sibi Rex Salomon thronum ex ebore grandē*, Et illud Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cælo.* Non incongruè quoque D. Bern. ser. de assumpt. applicat Deiparæ illud Baruc. 3. *O Israel quàm magna est domus Domini & ingens locus possessionis eius.* BERN.

Virginis magnitudo superat omnem dicendi facultatem. AMBROS. BERNARDINVS.

7. Denique hæc Virginis magnitudo, omnem superat dicēdi facultatem, hinc D. Ambros. in lib. de Virg. *Tanta est huius Virginis excellentia, vt ab eius narratione balbutiāt omnes linguæ, excusiantur omnes intelligentiæ, deficiant omnes similitudines parabolicæ.* Hinc S. Bernardin. in ser. 2. de nomine Virginis: *Non est facultatis humanæ, dilectissimi fratres, quamdiu in hoc mortali corpore viuitur, plenè pertingere ad laudem gloriosæ Virginis Matris Dei, quæ omnium hominum & voces excellit, & superat intellectum.*

Ex radice siue humore gratiæ, orta Virginea magnitudo.

§. III.

Causa & radix virgineæ magnitudinis. PLINIVS.

8. Si quæras tantæ magnitudinis causam? conijce in ipsam radicem oculos, arbores enim plerumque quantò maiores, & vertice altiùs crescunt, tantò maiori sunt radice præditæ. Narrat Plin. l. 16. c. 1. arbores quasdam per mare vagari erectas, radicibus adhuc suis innixas, quę tātæ sunt, vt vento propulsæ à littore complexu radicum insulas secum ferant, sic enim ait, *Altissima haud procul à Cauchis Aquilonaris cæli incolis, circa duos præcipuè lacus, littora ipsa obtinent quercus, maxima auiditate nascēdi, suffossæq́, fluctibus, aut propulsæ flatibus, vastas complexu radicū insulas secum auferunt, atque ita libratæ stantes nauigant, ingentium ramorum armamentis, sæpe territis classibus nostris, cum velut industria fluctibus agerentur in proras, stantium noctu, inopesq́, remedij illæ prælium nauale aduersus arbores inirent.* Idem etiam testatur lib. 10. cap. 2. in hercina silua tantam esse arborum vastitatem vt attollantur colles occursantium inter se radicum repercussu, aut vbi secuta tellus non sit, arcus ad

Radicum quarumdam arborum magnitudo.

ad ramos vsque & ipsos inter se rixantes curuari, portarum patentium modo, vt turmas equitum transmittant.

Radix gratię maxima in Virgine.

9. Inter arbores spirituales nulla quæ maiorem habeat radicem gratiæ quā ipsa virgo, hinc Epiphanius in oratione de laudibus Virginis, *gratia*, ait, *sancta Virginis est immensa*, D. Anselm. in l. de excellentia Virginis c. 8. *Immensitatem*, inquit, *gratiæ & gloriæ, & felicitatis tuæ, considerare cupienti, ô Virgo, sensus deficit, lingua fatiscit.* Item, *tu cælum immensa miserationum tuarum & gratiarum luce perlustras*, D. Bonau. in speculo Virginis c. 5. *Gratia Mariæ, gratia verissima, gratia immensissima multiplicissima, gratia vtilissima est.* D. Bernardin. to. 1. ser. 16. art. 2. c. 10. *Excepto Christo, tanta gratia Virgini à Domino data est quantum vni puræ creaturæ dari possibile esset*, &c. Quinetiam tanta fuit hæc in Virgine radix, vt superet omnes gratię radices; simul collectas, ex quibus progerminatæ, tot tantæque cælestis paradisi, vel horti Ecclesiæ militantis arbores spirituales. Apertè id docet D. Bernardinus, is enim quod de Virginis gloria concedit, concedet etiam de gratia, Virginis autem gloriam omnium hominum & Angelorum gloriam simul sumptam superare scribit to. 1. ser. 61. art. 3. c. 3. *Posuit*, inquit, *diadema regni super caput eius, & voluit eam esse reginam. Esther 2. istud est diadema speciei & corona gloriæ, quâ virgo super Angelos coronatur.* Et infrà, *Ad Trinitatis gloriam, ipsa sola amplius est euecta, vt plus beatissimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, & fruatur, quàm omnis alia pura creatura, simul sumpta, de cuius gloria, post filium, participant vniuersi.* Hæc D. Bern. Ex recentioribus hanc sententiam sequitur Franciscus Suares in commentariis 3. part. D. Thomæ tom. 2. qu. 37. disp. 18. sect. 4. Et Henricus Henriquez in lib. de fine hominis c. 10. cui etiam subscribo, quod pietati consentanea sit.

ANSELM. BONAV. BERNARDINVS.

Gratia virginis superat omnes gratias sanctorum simul collectas.

Quantitas arborum desumitur ab humore. BERCH.

10. Deinde quantitas arborum, siue secundum longitudinem, siue secundum latitudinem, siue secundum crassitiem, desumitur ab humore, iuxta illud Berchor. quodam loc. Differunt, ait, arbores in quātitate, quia quędā crescunt in latitudine, & maximè illę quę habent humorē lacteū, sicut ficus, quędam in longitudine, siue altitudine, & maximè quæ habent humorem piceum, sicut Pinus. Aliæ, in latum & altum, sicut illæ quæ habēt humorem penetratiuum, & acutum, calidū & subtilē, & maximè cùm habent durum corticem, sicut quercus, quia talis humor habilis est ad altitudinem & dilatationē. Aliæ autem non crescunt, nec in altum, nec in vtrumque, propter talium humorū priuationē, sicut spinæ & similia. Sic verè boni diuersimodè crescūt per merita & virtutes, quia quidam in altum per contemplationem; quidā in latum per charitatem & dilectionem; quidam in vtrumque, quia scilicet & contemplatiui & charitatiui sunt per omnimodam perfectionē, sed hoc totum accidit secundū quod habēt humorem affectionis lacteum per pietatē, piceum & glutinosum per charitatem, acutum & penetratiuum per discretionem & sagacitatem. Alij autem sūnt, qui neque alti per contemplationem, nec dilatati per dilectionem, propter defectum talium humorū, imò sunt parui & depressi, sine quātitate virtutis & perfectionis, sicut sunt spinæ, id est, peccatores qui pungunt alios, & affligunt. Ideo de bonis dicitur: *Creuit in vineam grandem.* Ezechiel. 17. Vnde Dan. 4. *Potestas tua creuit in terra.* De malis autem dictum Genes. 44. *Ruben non crescas* &c. Quis sanctorū ipsa Virgine habuit maiorem copiam humoris lactei, picei, subtilis, ac calidi, maiorem, inquam, gratiæ copiam & abundantiam? Hinc de illa affirmat Petr. Dam. serm. de Natiuit. Virg. *Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit?* Hinc D. Bern. in serm. signum magnum, dixit. *Profundissimam diuinæ sapientiæ penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione, creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Hinc D. Damasc. orat. 2. de dormitione Virginis, *Virgo vitæ thesaurus, gratiæ abyssus.* Et Oratione 1. de dormit. Virg. *Gratiæ abyssum virgo inuenit, quæ duplicis virginitatis nauem incolumem seruauerat, animamq́ non minus quàm corpus virginem custodierat.* Hinc D. Bonau. in speculo virg. cap. 5. *Immensa fuit gratia quā virgo fuit plena, immensum enim vas non potest esse plenum nisi immensum sit istud, quo est plenū. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum qui cælo maior est, continere potuit. Tu immensissima Maria capacior es cælo, quia quem cæli capere non poterant tuo gremiō contulisti, tu capacior es mundo, quia quem totus capit orbis in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo Maria tam capax fuit ventre, quantò magis mente? Et si capacitas tam immensa fuit gratia plena, oportuit, vtique quod illa, quæ totam implere potuit capacitatem, esset immensa.*

Quanta abundantia humoris diuinæ gratiæ in Virgine.

PETRVS DAM.

BERN.

Immensa fuit gratia Mariæ.

BONAV.

11. *Quis immensitatem Mariæ potest mensurare, ecce quod dicitur Ecclesiastici 1. Altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Cælum est Maria, terra est, abyssus est. Quis huius cæli altitudinem, quis huius terræ latitudinem, quis huius abyssi profunditatem, quis, inquam, Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus qui ipsam, non solùm in gratia, & in gloria, sed etiam in misericordia tam altam, tam latam, tam profundam operatus est?* Hæc D. Bonau.

Solus Deus immensitatem Virginis est dimensus.

12. Non autem mirum tantam esse sacri huius humoris, diuinæq; gratiæ in virgine abundantiam; quantò enim arbor vicinior est fonti, tantò abundantiùs de illius participat influxu & humore, vt crescat, floreat, & fructum ferat. Fons gratiæ Christus, & quę creaturarum huic fonti propinquior

Maria quò vicinior Christo eo in gratia copiosior.

quior Virgine? Genesis cap. 24. legimus de Rebecca. *Puella decora nimis, virgoq; pulcherrima & incognita viro, descenderat ad fontem, & impleuerat hydriam*. In Rebecca Deiparam considerans, D. Ambrosius ait, *Hæc sola descendit, hæc sola agnouit fontem verum vitæ æternæ. Ideoq; habuit quod daret sitientibus* &c. Sed ita descendit, vt impleuerit hydriam animæ, præ cunctis mortalibus. Quia tam vicina Maria Christo, quia tam propinqua, hinc illi plus collatum diuini humoris, & gratiæ, hinc cæteris mortalibus copiosiori abundat gratiâ. Plenitudinem gratiæ, quæ Mariæ collata, fundat D. Thomas 3. p. quæst. 27. artic. 5. ad 1. in eo quòd Virgo Christo auctori gratiæ fuerit propinquissima.

AMBROS.

Quàm vicina Maria Christo.

12. Guarricus Abbas sermone. 1. in Natiuitate S. Ioannis Bapt. magnitudinem eius, Christo tanquam fonti, cui vicinus erat, adscribens, sic ait. *Proxima erat fonti Cedrus ista nobilis, Ioannem loquor, consobrinum & amicum sponsi, præcursorem, Baptistam, & martyrem Domini: Ideoq; nimirum vberiùs irrigata in tantum excreuit, vt inter natos mulierum nihil illâ sublimius posset inueniri. Omnino saluatori proximus erat, qui non solùm copulâ carnis coniunctus, aut amicitiâ intimus erat, sed etiam gloriâ annuntiationis, nouitate natiuitatis, penè originali, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales omnes ei propiùs accedebat* &c. quantò proximior Christo Maria, certè fuit illa propinquissima Christo, nimirum, vt propria & naturalis mater, vt maior propinquitas excogitari non possit, sed de hac audiendi sancti Patres.

BERN.

14. Pulchrè imprimis Diuus Bernardus sermone in capit. 12. Apocalyp. *Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruisti, quantam inuenisti gratiam apud Deum, in te manet, & tu in eo, & vestis eum, & tu vestiris ab eo, vestis eum substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ maiestatis, vestis solem nube, & sole ipso vestiris* &c. Petrus Damiani sermone de Natiuitate Virgin. *Cùm Deus in alijs rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicet, per identitatem, quia idem est quòd ipsa, hinc taceat & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem* &c. Diuus Bernardus Senensis tom. 3. sermone de glorioso nomine Mariæ declarans hanc propinquitatem quam habebat cum Deo Virgo omni tempore & occasione, sic ait: *Beata virgo fuit vicinissima quadrupliciter, Primò in incarnatione per carnis identitatem, quia eadem caro quæ fuit Virginis matris, facta est caro filij Dei, ideo illi dictum, Dominus tecum. Secundò in conuersatione, si quidem eum lactauit, eique ministrauit, eius absentiam sustinere non potuit, nam & dolens eum quæsiuit & in templo inuenit. Tertiò in passione fuit vicinissima per compassionem, quia recedentibus discipulis non recessit, stabat iuxta crucem Iesu. Quartò, in assumptione per gloriam.* Diuus Anselmus de excellentia Virginis cap. 3. *Intendat*, inquit, *& contempletur, videat & admiretur, vnum filium sibi consubstantialem, coæternum, omnipotentem, ex sua natura sine initio Deus Pater genuit, & per eum omnes creaturas, visibiles & inuisibiles ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam vnicum, quàm dilectissimum, & in omnibus omnino æqualem, non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit, in rei veritate esse beatæ Mariæ vnicum & dilectissimum, & naturalem filium: nec ita vt duo essent, vnus videlicet filius: alius filius sanctæ Mariæ Virginis, sed vnus idem ipse qui filius Dei in vna persona esset filius sanctæ Mariæ Virginis, & qui filius sanctæ Mariæ, vnus & idem ipse esset in vna persona filius Dei. Quis hæc audiens non obstupescat, & quod Deus tale quid velle potuerit, non vltra omne quod dici potest admirabile ducat?*

PETRVS DAM.

Maria vicinissima Christo quadrupliciter.

ANSELM.

Quod ex fonte Christo tantam hauserit gratiam Virgo, adscribendum illius descensui & humilitati.

§. IV.

Vnde acciderit Virgini, quòd Christo tam vicina existat.

Fons gratiæ Christus amat descensum non ascensum.

15. Sed iam inuestigandum quâ ratione acciderit, quòd ipsa fonti huic cælesti propinquissima omnium facta sit. De Rebecca refertur quòd descenderit ad fontem & impleuerit hydriam. Sed nulla creaturarum adeò descendit, atque Beata Virgo, vt mirum non sit hydriam sacratissimi ventris & animæ tantopere fuisse repletam, vt de Virgine dicat S. Augustinus: *Tecum* (nempe Deus) *in mente, tecum in corde, tecum in vtero, tecum in auxilio.* Vt mirum non sit, illam fontem ipsum habuisse & possedisse, iuxta illam D. Augustini meditationem in illud Psalm. 103. *Qui emittis fontes in conuallibus. Audi prophetam, super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem verba mea? Quid est super quem requiescet spiritus meus? Super humilem & quietum. Quis habebit fontem meum? Conuallis.*

AVGVST.

Humilibus dat gratiam.

BERN.

16. Certè nulli fontium adeò proprium vt descendat & non ascendat quàm Christo. Hinc D. Bernardus serm. 4. in Vigil. Natiuit. illud 1. Corinth. 2. de Christo explanans: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*, sic ait: *Lux est enim inaccessibilis,*

 pax

pax est quæ exuperat omnem sensum, fons est qui ascensum nescit, sed descensum. Et paulò inferiùs: *Sed quid est, quod diximus, in cor hominis non ascendit? Vtique quia fons est, & ascensum nescit. Scimus enim quia fontium natura est, riuos sectari conuallium, montium ardua declinare, sicut scriptum est: Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. Hoc autem est vnde admonere sæpius studeo vestram charitatem, quia Deus superbis resistit, humilibus autem gratiam. Fons enim ad altiora non ascendit, quàm sit locus eius, vnde prodit.* Sic D. Bernardus. Quàm maximè mortalium descendit Maria, quàm maximè descendit in illam fons vitæ Christus.

Humilitati suæ acceptam refert Virgo suam exaltationem. AVGVST.

17. Certè virginis humilitati & descensui adscribendam Christi in illa, & ex illa incarnationem pleno & vno ore testantur sancti Patres. Hinc D. Augustinus ser. 2. de Natiuitate Virginis sic eam alloquitur. *Dic, mibi, quæso, iam sancti sanctorum mater, quemadmodum myrtini odoris, & niuei coloris lilium conuallium sine succo humanæ propaginis, & sine imbre carnalis seminis, in sinu Ecclesiæ germinasti? Dic mihi, quæso, vnica mater, quibus manibus, vel quo Deitatis articulo in vtero tuo formatus est Dei filius, cuius Deus solus est pater? Dic, obsecro te per eum, qui te fecit, vt ipse fieret in te, dic (inquam) mihi, quid boni egisti, aut quantum præmium obtulisti, per quas potestates ambisti, quos patronos adhibuisti, quæ suffragia præmisisti, quo spiritu, vel qua cogitatione ad hoc, vt acciperes, præuenisti, vt virum, & sapientia patris quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, totus vbique manẽs, & sine vlla sui mutatione in vterum tuũ veniens, ita castellum castũ tui ventris incoleret, vt ingrediens, non læderet, exiens, incolume, custodiret? Dic, mibi, quæso, quemadmodum ad hoc peruenisti? & illa: Quæris à me quod obtulerim munus, & vnde mater effecta sim creatoris? oblatio mea fuit humilitas mea, & ideo magnificat anima mea Dominum, quia respexit, non auro eleuatam tunicam meam, non pomposo cultu radiantis auri ornamentum ceruicis meæ, aut pretiosorum lapidum, vel, margaritarum dependentium in auribus meis, decorem, aut gemmarum ruborem attendit, nec fuco mendaci colorem, sed respexit humilitatem ancillæ suæ, venit enim ad me mansuetus, requiescens super maternum spiritum humilem & mansuetum, & trementem verba sua.* Hæc ille. Concinit D. Ambrosius Ansbertus, qui in commentarijs super Apocalyp. beatam Virginem alloquitur. *O quantum meruisti! O quantum beata humilitas in sacra Virgine valuisti! quid enim in sacra virgine meruisti, nisi vt Deum homini coniungeres, vt verbum carni vnires? Etiamsi*, ait D. Bernardus serm. de Missus est, *placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit.*

Virgo ex humilitate concepit.

18. Neque vno in loco, sed pluribus ipsa virgo fatetur descensui & humilitati suæ adscribendum, quòd mater Dei effecta sit, in hunc sensum exponit & accommodat virgini illa verba Cantic. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*, D. Bernardus serm. 42. super Cant. quasi dicat: *Nullius mibi meriti conscia sum ad tantam dignationem, nisi quòd respexit Deus humilitatem ancillæ suæ. Nam quid ea aliud? Nardus mea dedit odorem suum, quàm placuit mea humilitas? Non mea, inquit, sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mibi, sed quæ sola inerat humilitas, dedit odorem suum.* Et quid clarius ad hanc attestandam veritatem, quàm ipsius virginis illa verba: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, quæ eius verba elucidans Ambrosius Ansbertus lib. 2. in Apocal. sic ait; *Cùm itaque Maria Virgo, idcò beata credenda sit, quia sine humano semine ex Spiritu sancto concepit, quia Dei filium, hominem factum, intemerata virginitate mundo edidit, radicem tamen suæ beatitudinis solerter inspiciens ait: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: ac si diceret: quia humilitas vera præcessit, quæ Dei filium ad habitaculum carnis meæ inuitauit, quæ Spiritum sanctum ad munditiam cordis mei attraxit, vt Verbi carnem cum verbo & Patre, in visceribus meis formaret, propterea beatitudinis nomen in cunctis generationibus ipsa promerui*, &c. BERN. AMBROS.

19. Christus ipse expendens virginis humilitatem, quâ læsus, quâ attractus in ventrem, & mentem virginis, illam comparat crini, dicens Cantic. 4. *vulnerasti cor meum in vno crine colli tui.* Per crinem intelligit Rupertus humilitatem, eleganter dicens: *Quid vno crine gracilius, & quid humilitate subtilius? quid crine flexibilius, & quid humilitate contractius? crinis vnus vix comparet, humilitas vix consentit quod computari possit inter homines.* De hoc ergo humilitatis Marianæ crine ait Dominus: *Vulnerasti cor meum in vno crine colli tui*, vel vt habet alia versio: *Excordasti me*, alij vertunt: *Percussisti nos corde*: Vel vt LXX. Interpretes transtulerunt: *Abstulisti cor meum*, hoc est filium cordis mei, quibus verbis non obscurè indicauit beatam Virginem armis suæ humilitatis, fortissimum Deum deuicisse, & à sinu eius vnigenitum extrahendo, in vterum suum adduxisse.

Humilitatem virginis, crini comparat Christus, quo se vulneratum affirmat. RVPERT.

Humilitas Virginis traxit filiũ è sinu patris.

Maria etiam post exaltationem suam humillima.

§. V.

20. SEd fortassis virgo, quæ antea humilis, & humilitate sua Deum attraxit: ad tantam euecta magnitudinem genitricis & Dei matris, iam de se magnificè sentire cœpit, iam ex conualle humilitatis in montem ascendit arrogantiæ & superbiæ

Ex adepta magnitudine nullam sumit occasionem Virgo sese efferendi.

perbiæ. Absit, hominum est planè carnalium, ob magnitudinem, præsertim corporalem intumescere, hac enim de causa cùm posset Deus omnes homines creare proceræ & excelsæ staturæ, id tamen nequaquam fecit, ne superbiendi illis daretur occasio, iuxta illud quod scribit Theodoretus in Genesis cap. 6. *Facilè mihi persuadeam, homines quosdam in terris vixisse immoderata magnitudinis, ita iubente Deo, vt intelligamus non ex infirmitate conditoris tantulam hominibus esse præscriptam mensuram, quando in procliui illi fuisset multò etiam maiores facere. Sed vt superbiæ tumorem reprimeret. Nam si in tantillo corpore, non inter se modò, sed in ipsum quoque conditorem superbiunt, quid intentatum reliquissent, si vasto corpore concitarentur.* Sic ille.

Post exaltationem Virgo humilior.

21. Non sic sacra humillima Virgo, nullam ex immensa illa maternæ dignitatis magnitudine, accepit sese efferendi, & solito magis de se opinandi, & sentiendi, ansam, iam Deo grauida ex animo cantat: *Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* Quæ verba etiam commodè hanc recipiunt interpretationem vt humilitatis nomine, non solùm designetur virtus ipsa humilitatis, sed etiam sumatur pro vilitate, exiguitate, vt perspicuum est ex illo ad Philip. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Et Iacobi 1. *Glorietur frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua.* Vbi humilis idem est, quòd vilis; & humilitas, idem quòd vilitas; vt Virgo dicere voluerit, Deum respexisse suam ipsius vilitatem & exiguitatem. Quā expositionem sequuntur Iansenius in sua concordia, Vatablus in scholiis super eundem locum, ibidemque Caietanus, Isidorus Clarius, Euthymius, Erasmus. Imò D. Bernardus serm. de B. Virgine super illud Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cælo:* Vbi sic inducit Virginem cum Elizabetha loquentem: *Beatam esse dicis quæ credidit, sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus* &c. Vatablus autem prædicta Virginis verba hìc vertit, *respexit nihilitatem ancillæ suæ.* Ecce in tanto culmine magnitudinis constituta, vilitatis, imò nec nihilitatis suę obliuiscitur, tot gratiarum fluenta soli attribuens diuinæ dignationi, nimirum ne si altè de se ipsa sentiat, & vallis esse desinat, omnia exsiccentur dona, quæ non alta, sed infima quærunt.

Dauid exaltatus intumuit, non sic Maria.

22. Non Maria imitata Dauidem patrem suum, qui dum vallis erat dicebat Ps. 38. *Et substantia mea tanquam nihilum ante te,* sed plenus iam cælestibus bonis cœpit intumescere, & eleuari, & per consequens exsiccari. Sed accipe hac de re loquentem Diuum Augustinum sermone 2. de verbis Apostoli. *Humilitatem, ait, nos docens*

AVGVST.

sancta Scriptura per Apostolum, dicit, cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Et ne sibi aliquid inde darent, quia dixit: Operamini, continuò subiunxit, Deus enim est qui operatur in vobis, ideo cum timore & tremore vallem facite, imbrem suscipite. Depressa implentur, alta siccantur. Gratia pluuia est. Quid ergo miraris si Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam? Ideo cum timore & tremore, id est cum humilitate, noli altum sapere, sed time. Time vt implearis: Noli altum sapere, ne sicceris. Sed iam, inquis, ambulo viam istam: Opus erat vt discerem, opus erat vt per doctrinam legis scirem quid agerem. Habeo liberum voluntatis arbitrium: Quis me ab ista via separabit? Si legas diligenter inuenis quendam de sua quadam abundantia, quam tamen acceperat, extollere se capisse, Dominum autem misericordē, vt doceret humilitatem, quod dederat, abstulisse, illum verò subitò inopem remansisse & misericordiā Dei recordatione confessū, dixisse: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternū. Ego dixi in abundantia mea. Sed ego dixi, homo dixi. Omnis homo mēdax. Ego dixi. Ego ergo dixi in abundantia mea. Tanta erat abundantia vt hoc dicere auderē. Non mouebor in æternū. Quid deinde? Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutē. Auertisti faciē tuā à me & factus sum conturbatus; ostendisti, inquit, mihi illud, quia illud quo abundabam de tuo erat. Ostendisti mihi vnde peterē, quia illud quod abundabam de tuo erat. Ostendisti mihi vnde peterem, cui retribuerem quod acceperam, cui gratias agere deberem, ad quem currerem sitiens, vnde implerer, & quo impletus essem ad quem custodirem. Fortitudinem enim meam ad te custodiam, quo te largitorem impleam, te seruatore non perdam, fortitudinem meam ad te custodiam, hoc vt ostenderes mihi, auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Conturbatus, quia siccatus; siccatus, quia exaltatus. Dic ergo siccus & aridus, vt rursus implearis: Anima mea velut terra sine aqua tibi, &c. semper mansit in valle vilitatis, in valle nihilitatis, nimirum, vt non exsiccaretur nec perderet fluenta gratiarum.

Psalm. 29.

Non Dauidem sed Abrahamū imitata est Maria.

23. Imitata est potiùs D. Virgo, parentem suum Abrahamum, qui videns se bonis omnibus ditatum & affluentē, & nihil contra se inueniens recurrit ad naturam, & inde se humiliandi ansam arripuit, quemadmodum D. Chrysost. hom. 23. in posteriorem epistolam ad Corinth. in Abrahamo obseruauit, expendens illa eius verba Genes. 18. *Ego autem sum terra ac cinis. Quoniam, inquit, non habebat peccata quæ diceret, sed vndique bonis operibus fulgebat circumcursans & nihil contra se inueniens, ad naturam ipsam confugit, & quoniam terra nomen videtur quodammodo honestum esse cineris addit* &c. Idem agit & multò perfectiùs D. Virgo, quæ cùm posset quatuordecim Reges & eo amplius in suo stemmate numerare, & tot præterea, ac tantis esset à Deo donis & prærogatiuis locupletata, vilem tamen se & abiectam prædicabat, considerans videlicet

Cùm desunt peccata, quibus humiliemur, ad naturam recurrendum.

cet se eiusmodi donis, non suo merito, sed diuino beneficio cumulatam, imò cùm videret se vndique spiritualibus opibus circumfluentem recurrit ad naturam, & inde se humiliandi ansam arripuit, quæ est summa humilitatis præstantia.

24. Hebrææ mulieres sponsum in domum vel etiam in lectulum extinctæ matris introducebant, Genes. 24. *Introduxit eam in domum genitricis suæ* Cantic. 3. *Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* At quis est lectus matris nostræ vt in eum Christum sponsum introducamus? Nyss. orat. 9. in Cantic. *Conclaue*, inquit, *illud cor est, quod tunc demum ad recipiendam inhabitationem diuinam idoneum est*, vbi ad statum illum redit, *in quo rerum erat initio, cùm ab auctore suo, quasi à matre formaretur.* Hæc ille, innuens nostram, vt sic dicam, nihilitatem, matrem esse, ex qua geniti sumus, in cuius lectulum sponsus Christus introducitur. In hunc lectulum, introduxit virgo Christum Lucæ 1. dum ait: *Quia respexit humilitatem*, vilitatem, nihilitatem, *ancillæ suæ.*

Nihilitas mater nostra, in cuius lecto suauiter decumbit Christus.

25. Vis scire quàm grata sit Deo, cùm nulla in te inuenias peccata vnde trahas humilitatis ansam, consideratio hæc vilitatis, exiguitatis & pulueris tui? D. Paschasius lib. 4. in Threnos premens illud Iob cap. 28. *Glebæ illius aurum*, sic ait: *Gleba ex humore & puluere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito se puluerem esse veraci cognitione confitentur, dum vita virtutibus clarescunt, quasi aureæ glebæ in Ecclesia renitescunt.* Isaias post ingentem illam visionem gloriæ, hæc intra se ruminabat cap. 6 *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum.* Vbi Chrysost. *Visio hæc, vt vilitatē propriæ materiæ agnosceret, effecit.* Etenim tales sunt sancti omnes, si quando quopiam cumulatiore potiuntur honore, tunc dimissiùs se deijciunt, hinc Christus Matth. 5. Apostolis dicit, *vos estis sal terræ.* Cur quæso terræ meminit? nimirum vt Apostolatus gloriâ splendidi cogitarent se puluerem esse & ad ipsam recurrant naturam, nè excidant istâ gratiâ, sed in ea firmiter persistant, vnde sic in hæc verba D. Hilarius, *Ideo eos sal terræ nuncupatos monet tradita sibi potestatis virtute persistere.*

Sancti quò honoratiores, eò dimissiores.

Paschas.

Chrysos.

Hilar.

26. Admiranda sanè Virginis humilitas, quod cernens se tot circundari donis, & quasi gratiæ quandam esse abyssum & gratiarum quoddam immensum mare, nihil prætereà contra se inueniens, non eleuetur, non redundet, sed ad naturam recurrens, in sua persistit vilitate, & nihilitate. Nam vt ait D. Bonauentura de profectu Religiosorum lib. 2. cap. 33. *Si humiliatur, & despicit se, qui non habet vnde glorietur, sed multa vnde confundatur, licet sit ista humilitas tamen non admiranda* &c. Et D. Bernardus serm. 45. in Cantic. *Ei qui grauiter peccauit, etsi amanda non tamen admiranda humilitas: At si quis innocentiam retinet & nihilominus humilitatem iungit nónne sibi videtur geminum animæ possidere decorem* &c. Hinc conijce quàm magna Virginis humilitas, Mare gratiarum est, infinitis refulget donis, Innocentiam retinet, & ad naturam recurrens sese humilians ait: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* O verè magnam & quidem maximam Virginem, quæ quantò maior, tantò humilior, iuxta monitum Eccl. capit. 3. *Quantò magnus es humilia te in omnibus.* Et illud S. Aug. de Virgin. c. 31. *Mensura humilitatis*, inquit, *cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia quæ amplius amplioribus insidiatur.* Vt hac in parte Virgo, non tam Abrahamum, quàm ipsum Christum imitata videatur, de quo Origenes tract. 24. in c. 22. Matthæi: *Quantum enim*, inquit, *fuerat magnus tantum se humiliauit.*

Magnum quid si innocentiæ iungas humilitatem.

Bonav.

Bern.

Avgvst. Quò quis est maior, eò sit humilior.

27. *Sol*, ait Guilielm. Para. de institut. principis, *cùm est altissimè prouectus in zodiaco tum tardissimi motus est, ita quò fortuna te subuexit altiùs, hoc oportet animo leniori, minusq; feroci esse.* Sic ille. Dico ego, hoc oportet animo depressiori esse, atque humiliori esse, exemplo nimirum Christi solis iustitiæ, qui cùm ad instar Solis in altissima cæli parte resideret, tunc humillimè se gerens, carnem assumpsit; quod est dicere, summæ humilitatis opus executus est. Hoc Lucas cùm explicaret dixit cap. 1. *Visitauit nos* (nimirum per incarnationem, quod opus summæ demissionis fuit) *Oriens ex alto.* Græcis est ἀνατολή, quę vox solis & syderum ortum designat. Ad instar igitur Solis ortus est, cùm ad nos venit, cùm nostram carnem assumpsit, sed quomodo ex alto? cùm enim altum ascendit Sol, tunc meridies est, non diluculum, nimirum vt ostenderet tantam illam altitudinem, in tantam humiliationem descendisse, vt naturæ humanæ hypostaticè vniretur. Re ipsa comprobans tantam eius fuisse humilitatem, vt cum eiusdem magnitudine conferri possit. Ad instar etiam Virginis debemus esse animo humiliori. Nam illa Dei genitrix effecta, & per hoc quasi in solem lunamque conuersa, atque in alto, siue meridie sublimissimæ cuiusdam excellentię, constituta, seipsam magis humiliauit, se vilem & despectam, se cinerem & nihil reputans in oculis suis, vt meritò dici possit, & maxima & minima arbor, maxima in oculis Dei, minima in oculis proprijs, sed ideo maxima in oculis Dei, quia minima in oculis proprijs.

Gvliel. Quò sol altior, eò in motu tardior, Ita & Virgo.

Maria maxima & minima arbor.

Magni-

Magnitudo vera hominis, ex humilitate virtute æstimanda non ex diuitijs & honoribus.

§. VI.

Humilitas hominem magnificat.

28. Nihil enim est quod sic hominem, suaque opera magnificat atque ipsa humilitatis virtus, quâ seipsum homo planè abijcit, atque pedibus omnium subijcit, ita vt vera magnitudo in ipsa lateat paruitate, vt qui magnus esse velit necesse sit vt paruus fiat, *humiliemur in mente*, Greg. epist. 34. lib. 4. *si ad solidam conamur perueniere celsitudinem.* *Esto* (inquit Aug. serm. 213. de tempore) *paruulus in oculis tuis vt sis magnus in oculis Dei.* Et serm. 10. de verbis Domini: *Magnus esse vis à minimo incipe? Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis. Humilitate*, ait Ambros. serm. 11. *peruenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cælum, quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur.*

Greg.

Ambros.

Chrysos. Humilitas hominem & opera eius magnificat.

29. De operibus verò sic D. Chrysostomus hom. 38. ad populum. *Si magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat: Non sum dignus vt intres, & propterea dignus factus est, & admirationi super omnes Iudæos habitus: sic & Paulus dicēs: Non sum dignus vocari Apostolus, & propter hoc omnium primus factus est. Itidem & Ioannes: Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, ideo amicus quoque fuit sponsi, & manum, quam esse calceamento dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat, exi à me, quia homo peccator sum Domine, & idcirco factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum, quàm cum extremis peccatoribus seipsum connumerare. Hoc est totius sapientiæ principium. Sic enim humiliatus & contritus, non inanigloria ventilabitur, non irascetur, non inuidebit proximo. Nec enim contritam manum, licet millies contendamus in altitudinem tollere poterimus. Si igitur & animam itidem conteramus, licet innumeri tumefacientes morbi eam extollant, neque tantillum eleuari poterit.*

Vera magnitudo non sine humilitate, non sine virtute.

30. Erras, erras toto cælo, ô Christiane, si veram magnitudinem putes sine humilitate, sine virtute, sine Christianæ vitæ perfectione consistere posse. Ob harum rerum considerationem de Ioanne Baptista ait D. Lucas cap. 1. *Erit magnus coram Domino.* Pulchrè Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Leuit. *Ostende mihi de scripturis, vbi aliquis peccator, aut parui meriti magnus appellatus sit. Nusquam opinor inuenies. Audi verò qui sunt qui magni appellantur. De Ezechia dicitur qui proficiebat valde quousque factus est magnus valde. Moyses dictus est magnus, & Ioannes Baptista magnus dictus est.* Postea verò de Christo dictum: *Hic erat magnus & filius altissimi vocabitur.* Notat in nouo testamento iam neminem sanctorum in scripturis magnū vocari, dicens: *Nūc autem Iesus magnus dicitur. Et post hunc iam nullus appellatus est magnus. Priusquam enim adesset qui verè magnus est ad comparationem reliquorum hominum magni appellati sunt sancti, quorum superiùs fecimus mentionem. Vbi verò aduenit ipse, qui non ex comparatione cæterorū sed sui magnitudine verè magnus erat, de quo etiam scriptum est. Quia exultauit vt gigas ad currendam viam: Vltra iam magnus nullus est appellatus.*

Cyrill. Alex.

Peccatum paruum facit hominem, virtus eminentem.

31. 1. Reg. 2. *Magnificatus est*, ait scriptura, *puer Samuel coram Domino*, in quæ verba bene D. Gregorius. *Notandum*, inquit, *est quòd puer Samuel, & magnificatus. Cur ergo puer, nisi quia humilis? Et cur magnificatus asseritur, nisi quia ad perfectionis erat celsitudinem sublimatus* &c. Ezechielis cap. 28. de primo Angelo antequam cecidisset, dicitur: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientiâ & perfectus decore in delicijs Paradisi Dei fuisti.* In quæ verba sic Hieronymus. *Vbi enim*, inquit, *similitudo Dei est, ibi & plenitudo sapientiæ & perfectus decor, siue quasi diuersis floribus ornata & composita corona virtutum.* Non sic iudicandum de superbo, de auaro, de iracundo, & cæteris vitijs dedito homine. Hi enim dicendi parui, pusillamines, mortui, fætidi. Optimè Cyrillus loc. citat. *Peccatum hominem paruum facit & exiguum, virtus eminentem præstat & magnum: Sicut enim agritudo corporis exile & exiguum facit corpus hominis, sanitas verò lætum reddit & validum, ita intellige quia & animam quidem agritudo peccati humilem facit & paruam, sanitas verò interioris hominis & virtutis opera, magnam eam faciunt & eminentem, & quantò magis in virtutibus crescit, tantò proceriorem reddit magnitudinem sui.* Quinetiam non dignatur D. Bernardus similes in viuorum numerum referre, sic enim ait serm. 1. de Apost. *Non viuit homo qui superbiâ inflatur, qui luxuriâ sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus, quoniam non est viuere, sed vitam confundere.* Et qualiter viuentium albo adscribentur cùm Deum amiserint, *Deus autem amissus*, ait Augustinus: *mors est animæ, anima amissa, mors est corporis.* Quinetiam homines peccatis assueti non solùm homines sunt mortui, sed fœtidi, vt idem inquit August. tractatu 44. de verbis Domini: *Tales consuetudine maligna pressi tanquam sepulti sunt vt de illis dicatur quod de Lazaro dictum est: iam fœtet.* Ac proinde nihili fiunt, tam à Deo, quàm iustis, & veris hominibus.

Greg.

Hieron.

Peccator exiguus, infirmus, mortuus, fœtidus.

Bern.

August.

Deus, & iusti parui faciunt peccatores.

32. Genesis 22. dixit Deus Abrahamo, *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam maris*, per cæli stellas, iustos; per arenam

arenam maris, peccatores intelligens, vt Lira. & interlinealis exponunt. Ecce quàm parui æstimat Deus peccatores; ad iustos quod attinet, timentem Deum quidem glorificant, potentes verò & elatos nihili faciunt, vt egregiè inquit S. Basilius homil. 3. in Matthæum: *Eiusdem namque benè constitutæ mentis fuerit, & agentem iniqua, quamuis elatum ac potentem, nihil pendere, & timentem Dominum glorificare, quamuis tenuem ac pauperis & despicabilis vitæ u.c quidquam externorum possidentem, quæ nos inuitent ad illius commendationem* &c. Idem loco citato exponens illa verba Psal. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat,* sic ait: *Qui virili præditus est fortitudine, & ad summum iam peruaserit iustitiæ habitum, suum ius, vt cuique pro dignitate dispertitur, ac distribuit, & malignè agentes nouit ad nihilum deducere, quantolibet magistratu illi polleant, quantislibet referti opibus se vendicent, sint licet generis claritudine conspicui ac illustres, ac quilibet sui nominis splendorem sustollant ac celebrent. Tantum si in his deprehendatur illa vitæ malignitas hos ad nihilum deducit, hoc est ne tantilli quidem æstimat, quod excelsi prorsus est ac præstantis animi.* &c. Luculentum huius rei habemus exemplum in Mardochæo, de quo scriptura Esther 3. *Cunctiq́; serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua & adorabant Aman, solus Mardochæus non flectebat genua.*

BASILIVS.

Mali, vesicæ & molæ asinariæ similes, iusti lapidibus pretiosis.

33. Et meritò quidem, tam Deus ipse, quàm iusti, tale ferunt de elatis & impijs iudicium, meritò erga illos taliter se gerunt, cùm in illis nihil sit veræ & solidæ magnitudinis, sed externa solùm quædam, eaque maximè fucata, & deceptoria, vtpote similes, vesicæ, vento inflatæ, hæc magna quidem videtur, sed si acicula illam pungas, vbi illius distensio, vbi magnitudo? Asinaria mola magna est mole, pretiosus verò lapis, vt adamas paruulus est, si tamen etiam pretium consideres multò maior est pretiosus lapis quàm mola asinaria. Eundem in modum superbi, qui instar asinariæ molæ à superbis & asinariis desideriis circumaguntur, magni sunt, externa mole, inflati superbiæ vento, diuitiis, honoribus &c. At verò si internam spectes molem, verumque pretium humiles paruuli multò eis maiores sunt, multò præcellentiores, imò hi verè magni sunt, illi paruuli; non enim externa moles magnum facit hominem sed interna. Egregiè D. Chrysostom. hom. 1. in ep. 1. Pauli ad Cor. *Est, inquit, quispiā altus statura corporis, alius autem cùm sit breuis, acceptis calceis fit altior. Quem ergo vocamus altum & magnum, an non eum qui ex se habet altitudinem? ille enim hoc habet alienum, & iis quæ sunt parua ascensis, fit altus, quod multis accidit hominibus qui pecunijs & gloriâ se efferunt, hisce inflantur, quod quidem non est altitudo. Est enim altus qui nullis eorum indiget, sed omnia despicit, à seipso habet magnitudinem: Simus ergo humiles, vt efficiamur alti.* Hæc Chrysostomus.

CHRYSOS.

Cæcitas magna, hæc mundana, magni facere.

34. Ex quibus patet, quanta cæcitate & ignorantiâ laborent mundani, dum externa hæc, & quæ circumstant hominem, magni faciunt, & ob earum possessionem magnos æstimant, & reputant homines. Vnde bene Hieronym. ad Eustochium sic ait: *Nihil verò nobis clarius potest ostendere, quanta cæcitate & ignorantia, nostra hac tempestate homines laborent, quàm quod venerantur externos hominis apparatus: cùm præclaras animi dotes nihil facimus.* Quod amplius nominat Chrysostomus hom. 10. in epist. 1. ad Thessal. incantationem quandam esse hominem ob externa hæc bona venerari, *Incantatio quædam est, inquit, & prestigium, quod aurum & argentum tantopere nobis honoratur.* Quod equidem non aliunde nisi ab illa radice euenit quam Philo assignauit Iudæus lib. de insomnijs, dum asserit: *Iudicium esse animæ pauperis & nullius magnanimitatis has materiales mirari diuitias, & proprium illud imperiti esse populi, quique solis præsentibus est intentus.* Quod certè verissimum, nam animo qui verè magnus est, nihil magnum, nisi ipse Deus, & cælestia, verissimaque bona. Pulchrè hosce malos rerum æstimatores vellicat. Seneca libr. 10. epist. 77. dicens. *Gladium bonum dices, non cui deauratus est Balthaus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis est acies, regula non quæ formosa, sed quæ recta sit, quæritur, ergo in homine nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantū fœneret, à quam multis salutetur, quàm pretioso incumbat lecto, sed quā bonus sit.*

HIERON.

CHRYSOS.

SENECA.

Plenum stultitiæ colere malum propter bona externa.

35. Quinetiam hosce malos rerum æstimatores arguunt creata omnia conclamantia ad peccatorem teste D. Augustino serm. de verbis Domini. *Sicut tu nos bona vis habere, sic & nos volumus habere bonum Dominum, & tacita voce interpellant contra te Dominum tuum, Ecce tanta bona dedisti huic, & ipse malus est.* Cùm ergo hæc dixisset, exclamat tandem, sic dicens: *Illudq́; mirum in hac re est: quòd bona videntur insurgere contra malum Dominum & iniquum possessorem, nos verò ipsi colimus illum propter bona quæ iniustè & iniquè possidet* &c.

AVGVST.

Quod sacra Virgo sit arbor fortis, & de varia Virginis fortitudine.

§. VII.

Maria arbor fortis ob varias rationes.

1. VIdimus, quantæ magnitudinis arbor sit, Virgo, videamus quantæ fortitudinis, legimus enim Daniel. 4. *Magna arbor & fortis.*

Primò,

Quia Deũ è cælo traxit.

Primò, tantæ fortitudinis Virgo, vt suis meritis & oratione Deum è cælis, in terram, deduxerit, de sapientia legimus Sapient. 4. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter:* Sic Maria, maximè extrema vnit, atque coniungit, nempe Deum & hominem. Tantæ fortitudinis Virgo, vt portauerit eum, qui portat mundum, hinc Chrysol. ser. 143. *Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terrâ, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit. Portauit eum, qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutriuit omnium viuentium nutritorem.*

Chrysol. Quia Deũ portauit.

Quia contriuit caput serpentis.

2. Secundò, tantæ fortitudinis Virgo, quòd contriuerit caput serpentis, iuxta illud Genes. cap. 3. *Ipsa conteret caput tuum,* quam eius expendens fortitudinem, Diuus Bernardus sermone 2. de B. Virgine eam dicit esse fortem illam mulierem, de qua legimus Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet.* Transpono illius verba: *Ipsa proculdubio caput contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia, deduxit ad nihilum. Quam verò aliam Salomon requirebat, cùm dicebat: Mulierem fortem quis inueniet? Nouerat quippe vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem, quia tamen, & Deum legerat promisisse, & ita videbat congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans aiebat: Mulierem fortem quis inueniet? Quod est dicere: Si ita de manu fœminæ pendet, & nostra omnium salus & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria, fortis omnino necesse est, vt prouideatur, quæ ad tantum opus esse possit idonea, sed mulierem fortem quis inueniet? At ne hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando: Procul, & de vltimis finibus pretium eius. Hoc non vile, non paruum, non mediocre, non denique de terra, sed de cælo: nec de cælo proximo terris pretium fortis huius mulieris, sed à summo cælo egressio eius.* Et sermone in verba Apoc. signum magnum. *Insipientia omnis longè sub pedibus eius est, vt penitus absit hac ab insipientium mulierum numero & collegio virginum fatuarum. Immo verò & vnicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus vt Luna, sapientiam perdidit, in decore suo, sub Maria pedibus conculcatus & contritus, miseram patitur seruitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput, virtutis pede, contritura.*

Bern.

Idem Mellifluus Doctor serm. super *signum magnum*, alio ex capite expendens Virginis fortitudinem, sic scribit: *Nimirum, ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput, virtutis pede, contritura, cuius planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem: Alius non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat; Alius paruulum non peperisse, sed reperisse sibilabat: alius vel post partum viro cognitam blasphemabat: alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen θεοτόκος impijssimè sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes.* Huc vsque Bernard.

3. Tertiò, Tantæ fortitudinis Virgo, vt adumbrata fuerit, in muliere Thebæa molari lapide, cõfringentis cerebrum Abimelech, sic enim legimus Iud. 9. *Vna mulier, fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius*, sic etiam Maria diaboli caput confregit, lapide illo angulari, filio scilicet suo. Vnde sic eam alloquitur B. Andreas Eremita apud Nouarr. in vmbra Virg. num. marg. 774. *Mulier quædam Thebæa impium Abimelech cum fragmine molæ interemit, tu Virgo, cum lapide angulari Christo diabolum occidisti;* mortuus enim quodammodò videtur dum vires suas contra nos exercere non potest.

Quia lapide Christo angulari diabolum occidit.

Andr. Eremit.

4. Quartò, tantæ fortitudinis Virgo, vt murus sit, qué nullius concupiscentiæ aries tetigerit, tantum abest, vt deijcere potuerit; per quem, & nos ab omni voluptatum impetu, cor nostrum, tueri possimus. Cant. 8. de seipsa ait; *Ego murus & vbera mea sicut turris*, in quæ verba sic Hugo Card. *B. Virgo murus est stabilis, & firmus, nobis ad defensionem & munitionem datus, in cuius persona subditur. Ego murus, per exemplum scilicet pudicitiæ, & conuersationis sanctæ. Murus est, deuotè eam venerantibus, strenuè imitantibus.*

Quia murus est liber ab ictibus concupiscentiæ, à quibus etiam nos tuetur.

Hugo Card.

5. Quintò, tantæ fortitudinis Virgo, vt à proposito Virginitatis, perpetuò seruandæ, auelli non potuerit, etiam diuinæ maternitatis, sibi oblato, summo & inexplicabili beneficio. Hinc Guerricus Ab. sermone in Annunt. Deip. ad similitudinem Christi, de quo ait Paulus 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*, dicit eam meritò petram esse nominandam, sic fatus. *Si ergo petra Christus, vt Apostolus, non degenerat à matre filius, quando & ipsa petræ nomine censetur. An non rectè vocatur petra, quæ & in amorem integritatis, proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso, aduersus illecebram peccati tota insensibilis erat & lapidea.*

Ob firmum Virginitatis propositum.

Guerric.

6. Sextò, tantæ fortitudinis Virgo, vt semper steterit, in omni gratia & virtute, vt fortissimæ illi domui meritò comparetur, de qua Prouerbior. capit. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum* &c. Hinc Virginem sic alloquitur Idiota de contemplat. Virgin. capite 4. *Sapientia, te gloriosissimam Virginem, Mariam ædificauit in domum solidam, & fortem, quæ nullo modo vacillare posset: Ideo excidit columnas septem ad te fortiter, & sublimiter sustentandam. Septem columnæ, quibus semper firma stetisti, sunt septem dona Spiritus sancti, quæ requierunt in te, & nunquam deseruerunt; per quæ stetisti firmiter & perseueranter in omni gratia & virtute.*

Quia firmiter stetit in omni gratia & virtute.

Idiota.

7. Septimò, tantæ fortitudinis Virgo, vt de illa scribat Ioann. à Cassian. *Omnia vincens, à nullo victa, nunquam mente fracta ex magnis*

Constantia maxima Virginis.

Ioan. Cassian.

potest rapere de manu mea) & in tantum robustus est, vt dicat ad eum, si transieris per ignem, flamma non comburet te.

A seipso, se maximè cauere debet homo.

14. Ferunt adamantem, suis tantùm pulueribus, aut ramentis domari, & elaborari: Ita etiam homo adamantinus, à nullo alio, nisi à semetipso, exteri & labefactari potest, sibi ipse damnũ inferre potest; & quid inde consequitur, quàm quòd à seipso sibi cauere maximè debet homo? Vnde sic monet Sapiens Eccli. c. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere*, id est, ab appetitibus tuis, & desiderijs, sunt enim quasi tot ramenta, quibus facilè labefactaberis.

5. Firmiter seruando, conceptum bene viuendi propositum.

15. Quintò, Virgo fuit instar petræ solidissimæ, ob firmum seruandæ Virginitatis propositum, nos etiam debemus nosipsos solidas exhibere petras per veram constantiam & perseuerantiam, quoties ab inimicis excitamur atque tentamur ad deserendum conceptum bonæ vitæ propositum, iam verò hac in re quàm nos molles & fragiles exhibemus, quibuslibet cedimus tentationibus &c.

6. Perseuerando in omni gratia & virtute.

16. Sextò, fuit Virgo, instar domus solidæ, perseuerauit enim, in omni gratia & virtute, vtinam etiam nos simus, instar domus ædificatæ super petram, vt quamuis in domum animæ incurrant flumina, eam concutiant venti, stet nihilominus immota, & perseuerans in accepta gratia, & acquisita virtute.

7. Tolerando, inuicto animo aduersa.

Postremò fuit Virgo in malis tolerandis inuicta, atque in superiori animi parte, licet vndique vallata grauissimis afflictionibus, plena pace, & perfecta animi in Deum resignatione, Virginem etiam nos pro modulo nostro imitemur, &c.

Quod Virgo arbor procera, & de insigni Virginis altitudine.

§. VIII.

1. VIdimus virgineæ arboris magnitudinem, & fortitudinem: Nunc videamus illius altitudinem; *Et proceritas eius cælum tangebat.* Quàm altitudo propria Virgini, illius indicat nomen. Maria enim idem est, atque, *Exaltata*, non vtique vsque ad cælum, sed supra cælum.

Maria superat omnem electæ creaturæ altitudinem. GREG.

2. Quis referat quanta Virginis sanctissimæ altitudo, & proceritas? *Mons fuit*, ait sanctissimus Pontifex Gregor. lib. 1. Reg. cap. 1. *beatissima Virgo Maria, qui omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit.* Sanctus Ephrem in oratione de Laudibus Virginis. *Intemerata prorsusq́, pura Virgo Deipara, Regina omnium sublimior, cælicolis, purior solis radijs & splendoribus, honoratior Cherubim & multo-oculis spiritibus, sanctior Seraphim; & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior*, &c.

Virgo quasi Cedrus, exaltata in libano. ANTONINVS.

3. Vt meritò Virgini competant illa verba Eccli. 24. *Quasi Cedrus exaltata sum in libano.* Id est, in cælo, siue paradiso teste S. Antonino, quia Libanus, candidatio interpretatur, quæ propria est cælo, vbi præterquam, quòd summa inueniatur puritas, etiam habitatores eius dicuntur Apocal. 7. amicti stolis albis. *In isto ergo libano gloriæ*, ait Antonin. p. 4. tit. 15. *exaltata est beata Virgo, non vt Cedrus, quæ est Christus, sed quasi Cedrus, quia super omnes angelos & sanctos est eleuata.*

4. Mons est Virgo, in vertice montium, vbi cæteri omnes montes sanctorum extremam ducunt suarum perfectionum lineam, hinc initium altitudinis & perfectionis accepit Virgo, & in hisce montibus sanctis, ponit prima altitudinis suæ fundamenta, vt meritò de illa canat Dauid: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Quo sensu, de seipsa, verè potest dicere Virgo illud Eccli. 24. *Radicaui, in populo honorificato*, id est in populo electo, & nimis honorificato, in cælis. Cur precor Virgo, non ait, exaltata sum in populo honorificato, sed Radicaui? *Radix*, ait Antoninus loco cit. *est principium arboris: imaginemur ergo summitatem perfectionis gloriæ Beatorum, esse in Seraphim, ordine supremo: ibi incipit perfectio gratiæ, & gloriæ Virginis.*

Dei matre, nihil altius potest excogitari. PETRVS CELLENS.

5. Tantæ est altitudinis Virgo, vt in quantum Dei est mater, illâ nihil altius potest excogitari. Vnde de illa scribit Petrus Cellens. lib. de panibus. *Si cæli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quàm ore excogitatum, protuleris: non assurget ad hunc superindicibilem honorem, quo creditur, & prædicatur Dei genitricis.* Psalm. 17. de incarnatione Christi, in vtero Virginis, agens Propheta, canit: *Inclinauit cælos & descendit*, in quæ verba sic Hugo Card. *inclinauit cælos sicut vas, vt totum effunderet.* Vt verè dixerit S. Thomas part. 2. qu. 26. art. 6. *Humanitas Christi, fruitio Dei, & B. Virgo, ex hoc quod est Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis.*

HVGO CARD. THOMAS.

CANIS.

6. De eodem sic fusiùs Canis. de Deip. lib. 4. cap. 23. *Nihil ergo mirum à veteribus, tria numerari, quæ tanta sint, vt ne diuina quidem potentia, maiora illis, in suo quoque genere effici possint; nempe humanitas Christi, maternitas Virginis, & essentialis Beatorum gloria, quæ in aperta summi boni contemplatione consistit.* Adstipulatur S. Bonauentura in spec. Virg. ca. 8. *Ipsa est mater, quæ tali filio est decentissima, ipsa est mater, cui talis filius decentissimus fuit, ipsa est quâ maiorem Deus facere non posset. Maiorem mundum posset facere Deus, maius cælum posset facere Deus, maiorem quàm Matrem*

BONAV.

Dei, non posset facere Deus. Vnde sic Virginem alloquitur D. Epiphanius in oratione de laudibus Virg. *Solo Deo excepto, cunctis superior exiftis*, &c. Et Andreas Cretensis Archiepiscopus Ierosolymitanus in orat. de assumpt. Virginis. *O Virgo*, ait, *regina omnis humanæ naturæ, quæ habes non comparabilem cum aliis appellationem; quæ excepto Deo solo, es omnibus altior*, &c. Vide quædam alia huc spectantia.

Epiph.

Andr. Cret.

Humilitate sua ad summam altitudinem peruenit Virgo.

7. Vis scire qualiter ad hanc altitudinem Virgo peruenerit? non aliâ sanè, quàm humilitatis viâ; est enim humilitas altissima, & humilis eo ipso quòd humilis est maximè excelsus, ac sublimis, quemadmodum & superbus eo ipso quòd superbus, est infimus, & abiectissimus. Itaque quod Christus ait Matth. 23. *Qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur*, non solùm accipiendum est, postquam se humiliauerit ille, & iste exaltauerit, sed in ipso humilitatis actu, supremam quandam altitudinem, & in ipso actu superbiæ summam abiectionem contineri: atque adeò Virginem beatissimam eo ipso, quòd se humiliauit, supra omnem fuisse euectam celsitudinem. Id quod ita exponit D. Augustin. lib. 14. de ciuit. cap. 13. *Est*, inquit, *aliquid humilitatis miro modo, quod sursum faciat cor: & est, aliquid elationis, quod deorsum faciat cor. Hoc quasi contrarium videtur, vt elatio sit deorsum, & humilitas sursum: sed pia humilitas facit subditum superiori, nihil est autem superius Deo, & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo: elatio autem, quæ in vitio est, eo ipso, quod respuit subiectionem, cadit ab illo, quo non est quidquam superius, & fit quod scriptum est. Psalm. 72. Deiecisti eos dum eleuarentur: non enim ait: Dum eleuati fuissent, vt prius extollerentur, & postea deijcerentur, sed cùm extollerentur, tunc deiecti sūt: ipsum quippe extolli iam deijci est.* Hæc Aug.

August.

Se humiliare, est exaltari, se exaltare, est deijci.

Aliam eiusdem rei præclaram etiam rationem affert D. Gregorius lib. 6. Mor. cap. 6. super illa verba Iob 5. *Qui ponit humiles in sublimi.* Quo loco docet D. Gregor. humiles, eo ipso, quòd se humiliant, altissimos fieri. *In sublimi*, inquit, *humiles ponuntur, quia cùm se ex humilitate substernunt altæ menti, iudicio cuncta temporalia transcendunt: & cùm se indignos in omnibus æstimant, rectæ cogitationis examine huius mundi gloriam transcendentes calcant. Meritò super angelos* (ait S. Bernard. serm. sup. signum &c.) *exaltata est, quæ infra viduas, & pœnitentes, infra etiam eam, de qua eiecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat.*

Greg.

Exaltata Virgo non est oblita humilitatis.

8. Verùm iam exaltata an oblita est Virgo humilitatis suæ, an ambulat in magnis & mirabilibus? absit, imò quò altior, eò submissior est, eò humilior. Quantò arbor est excelsior, tantò est profundior: profundas enim radices postulat proceritas atque altitudo; altissima arbor Maria, sed quæ profundas habet humilitatis radices. Sicut Cedrus exaltata est in libano, quia quantò Cedrus, altiùs in cælum ascendit vertice, tantò profundius radicem in ima demergit vt nulla quatiatur tempestate.

In summo honore, sit summa humilitas.

9. Vtinam hanc Virginem omnes imitentur, plerique humilitatem præ se ferunt, antequam exaltentur, sed exaltati, euanescit & exsiccatur in eis, humilitatis radix, iam dominantur in cleris, iam cum authoritate imperant eis, & cum potentia, iam inanis gloriæ turbo illos prosternit, illis accidit quod scribit D. Thomas super cap. 2. Matth. *In sublimibus constituti, ex leui verbo, contra se prolato, conturbantur, iuxta, Dauid Psal. 87. Exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus.* Vtinam monentem audiant D. August. serm. 213. *In summo*, ait, *honore, tibi summa sit humilitas.* Vtinam audiant monentem D. Gregor. 26. mor. 19. *Seruata*, inquit, *authoritate regiminis, ad cor nostrum sine cessatione redeamus; & consideremus assiduè, quòd sumus æqualiter cum cæteris conditi, non quòd temporaliter cæteris prælati, potestas enim quantò exteriùs eminet, tantò premi interiùs debet: ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne iam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit.* Hæc ille.

Thomas.

August.

Humilitas decus est honoris.

10. Gloriosum est, in sublimi loco, constitutum, animi submissionem, morumque humilitatem exhibere. Vnde D. Gregorius lib. 26. mor. cap. 19. *Mirum*, inquit, *valde est cum in cordibus sublimium regnat humilitas morum. Subtilissima ars viuendi est, culmen tenere, gloriam premere, esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire*, &c. Non aduersatur humilitas principatui, sicut exemplo suo, Dominus ostendit, imò imperio maximum affert splendorem, vt Augustinus docet sermone 213. de tempore. *Honoris*, inquit, *laus est humilitatis virtus*, &c. *Contra verò honoris & imperij maximum dedecus, est vitium insolentiæ.* Illud tamen obseruandum, ne sic præsul humilis fiat, vt subditorum effrænatam licentiam compescere non audeat, quòd D. Gregor. monet lib. 26. mor. cap. 19. his verbis: *Solerter*, inquit, *intuendum, ne dum immoderatiùs custoditur virtus humilitatis soluantur iura regiminis, & dum prælatus quisque plus se quàm decet deijcit, subditorum vitam stringere, sub disciplinæ vinculo, non possit.* Hæc ille, & alia in hanc sententiam. Beda Lucæ 22. *Necesse*, inquit, *est, vt rectorem subditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina, solicita circumspectione prouidendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa*, &c.

Greg.

August.

Greg.

Prælati humilitas, qualis.

Beda.

De

De pulcherrimis arboris Marianæ folijs, id eſt, Verbis.

SECTIO XXXV.

De gratia verborum ſacratiſſimæ Virginis.

§. I.

Quanta foliorum magnitudo in aliquibus arboribus. MAIOL.

1. QVartò, de arbore illa magna, forti & ad cælum vſque extenſa, dicitur: *Et folia eius pulcherrima*. Quis referat, quàm huius arboris, Marianæ, pulchra folia? Maiolus in diebus can. colloq. 21. refert apud Nigritas inueniri platanos admirandas, non tãtum ob vaſtitatẽ & humani vſus vtilitatem, verùm etiam, ob foliorum magnitudinem incredibilem: ſingula enim folia arborum, tres pedes lata, ac duodecim longa in continenti inſulæ Hiſpaniolæ à ſe viſa tradit Ouet. hiſt. lib. 8. ca. 1. Perſimilia folia ſunt in prouincia Malabra in Cael vrbe, cuiuſdam infructuoſæ arboris, ad ſex enim cubita longitudo eorum protenditur, totidemque ferè latitudo, ſed quod eſt maximè memorãdum tenuia admodum ſunt, atque telæ modo, ad plicandum percommoda, nam & papyri ad ſcribendum etiam vicem præſtant, atque in pluuiis, ampliſſimum, tutiſſimumque, tectorum modo, vmbraculum, vti tradit Nicol. de Canit. Cui accedit, quod memorant in Calicutis Regno compertam eſſe arborem, cui tantummodo ſunt quatuor aut quinque folia, ramorum vice expanſa, quorum latitudo tanta eſt, vt hominem à Sole, à pluuiis, ſingula tegant, arbori nomen eſt Melapolange, vt ſcribit Ludouicus Barthema, Iudic. libro ſecundo, capite decimoquarto. Ex iis igitur fidem aſſequuntur ea quæ tradit Leonius, in Africa videlicet exiſtere arborem fructiferam, cui nomen Maus ſeu Muſa, cuius folia vnius brachij, quaqua verſus menſuram occupent, eſt enim hoc in fructiferis arboribus perrarum, hiſce folijs, longè pulchriora Virginis, id eſt, Virginis verba. In foliis verba deſignari extra omnem eſt controuerſiam, vt docet Incognitus exponens illud Pſal. 1. *Et folium eius non defluet*. *Per folium*, ait, *in ſcriptura verba ſignificantur & hoc duplici ratione, quoniam ſicut folijs fructus ornatur, ſic & verbis compoſitis, ſcientia decoratur*. *Et hanc rationem aſſignat Hugo à ſancto Victore ſuper illud Danielis, Folia eius pulcherrima & fructus eius nimius, dicens, in folijs verba, in fructu vita deſignatur, quia ſicut folijs veſtitur fructus, ſic verbis compoſitis vita decoratur. Aliam rationem aſſignat Mag. in Gloſſ. dicens: quia ſicut folia tegunt fructus, ita verba Domini ſuas promiſſiones cuſtodiunt. Folium igitur Chriſti non defluit, quia eius verba ſancta & ſolida manent. Folium ergo eius non defluet, quia nullum verbum Chriſti erit irritum, ſed quodlibet deducit ad vitam ipſo dicente, cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Qualiter verba foliis aſſimileutur pluribus docet Ioannes Geminianus lib. 3. de vegetab. c. 21.

Per folia deſignantur verba. INCOGNITVS.

IOAN. GEMINIAN.

Quanta gratia in verbis Mariæ. BONAV.

2. Pulcherrimè de hiſce Marianis foliis D. Bonauentura in ſpeculo Virginis lect. 6. vbi ſic ſcribit: *Conſiderate, chariſſimi, in Maria gratiam labiorum, de qua in Pſalmo dicitur, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Tanta ſiquidem fuit gratia labiorum in Maria vt ipſa optimè per Iudith ſignari poſſit, de qua dicitur in libro Iudith capit. 11. Non eſt mulier talis ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum. Re vera non eſt, non fuit, non erit mulier talis ſuper terram qualis Maria fuit in aſpectu clariſſimæ vitæ, in pulchritudine mundiſſimæ conſcientiæ & in ſenſu verborum diſertiſſimæ linguæ. Gratiam autem verborum labiorum Mariæ videbimus euidenter, ſi verba labiorum eius ex Euangelio colligamus diligenter. Inuenimus autem ſeptem in Euangelio melliſluas ſententias de melliſluis Mariæ labijs diſtillantes, & melliſluam labiorum etiam gratiam optimè indicantes, iuxta illud Canticorum 4. Fauus diſtillans labia tua. Septem mellis ſtillæ ſunt ſeptem dulciſſima verba Mariæ, quæ ad Angelum, ad hominem, & ad Deum legitur habuiſſe ad Angelum Maria, habuit verbum caſtitatis & verbum humilitatis, verbum caſtitatis habuit Maria ad Angelum in labijs quando Angelo reſpondens dixit: Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco? Hoc eſt contra impudicos, qui non caſta, non pudica ſed impudica & turpia & carnalia verba in labijs ſuis habent. Verbum autem humilitatis ad Angelum habuit Maria in labijs quando Angelo humiliter reſpondens dixit? Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Hoc eſt contra ſuperbos & arrogantes, qui de ſe, nec humilia ſentiunt, nec loquuntur, ſed verba iactantiæ & inflationis in labijs ſuis habent, item ad hominem habuit verbum charitatis & verbum veritatis; verbum charitatis in ſalutatione, verbum veritatis in inſtructione. Verbum charitatis ad hominem Maria in labijs habuit, quando matrem præcurſoris tam affectuosè ſalutauit, quòd etiam infans in vtero eius exultauit. Hoc eſt contra rancoroſos, qui proximis ſuis vel charitatiuè non loquuntur, vel omnino loqui dedignantur. Verbum veritatis Maria in labijs habuit quando deficiente vino miniſtris dixit: Quodcumque dixerit vobis facite. Hoc eſt contra illos qui alios, non ad bonum ſed ad malum inſtruunt & malum eis cõſulunt. Item ad Dominum tria verba habuit Maria.*

Septies locuta inuenitur Maria in Euangelio.

Qualia verba Mariæ quæ ad Angelum habuit.

Qualia verba Mariæ quæ ad hominem habuit.

proximi, & sic absque causa nunquam legitur fuisse locuta, Eccli. 32. Adolescens loquere in tua causa, vix cùm necesse fuerit.

Quomodo locuta.

9. Quomodo autem locuta est si scire desideras. Quàm modestè, quàm sapienter, quàm scienter: Ita vt videatur verum esse de ipsa quod de Anna 1. Reg. 1. legitur. Quòd tantummodo labia eius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Huc vsque Albertus.

Bern. de Busto.

10. De verbis Mariæ vide etiam si libet Bernardinum de Busto to. 3. Marialis part. 2. ser. 5. & Richardum à S. Laur. de laudibus Mariæ lib. 4.

Verba Mariæ sanitatem & lucem conferunt.

§. II.

Maria verbis suis tonat contra vitia.

1. QVod de folijs arboris vitæ, dicit Ioannes in Apoc. c. 22. dici potest & de marianis foliis, nimirum, *folia eius ad sanitatem gentium.* Contra omnia vitia præsentaneum conferunt antidotum, vt ex superioribus satis innotuit. Et verbis Maria, contra omnia tonat vitia, vt pulchrè docet

Bonav.

D. Bonau. in speculo B. Mariæ, eā mari cōparans cū ait: *Tanta nēpe inundatio gratia, tanta profunditas & magnitudo in Maria fuit, vt ipsa bene mare plenum dici possit, iuxta illud, Tonet mare & plenitudo eius. Sicut in mari aquarum, sic in Maria sunt congregationes gratiarum, vnde scriptum est, congregationesq; aquarum appellauit maria. Dicitur quoque in Ecclesiaste. Omnia flumina intrant in mare. Omnia flumina sunt omnia gratiarum dona quæ intrauerunt in Mariam, iuxta illud sapientis, in me omnis gratia via & veritatis &c. Quàm plenum sit hoc mare, quàm plena gratiâ sit Maria B. Hieronymus aperit dicens: Bene plena, quia cæteris per partes præstatur; Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc ergo plenum mare audiamus contra vitia tonare. Tonet ergo mare & plenitudo eius. Tonet plenum mare, Tonet plena Maria. Tonet contra luxuriam, castitatem proponendo & dicat: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Tonet etiam contra superbiam humilitatem sentiendo & dicat, ecce ancilla Domini, &c. Tonet quoque contra ingratitudinem gratias agendo & dicat, magnificat anima mea, &c.*

Plurimos ad fidem conuertit Virgo.

2. Talem erant sanitatem conferentia verba virginis, vt plurimos ad fidem pertraxerit, præsertim post ascensionem filij, nam quicumque semel ipsam loquentē audiebat, quantumcumque infidelis esset atque obduratus, vel statim credidit, vel apud se firmiter statuit citò fidem recipere, hæc & similia de ipsa Sancti Patres Ambros. lib. 2. de Virgin. Germanus Patriarcha, Epiphanius & alij. De S. Catharina Senensi refertur quòd tantâ dicendi efficaciâ agebat & loquebatur de rebus diuinis, vt quotquot eam audirent ad pœnitentiam commouerentur & ad confessarios properarent. *Vidit egomet,* (ait Raymundus eius cōfessarius in vita eius) *nonnumquam vt mille & amplius homines ad eam videndam atque audiendam confluentes, atque ita statim commotos animo, vt lugentes properarent ad confessarios, quorum vnus ego eram, ea re Gregorius vndecimus, mihi ac duobus socijs meis potestatem dedit, omnes absoluendi qui ad eam venirent. Itaque non rarò vsque ad vesperam ieiuni permansimus, nec tamen audire potuimus omnes confiteri volentes, itaque postea sex confessarij, tandem duodecim constituti sunt, audiendis illorum hominum confessionibus, qui dies integros sedebant.* Si tam efficacia Catharinæ Senensis verba, quid de virgineis sentiendum & dicendum verbis?

Quotquot audiebant Catharinā Senensem, ad pœnitentiam commouebantur.

Raymundus.

Maria quæ plena cælesti luce & cognitione diuinorum mysteriorum.

Bernardinus.

3. Sed quis exprimat, quam diuinam lucem, quam cælestem diuinamque scientiam, & altissimam summorum mysteriorum cognitionem, verba virginis post Christi ascensionem contulerint, tum Apostolis tum aliis fidelibus? Pulchrè hac de re D. Bernardin. tom. 2. concionum ser. 2. de B. Virgine in serm. de B. Virgine. *Virgo,* ait, *sanctissima, quæ saluatorem genuit, peperit, & aluit; quæ iugiter eius adhæsit lateri, quæ comes indiuidua, nullo fere abfuit itinere, quæ intenta præ cæteris, inuigilauit verbo & operi eius sola saluatoris actuum insignia opera, mellifiua prædicationis genera, inaudita, contra mundum, & peccata, & tartareum zabulum, diuinæ seueritatis acerrima eloquia, quòd eis diu interfuit specialiùs vidit, secretiùs audiuit, citiùs agnouit, propensiùs retinuit, & Apostolis, alijsq; discipulis luculentiùs edidit, diligentiùs retulit, meliùs indidit, fideliùs tradidit. Hinc est quòd de ea legitur in Euangelio: Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Hinc in eius laudibus legitur, Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu sola supergressa es vniuersas. Licet enim in parabolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apostolis nota faceret, vt amicis, quædam tamen, credendum est, præ cæteris matrem suam, quemadmodum dilexisse, ita etiam propensiùs erudisse, quædam ei secretiùs intimasse, frequenter eam ad montem myrrhæ, & ad colles thuris sublimasse, in cellā vinariā occultasse, sui, prout nouit & voluit, gloriam Deificam, & supercælestem reuelasse notitiam, vnde Ioannes in Apocal. c. 4. De throno, ait (scilicet de Maria) procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, quia mater filij Iesu Christi parabolas, ænigmata, legalia, & mirifica gesta, dicta, opera, auidiùs ebibit, fideliùs credidit, sinceriùs, luculentiùsq; alijs edidit.* Hactenus D. Bernardinus.

Anselm.

Virgo post Christi ascensionem magistra Apostolorum.

4. Et D. Anselm. lib. de excellentia Virginis c. 7 dans rationem, cur Virgo in vita remanserit, sic ait: *Erat, vt hic quidem videtur vtilis & necessaria fidei nostræ virginis conseruatio post ascensum Domini, inter Apostolos eius.*

Quia

Vocem salutationis Mariæ folium esse aureum & maximæ efficaciæ.

§. III.

Mariæ verba aurea folia.

1. VErùm, dum verba Virginis penitiùs considero, non tum verba sunt quàm facta, non tam folia, quàm fructus, vel si folia dicenda, certè aurea sunt folia, vt planè, certa ratione, verba Virginis comparari possint verbis Christi, de quibus dicitur: *Ipse dixit & facta sunt.* Dixit, fiat lux & facta est lux, dixit, fiat firmamentum & factum est, dicit surdo, Epheta, id est, aperire, & apertæ sunt aures. Dicit leproso, mundare, & statim curatur à lepra. Dicit mortuę adolescentulæ, Thabita, id est, surge, & surgit, quæ iacebat mortua, dicit mortuo adolescenti. Adolescens tibi dico surge, & surrexit qui erat mortuus. Dicit Lazaro quatriduano, Lazare veni foras, & ligatus manibus & pedibus institis, foras prodijt. In Christo verborum folia sunt opera. *Ipse dixit & facta sunt.* Hæc est differentia inter Dei & hominum verba, quòd hæc ventus sint, illa verò facta atque opera. Exodi cap. 20. legimus quòd cùm Deus dedisset Moysi legem in monte Sinai, *Videbat*, ait Scriptura, *omnis populus voces*, & alio loco dicit: *Vos vidistis quæ de cælo locutus sum.* Quid voci cum oculis, cum auribus multum per omnem modum, nam auribus percipimus vocem. Pulchrè Philo lib. de migratione Abrahæ & lib. de Decalogo. *Humana*, ait, *vox auditu, diuina visu percipitur. Quare? quia quæcumque Deus dicit, non verba sunt, sed opera, quorum iudicium non tam est penes aures, quàm penes oculos*, verba hominum folia sunt quæ rapit ventus, verba Dei, longè alia. *Nemo vestrûm*, ait D. Bernardus serm. de SS. Petro & Paulo, *sic iudicet verbum Dei, fructus vide sunt verba Dei, non folia, & si folia, folia aurea sunt.* Idem de Virginis folijs, id est, verbis dicendum, plena sunt re plena effectu, ipsius dicere, facere est, dum loquitur maxima operatur, & proinde non tam folia, quàm fructus sunt, vel si folia, folia aurea.

Verba Virginis possunt comparari verbis Christi.

In Christo verborum folia sunt opera.

Virgo dum loquitur maxima operatur.

2. Vis huius rei claram apertamque videre experientiam? Ecce intrat domum Zachariæ Maria, salutat Elisabeth. Quid energiæ, quid viriũ, quid efficaciæ, non habet hæc salutationis Mariæ vox. Audi Lucam Euangelistam loquentem c. 1. *Intrauit in domum Zachariæ & salutauit Elisabeth. Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Pulchrè de efficacia Marianæ vocis Guarricus Abbas serm. 1. in natiuitate Ioannis Baptistæ. *Qui enim*, ait, *Propheta & plusquam Propheta futurus erat, imò ante prophetare, quàm profari, priùs Deum quàm seipsum sentire cœperat, parentes quoque suos Prophetas faciebat, & in eos qui in se transtulerant carnis substantiã, spiritus sui & gratiæ superabundantiam refundebat. Nam & Elisabeth postquam exultauit in gaudio infans in vtero eius, tunc & ipsa prophetauit, repleta Spiritu sancto: quia nec dum loquens filius, matri tamen occultam Domini præsentiam exultatione manifesta reuelauit. Salutabat Saluatorem motu quo poterat, & in occursum Domini præcursor impiger erumpere gestiebat. Planè incomparabilis gratia, inæstimabilis diuinæ virtutis potẽtia. Vox Mariæ dum auribus Elisabeth insonat, ad cor Ioannis penetrat: qui abstrusus intra materna latebat viscera spiritum eius animat, gaudioque salutari vegetat: & cui virtus naturæ vix adhuc totam insuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeò vt etiam de plenitudine filij copiosè videatur in matrem refundi. Verè gratia plena, Maria, manifestè Deus totius gratiæ in eã erat, de cuius munificentia, tam copiosè, tam magnificè, principaliterq; in matrem, de matre in Ioannem, de Ioanne in parentes gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ, fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ & gratiæ oriebatur de medio paradisi ad irriganda ligna paradisi.* Hactenus ille.

Efficacia Marianæ vocis. GVARRICVS.

3. De virtute & efficacia vocis Marianæ, sic expressiùs Toletus in cap. 1. Lucæ Annot. 117. Attende salutationem beatæ Virginis, verbaque ipsa, non tantùm significatiua, sed etiam effectiua fuisse, velut instrumenta quædam, per quæ diuina omnipotentis virtus operata est in Ioanne & Elisabeth, quæ sequentibus verbis narrantur. Sicut enim verba hominum, per quos Deus mira operatus est, erant significatiua, & efficacia, quale fuit illud verbum Iosue cap. 10. *Sol contra Gabaonem ne mouearis, & luna, contra vallem Aialon*, quod solem stare fecit, Deo operante per hominis verbum. Et sicut verbum Petri Act. cap. 3. *Surge, & ambula*, claudum ambulare fecit, fuitque instrumentum virtutis Dei: Et sicut verbum Sacerdotis: Ego te absoluo, aut, ego te baptizo, non tantùm significant, sed etiam efficiunt; ita etiam verbum salutationis beatæ Virginis, significatiuum fuit, & effectiuum, per quod Deus & Ioannem purgauit à peccato, & ipsum & matrem Spiritu sancto, ad fidem veram Christi incarnati profitendam, & ad mira prophetanda, impleuit. Cùm enim Christus beatæ Virginis Spiritu sancto plenæ, vterum quasi nouus hospes incoleret, voce matris vti voluit loco vocis propriæ, ad salutem efficiendam in Ioanne & Elisabeth, quod significat Euangelista dicens: *Factum est vt audiuit salutationem*

Verba Mariæ non tãtùm significatiua, sed etiam effectiua. TOLETVS.

mo: *Protege me à facie impiorum qui me afflixerunt.* Item de eodem: *De ventre matris meæ tu es protector meus.* Item *tamquam prodigium factus sum multis & tu adiutor fortis. Beseleel ergo cum socio arcam testamenti fabricauit, sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificauit, ac templum sanctissimum consecrauit, hospitiumque mundissimum sibi præparauit, thalamum quoque, de quo sponsus, præ filijs hominum speciosus, ad publicum procederet, decenter præordinauit.*

Arca de lignis sethim & Maria.

9. *Arca verò testamenti de lignis sethim facta est, & Maria de spinoso & hispido Iudæorum populo & arido procreata est, qui vtique spinosus detractione, hispidus superstitione; aridus fuit vnctione diuinæ gratiæ. Vnde spinosus spineam coronam Regi suo exhibuit, & in eum sicut ignis in spinis exarsit. Sethim enim interpretatur spina. Aliter, Eua spina, rosa Maria. Reuera Eua spina fuit, quæ & virum suum ad mortem pupugit & posteritati suæ peccati aculeum infixit. Vnde Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors, & sic in omnes pertransijt.*

Maria arca in quâ thuribulum manna & virga.

10. *De lignis verò Sethim condita est arca in quâ thuribulum manna; & virgo, sunt recondita: quia licet Maria de patrum natura per peccatum vitiata, duceret originem, prælecta tamen per Spiritum sanctum, est præseruata, ac purum Deum nobis obtulit & hominem. Thuribulum sacrosanctum, carnem significat Saluatoris, quæ aurea dicitur, quia nullius passa est detrimentum pudoris, agnus scilicet sine macula, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, de quo per propheticum dicitur eloquium: Ecce puer meus electus, posui super eum spiritum meum. Carbones thuribuli sunt opera Iesu Christi. Carbones isti aliquando mortui, quandoque verò sunt ignei, quia in Saluatore nostro nunc propria tolerabat humanitas, nunc propria faciebat diuinitas, ignis in carbone, diuinitas est innocens in opere. Ignis in prunis, euidens est indicium diuinitatis. Carbo mortuus, in præsepe iacens, igneus dæmonia expellens, mortuus in Ægyptum fugiens, igneus vendentes & ementes columbas de templo eijciens; mortuus dormiens in naui. Igneus imperans ventis & mari, mortuus subditus parentibus. Igneus quatuor satians hominum millia de septem panibus. Mortuus ad puteum Iacob rogans potum. Igneus circa Iericho illuminans cæcum & sanans leprosum. Carbo erat mortuus dum à diabolo tentaretur. Igneus dum ei ab Angelis ministraretur. Mortuus in proditione discipuli. Igneus in filio reguli. Sopitus dum ei Herodes illuderet, igneus dum mortuorum suscitator magnificus fieret. Sopitus dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur, igneus dum ab eo decem leprosi mundarentur. Sopitus dum à Iudæis se absconderet, sopitus dum cum publicanis & peccatoribus ederet, igneus dum ambularet super vndas, igneus dum ex aqua facto vino lætificaret conuiuas. Sopitus iacens in cunabulis, igneus fulgens in miraculis. Sopitus ante tribunal præsidis: Igneus in filia Chananitidis. Sopitus in Cruce, igneus in monte: Prunæ ergo mortuæ erant humanitatis opera, ignita diuinitatis miracula.* Hactenus D. Bernardus.

Thuribulum caro Saluatoris.

Carbones thuribuli opera Christi. Isa. 43.

11. Numer. c. 10. cùm eleuaretur Arca, dicebat Moyses. *Surge Domine & dissipentur inimici tui & fugiant qui oderunt te à facie tua.* Quæ verba explicans S. Bernardus tom. 3. sect. 11. artic. 1. cap. 2. de Deipara, ait his verbis: *Mysticè innuitur quòd quando eleuata fuit gloriosa ad cælestia regna, dæmonis potentia immutata est & dissipata. Vnde ipsa dicere potest illud Ecclesiastici, superborum & sublimium colla propria virtute calcaui.* Idem etiam Ioannes Damascenus oratione 2. de dormitione Deiparæ ad beatæ Virginis potentiam in coercendis tartareis hostibus dicens: *Iubilemus in arcâ Domini Dei toto animo. & muri cadent Iericunthini contrariarum potestatum infestæ munitiones.* Vide hac de re Ioan. Carthagen. de arcanis Virginis tom. 3. lib. 15. homil. 11. & Barradium tom. 1. Conc. & histor. Euangel. lib. 7. c. 14.

Dum eleuata in cælum Maria dissipata fuit dæmonis potentia.

Illud Virginis, fiat mihi &c. folium esse aureum & maximè operosum.

§. IV.

Quàm stupenda legatio Angeli ad Mariam.

1. NVllam tam stupendam videre, vel cæli vel terræ legationem qualis illa quam describit Lucas in suo Euangelio cap. 1. dum ait: *Missus est Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph, & nomen Virginis Maria.* Quando viderunt Angeli spiritus, è cælorum summo, descendere Gabrielem, tamquam legatum altissimi, quo putas fuere stupore detenti? quando verò eundem viderunt celeri pernicique volatu petere Nazareth, atque ibidem tam festina voce salutantem Virginem, in quam, putas, fuere rapti admirationem? Quando verò percepere illam Gabrielis vocem: *Ecce concipies & paries filium & vocabis nomen eius Iesum,* quo stupore, imò quo gaudio, putas eos fuisse correptos?

2. Verùm dum vident Virginem cælestis illius legati verbis non mox assentientem, sed nectere moras, sed quærere excusationes, dum sibi persuadet, se non posse matris Dei insigniri titulo, nisi cum Virginitatis suæ, quam Deo deuouerat, detrimento, quàm magna putas eos fuisse admiratione detentos? Dum verò audiunt Gabrielem asseuerantem Spiritum sanctum superuenturum super eam, atque virtute altissimi obumbrandam, qua putas auiditate expectarunt Virginis consensum?

quibus votis desiderarunt, vt legationi annuat & consentiat Virgo?

Quàm feruenter omnes desiderarunt, vt Virgo præberet assensum Incarnationi Dominicæ.

3. Quibus putas ardentibus votis, omnes ciues cæli anhelabant, Mariam obsecrantes, vt misericordiâ moueretur, quâ sedes eorum antiquæ tandem instaurarentur? Qualiter putas ad Mariam suspirabant gementes & flentes in hac lachrymarum valle, omnes filij Adam & Euæ, damnationis æternæ rei, verbum redemptionis, verbum misericordiæ, verbum salutis expectantes? Omnes videntur illa, magno affectu, Virgini ingeminare verba, quæ scribit D. Augustinus serm. 17. de Natiuitate, *Responde iam Virgo Sacra eia age, responde. Assensum tuum Angelus præstolatur: Dominus in porta est, Angelum, quem moraris, expectat. O Maria sæculum omne captiuum! tuum deprecatur assensum* Omnes ad illam exclamant, omnes hasce ad Virginem dirigunt voces, quas mellifluo calamo exarauit D. Bernardus sermone 4. super Missus hunc in modum. *Audisti Virgo factum, audisti & modum vtrumque mirum, vtrumque iucundum? Iucundare filia Sion & exulta satis filia Hierusalem. Et quoniam auditui tuo datum est gaudium & lætitia, audiamus & nos à te responsum lætitiæ, quod desideramus, vt iam exultent ossa humiliata. Audisti, inquam, factum & credidisti: crede & de modo quod audisti. Audisti, quia concipies & paries filium, audisti quòd non per hominem, sed per Spiritum sanctum. Expectat Angelus responsum, tempus est enim vt reuertatur ad Deum qui misit illum. Expectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ: statim liberabimur, si consentis, in sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur, hoc supplicat à te. O pia Virgo, flebilis Adam, cùm misera sobole sua, exul de paradiso, hoc Abraham, hoc Dauid, hoc cæteri flagitant sancti Patres: patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione vmbræ mortis, hoc totus mundus tuis genibus prouolutus, expectat: nec immeritò quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum filiorum Adam, totius generis tui. Da Virgo responsum festinanter. O Domina responde verbum quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque omnium Rex & Dominus quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum, in quâ nimirum proposuit saluare mundum. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo, cùm tibi clamet è cælo. O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facies audire vocem tuam! ipse te faciet videre salutem nostram. Numquid non hoc est, quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imò tu ipsa non alia. Tu, inquam, illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Iacob iam morti appropinquans vitam sperabat æternam cùm dicebat: Expectabo salutare tuum Domine, in qua denique & per quam Deus ipse Rex noster ante sæcula, disposuit operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras quod tibi offertur. Quid per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur, dummodò præbeas assensum, respondeas verbum? Responde itaque citiùs Angelo, imò per Angelum Domino. Responde verbum & suscipe verbum. Profer tuum & concipe diuinum. Emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere, & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus conuenit nunc, vt virginalis simplicitas, obliuiscatur prudentiam. In hac sola re ne timeat prudens Virgo præsumptionem, quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietatis necessaria. Aperi Virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium, ô si te morante pertransierit, & rursus, incipias dolens quærere quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confessionem. Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Hactenus D. Bernardus.

AVGVST.

BERN.

Quanta Virgo, verbo illo, *fiat*, fuerit operata.

4. Certè inter omnia verba Mariæ nullum quod sic meretur nomen aurei folij, atque illud Virginis, *fiat*. Non tam folium est quàm fructus, & quidem fructus valdè ponderosus, & operosus, imò quò nullus ponderosior vel operosior. Cùm enim illud, *fiat*, verbum sit Virginis consentientis, siue assensum præstantis diuinæ voluntati, iuxta sententiam D. Augustini serm. 17. de Sanctis, Irenæi, lib. 3. cap. 33. Damasceni lib. 3. cap. 2. Bedæ in hunc locum & Euthymij sic loquentis: *Discessit Angelus ab ea, simul ac iam per verbum suum conceperat.* Quod idem dixit Anastasius Pontifex summus asserens. *Post illa verba: Fiat mihi secundum verbum tuum, ædificauit sibi Dominus templum & vniuit sibi humanam naturam.* Bone Deus, quis referat quantum Virgo, illo, *fiat*, concurrente Deo sit operata? quis referat quanta in Virgine peracta miracula? *Contremunt*, ait Suarez 3. p. tom. 2. dis. 9. sec. 4. *pijs ossa auditoribus, dum genitum ex ancilla audimus Dei genitum, vtriusque vnicum.*

5. Vis scire quidnam sit, Deum in ancillæ vtero hominem fieri? Audi Damascenum lib. 3. fidei cap. 2. *Contraxit*, inquit, *sibi ipsi ex castis & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali & intellectuali, primitias nostræ conspersionis, nec cum semine, sed conditorio opere per Spiritum sanctum ipsum Dei verbum carni suppositum, hypostasisque est. Non enim ei, quæ secundum seipsam ante subsisteret, suppositumque esset, vnitum est Deus verbum; sed sancta inhabitans Virginis vterum incircumscriptè*

scriptè in suâ hypostasi supposito, subsistentia, persona ex castis semper Virginis sanguinibus, carnem animatam anima rationali & intellectuali sustentauit: primitias assumens humanæ conspersionis ac massæ, ipsum verbum factum hypostasis. Quare simul caro, & Dei verbi animata caro rationalis, & intellectualis. Quamobrem non hominem Deificatum dicimus; sed Deum humanatum. Dicat breuiùs Augustinus epist. 3. ad Volusianum. *Ipsa magnitudo diuinæ virtutis animam sibi rationalem, & per eandem corpus humanum totumque omninò hominem in meliùs mutandum coaptauit. Quòd si autem mox quod conceptum erat animatum fuit: ergo etiam fuerat corpus figuratum omnibusque suis membris, & organis distinctum. Nam ante huiusmodi figurationem anima corpori non infunditur, vt omittamus informe corpus à diuinitate assumi non fuisse conueniens.* Itaque magnitudo diuinitatis coaptauit sibi in suppositum vnum, rationalem animam & carnem in melius mutans ac exaltans.

Maria miraculorum officina in conceptione verbi. BARRADIUS.

6. Miracula, hoc Virginis verbo, peracta enucleatius expendens Barradius in concord. & hist. Euang. tom. 1. lib. 7. c. 11. sic ait, meritò sanè, Virginem Deiparam miraculorum officinam, miraculorum item abyssum appellat Damascen. in orat. 1. de illius natiuitate. Expende quæso tecum tacitus huius admirabilis thalami harumque nuptiarum miracula. In nuptijs illis omnium ore decantatis, quæ in oppido Cana actæ sunt, vnum miraculum post Virginis verba est patratum, at in ijs multa multoque maiora miracula post illa eiusdem Virginis verba; *Fiat mihi secundum verbum tuum*, facta cernuntur. In illis aqua in vinum conuersa est, in ijs verbum caro factum est: quod opus vt Damascenus ait in oratione prima de Annuntiatione miraculorū omnium est caput. In illis natura deterior mutata est in meliorem, aqua in vinum, in ijs persona dignitate infinita præcellentior naturam assumpsit immensa intercrepedine inferiorem, verbum naturam humanam sibi copulauit. In illis fuit conuersio naturæ vnius in alteram: in ijs nullius fuit naturæ transmutatio. Duæ naturæ diuina atque humana integræ permanentes in vna & eadem verbi persona coniunctæ sunt. In duabus perfectis naturis, ait Damasc. lib. 3. fidei cap. 3. vnam filij Dei, & incarnati personam confitemur. Vnam nempe diuinitatis & humanitatis ipsius personam dicentes: & duas naturas post vnionem in ipso incolumes seruari confitentes. Non tamen vtramque harum seorsum collocantes, verùm in vna persona in se copulatas &c. Plenum miraculis est hoc miraculum.

7. Primum miraculum, Virgo integra Virginitate concepit. Secundum, Spiritus sanctus Virginem obumbrat, corpus Infantis temporis puncto efformat, animamque mirabilem infundit. Tertium, corpus & anima, eodem temporis puncto, cum verbi persona copulantur. Quartum, Deus fit homo. Quintum. Infans omni sapientia pollet. Sextum. Absque peccato originario, omni gratiâ plenus concipitur. Septimum, Infantis sanctissima anima protinus vt creata est Dei essentiam videt. Quænā vnquam maiora miracula orbis vidit? Vidit olim tempore Iosue Solem stantem, tempore verò Ezechiæ retrogradientem; at nunc videt Deum seipsum, vt Paulus loquitur, exinanientem. Vidit in igne conseruatam rubi viriditatem: nunc videt in conceptione conseruatam matris virginitatem, vidit Aaronis virgam absque humano cultu florentem, nunc videt Iesse virgam absque humana opera, optatum mundo fructum parturientem. Vidit virgam Moysis in serpentem commutatam; hîc videt humanam naturam cum verbi supposito copulatam. Vidit mare apertum, hîc videt Christum Deum Virginis vtero clausum. Vidit ventum mare rubrum exsiccantem: hîc videt Spiritum sanctum in Virginis visceribus, toto orbe pretiosiorem margaritam, procreantem. Vidit cælestem cibum è cælo decidentem: hîc videt Deum è cælo, in vterum Virginis, venientem. Optimo ergo iure Ecclesia illud de Virgine canit. *Tu quæ genuisti natura mirante tuum sanctum genitorem*, hæc enim miracula patrata sunt ipsa natura mirante & stupescente. Hactenus ex Barradio.

8. Iam verò, quis verbis assequatur quanta per hoc, *fiat*, in Virgine facta immutatio? Quem illo temporis articulo sensum Virginis sanctissimæ fuisse arbitramur, quem cordis affectum. Quomodo ardebat corde & animo cùm immensus ille diuini amoris diuinæque charitatis ignis qui missus erat in terram ad orbem inflammandum, totus se intra eius viscera contraxit? Quanta fuit meritis illius eleuatio, quantæ admirationes, quanti raptus ob summum ineffabilis huius Sacramenti arcanum, quæ humilitas, quæ gratiarum actio, quæ suauitas, quæ obsequiorum oblatio, quæ amoris incendia, quis erga nos omnes, etsi immerentes, charitatis excessus, cor illud occupauit. O Virgo benedicta, sola tu posses enarrare mirabilia quæ illo tempore es experta. Si ad vocem Sponsi liquefacta est animæ sponsæ, tu quomodo in ingressu ipsius sponsi in virgineum thalamum tuum, id est, inter tantas charitatis flammas tota consumpta non es?

Quanta mutatio in Virgine dum concipit Christum.

9. Quanto verò splendore Virgo per illud, *fiat*, fuerit irradiata, superat omnem dicendi facultatem. Si regium cubiculum nunc esset, cuius parietes ex varijs lapillis pretiosissimis constructi essent, qui mirum ex se emitterent splendorem, quò hominum oculos reuerberarent, mirabile profectò ac pretio-

Quanto splendore fuerit Virgo irradiata in Christi conceptione.

pretiosissimum cubiculum illud esset. Sed finge nunc euulsum è cælo solem in illud cubiculum includi cum vniuersa sua luce, quo obsecro splendore cubiculum illud illustraretur cum lumine solis, in lapillos irradiante. Ipsi maximè splenderent & lumen solis in eo esset, quod illud reddet illustrissimũ. Hoc ipsum Mariæ accidisse facilè ostendamus. Erat illa priùs Deo paratum cubiculum, omni lapide pretioso ornatum, nulla enim erat gratia, nulla virtus, nullum donum, quo illa careret, nec solùm hæc omnia habebat, sed in gradu perfectissimo. Sicut enim inter lapillos, alij sunt alijs pretiosiores, sic & in virtutibus & donis. Sicut enim stella differt à stella in claritate, sic virtus à virtute, illa ergo quam salutat Angelus gratiâ plenam miris splendebat donis, fulgebat virtutibus, ex quibus vt ex lapillis illi splendores procedunt, de quibus Isaias ait cap. 58. *Impleuit splendoribus animam tuam.* Certè si cui hominum à Deo concederetur Mariæ Virginis animam contemplari, & eius virtutes cernere, oculis aquilinis indigeret, ne nimio illius splendore oculi obtunderentur tanta Mariæ inerat interior claritas. Quem ergo splendorem, quod lumen, intra eam fuisse credendum est, cùm super hæc omnia quæ diximus, sol iustitiæ intra eam ingressus est, descendens à sinu patris in vterum matris, qui suâ præsentiâ vniuersas Mariæ virtutes, supra modum auxit, & lumine cælesti domum illam repleuit.

Assentiendo incarnationi Christi quantum meruerit Virgo. BERNARDIN.

II. Iam verò quis referat, quanti meriti fuerit in Virgine, actus ille fidei & obedientiæ? S. Bernardinus tom. 2. conc. serm. 51. art. 3. c. 10. dicit Virginem actu illo fidei & obedientiæ, quo Angelo Christi incarnationem annuntianti, assensit, & assentiendo sese condignè disposuit, ac de congruo meruit vt esset mater Dei, plus meruisse, quàm meruerunt omnes Angeli & Sancti in omnibus actibus suis, quia scilicet (vt explicat Suarius disp. 12. sect. 4.) eo actu meruit saltem de congruo eam dignitatem (maternitatem Dei) cui excellentior gratia & gloria quodammodo debebatur. Verba S. Bernardini hæc sunt: *Si quis considerat, ad tantum mysterium finalem virginei consensus terminum, clarè intelliget, quòd omnis dignitas & perfectio inclusa in hoc quod est esse matrem Dei, tam mente, quàm carne, comprehendatur in eo, quod quidem transcendit in merito in infinitum, quidquid aliud sub Deo homine, cogitari, vel dici potest. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus oportet quòd meritoria perfectio huius consensus, fuerit perfectioni sui termini pariter proportionata.* Ex hoc principio hanc conclusionem infert. *Ex his igitur colligere potest, Virginem beatam, in conceptionis filij Dei consensu plus meruisse, quàm omnes creaturas, tam Angelos, quàm homines in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus suis, nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status & gradus gloriam sempiternam: hæc autem Virgo in illo admirando consensu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, spiritus prophetiæ, discretiones spirituum, operationes virtutum: meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem filij Dei: meruit quòd sit stellà maris, porta cæli, & super omnia quòd Regina misericordiæ nuncupetur, ac talis nominis consequatur effectum. Vnde meritò Prouerb. vlt. de ipsa B. Virgine Salomon ait: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.*

De verbis Mariæ, quanta in eis luceat prudentia, quàm suauia, quàm dulcia sint &c. vide latè Nouarrin. in vmbra virginea num. marg. 1637. & multis sequentibus.

Quòd nomen Mariæ habeat rationem pulcherrimi folij.

§. V.

Mariæ nomen, folium pulcherrimum.

1. INter pulcherrima folia arboris Virgineæ referendum etiam sanctissimum illius nomen, foliorum omnium, quarumcumque arborum, elogia longè superans.

Mariæ nomen comparatur folio vitâ prædito.

2. Primò nomen Virginis comparari potest folio illi viuenti etiam postquam ab arbore deciderit. Scripsit enim Antonius Pigafetta relatus à Maiolo in dieb. Canic. Dialogo de plantis, in regno Burnei, arbores compertas, quarum folia animantia cùm sint, viuunt ex arboris succo, sicut reliquarum arborum folia; at si quando exciderint, scribit abscissas ab ramis aut truncis etiam pedunculis ambulare, nihil esculenti recipere, atque ita abscissa viuere in octauum diem. Idque se expertum tradit: seruatum enim vnum ex huiusmodi folijs ad octo dies, posteà immobile redditum, nempe mortuum extra genuinum locum, & alimentum memorat. Hisce folijs longè præstãtius est Mariani nominis folium. Quamuis enim è terris migrauit Virgo, ad cælestia regna, nihilominus nomen eius sacratissimum, viuit in ore hominum, viuetque vsque ad sæculi consummationem, expers omnis exsiccationis, omnis obliuionis, quia non humanitus, sed diuinitus, illi impositum, vt inter alios docet S. Antonin. part. 4. tit. 15. c. 14. hisce verbis: *Satis verisimile est, quòd cùm mulieres, non circumciderentur, sed mares, in quâ circumcisione, octaua die natiuitatis suæ celebrata imponebatur eis nomen: fœminis ipsis in die sua natiuitatis nomen imponeretur: & sic die quâ nata est, impositum est ei nomen Maria à parentibus, secundum Angelicam reuelationem.* Sic

Quædam folia viuentia, etiam ab arbore remota. MAIOLVS.

ANTONIN. *Quando Virgini inditum nomen Mariæ.*

Mariæ nomē ab Angelo insinuatum.

Sic ille. Et Idiota lib. de contempl. Deip. cap. 5. *Dedit tibi Virgini Mariæ tota supersancta Trinitas nomen, quod post nomen superbenedicti filij tui, est super omne nomen: vt in nomine tuo omne genu flectatur (vti manifestè patet) cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur huius sanctissimi nominis gratiam, gloriam & virtutem.* Dedit tibi, inquit, tota Trinitas nomen: quippe quod minimè deceret Deiparam Virginem ab alio, quàm à Deo nomen accipere, neque alius extra Deum, aptum illi nomen dare potuisset. Quibus præterea verbis & hoc insuper declarat, quanto in honore & idem nomen habendum sit: tanto nimirum, vt vniuersi, qui vel in cælo, vel in terra, vel in inferno sunt, genu flexo illud venerentur, omnisque lingua illius gloriam confiteatur.

Tota Trinitas dedit Virgini nomen. IDIOTA.

Quædam folia vicem præbent papyri.

3. Secundò. Folia papyri vicem præbuere quibusdam nationibus. Nam in prouincia Mangi, Tal, arbor, papyri officium egregiè præbet, vt scribit Maiolus dialog. de plantis ex Nicol. de Comit. *In Hispaniola Insula, cùm folia Coppei arboris, papyri vicem præberent Hispanis, & per illa, absentes, loqui absentibus, videret gens Indica, litterarum ad eum diem prorsus ignara, credebat occultum ijs spiritum inesse, quò animarentur. Itaque deinceps diu, nec colloqui ad eas audebant arbores, velut secretorum intelligentes indices.* An non quid simile de Virgine affirmare possumus? Nónne in illius carne, tamquam in pulcherrimo folio, scriptum diuinum verbum. Audi quid Angelus dictauerit S. Birgittæ serm. 1. Angel. *Sicut enim verbum, quod loquimur, quamuis corde cogitatur, & ore profertur, minimè tangi potest vel videri, nisi alicui rei materiali inscriptum fuerit. Ita etiam hoc verbum, scilicet Dei filium, pro humani generis saluatione tangi vel videri fuisset impossibile, nisi humanæ carni vnitum extitisset.*

MAIOLVS.

Verbū diuinum scriptum in Virgine tamquam papyro.

Mariæ nomen folium viride.

4. Tertiò. Folia viridis sunt coloris, qui color oculos turbatos reparat & confortat, hinc est quòd smaragdus, inter reliquas gemmas gratissimus sit oculis, propter colorem viridem, vt habet Plinius lib. 37. cap. 5. his verbis. *Nullius coloris aspectus iucundior est. Nam herbas quoque virentes, frondesque auidè expectamus: smaragdos verò tanto libentiùs, quoniam nihil omninò viridius comparatum illis viret. Prætereà soli gemmarum contuitu oculos implent, neque satiant. Quin & ab intentione alia obscurata, aspectu smaragdi recreatur acies. Scalpentibusq́; gemmas, non alia gratia oculorum refectio est, ita viridi lenitate lassitudinem mulcent. Prætereà longinquo amplificantur visu, inficientes circa se repercussum aëra non sole mutati, non vmbra, non lucernis, semperque sensim radiantes, & visum admittentes.* Et infrà: *Nero Princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdo.* Ergo sicut color viridis, iucundus est oculis, & visum reficit, non aliter & Mariæ nomen reficit, & vires ad pietatem addit.

Aspectus smaragdi, ob virorem iucundissimus. PLINIVS.

5. Vis scire quos Mariæ nomen reficiat? Primò Angelos, quod ipsa Deipara declarauit S. Birgittæ lib. 1. c. 9. his verbis: *Filius meus quantum etiam honorauit nomen meum, audi: Nomen meum est Maria, sicut legitur in Euangelio. Hoc nomē cùm Angeli audiunt gaudent in conscientia sua, & regratiantur Deo, qui per me, & mecum, talem gratiam fecit, & quòd vident ipsi humanitatem filij mei in Deitate glorificatam.* Et mox: *Angeli boni audito hoc nomine, statim appropinquant magis iustis quibus dati sunt ad custodiam.*

Mariæ nomen reficit Angelos. BIRGITT.

6. Secundò, reficit animas, in purgatorio, detētas, quod ipsa Deipara S. Birgittæ, loco cit. indicauit hisce verbis. *Illi qui in purgatorio sunt* (cùm scilicet hoc nomen audiunt) *vltra modum gaudent, tamquam æger in lecto iacens, si audierit ab aliquibus verbum solatij, & quod ei placet in animo, quo statim exultat.*

Mariæ nomen reficit animas in purgatorio. BIRGIT.

7. Tertiò reficit mortales. Vnde sic Idiota loco cit. *Non enim in vllo alio nomine, post nomen superbenedicti filij tui, tam potens adiutorium, nec est vllum aliud nomen, datum sub cælo hominibus, post dulce nomen Iesu, ex quo tanta salus hominibus refundatur: quia super omnia sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit.*

Mariæ nomen reficit mortales. IDIOTA.

8. Quartò. Quàm aliquarum arborum folia sint medicinalia, & ad sanitatem conferēdam efficacia, nemo non nouit. De quadam arbore, sic scribit Sozomenus l. 5. c. 20. *Memorant*, inquit, *arborem esse, quæ Persis dicitur Hermopoli, quod est oppidū Thebaidis, cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis, ægrotis admota, morbos à compluribus depulerit. Nam traditum est, Ioseph, cùm propter Herodem, assumptis secum Christo, & Maria sancta Deipara, fugisset, venisse Hermopolim, atque simul, vt portæ appropinquauit, istam arborem, licet planè maximam aduentu Christi, turbatam esse, atque ad solum vsque se inflexisse, & Christum adorasse.* Ita Mariæ nomen, folium, ad sanitatem gētium, id est, peccatorum. Hinc D. Anselm. lib. de excell. Virgin. c. 6. dicere non veretur, Deum ipsū gloriosissimum, huiusce nominis memoriā, magis nonnumquam moueri, postulataque propensiùs concedere, quàm memoriā nominis Domini nostri Iesu Christi: *Velocior*, inquit, *est nonnumquam salus, memorato nomine eius, quàm inuocato nomine Domini Iesu, vnici filij sui.* E vestigio porrò scribit: *Et id quidem non ideò fit, quod ipsa maior, & potentior eo sit: non enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo propitior salus in recordatione eius, quàm filij sui, sæpè percipitur. Dicam quid sentio. Filius eius Dominus est, est Iudex omnium, discernens merita singulorum. Dum ipse à quouis suo nomine inuocatus non statim exaudit; profectò id iustè facit. Inuocato autem nomine Matris, etsi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur; merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiatur.* Hucusque D. Anselmus.

Nomen Mariæ folium medicinale.

Deus interdum magis mouetur inuocato nomine Mariæ quàm inuocato nomine Iesu. ANSELM.

9. Quintò. Folia, rorem administrant, ad sitim refocillandam, & cætera omnia vegetabila, ne intereant, tradūt id quidā auctores, quos

Mariæ nomen folium sitim sedans.

Ab arboris cuiusdam folijs tota rigatur regio.
MAIOLVS.

quos citat Maiolus in Dialogo de plantis, sic scribens. *In Ombrio insula quam è ferro nuncupant, nouo nomine, nullum prorsus aquæ genus existit, cùm nec scaturigines, nec putei vlli sint, neque vnquam ibi pluat, sicut nec in Ægypto: at Dei beneficentia, ab arbore, aquarum scaturiginem excitat quotidie, summo crepusculo. Exudat enim plurimo quasi rore arbor illa à stipite, tum à ramis ac folijs, non aliter, atque si nebula in aquas solueretur: vbi Sol irradiauerit, soluta prorsus circa arborem nebula, desinit aquarum distillatio: profluit tamen illo modico crepusculi interuallo, tanta aquarum copia, quæ & incolis, & iumentis supersit, estque salubris.* Sicut folia ista rorem stillantia, folia vitæ, folia lætitiæ, meritò dixeris. Idem prorsus iudicium faciendum, de sacratissimo nomine Mariæ, quod non aliud spirat, quàm vitam, & lætitiam, miseris mortalibus, vt meritò sic Virginem alloquatur Germanus in serm. de Zona B. Virginis. *Si tu nos deserueris, quidnam de nobis fiet, ô sanctissima Deipara, spiritus, & vita Christianorum? quomodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita etiam sanctissimum tuum nomen, Virgo beatissima, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij, non solùm est signum; sed ea etiam procurat & conciliat,* &c.

Nomen Mariæ spirat vitam & lætitiam.
GERMANVS.

Vnde idem Germanus sic Virginem alloquitur in encomio Dei Genitricis: *O Domina, sola meum ex Deo refugium, æstus mei ros diuinus, arentis cordis mei ros diuinitus fluens.* Cui concinens S. Damascenus dum sic exclamat: *Tu Virgo vberrima benedictionis scaturigo, quæ nobis bonorum omnium causa & parens extitisti, vitæ immortalis puros latices fundis.* Iumentis etiam arbor prædicta administrabat aquam, nónne idem etiam verificatur in Maria adumbrata in Rebecca, quæ etiam camelis potum tribuebat, vt meritò sic Virginem oret & alloquatur D. Bernardus. *Ciba hodie pauperes tuos, ô Domina, ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero tantùm Abrahæ, sed & camelis potum tribuas de supereffluenti hydria tua, quia tu verè puella es prælecta & præparata altissimi filio.*

Maria assimilatur rori.
GERMANVS.
DAMASC.
Assimilatur Rebeccæ etiam camelis aquã tribuenti.
BERN.

10. Sextò. Folia palmæ referunt similitudinem oblongi gladij, & penetrantis, quam vim non habet penetrandi nomen Mariæ? Audi Idiotam loco citat. *Tantæ virtutis, & excellentiæ est tuum sanctissimum nomen, beatissima Virgo, quòd ad inuocationem ipsius cælum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt, & infernus conturbatur. Tanta est virtus tui sacratissimi nominis, ô semper benedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiam cordis humani.* Pende vltima verba.

Nomen Mariæ palmæ folium.
IDIOTA.

11. Septimò. Lauri folia, ob eum quem emittunt odorem, tantoperè lædunt vitem, vt si iuxta sit, auerti & recedere, saporem inimicum fugere dicat Plinius lib. 17. c. 24. Fraxini quoque tanta vis est, vt eius matutinas vespertinasque vmbras, quando longissimæ sunt, serpens nullas audeat attingere, quin etiam procul quoque aufugit. Experta se prodere, inquit Plinius libro decimosextò, capite decimotertiò. *Nam si fronde Fraxini in gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potiùs, quàm in Fraxinum fugiet. Mira igitur naturæ benignitas, priusquam serpens prodeat, floret Fraxinus, nec ante conditas folia dimittit:* Hæc Plinius. Quod lauri folium viti, quod Fraxini folium serpenti, hoc, Mariæ nomen, dæmoni, D. Bonauentura in speculo Virg. lect. 3. D. Bernardi verbis vsus, hæc monumentis tradidit: *Non sic timent hostes visibiles, quasi castrorum multitudinem copiosam sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum. Fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem.* Hæc ille. Profectò Deipara ipsa hæc S. Birgittæ dixisse legitur lib. 1. cap. 9. *Omnes etiam dæmones verentur hoc nomen & timent. Qui audientes hoc nomen Maria statim relinquunt animam de vnguibus quibus tenebant eam. Sicut enim auis, quæ in prædam vngues & rostrum habet, si audierit sonum aliquem, relinquit prædam, & cùm nihil operis sequi videt, statim reuertitur ad eandem: sic dæmones audito nomine meo, statim relinquunt animam, quasi territi, sed iterum aduolant & reuertuntur ad eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur. Nullus etiam tam frigidus, ab amore Dei est, nisi sit damnatus si inuocauerit hoc nomen, ea intentione, vt numquam reuerti velit, ad opus solitum, quod non discedat ab eo statim diabolus, & numquam amplius reuertitur ad eum, nisi resumpserit voluntatem, peccandi mortaliter. Tamen quandoque permittitur ei turbare eum, propter maiorem remunerationem eius, sed non possidere.* Hactenus Deipara. Denique S. Germanus orat. in Zonam Deiparæ. *Tu, ait, nequissimi hostis, contra seruos tuos, inuasiones, sola nominis tui inuocatione sanctissima repellens tutos atque incolumes seruas.*

Nomen Mariæ lauri folium.
Lauri folia quàm horreat vitis.
Fraxini frondes quàm odiosæ serpentibus.
PLINIVS.
Quàm dæmones fugiant nomẽ Marianum.
BONAV.
BIRGITTA.
Nomẽn Mariæ, folium est aureum.

12. Octauò. Stirpes è terra nasci, quæ aureæ sint, habeantque frondes aureas, apud auctores inuenitur. Sic enim scribit Maiolus in dieb. can. Dialog. de metallis. *Commemorabilius quod eodem orbe nouo in Hispaniolæ Insulæ prouincia Cothei tradunt, è terra surgere fruticum more, sapereque aurum ipsum iuxta arbores, hærereque vitis modo. Petrus Martyr sum. Ind. Quod tamen hoc quoque nostro Europæ cælo accidit in Pannonia apud Firmium vrbem: Iuxta enim vites capreoli verè aurei surgunt, ex ijsq; ibi cusa moneta eximia est, idque oculatis testibus didicisse tradit Fulgosius lib. 1. c. 6.* Sic ille. Certissimum, artificum operâ, elaboratas fuisse varias arbores aureas. Luitprandus lib. 6. cap. 2. scribit, quòd Constantinopoli in Regiam Constantini introductus, ea ornata fuerit sumptuosissimè, ibi ænea, sed inaurata arbor, ante ipsius Imperatoris solium assurgebat, expansis magnum in modum ramis æneis, atque inauratis. In his frequentissimæ

Aurum è terra surgit fruticum more.
MAIOLVS.
Arbor aurea arte cõfecta.
LVITPRANDVS.

tissimæ variarum erant specierum aues ante confictæ, quarum singulæ proprias voces, cantusque edebant incredibili arte, rugitum quendam emittebant leonum, folij velut custodum, simulachra. Similiter nomen Mariæ aureum est folium.

Nominis Auri etymologia.

13. Aurum habet variam nominis sui interpretationem, propter suam excellentiam; aurum dicitur ab audendo, quod hominem audacem reddat, deducitur etiam ab Aueo, eò quòd omnes illud aueant, id est, auidè petant. Deducitur etiam ab aura, id est, à splendore: Ita planè accidit nomini Mariano. Ea propter Bernar. to. 3. tra. de B. Virg. ser. 1. *Neque, ait, immeritò, non vnam tantùm nominis habet interpretationem (nomẽ nempe Mariæ) nullum enim nomen vnum puto, Virginis gloriam posse enuntiare. Proinde fortè, non nominauit eam Angelus volens potiùs venerari silentio, quod non potuit exprimi eloquio. Siquidem reuerentiæ indicium est, quandoque non proprio nomine nominare, vel designare, sed per circumlocutionem nominandum insinuare. Personam quippe tantùm proprium nomen enuntiat, sed non circumstantias dignitatis & status. Propterea Maria non vnam tantùm, sed multiplicem interpretationem habet: vt sicut Deum ipsum, non vno tantùm nomine nominamus, sed multis, vt sic eius incomprehensibilitatem enuntiemus; sic & gloriosam Virginem multis nominibus designamus, & nunc lucem, & nunc solẽ, & huiusmodi nominare solemus, vt sic ad sublimitatem eius cognoscendam aliquantulum pertingamus. Immensitas quidem gloriæ eius omnis humani sermonis excedit inopiã.* Hucusque ille.

Varia nominis Mariæ interpretatio, quia varia est eius perfectio. BERN.

Interpretationes nominis Mariæ.

14. Quæ porrò à Patribus ac Theologis huius vocabuli notationes recensentur, ac descriptiones, hæ potissimum sunt: *Deus ex genere meo: Gratia plena: Domina, Mare amarũ: Stella maris: Illustrata, seu illuminata, & illuminatrix.* Et prima quidem eius vocis explicatio, & inter cæteras præcipua & præstantissima, cuius auctor fuit D. Ambro. lib. de instit. Virg. est, *Deus ex genere meo. Speciale*, inquit, *Maria Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo.*

Prima.

AMBROS.

Secunda.

15. Secunda etiam huius vocis explicatio optimè Mariæ conuenit, quia eam Angelus dixit *Gratiã plenam*, quòd plena dicitur, ea plenitudinis ratio intelligenda est, vt maior concipi, excogitarique nequeat: *Et bene plena* (inquit S. Hieron. serm. in Assumpt. Deip.) *quia cæteris per partes præstatur; Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ.*

Tertia.

16. Tertia nominis explicatio in Mariã optimè cadit, cùm enim Dei genitrix effecta sit, ex eo proficiscitur, quòd meritò Domina nominetur. Vnde Ioan. Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. *Itaque gratia*, inquit, (nam hoc sonat Annæ vocabulum) *Dominam parit* (id enim Mariæ nomine significatur) *Verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cùm Creatoris Mater extitit.*

Quarta.

17. Maria præterea, iuxta D. Hieronym. communemque Patrum interpretationem, ac penes Hebraicæ linguæ proprietatem, *amarum mare, vel stella maris*, dicitur: mare equidem, propter omnem gratiarum comprehensionem. Amarum porrò ex amaritie potissimùm appellatur, quâ ex filij cõpassione, repleta fuit, præterea.

Quinta.

Stella maris dicitur, quòd nauigantes per mare mundi dirigat ad portum cælestis patriæ.

Sexta.

18. Mariæ nomen, perinde valet, atque illuminata, seu illustrata, vt scribit Epiphan. orat. de laud. Deip. *Rursum itaque*, inquit, *præclara puella Maria, beatum nomen interpretatur illustrata: vtpote quæ illustrata sit à filio Dei, & cunctos vsque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminauerit.* Ab alijs hoc nomen perinde esse asseritur atque *illuminatrix*. De huius nominis Mariani interpretatione, nos aliquando Deo fauente, plura sumus dicturi, vnde iam paucioribus nos ab ea expedimus.

Septima.

19. Hinc pulcherrimo & aureo folio nominis Mariani, ad producendos in nobis superiùs relatos præclaros & salutares effectus, miram ingerit virtutem & efficaciam Virginis, ac præsertim mansuetudinis & humilitatis eius imitatio, vita innocenter acta, virtutumque omnium praxis & exercitatio. Audi D. Bonau. lib. de 25. mirabilibus: *Vt tua deuotio sit Virgini accepta, & reuerentia grata, ipsius puritatem ac munditiam, omni virtute, mente & corpore illibatè in te seruando toto conatu, nitaris humilitate, ac mansuetudine, vestigia illius imitari.* Qualiter bonitate vitæ flectatur Virgo ad opem & misericordiam suam impartiendam, sic docet Bernardus in sermone super Salue Regina: *Ad eam non incongruè dicitur: Quàm bona Domina Israel, qui recto sunt corde.* &c. *Vita, dulcedo, & spes nostra Salue. Ordo pulcherrimus, dulcedinem vita præcedit, spes sequitur. Non enim sapis, nisi viuas, nec sperabis nisi & sapias. Primò, ponit vitam, quæ est in integritate virtutum, secundò dulcedinem spiritualium gaudiorum, deinde spem infert æternorum.* Quibus abundè insinuat mellifluus Doctor, vitę integritatem, spem nostram, quam in Virgine collocatam & repositam habemus, maximè roborare, & tectam sartamque reddere.

Folium aureum Mariæ præsertim suis imitatoribus.

BONAV.

Integritas virtutum inclinat Virginem ad opem suam nobis præstãdam. BERN.

2. Huc aduocanda Damascen. doctrina orat. 2. de dormit. Virginis. *Virgo beata lutum omne fugit, ac cœnosas affectiones aduersatur, quolibet vitio offenditur, qualibet autem virtute, vt peculiari nota sua lætatur & exultat. Si virtutes socias habemus frequens ipsa ad famulos suos veniet, ac secum bonorum omnium agmen trahet.*

Virgo quolibet vitio offenditur. DAMASC.

Quòd Virgo patrocinio suo obumbret, & protegat omnis generis bestias, id est, peccatores.

SECTIO XXXVI.

Quòd superbus, auarus, carnalis, adulter, exprimant proprietates variarum bestiarum.

§. I.

1. QVintò, in laudem Virgineæ arboris dicitur: *Subter eam omnis generis bestiæ & animalia.* Quænam hæ bestiæ? quænam hæc animalia, nónne ipsi peccatores?

Superbus leoni similis.

2. Quid superbus, nónne leo? quò spectans Eccli. c. 35. ait. *Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* In quæ verba sic Cornelius vetat patrum & herorum, in filios, familiares, & seruos, Primò, nimiam curiositatem: Secundò, importunitatem. Tertiò, sæuitiam, Quartò, clamores & iurgia. Quintò dominandi libidinem, non ex ratione, sed ex ambitione, cupiditate, sæuitia. Sextò, insaniam: hæc enim dominium faciunt, non herile & paternum; sed tyrannicum, imò belluinum & leoninum: q. d. Noli in familia tua esse sicut leo, vt instar leonis, omnia curiosè velis scrutari, ad minimos errores, clames, & rugias, dura imperes, verberes, vindices, omniaque agas pro phantasia & cupiditate, non ex ratione & æquitate: sed potiùs humanum, æquum, rationabilem, benignum & quasi socium patrē & fratrem, te eis exhibeas: sunt enim quidam, qui foris apud exteros, comes, affabiles, & humanos se exhibent; domi verò suis se præstant feros & barbaros, ideoque leones potiùs, quàm homines.

CORNEL.

Auarus lupo similis.

NYSSEN.

3. Quid auarus, nónne lupus rapax? Gregor. Nyssen. ho. 1. in illa verba: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* sic ait: *Quid auarus ipse? Nónne lupus est rapacissimus?* auaros referre lupos, rapinis inhiantes, explicat in hunc modum S. Ambrosius serm. 13. de sanct. *Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia, & non longè ab eorum venatibus aberrare, scilicet, vt rabiē suam rapina satient aliena, & quod leonū saturitate remanet, id luporū rapacitate consumatur; sic & isti auaritiæ lupi prædonum vestigia subsecuti sunt, vt quod illorum rapacitati superauit, borū cederet feritati.*

Auarus hyænæ similis.

4. Legimus Eccli. c. 13. *Quæ communicatio sancto homini ad canem, aut quæ pars diuiti ad pauperem.* Græca legunt: *Quæ pax hyanæ cum cane, & quæ pax diuiti cum egeno.* Ecce cui cōparat auarum diuitem, nempe hyænæ, hyęna autem est species lupi, vel lupo affinis, quæ capitales cum carne gerit inimicitias, quia insidiatur ouibus, quas protegūt canes, vti docet Ælia. l. 7. hist. anim. c. 22. & Plin. l. 8. c. 30. *Hyænis,* inquit, *vtramque esse naturā, & alternis annis mares, alternis fœminas fieri, parere sine mare, vulgus credit, Aristoteles negat. Collum & iuba continuitate spinæ porrigitur, flectique nisi circumactu totius corporis nequit. Multa præterea mira traduntur; sed maximè sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenq́ alicuius addiscere, quem euocatum foras laceret. Item vomitionem hominis imitari ad sollicitandos canes, quos inuadat. Ab vno animali sepulchra erui, inquisitione corporum. Fœminam rarò capi. Oculis mille esse varietates, colorumq́ mutationes. Præterea vmbra eius contactu canes obmutescere.* Sicut ergo hyæna insidiatur cani, eumq; obmutescere, & obstupescere facit, opprimit & deuorat; sic & diues pauperē.

PLINIUS.

Rectè Chrysost. ho. 39. in ep. 1. ad Cor. *Vides vt aurum homines, esse homines non sinat, sed in belluas & dæmones mutat.* Qualiter auarus ab hominis vocabulo maximè alienus sit sic docet Amb. lib. 1. offic. c. 3. *Considera, ô homo, vnde nomen sumpseris, ab humo, vtique quæ nihil cuipiā eripit, sed omnia largitur omnibus, & diuersos in vsum omnium animātium fructus ministrat: Inde appellata humanitas, specialis ac domestica virtus hominis. Cùm igitur auarus omni humanitate careat, minimè homo censendus est. Homo sum,* ait Seneca epi. 95. hinc infert *humani nihil à me alienum puto. Feræ non excludunt feras* (ait Amb. l. 3. offic. cap. 3.) *& homo excludit hominem, qui nihil à se alienum debet credere quidquid humanū est. Non aduertistis* (ait Plut. in Alcib. 1. vel de natura hom.) *quòd facies hominis in oculum intuentis, in oppositi visu reluceat velut in speculo?* Cur illud, nimirum vt homo videns in oculo hominis sibi oppositi, propriam, eamque humanam faciem, cogitet & discat, nihil à se alienū esse debere, quidquid humani est. Hinc Velas. adnot. 4 super c. 2. ep. ad Philip. v. 1. n. 3. hanc affert rationem cur Iudæi velauerint faciē Christi. *Nihil ergo sui, nihil humanitatis ob oculos habere volentes, Christi faciem velauerunt, vt sui ipsorum imaginē, ab oculis remouētes omni humanitatis sensu deposito, nullo cōpassionis affectu, atrociùs, velut immanissimæ feræ, in eū scuirēt.*

CHRYSOS.

Homo carnalis limaci similis. Primò.

5. Quid carnalis homo, nónne limax? Primò, sicut limax dicitur à limo, cui semper adhæret, ait Festus & Varro, sic carnalis adhęret

adhæret limosis carnis suæ desiderijs.

Secundò, 6. Secundò, sicut limax affigitur suæ cochleæ, in eaque capitur. Vnde illud, *implicitus concha limax, hirsutaque campe*, & Aristoteles lib. 5. histor. animal. c. 32. *Limax*, inquit, *detracta testa hebetescit*: sic carnalis affigitur suæ carni, carnisque illecebris, quibus dum inhiat, in eis capitur, & propter eas sæpe mortem incurrit. (Aristot.)

Tertiò. 7. Tertiò, sicut limax viscosus est, sic viscosa est carnis voluptas, quæ proinde hominem deprimit, nec sinit caput in altum, puta mentem in cælum leuare.

Quartò. 8. Quartò, Albertus lib. de pisc. & aquat. tradit limaces, si sale perluantur planè liquescere, & in aquam viscosam commutari: sua enim viscositate liquantur & tabescunt. Vnde & Plinius lib. 9. c. 51. *Quædam*, inquit, *tempore anni gignuntur, & in humore, & in terra. Vere, pectines, limaces, hirudines, eodem tempore euanescunt*. Similiter quàm facilè tabescit, quàm facilè liquescit, deperdito omni corporis vigore, homo carnalis. (Plinius.)

Quintò. Idem. 9. Quintò, limaces carent oculis, sed eorum vice parua habent cornua. Vnde Plin. lib 9. c. 32. *In eodem genere*, ait, *cochleæ aquatiles terrestresq́; exerentes se domicilio, binaq́; ceu cornua protendentes contrahentesq́;: oculis carent: Itaque corniculis prætentant iter*. Sic voluptas menti adimit oculos, eamque exoculat, & excæcat, vt non videat eius malitiam æquè ac damna, putà perniciem, & gehennam ex ea sibi imminentē; sed carneos tantùm, & quasi corniculatos homini relinquit oculos, quibus terrena, & carnalia intuendo prætētet, & prægustet. Itaque capiatur, calcetur & pereat, instar limacum, qui à porcis, & perdicibus deuorantur, iuxta illud Aristot. lib. 9. histor. anim. c. 37. *Vbi sit limax neque sus est, neque perdix: omnes enim limaces ab his eduntur*.

Adulter tauro comparatur. Aristot. 10. Quid adulter, nisi taurus. Aristot. lib. 6. histor. animal. c. 20. docet, tauros victores post coitum, quasi eneruatos, à victis vinci & elidi. *Coit*, inquit, *qui vicerit: cumque is venere iam debilitatus languerit, aggreditur victus ille languentem & plerumque superat*. Sicut ergo taurus, dum indifferenter omnibus miscetur vaccis sese eneruat, viresque exhaurit: Ita adulter, qui fæminis alienis miscetur, prout eius animæ id est, phantasiæ & concupiscentiæ libuerit, elidit & exhaurit omnem virtutem & omne robur. Nihil enim tam vires hominis debilitat & eneruat, ac libido: per illam enim semen, quod est nobilissimus sanguis, ac cum eo optimi spiritus vitales, excernuntur. Rursum libido, omnia folia & fructus, id est, omnem hominis virorem, ornatum, virtutes, & merita consumit & disperdit, eumque facit exsuccum, sterilem & marcidum, velut lignum aridum in eremo.

Fœmina adulterá à bestijs non differt. 11. Fœminam adulteram bestijs annumerari, patet in sacrificio zelotypiæ, in quo de fœmina adultera agebatur. Legimus enim Num. 5. *Adducet eam ad Sacerdotē* (nempe maritus eius) *& offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ*. At cur non potiùs farinæ triticeæ, quæ humano victui, & proinde diuino sacrificio aptior videbatur? Respondet Phil. Hebr. lib. de specialibus legibus. *Quia*, inquit, *hoc genus frugum promiscuè præbetur brutis animalibus, & pauperibus hominibus: quo signo subinnuitur adulteram nihil differre à bestijs, quæ sine discrimine, & sine disciplina ruunt in venerem: pudicam verò & puram à crimine, imitari vitam propriam hominibus*. (Phil. Hi.)

12. Planè in bestiarum numerum relegandus homo voluptati deditus. Præclarè A. Gellius l. 19. c. 2. *In pecudum ferarumq́; numero habetur, quisquis est ferinis voluptatibus prævinctus*; Apertiùs rem prodit Demet. Cydon lib. de contem. morte, vbi ait: *Quid turpius, aut magis brutum homine ad solam voluptatem propenso, atque rerum nostrarum & pretiosarum penitus oblito? Qui ne homo quidem deinceps vocari debet, sed portentosa bestia, quales in fabulis describuntur, qui aspectu dumtaxat falsam hominis præseferat speciem*. Benedictum Pontificem Romanum, quia luxuriæ cœno dum viueret, inuolutus extiterat, post mortem apparuisse, in specie asini & vrsi, scribit Pet. Dam. cuius hac de re epistola refertur in theatr. vitæ humanæ tom. 1. v. *Apparitio*. fol. 486. & à Cornel. in Ezech. c. 23. ad ver. 20. (Voluptati deditus portentosa bestia. A. Gell. Demat.)

Quòd inuidus, gulosus, iracūdus, piger, maledicus, varijs bestijs meritò assimilentur.

§ II.

13. Qvid inuidus? nónne vrso similis? De illo sic Plin. lib. 8. c. 36. *Oculi vrsorum hebetantur crebrò: qua maximè causa fauos expetunt, vt conuulneratum ab apibus os, leuet sanguine grauedinem illam*. Causam subdit: *Inualidissimum vrso caput, quod leoni fortissimū: Ideo vrgente vi, præcipitaturi se ex aliqua rupe, manibus eo operto iaciuntur: ac sæpè in arena colapho infracto examinantur*. Addit Liran. vrsum, si laminam splendentem aspiciat obcæcari. Ita inuidus, fulgore prosperitatis proximi, oculis dolet, hebetatur & excæcatur: Inde inuidia dicitur, quasi non videns, pingiturque cæca quin & alios subinde excæcat. Iuxta illud vulgo tritum: *Da obolum Belisario quem extulit virtus, cæcauit inuidia*. Basil. ho. de ira & inuid. & orat. 10. de inuidia & odio, aptè & eleganter inuidos variis comparat animalibus. Primò, comparat vulturibus & muscis. *Ac sanè*, inquit, *quemadmodum vultures ad ea quæ malè olent maiori cum impetu feruntur, multa prata, multosque iu-* (Vrsus symbolum inuidi. Plinius. Inuidi cōparantur vulturibus. Basilius.)

 cundos

cundos & odoratos locos prætervolantes, & vt muscæ, corporis partibus neglectis, ad vlcera contendunt: sic etiam inuidi, vitæ splendorem recteq; factorum magnitudinem, ne aspiciunt quidem, ad marcida verò, mirum in modum, feruntur. Secundò, eosdem comparat ærugini, dæmoni & viperæ. Sicut enim ærugo, inquit, *proprius est frumenti morbus; ita inuidia amicitiæ. Et vt boni est nemini inuidere; sic dæmonis peculiaris est inuidentia: & perinde ac rubigo ferrum, sic inuidia animam, quæ ex ea laborat consumit, imò verò magis: Nam vt viperam aiunt, exeso materno vtero, in lucem edi: Ita quoque maleuolentia animam, quæ ipsam parturit, conficere solet. Inuidus vnicam mali expectat recreationem, nempe sicubi conspexerit aliquem ex his quorum bonis mœret, ruentem. Hic est odij scopus, infælicem ex fælici, miserabilem ex beato aliquem conspicere.* Cornelius scribens in Eccli. cap. 19. ad v. 8. docet inuidum repræsentari per basiliscum, sirenes, polypum, per palmam ramis obsessam, ceruum & alia animalia, adducens alia hanc ad rem spectantia.

Ærugini, dæmoni, viperæ.

CORN.

Lupus symbolum gulosi.

14. Quid gulosus, nónne lupus? Lupum, symbolum esse gulæ, sic docet Cornel. scribens in Eccli. c. 13. ver. 21. Primò, lupi tanta est ingluuies vt etiamsi satur sit, si præda occurrat, illicò quod comedit egerat, vel euomat, vt prædam vorare possit. Sic gulonum mens, non aliud sapit nisi escarum saporem: *quorum proinde non alia est occupatio*, vt ait S. Bern. *quàm ingerere, digerere, egerere*, nimirum ingerunt, vt digerant; digerunt, vt egerant; comedunt vt vomant; vomunt vt comedant. An non asotia hæc porcina est & lupina? de hisce dicitur:

IDEM. Primò.

Sunt quibus in solo sapientia tota palato est.

Secundò.

Secundò, lupi vis adeò maligna est, vt si equus, lupi vestigia calcet, obstupescat & obtorpescat. Audi Plin. lib. 28. c. 10. *Tanta vis est animalis* (lupi) *vt vestigia eius calcata equis afferant torporem.* Abortire etiam equam ferunt, si lupi vestigia contingat, teste Oros. Quocirca Ægyptij mulierem abortientem repræsentabant per equam, lupi vestigia calcantem, vt refert Pierius lib. 11. quæ res significat lupi naturam planè feram, malignam & indomabilem, quæ cicurari nequeat. Sic prorsus fera & indomabilis est gula, quæ proinde hominē se sequentem & obsequentem, obstupefacit, imò torpefacit, vt videatur mente captus; nec sapiat, nec capiat res diuinas & salutiferas, sed videatur esse lupus & brutum.

PLINIVS.

15. Tertiò, remedium contra hanc lupi vim obstupefacientem sunt dentes ipsius lupi, ab ipso euulsi. Audi Plin. l. 28. c. 19. *Dēs lupi adalligatus infantium pauores prohibet, dentientique morbos: quod & pellis lupina præstat, dentes quidem eorum maximi, equis quoque adalligati, infatigabilem cursum præstare dicuntur.* Et superiùs: *Lupi adeps illitus vuluas mollit, dolores etiam iecur. Carnes lupi edisse parituris prodest: aut si incipientibus parturire sit iuxta qui ederit, adeò vt etiam contra illatas noxas valeat.* Ita in malo natura posuit remedium, vti & fecit in vipera: ex carnibus enim viperæ fit theriaca, quæ curat viperatum aspidumque morsus, ac contra venena est antidotum. Similiter gulæ remedium est, dentes illi euellere, hoc est eam mortificare & resecare: guloso enim adimere delicias & vina, perinde est, & æquè durū, ac si illi dentes euellerentur. Mortificatio gulæ ergo tollit spiritalem animæ torporem, eamque facit agilem & celerem ad omne bonum, præsertim vt multas animas lucretur & pariat Christo. Hinc à lupis & lupinis dentibus, fræna equorum asperrima, dicta sunt lupi & lupata, quod duritiem habeant, lupinorum dentium: & quia inæqualia sunt æquè ac lupini dentes, ideoque morsus eorum fit asperrimus, ait Seruius. Vnde Ouidius:

IDEM.

Asper equus duris contunditur ora lupatis,
Dum placido duros accipit ore lupos.

Hi lupi & lupati, hæc frena gulę & cupiditatis, est ipsa eiusdem mortificatio & continentia, quâ quasi freno omnes animi sensus corporisque membra cohibemus, frēnamus, domamus, vt ad normā rationis & virtutis incedant. Hæc omnia Cornelius.

16. Quid iracundus, nónne canis? *Canis*, ait D. Thom. scribens in epist. Pauli ad Philip c. 3. *natura est, vt statim ex ira latret non ex ratione, sed ex consuetudine.*

Canis symbolum iracundi. D. THOM.

17. Quid piger nónne bos? Bos enim, vtpote grauis, lentus, & tardus symbolum, & figura est pigri. Vnde illud

Bos symbolum pigri.

Optat ephippia bos piger optat arare caballus.

Adde bouem, etsi lentum, tamē laboriosum esse: quare significat, pigrum suum lentorem & pigritiam vincere debere labore, ad bouis imitationem. Hinc monetæ, putà didrachmis, olim imprimebatur figura bouis, vt ait Pollux l. 9. quòd labor pariat nūmos & opes, pigritia verò inopiam & famem. Appositè ergo in pigri opprobrium & castigationem bouis stercus assumitur, vt boue se deteriorem & pigriorem agnoscat, & à boue, suam tarditatem, labore vincere discat. Legimus enim Eccli. 22. *De stercore boum, lapidatus est piger.*

18. Quid maledicus, nónne leo & pardus? Audi quid de lingua maledica legamus Eccli. 28. *Qui derelinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur & immittetur in illos, quasi leo, & quasi pardus lædet.* Quæ verba ponderans Cornelius sic pulcherrimè scribit. Aptè noxam maledicæ linguæ cōparat noxæ leonis & pardi, quia vtraque sæuissima est & crudelissima, teste Plin. l. 10. cap. 73. Rursum, leones & pardi, dentes habent serratos, ait Aristot. lib. 2. histor. anima. c. 1. causamque addit: *Sunt enim*, inquit, *dentibus serratis, quarū series acutorum dentium mutua insertione pectinatim se constipat.* Ita pariter linguæ maledicæ dentes habent, quasi serras acutissimas, quibus pectinatim serrant, secantque hominem vsque ad intima. Tertiò, leones & pardi pedes habent

Leo & pardus symbolum maledici.

bét multifidos. Audi Arist.ibid. *Sunt*, inquit, *quæ multiplici pedum fissura digitentur: vt canis, leo, panthera.* Ita bisulca, trisulca, imò multifida est lingua detractoris, quibus calcat feritque æmulū. Quartò leones & pardi sunt carniuori. *Nam animalia serratorum dentium, carniuora sunt omnia*, ait Plin.lib. 10.c.73. Ita lingua maledica hominis carnes, imò medullas & ossa depascitur. Quintò pardi sunt celerrimi, & ex alto in homines insiliūt, imò deuolant, ita Plin.loco cit. *Insidunt*, ait, *in eadem Africa pardi condensa arborum, occultatique earum ramis in prætereūtia desiliunt, atque è volucrum sede grassantur.* Idem in Brasilica facere pardos, Patres Societatis nostræ oculati testes inde reduces mihi Romæ narrarunt. Quid celerius, quid volucrius linguâ maledicâ? volat enim irreuocabile verbum & totam vrbem, imò orbē sæpè peruolat. Idque illico instar fulguris. Sextò, *leonibus ac pardis*, ait Plin.l.11.c.37. *lingua est imbricata asperitatis, ac limæ similis, attenuansque lambendo cutem hominis. Quæ causa, etiam mansuefacta, vbi ad vicinum sanguinem peruenit saliua, inuitat ad rabiem.* Ita lingua detractoris est asperrima lima, totum hominem extenuans, agensque non rarò in furorem & rabiem. Septimò, pardi & pantheræ capiuntur aconito fauciū & linguæ: sic & maledicus capitur maledicentia linguæ suæ. Audi Plin. l.8.c.27. *Pantheras perfricata carne aconito (venenum id est) barbari venantur. Occupat illico fauces earum angor: quare Pardalianches id venenum appellauere. At fera contra hac excrementis hominis medetur.* Denique pardus adeò ferus est vt nulla arte cicuretur. Sic & leo nunquam vel ægerrimè & rarissimè mansuefit. Vnde Aristoteles lib.1.de histor.animal.cap.1. diuidit animantes, aitque *alias esse cicures, vt hominem, alias feras, vt mulum, alias perpetuò feras, vt pantheram, vt lupū: nonnullas etiam facilè posse mansuescere vt elephantos. Ita linguam maledicā nullus hominum domare potest: Inquietum malum, plena veneno mortifero*, ait S.Iacob.cap.3.

Bestijs adnumeranda mala mulier.

§. III.

Mala fœmina gerit figurā crudelissimæ feræ.

1. NOnne in ferarum numerum referenda est mala mulier? Audi Eccli: c.25. *Commorari leoni, & draconi placebit* (supple magis) *quàm habitare cum muliere nequā.* Tum quia leo & draco arte cicurantur, ac humilitate & beneficijs deliniuntur, vti patet de leone Androdi, qui ob exemptam ab eo è pede suo spinam, eum à morte liberauit teste Gellio l.5.c.14. Item vincuntur innocentiâ & sanctitate, vti patet in S. Saba, cui leo vltro speluncam suam concessit, eaque cedens excessit; & de leone S.Hieronymi, aut potiùs Gerasimi, qui ei quasi asinus seruiebat, ac morienti ex dolore commortuus est, vt refert Ioan.Moschus in prat.spirit.c.107. Mulieris autem nequam nequitia est incurabilis, adeoque si te coram ea humilies, magis insolescet & si beneuolus, beneficusque in eam sis, magis exasperatur: tum quia leones & dracones caueis, aut septis includi possunt vt nocere nequeant; mulier autem nequam includi se non patitur: tum quia satius est subitò à leone vel dracone occidi, quàm lentâ lōgaque morte, per nequitiam peruersæ vxoris, cruciari & confici. Alludit ad Prouer. 21. *Melius est habitare in terra deserta quàm cum muliere rixosa & iracunda.* Audi S.Chrysost. hom. 15. ex varijs in Matth. locis, & ex eo Damascen. parall.1.c.76. *Nulla*, ait, *in hoc mundo bestia similis est mulieri malæ: Quid inter quadrupedia animalia leone sæuius? sed nihil ad hanc: aut in serpentibus quid dracone atrocius, sed ne hoc quidem iuxta mulierem malam & linguosam conferri potest. Nam & leo & draco in malo inferiores sunt. Testificatur huic sermoni meo, sapientissimus Salomon dicens: Cohabitare leoni & draconi melius est, quàm cum muliere mala, linguosa, & ne putes Prophetam in ironia hoc dixisse, ex ipsis rebus disce manifestiùs. Danielem, leones in lacu reueriti sunt: Iustum verò illum Nabuthem, Iezabel interfecit. Cetus, Ionam in ventre custodiuit: Dalila autem Sampson circumuentum illecebris, raso etiam capite deformatum, alienigenis tradidit. Dracones & aspides cornutæ. Ioannem Baptistam in deserto viuentē, subdita feritate tremuerunt, Herodias verò eidem caput abscidit, & tanti viri mortem, in pretium saltationis accepit. Eliam corui in morte pauerunt, & Iezabel eum post illam, reddita per ipsum terris pluuia gratiam persequebatur, vt pœnam mortis ei redderet, cuius orationibus depulsa generis humani fame & ipsa licet indigna viuebat.* Vnde post multa concludit: *Mulier iumentum malum, vermis repens, atque in Momo domicilium habens mendacij filia, paradisi custodia, Adami expultrix hostis perniciosa, pacis inimica.*

Mala mulier peior leone.

CHRYSOS.

2. Idem Chrysost. loco citat. sic depingit malitiam Dalilæ, Sampsonem, maritum suum prodentis, & Philisteis interimēdum, tradentis. *Dic mihi quæ bestia contra masculum suum talia aliquando meditata est? Quæ dracæna vult masculum suum perdere: vel quæ leæna marem suum iugulandum tradidit? Vides ergo quia aptè dixit Sapientia: Quoniam non est caput super caput serpentis, & non est malitia super malitiam mulieris, & ideo quisquis habet mulierem malam, cognoscat quoniam iniquitatum suarum portat mercedem: non caret testimonio veritatis. Audi denuò Sapientiam dicentem: Mulieris malæ & iniquæ portio dabitur pro operibus malis.*

Quanta malitia Dalilæ.

IDEM.

Peccator deterior bestijs & quàm rari veri homines.

§. IV.

Vitijs homines in bestias trãsformantur. BOETIVS.

1. VItijs homines, in bestias transformari, sic paucis docet Boetius lib. 4. de consol. *Euenit vt, quem transformatum vitijs videas, hominem existimare non possis. Auaritiâ feruet alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigijs exercet? cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exequetur. Ira intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax non metuenda formidat? ceruus similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum viuit. Leuis ac inconstans studia permutat? nihil ab auibus differt. Fedis immundisque libidinibus immergitur? sordida suis voluptate detinetur. Ita fit, vt qui probitate desertâ, homo esse desierit, cùm in diuinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.* Sic ille.

Homo est qui virtutẽ colat. CHRYSOS.

Legimus Gen. 6. *Hæ sunt generationes Noe, Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit*, &c. In quæ verba sic Chrysostomus homilia 23. in Genes. *Rarus, & alienus genealogiæ modus, nam vt scriptura dixit: Hæ sunt generationes Noë, & aures nostras spe quadam implenit, quasi genealogiam illius narratura, & quis eius pater fuerit, & vnde genus duxerit, & quomodo in hanc vitam editus, & alia, quæ mos est genealogiam narrantibus recensere. Relictis autem illis omnibus, & etiam superiore consuetudine, inquit: Noe homo iustus in generatione sua, ideo placuit. Vidisti admirabilem genealogiam? Nam cæteri ob carnales voluptates, quibus immersi erant, amiserant esse homines. Ille, inquit, in tanto populo imaginem hominis reseruauit. Tunc enim homo est, quando virtutem colit. Hac de causa genealogiam iusti premittens diuina scriptura, dicit: Noe homo, hic enim solus homo; cæteri autem non homines, sed humanam gerẽtes formam, & ex hominibus in bestias mutati, malitiâ generositatem naturæ amiserant. Quocirca ab initio cùm vidisset Deus factum à se dicebat, faciamus hominem ad imaginem nostram & similitudinem, hoc est, vt imperet, & visibilibus omnibus & passionibus suis, imperet & non ferat imperium. Itaque amissa dignitate, magis subditus est, & imperium fert potiùs quàm imperet, amisit & nomen quod sit homo, & brutorum in se nomina transtulit.* Hæc Chrysostomus.

BERN.

Quò vadunt & D. Bern. verba serm. 3. in Psal. Qui habitat, vbi expendens illa verba: *Ipse liberauit me de laqueo venãtium*, sic scribit: *Ego in hoc verbo magna meiipsius pietate compungor, & valde misereor anima mea. Ipse liberauit me de laqueo venantium. Ergóne bestiæ sumus nos? bestiæ prorsus. Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. Bestiæ profectò sunt homines, oues errantes, non habentes pastorem.* Sic Bern. Vis scire quinam hi venatores, & quis eorum laqueus? Eccles. c. 7. fatus de muliere ait; *Inueni amariorem morte mulierem, laqueus enim venatorum est*: In quæ verba sic Hugo: *Laqueus venatorum est, id est, dæmonum, qui venantur animas hominum ad mortem. Hũc laqueum tendunt dæmones, ad capiendas animas insipientium, vbicumque mulierem præparant, & exornant, id est, exornari & præparari & ostentari procurant. Nec est vna mulier vnus laqueus, imò quot membra, vel membrorum ornamenta habet: ita vt à planta pedis vsque ad verticem non sit in ea videre, nisi laqueus.* Sic Hugo Card. HVG. CA.

Peccator peccando sit inferior & deterior bestijs. BERN.

2. Peccator peccando, non solùm bestijs æqualis fit, sed multò deterior, & inferior bestijs. Quod æternus significauit Sponsus Cantic. 1. dicens ad Sponsam: *Egredere & abi post vestigia gregum tuorum.* Vbi Diuus Bernardus sermone 35. *Heu*, inquit, *egregia creatura. Iam olim facta de grege, & nunc in peius miserabiliter proruens, non saltem inter greges remanere permittitur, sed post abire iubetur.* Et paulò pòst iterum expendit illud: *Post greges. Vide*, inquit, *quòd minimè dixerit, egredere cum gregibus, aut egredere ad greges, sed egredere post greges. Vt quid hoc? Sanè, vt secundam ignorantiam, priore magis pauendam, pudendamque ostenderet, quòd illa hominem bestijs parem fecisset ista & posteriorem.*

Ex triplici principio homo est deterior bestijs. IDEM.

3. Et quidem triplici ex principio, bestiam, peccatori anteponit. Primò, *Sciat*, inquit, *anima rationalis pecudes habere socias in perfruendis bonis terræ, non autem in perferendis tormentis gehennæ.* Quasi peccatores in hac vita, non sint fæliciores, quàm bestiæ; in futura multò sint infeliciores. Secundò, *Videtur*, inquit, *ipsis bestijs bestialior, ratione vigens, & ratione non viuens.* Tertiò, *Solum hoc animal* (nempe homo peccator) *conuersatione degeneri, iura naturæ transgreditur.* Vbi plura eleganter.

In quo prësertim homo posterior bestijs.

4. In eo autem præsertim homo est deterior bestijs, quòd illæ saluti suæ consulere recordantur; homines obliuiscuntur: *Miluus*, (inquit Propheta Ieremias capite 8.) *in cælo cognouit tempus suum; turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Qua de re Tertullianus libro de pœnitentia capite 12. *Muta quidem*, inquit, *animæ & irrationabiles, medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscunt. Ceruus sagittâ transfixus, vt ferrum de vulnere expellat scit sibi dictamno medendum. Hirundo, si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator sciens restituendo sibi institutam à Domino exomologesim, præteribit illam.* TERTVLL.

5. Veritas

Peccato in bestiam homo conuertitur.

5. Veritas hæc, nequidem ipsis incognita Ethnicis Poetis, & Philosophis. Hinc finxit Homerus, quod Circe socios Vlyssis suis illecebris dementarit, & conuerterit in porcos, boues, asinos, Vlyssem autem, eò quòd ipse, eius cantus illecebras respuisset, ab ea dementari & conuerti non potuisse. Hinc rursum nata est, illa Pythagoræ sententia. de animarum transitu in bestias, quę si litteraliter intelligatur, falsa est, & absurda; sin symbolicè capiatur, & moraliter, vera est & accommoda.

Fabula Vlyssis moralizata.

Fabula Promethei, moralizata.

Verè enim dixit Epictetus: *hominis dignus nomine non est qui virtutis studiosus non est.* Et quoniam Prometheus fuit scientiâ excultus, eamque homines suæ ætatis docuit, à quibus abstulit imperitiam & feritatem, finxerunt veteres Poëtæ, eum homines creasse, innuentes eos antea non homines esse, sed feras & belluas immanes. Ita figmentum hoc interpretatur Eusebius in libro de temporibus.

Evsebivs.

In quo cõsistat ratio hominis.

6. Si hæc ita se habeant, quàm rarò inuenies homines, qui sint homines, nempe iuxta definitionem hominis quam legimus Eccle. c. 12. *Deum time, & mandata eius serua, hoc est omnis homo.* Vbi Septuag. Interpretes planiùs locuti. *In hoc consistit* (inquiunt) *omnis homo*, non sunt hominis appellatione digni, qui ficti hominis laruam gerunt, vt peccatores faciunt, sed veri speciem vt virtuosi & boni, hi sunt homines, homines illi verò sunt homines lupi, homines leones, homines porci, &c.

Hominis nomen duplicandum, & homines, homines esse debemus, non homines iumẽta.

Hieron.

7. Quam nobis veritatem insinuat ipsa locutio Domini apud Ezech. c. 24. *Hæc dicit Dominus Deus: homo, homo. De domo Israel.* Ecce qualiter loquatur Deus, homo, homo. An inquies fieri posset, vt homo non sit homo? cur ergo ait, homo, homo? respondet Hieron. notanter dici, homo, homo, quod non omnes homines dici valeant homines, homines; sed homines iumenta, aut homines vulpes, pro bestialium affectionum, quibus inseruiunt, varietate: sic namque ille: *Quodque dicitur, homo, homo, filium Israel, &c. duplicem in nobis iuxta Apostolum ostendit hominem exteriorem, & interiorem. Multi enim habentes hominis faciem corporalem, diuersarum bestiarum assumant imagines quas dissipare Propheta cupiẽs, deprecatur. Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum dissipabis, illi de quibus scriptum est: homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psalm.* 48. *non sunt homines homines, sed sunt homines iumenta. Rursum qui in Euangelio audiunt: Serpentes, genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira, Matth.* 3. *non sunt homines homines, sed homines serpentes, & de quibus scriptum est: vulpes foueam habent, & volucres cæli nidos. Matth.* 8. *ac de Herode: Dicite vulpi huic. Luc.* 13. *non sunt homines homines, sed homines vulpes.* Hactenus Hieron. *Considera*, ait Origen. *an inuenire valeamus, quid sit illud quod nomẽ hominis duplicet. Quando iste homo, qui est, exterior homo fuerit eo, qui est interior homo, serpente existente, non est in nobis homo, homo. Quando verò interior homo iuxta imaginem perseuerauerit conditoris, tunc nascitur homo, & fit istiusmodi secundum exteriorem & interiorem hominem, bis homo, homo.* Ita Origenes.

Orig.

Pauci sunt hominis digni nomine.

8. Tam rari sunt homines, homines, vt Cynicus ille Philosophus in Atheniensi foro, circumspectante populi infinita multitudine, præeunte lucernâ, nullum inuenerit, quinetiam ipse Ierem. c. 4. Deo plenus, & interitum animarum queribunda voce deflens. Dolorem incredibilem, his verbis significat: *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili, intuitus sum, & non erat homo.* Quæ verba adducens Cosmas Mangalianus scribens in 2. Tim. c. 4. ad vers. 5. annot. 2. n. 2. sic eleganter elucidat. Siccine? An non homines vides Hieremia? Desunt incolæ in vrbibus? destitutæ cultoribus prouinciæ? Pascuntur in agris oues; suos fætus alunt; feræ iuxta & cicures animantes. Quin, & mercatoribus ex re pecuaria incredibilis quæstus accedit. Sunt ista quidem ait, Dei vates: sed constant adhuc, quæ dixi: *Aspexi terram, & ecce vacua erat.* Vacuum dicitur horreum, quo tempore, nihil habet tritici: Vacuum hypogeum, cùm nullæ sunt in officinis, victui domestico, necessariæ opes. Vacua vagina, cùm in eam ensis non est inclusus. Itaque quamuis Attalicis vestibus & auro domus plena sit: quamuis hypogeum lapidibus, ad contignationem perductis abundet, quãuis vagina aërem quod necesse est contineat, inania tamen hæc appellantur, & vacua si vsibus, ad quos facta sunt non deseruiunt. Terra & quidquid solis, lunæque splendore fruitur, propter hominem à molitore rerum omnium Deo procreata sunt. Hominem si terra non habeat, cuius causa suis est librata nutibus, licet altissimos attollat ad cælum montes, licet fluminibus, veluti venis intexatur, licet plantarum varietate, & pulchritudine decoretur; licet lætissima suppeditet armentis pabula, vacua adhuc vocabitur & inanis. Quare eximius vates, Asiam, Africam, & Europam, & circumfusas Oceano insulas, considerans quamuis inhabitari frequẽtissimis ciuitatibus & populis cognoscat adhuc, lamentabili carmine, mœrorem suum testatur. *Intuitus sum* (inquit) *& non erat homo.* Quid enim incolitur terra à Tyrannis, qui leonum instar, prædas agunt iniquissimas? incolitur ab auaris, qui veluti harpyiæ contactu fœdo, omnia polluunt & contaminant. Incolitur à libidinosis, qui impotenti cupiditatis dominatu, insolescentes, incestu, stupris, adulterijs, tamquam luculentæ sues, honoris humani florem tenerrimum vitiant, & deprædantur. Incolitur ab iracundis omni panthera & tigride, truculentioribus. Incolitur denique, ne singula persequar, ab epulonibus, qui dum fercula lautiora conquirunt, dum mẽsis,

Magal.

Terra sine hominibus, vacua cur dicatur.

Vitiosi homines indigni sunt hominis appellatione, similes enim sunt bestijs.

sis,quæ olim adhibitis ad panem & aquam, leguminibus parabantur, conuiuæ accumbunt,cælum auibus,mare piscibus, terram suis spoliant animantibus. Hucusque Magal.

9.Si mundus, instar cuiusdam horridi deserti,tam repletus peccatoribus, animalem,bestialemque speciem, præ se ferentibus, quid est, quòd Deus eosdem tam patienter sustineat,& non potiùs,vt omnimodè merentur, internecioni tradat? Vt quid enim terram occupant? Sanè, iam dudum essent consumpti, nisi Mariana arbore forent obumbrati, & tecti; *subter eam habitabant animalia,& bestia*,habitabant peccatores, sub arbore Mariana, tanquam sub cælesti lauro,quà proteguntur, à diuinæ indignationis flumine.Virgini accommodat Antoninus part.3.tit.31.c.4.§.3. illa verba Eccli.c.24. *Quasi oliua speciosa in campis, hanc verò adducit rationē. Ad oliuam speciosam in campis omnes possunt accedere, & accipere fructum: sic ad Mariam & iusti & peccatores possunt accedere,vt inde misericordiam accipiant.* Est Virgo turris illa Dauidica, quæ ædificata est cum propugnaculis,id est, cumulata maximis meritis: quorum præsidio tuetur peccatores, aduersus omnia diuinæ iracundiæ iacula.Adumbrata est Virgo,in illa columna nubis, obumbrans Israelitas & viam illis demonstrans, vt vsurpare possit illa verba Eccli. 24. *Ego in altissimus habito, & thronus meus in columna nubis.* In quæ verba sic Hugo Cardin. *Hac est columna nubis,qua præcessit & protexit filios Israel per desertum, ita stabilis, vt nec ab ipsis peccatoribus recesserit. Sic beata Maria multos in peccato protegit.Ipsa enim aduocata peccatorum. Item columna illa mobilis, statione sua, loca castrorum monstrabat. Scit Beata Virgo,vbi locus est aptus quieti, exercitus Christiani,vbi scilicet non sunt leones,neque serpentes, neque vermes, sed fontes & prata, & arbores.* Sic ille. Duo præstat Maria peccatoribus beneficia. Primò protegit,secundò locum saluti obtinendæ aptum ostendit.

Maria laurus, quâ protegimur à fulmine diuinæ iracundiæ.

Oliua est in campis, à qua omnes fructum accipiunt misericordiæ. ANTON.

Magna columna nubis obumbrans & viā demonstrans. HVG. CA.

10.Neque mirum quòd Virgo peccatores obumbret, ac ab iræ feruore,suis precibus eximat, cùm ob eum finem, etiam ipsa fuerit obumbrata à S.Spiritu. Pulchrè Richardus à S. Laurentio lib. 12.de laudibus Virginis:*In Maria,inquit, velut in horto condenso, & vmbroso inuenitur vmbra propitiationis: Ad hoc enim obumbrauit eam virtus altissimi in filij conceptione,vt ipsa precibus suis,meritis, & exemplis obumbraret peccatoribus, contra feruorem diuina iracundia.* Non mirum quòd Virgo obumbret peccatores, cùm vt ait Anselmus lib.de excellent. Virginis cap. 1. *Magis propter peccatores quàm propter iustos facta sit Dei mater.*

Maria obumbrata, vt obumbret peccatores. RIC. A S. LAVREN.

Maria, facta Dei mater, magis propter peccatores. ANSELM.

11.Si quæras, qualiter sub vna arbore Mariana degere possint omnis generis animalia & bestiæ, sibi inuicem tam contrariæ, tam inimicæ? Respondeo. Tanta virtute præditam esse gloriosam Virginem, postquam in eius vtero, tam dissimiliū naturarum,in vna hypostasi,copulatio & coniunctio perfecta est,vt bestiæ, quantumuis aliæ alijs sint inimicæ, mox atque ad eius accurrunt vmbram, illic pacem inire, & quiete degere, socianturque fœdere lupus & agnus; leo & ceruus, canis venaticus & lepus: sub illius vmbra constitutæ deponunt feritatem, ex feris mutantur in homines,suamque voluntatem cum proximi copulant voluntate. Vnde Petrus Damianus serm.3.de Natiu. ait: *Per Euam potus mortis porrigitur, per Mariam vita, & pacis poculum exhibetur.*

12.Iam verò peccatores, tam misericorditer, Virgineis meritis, Virgineoque patrocinio obumbrati, & ad Christum iam conuersi,scis, quid retribuere debeant Virgini, pro tam insigni beneficio? Rem præstabunt Virgini gratissimam,si totos sese illius cultui addixerint, & seruatricem suam omni deuotione prosecuti fuerint. Cultus autem,quem illa ab eis præsertim exigit, in eo consistit,vt homo, igne veræ contritionis,igneque amoris Dei, omnium peccatorum extinguat feras, æmulādo ritum illum celebrem apud Græcos Achaiæ,qui,Pausania in Achaicis auctore, suam Dianam hoc coluere modo. Carcere fabricato prope aram, concludebant abundè feras omnigenas,quippe fides illic antiqua fuit, Dianæ placere feras enectas. Vt ergo gratum facerent Dianæ sacrum, admoto foco conclusas illic bestias occidebant. Si verò sæuiente flamma feris euadere succurreret: illæ rogo moriturę denuo mandabantur. Quippe nefas erat,atque vice piaculi, vel vnam reseruare feram, vt sarta tecta secus religio, bestias omnes occidere: nam Græci credidere Deam illam, scilicet Dianam,assidua & indefessa venatione,truces semper bestias insectari. Sicut Græci illi Achaiæ colebant Dianam quam Virginem sibi fingebant, morte ferarum, sic Christianis colenda Virgo mater,extinctione peccatorum, quæ ferarum more, animam dilacerant, discerpunt,& internecioni tradunt. Taliter verò omnes hæ feræ enecandæ, vt nulla sit residua,quæ amoris flammâ non sit exusta, nihil enim Virgini cum hisce feris commune, omnes detestatur,omnes auersatur. Vide hæc elegantiùs & fusiùs deducta apud Marcell.de Pise tom. 1. Moralis encylop. tract.de cultu B.V.§.5.

Gratum se exhibet Virgini qui peccatorum suorum feras, igne amoris occidit.

Quod

Quod Virgo misericordiam suam ad omnes extendat.

SECTIO XXXVII.

1. SExtò, de arbore illa dicitur: *Et aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ.* Quàm bene hæc verba conueniunt Virgini, omnes aspicit oculis misericordiæ atque benignitatis suæ, omnium aduocata est, omnium patrona est, nemo est, qui non boni aliquid, suis precibus acceperit. Elegantissimè id docuit Idiota de contemplatione Virginis in Prologo: *Ipsa* (inquit) *est thesauraria gratiarum ipsarum, cæteri sancti iure quodammodo patrocinij, quo quibusdam sibi specialiter commissu, plus possunt prodesse in curia cælesti, quàm pro alienis: Beatissima verò Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic etiam omnium aduocata, & patrona est, & cura illi est de omnibus, & sic nemo est, qui se abscondat à calore eius, id est, à charitate, & dilectione ipsius.* Et Andreas Creten. in encomio de Virginis dormitione: *Placa* (inquit) *Dominum pro communi figmento. Nam quamdiu versabaris in terris, te habuit parua terræ portio: ex quo autem translata es à terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium.* Itaque in eo differt Maria à reliquis sanctis, quòd illi pro quibusdam, specialiter: Hæc verò pro omnibus orat, atque omnibus proficit, multa bona suis precibus impetrando. Quod non ita accipere debes, quasi omnes communi aliqua prece complectatur: sed ita vt pro quolibet sigillatim petat, vt ea ratione vincat reliquos sanctos, quos in vniuersum pro salute hominum Deum obsecrare, charitati illorum congruum est: pro singulis verò sigillatim preces fundere potentiam excedit.

Virgini cura est de omnibus. IDIOTA.

ANDR. Non est qui se abscondat ab illius charitate.

Virgo cōmune propitiatorium mundi.

2. Ad id spectare videtur Bernard. super illud Apoc. Signum magnum, &c. *Omnibus* (inquit) *omnia facta est: omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi.*

Maria sinū omnium aperit. BERN.

3. Sed fusiùs & expressiùs hac de re S. Bonauentura in speculo Virg. c. 5. vbi sub figura Ruth, quæ spicas à messoribus Booz dimissas, colligebat, sic loquitur. *Gratia enim Mariæ colligit malos à culpa, impinguat bonos, liberat vniuersos, colligit à culpa, impinguat gratia, liberat à morte æterna. Dico ergo quòd gratia Mariæ colligit ad misericordiam, colligit ad Ecclesiam malos. Hoc bene signatum est in gratia, quam in colligendis spicis, à messoribus derelictis, Ruth inuenerat, quando dixit ad Booz: inueni gratiam in oculis Domini mei,* &c. Ruth 2. *Ruth, interpretatur videns, vel festinans, & significat B. Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & bene festinans fuit in actione. Videns etiā nostrā miseriam est, & festinans ad impendendam suam misericordiam. Booz interpretatur virtus, & significat illum, de quo in Psalm. 146. dicitur: Magnus Dominus & magna virtus eius. Ruth ergo in oculis Booz, Maria in oculis Domini hanc gratiam inuenit, vt ipsas spicas, id est, animas à messoribus derelictas, colligere ad veniam possit. Qui sunt messores, nisi Doctores & Rectores? O verè magna Mariæ gratia, quā multi ex eis, ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur! Et ideo bene Diuus Bernardus ait: Maria, tu peccatorem toti mundo despectum, materno affectu amplecteris, foues, nec deseris, quousque horrendo Iudici miserum reconcilies.* Hæc Bonauentura. Quæ verba non ita sunt accipienda quasi Virgo diuinæ gratiæ habitualis sit effectrix, gratiam enim & gloriam dat Dominus, sed Mariam hominem ita disponere, vt obice omni remoto, gratia facili negotio, omnia sua munia, exequatur.

Maria in Ruth adūbrata. BONAV.

Maria peccatores, ab aliis derelictos colligit.

BERN. Peccatores fouet.

4. Neque mirum, quòd aspectus sacratissimæ Virginis extendat sese vsque ad terminos vniuersæ terræ, id est, omnes homines, qui in terra commorantur; nam cùm pro cunctis gestauerit Christum, cunctos etiam aspicit misericordiæ suæ oculis, *cura est illi de omnibus.* Id mihi colligere, vel aucupari videor ex Basiliensi Concilio sessio. 45. vbi sic ait: *Inter omnes, qui cælestem Regem pro nobis interpellant, præcipuè ad gloriosissimam illam, & omni laude dignissimam Virginem Mariam est recurrendum, quæ quantò altior existit, tantò humiliùs ad nos respicit omnes ad se trahere cupiens, pro quibus in vtero gestauit saluatorem.*

Maria omnes ad se trahit pro quibus in vtero gestauit saluatorem.

CONCIL. BASIL.

5. Præterea, Maria pariens filium, peperit & nos ad salutem, vt scribit Guillelm. in Cant. cap. 7. respiciens ad illa verba Isaiæ 9. *Paruulus natus est nobis,* hisce vsus verbis: Sicut magnus ille paruulus natus est nobis, id est, ad salutē nostram, ad vitam nostrā: Ita etiam nutritus est nobis. Pariebat nobis Virgo Mater salutem, atque eo ipso, pariebat nos ad salutem: sacro lacte suo nutriebat nobis vitam, atque eo ipso nutriebat nos ad vitam. Piis caput nostrum brachiis suspendebat ad vbera sua, & nos ad eadem in illo suspendebat. Nec sibi ille nascebatur, nec pascebatur, sed nobis: atque ideo nos in illo nascebamur, nos in illo pascebamur. Sic ille. An iam mirū, quòd virgo, misericordes in omnes coniiciat oculos? quòd illi sit cura de omnibus?

GVILLEL.

6. Qualiter autem colligat Virgo peccatores, ipsa insinuat dum ait Cant. 5. *Manus meæ distillauerunt myrrham & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* Virginis manus, & digiti, stillant myrrham, doloris, amaritudinis, & perfectæ contritionis, confessionis, & pœnitentiæ, maximis etiam peccatoribus; vt ex toto corde, à via sua mala conuertantur ad Deum, & saluentur.

Virgo instillat peccatoribus myrrham contritionis &c.

7. Colligit insuper moderando dæmonū

Maria facit vt peccatores leuius tententur à dæmonibus.. BIRGITTA.

tentationes, quibus magis magisque conantur peccatores irretire, vt difficiliùs conuertantur ad Christum. Ipsa B. Virgo reuelauit S. Birgittæ, vt eadem refert lib. 6. reuel. c. 10. dixitque. *Nullus est adeò maledictus, qui, quamdiu viuit, careat misericordiâ meâ, quia propter me, leuiùs tentatur à dæmonibus, quàm aliter tentaretur.*

Maria è faucibus diaboli extrahit peccatorem. AMED.

8. Colligit præterea, extrahendo peccatores, ex ipsis diaboli faucibus, quibus detinebantur captiui, iuxta illud D. Amedæi hom. 8. de Mariæ plenitudine. *Nec contenta partis spolijs, sed humanæ salutis cupida, hoste liuido longiùs propulsato, alias atque alias sibi exuuias semper acquirit. Igitur in manu potenti & brachio excelso tyrannorum fines ingreditur, munitissima quæque dæmonum aggreditur, inferna sub pedibus suis facit contremiscere, & principem mortis nimio terrore percussum, resilire. Denique ipsa iubente vehementer euomit prædam, quam in ventrem malitia traiecerat, reijciens cum dolore, quem cum ingenti superbia, detinebat. Surgunt lapsi, redeunt pœnitentes, peccator videbit, & irascetur. Maxilla eius, hamo Dominicæ crucis perforata, reddit liberos, quos antea detinuit captiuos, dentibus suis fremens, & tabescens, desiderium peccatorum peribit, desiderium beatæ Mariæ perficietur.* Hæc ille pulcherrimè.

Maria facit vt peccator concipiat spem veniæ. BONAV.

9. Colligit, dum Virgine suffragãte, peccatores concipiũt spem de obtinenda peccatorum suorum venia. Quò pertinet illud D. Bonauent. in speculo Virginis c. 10. in illa verba Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Verissima & consolatoria sententia. *Desertum* (ait) *est cor peccatoris, quod vtique desertũ est à gratia, & virtutibus, fumus aromaticus, fumus suauis animæ est aspiratio spei veniæ. Beata itaque Virgo Maria per desertum, quasi virgula fumi ascendit, quãdo ipsa suffragante, cor peccatoris fumum spei veniæ suscepit. hic autem fumus generatur ex aromatibus myrrhæ in contritione, & thuris in confessione, & vniuersi pulueris pigmentarij, in multimoda satisfactione.*

In extremo vitæ, plurimi conuertuntur patrocinio virginis. GREG.

10. Præcipuè verò potest dici aspectus Virginis esse vsque ad terminos terræ, dum facit vt grauissimi peccatores in fine vitæ ad Deum redeant, & ex animo sese conuertant: ita vt Virgini conueniat quod de Deo Iobus c. 37. affirmat: *Et lumẽ illius super terminos terræ.* In quæ verba sic D. Greg. 27. mor. 11. *Termini terræ sunt fines hominum peccatorum. Et sæpe contingit vt plerique Deum deserant, & vitæ suæ tempora in desiderijs carnalibus expandant: sed tamen superna gratia respecti, in extremis suii ad Deum redeunt, quæ sint iudicia æterna cognoscunt, cunctaq; quæ se peruersè egisse meminerint, fletibus puniunt, atque hæc verè se insequi, rectis operibus ostendunt. Quibus subsequente iustitia, profectò totum dimittitur, quod ante deliquerunt.* Sic ille. An non etiam idem de Virgine affirmari potest? O quoties videmus lumen eius super terminos terræ! quoties aspectus eius vsque ad terminos vniuersæ terræ! Quàm multi eius patrocinio post vitam malè peractam, in extremis, ad Deum redeunt. Sanè Petrus Damiani mirandam conuersionem latronis illi attribuit. *Stans*, ait, *Virgo ad dexteram pro latrone preces effudit, primusq; extitit peccator, qui sanctissima Maria rogatu, resipuit.*

Virginis precibus conuersus latro. PETR. DAM.

Oculi omnium ad Virginem respiciunt. BERN.

11. Sicut aspectus Virginis vsque ad terminos vniuersæ terræ, sic omnia ad Virginem respiciunt, vis scire qualiter respiciant, audi D. Bern. ser. de B. Virgin. *Sicut ad medium, sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum, respiciunt, & qui in cælo sunt, & qui in terra, & qui in inferno habitant, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum & qui nascentur ab illis qui sunt in cælo, vt restaurentur; & qui in inferno, vt eripiantur; & qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur, & qui sequuntur, vt glorificentur.* Quem Bernardi locum postquam adduxit Cornelius, scribens in Prou. 31. v. 18. subiungit: Nota B. Virginem vocari, *negotium omnium sæculorum.* Primò, passiuè & obiectiuè, quia scilicet ad ipsam tendunt omnia sæcula, vt ad eam ornandam & coronandam omnia sæcula negotiari, id est, perpetuò volui, laborare, & operari videantur. Secundò, actiuè, quia ipsa est negotium, id est, negotiatrix apud Deum, pro fidelibus cuiusuis sæculi, idque facit tantâ curâ & studio, vt non tam negotiatrix, quàm ipsum negotium cuiusque esse videatur: adeò enim cordi habet cuiusque salutis negotium, ac si sua propria res & negotiũ ageretur, quare instar ipsius negotij, nunquam otiatur, sed negotiatur intentè & assiduè.

Quod Maria omnium subueniat necessitati.

SECTIO XXXVIII.

In Maria omnium esca, in ea inuenitur quidquid desideratur.

1. Septimò, de arbore illa dicitur: *Esca vniuersorum erat in ea, & ex ea vescebatur omnis caro.* Quàm bene id competit Virgini? tanta ipsius est perfectio, tanta bonorum omnium abundantia, vt omnes in ipsa inueniant, quòd gustui suo satisfaciat, quòd necessitati suæ subueniat: omnium esca est, omnium est refugium.

Maria peccatoribus luna & aurora lucem quam ille largitur. INNOC. 3.

Imprimis, ô homo, desideras, diuino illustrari lumine, quo compungaris de peccatis, quo ad satisfactionem illumineris, cõuertere ad Mariam: Sic enim monet Papa Innoc. 3. ser. 2. in festo Assumpt. *Qui iacet in nocte culpæ respiciat lunam, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium cor eius ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte inuocauit eam, & non est exauditus ab ea? Qui verò ad diluculum pœnitentia surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam,*

vt

vt ipsa per filium cor eius ad satisfactionem illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eam, & non est exauditus ab ipsa.

Manum objicit manui Dei. BERN.

2. Times ô homo Dei vindictam ob peccatorum tuorũ multitudinem & abundantiam? Accede ad Mariam. *Nemo Domina*, ait D. Bern. *tam idonea est, vt gladio Domini manum pro nobis objiciat, vt tu Dei amantissima.*

Maria protegit à procella desperationis. BERN.

3. Vis non opprimi procellâ desperationis? Accede ad Mariam. *Si criminum*, (ait Bernardus homil. 2. super missus,) *immanitate turbatus, si conscientiæ fœditate confusus, si iudicij horrore perterritus, si barathro desperationis absorptus es, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat à corde, non recedat ab ore, quia ipsa tenente non corruis; non auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis.*

Virgo inuenit gratiam vt nobis eam restituat. HVGO CARD.

4. Quæris, ô homo gratiam? Accede ad Mariam. Cui Angelus, postquam illam dixerat gratiâ plenam, dicit, *inuenisti gratiam*, cur non dixit, habes gratiam, possides gratiam, sed inuenisti gratiam? Audi Hugonem Card. *Nec dicit Angelus habes gratiã apud Deum, sed inuenisti: quia res habita vt propria custoditur, res inuenta restituitur illis, qui amiserant. Quia igitur non sibi soli retentura erat gratiam, sed omnibus, qui eam amiserant restitura, ideo dicit Angelus inuenisti.*

Virgo cuilibet largitur suam gratiam prout cuiuslibet postulat conditio. DAMASC.

5. Quomodo verò sanctissima Deipara, ex omnibus gratiis, eroget hominibus, prout cuiuslibet postulat conditio, & status, eleganti similitudine tradidit D. Damascenus in orat. 2. de Virginis Assumptione, ex persona ipsius Mariæ, Apostolos, iam moritura alloquens: *Quicumque morborum sanationem, vitiosarum animi affectionum depulsionem, peccatorum oblitterationem, & in vniuersum, quicumque bonum aliquod sitit, cum fide ad me veniat, & ex ea gratia, quâ plena sum, hauriat. Quemadmodum enim aquæ, terræ, aëris, splendidissimi solis actio simplex licet, atque vna sit: variè tamen, atque accommodatè ad earum rerum, quæ ipsius participes fiunt, natura immutatur, fitq; in vinea vinum, in olea oleum &c. Ad eundem modum gratia quoque, quæ in me est, quamuis vna sit: variè tamen, atque congruenter ad vniuscuiusque vtilitatem eos, à quibus excipitur, beneficio afficit: nec verò ex natura mea hanc gratiam habeo.* Sic Damasc.

Maria plena pinguedine gratiæ. BONAV.

O quis æstimare valeat, (exclamat D. Bonauent. in spec. lect. 5.) *quàm multæ animæ opitulante gratia Mariæ, sunt per gratiam impinguatæ. Immo certè quis æstimare valeat, quanta in ipsa Maria fuit impinguatio gratiarũ, cuius gratia tot millia animarum, sunt impinguatæ? Cuius enim virtutis pinguedine ipsa caruit, quæ omnium virtutum pinguissimum fuit habitaculum.*

Maria tutissimum præsidium aduersus dæmones.

6. Quæris, aduersus diaboli ausus, insidiasque tutissimum præsidium? Accede ad Mariam, sic enim de illa, Cantic. 6. dicitur: *Pulchra es, amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem; terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quę hęc sunt castrorum acies, quibus Maria cõparatur, nisi custodes Angeli, qui aduersus diabolum propugnant genus humanum? Et quidem si ex vna parte exercitus Angelorum custodum ponantur; ex altera vna hæc Dei mater constituatur, haud illis impar videbitur in tutandis hominibus dæmonibusque exsibilandis. Ait Guillelmus apud Delrium: *Nobis sancti Angeli sunt castrorum acies ordinata, id est, ad spirituale præliũ contra aërias potestates pro defensione hominum præparata. Dilectus igitur, vt piam Matrem demonstraret cunctis malignis spiritibus vehementer terribilem, dixit eam terribilem, vt castrorum aciem ordinatam, quia te sciunt aëriæ potestates esse Matrem meam, Matrem triumphatoris, & spoliatoris sui, verentur te, Matrem terribilis, & eius, qui aufert spiritum principum, id est, destruit superbiam malignorum spirituum: tu quoque terribilis illis facta es, & non mediocriter, sed sicut est illis terribilis Angelicus exercitus ad coërcēdos eos diuinitus ordinatus.* Itaque in vna hac gloriosa fœmina habemus quidquid virtutis habent Angelici exercitus, ad dæmones exsibilandos. Id quod similiter dicitur Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*: quæ verba sic exprimit D. Amedæus hom. de Mariæ ornatu, aiens: *Asserunt odore thuris dæmones effugari, Deum lacrymis mediantibus placari. Ego verò libenter dixerim odore virtutum sanctæ Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine, huc illucq; rapiari vt in eis impleatur, quod dictum est: Fiant tanquam puluis ante faciem venti.*

GVILLEL. Virgo quã terribilis malignis spiritibus.

AMED. Odore virtutum Mariæ effugantur dæmones.

In Maria inueniuntur diuitiæ spirituales. ATHAN.

7. Indiges diuitijs, præsertim spiritualibus? Accede ad Virginem, quæ ait, Eccli. 24. *Mecum sunt diuitiæ.* Vnde sic Virginem alloquitur D. Athanasius in serm. de Annunt. tangens illa verba. *Vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis. Hac de causa factum est, vt gratiâ plena appellata sis, vtpote, quæ omni gratia abundares, idq; per superuentionem in te Spiritus S. ideoq; vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis: Ad te ergo clamamus recordare nostri, & tribue nobis pro istis eloquijs magna dona, ex diuitijs tuarum gratiarum.*

Maria reficit lassos. IDIOTA.

8. Si te ob grauem laborem, fatigatum senseris? Accede ad Virginem, de cuius nomine sic Idiota. *Super omnia sanctorum nomina, ô Maria, tuum nomen reficit lassos. Ipsa duce non fatigaris*, ait D. Bernard. hom. 3. super missus.

9. Indiges consilio, æquitate, prudentia, fortitudine? Accede ad Mariam, sic enim illa loquitur Prouerbior. cap. 8. *Meum est consilium & æquitas mea est prudentia, mea est fortitudo.*

Virgo protegit ab æstu, turbine, pluuia. ABSAL. ABB.

10. Vis protegi ab æstu, turbine, & pluuia spirituali? Recurre ad hanc Virgineam arborem. *Tria sunt*, (ait Abbas Absolon sermone in Assumpt. Virg.) *quæ viatores ad arboris protectionem fugere compellunt, videlicet æstus, turbo, & pluuia: Similiter tria sunt quæ ambulantibus in via Dei quietem animi auferũt,* videli-

videlicet concupiscentia, superbia, & discordia. Et respicit æstus ad feruorem concupiscentiæ, turbo ad tumorem superbiæ, pluuia ad iurgia discordiæ. Protegit ergo beata Dei genitrix ab æstu concupiscentiæ exemplo castitatis, protegit à tumore superbiæ, exemplo humilitatis, protegit à pluuia discordiæ, exemplo mansuetudinis.

Virgo tangentes accendit. BONAV. Virgo fornax amoris.

11. Si plenus frigore, desideras accendi, diuini amoris igne? Accede ad Virginem, de qua sic D. Bonauent. serm. 1. de Virgine. *Quia tota ardens fuit, omnes se amantes, eamque tangentes incendit.*

BERNARDINVS. Maria fornax Dei.

S. Bernardinus serm. de assumpt. art. 2. cap. 3. Mariam vocat fornacem Dei, vnde nimirum erumpunt flammæ, quibus omnium animi accendantur, ipsum loquentem accipe. *Ipsam Virginem fornacem sui amoris, & officinam suæ stupendæ operationis, in qua, & de qua fabrefactum est corpus mundissimum filio Dei, & noua infusa anima, ambo simul tamquam vnam naturam humanam, integram & perfectam in persona filij Dei vniuit, recognoscit. Ostendit autem Spiritus sanctus electis expressè quod in hac officina, & per eam fabrefecit, quidquid in gratia mirificum operatur, & quod in hac totum ignem operationis reclusit, quam vnquam dare disposuit creaturæ rationali.* Hæc ille.

Maria fons sanctitatis.

Exoptas integram & perfectam animæ sanitatem? Virginem adeunto. Est enim ipsa in curandis animabus & corporibus peritissima. Vide quantã medendi vim & efficaciam tribuat Damascenus vel sepulchro virginis. Ait ille, orat. 2. de assumpt. *In me diuina gratia inhabitat, ego morbis correptis medicina, quâ dolores propulsantur existo, ego sanitatum fons perennis, qui morborum sanationem, vitiosarum animi affectionum depulsionem, peccatorum obliterationem, calamitatum omniũ submotionem procuro. Si quis regni cælorum quietem sitit, cum fide ad me veniat, gratiaq; donum magnopere efficax, & vtile hauriat.* Sic ille. Legimus Eccli. 36. *Vbi non est mulier ingemiscit æger.* Quæ virgini sic accõmodat Richard. à S. Laurent. lib. 6. de laud. Virg. *Vbicumque enim non est Maria per gratiam, non potest esse, nisi miseria & egestas.* Vnde Bernard. serm. de B. V. sic eam totius generis humani nomine compellit: *Attende domina, & vide dolores vulnerum animarum nostrarum, qui tibi reuelamus causam nostram cum fiducia, tu peccatorem quemlibet fætidum non abhorres, si ad te suspirarit, tuumq; interuentum, pænitenti corde, flagitarit, spei medicamentum adspiras, foues, non despicis: Famosum huius benignitatis tuæ testimonium est Theophilus per te gratiæ restauratus.*

DAMASC.

ANSELM.

Hinc etiam D. Anselmus tract. de inuocatione Virg. induens personam hominis morbis vitiorum languidi, sic eam alloquitur. *O mater salutis! ô templum pietatis & misericordiæ! tibi se conatur præsentare anima mea, morbis vitiorum languida, & vlceribus flagitiorum putrida, tibi, inquam, nititur, quantum moribunda valet, supplicare, vt potentibus tuis meritis & pijs tuis digneris eam precibus, saluare. O tu benedicta super mulieres, quæ angelos vincis puritate, & sanctos superas pietate, anhelat moribundus spiritus meus, ad tanta benignitatis respectum, sed erubescit ad tanti nitoris conspectum: Eadem enim peccata mea, ô Domina, cognosci à te cupiunt propter curationem: apparere fugiunt propter execrationem.*

12. Vis vitam? Accede ad Mariam nam ait, Eccli. 24. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Mortem Virgini subiectam, ait S. Germanus Patr. Const. orat. in dormit. B. M. sic enim scribit. *Dicatur tibi mors subiecta, ô Deipara, quæ vitam mortalibus protulisti, dicatur sub te sepulchrum, quandoquidem sublimitatis inexplicabilis diuinum facta es fundamentum.* Virgineo nomine confirmari & vegetari animam, non secus atque ipsum corpus aëre exterius attracto sic exprimit German. Patiar. Const. orat. de dormit. B. V. *Rursus huiusce aëris spiratio, vitalem hominibus odorem inspirat. Ita & Christiani omnis orthodoxi ad te respiratio, diuinitatis quoque ipsum participem facit, neque enim tantum cæli haustu animæ nostræ respirant, quantum nominis tui protectione confirmamur, adeò vt in Christo, & in te impleatur quod scriptum est, spiratio narium nostrarum tu es, in tegumento tuo vmbrâ fruemur.* Sic ille.

GERMANVS.

Virginis nomen est instar aëris quo respiramus. IDEM.

13. Vis, recto tramite ad cælum tendere? Mariam inuoca: *Ipsam sequens non deuias, ipsam cogitans non erras, ipsa propitia peruenis,* ait Bernard.

Mariam sequens non deuias. BERN.

Vis formulam quâ exores Virginem, vt illius patrocinio & directione, recto tramite ad cælum tendas? Accipe eam à Damasceno orat. 1. de dormit. Virg. sic enim eam alloquitur. *O Domina peccatoris orationem accipe, ardenter tamen amantis, ac colentis. Teque solam gaudij spem habentis, vitæ antistitem, in gratiam cum filio me reducentem, firmamq; salutis arrham. Peccatorum sarcinam discute, idq; quod menti meæ tenebras offundit, ac terrenam crassitiem dissipa, tentationes comprime, pieq; ac sanctè vitam meam guberna, atque ad cælestem beatitudinem, fac te duce perueniam.* Et iterum: *O Domina verbi parens vtinam nos inspicias ac res nostras arbitrio tuo regas, & modereris, fœdissimarum affectionum nostrarum impetum comprimas, fluctusq; compescas, atque ad tranquillum diuinæ voluntatis portum dirigas, ac futura beatitudine dones.*

Mariam orandi formula. DAMASC.

14. Vnde S. Ephrem de laudibus B. Virg. sic eam salutat; *Spes desperantium per te reconciliati sumus Christo, Deo meo, filio tuo, tu peccatorum, & auxilio destitutorum vnica aduocata es atque adiutrix: tu portus naufragantium tutissimus, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima: tu orphanorum susceptio: tu captiuorum redemptio: tu ægrotantium exultatio, & omnium salus, tu monachorum & solitariorum stabilimentum, & spes sæcularium, tu virginum gloria, corona & gaudium:*

Esca & solamen vniuersorum in virgine reperitur. EPHREM.

gaudium: tu mundi lætitia. Et iterum: *Tu enim noster es portus & præses, pia auxiliatrix.* Et infrà: *Aue periclitantium auxiliatrix, & iucunda libertas, fons gratiæ, & consolationis: aue peccatorum refugium atque diuersorium: Aue laborantium propitiatorium: aue spes omnium proborum aduersis casibus afflictorum; dulce conuersorum solamen, atque præsidium. Aue virorum pariter atque mulierum Regina, & Patrona: aue nostra consolatrix, quæ mœrores sedasti, & oppressorum molestias leniisti, cunctasq; oppressiones sustulisti. Aue clauis regni cælestis: aue portus tutissime, in hac vita nauigantium: aue firma salus vniuersorum Christianorum ad te sincerè, ac verè recurrentium: Aue nostra omnium protectio insignis & gloria.*

Maria virtutum omnium exemplar. AMBROS. Vis virtutum omnium exemplar ac lucidissimum speculum? In Mariam oculos conijce, de illa sic Ambrosius lib. 2. de virtutib. *Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi peritior, legendi studiosior, non in cumulo diuitiarum, sed in preces pauperum spem reponens, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis, non hominum sed Deum solita quærere, nullum lædere, omnibus bene velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem sequi & amare, quando ista fastidiuit humilem? quando risit debilem? quando vitauit inopem? nihil in oculis toruum, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis figura probitatis: talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit.*

Ad vniuersam escam, nobis necessariam, à B. Virgine assequendam vtilissima & efficacissima est salutatio angelica, hac enim à Virgine, petimus, quæ nobis ad bene, fæliciterque viuendum sunt necessaria, hanc enim orationem recitamus, ea mente, & intentione, iuxta pulcherrimam doctrinam Salmeronis tom. 3. tract. 5. Vt in primo verbo, *Aue*, contra reliquas peccati originalis, ac fomitem, per eam dari nobis gratiam, petamus. In secundo verbo, *Maria*, fidem, quâ illuminemur, & de peccatis salubriter (vt Augustinus loquitur) amaricemur, postulemus. In tertio verbo, *Gratia plena*, gratiam nobis per illam donari quæramus, quâ nosipsos Deo singulariter offeramus. In quarto verbo, *Dominus tecum*, rogemus gratiam, nobis per eam, impetrari, vt Deus nobiscum sit, vtque eum, Spiritu sancto, nos adumbrante, fide concipiamus. In quinto verbo, *Benedicta tu in mulieribus*, petamus secundum spiritum, & cum benedictione Dei visitari, vt ita visitati, impleamur Spiritu sancto. In sexto verbo, *Et benedictus fructus ventris tui, Iesus*, postulemus gratiam bene pariendi, Christum, fructibus bonorum operum, etiamsi cum dolore aliquo pariendus sit: quia paulatim assuefacti edere poterimus fructum, non solùm sine dolore, sed etiam cum gaudio, iuxta illud Prouerb. 21. *Gaudium iusto est, facere iudicium.* In septimo verbo, *Sancta Maria mater Dei.* Flagitemus gratiam sanctitatis & munditiæ; vt etiam horreamus, ac vitemus peccata venialia, atque à bene agendi defectibus permundemur. In octauo verbo, *Ora pro nobis peccatoribus*, expectamus gratiam, quâ in cælum frequenter, fide, & meditatione, assumamur, vt ita dignitatem, & gloriam tantæ Matris, in dies magis agnoscamus, atque veneremur. In postremo verbo, *Nunc, & in hora mortis nostræ*, acribus assiduisque precibus à Deo contendamus, nobis dari gratiam bene viuendi, beneque moriendi: nam ob id quod Christo nascenti & morienti astitit, digna facta est, quæ filiorum Dei generationem, vt mater pientissima, foueat: atque morti nostræ, in qua Deo per gloriam nascimur, singulariter succurrat; vt ita tanto patrocinio, & fauore subleuati, seruatique, Virginem sanctissimam imitemur, ac filium eius cum Patre, & Spiritu sancto, per æterna sæcula exaltemus atque magnificemus. Hæc Salmeron.

15. Non autem se difficilem exhibet Maria, in esca omnibus communicanda, verùm, quod amplius est, etiam non rogata, nostris occurrit necessitatibus? Ita docet Concilium Basiliense, sessione 43. de Visitatione Mariæ vbique celebranda. *In cuius,* (inquit) *commemoratione, qui tribulati sunt, Mariam implorant, quæ gaudiorum eiusmodi memor, vt sperandum est, non solùm supplicantes exaudiet, sed sicuti ex sua clementia consueuit, etiam supplicare volentium preces præueniet.* Item Virgini adscribuntur illa verba Sapientiæ 6. *Præoccupat, qui se concupiscunt* &c. Id est, præueniet ope sua & impetratione. Adeò vt de illa dici possit, quod Dion. Cassia. scribit de Imperatore Adriano. *Neque, ait, patiebatur, à se quidquam peti, sed pro necessitate cuiusdam omnia faciebat.* Virgo præuenit preces nostras. CONCIL. BASIL.

16. Sic legimus, deficiente vino, Virginem dixisse ad Iesum, *Vinum non habēt.* Cur non rogata, non interpellata, cogitat de subleuanda vini penuria? Respondet Vincent. ser. 1. Dom. 1. post Epiph. *Quia ipsa habuit cor pium & dulce.* Verùm quare non cogitauit de subleuanda vini penuria, cùm iam vinum defecisset, verùm deficiente vino, cùm iam deficere inciperet vinum? Respondet Iansenius. *Solicita pietas, & misericordia, quæ aliorum defectus subleuare studebat; hoc fecit: Idq; adeò sollicitè, vt vsque ad extremam necessitatem non distulerit, sed deficiente vino, id est, dum iam inciperet deficere & nondum defecisset.* Sic etiam nostræ miseriæ tangunt sæpius illius beneuolum animum, antequam ipsam imploremus, vt vino gratiæ, & charitatis indigentes subleuet: sæpius, inquam, nobis minimè petentibus ipsa suggerit filio suo sic: *Vinum non habent*, vti docuit Bernardus in sermone in Dominicam 1. post Epiph. Virgo habet cor pium & dulce. VINCENTIVS. Maria non rogata cogitat de subleuanda vini penuria, cum iam incepisset. IANSEN.

Vt planè clarum, & manifestum euadat, Virginis cultorem, qui sub hac viginea degit arbore, non anxium esse debere, de comparandis sibi necessariis rebus, sed sibi omnia suppeditanda à sacra Virgine, idque cumulet abundanter.

Virgo anticipat causas miserorum. AMBROS. 16. Vnde sic de seipsa loquitur Virgo Cant. 8. *Vbera mea sicut turris*, quasi dicat teste D. Ambrosio in Psam. 118. octon. 22. *Non parua vbera habeo, sed vt turris, in quibus est abundantia.* Sed fortassis hanc abundantiam sibi retinet, & non communicat Virgo? absit. Audi quid illi dicat sponsus Cant. 4. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli*, in quæ verba sic Richardus à S. Victore. RICARD. A S. VICT. *Virgo habet duo vbera, geminæ dilectionis, lac fundentia, quia reis impetrat veniam, & iustis gratiam*, & pluribus interiectis, *hinnulorum velocitati comparatur, quia velociùs occurrit eius pietas, quàm inuocetur, & causas miserorũ anticipat.* Denique post nonnulla, causam, fontemque aperit: *Sicut enim*, inquit, *vbicumque fuerit corpus, congregantur & aquilæ; ita vbicumque fuerit miseria tua, & currit, & succurrit misericordia. A Deo, pietate replentur vbera tua, vt alicuius miseria notitia tacta, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subuenire. Et quid mirum si misericordiâ affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in te Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent. Cùm enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ vbera accepisti.*

Omnibus expedit vt ad virginẽ recurrant. FVLGENTIVS. 17. Hæc cùm ita se habeant, quid restat, quàm vt omnis generis homines cum omni fiducia recurrant, pro sibi necessarijs donis & gratijs, ad sacratissimam Virginem. Sic sanè monet fœminas D. Fulgentius in sermone de laudibus Mariæ: *Venite*, inquit, *Virgines ad virginem, venite concipientes ad concipientem, venite matres ad matrem: venite lactantes ad lactantem: venite iuuenculæ ad iuuenculam, coniugatæ ad coniugatam. Ideo enim istos omnes naturæ cursus Virgo Maria in Domino nostro suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum.* Sic omnibus consulit D. Bernardus dicens: BERN. *Ad hunc misericordiæ cumulum, tota solicitudine, miseria nostra recurrat, potentissima & pia charitas, & affectu compatiendi, & subueniendi abundat effectu, æquè locuples in vtroque.*

Cauendum ne separemur à Virgine. GERMANVS. 18. Caue, ô Christiane, ne ab hac virginea arbore, auellaris. Vtinam cùm S. Germano de dormit. Virginis dicas: *Non tantùm dolet anima cùm à corpore auellitur, quantus dolor est, te immaculatâ, priuari.* Quin potiùs, Gratiæ Deo agendæ quod Mariam nobis dederit pro mediatrice. BERN. perpetuas Deo age gratias quòd virgineam tibi hanc prouideat arborem, dederitque mediatricem hanc benignissimam, in qua nihil duri occurrit, sed omnia plena sunt mansuetudinis & misericordiæ iuxta illud Bernardi sermone super Signum magnum. *Si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum, vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis: quòd si plena magis omnis pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inueneris, age gratias ei qui talem tibi mediatricem, benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum.*

De ramis arboris Virgineæ.

SECTIO XXXIX.

Quod Religiosi, tanquam tot Philomelæ, versari debeant in ramis Virgineis.

§. I.

OCtauò, de arbore illa dicitur: *In ramis eius conuersabantur volucres cæli.* Idem prorsus affirmari potest, de arbore Virginea. Sed quænam hæ volucres?

1. Volucres cæli, sunt iustorum animæ vt latè ostendemus. Enarr. 5. §. 19. Hæ vt auiculæ, versantur in ramis virgineis, id est, in gestis vitaque virginis, virginem laudibus & præconiis prosequentes, totis medullis cordium & votis omnibus venerantes. Volucres cæli iustorum animæ. Dicitur Apocalypsis 11. *Cùm visa est arca testamenti facta sunt fulgura*, & voces, æquum est vt sacra & viua arca (sic Damasc. serm. 2. de Assumpt.) id est, virgine conspecta, & in mundo cognita, fulgura splendeant, vocesque omnium hominum sonent, etsi in tantæ matris laudibus, vt Pericles, qui ab Aristophane fulgurare & tonare non possimus, voculas saltem instar auicularum emittamus. Licet plenè laudare Virginem nullus possit, nemo tamẽ ab eius laude debet abstinere. Scitè Richardus lib. 1. part. 3. *Si enim memoria iusti, cum laudibus*, Prouerb. 10. *quanto magis memoria Virginis, per quam nobis Christus factus est iustitia?* 1. Cor. 1. RICARD. Omnes meritò laudant virginem.

2. In hisce ramis, præcipuè versari debent religiosi volucribus cæli comparati, iuxta illud Petri Dam. epist. 8. lib. 2. vbi sic scribit. *Ibi quoque* (videlicet in religione) *cæli sunt volucres, ij nimirum qui virtutũ plumis sese in ardua subleuant ac terrena qualibet sub se transire de sua mentis arce prospectant, dumq; per terrena repere; sub carnali concupiscentiæ iugo despiciunt, libertatem aëris petunt, seseq; ad cælestia, librata mentis contemplatione suspendunt, de quibus nimirum Dominus in Euangelio loquitur, ita vt volucres cæli veniant, & habitent* Laudanda Virgo præsertim à religiosis. PETR. DAM.

Religiosi in virgine laudanda debent esse similes philomelæ.

tent in ramis eius. Matth. 13. Versari autem debent in hisce ramis tanquam tot spirituales philomelæ harum auicularum naturam & proprietates in seipsis exhibentes.

Philomela versatur inter spinas, idem præstet religiosus.

3. Primò, hæc auicula pro sua securitate moratur inter spinas, vt doceat Religiosum, libenter versari debere inter aculeos mortificationum, hisce enim arcetur coluber, ne cordi audeat propinquare.

Philomela exiguæ carnis, sit etiam religiosus.

4. Secundò, philomela multi spiritus est & exiguæ carnis, vt Plinius dicat: *Digna miratu aue, primum tanta vox tam paruo in corpusculo, tam pertinax spiritus.* Vt instruatur Religiosus quòd ante omnia conari debeat, vt polleat magno spiritus vigore, paruamque habeat carnis curam, in hac, sculptorem se exhibens, cuius ars consistit in tollendo superfluo, in spiritu verò, pictorem se esse demonstrans, cuius ars in nouis semper addendis coloribus versatur. Absque carne vult Religiosos esse D. Bernard. hinc illos dentibus comparat habita verborum horum ratione, Cant. 4. *Dentes tui sicut greges tonsarum.* Vnde sic scribit serm. 633. ex paruis. *Iusti carnem non habent, quia in carne carnem obliti, audiunt ab Apostolo: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* Vis videre quàm sint fortes in spiritu? Audi eundem Bernardum. *Quid fortior illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur?*

Bern. Religiosi dentibus assimilãtur.

Rom. 8.

Philomela vigilans, sit etiam religiosus. *Hieron.*

5. Tertiò, philomela parcissimi somni, atque vigiliis dedita, sic vigilem docet esse Religiosum. Magna vigiliarum commoda sunt: inter alia hæc recenset D. Hieron. in reg. monach. tit. de vigiliis. *Vigilando*, inquit, *omnis timor excluditur, caro maceratur, vitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio spiritus vulneratur.* Vt magis vitam producas, minus dormi; plus viuit qui plus vigilat, scitè S. Petrus Chrysol. serm. 14. *Plus vigilare, plus viuere est; quid est tam mortis simile, quàm dormientis aspectus? Quid tam vitâ plenum quàm forma vigilantis?* Dormientem hominem vides? mortui simulachrum habes. *Nullus*, (verba sunt B. Clementis Alexand. pædag. 2. cap. 9.) *dormiens vllius pretij est, magis quàm qui non viuit.* Cur ergo somno sepeliris, qui mortem, qui sepulchrum horres? Naturæ tributum soluendum somno est, caue ne somnus, tanquam iniustus publicanus magis exigat, quàm deceat. Idem Clemens eodem loco: *Somnus*, inquit, *non secus ac Publicanus dimidium vitæ tempus nobiscum diuidit.* Nimirum surripit sibi dimidium.

Petrus Chrysol. Plus vigilare est plus viuere.

Philomela ob cantum creata, sic religiosus ad Deo laudes cantandas.

6. Quartò, Chrysippus philosophus affirmabat philomelam cantus sui gratiâ esse creatam. Nónne idem de Religioso potest affirmari? Certè de illo magis quã de quopiam alio. Dixit Deus per Isaiam, *Populum istum formaui mihi, laudes meas cantabit.* Atque idipsũ exequi à bonis Religiosis notat Aug. in Ps. 99. ita scribens: In illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti, quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde viuunt.

Ad Dei laudes canendas se natum reputans Regius vates dicebat Psalm. 150. *Omnis spiritus laudet Dominum*, Chrysostomus legit, *omnis respiratio.* Hieronymus, *Omne quod spirat.* Caietanus, *Omnis flatus.* Hebræus, *Omnis halitus.* Chaldæus, *Mens omnis*, Fælix: *Omnis anima laudet Dominum.* Qualiter autem homo se totum impendat diuinis laudibus sic docet D. Chrysost. in Psalm. 150. *Laudat eum oculus, quando non intuetur impudicè, & lingua quando psallit, & auris quãdo improbat cantilenas, & accusationem proximi non suscipit, & mens quando dolos non struit, sed scatet charitate, & pedes quando non currunt in vitium sed ad res bonas gerendas, & manus, quando non ad furta, & rapinas, nec ad pulsandum & verberandum, sed ad eleëmosynam, & eos defendendos, quibus fit iniuria, extenduntur. Tunc enim fit homo numerosa cythara, numerosam quandam modulationem Deo offerens.* Sic ille.

Quando totus homo laudet Deũ.

Chrysos.

Continuas hasce laudes exigunt, præsertim à religiosis, innumera Dei beneficia. *Duo sunt quæ homo numerare nequit* (ait Oleaster scribens in cap. Exod. 30.) *alterum peccata sua, alterum beneficia Dei. Peccaui, ait quidam, super numerum arenæ maris: Et alius, comprehenderunt me iniquitates, quarum non est numerus. Quis autem poterit numerare beneficia Dei? Quàm multiplicata sunt opera tua Domine, impleta est terra possessione tua. Sed nunquid sola terra? Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. Piaculum grande esse ostendit locus iste, si quis velit numerare, quæ Deus sine numero esse voluit.* Sic ille.

Innumera Dei beneficia exigunt à nobis perpetuam laudem.

Præsertim verò pro opere redemptionis laudãdus Deus, iuxta illud D. Pauli Ephes. 2. *Ipsius enim factura sumus, creati,* (id est, redempti,) *in operibus bonis in Christo Iesu*, Græca habent, *Ipsius sumus poëma.* Nam vt ait Clem. Alex. in exhort. ad Gent. *Pulcher Dei hymnus homo qui iustitiâ ædificatur.*

7. Toti etiam debent esse Religiosi in decantanda Virginea laude, dum enim laudamus Virginem, laudem Virginis in filij laudem quodammodo conuertimus, & cõtra, vt bene notauit Richardus à S. Laur. lib. 2. de Laud. Virg. part. 1. sic scribens: *Cùm filium honoramus, à matris gloria non recedimus, ad hoc designandum beata illa mulier, quæ extollens vocem de turbâ Luc. 11. volebat filium collaudare, dixit illi: Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti, intelligens per Spiritum sanctum in matris laudibus filium collaudari, item idem significatum est Cantic. 2. vbi postquam se laudauerat filius dicens: Ego flos campi, & lilium conuallium, statim transiit ad commendationem matris, dicens: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias; Quo ostendit, quòd laus sua, laus matris est, & è conuerso.*

Dum laudamus virginé, Christum laudamus.

Richar.

8. Si virginis laus semper non possit esse

in

Memoria Virginis non debet recedere à corde, quia maximè suauis. BONAV.

in ore, à corde tamē nostro, non debet eius recedere memoria, sed illa, tanquam sigillo, debet esse obsignata, mens & memoria nostra. Quid enim hac memoria dulcius excogitari potest. Audi D. Bonau. in spec. c.8. sic enim exclamat, ad virginem sermonem conuertens: *O magna, ô pia, ô multū laudabilis Virgo Maria! tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem quin recrees affectus diligentium te, tu nunquam sine dulcedine diuinitus tibi insita pia memoriæ portas ingrederis.* Sic ille. Hinc Card. Pet. Dam. explicans illa verba Eccli. *Spiritus enim meus dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum,* eaque de virgine intelligens ait: *Hæc est quæ vestris affectibus suauiter indulcescit, in qua dulcis Dominus cum omni sua dulcedine superuenit.* Deinde idē Petr. Dam. exponēs illud Eccli. 49. *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmētarij, in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria & vt musica in conuiuio vini,* addit: *Fælices Angelici spiritus qui beatæ Virginis habēt præsentiam, nos interim memoriā suauitatis eius eructamus. Si sic dulcis est memoria, quid est præsentia?* Quibus adnectendum, quod ait Damasc. orat. 1. de dormitione Virg. *Sufficit his qui tui memoriam piè vsurpant, pretiosissimū memoriæ tuæ donū: quippe quæ huiusmodi lætitiam pariat, quam nullus eripere possit: quanā enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentē suā sanctissimæ memoriæ promptuarium effecerit.*

Mutat philomela vocem secundum temporis diuersitatem. OVIDIVS.

9. Quintò, mutat philomela vocem secundum temporum diuersitatem iuxta illud Ouidij:

Tu philomela potes vocum discrimina mille
Mille vales varios ritè referre modos.
Nam quamuis aliæ volucres, modulamina tentēt.
Nulla potest modulos æquiualere tuos.

De variis huius auis modulis sic Plin. l. 10. c.29. *In vna perfecta musica scientia, modulatus editur sonus: & nunc continuo spiritu trahit in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuscatur ex inopinato: interdum & secum ipse murmurat: plenus, grauis, acutus, creber, extentus, vbi visum est vibrans, summus, medius, imus.* Sic nouit bonus Religiosus laudes deferre Virgini secundum mysteriorum & perfectionum suarum occurrentium varietatem.

In vna salutatione virginea, ad memoriam reuocantur omnia mysteria in Virgine peracta. SALMER.

Quod amplius, in recitanda, vel vnica oratione angelica, omnium mysteriorū sacræ Virginis memoriam celebrant, singula peculiari prosequitur laudis modulamine, Angelicæ enim salutationis verba festiuis solemnitatibus Virginis mirificè consentiunt, quod sic præclarè docet Salmer. to. 3. tr. 5. *Primum verbum, (Aue,) conceptioni Virginis ex parentibus respondet: quia salutata est, vt minimè apud Deum excommunicata, & à peccato seruata, vt possit dici, sine væ. Secūdum, (Maria) Natiuitati Virginis adaptatur, in qua tanto nomine insignita est, & iuxta significatum fide illuminata vt & maris stella apparuit mundo. Tertiū (Gratia plena) Præsentationi Virginis accommodatur: nam triennis ex singulari gratia, se Deo obtulit in seruam, & corpus etiam suum voto illi dicitur consecrasse. Quartum verbum: (Dominus tecum) Annunciationi per Angelum ad illam factæ quadrat: nam conceptione filij Dei, Deus singulariter cum Virgine fuit, vt verissimè illi dici possit, Dominus tecū. Quintū verbum: (Benedicta tu in mulieribus:) festiuitati Visitationis ad Elisabethā factæ rectè congruit, in qua cognata sua, Spiritu sancto repleta, eam benedictam inter mulieres, secundò, post Angelum proclamauit. Sextum verbū, (Et benedictus fructus ventris tui Iesus,) Partui Virginis in Bethleem accommodatur. Est enim fructus benedictus, quem sanctissima mater sine dolore, imò summo cum gaudio, salua sua virginitate, in lucem edidit. Quod mysterium naturæ cursum maximè superat. Septimum verbum: (Sancta Maria Virgo Mater Dei,) solemnitati Purificationis quadrat, in qua B. Virgo veram se Matrem Christi ostendit, illum in templo præsentando, sanctitatemq́; suam ac puritatem proferēdo, volens se subdere legi purificationis, quæ omni mūditia, & virginea puritate pollebat, vt ita meritis suis & precationibus suis nos (qui peccatores atque impuri eramus) purificaret. Octauum verbū: (Ora pro nobis peccatoribus) ad sacratissimam Virginis Assumptionem hæc verba referenda sunt: nam assumpta est, vt pro nobis perpetuò orare non desinat & fidelissimam aduocatam, se apud filium pro nobis præstet. Siquidem postrema Mariæ actio quam scriptura tradit, fuit in die Pentecostes, orare simul cum Apostolis pro aduentu Spiritus sancti: neque de illa deinceps in scripturis vllum inuenitur verbum: quo nimirum intelligamus, perpetuas preces, pro Spiritu sancto nobis impertiendo, ad Deum semper fundere. Postremum verbum: (Nunc & in hora mortis nostræ) Constantiæ, fortitudiniq́; respondet, quam Christo moribundo, & in cruce animam agenti præstitit; quā quidem promeruit, omnibus si ij suis spiritalibus horā mortis assistere, atque eos, ab insidiante dæmone, & mala morte seruare, iuxta illud: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horā mortis suscipe.* Hactenus Salmeron, in sequentibus ostendens, quæ beneficia postulemus, per eandem salutationem Angelicam.

Philomela priùs spiritu deficit quàm cātu: sic assiduus in laude Virginis religiosus. IDIOTA.

10. Sextò, cantat philomela tanto cū animo, tantaq; cū obstinatione, vt dicat Plin. *Spiritu prius deficere, quàm cantu.* In laude Virginis sit tam assiduus religiosus, vt priùs vita deficiat, quā à laude Virginis sese cohibeat. Vnde sic Virginem alloquitur & orat pijssimus Idiota: *Impetra tuis assiduis postulationibus, vt te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, tua mirabilia nuntiem, tuam exemplarem ac Deificam vitam prædicem, scripta de te elucidem, vt habeā in laudibus tuis vitam æternā: imò in vita æterna laudes tuas, & super benedicti filij tui, conciuā, quia scriptum est: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, quòd si de tuo filio, qui est Dei sapientia id dictū est, de te etiam, quæ es eius superexaltata, & superbenedicta mater, id negandum non est.*

11. Septimò, in veris initio dicunt aliqui, quòd philomela taliter delectetur cantu, vt

rarissimè

rarissimè comedat, sic Religioso in delicijs sit laus Virginis, eamque præferat suauissimis epulis.

Philomela noctis tædia subleuat cantu, vitæ tædia subleuet Religiosus laude Virginea.

12. Octauò, Albertus Magnus affirmat matres, dum oua excludunt, longæ noctis tædia cantu subleuare, cantu quoque suo auroram præsentiam nuntiare, solisque ortum prose qui cantibus. Similiter dum agitur durante huius vitæ nocte, de perficiendis per Spiritum sanctum conceptis inspirationibus & bonis propositis, quod non peragitur absque labore & mortificatione, omne quod occurrit tædium, facilè superatur, si laus Virginis nobis sit familiaris, & vitam eius sanctissimam præconijs prosequamur. *Per te, Maria*, ait D. Bernardus, *franguntur vincula, soluuntur debita, vincuntur vitia, solidantur confracta, recuperantur perdita, renouantur vetera, roborantur infirma, magnificantur minima, exaltantur infima, incepta promouentur, infecta perficiuntur, perfecta conseruantur, dæmones fugantur, purgatur cor, mens refulget, animus inflammatur, liquescit pectus, dulcescit gustus, & decoratur aspectus.*

BERN.

Luscinia confert pullis vitam cantando

ALB. MAGNVS.

13. Nonò, secundum aliquos Platonicos, non possunt lusciniæ pullis conferre vitam, nisi mediante cantu. Rationem verò adfert Albertus dicens, quòd spiritu illo suaui è cantu illo efformato excitetur calor naturalis, commoueatur sanguis, exhilaretur cor, talis verò calor, quouis alio sit vitalior. Similiter si velimus opera nostra abundare vitâ gratiæ, & maximè esse vitalia, nihil ad hoc efficacius quàm in cantu & laude Virginis assiduum & strenuum se exhibere, sic enim in nobis magis excitatur diuini amoris calor, commouetur animus, cor exhilaratur quouis alio vitalior.

Cum laude Virginis moriendũ sicut philomela cantando moritur.

BONAV.

14. Decimò, Bonauentura in sua philomela, dicit quòd persentiens vicinã sibi mortem, soleat residere tempore matutino, in aliqua arbore, se totam impẽdendo cantibus, & quod circa nonam cantu defatigata, animam exhalet: sic decet Religiosum, quò morti est vicinior, eò se promptiorem, & deuotiorem in celebrãdis Virgineis laudibus exhibere, & quod amplius, cum laude & inuocatione Virginis obdormire in Domino. De B. Gertrude refert Blosius in Monil. spirit. c. 3. quòd cùm lecto ægrotans decumberet, nec plura in Virginis laudem efferre posset, hæc tantùm verba deuotè ingeminabat: *Aue Maria, gratiâ plena, Dominus tecum*; quod obsequium adeò gratum Virgini extitit, vt mox ei apparuerit pallio induta, aureis floribus mirè exornato, quibus designabantur laudes quas Virgini B. Gertrudis dixerat.

S. Gertrudis obijt Virginem laudando.

BLOSIVS.

Laus Virginis omnibus suauis.

CROMER.

15. Vndecimò. Cantus philomelæ hominibus gratissimus & maximè iucundus. Vnde Cromerus scribit quòd Vandislaus Rex Poloniæ, in quã dicuntur suauius canere, quàm alij, sin partibus, contraxerit mortales febres, eò quòd nocte integra, eaque subrigida, egerit in silua, vt perfrueretur huius modulamine, sic laus Virginis omnibus gratissima & suauissima.

Quàm Virgini iucundum si eam laudem.

PET. DAMIANVS.

16. Quàm Virgini iucundum vt illius decantemus laudes, cõstat ex eo quòd de quodam Clerico Virginis amore scribit Petrus Dam. li. 6. ep. 29. in hæc verba: *Clericus quidam Neuernensis Ecclesiæ, morbo depressus elanguit, iam iamq; crescente molestia, moribundus ad extrema peruenit; hic regulam sibi sanctæ seruitutis indixerat, vt B. Dei Genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolueret; cumq; vel egressurus in eius pectore spiritus anxiè palpitaret, ecce gloriosa Mater Dei visibiliter astitit, & sacri vberis papillâ lac exprimens, eius labijs instillauit, & diuinæ virtutis antidoto, protinus ille resumptis viribus, ex infirmitate conualuit, & mox clericalibus ornamentis indutus, Ecclesiam adijt, seseque choro psallentium fratrũ, lætus interserens, mirum videntibus spectaculũ præbuit. Dicitur etiam quòd adhuc tunc in labijs eius quædam lactis videbantur vestigia. Per hoc coniici potest, quoniam eisdem labijs, quibus eam ille laudauit, & coluit, gloriosa Virgo lac salutis immulsit, vt per illud corporis membrum, quo sibi Venerabilis Clericus laudis obtulerat gloriam, congruâ vicissitudine recuperandæ salutis suæ perciperet medicinam.* Huc trahi possunt exempla quæ adducit Nouarr. in vmbra Virgin. num. marg. 1338. & seq.

Ab omnibus mortalibus Virginem, laudibus, & quidem aureis, id est, pulcherrimis, & argẽteis, id est, altisonãtibus, vbique fore prosequendã, sub murænulæ (quæ colli ornamentum est) similitudine, prædixit illi Christus Cant. 1. dum ait: *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Quæ verba sic expendit Rupertus: *Faciemus ergo tibi murenulas veritatis, ornamenta benedictionis, & gratiarum actionis, benedicendo & gratias agendo, quia sic fecit tibi: ita vt nõ sit locus, vbi vox laudis huius non audiatur, vox sonora, laus altisona, quæ tuum nomẽ concelebrans iugiter te ambiat, & quodammodo de collo tuo dependeat.* Sic Rupert.

Philomela se præcipitat in fauces serpentium, vnde symbolum est mali Religiosi.

PET. DAMIANVS.

17. Quamuis autem philomela tot gaudeat naturæ dotibus, quamuis illius moduli & cantus sint tam iucundi & grati, vnũ est, in quo Religiosus longè abesse debet, à philomelæ proprietate, vnũ est in quo laus Virgini delata, in immensum superat cantum philomelæ. Vis scire, quódnam illud? quòd auis hæc vltroneè ac spontaneè sese deijciat, atque præcipitet in fauces apertas serpẽtum rapta pulchritudine, & obtutu oculorũ eorundem, de quo sic B. Damian. lib. 2. epist. 18. *De philomela referunt, paterque meus id testabatur, deprehensa in arbore, à vipera, quæ arborem ambit, paulatim deflentem, miserabili voce, in illius os vt deuoretur, descendere.* Et hanc philomelæ dementiam, quinam imitantur nisi praui Religiosi, & mali Christiani, dũ peccando mortaliter, allecti falsa peccati dulcedine & pulchritudine, vltro se ingerunt antiqui serpẽtis faucibus, vt illi sint in cibũ, & escam electam, trahitur quidem ab eo, allicitur ab eo, sed an cogitur ab eo? absit, illius est tentare, & nostrũm nequaquam ten-

 tationi

tationi & illectamentis eius consentire. Præterea, philomelam, ab hac insania non retinet, nō præseruat dulcis sua modulatio, & cantus iucundissimus, longè aliter res se habet in laude Virginis, hæc enim instar fræni est, quo à peccato cohibetur homo, ita quòd Maria suis cultoribus, de sua laude, dicere potest, quod Deus de sua dixit laude Isa. c. 48. *Laude mea infrænabo te ne pereas*, huc spectasse videtur Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virgin. c. 5. dum ait: *Voluntas filij est, vt matrem illius, & Dominam nostrā benedicamus in omni tempore, scilicet nocte & die, in prosperis & aduersis; & vt laus eius semper versetur in corde & ore nostro, de ipsa meditādo, ipsam laudando, orando, benedicēdo, illi gratias agendo, eius magnalia prædicando, & vt laus eius sit quasi frenū in maxillis nostris, nos refrenās à vitijs linguæ. Vnde & ipsa promittit cum filio laudatori*, Isai. 48. *Laude mea infrænabo te ne intereas*. Sic ille. Nō solùm laus Virginis à lapsu linguæ reuocat, verùm & ab omni peccati interitu nos refrænat.

Laude Virginis refrænantur à peccato.

Rich. a S. Laur.

Sed qualem laudatorem requirat Virgo, disce à S. Ildefonso. Sic ille ser. de assumpt. *Mariæ non tantum prodest laudatio nostra, quàm nobis eius imitatio, magis placet imitator deuotus, quàm laudator otiosus, vera laudatio cordis est imitatio operis*. Sic ille. *Summa religio est*, ait D. Aug. *imitari quod colimus. Dilectissimi* (ait S. Hieron. ser. de assumpt.) *amate Mariam quam colitis, colite quam amatis: quia tunc verè colitis & amatis, si imitari velitis ex toto corde quam amatis*.

Qualem laudatorem requirat Maria.

Ildefonsus.

In ramis Virgineis cōuersantur virtutes tamquam tot volucres cæli.

§. II.

IN *ramis eius conuersabantur volucres cæli*. Per cæli volucres virtutes intelligo marianas, in ramis, in potentijs, eius conuersantes, vis videre qualiter volucres sunt virtutum symbola?

1. Halciones esse symbola fortis & firmæ fidei, siue fiduciæ docet Ambros. libro 5. Hexamer. cap. 13.

Halciones symbola fortis spei.

Ambros.

Mergos, fulicas, ardeas, symbola esse prouidentiæ, ac præuisionis futurorum docet idem Ambros. lib. 15. Hex. c. 13.

Aues symbola prouidentiæ.

Ambros.

Anseres symbola esse vigilantiæ docet Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 13.

Vigilantiæ.

Ambros.

Qualiter grues sint symbola vigilantiæ & humilitatis, docet Ambros. lib. 5. Hexamer. cap. 15.

Qualiter cornices symbola hospitalitatis. Ciconiæ verò pietatis in parentes docet Ambros. l. 5. Hexam. c. 16.

Symbola hospitalitatis.

Qualiter hirundo sit symbolum maternæ sedulitatis in filios docet D. Ambrosius libro 5. Hexamer. cap. 17.

Symbola maternæ sedulitatis.

Qualiter fulica symbolum pietatis in proximos, docet D. Ambros. lib. 5. c. 18. in f.

Symbola pietatis in proximos.

Ambros.

Qualiter turtur symbolum viduitatis, docet D. Ambros. lib. 5. Hexam. c. 19.

Viduitatis.

Qualiter vultures symbola integritatis & continentiæ, docet D. Ambros. li. 5. Hex. cap. 20.

Integritatis.

Qualiter apes symbola sapientiæ, docet Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 21.

Apes sapientiæ.

Qualiter phœnix symbolum internæ renouationis, docet Ambros. lib. 5. Hex. c. 23.

Phœnix renouationis.

Qualiter luscinia, symbolum pauperis fœminæ, summo labore victum quæritantis vt filios alat, docet Ambr. lib. 5. Hex. c. 24.

Luscinia symbolum sedulæ fœminæ.

Prædictæ virtutes, cum alijs tum theologicis (videlicet, fide, spe, charitate) tum cardineis (puta iustitiam, temperantiam, fortitudinem, & prudentiam) inuentæ in Virgine, idque perfectissimo modo. Vnde sic Virginem alloquitur Idiota li. de contemp. Deip. c. 2. *Tu habuisti pulchritudines, quot virtutes: & singulas in altiori gradu, quàm concessum fuerit, post filium tuum superbenedictum, puræ creaturæ: In his namque similem non habuisti, nec es habitura sequentem. In te omnes virtutes tam actiuæ, quàm contemplatiuæ conuenerunt, & præ cunctis creaturis te admirabilem reddiderunt*. Hæc ille.

Virtutes in Virgine modo perfectissimo.

Idiota.

2. Sed quid sibi vult, quòd hæ aues, dicantur conuersari in arbore Virginea, non autem in illa nidificare, oua ponere, ouis incubare, oua excludere, pullos obumbrare, enutrire, defendere, &c. quia alia ratione, & longè diuersa, erant virtutes in Virgine, quàm alijs hominibus. In his enim nō conuersantur, non quietè agunt, non sine pugna & luctamine actus suos, & operationes peragunt, in illis peragendis, quis non sentit pugnam, quis non impeditur, ob innatam nobis concupiscentiam, ob inhærentem fomitem, ob passiones prauas, necdum compressas & eradicatas? De Virgine verò sic loquitur Richard. à S. Victor. in Cant. 26. *Habuit virtutes sine perturbatione vel passionibus vitiorum, & has possedit, amore earum delectata, & gratiā adiuta. Ideò in ipsa virtutes erant perfectæ & in continuum vsum transfusæ, vt nihil aliud, quàm bonum saperet, vellet, vel sentiret. Angelicam denique in terrā adepta est puritatem, & Dei similitudinem, in virtutibus & sanctitate, ac morum perfectione, iusta, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente & corpore*. Et D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17 §. 4. ex Alberti Magni sententia asserit Deiparam Virginem has virtutes per modum patriæ, & eo modo, quo ijs congruunt, qui purgato sunt animo, non simpliciter, sed medio modo inter statum Viatorum & Comprehensorum habuisse: *Nam quantum*, inquit, *ad actuum perfectionem habuit per modum patriæ sine aliqua pugna, sed quantum ad merendi conditionem, habuit per modum viatorum. Vitium* (ait Ioannes Cassianus lib. 2. de Virg.) *nihil in ipsa vindicabat, virtus regnabat in pace, non habebat quod expugnaret, nec marcebat virtus in hoste sopito*.

Virtutes cur dicuntur in Maria conuersari.

Maria habuit virtutes sine perturbatione.

Rich. a S. Vict.

Habuit Maria virtutes quasi per modum patriæ.

Antoninus.

Ioan. Cass.

Quòd

Quòd Christus instar auis réquiescat in sacratissima Virgine.

§. III.

Christus auis in Virgine requiescens.

Procop.

3. Secundò. *Volucres cæli conuersabantur in ramis eius.* Quid Christus, nónne auis quædam prorsus cælestis? Certè de Christo, sub imagine auis, loquitur ipse Deus, per Isaiam cap. 46. dum ait: *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet: Vocans ab Oriente auem, & de terra longinquo virum voluntatis meæ.* Quem locum de Christo intelligit D. Thomas, Glossa interlinearis, Dionysius & Arias Montanus. Procopius postquam posuisset versionem Septuag. addidit. *Alij autem transtulerunt; vocans ab oriente auem, à terra longinqua virum voluntatis meæ; quibus certè Christum ipsum significarunt; quem de terra longinqua, id est, ab ipsis inferorum penetralibus, euocatum esse dicit, & per eundem promissiones se impleturum.*

Hugo Victor. lib. 1. de bestijs &c. cap. 34. æstimat inter reliquas aues, nycticoracem, siue noctuam, pulcherrimum esse Christi symbolum. Accommodans enim illa verba Dauidis Psal. 101. *Factus sum sicut nycticorax in domicilio,* sic scribit: *Nycticorax est auis, quæ amat tenebras noctis. In parietinis habitat, quia in ruinis maceriarum, quæ sunt sine tecto, domicilium seruat, lucem refugit, in nocte volitans, cibos quærit. Mysticè nycticorax Christum significat, qui noctis tenebras amat, quia non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ita enim Deus dilexit mundum, vt pro redemptione mundi, morti traderet filium suum. Quòd autem peccatores, tenebræ vocentur Apostolus testatur dicens: fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Habitat nycticorax in ruinis parietum, quia Christus nasci voluit de populo Iudæorum. Non sum, inquit, missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Sed Christus opprimitur à ruinis, quia occiditur à Iudæis. Lucem refugit, quia vanam gloriam detestatur, & odit. Cùm enim leprosum curaret, vt nobis exemplum humilitatis daret, dixit leproso. Vide nemini dixeris, de hac luce dicitur: Auferetur ab impijs lux sua, id est, præsentis vitæ gaudia. Ipse autem est lux inaccessibilis, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Lux igitur refugit lucem, id est, veritas refugit mundanæ gloriæ vanitatem. In nocte volitans escas quærit, quia peccatores, in corpus Ecclesiæ, prædicando conuertit.*

Ezech. 18.

Ioan. 3.

Ephes. 5.

Matth. 15.

Matth. 8.

Iob. 38.

Christus quasi aliarũ creaturarũ pertæsus, requiescit in Virgine.

4. Vbinam hæc cælestis auis conuersatur, deliciatur, & quiescit, nónne in sacratissima Virgine, & quidem taliter, vt aliarum creaturarum, ferè pertæsus, in vna Maria delicias & voluptates suas posuisse visus sit? Idipsum expendentem accipe S. Petr. Dam. serm. 11. *Numquid in Angelis voluptatem habet altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? Numquid in constellatione, seu scintillatione stellarum, quarum aliæ conuertuntur in sanguinem, aliæ de cælo cadunt, aliæ in tenebris obscurantur? Numquid in aëre, vel in igne, vel in ventis? nequaquam, quia non in igne Dominus, non in spiritu Dominus, si verus est ille, qui in curru igneo, & equis igneis est assumptus in cælum. Numquid in aquis, vbi furens, & tortuosus Leuiathan immoratur, aut in terrâ, quæ sub maledictione Adæ, spinas emittit & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi vterus Virginis.*

Damiani.

5. In Virginis vtero velut in lectulo requiescit Christus. Ita censuit Richard. lib. 10. de laud. Virg. *Lectulus,* inquit, *Salomonis, id est, veri pacifici, beata Virgo dicitur, in quâ inclinato capite Dei filius requieuit, velut in lectulo. Vnde & ipsa dicit: Ei qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo,* Ecclesiast. 24.

Requiescit in vtero Virginis tamquam in lectulo. Rich. a S. Laur.

6. In Virgine tamquam in nido requiescit Christus, vt insinuat ipse Angelus qui S. Birgittæ loquebatur, in ser. ang. c. 10. postquam Christum aquilæ, & Virginis parentes pulcherrimæ comparasset arbori. Accipe illius verba. *Quemadmodum aquila, quæ in sublimi aëre volitans, perlustratis pluribus nemoribus, vnam arborem tam firmiter radicatam eminus respiceret, quòd ex ventorum impulsibus euelli non posset: Stipitem quoque eius ita procerum, quòd per eum nemo valeret ascendere: quæ & in tali loco staret, quòd impossibile videretur, quòd aliquid super eam à parte superiori caderet. Et hanc arborem diligentiùs aquila intuens, nidum in quo quiescere vellet, in eâ construeret. Ita Deus, qui huic aquilæ comparatur, cuius conspectui omnia futura, sicut & præsentia, clara sunt & aperta, dum vniuersa iusta & honesta coniugia, quæ à primi hominis creatione, vsque in diem nouissimum fieri debebant, prospiceret, Ioachim & Annæ coniugium, in omni diuina charitate, & honestate præuidit. Et idcircò ei placuit de hoc sancto coniugio honestissimæ suæ Matris corpus, quod per nidum intelligitur, generari, in quo ipse cum omni consolatione dignaretur quiescere.*

In Virgine tamquam in nido requiescit Christus. Birgit.

7. In Virgine, tamquam in suauissima cella, requieuit Christus atque cum illa familiarissimè conuersatus est, hæc meditantem accipe deuotissimum Dionysium Carthusianum in opusculo de vita solitaria. *Venit vnigenitus Dei filius vsque ad medium amantissimæ suæ Matris, illicque in Virginei vteri suauissima cella nouem mensibus requieuit. Fœlix nimis puella, cui Deus se tam familiarem exhibuit, cuius filius creator esse elegit, cuius sibi vterum in thronum, thalamumque sacrauit, cuius vbera suxit, in cuius gremio sedit, quam toties amplexatus osculatusque est, in cuius vlnis tam vbertim quieuit, cuius mensæ tam frequenter assedit, ac ministrauit, cum qua triginta annis tam dulciter, humiliter, familiariterque conuersatus est. O delectabilissima, fœlicissimaque Maria, me, quæso, in vniuersis maternaliter atque pijssimè præueni, possidè, conserua.* Hæc ille.

Christus in Virgine requiescit tamquam in suaui cella. Carthusian.

8. Re-

8. Requiescit in Virgine tamquam in terræ medio siue centro, vide Salazar in c.8. Prouerb. vers. 26. num. marg. 34.

Christus requiescit in Virginis vtero tamquam in florentissimo domicilio.

Zeno.

9. Et quod Virginis maximè extollit gloriam, in vtero suo libentissimè requiescit Christus. Quod de filio Dei ad homines veniente notauit Zeno sermon. 4. de natiuitat. dum ait: *Requiescit libens, florentissimo in domicilio castitatis, & in visceribus sacræ Virginis comparat sibi corpus suo indicio nasciturus.* Sponsa, Christum ad terras venientem, considerans, ait: *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum.* Si Christus exultauit vt gigas, ad currendam viam, quid est, quod in primo cursus impetu, sistitur nouem mensium spatio in vtero Virgineo? Legimus præcursorem Ioannem, in materno vtero exultantem, nimirum in officium exilire conantem. De quo eleganter Chrysostomus homil. 2. *Exilijt Ioannes in materno vtero accusans naturæ tarditatem, labefacto, inquit, vinculo naturæ, propere prædicare.* Eo namque puer ardebat desiderio fungendi suo munere, vt non sustineret natiuam vteri tarditatem, quem mora impatiens disrumpere conabatur. Et qui fieri potest, vt postquam Christus egressus est è sinu paterno, tantopere moratur in vtero Virgineo? Nónne quia requiescit libens in Virgine, tamquam in florentissimo domicilio. Vnde etiam Christus Virgineum vterum relicturus, quasi ab illo extractus, & vi quadam videtur auulsus fuisse; quod ipse fatetur Psalm. 21. vbi Patrem alloquens, ait: *Tu es qui extraxisti me de ventre*; seu vt habet Tertullianus lib. de carne Christi cap. 20. *Auulsisti me de vtero.* Adeò enim libenter in Virgineo vtero conquiescebat Christus, vt auulsus à ventre matris dicatur: quasi ipsi, per amorem & habitaculi voluptatem, adeò esset infixus, vt in illa non secus ac in florentissimo requiesceret domicilio.

Christus quare dicatur extractus ex vtero.

Tertul.

Quid mirum Christum libenter quiescere & habitare in Virgine tamquā in florentissimo domicilio, cùm habeat cum Virgine vnius naturæ identitatem, *Cùm quatuor modis insit* (ait Petr. Dam. serm. 1. de Natiuit. Mariæ) *Deus omnibus creaturis. Primo modo essentialiter, tam in bonis, quàm in malis: secundo modo inest bonis, operatione: agit enim in eis, vt operentur opera Dei: tertio modo inest & plerisque, bonis, illuminatione, quos de futurorum cognitione nobilitat, & participes suorum efficit secretorum: quarto modo inest vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini, identitate, quia idem est, quod illa. Hic taceat & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis & dignationis immensitatem. Dominus tecum, inquit Angelus. Habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Sic ille.

Ipsa est thronus ille mirabilis ait idem loco cit. de quo in Regum historia legitur: *Fecit sibi Rex Salomon thronum ex ebore grandem & vestiuit eum auro fuluo nimis.* Quid per aurum, nisi Dei maternitas intelligitur, quia sicut aurum reliqua metalla. Ita & dignitas matris Dei, omnem aliam excedit dignitatem. Sed cur hæc maternitas dicitur Aurum fuluum nimis? *Quia*, ait, *tali modo Deus Virginem induit vt meliori non posset.*

10. Christo in Virgine mansuetissima, & dulcissima, sic conuersanti, nosti quid acciderit? Ipse quoque Christus totus mansuetus, totus dulcis redditus, de quo vide latè enar. 2. sect. 29. §. 1. & 2.

Christus in Virgine dulcis redditus.

11. Vis scire qua ratione Maria facta sit lectulus atque nidus Christi? qualiter Deum in vterum traxerit? humilitate. Sic enim ipsa Virgo fatetur. Cant. cap. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* In quæ verba sic Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 21. *Dum esset Rex in accubitu suo, id est, in requie sua, quasi dormire videretur, & non curare de salute humana, omnes enim ad inferos descendebant; nardus mea dedit odorem suum; herba parua est & significat beatam Virginem humilem, quæ maximè dedit odorem suæ humilitatis, quando se totam Deo committens, & subijciens, ait: Ecce ancilla Domini. Qui odor vsque ad cælum ascendit, & in cælo accumbentem quasi euigilare fecit, & in vtero suo quiescere.* Pulcherrimè quoque hac de re Guarricus serm. 3. de assumpt. Virg. vbi expendens verba illa Dei, Isa. c. 66. & admirans, quam humilitate assecuta sit Maria, exclamat. *O humilitas angusta tibi, ampla diuinitati, pauper, & insufficiens sibi, sufficiens ei, quem non capit orbis, copiosè, ac deliciosè reficiens illum, qui & Angelos pascit: Super quem, inquit, requiescam nisi super humilem? In omnibus requiem quæsiui, sed apud humilem ancillam inueni, non est inuenta similis illi in gratiâ humilitatis, ideò in plenitudine humilitatis requieuit etiam corporaliter omnis plenitudo diuinitatis.* Vide quædam huc spectantia en. 2. sect. 29. §. 3.

Virgo humilitate, traxit in vterum suum Dei filium.

Antoninus.

12. Non solus Christus, sed etiam Deus Pater, in Virgine, conuersatur & requiescit; vnde Epiphanius sermon. de laudib. Deiparæ eam appellat, cælum, templum, thronum diuinitatis.

Deus pater requiescit in Virgine.

Epiphanius.

13. Non solùm Christus, sed etiam sanctus Spiritus, nempe columba illa diuina, requieuit in Virgine, sic enim scribit Anselmus libro 4. de fide orthodoxa c. 4. *Ipse spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris & Filij. Ipse, per quem, & in quo amatur omne, quod bene amatur. Ipse, inquam, corporaliter (vt bene dicam) venit in eam, singularique gratia præ omnibus, quæ creata sunt, siue in cælo, siue in terrâ, requieuit, & Reginam, & Imperatricem cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, fecit sponsam suam.* Sic ille. *Maria* (ait Richardus à S. Laurent.) *nidus columbæ, id est, receptaculum Spiritus sancti.* Vt rectè sacratissima Virgo à S. Bonauentura in speculo

S. Spiritus requieuit in Virgine.

Anselm.

speculo nominata fuerit, *totius Trinitatis requies.*

Maria nidus viri iusti.

Rich. a S. Lavr.

14. Vtinam etiam mortales, in arbore hac virginea, requiescant, & conuersentur, Virgineque pro nido vtantur. Iuxta illud Richardi lib. 10. de Virg. *In nido ponit, & fouet auis oua sua, & pullos: sic & vir iustus, opera, & bonos actus, in Maria.* De auibus fatus Plinius ait lib. 10. cap. 32. *His quies, nisi in nido, nulla.* Similiter viro iusto, post Deum, nulla quies, quàm in Virgine. In nidulo meo moriar, dicebat Iob c. 25. Dicat etiam homo Christianus, in nidulo meo, putà, in amore, veneratione, inuocatione, & laude Virginis, quæ semper mihi erunt pro molli lectulo, vel nidulo, vitam finiam & mortalem hanc deponam sarcinam.

Quid agendum homini, vt in illo requiescat Christus.

§. IV.

Vt in nobis requiescat Christus, corde excipiendus.

Richar.

15. Vis in te Christum conuersari, requiescere, & delicias suas capere? Primò, Conare vt corde illum excipias, è corde paterno egressus Christus, virgineo fuit receptus corde, iuxta illud Richardi à S. Laurent. lib. 2. p. 2. *Ipsum cor Virginis, omnibus creaturis dignius inuentum est, exeuntem de corde paterno, primò suscipere vnigenitum Dei, quando scilicet cor patris eructauit verbum bonum, quod de sinu Patris egrediens, in sinum Matris Virginis se recipit.* Sic solo corde vult excipi, Dei verbum, in solo corde vult quiescere. Præclarè S. Paschas. expendens illa verba Psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum; necesse est, quod de corde refulsit, vt ibi eum suscipiat Sponsa, quia quod de corde procedit, nonnisi corde tenetur, vel capitur.*

Vt in nobis requiescat Christus, lectuli esse debemus, sed bene præparati.

Gregor.

16. Secundò. Vult in corde hominis Christus quiescere, tamquam in lectulo, sed taliter præparato, qualiter exprimitur in Cant. cap. 3. *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* In quæ verba sic Gregorius. *Quid per Salomonem nisi Christus intelligitur, de quo scriptum est: Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum? Salomoni ergo lectulum facimus, quando à mundi sollicitudinibus omninò cessamus, dum in solo desiderio Christi libenter pausamus, eique vt nobiscum pauset, cor ab omni terrena cupiditate mundamus?*

Quinam sint fortes qui ambire debent lectulum Christi.

Theodoretvs.

Hæc D. Gregorius. Quinam sint sexaginta fortes, cor custodientes, præclarè exprimunt tres Patres apud Theodoretum, *sexaginta fortes ambiunt, cogitationes nimirum efficaces, quæ diuina virtute vndique tuentur animam, ad Dei quietem præparatam, aduersus fallacias spirituum improborum.*

Cogitationes bonæ, tuentur animam.

Ratio enim, quæ quinque sensibus præest, simul cum ipsis sensibus accepta senarium conficit numerum. At cùm diuina præcepta, quæ sunt decem numero is, qui sensibus ratione imperat, perficit, numerum absoluit sexagenarium; ex virtute viuens, vt dictum est. Ex fortissimis Israel: hi sunt omninò veræ mentis, Deum videntis, notiones, ex quibus consistant efficaces illæ cogitationes ad bonum peragendum. Ambiunt autem animam in quâ Deus requiescis, omnes tenentes gladios, ad bella doctissimi. Cogitationes enim quæ dictæ sunt, ex contemplationis quidem habitu gladios habent ancipites, quibus ea, quæ sunt contraria, dijudicent: ex actionis autem vi, vsum, atque experientiam obtinent, quomodo possint aduersaria potestates profligari. Vniuscuiusque ensis super femur suum, à timore in noctibus. Singulæ illæ, quas diximus, cogitationes, gladium spiritus, quo vitia conciduntur, aduersus concupiscentem animæ potestatem, intentant, propter terrorem, quem nequissimi dæmones dolis suis animæ obijciunt, in noctibus ignorantiæ, per impetus cupiditatis, rationi repugnantes. Hactenus illi. Cogitationes efficaces, sunt cogitationes de morte, iudicio, inferno, cælo, Christi passione, amore, & similibus, hæ obijciendæ motibus cupiditatis, & illecebris peccati. Sicut enim in capillis Samsonis omnis illius fortitudo, ita in his cogitationibus omnis viri boni vis & efficacia, ad repellendos aduersariorum suorum impetus, vt rectè dixerit Ioachimus Abbas 1. part. exposit. in Apocal. *Necesse est vt mens fortis viri, sanctis & Deo dignis meditationibus implicetur: alioquin vt ruat necessum est, qui abraso interiori capite, fortiter se posse agere, & in toto stare præsumit.*

Vt in homine requiescat Christus, filius hominis esse debet.

Rvpert.

17. Tertiò. Vt in homine requiescat Christus necesse est, eum esse filium hominis, iuxta illud sapientiæ Prouerb. cap. 8. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Quæ verba postquam Rupertus lib. 2. in Cant. ad Virginem transtulisset dicens: *Deliciæ eius cum filijs hominum, quantò magis Iubens erat, & deliciabatur cum ista ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum vel filiarum hominum?* Sic illa adoptat, Deum alloquens, rei de qua agimus: *Illa clementissima sua pietas, & benignitas adoranda, delicias suas dicit esse cum filijs hominum. Iusti sunt filij hominum, qui sperauerunt sub tegmine, quos elegisti de plebe, quorum lauasti pedes, quibus tuum spiritum infudisti, qui fidem tui nominis, quadrigis Euangelicis, per orbem quadrifidum portauerunt.* Deinde loquutionis formulam expendit: *Nota tamen quòd dicit, non cum hominibus, sed cum filijs hominum. Ego puto hominem, ad veterem hominem: filios verò hominis ad filium hominis pertinere: iuxta quam intelligentiam puer citharista sic intonas: Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum?* Hæc Rupertus.

Vt in homine requiescat Christus debet esse instar floridi domicilij.

ARISTOPHANES. Amor non habitat nisi inter flores.

18. Quartò. Vt in animo hominis requiescat Christus, debet esse instar florentissimi domicilij, debet esse instar lectuli floridi. Aristophanes amorem non nisi inter flores habitare scribit. Coloris (inquit) decorem, assidua inter flores habitatio, huius Dei, significat. *In eo siquidem quod floribus caret, aut defloruit, siue corpus, siue animus, seu quoduis aliud sit, amor ipse non insidet: vbicumque verò floridus, & odorifer est locus gratissimè conquiescit.* Si ita res se habet in terreno amore, in terreno cupidine, quid sentiendum de Christo cælesti cupidine, & amoris sacri Deo? vbicumque floridus est locus gratissimè requiescit. Floridam autem maximè reddit animam diuina gratia, iuxta illud Eccli. 40. *Gratia sicut paradisus in benedictionibus.* In quæ verba sic Liranus: *Sicut paradisus est locus amœnus, & bonis fructibus plenus: sic gratia Dei gratiosam facit animam ad Dei habitationem.*

Quid agendum homini vt in illo requiescant Pater & S.Spiritus.

§. V.

Deus pater dignatur in anima habitare.

AVGVST.

19. VIs in te requiescere Deum Patrem, iuxta illud D. Augustini serm. 1. de tempore. *Dominus non solùm animam dignatur visitare, sed & quiescere, & in perpetuum in illa dignabitur habitare.* Audi D. Bernardum de interiori domo cap. 6. *Mundemus,* ait, *conscientiam nostram & semper parati simus, vt quacumque hora venerit Dominus, & nobiscum habitare voluerit: paratam sibi in nobis inueniat mansionem, ipse namque dixit, facite mihi sanctuarium, & ego habitabo in medio vestri.* Audi D. Hieronymum expendentem verba illa Psalm. 75. *Factus est in pace locus eius. Non est,* ait, *vmbraculum Domini nisi vbi pax est, vbi zelus; vbi discordia, ibi non est protector Deus; locus non est nisi anima quæ pacem habet. Quæ ergo anima non habet pacem, sciat non esse locum Dei; pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, hæc est Saluatoris hæreditas.* O fœlix illa anima (ait D. August. loco citat.) *quæ vitam suam, ita Deo auxiliante, studuerit gubernare, vt Deum hospitem & habitatorem mereatur excipere.*

Ad hoc requiritur vt munda sit anima.

BERN.

HIERON. Vt sit pacifica.

S. Spiritus requiescit in mundis corde.

ORIGEN.

20. Vis in te conuersari & requiescere Spiritum sanctum? esto mundus corde. *Non legitur* (ait Origenes hom. 6. in Num.) *requieuisse Spiritum sanctum, nisi in sanctis: requiescit enim in his, qui mundo sunt corde; qui purificant animas à peccato, sic, vt non habitet in corpore subdito peccatis, etiam si habitauit aliquando: non enim potest pati societatem mali. Contristamus ergo Spiritum sanctum peccantes, bene agentes, requiem ei præstamus.* Sic ille. *Spiritus iste* (ait D. Bernardus serm. 3. in die Pentecost.) *odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis, cui enim proprium est peccata repellere, ipsi & proprium est peccata odisse: nec in vno domicilio pariter morabuntur, tanta munditia, & immunditia tanta.*

S. Spiritus requiescit in humilibus.

21. Esto humilis iuxta illud Isa. cap. 66. *Ad quem respiciam? nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos:* S. Augustinus enarrat in psalm. 92. ita legit hunc locum; *Super quem requiescet spiritus meus? super humilem & quietum, & trementem verba mea, quam sententiam ita ad nostram mentem versat: Audi quomodo describat ipsam sedem. Fortè auditurus eras marmoratam domum, amplam, spatiosam, atriorum magnitudine, & fulgore tectorum. Audi quid sibi paret Deus. Super quem requiescet spiritus meus? Super humilem & quietũ, & tremente verba mea. Ecce; humilis esto, & quietus, vt in te habitet Deus, altus est Deus; non in te habitat; si altus esse volueris; humilis esto, & tremens verba eius, & ibi habitat, non timet trementem domum, quia ipse illam firmat:* Oleaster ex Hebræo vertit hæc verba. *Ad hoc respiciam: ad humilem, & percussum spiritu & pauentem super verba mea:* quæ sic statim explicat. *Licet omnia fecerim, nihil ea curo, non respicio illa, sed hoc respicio, scilicet hominem humilem coram me, & parui spiritus, id est, qui non multum habet spiritus sui, sed mei.* Vatablus vertit: *Ad hunc respiciam, ad eum qui est humili & fracto spiritu, & qui ad verbum meum reuerentia quadam contremiscit.*

Qualiter semper retineatur S. Spiritus gratia.

OLEAST.

22. Vis S. Spiritum apud te in æternum manere, iuxta illud Christi. *Alium paraclitum dabit vobis vt maneat vobiscum in æternum.* Audi Chrysost. de verbis Domini Ioan. cap. 6. Formata enim hac quæstione: *Quomodo poterimus persuadere vt apud nos manere velit?* Respondet. *Per bona & optima vinendi rationem: sicut enim lucernæ lumen oleo retinetur: & consumpto oleo ipsum quoque lumen consumptum euanescit, ita etiam Spiritus sancti gratia.*

Qualiter ad nos veniat tota Trinitas.

AVGVST.

23. Vis in te conuersari & requiescere sanctissimam Trinitatem iuxta illud Christi Ioan. 14. *Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus;* Audi Augustinum in hæc verba: *Veniunt ad nos, dum venimus ad eos, veniunt subueniendo, illuminando, implendo: venimus obediendo, & capiendo.*

Quantæ dignationis quòd Deus ad homines veniat.

24. Quis non miretur singularem hanc Dei dignationem, & tantam Maiestatem descendere ad tam vilem casulam, tantum regem ad talem ancillulã, tantam gemmam ad cinerem, tantum thesaurum, ad tam angustam crumenulam. Quoniam pro huius vitæ conditione, ad Deum ire non possumus, ipse dignatur ad nos venire, nosque inuisere: quod quantæ sit dignationis, aduertet vnusquisque quàm facillimè, si Dei excellentiam, cum humana comparet vilitate. Fœlix sanè, qui hunc hospitem accipere meretur. Non inops, aut vacuis (quod aiunt) manibus hic hospes venire solet, magnificentissimus enim est, ac perquam liberalis.

beralis. Quid mirum? Abraham solùm recepit Angelos, & ob communicati hospitij gratiam, donatus est filio, quem diu cupierat. Loth, ijsdem susceptis Angelis, è Sodomitico liber, & illæsus prouolauit incendio. Quid de Obededom referam? Is vbi domicilium arcæ Domini patefecisset, benedictionem rerum omnium meruit. Ingressa est Maria domum Zachariæ, & Elisabeth, & omnes impleti Spiritu sancto. Hæc cùm sint verissima, quid iam ei deesse poterit, apud quem tota Trinitas, mansionem habet? Si veniat tecum habitatum, patris omnipotentia, nihil est quod metuas, non Samsonis leunculum, iuxta vineam insidiantem, neque leones cum Daniele in lacu, neque Leuiathan in aquis, neque draconem illum rufum. Si veniat sapientia filij, ad nullum fidei articulum, aut nutabis, aut hærebis, nihilque dubitabis. Propter filij sapientiam iam meliùs, & propiùs cognitam, perierunt Augustino omnes illæ quæstiones, in quibus Paulus visus est ei pugnare cum Prophetis. Si venerit benignitas Spiritus sancti, omne semen nequam, detestaberis, & ita spiritus ille bonus te ducet, vt omnia facilè in bonum conuertas, vsque adeò, vt tamquam apis, ex absinthio mel conficias. Imò tanta in te pullulabit bonitas, vt etiam si quispiam vehementer læserit, non par pari vnquam referas, sed vltione seposita, gemens sicut columba, tantùm abest, vt remorsurus sis sicut coruus. Innocens est natura columbarum, sed coruus gaudet laniatu. Illi veram pacem habent, qui non gaudent laniatu, qui Ecclesiam non laniauerunt. *Corui* (ait Augustinus) *de morte pascuntur, hoc columba non habet: Innocens eius victus est, quod sanè mirandum est in columba, cùm sint & passeres breuissimi, qui muscas occidant.* Si Spiritus sanctus ad te venerit, tantùm abest, vt Ecclesiam scindere vel laniare velis, vt ne minimum quidem Ecclesiæ membrum tui causâ læsum cupias. *Mansionem apud eum faciemus.* Si tristis fuerit noster hospes, sumus gaudium: si peccator, sumus misericordia: si pauper, sumus thesaurus: si lassus, & calore æstuans, sumus refrigerium: Esurienti erimus panis, & delitiæ, sitienti fons numquam exhaustus. Hæc Petrus Bacherius Conc. in Festo Pentecost.

Deus ad nos veniés, quot bona conferat.

25. Quàm pauci homines, in quibus conuersatur, & requiescit Christus in quibus requiescit Deus, requiescit Trinitas; quàm multi in quibus grauissimè laborant, vt iure velut expostulans, Deus dixerit Isa. c. 43. *Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem,* vel vt Oleaster ex Hebræo vertit: *Verumtamen seruire me fecisti in iniquitatibus tuis:* Et quàm magnus ab iniquitatibus nostris Deo labor, si laboris esset capax! Pulchrè hæc verba expendit idem Oleaster dum ait: *Quàm nihil sint ea, quæ propter Dominum facimus, aut patimur, & quàm multa, & grauia, quæ ipse patitur pro nobis, optimè hic nobis ipse ostendit. Plus enim Dominus suo modo laborat, peccatum vnum nostrum etiam minimum ferendo, quàm sint omnes labores, quantumcumque graues, quos ferimus propter peccata nostra: expende quantum malum peccatum sit, quod facit Deum laborare & seruire, Dominus laborare dicitur peccatis nostris, dum ea sustinet, nec statim punit.*

In multis Deus grauissimè laborat.

Oleast.

De fructibus arboris Virgineæ.

SECTIO XL.

Quinam sint arboris Virgineæ fructus.

§. I.

1. NOnò. De arbore illa Nabuchodonosor legimus. *Et fructus eius nimius. Nónne idipsum dici potest de arbore Virginea?* Vis videre aliquos huius arboris fructus?

2. Huius arboris fructus imprimis sunt septem S. Spiritus dona, quæ præstantissimo modo, & eximia maturitate prædita, inuenta in Maria, quod eorum impetus & efficacitas, nulla prorsus externa ei retardabatur, absolutumque in ipsius Deiparæ animo, obtinebant principatum, in illâ quippe (vt inquit D. Antonin. 4. part. tit. 15. c. 18.) perfectissimo modo, acquieuerunt, in summâ quiete, & tranquillitate, quauis pugna, aduersoque molimine, longissimè propulsato. Qui sanè doctissimus vir cùm peculiarem de singulis donis habuisset sermonem, singulorumque præstantiam in Deipara declarasset: ita demum Alberti Magni verbis concludit: *De omnibus donis loquendo, dicit Albertus, quod actus illorum donorum, quorum actus consistit in cognitione & affectione, vt dona sapientiæ, intellectus, consilij, & scientiæ, habuit excellentiùs omni Viatore, medio modo inter statum viæ, & statum patriæ: ita quod citra statum patriæ, quantum ad actuum perfectionem, & supra statum patriæ, quantum ad merendi conditionem, supra statum viæ, quantum ad actuum perfectionem, & habituum meriti supergressionem. Dona verò in actione consistentia, vt fortitudo, pietas, & timor, habuit per modum patriæ ad actuum perfectionem, sed secundum statum viæ, quantum ad merendi conditionem.* Hactenus D. Antoninus.

Septem dona S. Spiritus fructus fuere arboris Virgineæ.

Quàm perfecta ratione, hæc dona fuerint in Virgine. Antoninus.

3. Secundò, huius arboris fructus, sunt etiam opera sancti Spiritus, de quibus ad Galat. 5. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.*

Opera sancti Spiritus fructus Virgineæ arboris.

tu. Quo sensu hæc opera fructus vocentur, docet hic S. Thomas, dũ formata hac obiectione, *Illud dicitur fructus quo fruimur, sed actibus nostris non debemus frui, sed Deo solo: ergo huiusmodi actus quos enumerat hic Apostolus non debent dici fructus*, respondet, *quòd fructus dicitur dupliciter, scilicet acquisitus puta ex labore, vel studio. Sap. 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus. Et productus, sicut fructus producitur ex arbore. Matth. 7. Non potest arbor bona, fructus malos facere. Opera autem spiritus dicuntur fructus non vt adepti siue acquisiti, sed vt producti. Fructus autem qui est adeptus habet rationem vltimi finis, non autem fructus productus. Nihilominus tamen fructus, sic acceptus, duo importat, scilicet quòd sit vltimum producentis, sicut vltimum quod producitur ab arbore, est fructus eius, & quod sit suaue, siue delectabile. Cantic. c. 2. Fructus eius dulcis gutturi meo. Sic ergo opera virtutum, & spiritus sunt, quid vltimum in nobis. Nam Spiritus sanctus est in nobis quoad gratiam, per quam acquirimus habitum virtutũ, & ex hoc potẽtes sumus operari secundum virtutem. Sunt etiam delectabilia, & sunt etiam fructuosa. Rom. 6. Habetis fructum vestrũ in sanctificatione, id est, in operibus sanctificatis, & ideò dicuntur fructus. Dicuntur etiam flores respectu futuræ beatitudinis. Et sicut in flore est quædam inchoatio fructus, ita in operibus virtutum est quædam inchoatio beatitudinis, quæ tunc erat quando cognitio & charitas perficientur.* Hactenus D. Thomas. *Hæc pulcherrima arbor Maria* (ait S. Bonauentura in speculo) *non solùm habet pulcherrimum fructum ventris, sed etiam pulcherrimos habet fructus mentis.* De quibus Apostolus ad Gal. c. 5. scribens ait: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax &c.*

4. Tertiò, huius arboris fructus, omnes sunt virtutes, nulla enim est quæ in Virgine non reperiatur, iuxta illud Idiotæ de contempl. Virg. c. 2. *Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non Innocentia aut humilitas Virginum, in summa, nullo genere vacasti virtutum, ò Virgo gloriosissima.* Et August. tract. de Incarnat. Christi. *Tu omni sanctitate ditaris. Tu super omnes Virgines sancta in carne: Tu super omnes Angelos, & Archangelos sancta in mente: Tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos spiritus, excellentiâ sanctitatis. Tu Deo plena, tu repleta sancto Spiritu.*

Quis referat quàm eximiæ & perfectæ fuerint omnes virtutes sacratissimæ Virginis? Audi quid ipsa dicat Eccli. 24. *Flores mei fructus honoris & honestatis.* In quæ verba sic S. Antoninus part. 3. tit. 31. c. 4. §. 2. *Flores sunt inchoationes fructuum: vbi ergo in aliis Sanctis virtutes sunt quasi flores, imperfectæ & incompletæ respectu virtutum patriæ, in eâ fuerunt isti flores, fructus, quia virtutes habuit per modum patriæ aliquo modo.*

5. Ita vt de Virgine affirmari possit, quod de viro iusto affirmat Propheta Ps. 1. *Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet.* In quæ verba sic Euthymius. *Fructum suum dabit in tempore suo, ipsas nempe virtutes opportunò ferens tempore, folia non dimittet, hoc est, humilitatem non deponet, quâ virtutes omnes non secus ac fructus proprios protegit, atque conseruat.*

6. Cauendum ne poma virtutum nostrarum sint vermiculosa. Sicut enim hæc poma citò decidunt, sic virtus non solida citò perit, vt docet Rodericius p. 1. tr. 1. c. 17. Sicùt autem agrestia poma paleâ maturescunt, iuxta illud D. August. de ciuitat. lib. 21. c. 4. *Quis paleæ dedit, vel eam frigidam vim vt obrutas niues seruet, vel ita feruidam, vt poma immatura, maturet?* Ita etiam virtutes nostræ, maturiores redduntur, quo diligentiùs consideramus, nos, cæteraque omnia mundana, palearum referre similitudinem.

7. Quartò, huius arboris fructus sunt bona opera Mariæ, de quibus sic ipsa loquitur Cantic. cap. 5. *Descendat, dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum. Obserua*, ait, quidam modernus, *non ad solos flores inuitasse Deum, sponsam: sed ad fructus colligendos, & quidem, cor hominis, hortus Deo: vbi flores sunt desideria bona, fructus verò opera bona, inuitat ergo anima sancta Deum, non ad flores bonorum desideriorum; sed ad fructus bonorum operum.*

Quis iam referat quàm perfecta Virginis opera? Id attestatur ipse Christus Cant. 4. illis verbis: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emißiones tuæ paradisus. Emißiones* (ait Antonin loco citat.) *dicuntur operationes ex ventre mentis procedentes, istæ fuerunt paradisus, quasi similes operibus eorum qui sunt in paradiso.* Ita vt Virginis opera omnia perfectissima fuerint.

Quintò. Fructus huius arboris, sunt virtutum exempla, quibus Virgo exornata, iuxta D. Ambros. ser. 2. Pal. *Quid fuit Abraham, quid fuit Dauid, quid reliqui iusti, nisi fructiferæ arbores*, &c. Et Bernard. serm. 3. Cant. *Historiam, inquit, scripturæ, ad hortum puto immeritò deputari: quòd in eâ inueniuntur viri virtutum, tamquam ligna fructifera in horto sponsi, & in paradiso Dei, de quorum bonis actibus, ac moribus, quot sumis exempla, tot carpis poma. An fortè quis ambigat, Dei esse plantationem, bonum hominem?* Audi Dauid de viro bono quid canat Ps. 1. *Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

Thomas. Bonav. Omnes virtutes sunt fructus Virgineæ arboris. Idiota. Augvst. Humilitate, tamquã foliis, conseruat Virgo fructus virtutum. Evthym. Virtus non solida citò perit instar pomi vermiculosi. Roderi-cius. Poma virtutum qualiter maturescant. Avgvst. Virginis opera, fructus. Virginis virtutum exempla fructus. Ambros. Bern.

Quòd

Quòd ipse Christus sit fructus Virgineæ arboris.

§ II.

Virgo arboris similitudinem exhibet, Christum tamquam fructum proferens.

Alb. Ma.

Hæc arbor quando gemmata, quando florida, quãdo frondens.

9. SExtò, huius Virgineæ arboris fructus est ipse Christus. De sacra Virgine sub similitudine pulcherrimæ arboris fructum, id est, Christum portantis, sic præclarè Albertus Magnus expendens illa verba Lucæ 11. *Beatus venter qui te portauit. Portauit Virgo Christum sicut arbor fructum, succum ministrans ad fructus formationem: gemmata in fructus conceptionem, florens in fructus promissionem; frondens in fructus defensionem: ramos extendens in fructus portationem, soli de cœlo se exhibens, in fructus formationem & maturationem. Sic enim vnaquaque arbor de fructu suo cognoscitur. Virgo enim beata arbor est, virens virtute; plantata secus decursus aquarum, hoc est, riuos vberrimos donorum Spiritus Sancti, consolationum, & gratiarum.* Ieremiæ 17. *Erit quasi lignum viride, quod ad humorem mittit radices suas; quod in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Portat autem dependentem à sanctis visceribus Virginis: Vnde cantat Ecclesia, quòd Beata est mater cuius viscera meruerunt portare Christum Dominum. Et pendenti à visceribus, sacrosancti sanguinis sui, ad formationem & nutrimentum, & augmentum subministrauit succum. Psalm.* 1. *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Hæc fuit gemmata conceptione, stans onerata nobili onere, vtero tumente, & pomis mammillarum modico tumore: prorumpentibus, & non per modum gemmarum conceptum demonstrantibus pietatis humorem. In cuius figura:* Numer. 17. *dicitur: Turgentibus quippe gemmis flores eruperant, qui folijs dilatatis in amygdalum formati sunt. Flores enim sunt sacri fructus, promissiones in quibusdam diuinorum florum argumentis. In Angelica salutatione Sancti Spiritus superuentione, virtutis Altissimi obumbratione. In quibus salus nostra floruit, quando prope fuit salus nostra:* Ezechielis 36. *Vos montes Israel ramos vestros expandite & florete, & fructum facite populo meo Israel. Frondiut autem Virgo Beata in salutarium verborum emissione. De modi inquisitione, cùm dixit: Quomodo fiet istud. De sui consensus expressione, cùm adiunxit: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. De pacis elogio, cùm Elizabet salutauit. De gratiarum actione, cùm intulit: Magnificat anima mea Dominum, vt verè dicatur de illa illud* Oseæ 10. *Vitis frondosa Israel fructus adæquatus est ei. Hæc enim omnia folia fructum cooperiunt, & defendunt, ne inanescat; quia omnia vel sunt ad instructionem prudentiæ; vel ad humilitatis & fidei expressionem; vel ad proximi beneuolentiam, vel ad gratiarum actionem & laudem.* Vnde meritò dicitur Psalmo. 1. *Folium eius non decidet & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Et Ezechielis 47. *Folia eius proficiunt in medicinam. Hæc ramos expandit ad omnes, dilatata latitudine charitatis, fructum suum porrigens omnibus.* Ecclesiast. 24. *Rami mei honoris & gratiæ.* Danielis 4. *Volucres cæli requieuerunt in ramis eius, hoc est, animæ Sanctorum pennatæ virtutibus, in ramis Beatæ Virginis, quibus fructum porrigit, requiescunt. Sic ergo beatus venter qui te sic Christe portauit. Et hanc quidem singulariter habuit beatitudinem.* Sic ille.

Fructus dependet à sanctis visceribus Virginis.

Succũ sanguis Virginis subministrat.

Flores Virginei, fructus promissionis.

Verba Virginis folia.

Christus immediatè è sanguine Virgineo productus.

Longè autem aliter ab arbore Mariana productus hic fructus quàm producatur fructus aliarum mulierum. Sicut enim ex luto, immediatè formatus est primus homo, sic Deus immediatè Christum constituit, ex sanguine Virgineo, prætermissis gradibus, quibus ordinarij fœtus accedunt ad capessandam vitam humanam. De quibus Iob capite 10. *Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Ossibus & neruis vestisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi,* &c. Expende per quos gradus accedatur ad vitam capessandam humanam: priùs apparet lacteus humor, qui durescit, quasi in caseum, deinde ossa, & nerui conflantur, & tandem vita datur humana. Quò forsan spectans Chrysologus dum premit illa verba: *Ecce concipies in vtero:* Sic loquitur sermone 141. *Quis ante poma carpit, quàm planta suam tribuat & impendat industriam. Quis præter viam ad vllam peruenit mansionem? Beata ergo, & verè Beata Maria,* &c. Sanè hæc est summa Mariæ beatitudo, quod quidquid Mariæ est, immediatè desinat in Christum. Maria est, & nullum medium est, & statim Christus. O præstantissima arbor, ex qua immediatè fit sanctitatum Dominus.

In Christo prætermissi gradus quibus alij fructus ad maturitatẽ debitam perueniunt.

Chrysol.

Conuenientiæ inter fructum & Christum.

1. Vt fructus ab arbore, sic Christus natus de Virgine, nempe sine illius aliqua iniuria.

Cypria.

Damasc.

10. Vis videre, aliquas conuenientias inter fructum & Christum? Primò, vt fructus maturus, ab arbore, sine illius læsione, vel sine aliqua adhibita violentia dilabitur: Ita Christo è Virgine, sine aliqua eius natus est iniuria, vltroque à Virginea arbore dilapsus, vt notauit Cyprianus sermone de natali Christi hisce verbis: *Nec aliqua naturæ iniuria, Matrem Domini læserat, quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate: Vltro maturus ab arbore baiula, fructus elapsus est, nec oportuit vellicari, quod sponte se prodebat.* Accedit & Ioannes Damascenus libro 4. Isa. capite 66. *Antequam parturiret, antequam veniret*

partus eius, peperit masculum. Et quid mirum, si apis duas colligit è flore substantias, ceram videlicet & mel, flosculo tamen manente illæso, quomodo non poterit Deus, sine materno dolore, duas producere naturas? Nonne ex Adami latere producitur Eua, citra omnem lateris dolorem, imò vt ne somnus quidem rumperetur? cur minus, secundus Adam, Christus, non edetur in lucem sine genitricis suæ labore seu molestia? Congruè., (ait Richardus à Sancto Laurentio) *appellatur Christus fructus, quia sicut fructus ex herba nascitur, vel ex arbore, aut à terra, ipsam non violans, sic & Christus de Virgine.*.

Ric. a S. Lavr.

Secunda. Christus eiusdem naturæ cum Virgine, sicut fructus cum arbore.

11. Secundò. Sicut fructus est vnius naturæ cum arbore: ita Christus vnius est naturæ cum Virgine, vnde hoc verbo, *fructus*, multi hæreticorum, & aliorum errores profliguntur, vt Cerdonis, Marcionis, Manichæorum & aliorum, qui mendacissimè effutiuerunt, Christum Dominum, non verè corpus humanum de Virgine sumpsisse, sed apparens dumtaxat, & phantasticum aut materiæ cælestis. Si enim Christus, fructus est vteri Virginei, ergo eiusdem naturæ eum esse oportuit; siquidem omnis fructus eiusdem est substantiæ, cuius est planta, siue mater. Idem est Sanctorum Patrum argumentum in expositione illorum verborum Isaiæ cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Flos enim & virga, & radix, eiusdem sunt speciei, siue essentiæ.

Tertia. Christo, reficimur tanquã fructu.

12. Tertiò. Fructu reficimur, reficiuntur Christo, tam peregrini quàm beati, quamuis enim fructus vnus & vnicus, sed multiplex virtute, in quo cùm humanitas & diuinitas eidem personæ insunt, duplex in ipso est refectio, ciuibus & peregrinis. Ciuis beatus & comprehensor, ipso vescitur ad iucunditatem: peregrinus & viator homo, ipso vescitur ad sanitatem: extra ipsum sanitas non est, nisi falsa iucunditas, non nisi mortifera.

Quarta. Odore suo reficiunt & nutriunt quædam fruges: sic Christus. Solin.

13. Quartò. De accolis Gangis fluuij refert Solinus cap. 53. quòd solo odore optimarum frugum viuunt, tetro autem odore exanimentur. *Gangem* (inquit) *qui accolunt nullius ad escam opis indigent, odore viuunt pomorum syluestrium: quod si tetriorem spiritum fortè attraxerint, exanimari eos certum est. Ideo longiùs pergentes eadem illa in præsidio gerunt, vt olfactu alantur*; quod & Plinius habet lib. 7. cap. 2. Christus quem non spirat odorem misericordiæ, benignitatis &c. quo spirant & viuunt miseri peccatores.

Quinta. Tres præcipuæ dotes fructuum, odor, sapor, species, quæ eminenter in fructu Mariano. Nyssen.

14. Quintò. Tres præcipuè dotes fructuum generosorum, vt malorum, aureorum granatorum, odor, sapor & species, vt eleganter annotauit etiam Diuus Gregorius Nyssenus oratione 4. in Cantic. vbi ait arborem mali, seu fructum ipsius, id est, pomum, ad tres sensus pertinere, quoniam & speciei pulchritudine oculos exhilarat & fragrantia sua odoratui gratus est, & pro cibo vsurpatus, gustandi sensum dulcedine quadam afficit mirabili. An hæ dotes desunt fructui Virgineo? Audi Diuum Bernardum homil. 3. Super missus, qui quantò longior, tantò est dulcior. *Benedictus*, ait, *in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Huius odoriferi fructus fragantiam sentiebat, qui dicebat: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. An non verè benedictus, cui benedixit Dominus? De sapore huius fructus quidam quod gustauerat, taliter eructabat, dicens: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Et alibi: Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te.* Et alius quidam: *Si tamen*, inquit, *gustatis quoniam dulcis est Dominus. Et ipse fructus de se inuitans nos ad se. Qui edit me, ait, adhuc esuriet: & qui bibit me adhuc sitiet: vtique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus, magis excitat appetitum. Bonus fructus qui animarũ esurientium & sitientium iustitiam & esca & potus est. Audisti de odore, audisti de sapore, audi & de specie. Si enim fructus ille mortis non solùm suauis fuit ad vescendum: sed etiam teste scriptura, delectabilis aspectu: quantò magis huius vitalis fructus, viuificum decorem, debemus inquirere in quem, teste alia scriptura, desiderant etiam Angeli prospicere? Cuius pulchritudinem in spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat: Ex Sion species decoris eius. Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem, recole quod in alio Psalmo legis: Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Hæc omnia Diuus Bernardus.

Bern. Odor huius fructus. Gen. 27. Sapor huius fructus. Ps. 33. Ps. 30. 1. Pet. 2. Decor huius fructus.

Christus difformis nihilominus pulcherrimus. Avgvst.

15. De pulchritudine huius fructus accipe etiam differentem Diuum Augustinum in Psalm. 44. ad versic. *Speciosus forma*, &c. *Si aliquid fœdi in eo inuenerimus, non amemus eum: quia & quòd carnem indutus est, quòd miserijs obnoxius, quòd flagellis cæsus, quòd affixus cruci vt de illo etiam diceretur. Vidimus eum & non habebat speciem neque decorem; si consideres misericordiam, quâ factus est talis, etiam ibi pulcher est. Solumve existimet quis pulchrum in forma Dei, in throno Regio, auro & coronis micantem? etiam pulcher est in forma serui, in infirmitate carnis, in ignominia crucis. Pulcher in vtero, pulcher in præsepio, pulcher in manibus parentum, pulcher in miserijs, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro.*

Bern.

Huc aduocanda etiam verba Sancti Bernardi sermone 45. in Cantic. sic enim scribit: *Quàm pulcher es Angelis tuis, Domine Iesu in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum, ante Luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Patris, & quidem, perpetuus minimeque fucatus candor vitæ æternæ? Quàm mihi quoque decorus es, Domine mi in ipsa tui huius positione decoris*, &c. Hæc ille.

16. Neque

BONAV.

16. Neque omittenda quæ huc spectantia scribit D. Bonauentura in speculo: *Dicamus illud, inquit, Cant. 5. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum! & ecce ipsa respondens statim dicit: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus, ipse candor lucis æternæ. Candidus quidem est diuinitate, rubicundus autem humanitate: candidus quoque conuersatione, rubicundus passione. Ecce pulcher fructus, propter hoc bene dicit de ipso Augustinus: Pulcher in cælis, pulcher in terris; pulcher in patre verbum, pulcher in matre caro & verbum.*

BERN. Exod. 33.

17. Ad dulcedinem huius fructus quod attinet, sic mellifluè eandem describit Mellifluus Bernardus serm. 2. in cæna Domini: *Suspirat sponsa, & dicit cum Moyse: Ostende mihi te ipsum. Nec immeritò. Ipse enim Iesus, qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere, dulcior apparebit in Deitatis visione.*

Christus dulcis in voce, facie, &c.

Verè dulcis in voce, de cuius ore lac & mel procedit. Diffusa est enim gratia in labijs suis. Verè dulcis in facie, speciosus enim est, non solùm præ filijs hominum, sed etiam præ millibus Angelorum? Verè dulcis est in nomine. Dulce enim nomen & suaue Iesus consecratum ab æterno, nunciatum ab Angelo, prophetatum Salomonis oraculo, qui ait:

Cant. 1.

Oleum effusum nomen tuum. Non autem aliud nomen est, in quo saluari oporteat. Ipse enim salus est qui saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Dulcis in opere, in celebratis miraculis, in peccatoribus conuersis, in Sacramento pretiosæ mortis, quod humanæ blanditur infirmitati. In hoc enim charitas præfulsit, pietas magis emicuit, gratia plus radiauit. Cæterùm longè dulcior erit in Deitatis visione, quando manifestabit seipsum,

Ps. 16.

residens super solium, præ omnibus excelsum. Tunc satiabitur desiderium nostrum, quod Propheta desiderans aiebat: Tibi dixit cor meum, exquisiuit te

Ps. 72.

facies mea, faciem tuam Domine requiram. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super ter-

Ps. 15.

ram? Et alibi. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Vnde pretiosior dicitur faciei visio, quàm speculi frequens imaginatio. Non enim pari omninò iucunditate sumitur cortex Sacramenti, & medulla frumenti, fides & species, memoria & præsentia, æternitas & tempus, speculum & vultus, imago Dei & forma serui. Hic autem ambulemus per fidem nec dum per speciem. Hæc D. Bernardus.

Christus fructus pretiosus. BONAV.

18. Quintò, quidam fructus valdè pretiosus. Quis referat, quàm fructus Virginis sit pretiosus? Verba illa Sapientiæ cap. 8. *Melior est fructus meus auro electo.* Sic S. Bonauentura ad illa verba Angelicæ salutationis: *Benedictus fructus*, &c. accommodat Virgini: *Melior est fructus meus, fructus ventris mei, (quem ego tanquam meum hominibus & pro hominibus offero) auro & lapide pretioso*, Vt Christus meritò sit comparandus pomis horti Hesperidum, quæ erant aurea.

Christus quã gratus & acceptus mundo. CHRYSOS.

19. Sextò, Flores grati, sed fructus gratior, promissio futuri & nascituri è Virgine Christi, flos gratus antiquis Patribus: Verùm Christus iam natus fructus est nobis longè suauior. Rectè Chrysostomus in illud Hebr. 1. *Non acceptis repromissionibus sed à longè eos aspicientes & salutantes. Dulcis epistola, sed magis qui mittit illam, grati flores, sed vsque dum veniunt poma, Scripturæ veteris testamenti erant Dei litteræ, quas mittebat, proprius aduentus, multò gratior, promissiones Dei suaues erant flores.* Hæc meditantem accipe etiam D. Bernardum ho. 2. super Missus. *Videtur*, inquit, *mihi, quoddam semen fuisse diuinæ cognationis, tanquam è cælo iactatum in terras: allocutiones & promissiones factæ cælitus ad Patres, Abraham, scilicet, Isaac & Iacob. Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu Israel de Ægypto, in figuris & ænigmatibus per totum iter in deserto, vsque in terram promissionis; & deinceps in visionibus & vaticinijs Prophetarum. Christus autem huius seminis & horum florum, non immeritò fructus esse intelligitur, dicente Dauid: Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. In Nazareth ergo nunciatur Christus nasciturus; quia in flore speratur fructus processurus; Sed prodeunte fructu, flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransijt; Vnde & Nazareth ciuitas Galileæ dicitur, id est, transmigrationis, quia nascente Christo, omnia illa transierunt, quæ in figura contingebant illis.* Si flos, si promissio illis antiquis patribus iucũda, quantò iucundior debet esse Christianis ipse fructus. Vide D. Bernardum sermone 2. in Cant.

BERN.

Promissio Christi flos, ipsa exhibitio fructus.

Christus fructus, quia in cõmodum nostrũ natus.

Christum fructum dici vult Toletus, quia in nostram vtilitatem & commodum carnem è Virgine suscepit. Sicut etiam fructus est gloria arboris, ita Christus gloria Virginis: *Vt fœminæ*, (ait Damascenus orat. 1. de Natiuitat. Mariæ) *omnis gloria mariti est foras prodiens, sic genitoris Dei gloria interna est, nimirum fructus ventris.*

TOLETVS.

Quia gloria Virginis. DAMASC.

20. Christus qualiter fructus vide apud Diuum Thomam in opusculo tom. 1. de salutatione Angelica & Diuum Bonauenturam in specul. lect. 16. & lect. 17. Vide etiam Petrum Boues, secundum antiquam editionem parte 1. sermon. 1. & parte 3. section. 7. Hortum Pastorum tomo 2. & Siluam allegoric. verb. *Fructus.* & Canisium in Cathecism. de salutatio. Angelic. §. 18.

THOMAS. BONAV. PET. BOV. HORTVS PASTOR. CANIS.

21. Quàm diuersus Christus, à fructu illo vetito. Præclarè Diuus Thomas opusculo 8. *Eua quæsiuit fructum, in illo tamen non inuenit quæ desiderabat: Tria namque concupiuit. Id quod falsò antiquus serpens pollicitus fuerat ei, & viro suo Genes. 3. Eritis sicut Dij, scientes, &c. Cui illa subaudiens, & de fructu comedens, insipientibus iumentis similis facta est, è contra verò Deo valdè dissimilis, Beata autem Virgo, fructum inuenit Christum Dominum, quo vescentes in eum transformamur, & similes ei efficimur, & consortes humanæ & diuinæ naturæ illius reddimur.*

Quã diuersus Christus à fructu illo vetito. D. THOM.

22. Secundò, *Eua in fructu suo voluptatem quæsiuit, vidit enim bonum esse ad vescendum, ac gustui suauem, sed non inuenit, nisi dolorem & con-*

confusionem, & nouissima eius amara quasi absinthium, sed in Virginis fructu, tanquam in vero manna cælesti, omne delectamentum, & omnis saporis suauitas reperitur.

Tertiò, *Eua pulchritudine fructus fuit allecta, sed quid quæso comparabile habet pulchritudo fructus mariani paradisi cum pulchritudine illius, cùm ille comedentes deturpauerit, & in oculos Dei difformes, ac fœdissimos reddiderit. Hic verò in via illum manducantes, intus decoret & pulchros faciat, in patria verò euntem videntes beatificet.* Hactenus D. Thomas.

Maria fructum non tam sibi quàm nobis protulit.

23. Vides opinor, quàm benedictum fructum, Virgo protulerit, dum Christum genuit. Quod verò in hoc fructu singulariter expendendum, & quo nomine, Virgo singulariter à nobis excolenda, illud est, quod non solùm sibi, sed etiam nobis hunc fructum protulerit. Vnde D. Bernard. ser. 3. de Annunt. expendens illa verba: *Benedictus fructus ventris tui*, sic pulcherrimè scribit: *singulariter quidem fructus ventris tui est, sed ad Dominum quidem mentes te mediante peruenit: Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in area, sed in nulla parte areæ totus, sicut in vellere fuit. In te sola Rex ille diues & penitus exinanitus, excelsus, humiliatus, immensus, abbreuiatus; & ab Angelis minoratus est: verus denique Deus, & Dei filius incarnatus. Sed quo fructu? Nempe vt omnes eius paupertate locupletemur; eius humilitate subleuemur, eius minoratione, magnificemur, eius incarnatione, adhærentes Deo incipiamus, vnus esse spiritus cum eo.* BERNAR.

Ob hunc fructum è Virgine natum, quis referat, quas referre debeant mortales gratiarum actiones? Psalm. 66. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra* (id est maria) *dedit fructum suum.* Et Psal. 84. *Etenim Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Ob hunc fructum è Virgine natum, quis referat, quantum æstimanda & laudanda Virgo Maria? De socijs Vlyssis refertur, quod semel gustata & percepta dulcedine pomorum, quæ Lothos arbor proferebat, tanti illam æstimarunt, vt ab ea nequaquam, nisi fortè fustibus, separari, & ad nauem reuocari potuerint. Vtinam tam charus nobis sit Virgineæ arboris dulcissimus fructus. Vt socij Vlyssis fructum Lothi omnibus alijs rebus prætulerunt, simili modo Christiano, fructus Virginis præferendus est, omnibus alijs pomis rerum creatarum. Si oculis nostris occurrat, alicuius rei creatæ pomum, quod in cortice pulchrescit, & sua pulchritudine animum trahat, non in cortice hærendum, ne inescatus animus illius amore capiatur, sed perrumpenda cortex exterior, & inuestiganda medulla, quâ animus reficiendus, inueniendus in ea Deus, qui colendus, & vnicè amandus. Refertur de Virginibus Vestalibus, quod ante earum Domicilium, plantata erat arbor Lothos quodque cùm sese addixissent cultui Deæ Vestæ (Vesta autem ignis putabatur) abscissis capillis, eosdem suspendebant ex arbore illa, quæ inde dicta *Lothos capillata*, hac ratione significantes, quòd in posterum omnes cogitationes, in capillis designatas, nulli impenderent rei, quàm cultui & obseruationi Deæ Vestæ, quo nihil dulcius, nihil suauius sibi accedere posse existimabant, vtinam etiam Christiani, toti sint in colenda virginea arbore cum virgineo suo fructu eam sibi statuentes pro scopo omnium suarum cogitationum & desideriorum, nihil tam plenum fælicitate reputantes quàm frui dulcissimo hoc fructu, ea de causa sæpius eundem oculis fidei considerantes, & salutantes verbis illis Amedæi homilia 8. de laud. Virg. *O decus! ô gloria! ô magnificentia arboris huius, cuius fructu indeficienti, cuius pastu immortali, cæligenis atque terrigenis sit iugis epulatio, continua exaltatio, fælix & sempiterna laudatio.* AMED.

Fructus Virgineus præferẽdus omnibus rebus creatis.

Fructus arboris Virginei sunt omnes Christiani.

§. III.

25. QVod amplius, fructus Virginis, non solùm Christus, sed etiam nosipsi. Vnde Guillelmus explicans illa verba Cant. 4. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum*, sic scribit: *Emissiones, sunt fructus ex ea emissi, vnicus eius fructus est, qui ab efficacitate salutis dictus est Iesus, sed in vno illo fructu multiplex est fructus. In vno Saluatore omnium Iesu, plurimos Maria peperit ad salutem: pariendo vitam, multos peperit ad vitam. Eo ipso quòd mater est capitis, multorũ membrorum mater est. Mater Christi, mater est membrorum Christi, quia caput & corpus, vnus Christus: corporaliter caput pariendo, spiritualiter membra peperit. Vnde etiam ab omnibus mater appellatur, & ab omnibus cultu debito vt mater honoratur.* Sic ille.

Fructus arboris Virgineæ sunt omnes Christiani. GVILL.

26. Huc etiam spectant, quæ præclarè scribit Guarric. Abbas ser. 1. de Assump. hisce vsus verbis: *Eua vetus illa, non tam mater quàm nouerca, quæ filijs ante propinauit præiudicium mortis, quàm initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viuentium, seu genitrix, sed inuenta est veriùs interfectrix viuentium, seu genitrix morientium, cùm suum generare nihil aliud sit, quàm mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista impleuit mysterium; quæ & ipsa, sicut Ecclesia, cuius forma est, mater est omnium, ad vitam renascentium. Mater siquidem est vitæ, quâ viuunt vniuersi; quam dum ex se genuit, nimirum omnes, qui ex ea victuri sunt, quodammodo regenerauit. Vnus generabatur, sed nos omnes regenerabamur; quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, iam tunc in illo omnes eramus.*

Mater omnium est Maria ad vitam renascentium.

Sicut

Sicut enim in Adam fuimus ab initio, propter semen spiritalis regenerationis. Porrò beata Mater illa Christi, quia se matrē Christianorum cognoscit ratione mysterij; curā quoque se matrem eis præstat & affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cuius viscera semel quidem fœta, sed nunquam effœta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus, siquidem fructus ventris tui, grauidam te, ô pia mater, mater inexhausta pietate reliquit. Et post pauca; *Vide autem si non filij matrem videntur agnoscere, dictante vtique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, vt ad inuocationem nominis eius, primò vel maximè refugiant in omnibus necessitatibus & periculis, tanquam paruuli ad sinum matris: Vnde nimirum de his filijs, puto non absurdè intelligi, quod per Prophetam promissum est ei, habitabunt in te filij tui: saluo dumtaxat intellectu, quod de Ecclesia hæc prophetia principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adiutorio matris altissimi, in protectione ipsius commoramur tanquam sub vmbra alarum eius; & postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confouemur.* Hæc omnia Guarricus.

Curā & pietatis affectu, se matrē exhibet Virgo.

Dictante naturali quadā pietate in necessitatibus decurrimus ad Mariam, tanquā matrem nostram.

Cùm Christianus sit fructus Virginei vteri; vnum super omnia cauere debet, ne scilicet Christum fratrem suum atque eiusdem vteri fructum, incommodo & læsione aliqua afficiat, ne in easdem voces prorumpat Maria, quibus vsa aliàs Rebecca, dum geminos, quos habebat in vtero, sensit discordes. *Collidebantur in vtero eius paruuli* ait Scriptura Gen.25. *quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Vis scire quando in vtero Virginis collidantur, id est, colluctentur, calcitrent & confringantur paruuli? Nimirum quando Christianus iniurius existit Christo, quando illum opprobrio & confusione afficit; quando tandem eum iterum sibi peccatis suis crucifigit. Qui fieri potest, ô Christiane, quòd ita dilaceres Mariæ vterum, quòd eundem taliter graues? Imitare Christum, qui Virginis vterum quidem grauidauit, sed non grauauit, non dilacerauit, non laniauit. Audi Guarricum Abbatem sermone 3. de Annuntiatione; *Exemplo tibi sit Dominus Iesus, vterum grauidauit, non grauauit, te non sentiat grauem vterus eius. Caue ne illam te pæniteat concepisse. Si qui tales sint, Deus emolliat cor lapideum, ne quatiat viscera matris, ipse viscera matris consoletur, ne fatigetur eos portare qualescumque sint, donec formetur in eis Christus.*

Cauendum Christiano, ni delaceret vterum Virginis.

GVAR.

28. Quamuis, ô Christiane, dum iniurium Christo teipsum exhibuisti, valde grauaueris Mariæ viscera, si tamen emollito tuo lapideo corde, cor carneū, molle, suaue, pœnitens atque contritum, susceperis, non illa vlciscetur iniuriam sibi, filioque ac cælesti patri illatam, sed per viscera maternæ suæ misericordiæ, precibus suis, prudentiâ plenis, tibi facilè æterni Patris cōciliabit gratiam. *Est enim Maria* (vt ait Richardus à S. Laurent. lib.4. de laud. Virg. *præfigurata per mulierem Thecuitem, quæ reconciliauit patri suo Dauid Absolon fratricidam.* 2. Reg.13. Sic enim & ipsa verbis prudentibus Deo reconciliabit homicidas fratris, puta Christi, verba illa prudentiæ, quibus animum Dauidis ad petitionem suam inflexit mulier Thecuitis hęc sunt, vt legimus 2.Reg.14. *Ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati sunt in agro aduersum se, percussitq́ alter alterum & interfecit eum: & ecce consurgens vniuersa cognatio, aduersum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum vt occidamus eum.* Similibus verbis alloquitur Deum Patrem, Maria, vt placatum eum exhibeat peccatori. O Pater, ait misericordiarum, Christianus homo, cùm peccauit insurrexit in Christum fratrem suum, & occidit eum, & ecce vniuersa cognatio creaturarum omnium, insurgit aduersus eum, & vult eum tradi in mortem, & hanc meam scintillam extingui & obrui æternis tenebris. Verùm ô Clementissime Pater, hanc illi offensam miseratus ignosce. Qua prudenti oratione, facilè placat cælestem Patrem atque ab illo extorquet veniam delicti, tam in se, quàm in fratrem Deumque commissi.

Virgo adumbrata in muliere Thecuite.

RIC. A S. LAV.

29. Vidistis arboris virgineæ fructus copiosissimos & saluberrimos. Verùm, an quia tam plena fructibus, Virgo, an ideo animo elato & superbo? absit, profundæ humilitatis suæ radici acceptum ferre debet, quod tot fructibus sit fœcunda, Isaiæ 37. legimus: *Mittet radices deorsum, & faciet fructum sursum:* In quæ verba sic Forerius. *Magna enim vi radices aget, quæ enim fructus vberrimos offerre debent, imas radices agant oportet.* Quæ ex radice humilitatis ortę virtutes non possunt non possidentis animum inclinare. Addit Forerius: *Vt enim arborum ramos, copia fructuum deorsum versus inflectit: ita & accessio dities virtutum, sensum hominis se possidentis demittit, atque humiliat.*

Ob fructuū multitudinem nō est elato animo Maria.

FORER.

Quod

Quod Virgo ad similitudinem grani synapis, exteriùs sit nigra, interiùs pulchra.

SECTIO XLI.

De nigredine, id est, dolore Virginis, tempore Dominicæ Passionis.

§ I.

1. VIdimus in antecedentibus, qualiter Virgo instar grani synapis creuerit in arborem magnam, nunc altera quędam conditio eiusdem grani accommodanda Virgini, nimirum, quòd sicut granum synapis, exteriùs quidem est nigrum, intus tamen est pulchrum, nempè viridis coloris, si recens, albi verò coloris si exsiccatum: sic etiam Virgo dici possit, præsertim tempore passionis, nigra præ dolorum multitudine & magnitudine; pulchra verò multitudine & magnitudine variarum perfectionum, & virtutum quæ in illa elucescunt, primò dicẽdum de nigredine, postea de pulchritudine.

Virgo ab ipso conceptionis Christi tẽpore planè nigra, id est, plena dolore. RVPERT.

2. Primò, nigra dici potest Virgo, vel ab ipso conceptionis Christi tempore. Nam eam sic loquẽtem introducit Rupert. lib. 1. in Cant. *Nolite solam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impijs comprehensum malè tractari, illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori & sepeliri: nam tunc quidem gladius animam pertransiuit, sed antequam sic pertransiret, longum per me transitum fecit, Prophetissa namque eram, & ex quo mater eius facta sum, sciui eum ista passurum. Cùm igitur talem filium in sinu meo fouerem, vlnis gestarem, vberibus lactarem, & talem eius futuram matrem præ oculis haberem, qualem, quantam, quamque prolixam, me putatis materni doloris pertulisse passionem? Vt meritò dicere potuerit: fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.*

Quàm tristis Virgo dum ab ea recessit Christus.

3. Secundò. Quanta nigredine, quantâ tristitiâ, putas repletam Virginem, dum post peractam cœnam, Christus ab ea licentiam & benedictionem suam petijt, vt seipsum posset tradere in mortem, ob humanĩ generis salutem?

IDEM.

Rupertus expendens verba illa Cant. 7. *Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendã fructus eius: & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui, sicut odor malorum*, eaque cum alijs censens esse verba Sponsi, ait Christum iturum ad passionem id matri insinuasse, vnde sic eum loquentem inducit: *Si enim ipsis amicis dixi: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur ad crucifigendum, & alia multa ad hunc sensum pertinentia, imò si & inimicis dixi: Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, quantò magis charissimæ dixi, aut dicere debui: Ascendam in palmam & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odores tui sicut malorum, guttur tuum sicut vinũ optimum? Hoc erat dicere: exaltabo in crucem victoriosam, & moriendo morte fructuosa operabor velociter salutem omnium credẽtium, & deinde doctrina tua, doctrina legalis, atque euangelica tempore opportuno palam prædicabitur, sicut in autumno dulces botri comeduntur & bonus vbique diffunditur odor bonorum operum tuorum, & dulcissimum & delectabile mihi erit eloquium tuum.* Sic Rupertus.

Tristis dũ eum intellexit captũ.

4. Tertiò, quàm nigra Virgo, dum intellexit amantissimum filium iam incidisse in manus inimicorum, osculo illis traditum à discipulo, & summo cum furore vinculis durissimis constrictum, adduci Hierosolymam & sisti coram impijssimis Pontificibus.

Dũ in plateis Christo occurrit.

5. Quartò, quàm nigra Virgo, dum Christo eunti ad domum Herodis, vel inde reuertenti, ad palatium Pilati occurrit, atque placidissimis oculis ab ipso conspicitur. Vnde sic Virginem alloquitur Thaulerus de vita & passione Christi cap. 19. *Et quidem omnino verisimile est, amabilem Dominum, dulcissimam matrem suam, quàm potuit placidissimè respexisse, quodque verbis nequiuit, amicabili fecisse aspectu. Tum verò ô Mater dulcissima, quàm liquefactum est cor tuum, haud secus, quàm cera ab ignis ardore. Quàm tum tota penè in lachrymas resoluta es?* Et D. Anselm. in dialogo de Passion. Dom. sic introducit loquentem pijssimam matrem. *Obuiam habuimus meum filium, deformatum, & pressum omni dolore. Qui benignè inclinans se ad me dicebat: Aue mater, ac si diceret, grates tibi refero electa mater mea, pro multimodis beneficijs mihi impensis & pro multo labore, quo in summa paupertatis abiectione enutriuisti templum corporis mei, & nunc in destructione constitutum, inter contumelias & opprobria sequi non dedignaris, ac vereris: quamuis omnibus contemptui habeamur.*

THAVL.

Dum obuiã habuit filium taliter deformatum. ANSELM.

Maria nigra dum assistit flagellationi. ANSELM.

6. Quintò, quàm nigra dum astitit crudelissimæ flagellationi. Vnde sic Virginem loquentem inducit Sanctus Anselmus dialogo de Passion. Domin. *Delicata & naturalis ingenuitas, & membrorum principalium compages mihi matri eius solummodo nota spem*

spem præstitit. Æstimabam siquidem quòd nudato corpore, formosis membrorum lineamentis victi, parcerent. Sed heu in momento temporis, totalis corporis eius superficies ita sanguine superfundebatur, ac si purpura esset circumdatus, & in stuporem & deformitatem transformatus, omnibus apparuit quasi leprâ percussus. Audi quid hac de re reuelauerit & locuta fuerit, ipsa Virgo S. Birgittæ libro 5. reuelationis cap. 20. *Instante tempore Passionis filij mei, inimici eius rapuerunt eum, percutientes eum in maxilla & collo: ductus autem ad columnam, personaliter exuit vestes suas, manusque suas applicuit ad columnam, quas inimici ad columnam alligauerunt. Ad primum ictum, ego quæ astabam propinqua cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu, vidi corpus eius flagellatum vsque ad costas, ita vt costa eius viderentur. Et quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cùmque filius meus, totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, vt in eo non inueniretur sanctitas, nec quid flagellaretur: tunc vnus, concitato in spiritu, quæsiuit: Nunquid interficietis eum sic iniudicatum? Et statim secuit vincula eius.* De crudelissima hac flagellatione, sic Sanctus Bonauentura in meditation. vitæ Christi cap. 76. *Flos omnis carnis, & totius humanæ naturæ, repletur liuoribus, & fracturis. Fluit vndique regius sanguis; de omnibus partibus corporis, superadditur, reiteratur, & spissatur liuor super liuorem, & fractura super fracturam, quousque tam tortoribus, quàm inspectatoribus fatigatis, solui iubetur.*

Quàm crudeliter Christus fuerit flagellatus. BIRGIT.

BONAV.

7. Sextò. Dum assistit coronationi. De quo sic Amedæus homilia 5. de laudibus Virginis. *Currit enim Mater post Iesum, non tantùm in odorem vnguentorum, sed in multitune dolorum: non solùm in gaudio consolationum, verùm in abundantia passionum. Cernebat verum Salomonem mater eius in diademate, quo coronauit eum nouerca Synagoga; & ipsa coronata coronâ tribulationis, post eum incedebat.*

Maria nigra dum adstat coronationi. AMED.

8. Septimò. Dum Christum flagellis dilaceratum videt, à Pilato ad videndum populo propositum, non habentem speciem, vel decorem. Vnde sic Virginem affatur Thaulerus de Passion. capit. 19. *Nec enim ô Mater, dubium esse potest quin tam diu iueris, donec ad conspectum venires filij tui, siue quum duceretur ad Herodem, siue quum inde ad Pilatum reduceretur, siue etiam quum eum Pilatus ad populum produceret dicens: Ecce homo. Sed cuius possit animus capere, quis te dolor inuaserit, quum eundem vnicum, tam dirè ligatum, tam ex verberibus, sputis, sanguine miserandum in modum deformem cerneres, vt penè hominis speciem videretur amisisse?* Idem capite 26. sic scribit: *Vna erat plaga totius corporis. Cùm esset corpus illius non nisi vulnus vbertim promanans, ità vt cunctis esset aspectu horribilis?*

Maria nigra dum Pilatus Iesū offert populo. THAVL.

9. Octauò, nigra prorsus dum filium cernit oneratum ligno, de quo sic Diuus Bonauentura in meditatione de vita Christi. Et cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primò non viderat; semimortua facta est præ angustia, nec verbum ei dicere potuit, nec Dominus ei, qui accelerartus erat ab eis, qui eum ducebant ad crucifigendum.

Nigra dum filium cernit oneratū ligno. BONAV.

10. Nonò. Nigra dum audiuit sonum malleorum, de quo sic Diuus Anselmus in Dial. de Passion. *Et tunc impleta fuit prophetia Dauid, dicentis: Audi filia & vide. Quasi diceret mihi filius meus: Audi charissima mater mea, sonum malleorum & vide, qualiter manus meas, & pedes meos confixerunt, quia nemo mihi compatitur, nisi tu sola Mater mea electa. Audi & vide & compatere mihi.* Sic ille. Accipe etiam Thaulerum de Vita & Passione Christi capite 34. *O quantis in angoribus posita erat dulcissima Dei Mater Virgo Maria? Quam singuli quique, ictus malleorum, quos dum filius crucifigeretur, audiuit, cor illius pijssimum pulsarunt?*

Nigra, dum audiuit sonum malleorum. ANSELM. Ps. 44.

11. Decimò. Nigra, dum filium vidit in cruce extensum. De quo sic Diuus Bernardus de lamentation. Beatæ Mariæ. *Sursum manus nisu, quo poterat, extendebat. Vnicum suum amplecti desiderans, nec valebat. Volebat amplecti Christum in alto pendentem, sed manus frustra protensæ, in se complosæ, & complexæ, redibant. Leuabatur à terra sursum, vt dilectum suum contingeret, ipsumque tangere nequiens, durissimè recollidebatur ad terram. Ibi doloris immensitate oppressa, prostata iacebat, sed maxima vis amoris, quâ incensa, mens eius ardebat, eam erigere compellebat, & amoris impetu surgens, reextensis manibus, suum attrectare filium affectabat: & rursum magno cruciata dolore, terram repetere cogebatur.*

Nigra, dum videt filium in cruce extensum. BERN.

12. Vndecimò. Dum in cruce vidit, caput Christi spinis coronatum. Tum enim luna, id est Maria, æmula solis, id est Christi, conuersa in tenebras, tota versa in sanguinem, iuxta illud Ioëlis 2. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* Tunc (ait Albertus Magnus in sermone Dominica secunda Aduentus.) *B. Virgo conuersa fuit in sanguinem, quando intellexit dulcissimum filium suum traditum, & captum, & colaphizatum & consputum, & ad Crucis martyrium postulatum. Tunc verò luna facta est vt sanguis, quando assistens cruci, vidit filij caput spinis laceratum.*

Quàm durum Virgini videre in cruce caput filij, spinis coronatum. ALB. MAGNVS.

13. Duodecimò. Dum audit amarissimos filij singultus. Vnde Diuus Bonauentura in stim. capite 4. sic introducit Virginem, filium alloquentem: *Vox enim tua dulcis, sed plena est singultis amarissimis. Quidnam dicis? Fili mi, quid fecisti fili mi? O dulcis fili, ô suauis, ô cara spes, quænam est causa tanti cruciatus, ô decor meus, ô vita mea, ô refugium*

Nigra Virgo dum audit amarissimos filij sui in cruce singultus. BONAV.

gium meum, ô baculum senectutis meæ, quare me dereliquisti; quare me sic desolatam dimittis? Nolo enim absque te viuere, nónne tu vita mea, lux mea, consolatio mea, refugium meum, portio mea, dilectus meus, honestas, humilitas, benignitas, gaudium meum & omnes deliciæ meæ? Viuere enim sine te, mors mihi est.

Nigra dum audit filium dicentem: mulier ecce filius tuus. BERN.

14. Decimotertiò. Nigra dum audit Christum, sibi dicentem: *Mulier ecce filius tuus.* De quo sic Bernardus sermone super verba Apocalypsis. *An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille, reuera pertransiens animam, & pertingens vsque diuisionem animæ & spiritus: Mulier ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Iesu traditur, seruus pro pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra, licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit?* Vt Virgo dicere potuerit filio iuxta mentem Diui Vincentij Ferr. in die Parasceuæ. *O fili, & qualis est illa consolatio, quale cambium est istud, dare filium Creatoris, pro filio piscatoris; Filium Dei, pro filio Zebedæi. O fili mi, modò completa est Prophetia Simeonis, dicentis: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

VIN. FER.

15. Quòd autem Virginem, non matrem sed mulierem vocet, existimat Chrysostomus hom. 84. in Ioannem accidisse, ne viscera illius, matris nomine, amplius feriret, sic enim idem scribit: *O bone IESV quid matrem tuam erubuisti, quæ te tam diligenter nutriuit, reuerenter tractauit, dulciter lactauit, tam durè loquens, mulier inquiens? Sed ideo factum esse arbitror, ne materno nomine, matri dolorem amplius excitares, non enim tunc tempus erat matrem dulciter alloquendi nec nomen matris exprimendi:* Sic ille. De eadem re sic Baptista Mantuanus:

CHRYSOS.

Talibus admonuit matrem; sine nomine matris,
Ne materna pium laniarent viscera natum.

16. Summo etiam dolore atque mœrore Virginis mentem sauciarunt illa verba Christi: *Deus, Deus meus, quare dereliquisti me,* sciebat enim Virgo Christum ea non tam protulisse sui causâ, quàm matris, & amicorum, qui verè cùm Christus obiret, abiretque relinquebantur. Audienda ipsa Virgo apud Sanctam Birgittam: *Filius,* inquit, *meus videns me & amicos suos, oculis in cælum iniectis clamabat ad Patrem: Pater quare me dereliquisti? Quam vocem ego nunquam donec ad cælum veni, obliuisci potui, quam plus ex compassione mea, quàm suâ permotus protulit.*

Nigra Virgo dum videt Christum moribundum.

17. Decimoquartò. Nigerrima dum videt Christum moribundum in Cruce pendentem. Vnde sic Virginem alloquitur Thaulerus de Passione, capite quadragesimo tertio: *Cùm aspiceres feruentes lachrymas, ceu dulcissimos riuulos quosdam per gratissimas genas eius, & faciem, vbertim, cursimque manantes, ceu testes illius erga nos & doloris pariter & amoris, audires etiam gemitus miserabiles dolorum illius pondere expressos, tunc reuera nouam ex afflictione crucem in te recepisti. O quoties mœstissima Mater, oculos tuos ad contemplandum deforme tui pignoris corpus attollebas, quos tamen mox lachrymis affluentes, dimittere cogebaris. Videbas corpus saucium, quod tamen vngere non licebat: Venas sanguinem manantes, quas obuoluere non dabatur: membra crudeliter extensa, quæ soluere & laxare non poteras. Adhuc sacrum eius caput ad mortem inclinari conspiciebat, membraque omnia. Iam ipsam suspirare mortem, ceu laxamentum atque leuamen pœnarum suarum. Ita piissimum cor tuum velut vua crucis prælo exprimeretur, adeò & cum filio tuo potueris ex sententia dicere: Tristis est vsquè ad mortem anima mea.*

bundum in cruce pendentem. THAVL.

18. Decimoquintò. Nigerrima, dum videt creaturas compati Christo. De quo sic Thaulerus de Passione capite 45. *Quantus, interim putas, & quidem nouus dolor Dei matrem inuasit, cùm elementa atque insensibiles creaturas tanta cerneret mœroris, atque erga filium suum compassionis, edere argumenta? Quam tunc recentes lachrymæ superiori consolatione fotæ, denuo, ceu dulces riuuli largiter manare cœperunt, tot se iam mœroris habere socios aduertens.* Sed de creaturarum omnium compassione, & conturbatione in morte Christi, loquentem accipe ipsam sacratissimam Virginem apud Sanctam Birgittam lib. 15. cap. 11. *Congregati Angeli etiam quasi turbari videbantur, cùm viderent Iesum Deum in humanitate pati in terra. Sed quomodo turbari possunt Angeli, qui immortales sunt. Vtique sicut Iustus, cùm viderit amicum suum pati aliqua de quibus consequeretur maximam gloriam: & gauderet quidem de gloria eius adipiscenda, sed tamen propter passionem suam quasi quodammodo contristaretur: Sic Angeli quasi contristabantur de pœna eius; cùm tamen impassibiles sint: sed gaudebant de gloria eius futura, & de vtilitate ex passione eius electis ventura. Omnia quoque elementa turbabantur & Sol, & Luna dimiserunt splendorem suum, terra tremuit, lapides scindebantur; sepulchra aperiebantur in hora mortis filij mei. Omnes gentiles turbabantur, vbicumque erant, quia in corda eorum venit quasi quædam punctura doloris, licet nesciretur vnde esset. Tribulabatur etiam cor crucifigentium eum in illa hora, sed non ad gloriam eorum. Adhuc etiam immundi spiritus turbabantur in illa hora, & quasi in vnum congregati turbabantur. Illi autem qui erant in sinu Abrahæ multum turbabantur, in tantum, quòd maluissent in æternum esse in inferno, quàm talem pœnam videre in Domino suo. Ego, autem quæ tunc eidem filio meo*

Maria nigerrima dum videt creaturas omnes cōpati Christo. IDEM.

Qualiter omnes creaturæ turbatæ in Christi morte. BIRGITT.

Matth. 27.

meo astabam Virgo, & mater eius, qualem dolorem tunc patiebar, nullus potest considerare. Hæc illa: Nec mireris quod ait, de spiritibus immundis: quia etiam Eusebius Cęsariensis in l. 5. de præparatione Euāgelica c. 9. producit testimonium ex Plutarcho, in libro de oraculis deficientibus, magnos vlulatus, atque clamores auditos fuisse quibusdam nauigantibus Romam versus, tempore Tiberij, dicentibus. Pan Deus magnus, mortuus est. Nam vbi Christus spiritum emisit, satanam caput dæmonum debellauit atque alligauit in inferno: vnde spiritus immundi fletibus, & clamoribus, in corporibus assumptis suam testificabantur ruinam.

Virgo mœstissima dum Christum è cruce depositū, suscipit gremio. S. Birgit.

19. Decimosextò, nigerrima dum depositum è cruce, filij corpus, genu excepit; sic enim Virgo loquitur in reuelationibus S. Birgittæ. *Depositum è cruce, recepi in genu meū quasi leprosum, & cum linteo extersi vulnera, & membra eius, & clausi oculos eius, & os eius, quæ in morte fuerant aperta.*

Maria tota conuersa in amaritudinem. Bonav.

20. Quis verbis explicet, qualiter iam Dei mater tota sit conuersa in amaritudinem? Libet eam alloqui verbis D. Bonauenturæ in speculo cap. 4. *O suauissimum cor amoris, cur conuersum es in cor doloris? Aspicio, charissima Domina, cor tuum, & iam non est cor, sed fel amarum, & myrrham, & absynthiū video. Quæro matrem Dei, & inuenio spinas, clauos, lanceam, spongiam, atque acetum, in cruce quoque quæro Mariam, & inuenio sputa, ludibria, flagella & vulnera, quia tota conuersa es in ista. O verè Maria, quia amaritudine plena, cur vas tripudij & amoris fecisti vas contumeliæ & horroris?* Facta est Maria in morte filij mare quoddam doloris & tristitiæ, ita vt cum propheta Thren. 2. illi meritò dicamus: *Cui exæquabo te, & consolabor te, Virgo filia Sion, magna est enim velut mare contritio tua. Quemadmodum enim mare super omnes alias aquas, & mole, & amaritudine excellens est; ita tua contritioni, nulla calamitas coæquari potest*, ait Hugo Vict.

Summus Virginis dolor.

21. Quod amplius sanctus Bernardinus tom. 1. sermone 60. articul. 9. cap. 2. dicit tantum fuisse Virginis sacratissimæ dolorem, vt si in omnes creaturas, quæ pati possunt, fuisset diuisus, omnes subitò interiissent.

Ex Virginis erga Christum amore, iudicare possumus de illius dolore. Triplex amor Virginis erga Christum.

22. Rimari possumus aliqua ratione, quantus Virginis dolor, ex eius erga filium amore, dolor scilicet, vti amor. Vis scire quantus Virginis fuit erga Christum amor? Beata Virgo Christum Dominum filium suum, triplici amore, naturali, acquisito, & supernaturali perfectissimè afficiebatur, & in primis amore naturali materno eum summè diligebat: erat enim filius naturalis, vnigenitus, & vnicus, & in generatione temporali, sine patre, & sic beata Virgo erat ei quasi pater & mater, & concurrebant in ea, amor patris, ac matris. Et sicut totus amor naturalis filij, vt filius terminabatur ad Virginem, ita etiam amor integer Virginis terminabatur ad filium, vt docuit D. Anselm. lib. de excellent. B. Virginis cap. 4. de amore Virginis ad filium in hæc verba: *Quàm mirabilis natura, & ineffabilis affectus amoris, considerari queat inter hanc talem tanti filij Matrem? Equidem omnes homines ex coniunctione duarum personarum, hoc est, maris & fœminæ, procreantur: eum autem amorem, quem pater & mater singuli debent filio suo, debet hæc fœlicissima matrum, solo filio suo, quia vnicus filius est, & ex sola matre natus.* Et P. Canisius libro 3. de Virgine capit. 13. longè post principium §. *præterea*, pagina 233. columna 2. ait: Ex hac illustri prærogatiua, quòd in carne Christum Maria genuit, suumque filium fecit, reciprocus & immensus quidam amor, qui inter matrem & filium singulariter intercessit, euidenter apparet. Cur enim illa non summè summum amaret, quem summè amabilem, vtpote pulcherrimum, nobilissimum, sapientissimum, optimum, maximum, perfectissimum nouerat; quem & vnicum, & sibi cum nullo viro communem, sed ex suis dumtaxat visceribus, progenitum esse, certum habuerat: quem denique infantem & puerum, cum tanta voluptate, in suo gestabat gremio, & vbere lactabat, & brachijs amplexabatur, & sinu fouebat, omniq́ue charitate materna domi forisq́ue prosequebatur? Aliæ autem matres, sic adamant proles, quamuis deformes, & fœdas, vt tantùm non insaniant; sed nulli alij matri tot, tantæq́ue amandi causæ, quot Matri Domini suppetere potuerunt, siue naturalem, siue acquisitum, siue infusum, vti vocant, amorem intueamur.

Naturalis. Anselm. P. Canis.

23. Secundò, B. Maria, amore acquisito, ex perpetuo conuictu causato, Christum Dominum, filium suum, perfectissimè diligebat. *Ab ortu Saluatoris*, (inquit S. Arnoldus Carnot. de laudibus Virg.) *vsque ad baptismum anni triginta defluxerant, nec toto hoc tempore seiuncta est Mater à filio, semper indiuidua astitit, & diuini conscia secreti, humili affectu venerabatur, & Deum amplectebatur vt filium.* Sic ille. Optimè quidem de Matre erga filium: at de filio, erga Matrem, quis, quod intercesserit, explicabit?

Acquisitus. Arnold. Carn.

24. Tertiò, sicut Virgo amore supernaturali fuit à Christo Domino magis dilecta quàm omnes homines & angeli simul: Sic etiam ipsa, eodem charitatis amore, & feruore, Christum supra omnes diligebat & quid mirum (ait D. Bonauentura in speculo Virginis capit. 6. ad finem.) *Si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus est dilecta?* Vnde D. Anselmus lib. de excellentiis Virginis cap. 4. sic ad nostrum propositum Virginem alloquitur: *Et tu, ô beatissima fœminarum, in quam fluxit tam copiosa, & supereminens gratia omnium gratiarum, quid animi*

Supernaturalis amor Virginis erga Christum. Bonav. Anselm.

quæso, gerebas ad eum, qui tibi hæc magna fecit? *Est sagitta electa* (ait D. Bernard. serm. 29. in Cant.) *amor Christi, quæ Mariæ, animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam, vacuam amore relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & esset gratia plena. Aut certè pertransiuit eam, vt veniret vsque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus.* Hæc ille. Cùm ergo hi amores, in Virgine, intensissimi, intensissimos, & maximos fuisse illius dolores, non est ambigendum. Vide hac de re latiùs Salmeron tom. 10. tract. 51. de lamentatione Virginis.

BERN. Deut. 6. Matth. 22. Luc. 1.

25. Sed ô Christe, qui fieri potuit, vt materno cordi non peperceris, permiserisque illud gladio doloris transuerberari? Audi Thaulerum de passione cap. 19. *Sicut enim Christus pulcherrimo, iuuenili, ac florido corpori suo, ob salutem hominis, parcere noluit, quo minus, illud morti traderet; ita nec materno pepercit cordi tuo, quo minus illud gladio doloris permitteret transuerberari.*

THAVL.

26. Proh, quantum delicta nostra, & filio, & matri nocuerunt! *Va tibi*, (exclamat S. Bernardus de pass.) *amaritudo peccatorum nostrorum, propter quæ soluenda, tanta amaritudo necessaria est.*

BERN.

27. Verùm, ô Christiane, an fieri poterit, vt ad tantam Virginis nigredinem, non tangaris aliqua compassione? Dum vides pulcherrimam illam lunam in tenebras, & sanguinem conuersam; an fieri poterit, vt non compatiaris tantis acerbitatibus? Certè luna, quæ cælo per noctem præsidet, cùm defectum patitur, & fulgoris dispendia; tanquam si condoleant, quæ eius beneficum experiuntur influxum, edunt quædam mœroris testimonia; obaudiamus quæ referat Anastasius Sinaita lib. 4. hexam. *Nam & defectui eius compatiuntur elementa; & processu eius quæ fuerint exinanita, cumulantur, vt animantium cerebra & maritimorum humida: Siquidem pleniores ostrea reperiri feruntur, multaq; alia, cùm globus lunaris adolescit: De arborum quoque internis, idem allegant qui hoc vsu proprio compererunt: ipsi & feri maris fluctus, non tamen ita crudeles, vt sensum omnem exuerint;* prosequitur Sinaita: *Sanè euripi, cùm exundant vndique secundum reliquas species lunæ, & acceptos fluctus refundant, vel etiam ipsi magno ferantur impetu; in ortu tamen eius stant placidi, quoadusq; luna sine lumine est:* Si lunæ, in suo defectu, condoleant elementa, quia beneficum illius experiuntur influxum, cur non pallebunt, cur non pallescẽt, non marcescent vultus humani, & resoluentur in lachrymas corda nostra, dum cernunt pulcherrimam illam lunam, pulcherrimum illud sidus, obnubilatum, in tenebras & sanguinem conuersum; venustissimã, inquam, lunã, à quo orbi infinita collata beneficia?

ANASTAS.

28. Nihil tam in votis S. Bern. quàm vt tam filio quàm matri, compateretur, vnde dum Virginis dolores contemplaretur, sic eam affatur: *Vtinam dolor ille quẽ tunc passa es, sic nunc inhæreat visceribus meis, sicut inhæsit tunc tuis. Vtinam die, quâ assumpta fuisti in cælum, vt in æternum gauderes cum filio tuo, mihi indicares lachrymas tuas, vt per illas cognoscerem, quantum tibi amaritudinis fuerit, cùm Iesum, dilectum tibi, heu, heu, & parum dilectum mihi, clauis in ligno crucifixum, capite inclinato, suum exhalare spiritum videres. Mihi tamẽ obsecro lachrymas illas infunde, quas ipsa habuisti dum stares sub cruce, vt & ego tibi, & filio tuo possim condolere.* Sic Bern. de lament. Virgin.

Optabat S. Bernardus Virgini compati.

De pulchritudine Virginis, tempore passionis, ob varias virtutes, quibus exornata.

§. II.

1. VIdimus Virginem nigram, id est, mœrore & tristitiâ vndique circumdatam: videamus quàm simul sit pulchra, & speciosa. *Nigra*, inquit, *sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.*

2. Primò, Virgo præsertim tempore passionis Christi, Iudæis, cæterisque infidelibus vilis, & despecta fuit, vti tabernacula Cedar; sed fidelibus, imò Angelis, & Deo, formosa, sicut pelles, id est, tabernaculum, (tabernaculum enim Mosis, foris operiebatur pellibus; intus vero auro, argento fulgebat &c.) & templũ Salomonis, quia ipsa fuit templum, imò cælum, non manu factum; quod sibi sapientia Dei, puta Christus, ædificauit. Prou. 9. ita Hailgrinus quẽ audi: *Nigra sum in apparentia, & despecta, tanquam mater leprosi; sed formosa in veritatis existentia, & tanquam veri Dei genitrix gloriosa. Nigra sum tamquam tabernacula Cedar, quia non reputor tabernaculum Regis iustitiæ, sed sicut cæteræ matres, quarum ventres tabernacula sunt filiorum, mœroris, & tenebrarum; inter tabernacula Cedar reputata sum, quod interpretatur, tenebræ, vel mœror. Verumtamen ego formosa sum sicut pelles dedicata vero Salomoni Christo, vero pacifico. Nam sicut illæ pelles arcam typicam continuerunt; sic ego intra mea viscera veram arcam continui, Christum videlicet, cuius caro significatur per arcam, cuius anima designatur per vrnam auream, quæ erat in arca, & Deitas designatur in manna, & sicut pelles protegebant totum tabernaculum; sic sub vmbra meæ protectionis defendo totam Ecclesiam. Ego quidem similis pelli, rubricata, quia per compassionem doloris tincta sum in passione filij. Similis quoque pelli hyacinthina, contemplatione cælestium, & amore.*

HAILGR. Virgo exterius sicut tabernacula Cedar, intus sicut tabernaculum Salomonis.

3. Secundò, nigra Virgo sed pulchra, ob

Mariæ stantis iuxta crucem humilitas.

ob insignem, & profundam suam humilitatem. Stans enim iuxta crucem, meritò dicere potuit illud Cantic. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* In accubitu suo erat Christus, quando quiescebat in crucis lectulo, ô quàm suauem tunc sparsit humilitas Mariæ odorem. Ecce dum filium videt factum opprobrium hominum, & abiectionem plebis, dum videt illum factum tanquam vas perditum, dum videt eum percussum à Deo, tanquam leprosum, dum videt eum factum nouissimum virorum, non se continet domi, non abhorret à tot contumelijs, & opprobrijs, quibus afficienda à Iudæis, non celat se esse Christi matrem, verùm eo nomine gaudet, quòd se possit illius declarare genitricem quam tanto odio, tantoque furore Iudæi prosequebantur. Dum inter mortales ageret Christus, potens in opere & sermone, præ nimia humilitate, Virgo abscondebat maternæ dignitatis titulum. Nunc verò, dum filius, hominum consortio censetur indignus, præ humilitate, illius se profitetur matrem. O sacratissima Virgo, quid adstas cruci, inter feroces illos, & sanguinarios, dulcissimi filij tui tortores? Quę participatio est tuæ innocentiæ cum loco, qui deputatus latronum supplicio? Quæ conuenientia est pudori illi tuo virgineo, & innatæ erubescentiæ, cum turba illa procaci & furibunda quæ te cingit? Dum Elisabetham cognatam tuam visitas, cum festinatione viam prosequeris, iam verò, in loco ignominiis pleno firmis consistis pedibus? Iam planè agnosco, ô sacratissima Virgo, quòd charitas tua erga cognatam, pedibus tuis addebat alas, iam verò, quòd tua humilitas, te, circa crucem Christi (licet constituta in medio prauissimæ nationis) immobilem planè reddit: nō erubescis, dici mater hominis, ab hominibus despecti, & crucis supplicio addicti, vides filium prorsus exinanitum, conuenit quoque tibi, illius amantissimæ genitrici, vt illius in te elucescat humilitas.

Resignatio Virginis, stantis iuxta crucem.

4. Tertiò, nigra Virgo sed pulchra ob perfectam resignationem & conformitatem cum voluntate Christi. *Omnino*, (ait Arnoldus Carnot. de laud. Virginis,) *hic erat vna Christi & Mariæ voluntas; vnumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.*

ARNOLD.

In conformitate cum diuina voluntate nostra consistit perfectio.

5. In hac voluntatis suæ in diuinam resignatione, totius perfectionis Christianæ summa consistit, quæ quidem resignatio, tantò est illustrior, quò res ipsa, cuius respectu, nos diuinæ conformamus voluntati, est difficilior, & gustui nostro repugnantior, cū gustu & gaudio, interim eam accipientes, quia sic placitum est Deo. Primus ad hanc virtutem gradus est mortificatio voluntatis propriæ; quò enim hæc magis mortificata, eò magis accedimus perfectioni. *Eò quisque, plus proficit* (ait Ephrem opusc. de

EPHREM.

vita spirituali,) *quò voluntatem suam magis deijcit.* Et Hieronym. *Tantum adijcies virtuti, quantum detraxeris propriæ voluntati.*

HIERON.

6. Vis scire quis resignationis fructus? illum indicat Dorotheus. *Nolentes*, ait, *propriam explere voluntatem, inueniemus profectò semper illam expleuisse.* Rationē dat S. Bonau. in Diæta sal. Quia cum voluntate humana voluntati diuinæ conformatur, nihil ei repugnat, & sic voluntas Dei semper impletur, iuxta illud Psal. 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Hinc nascitur, vt docet idem sanctissimus Doctor, in homine singulare quoddam gaudiū, & solamen in omnibus, quæ ipsi accidunt, nam tristitia è rebus nascitur, quę nolentibus, & reluctantibus obueniunt. Vnde Sapiens Prou. 12. *Non contristabit iustum, quidquid acciderit illi.* Quia iustus, tribulationes quaslibet, siue à Deo, siue à dæmone, siue ab homine, siue à natura, obuenientes, in diuinam refert voluntatem, eas patienti, forti, hilarique animo patitur, & sustinet; quo fit vt nullā ærumnā turbetur, nulla afflictione concidat, animumque despondeat, sed placidus, fidensque, & imperturbatus, in omni aduersitate, consistat. Quod quidem taliter verū vt D. Bonau. loco cit. dicat: *Etiam ignis gehennæ facilis esset, si voluntas illum acceptaret*, nimirum vt diuinæ se conformet voluntati.

Primus resignationis fructus.

BONAV.

Ex resignatione nascitur gaudium.

BONAV.

7. Alter resignationis fructus est, teste Dorotheo, quòd mediante hac resignatione homo quodammodo reddatur omnipotens. *Qui sunt voluntati diuinæ conformes, sunt quasi dij, suæ voluntatis omnipotentes, nam illam conformat diuinæ voluntati, quæ omnipotens est.*

Secundus fructus resignationis.

DOROTH.

8. Quartò, nigra Virgo tempore passionis, sed pulchra ob insignem modestiam quam præ se tulit eodem tempore. Sub crucis statione nihil indecorum, nihil immodestum, nihil à personæ tantæ dignitate & grauitate alienum gessit: Non crinibus manus admouit; non genas, non pectus laniauit, non eiulauit, non est vociferata, sed acerbissimum alto pectore dolorem pressit, profusisque lachrymis, ipsismet etiam hostibus, admirandâ modestiâ, demonstrauit. Qua de re pluribus Simeon Metaphrastes serm. de ortu & educt. Virg. apud Surium 15. August. *Dicunt ij, qui de Virginis moribus, & indole tractauerunt, eam ab initio, vsque ad finem se modestissimè gessisse; honestè quidem & non indecorè vtentem motu animi, factis etiam ostendentem se esse matrem, sed matrem omnino illius qui amico mortuo, motum animi certis finibus continuit, mortuumq, videns filium, doloroso animi motu sic vsa est, vt nec verecundiæ limites excederet, nec tamen piæ matris, vnicum lugentis filium, officium à se desiderari, permitteret.*

Modestia Virginis dum staret sub cruce.

METAPHR.

Ad commendandam sacratissimæ Virginis modestiam, vel si mauis constantiam, etiam illud pertinet, quod de illa scribit Arnoldus Carnot. in illud verbum: *Mulier ecce filius tuus.* Nimirum quòd nullis

ARNALD.

inconditis gemitibus, laxauerit habenas, quod præ doloris acerbitate, non pectus tutuderit, in capillos, in genas, in vestes crudelis non fuerit &c. sed suspiria suffocauerit, atque inconsolabiles animi motus repressferit, & erumpentes reuocauerit lachrymas &c. Accipe illius verba: *Suspirat intrinsecus, & erumpentes reuocat lacrymas, & eò amplius anxietas intumescit, quò prohibetur egredi, & per luctus, lamentaq; dissolui; emergebãt quidem aliquando gemitus, sed increpati reprimebantur, reuertebanturq; in sinum mentis, de quo prodibant, & collidebant se ad inuicem introrsum, eratq; in anima illa tempestas valida, occurrentibus sibi procellis, & quasi in sartagine frixis medullis, ebulliebant amaritudines, quas excoquebat, & coagulabat exacerbatio perseuerans; & (quod difficillimum erat) moriebatur & mori non poterat, & clauso tanti doloris tormento intrinsecus, alium vultum palam exhibebat.* Sic ille. De virginis constantia siue fortitudine vide Scribanum in Christo patiente fol. 547. & fol. 594. Et sic impleuit Virgo mãdatum S. August. *In omnibus moribus nostris nil fiat, quod cuiusquam offendat oculos, aut aspectum, se quod nostram deceat sanctitatem.* Horatij dictum obseruauit,

AVGVST.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra, citraq; nequit consistere rectum.

Virgo tenuit modũ in plangendo filio. BERN. Modus tenendus.

Hoc igitur in plangendo filio præstitit Virgo mater, quod præcipit S. Bernardus lib. 3. de cons. *Tene medium, si non vis perdere modum. Modus enim rarò, latis, aut tristibus rebus interuenit, nisi in heroica virtute.* Ita Bernardus. Et hæc heroica virtus in virgine inueniebatur dum stabat iuxta filij crucem.

Magna Virginis fides in morte Christi. ALBERT.

9. Quintò, nigra tempore passionis, sed pulchra ob insignem fidem, de qua sic Albertus Mag. in cap. 1. Lucæ. *Fidem habuit in excellentissimo gradu, qua etiam discipulis dubitantibus, non dubitauit. Vt filius rectè vsurpare potuerit illa verba Iob cap. 19. Pelli mea consumptis carnibus adhæsit os meum. Consumptis enim carnibus, hoc est, mollibus discipulorum cordibus per dubitationem, adhæsit, quasi os solidum cor virginis gloriosæ pelli extensa in cruce per fidem.*

Fortissimus Virginis amor, dum staret iuxta crucem. THAVL.

10. Sextò, nigra sed pulchra ob fortissimum erga filium amorem, de quo sic Thaulerus de pass. cap. 229. *Maria tristissima Dei mater, auidè suum quærebat videre filium, vt vel consolatorium ex eo perciperet verbum, aut aliquod ei impenderet solatium, vt vltimum ei vale diceret. Sed quia prope ad eum accedere non dabatur ob turbam sceleratorum militum, qui eum cinxerant vndique & sequebantur, alio perrexit itinere, vt turbam anteuerteret, atque ita suo veniret dilecto obuiam. Quamuis enim ex acerbissimo, ob filij passionem, concepto dolore, prorsus exhausta & viribus esset destituta, fortis nihilominus amor, quo erga illum feruebat, & ingens eum videndi desiderium, vires ei addidit. Ita vt turbam omnem filium eius ducentium præueniret.*

De eodem Virginis amore sic D. Bonauentura in stimulo cap. 4. *O castissima Domina, cur non eras solitaria in camera tua? non erat tua consuetudo venerabilis Domina, ad talia spectacula properare. Cur quæso non te tenuit pudor virginalis? Sed hæc omnia non considerasti, Domina mea, quia cor tuum alienatum erat à te præ nimio dolore, non eras quippe in te, sed in afflictione filij, & in vulneribus vnigeniti tui.* BONAV.

Maxima Virginis erga homines charitas.

11. Septimò, nigra sed pulchra ob eximiam charitatem erga homines, non enim quærit Maria quæ sua sunt, sed suum Iesum, & quidem specialiter suum, libenter suum, libenter dedit & obtulit pro salute mundi. Adeoque si de Deo dicatur: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, idem dici possit de Maria. Sic Maria dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: *Quia*, vt ait S. Bernardus serm. 29. in Cant. *virilis Mariæ animus, & ratio illius constantissima voluit, etiam tradere filium suum pro salute generis humani, vt mater per omnia conformis esset Patri & filio.* BERN.

Nullo modo dubitandum est, (ait S. Bonauentura in 1. sent. dist. 48. quæst. 2. in fine,) *quin virilis eius animus, & ratio constantissima, vellet etiam tradere filium suum, pro salute generis humani, vt mater per omnia conformis esset Patri.* Addit: *Et in hoc miro modo debet laudari & amari, quod placuit ei vt vnigenitus suus, pro salute generis humani offerretur.* In corde virgineo, duo præliabantur amores videlicet amor erga talem filium, & amor erga genus humanum, illo optabat vitam filio, hoc verò vnicè desiderabat, per mortem filij, vitam dari mundo, fortis vterque amor, sed posterior præualuit priori, & prælegit Maria mortem filij vt sic perageretur salus generis humani. Quod expendens D. Bonauent. subiungit: *Fuit fortis, & pia; dulcis pariter, & seuera; sibi parca & nobis largissima; propter quod præcipuè est amanda, & veneranda post Trinitatem summam, & eius prolem.* Quod amplius. *Præstolabatur*, (ait Ambros. lib. de instit. Virg. cap. 7.) *si fortè etiam sua morte, publico muneri aliquid adderetur: sed Christi passio adiutore non eguit. Optabat ipsa*, (ait Chrysost. in Ioan.) *ad filij sanguinem addere sanguinem carnis suæ, & cum Domino Iesu redemptionis nostræ consummare mysterium.* Sed fusiùs hac de re Arnoldus in tract. de septem verbis Domini. *Optabat enim ipsa, ad sanguinem animæ, & carnis suæ addere sanguinem, & eleuatis in cruce manibus celebrare cum filio sacrificium vespertinum, & cum Domino Iesu, corporali morte redemptionis nostræ consummare mysterium: sed hoc solius sacerdotis summi priuilegium erat, vt de sanguine munus, intra sancta inferret: nec poterat ei consors hac esse cum aliquo dignitas, & in reparatione hominis, nulli angelo, nulli homini, cum eo fuit aut esse potuit communis auctoritas. Ita proximum dilexit*, (ait Anton. p. 4. titul. 15. cap. 17. § 4.) *quòd si defuisset, qui filium crucifixisset ipsa pro salute humani generis eum cum manibus suis in cruce posuisset.*

BONAV. Optabat Virgo mori pro hominibus. AMBROS. CHRYSOS. ARNOLD.

fuisset. O summum amorem virginis! ô accensam nimis fornacem!

Insignis virginis fortitudo dum stetit sub cruce. THAVL.

12. Octauò, nigra tempore passionis, sed pulchra ob insignem suã fortitudinem ortam è maximo erga filium amore, quæ insinuatur, dum Virgo dicitur stetisse iuxta crucem licet cor eius plus centies esset scissum. Vnde sic Virginem alloquitur Thaul. de pass. c. 44. *Et quidẽ hac ipsa die sincerissimum cor tuum, non semel, sed plus centies scissum est. Neque aliquid, sub tuo aspectu, filio molestiæ illatum est, quod non secuerit cor tuum. Et qui stare poteras? Dicit enim Euangelista, stabat iuxta crucem Iesu, mater eius. Vnde tanta tibi fortitudo? non vtique ferreum, aut saxeum habuisti corpus, vt hodie toties doloris gladio crucifigereris, toties crucifigereris, vulnerarerisq́, vnà cum filio tuo: ac nihilo secius fixo & constanti animo & corpore perstares.* Prosequitur. *Et forsitan truces illi atque horridi claui, & te pariter ita detinebant in cruce filij tui, vt collabi non posses. At verò multo fortiùs amor potentissimus, ipsa quoque morte fortior, te sustinuit, vt cadere nequires. Itaque stabas, seu fidei columna immobilis.*

Quàm ardens in virgine patiendi cum Christo desiderium. THAVL.

13. Nonò, nigra sed pulchra ob ingens patiendi cum Christo desiderium. *Continet*, ait Thaulerus de pass. cap. 30. *dolorem suum intra sui secreta pectoris, eò quòd nullam externam hominum consolationem desideraret, potiùs appetens illo in dolore persistere, donec ipse eam Dominus eriperet ac consoletur. Ea namque de causa Iesum sequuta est, vt simul cum eo suam ferret crucem: idcirco accessit caluariam, vt cum eo intus spiritualiter crucifigeretur, ideo iuxta crucem adstitit, vt gladius doloris cor eius configeret, martyrumq́, omnium Regina efficeretur.*

BONAV.

S. Bonauentura in stimulo cap. 4. Mariam stantem iuxta crucem, sic inducit, orantem filium: *Heu fili mi, heu me dolentem, quid faciam? quare me permittis stare iuxta crucem, & te in cruce: O chare fili, quare non acquiescis petitioni infelicissimæ matris? Quare vis sine matre stare? Non cor meum tecum est? Sume ergo & corpus meum, vt ambo in cruce moriamur.*

Quanta virginis mansuetudo dum staret sub cruce. SALMER.

14. Decimo, nigra sed pulchra ob insignẽ mansuetudinem, quâ orauit pro Christi crucifixoribus. De quo sic Salmeron in Lucæ cap. 23. *Piè satis hoc loco quidam meditantur ad hanc clementem Iesu vocem, Pater ignosce illis, aures præstitisse sanctissimam Deiparam Virginem, quæ iuxta crucem stabat, & vbi primum filium suum audiuit, vt eius precationi conformatam se redderet, in genua prouolutam fuisse, cumq́, lachrymis, & sanctis charitatis desiderijs, hostibus Christi, ac suis ignouisse, nam & hæc iniuria aliquo modo ad eam spectabat.*

GVILLEL.

15. Hanc Virginis mansuetudinem sic illustrat Guillelmus scribens in illud Canticor. capit. 3. *Tenui eum. Obliuiscitur quod dulcissimus filius tam crudeliter ab illis fuerit occisus: Tantùm intuetur salutis hostiam ex illis sumptam. Recordare, ait, fili, quòd carnem ex eis acceperis, in qua & per quam operatus es salutem in medio terræ: Vtique decet spiritalibus tuis eos participare, quorum carnem non exhorruisti. Debebant primi esse ad salutem pro eo quòd salus ex ipsis; sed quia pius es: sufficiat (quæso) pro funesta illa electione Barrabæ, quòd primogenita sua perdiderunt, vt fiant vel nouissimi.*

Variæ conuenientiæ inter granum synapis & sanctissimam Virginem.

SECTIO XLII.

SVnt præter præcedentes & aliæ conuenientiæ inter granum synapis, & sacratissimam Virginem, quas breuiter insinuabimus.

1. Prima, *inter herbas, prima laus tributa synapi, à Pythagora.* Similiter inter puras creaturas, prima laus tribuenda Virgini. *Hanc enim in sua prædestinatione, præhonorandam cunctis operibus suis, Deus ab æterno præordinauit,* vt loquitur Bernardin. tom. 1. ser. 61. art. 1. cap. 2. *Cùm fecit Deus,* (ait Petr. Dam. in assumpt. Virginis,) *omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit.* Quibus sanè consona sunt verba illa B. Laurentij Iustiniani. *Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid est gloriæ, totum fuit in Maria.* Quo propemodum pacto D. quoque Bonauentura, cùm ait: *Gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius in gloria est; hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est.*

Maria prima inter omnes creaturas. BERNARDINVS. IVSTIN. BONAV.

2. Secunda, *synapi, mulierum lassitudines tollit, saluberrimo genere, medicinæ,* ait Plinius, de Virgine scribit Alanus in Anticlaudiano quod sit, *pausatio fessis*, Augustinus eam vocat, *requiem animarum.*

Maria tollit lassitudines. PLINIVS. AVGVST.

3. Tertia, synapi calculos discutit teste Plinio, sacra Virgo vt ait Bern. super Missus: *Fouet virtutes, excoquit vitia.*

Maria excoquit vitia. BERN.

4 Quarta, *synapi prodest caligantibus oculis,* ait Plinius. Sic Maria luce perfundit orbem vniuersum hinc S. Ephrem orat. de laud. Deip. *Aue lumen,* inquit, *præfulgens, quo mundus illustratur.* Quatenus nimirum suarum fulgore virtutum, suoque sanctissimæ vitæ instituto, vbique coruscat, ac ignorantiæ tenebras fugat, & ad veræ vitæ arripiendam viam, homines prouocat. Ea propter Seraphicus D. Bonauentura: *Maria,* inquit, *est illuminatrix plurimorum, per exempla lucidissima vitæ suæ. Ipsa est, cuius vita gloriosa lucem dedit seculo. Ipsa est cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Ipsa enim est lucerna Ec-*

Synapi prodest caligantibus oculis, sic Maria mũdum illustrat. PLINIVS. EPHREM. BONAV.

clesiæ ad hoc illuminata à Deo, vt per ipsam, contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia. Et mox: *Hoc bene sentiens Bernardus, ait: O Maria tu virtutum tibi inditarum magnificis exemplis, ad imitationem tui nos prouocas, sicq́; noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitæ.* Hæc D. Bonau.

Maria etiã Angelos illuminat. 5. Quid mirum Virginem illuminare homines, cùm & ipsos Angelos illuminet? Apoc. cap. 12. legitur. *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Per stellas angeli intelligendi, quia sicut stellæ à sole, ita Angeli à Deo omne recipiũt lumen gloriæ, sed quid rei Angelis, cum capite Virginis? ornant illud, inquies, & suo illustrant lumine, sed falleris, teste S. Bernardo sermon. super Signum magnum. BERN. *Dignum planè stellis ornari caput, quod & ipsis longè clariùs micans ornet potiùs quàm ornetur ab ipsis.* Est enim Virginis nomen Maria, id est, illuminatrix, & vt ait S. Bonau. in speculo, *est illuminatrix angelicis spiritibus.*

Maria debiles roborat. 6. Quinta, synapi, teste Plinio lib. 20. ca. 22. prodest ad firmandas fauces, stomachũ, oculos, caput, sensúsque omnes. AMED. *Maria*, (ait Amedæus homil. 2. de laud. Virg.) *mente debiles roborat, bonos incitat ad meliora, meliores ad optima.*

Mortuos in peccatis putat. 7. Sexta, synapi prodest lethargicis quos premit somnus vehementior ait Plinius lib. 20. cap. 22. Sic Maria *mortuos in peccatis excitat*, vt ait Amedæus hom. 2. de laudibus Virginis. AMED.

Synapi medicinale, Maria maximè medicinalis animabus, 8. Septima, synapi maximè medicinale, nam vt ait Plin. lib. 20. c. 22. ad serpentium ictus, & scorpionum, tritum cum aceto, illinitur. Ad dentium dolorem mãditur, stomacho vtilissimum contra omnia vitia, pulmonibusque, excreationes faciles facit, in cibo sumptum, Hydropicis imponitur, lepram sanat &c. Quis referat quam medecinalis Maria? AVGVST. Hinc à S. Augustino in serm. de Nat. Virg. vocatur, *Salus omnium populorum, salus morum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium.* Et corporibus. Alanus de Virgine affirmat, quòd sit, *medecina reis.*

AMED. 6. *Non solùm*, (ait Amedæus homil. 8. de laud. Virg.) *animarum saluti, verumetiam humanorum corporum sanitati atque necessitati piâ diligẽtiâ, prouidet, & medetur in locis quippe memoria sanctitatis eius dicatis claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbensq́; innumera beneficia sanitatum. Accedunt ad eius limina rei, tundentes pectora, confitentes delicta, & acceptâ veniâ, læti ad propria reuertuntur. Accedunt etiam mente capti, capite languidi, phrenetici, maniaci, arreptitij, nocturno timore, aliove phantasmate, seu certa maligni incursione delusi, qui recepta sospitate, diuini muneris largitatem assequuntur. Accedũt nihilominus, ad eius vestigia qui amaro sunt animo, mœsti, egeni, afflicti, desolati, ære alieno obligati, quod grauissimum est, viuentes cum dedecoris nota respersi. Horum, & omnium, de quacunque tribulatione clamantium illa libens preces suscipit, & nato supplicans omne malum ab eis miseratrix auertit.* Sic Amedæus.

10. Octaua. Ex fumo synapis fugere vermes venenosos, scribit Vincent. Belluac in spec. nat. lib. 2. c. 21. Fumus synapis fugat vermes venenosos, Maria fugat dæmones. VINC. BELLVAC. Similiter Virginis fumus, & odor, ex illius exhalans virtutibus, in fugam agunt dæmones. Vnde Amedæus verba illa Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*, sic Virgini adaptat. *Asserunt odore thuris, dæmones effugari, lachrymas excitari, Deum, lachrymis mediantibus, placari.* Ego verò libenter dixerim, *odore virtutum sanctæ Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine huc illucq́; raptari, vt in eis impleatur, quod dictum est, (fiant tanquam puluis ante faciem venti.)*

11. Fumus quoque, & odor, promanantes ex virgineis virtutibus, si hauriantur, & excipiantur fideliter à stomacho mentis, miram vim habent, aduersus vermes omnium vitiorum, vermes symbola esse variorum vitiorum ostenditur Enar. 47. sect. 6. 7. 8. &c. Odor Virginis vermibus vitiorum aduersatur. Si consideretur Virginis humilitas & suauissimus virgineæ humilitatis hauriatur odor quomodo non fugabit vermem superbiæ? Et sic de alijs.

12. Fumus quoque virgineæ orationis & intercessionis, maximè aduersatur vermibus malorum spirituum Cant. 3. Virgo dicitur: Fumus orationis virgineæ aduersatur vermibus malorum spirituum. *Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Virgula fumi, dicitur Virgo, ob suam orationem, & apud filium, pro humano genere, intercessionem. Sicut enim olim fumo aromatico sibi oblato, solitus erat Deus placari. Vnde Genes. 8. legimus: *Odoratus est Dominus odorem suauitatis, & ait: nequaquam maledicam terræ, propter homines*, & Sapient. 18. Fumus symbolum orationis. Scimus Aaronem, per incensi odorem diuinam iracundiam mitigasse. *Per incensum deprecationem allegans, restitit iræ.* Sic etiam nunc B. Virgo, orationis suæ odorifero fumo, iræ Dei resistit, nos Deo reconciliat, atque eodem fumo, angelos tenebrarum, in fugam agit, quia non sic fumus corporalis obest oculis corporalibus, sicut fumus, id est, oratio Virginis, displicet malignis spiritibus.

13. Neque mirum, tantam vim esse virginei fumi, id est, virgineæ orationis, siue intercessionis, nam ascendit hic fumus ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, ascendit, inquam, Virginis oratio ex myrtha, id est, continua martyrij tolerantia, & talis quidem martyrij, quod omni solatio, destitutum. Patiebatur in aliis martyribus caro; sed spiritus in in tantum confortabatur, vt gauderent in vexamentis, imò vix tormentorum sensus aliquis, propter supernæ dulcedinis excessum, sed genitrix hæc vndique mœrore afflictabatur, nec erat qui consolaretur eam. Passa absque solatio Virgo. De quo sic Richard. à S. Laur. l. 3. de laud. Virg. RICHAR. *Alij enim martyres etsi tormenta sentiebant*

bant in corpore, interiori tamen consolatione refrigerabantur in mente: & si eorum corpora pertransibat gladius tormentorum pro Christo, tamen animæ eorum recreabantur in Christo: filius etiam simul fruebatur, & patiebatur, quia fuit in via comprehensor, vnde dicit Psalm. 15. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: sed anima Matris torquebatur in Christo, & totam eius animam vehementia doloris possidebat. Sic ille. Vehementiam doloris, quæ possidebat animam Virginis, sic rectè exprimit D. Bonauentura in stim. cap. 4. dum sic Virginem alloquitur. *Ibi*, (nempe iuxta crucem,) *es secum, hoc solum restat, quod ipse in corpore, tu verò in corde es passa, nec non singula vulnera per corpus eius dispersa in tuo corde generaliter sunt vnita, quia nempe tuam ipsius animam gladius pertransiuit. Tu Domina in tuo corde es lanceata, tu amaris clauis inclauata, tu de spinis coronata, tu illusa & exprobrata; tu contumelijs & maledictis affecta, etiam felle & aceto potata.*

Passa in anima Virgo. BONAV.

14. Secundò, ascendebat hic fumus orationis ex thure, id est iugi desiderio rerum cælestium atque honoris diuini, siue ex ardenti & flagranti Dei amore.

15. Tertiò, ascendebat hic fumus, ex vniuersis pulueribus pigmentarij, id est, variis Virginis virtutibus, sed in tenuissimum puluerem contusis atque redactis: moris enim est, magno illi pigmentario Deo, in puluerem contundere pigmenta virtutum, quæ suis largitur, id est, variis pressuris, virtutes suorum, exercere, atque contundere ad maiorem redolentiam, quod quamuis in omnibus martyribus videre liceat abundantias, tamen idipsum cernitur in sacratissima Virgine, vt rectè notat Petrus Damiani, sermone de Virginis assumpt. sic scribens: *Species quidem integræ odorem reddunt, sed non tantum, quantum confracta, crebris enim tonsionibus supertrita, remotiorem etiam locum, odorifera conspersione, refundunt: sic & virtutes, in pace quidem fortiter redolent, sed fortiùs in tribulatione: vniuersus ergo puluis pigmentarius in Virgine coniectus est, quia in ea virtutum conuentus, reuerendum sibi thalamum consecrauit; Et si cæteris per partes spiritus affuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ superuenit: nec integræ fuerunt in ea species, sed in subtilissimum puluerem comminuta; quia ipsa est, quæ fortioribus tribulationum malleis, superoppressa, vidit suum & Dei filium affigi cruci, militari lancea vulnerari, & inter duos latrones positum expirare.* Sic Petr. Dam.

PETRVS DAM.

16. Nona, synapis vim habet penetratiuam, quia vt ait Plinius, *Non aliud magis in nares, & cerebrum penetrat.* Sic Maria vbique penetrat, *ipsa est* (ait D. Bernardus homil. 2. super missus,) *cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora.*

Maria cuncta penetrat. BERN.

17. Qualiter examinet omnium necessitates Maria vt illis succurrat sic docet Amedæus homil. 8. de laud. Virginis. *Sancta animalia, de quibus in Ezechiele legitur, quòd ante, & retro, & intus & foris; atque in circuitu plena sunt oculis, inualitudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis, non æquè vt Dei genitrix valent examinare, examinando cælesti auxilio diluere, & propulsare. Quò enim sublimiùs immensi regis cor aspicit; eò profundiùs diuina gratia pietatis, afflictorum & misereri, & miseris succurrere nouit.*

Maria examinat omnium necessitates. AMED.

18. Decima *Virtus synapis, pressuris accenditur,* ait S. Hilarius in cap. Matth. 13. Idem etiam in Virgine accedit, non solùm grauissimè dolebat de Christi passione, sed insuper, imperterrita Christum sequitur, & adstat cruci. *Torrente doloris potata*, (ait Amedæus homil. 5. de laud. Virginis,) *currit post Iesum non tantùm in odore vnguentorum, sed in multitudine dolorum. Non solùm in gaudio consolationum, verùm & in abundantia passionum. Cernebat verum Salomonem mater eius, in diademate, quo coronauerat eum nouerca synagoga, & ipsa coronata coronâ tribulationis post eum incedebat. Stabat autem iuxta crucem, & illud dulcissimum caput nati, vnctum oleo iustitiæ præ participibus suis, arundine percussum, & spinis coronatum, tristi spectaculo videt, aspiciebat speciosũ formâ, præ filijs hominum, non esse speciem, neque decorem; excelsum super omnes gentes despectum, & nouissimum reputatum; sanctum sanctorum cum sceleratis, & iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, & ceruicem sustinentis omnia, humeris inclinatam pendere, serenissimam faciem Dei emarcuisse, & decorem vultus eius absconditum.*

Mariæ virtus pressuris accenditur. AMED.

19. Quod amplius videns filium cruci affixum, & sacratissimum eius sanguinem, è vulneribus omnibus effluentem, non timore corripitur, sed magis accenditur, hoc vnicè habens in votis, vt possit, cum moriente filio, mori. Vnde Richard. à S. Laur. de laud. Virg. eam comparat Elephanti, cui ostendunt sanguinem vuæ & mori ad acuẽdum eum in prælium, vt legimus 1. Mach. 6. *Elephas, ait, viso sanguine non timet mori, sed magis acuitur in prælium, sicut legitur 1. Mach. 6. Et beata Virgo viso sanguine filij effuso in cruce, mori pro ipso non timuit sed magis optauit, & si animam pro ipso non posuit, exposuit tamen & quod potuit fecit.*

Virgo viso filij sanguine magis animata. RICHAR. à S. LAV.

20. Vndecima, synapis granum, igneam habet naturam, sacra Virgo, plena diuini amoris flamma. *Charitate nullus mortalium illam, aut vicit, aut æquauit,* ait Canisius lib. 1. de Virg. cap. 13. de Virginis ignea charitate vide En. 11. sect. 7. & sect. 8.

Maria maxima charitate accensa. CANIS.

21. Duodecima, synapis naturam ait Vincent. Belluac. in spec. nat. lib. 10. c. 50. Medici thermaticam esse volunt, eò quòd alicui applicatum calefaciat, septimicam, eò quòd quidquid inuenit, extenuet. Epispaticam, eò quòd quem apprehendit humorem

rem educit. Nónne idem de Virgine potest affirmari? applicata alicui insigniter eum calefacit: vide En.11.sect.9 n 9. Deinde cultores suos per humilitatem, quam illis largitur, extenuat, & quod amplius si prauis humoribus vitiorum, habeant occupatum animum, hosce educit, atque ab eis cultores suos liberat.

Per Mariã resoluuntur vitia.

22. Decimatertia, granum synapis resoluit omnia antiqua apostemata; sic Maria resoluit omnia antiqua vitia. Sua humilitate nostram resoluit superbiam: sua perfecta resignatione, nostram impatientiam: suâ modestiâ nostram immodestiam: sua fide, nostram diffidentiam: sua charitate, nostrum teporem: sua fortitudine nostrum langorem: sua mansuetudine, nostram iracundiam.

Proponuntur duæ aliæ conuenientiæ inter granum synapis & B. Virginem.

SECTIO XLIII.

Vita Virginis continuus ad Deũ ascensus. PLINIVS.

23. DEcimaquarta, *synapi principatum habere, ex his, quorum vis in sublime feratur, censuit Pythagoras, quoniam nil adeò magis in nares & cerebrum penetrat.* Sic Plin. lib.20. cap.22. Similiter quidquid virium erat in Virgine, ad alta tendebat, ad cælestia aspirabat, ita vt vita eius, nihil aliud fuerit, quàm ex huius sæculi deserto, ascensus ad Deum, vt eam meritò admirantes Angeli dicant Cantic. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi. Dicitur desertum hic mundus*, ait Richardus à S. Vict. in Cant. 9. *vel quia deseritur, & contemnitur, vel quia se ipsum deserit, & in se deficit. Quotidie enim cum tempore, gaudia temporis transeũt, & quot dies, tot gaudia dierum prætereunt, & deficiunt. Vnde cùm gaudia ista anima perfectè contemnit, & ad supernum, & verum gaudium tendit, & per desertum ascendit. In huius sæculi vanitates,* inquit Petrus Damianus serm. in assumpt. Deip. *omnes vel descendere cognoscuntur, rarusq; qui non vel descendat, vel cadat in huius turbulentissimæ profunditatis oceanum. Sola illa Mater & filia creatoris nec descendit, nec cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est.*

Virgo instar virgulæ fumi, semper ascendebat. RICHAR. A S. VICT. Mundus desertum à quo ascẽdendum.

Maria semper ascendit. PETRVS DAM.

Maria virgula fumi.

24. Ascendit porrò sicut virgula fumi. *Virgula fumi,* (ait idem Petrus Damian.) *recta est, subtilis, odorifera, & quantò magis in aëra extenditur, tantò ampliùs dilatatur. Sic & Angelorum Regina, recta est in sublimitate conuersationis, quia virga directionis, virga regni Domini. Subtilis in Deitatis contemplatione, quia ipsa est, quæ conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Odorifera in virtutum opinione, quia currimus in odore vnguentorum suorum. Angusta in temporalibus, quia non erat ei locus in diuersorio. In spiritualibus dilatata, quia astitit Regina à dextris Domini.* Hæc ille. *Erat Virgo,* (ait D. Bernardus serm. de Natiuit. Virginis,) *sancta corpore & spiritu, cui specialiter esset dicere: conuersatio nostra in cælis est.* Quapropter Ioannes Damascenus orat. 2. de assumpt. Deipar. de illius assumptione in cælum, verba faciens. *Hodierno die*, inquit, *Virgo illa immaculata, quæ cum terrenis affectionibus commune nihil habuit, sed cælestibus cogitationibus educata est; non in terram abscessit, verùm, vt quæ verè viuum cælum extiterat, in cælestia tabernacula introducitur: Quis enim eam cælum nuncupans à vero aberret? Nisi quis fortè, rem rectè intelligens, eam cælis quoque incomparabili præcellentia modo superiorem esse dicat.*

BERN.

Maria cum terrenis affectionibus nihil habuit commune. DAMASC.

25. Ob terrenarum rerum contemptum Virgo sub pedibus habere dicitur lunam Apocal. 12. *Valdè eminentia,* (inquit S. Bernardin. to. 1. ser. 61. art. 3. c. 1. *reputantur ista tẽporalia bona, tamen sunt mutabilia & defectibilia sicut luna. Hæc autẽ habuit Beata Virgo sub pedibus eius, quia suis affectibus per contemptum omnia subiugauit, ne scilicet, aliquo modo, eius dilectionem ad filium variarent.* Sed elegantiùs adhuc D. Bernardus serm. in Signum magnum. *Nam & defectus omnis sub ea & quidquid fragilitatis, seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate, præ cæteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis: vt meritò sub pedibus eius luna esse dicatur.*

Maria, lunam, id est, temporalia omnia habet sub pedibus. BERN.

26. Virginis affectus, nullam prorsus cũm terra, terrenisque rebus, perinde atque si non ex terrena, sed planè cælesti substantia, coagmẽtata foret, habebat communionem, qua mente dixit S. Ambrosius lib. de instit. Virgin. cap. 9. *Non de terra vtique, sed de cælo vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit & sacrauit templum pudoris.*

Maria nullam cum terra habebat communionem. AMBROS.

27. Apoc. 12. *Vidi ciuitatem sanctam, Hierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Hæc est,* ait S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 5. §. 2. *beatissima Virgo Maria, ciuitas sancta.* Verùm si Maria in terris orta, est in cælum assumpta, cur dicitur descendisse de cælo? *Quia cùm nihil haberet terreni admixtum, non tam è terra, quàm è cælo, descendisse dicenda.*

Maria ciuitas è cælo descendẽs. ANTONINVS.

28. Idem auctor, dicit, manna fuisse figuram Virginis, quia sicut ex manna generabantur vermes, ita ex Virgine natus, tanquam vermiculus, verbum incarnatum, deinde vt symbolo magis accedat, concludit: *Quæ velut cælitus adueniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit.* Nota *velut cælitus adueniens,* non, *verè de cælo adueniens,* vt intelligas, quòd Virgo quamuis in terra nata, tam fuerit virtuosa vt è cęlo manasse videretur.

Maria quasi manna de cælo adueniens.

29. Dauid de Virgine fatus, Ps. 44. sic ait: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quomodo in

Virgo in actionibus etiam ad corpus spectantibus

Maximè aliena ab omni mundano affectu. ANTONINVS.

in fimbrijs aureis, cùm fimbriæ sunt vltimæ vestimenti oræ, quæ passim, cùm iuxta terram, luto aliquo contaminantur? Respondet D.Antonin. part.3. tit.31. cap.4.§.2. *Totam eam incanduerat diuinus amor vt nihil esset in ea, quod mundanus violaret affectus & sic fimbria quæ sunt iuxta terram, non tangebant terram*, sed aureæ, id est, *liberæ, ab omni mundano amore, operatione eius, etiam circa corpus versante*. Nunquid de tali Virgine dici potest, quòd licet esset in terra, nihil tamen habeat commune cum terra, & quòd ipsa planè sit aurea in illis actionibus, quæ in aliis non sunt nisi luto aliquo commaculatæ. Ne ergo mireris, si dicamus Virginem non è terra genitã, sed descendentẽ de cęlo.

Virgo, nũquam sine Dei laude ANTONINVS.

30. Idem episcopus docet S. Virginem, si quando à matre, vel Iosepho ad veniendum ad se, vel ad aliquid peragendum, vocabatur, semper respondere solitam, dicendo, *Deo gratias*, quod etiam moris in multis religiosorum monasteriis. Sed cur ita respondebat Virgo? *Vt & illud modicum tempus*, ait, *non esset sine laude Dei*. Nónne ex eo colligi potest, eam non terrenam, sed planè esse cælestem, & æmulari illos cæli habitatores, qui incessabili voce proclamant. Sanctus &c. Vides, opinor, quanta cum ratione Virgo dici possit, non tam terrena quàm tota cælestis.

Maria quasi speciem aliquam diuinitatis induisse quibusdam visa. DIONYS. AREOP. Quidam hæretici vt Deam, censerunt Mariam honorandam. EPIPH.

31. Quinetiam non multum à vero aberraueris, si dixeris eam non modò cæleste, sed etiam quandam diuinitatis speciem induisse. *Nisi ex reuelatione & fide*, (ait Dionys. Areop. apud Canisium de Deip. lib.5. cap.1. *nouissem esse aliam Deitatem, non putarem præter hanc esse aliam*. Non defuerunt hæretici, Collidiriani appellati, qui Virginem, vt Deam censerunt adorandam, quod reprehendit Epiphanius lib.3. hæresi 73. Etsi pulcherrima est Maria, sancta & honorata, at non ad adorationẽ Maria in honore sit, Deus adoretur. Quo loco etiam refert filiam Pharaonis pro Deo Ægyptiis habitam, quia Mosem sustulit &c. Quia honorauit, sustulit, atque educauit seruum Dei Moysem, propter celebritatem tunc pueri, vltra decorum honorauerunt Ægyptij pro Dea. Si Ægyptij, propter Moysis susceptionem & educationem vt Deam venerarunt Pharaonis filiam, quid censendum de Virgine matre, quæ suscepit & educauit filium Iesum?

Virgo minima humilitate, maxima dignitate.

32. Decimaquinta, granum synapis, minimum quantitate, maximum virtute: similiter Virgo, minima per humilitatem, maxima per exaltationem, dignitatem & virtutem, ad humilitatem quod attinet, quid illâ humilius excogitari potest. Quid mundus nisi magna sphæra, habens multos circulos, multas creaturas, quò sphæræ centro viciniores, eò minores, Virgo centro, id est, Deo, vicinior: est enim mulier, in vtero habens Deum, ergo inter creaturas minor per mentis humilitatem. Audi S. Bern. de hum.

Maria quò Deo vicinior, eò humilior. BERN.

Mar. art.2. cap.2. *Inter hæc omnia breuissimum facit circulum B. Maria, quæ per mentis deuotionem arctiùs Deum constringit & inter beata viscera clausit & portauit*.

33. Legimus Apoc.12. quòd lunam sub pedibus habeat. Ecce luna vtebatur pro calceamento; vnde sic in eius laudem sponsus cap.7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis*, luna dum distat à sole, pulchra est & luminosa, vicina soli vix apparet. Tales erãt Virginis in humilitate gressus, quantò erat Deo vicinior, tantò humilior dum illi propinquissima, dum vtero concepit, tunc humillima. *Ecce ancilla Domini*. Imò in nihilum se reuersam dicit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, alij legunt, *Nihilitatem ancillæ suæ*. En abyssum humilitatis in Virgine.

34. Vidisti minimam, vis videre maximam? Posset Virgo, sibi appropriare visionem Iosephi Patriarchæ, dicentis, Gen.37. *Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me*. Sol significat Patrem, luna matrem, scilicet Balam; quæ ancilla Rachelis, eâ iam mortuâ, Iosepho fuit instar matris, inquit Liranus & Abulensis; vndecim stellæ, significant vndecim fratres, Iosephum in Ægypto adoraturos. Nónne legimus Apocal. 12. sacratissimam Virginem circumdatam sole, lunâ, & stellis? Sed videamus, an ab istis etiam luminaribus adorata Virgo, lunam, id est, Ecclesiam eam adorasse, nullam patitur difficultatem, nam quia illi deuota hæret illius pedibus. *Luna sub pedibus eius*. & D.Bernard. super Sig. mag. de Ecclesia fatus, sic ait, *per ipsum sincerissimæ mentis tuæ affectum, tuis iacens prouoluta pedibus luna*. Mediatricem tibi apud solem iustitiæ constitutam, deuotissimis supplicationibus interpellat, vt in lumine tuo, videat lumen solis, gratiam tuo mereatur obtentu, stellas, id est Angelos eam adorasse certissimum, erat enim eorum regina & quid minus potuere, quàm eam adorando, id agnoscere, sed omnis versatur quæstio, an à sole Christo etiam adorata? Hic enim cum ratione diuinæ naturæ sit elephanti similis: licet omnes creaturæ, se illi inclinent, ille tamen se nemini. Nihilominus Christus adorauit matrem tam in cælo, quàm in terra. Dicit S. Antoninus, quòd Christus cum Virgine habitans in eadẽ domo, si fortè occurrisset Virgini, sese illi inclinasse, cùm verò Virgo, eo nomine, conciperet non exiguum dolorem. *Illa dicebat*, ait, *Deus non decet Deum fœmina inclinari, sed ille dicebat, tamen istud decens est matri filium subdi*. Vide S.Antonin. part.3. tit.31. cap.4.§.2. in cælo illam similiter adorauit, teste eod. S. Bern. to.3. ser. de Ass. a.2. c.2. Reuerentia filiali, in matrem dignissimam, eam dicitur adorasse, nimirum postquam in cælo est assumpta. Vnde, eodem loco præ nimia admiratione, sic Christum alloquitur S. Antoninus. *O bone Deus, omnipotens, sempiterne Deus, quid est quod mulierem adoras?*

Qualiter sol, luna, & stellæ adorent Virginem.

BERN. Luna, id est Ecclesia, adorat Virginem.

ANTONINVS. Christus adorat Virginem.

adoras? Cui Christus: *Volo eam meritò adorare, quia adorandam efficit meritum humilitatis, nam in ea fuit humilitas incomparabilis.*

Virgo vertex ramorum, id est, sanctorum.

35. Condolens Deus humano generi & volens eius languori mederi per filij incarnationem sic loquitur Ezech. cap. 17. *Sumam ego de medulla Cedri sublimis, & ponam de vertice ramorum eius*, in quæ verba sic D. Thom. de Sacram. alt. cap. 15. *Medulla Cedri sublimis, est æterna sapientia, alti rami eius sunt patres sancti, vertex ramorum eius, est beata Virgo.*

THOMAS.

Maria corona sanctorum in cælo existentium.

BONAV.

36. Vnde D. Bonauentura explicans illa verba Ps. 64. *Benedices corona anni benignitatis tuæ*, per coronam intelligit sacram Virginem. Dicens insuper tres reperiri annos maximè diuersos, vnus habet dies, & noctes, estque annus huius vitæ, dies illius iusti, noctes iniusti, & vocat eum annum, æquanimitatis. Alter habet solùm noctes, estque annus inferni, vbi solùm inueniuntur peccatores, vocatque eum annum seueritatis. Tertius habet solùm dies, & est paradisi, vbi omnes beati, & hunc vocant annum benignitatis, de quo Dauid sic loquitur: Vis scire cur Maria vocetur corona sanctorum in cælum existentium? Audi Bonauent. in spec. c. 12. *Huius autem anni benedicti*, ait, *corona est benedicta Virgo Maria, ipsa certè est corona omnium dierum huius anni, quia ipsa est corona omnium dierum cæli: Corona enim super caput poni solet, sic Maria super caput omnium sanctorum locata est*, &c. *Tu es*, ait S. Germanus apud Lyppom. 21. Nouemb. *honor honorantium, præmium præmiorum, & altitudo altitudinum.*

Tres anni in scriptura inueniuntur.

BONAV.

Virgo tam alta, vt fugiat oculos nostros.

37. *Nunquid ostendisti auroræ locum*, ait Deus Iobo c. 38. Sed quis nescit locum auroræ, quis eam non videt, quis digito eam non possit demonstrare? Quid ergo sibi vult Deus, vult S. Bonauentura in spec. Deum ad Iobum verba facere, de sacratissima Virgine sub similitudine auroræ, iam certè aurora nostra Maria, sublimiter locata in cælo, locum tenet viciniſſimum soli æterno. Vult ergo Deus Iobo dicere, an habes oculum, tam acuti visus, vt videre possis, & demonstrare locum, in quo residet, sacra Virgo? tam alto residet solio, vt non solùm eò pertingere non valeat quisquam, verùm neque ad eundem attollere oculos.

38. Eccli. 14. *Ego quasi vitis, fructificaui suauitatem odoris.* Cur viti, plantæ infirmæ, & per terram serpenti, se comparat, & non potiùs Cedro, cypresso, vlmo? Sunt quidem hæ arbores, altiores vite, sed vitis si hasce amplectatur arbores, per easdē serpit quàm altissimè, imò supra illorum vertices crescit seque erigit, vnde quidam volens insinuare quòd eò altiùs esset promouendus quò maiore seruiret Domino sibi maximè addicto, pro dicto habebat: *Quo altius fulcimentum.* Idem potest & Virgo dicere. Quò enim altius fulcimentum quod ipse Christus est, eò altiùs sese erigit, vt mirum non sit, si altitudine superet omnes creaturas vtpote quę viciniſſima diuino soli, & Christo assistens à dextris. Quàm eius altitudinem admirans D. Bernardus serm. 2. de Adu. exclamat: *O Virgo, virga sublimis, in quem sublimem verticem caput sanctorum erigis? vsque ad sedentem in throno, vsque ad Dominum maiestatis?*

Maria latitudine omnes superat creaturas.

BERN.

De Virginis magnitudine, & qualiter ad eam peruenerit diximus suprà hac Enar. 4. sect. 34. §. 2. 3. &c. Ad quæ lectorem remittimus. De Virginis humilitate vide tom. 2. En. 11. sect. 3. & 4.



FINIS TOMI PRIMI.

Ad maiorem Dei, Deiparæ Virginis, & seraphici Patris nostri Francisci, sanctorumque omnium gloriam & honorem, & credentium vtilitatem.

Omnia & singula sanctissimæ matris nostræ, Ecclesiæ Catholicæ iudicio, humiliter subijcio.

F. FLORENTIVS MECHLINIENSIS Cap. Ind.



ANTVERPIÆ,

Typis GVILIELMI LESTEENII.

7-1-1






LEGATORIA A. PANDIM
ROMA